HISTORIA GENERALIS PLANTARUM, IN LIBROS 18. PER CERTAS CLASSES...

Jacques Dalechamps

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
12
7 H
11

Digitized by Google

12. 7. H. 11

Digitized by Google

Digitized by Google

HISTORIA GENERALIS

PLANTARVM,

In libros XVIII. per certas classes artificioſe digeſta;

Hæc, pluſquam mille imaginibus plantarum locupletior ſuperioribus, omnes propemodum quæ ab antiquis ſcriptoribus, Græcis, Latinis, Arabibus, nominantur: necnon eas quæ in Orientis atque Occidentis partibus, ante ſeculum noſtrum incognitis, reperta fuerunt, tibi exhibet.

Habes etiam earundem plantarum peculiaria diuerſis nationibus nomina: habes amplas deſcriptiones, è quibus ſingularum genus, formam, vbi creſcant & quo tempore vigeant, natiuum temperamentum, vires denique in medicina proprias cognoſces.

Adiecti ſunt Indices, non ſolum Græci & Latini, ſed aliarum quoque linguarum, locupletiſſimi.

LVGDVNI,
APVD GVLIELMVM ROVILLIVM.

M. D. LXXXVII.

Cum Priuilegio Pont. Max. Cæſareæ Maieſt. & Chriſtian. Galliarum Regis.

ILLVSTRISSIMO
AC POTENTISSIMO
PRINCIPI CAROLO
EMANVELI DVCI
SABAVDIÆ.

HANC *Plantarum historiam, quæ nunc tandem, si non perfecta, at certè perfectæ proxima in publicum est proditura, non abs re Celsitudini tuæ dicandam existimaui. Quum enim vt paternis vestigiis in aliis quibusque præclaris rebus insistis, ita etiam eius exemplo, cognitionis omnium quæ vniuersa natura historia complectitur, desiderio accendaris, hæc autem quæ plantas describit, vel primum (præsertim si, quantam rei medicæ vtilitatem affert, spectemus) locum inter illa teneat: fieri non potest quin gratissimum tibi sit ingens istud volumen, quo ditissimus ille & pretiosissimus thesaurus cõtinetur, præsertim quum non, vt aliis anteà editis eadem de re libris, magna tantùm eius portio, sed aut totus, aut penè totus eo includatur: adeò vt de isto volumine id quod de nullo hactenus, prædicari possit, tam multarum stirpium tam accuratam & exactam descriptionem continere, vt (sicut paulò antè dixi) si non ad perfectionem peruenisse, saltem ad illam proximè accessisse dici queat. Quod à me taceretur tamen, nisi ex collatione cum aliis manifestum fore, & quos celsitudo tua secum habet medicinæ & nominatim rei herbariæ peritissimos viros, id ei testaturos scirem. Habebunt autem quicunque hoc fruentur libro, etiam quod potentissimo illi & modis omnibus maximo Regi Philippo, socero tuo, gratias agant. Ex remotissimis enim terris, nondum ante seculum nostrum cognitis, & quas partim ipse, partim inuictissimus Imperator, Carolus quintus, eius pater, subiugauit, allatæ non paucæ stirpes fuerunt, quarum haud magis quàm illarum terrarum notitiam quisquam habuerat: quum tamen ex nonnullis earum (de stirpibus loquor) præsentissima peti remedia videamus. Nec verò plantæ tantùm sed alia etiam multa inde prodierunt, anteà prorsus incognita, quamuis inter naturæ diuitias, vt magis secretas, ita etiam insigniores, numeranda essent. Huiusmodi autem opulentiæ natura quis inter omnes Christianos Principes*

patre tuo ſtudioſior, quis eius cognitione inſtructior extitit?

Verùm vt ad eam hiſtoriæ naturæ partem, quam tibi nunc offero, reuertar, ſicut eam alia nulla eſſe inferiorem patri tuo perſuaſum erat, ita quin idem tibi perſuaſeris, minimè dubito: ac profectò, quemadmodum herba quæ Gentiana vocatur, Gentij Illyrici principis nomen immortalitate donauit, ita vel hanc plantarum hiſtoriam nomen tuum immortale reddituram credibile eſt. Quoties enim à poſteris mentio eius fiet, tui, cui dicata eſt, memoria renouabitur: quinetiam erunt fortaſsis qui eam hac ipſa dicatione à cæteris omnibus ſuperioribus diſtinguant: etiamſi alia multa habeant, quibus inſigne diſcrimen poſsint inter hanc & illas ponere. Nec verò Adrianus Imperator non & ipſe huius libri editionem, ſibi nuncupatam, valde hilari vultu excepiſſet, ſummóque fauore proſequutus fuiſſet, quantum coniicere ex eo licet quod de illo literis Athenæus prodidit, magna ſeq; digna liberalitate eum eſſe remuneratum à quo herba lotus oblata fuerat, quæ florem inuſitatum, id eſt pro candido rubrum (qualis roſa eſt) progenuerat: necnon illum qui hanc nouitatem verſibus celebrarat. Quominus mirari quenquam decebit, me Celſitudini tuæ dicare librum hunc auſum fuiſſe: quum vel ea quæ de hæreditario illius in literas amore, eáſque nominatim quæ illa opum naturæ arcana nobis pandunt, per multas regiones ſparſa eſt fama, ad hoc me incitare debuerit: ſimúlque ad precandum Deum Optim. Max. (ſicut & precor) vt illum diutiſſimè incolumem ſeruet, & nouis in dies munificentiæ benignitatíſque ſuæ donis locupletet. Lugduni, Cal. Iulij: anno Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo ſexto.

Tuæ Celſitudini deditiſsimus,
GVLIELMVS ROVILLIVS.

Digitized by Google

GVLIELMVS ROVILLIVS

LECTORI SALVTEM.

VIGESIMVS annus est, benigne Lector, & eo quidem amplius, cùm ingressus musæum Iacobi Dalechampij, insignis ætate nostra Medici, grande volumen eum præ manibus habentem reperi, quamplurimis stirpium figuris conspicuum. Raras illas, exquisitas, & nõdum vulgatas contuitus, additis descriptionibus explicatas, & apto, vt argumẽtum poscebat, ordine dispositas, ingenio genióque meo inuitatus (semper enim fui, ac etiamnum sum, ita publicæ vtilitatis appetens, vt in iis obeundis quibus omnium commoda procurentur, nec labori parcam, nec sumptui) arbitratus sum operis magni tanquam infantiam ac principium id esse: statímque alia atque alia mecum reputaui, sed hoc præcipuè, nihil iucundius esse ac optabilius, quàm naturæ & facultatis plantarũ cognitionem: seu voluptatem nobis ipsi proponamus, seu illorum quæ nostris malis subueniunt, præsentem supellectilem. Quid enim magis nos exhilaret, quàm aspectus pulcherrimorum (vt ita dicam) aulæorum, & tapetiorum, quæ natura, omnium architecta & parens, vbiq; strauit in suis latifundiis, vt admiranda forma, & speciosa varietate colorum, radicis, caulis, ramorum, foliorum, floris, fructuum, nostros oculos pasceret, ac reficeret, spectaculo quidem ornatissimo, & instructissimo, quod vel etiam maximè squalidos, rusticos & incultos homines alliciat, & delectet? Necessariam porro esse hanc scientiam ad tuendam vitam, & morborum infestorum nobis curationem, multis disceptandum non est. Satis id docent vel mutæ ac rationis expertes animantes, quæ instinctu naturæ medentur sibi, remediáque profutura discernunt ac deligunt. Hæc igitur cùm animo diu ac multùm voluta ssem, constans quædam incessit voluntas tantum opus aggrediendi, nouum ferè illo tempore, cùm eius fundamenta Fuchsius, Dodonæus, Tragus, Lonicerus, & aliquot alij iecissent, sed exiguo plantarum numero contracto, & rudiore imaginum forma, nulláque totius operis artificiosa partitione, quæ diuisam materiam in suas differentias & classes distingueret. Cùm ergo decreuissem omni cura id quod meditabar perficere, & magnam mearum fortunarum partem in eam rem impẽdere, ad promouendum eum conatũ, multis opus fore prouidi: ac primùm quidem,

induſtria hominis docti,qui huic negotio præfectus omnia ritè adminiſtraret.Propitia fortuna,hoc animo verſanti mihi occurrit Ioannes Molineus, dum vixit, famoſus medicus, Guilielmíque Rondeletij, medici præſtantiſſimi,& in examinandis plantis exercitatiſſimi,alumnus,diſcipulus, & per annos multos conuictor, homo laboris indefeſsi, & cuius ob terſam puritatem oratio mirificè omnibus arrideret. In hoc totus probus ac eruditus ille vir incubuit, ſingulari fide ac ſedulitate, plurimum adiutus ſubſidiario conſilio Dalechampij, qui vltro de ſingulis eius commentationis partibus ecquid ſentiret, expoſuit, ac liberaliter commodauit quidquid iam imaginum,& hiſtoriarum collegerat.Inſperata hæc opportunitas virgula diuina cùm obtigiſſet, penſitans mecum, id opus augeri in infinitũ poſſe, aggeſtis plantis, quas alio ſolo & cœlo quàm noſtro genitas nobis iis explorandis dediti homines ſuppeditarẽt, (non enim, vt inquit Poëta, terræ ferre omnes omnia poſſunt) amicos meos, quos equidem non paucos habeo, rogaui, Aphricanos,Hiſpanos, Italos, & qui in orbis remotiſſima loca ferè quotidie nauigant, vt ex regionibus illis quas adeunt, aut in quibus degunt, ignotas adhuc noſtris gentibus plantas,ita vulſas vt non diſcerptę & lacerę ſed quàm maximè fieri poſſet integræ & illæſę eſſent, ad me mitterent. Quod (niſi me plus ſatis amo) proſperè ſucceſſit, acceptis illorum beneficio plantis certè quamplurimis, ſpectatu digniſſimis, nec paſſim obuiis.

Proſpecta hæc cùm iam eſſent, & nihil aliud ſupereſſet, quàm, quod aiunt, operi manum admouere, eos qui plantarum ſimulachra delinearent, ac ſculperent,& hic,& vbicunq; habitare rumor erat,peritiſſimos, gnauiſſimos, ingenioſiſſimos, nulla prorſus mercedis habita ratione, quantumcũque modum excederet,aut acciui,aut abſentes operam in id nauare iuſſi,hoc tantùm imperans, vt illorum minimè eſſet fallax imitatio, & quæ repræſentarent, imaginis veritate ac venuſtate cernentium oculis approbarẽtur.Iis qui huius rei ſcientes& gnari ſunt,haud difficile æſtimare fuerit, in tantum numerum tabularum, quæ pictæ & inciſæ ſunt, quantam pecuniæ vim profundi oportuerit, & quantum moleſtiæ patienter deuorari, vt continuaretur is labor, & ad finem perduceretur ingens libri moles:cuius editionẽ cum incredibili dolore, & graui damno meo, in longum tempus diſtuli, tribus diuturnis morbis, periculoſis, minacibus,vexatus, & quadam velut remora impeditus: è quibus,Deo iuuante, & felici medicorum auxilio, tandem euaſi,ſed ita laſſus & fractus, vt tardius quàm cupiebam, alligare me huic piſtrino valuerim.

Interim autem dum inuitus moror, & procraſtino, è multis officinis prodierunt eiuſdem argumenti libri, eiuſdémque apparatus,ab egregiis doctrina viris emiſſi,vtilitati publicæ addictis oppidò,& alioqui perſpicacibus,ac minime pigris: quidam,breues,inſtar tumultuariæ cuiuſdam ſcriptionis feſtinati: quidam non exiguum earum numerum habentes. Primum autem inter illos omnes locum primámque laudem Andream Matthiolum obtinere fatendũ eſt: verùm ne illius quidẽ opus me ab eo

quod

quod deſtinaueram,deterruit ac depulit. Id verò fuit, generatim & in vniuerſum omnium plantarũ quæ innotuerunt memoria noſtra,à medicíſque & herbariis memoratæ ac celebratæ fuerunt, hiſtoriã ad poſteros tranſmittere, velut theſaurum omnium quæ ad æuum vſque noſtrum traditæ ſunt, &,quum cæteri omnes indigeſtos quoſdam earũ cumulos nobis propoſuiſſent (ſiquidem nec Matthiolo alium quàm ipſe Dioſcorides ordinem tenere licebat) eas contrà in certas claſſes artificiosè diſtribuere.Quę res certè multum huius cognitionis cupidos, & candidatos leuabit:quos in tanta multitudine librorum & tam confuſa quærere tædet quæ veſtigant. Nec verò eſt quod quiſquam requirat plantarum imaginibus prorſus iconicis expreſſarum deſcriptiones fuſiores & accuratiores noſtris quas ſingulis figuris appoſuimus.Sunt enim eiuſmodi noſtræ, vt ex iis cogniturus ſit Lector vniuſcuiuſque genus, formam, vbi creſcant, quo tempore vigeant,natiuum temperamentũ,quinetiam proprias in medicina vires.Adde quòd in ſingularũ propemodũ hiſtoria, authorum de illis loci citantur ac expenduntur, quinetiam alij aliorum collatione explicãtur: aut,ſi pugnare inter ſe videri poſsint,cõciliantur. Sed & quę corrupta ſunt reſtituũtur, & varię lectiones aut cum iudicio excutiuntur, aut obiter ſaltẽ indicantur. Non mirũ eſt autẽ tot hac de re libros antea prodiſſe,quum emergeret in dies quod auctariũ eſſet:eorum præclara laude ſcilicet,& exiſtimatione qui de ſuo ſymbolã conferebãt. In horum ſtudiorum æmulatione dum eiuſdem cõſilij rationibus plures inſiſtunt, ſunt qui vel lucri ſpe capti, vel honoris leuiuſculi ambitione ducti, quod ex aliis mutuati ſunt, furtímue ſurripuerunt,ſibi vendicent. Hoc profectò vitium nunquam non mihi turpe fuit, ac odioſum, vt qui nec inuidus ſim, nec glorioſus, ac ne quęſtus quidem auiditate ardeam. Gratiſſima ſanè hucuſq;, vel iam à puero,mihi fuit modeſta ſimplicitas, quæ publicæ vtilitati ac omnium deſiderio potiùs inſeruiat,quàm priuatis commodis, neminémque fraudet ac ſpoliet illa quam virtus eius meretur, gloria. Itaque plagij crimen iſtud peroſus, vel (vt loquar mollius) nimiam verſutæ mẽtis iſtam calliditatem, nihil alienum mihi arrogaui: imò, ſi quæ plantæ figura elaborata iam, præſto fuit, quam oſtenderit alius poſteà, vtramque, meam nempe, & illius, apparere volui, ne quæ inuidia gliſceret, nec locus eſſet conqueſtioni, ac denique maledictis quiſquam ne mecum certaret, ac impotenter veluti digladiaretur:ſimul etiam, vt intelligerent excellẽtes illi viri,quorum ſcriptis fruimur, poſt quam hoc primum inſtitui, quãta cum vigilantia & ſolicitudine in hoc negotio me geſsi,prius quàm eò cogitationes ſuas intẽdiſſent,aut quidquam deſignaſſent. Adiicio & his nonnullos,dum iter hac facerent,conſpecta magna parte imaginum ad vſum iam abſolutarum, & expreſſarum,animaduerſóque illarum ordine, poſitu, & collocatione, ac quibus Theophraſti,Dioſcoridis,Cratenæ,Plinij,Apulei, nomenclaturis earum appellationes conuenirent,de hoc quod maximè cõtrouerſum eſt, velut arbitros pronuntiaſſe,illis tacitis à quibus didicerũt: bello quidem aſtu,

vt eſt temporum noſtrorum mos,aut, quod verius eſt, licentia,& prauitas, quam tamen auerſatur purus & ſincerus animus, ſi Plinio credimus, ingenuum eſſe profiteri per quos profecimus.

Erit autem fortaſsis, qui miretur, vel etiam reprehendat, quòd poſt vltimum librorum,earum ſtirpium adnexa ſit appendix,quarum in aliis hiſtoriæ ſegmentis congruens ſedes fuiſſet. Atqui nec inuſitatum hoc eſt, nec inauditum: ſed multorum exemplis hoc excuſare licet. Ac ſanè optima voluntas & perpetua mea, communicandi cum omnibus quidquid penes me fuerit, declarari non potuit manifeſtius. Continet enim appendix illa plantarum effigies aliquot, aduectarum è Syria,& Libano monti conterminis locis,quas ſupprimere & occultare, atque in alteram editionem polliceri potui, vt habendi legendíque deſiderium lectori vehemens excitaretur:ſed non mihi viſum eſt eum ſic ineſcare,vaníſque lactare promiſſis. Irritat famem qui panem fruſtulatim præbet. Satius ergo putaui, aſſuto hoc veluti panniculo, ſatisfacere lectori,nec eum ſuſpenſum tam inani & longa ſpecula cruciare. Hoc enim qui faciunt, ineptè (vt reor) ac ſtultè illudunt aliis.

Quinetiam,poſtquam in lucẽ hoc opus noſtrum prodierit, ita ſtudiis illorum qui cognitionis plantarum ſunt cupidi, conſulere ſtatui, vt iam nunc omnibus,in hac doctrina prouectis,& alioqui bene erga hominum genus animatis, denuntiem, quæcunq; obſtinato labore ſuo & improbo fuerint conſecuti, ea ſi mihi committere, vt excudantur, velint, id me alacriter ſuſcepturum, & ſanctiſſima fide, promptiſſimáque diligentia præſtiturum: ac ne illa quidem in aliam editionem reſeruaturum,ſed in ſecundam appendicem (quæ ſeorſum vendi poſſit iis qui iam volumen iſtud emerint) conjecturum.

Cęterùm diſſimulare nolo,futurum fortaſſe vt errata compluſcula in his libris deprehendantur: alia quidem haud ita magni faciunda, maioris alia momenti,quæ à comi & minime aſpero lectore peto,vel clementer ignoſci,vel mitiùs damnari. Homines ſumus, ad errandum proni, ac ſæpe in his quæ agimus, cæci, vel hebetes: & non ignorant quibus aliquando res fuit cum prælo typographorum, etiam obſeruantiſſimis & cautiſſimis vix delicta hæc poſſe vitari. Tales cùm ſimus, quod noſtræ conditionis ac ſortis eſt, lenius carpere & faſtidire vnuſquiſque debet. Totis ego viribus & omni ope,operáque ſum adnixus,vt admitterentur quàm pauciſſima,quibus eſſet danda venia,& ſelecta, quæ peccata ſunt, vt offendi,ſic indicaui: ſi quid me tamen effugit,humanitate atque benignitate præditum lectorem obteſtor, & obſecro, vt (quod facile ab eo impetratum iri confido) rem tam nihili prætereat,condonet, nec ſummo iure, quod ſumma iniuria eſt, omnia perſequatur, & exigat.

Vale.

IN HANC

IN HANC GENERALEM STIRPIVM HISTORIAM EPIGRAMMA

docti cuiuſdam viri.

Stirpifera hiſtorias natura vidit vt orbis,
Telluris ſtupuit omniparentis opes.
Hiſtoria magis attonitus reddetur ab iſta:
Nam cumulis cumulos addidit iſta nouos.
Quanto imperfectis perfecta excellere conſtat,
Gratia tanto iſti debita maior erit.

ALIVD.

Quid primum hic, Lector, vel quid mirabere ſummum?
An quòd opum tam ſit natura benigna ſuarum?
An quòd terra eius tam promptè iuſſa capeſſat?
Anue imitatricem natura ſuſpicis artem,
Quæ pictrice manu noſtros deducit in orbem
Totum oculos, ſecreta illis & cuncta reuelat?
Anue obfirmatos potius mirere labores,
Circa opus exhauſtos tantum, ferè tempore tanto
Quanto Mars Priami vexauit Pergama Graias?
Immo aliud longè eſt miratu dignius iſtis:
Terra ſalutiferas quòd quum tot germinet herbas,
Tot morbi nequeant vllam reperire ſalutem.

ἌΛΛΟ.

Παντοίοις κύσμησι φυτῶν δαιδάλμασι γαῖαν
Πότνα φύσις, χρείοντι Θεῷ ἐπίηρα φέρουσα.
Ἀλλ' ἄγνωστος ἔην τῶν δι' ἔργων δαιδαλοέντων
Πλείστη μοῖρα βροτοῖς, καὶ μαστὸν ἀτειλὰ πὲρ ἔμπης.
Νῦν ὃ καὶ ἀγνώστοις ἃ πάροιθεν ἐκδύετο γαίαις,
Ἤ ὃ τεοῖς βίβλος φυτὰ πάγκαλα ὄμμασι δείξει.
Οἳ δὲ πολεῖς πολύμοχθοι ἄπαν λυκάβαντες ἔτλαξαν
Τοῦχος, ἐν ᾧ φύσιος νῦν τοσάδε θαύματα δέρκευ.
Οἷς χάριν οὖν φύσιος τοσσύτοις θαύμασιν ἔξει,
Θάμασῷ ἐχέτω καὶ τῦδε πονήμασι τοίχοις.

INDEX LIBRORVM HISTORIAE GENERALIS PLANTARVM.

Lib. I. De arboribus sponte in Syluis nascentibus. fol. 1
Lib. II. De fructicibus in Dumetis & Frutetis sponte nascẽtibus. 119
Lib. III. De arboribus quæ in Viridariis & Pomariis coluntur. 285
Lib. IIII. De segetibus & leguminibus, ac quæ cum iis in Agris nascuntur. 371
Lib. V. De oleribus & herbis in Hortis nascentibus. 517
Lib. VI. De plantis Vmbelliferis. 688
Lib. VII. De plantis flore placentibus. 791
Lib. VIII. De plantis odoratis. 877
Lib. IX. De plantis in Palustribus prouenientibus. 983
Lib. X. De plantis in Asperis, Saxosis, Sabulosis & Apricis nascentibus. 1097
Lib. XI. De plantis in Vmbrosis, Vdis, Vliginosis & Pinguibus locis prouenientibus. 1208
Lib. XII. De plantis ad Mare, & in ipso Mari nascentibus. 1359
Lib. XIII. De plantis aliis innixis scandentibus. 1401
Lib. XIIII. De Carduis & aliis spinosis aculeatisque plantis. 1435
Lib. XV. De plantis Bulbosis, Carnosis radicibus, & geniculatis. 1491
Lib. XVI. De plantis Catharticis. 1626
Lib. XVII. De plantis Venenatis. 1707
Lib. XVIII. De plantis Peregrinis. 1749

SVMMA PRIVILEGII

SIXTI PAPAE V.

AD FVTVRAM REI MEMORIAM. Cum, ſicut dilectus filius Guilelmus Rouillius bibliopola Lugdunenſis nobis expoſui fecit, ille ad communem bonarum artium ſtudioſorum, & aliorum cómodum quoddam opus ſuum, *Hiſtoria generalis Plantarum in libros octodecim diſtributa*, nuncupatum maxima ſua impenſa, multorúmque hominum peritorum induſtria, & longo labore compoſitum a Magiſtro ſacri Palatij examinatum, & approbatum imprimere, & imprimi facere intendat, dubitétque ne ſimiliter ab aliis illud idem opus poſtea ſine eius licentia imprimatur, quod in maximum ipſius Guilelmi præiudicium tenderet. Nos propterea eius indemnitati conſulere volentes, ipſúmque à quibuſvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentiū duntaxat conſequendum harum ſerie abſolu entes, & abſolutum fore cenſentes, eius ſupplicationibus inclinati, eidem Guilelmo ne prædictum opus per annos decem ab anno primæ dicti operis impreſſionis, à quoquam ſine eiuſdem Guilelmi, vel eius hæredis, ſeu ius ab eis aliter habentis licentia imprimi, aut ab aliis vendi, ſeu in eorum apothecis, aut alias venale, præterquam ab illo cui dictus Guilelmus, vel vt ſupra opus huiuſmodi imprimendum commiſerit, & licentiam dederit, teneri, aut haberi poſsit, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus & indulgemus inhibentes omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus præſertim bibliopolis, & librorum impreſſoribus in terris ſanctæ Romanæ Eccleſiæ mediatè, vel immediatè ſubiectis, ſub excommunicationis latæ ſententiæ, ac etiam trecentorum ducatorum auri de camera pro vna cameræ Apoſtolicæ, pro alia accuſatori, ac pro tertia partibus prædicto Guilelmo, vel hæredi eius irremiſſibiliter applicandorum, & amiſſionis librorum pœnis toties ipſo facto, & abſque alia declaratione incurrendis quoties contrauentum fuerit, ne intra dictum tempus decem annorum, vt ſupra, dictum opus ſine eiuſdem Guilelmi, vel hæredis prædicti licentia imprimere aut alias tenere audeant. Mandantes propterea vniuerſis venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, eorumque Vicariis in ſpiritualibus generalibus, & in ſtatu Romanæ eccleſiæ Legatis, Vicelegatis, & Gubernatoribus, vt quoties pro dicti Guilelmi, vel hæredis parte fuerint requiſiti, vel eorum aliquis fuerit requiſitus, eidem Guilelmo vel hæredi ſuo prædicto efficacis defenſionis præſidio aſsiſtentes præmiſſa ad omnem illius vel hæredis ſui requiſitionem contra inobedientes & rebelles per cenſuras Eccleſiaſticas, ac alia iuris remedia auctoritate Apoſtolica exequantur: inuocato etiam ad hoc ſi opus fuerit auxilio brachij ſecularis: & inſuper quia difficile foret præſentes ad quælibet loca deferri. Volumus & eadem auctoritate decernimus illarum tranſumptis vel exemplis in ipſo opere impreſsis, plenam & à data præſentium eandem prorſus fidem vbique in iudicio, & extra adhiberi, quæ præſenti originali adhiberetur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris, die ſeptima Maij. M. D. LXXXVI. Pontificatus noſtri, Anno ſecundo.

THO. THOM. GVALTERVTIVS.

Summa Priuilegij Imperatorij.

MAXIMILIANI II. Romanorum Imperatoris ſemper Auguſti publico edicto cautum eſt Gulielmo Rouillio ciui & typographo Lugdunenſi, & ſancitum, ne quis cuiuſcunque ſtatus, gradus, ordinis & conditionis, ſiue ſit chalcographus, vel bibliopola, ſiue alius quilibet, quacunque ſacri Romani Imperij & ditionis eius fines patent, hanc *Hiſtoriam generalem Plantarum, in libros octodecim digeſtam*, niſi ipſius Gulielmi Rouillij aut hæredum eius permiſſu, intra decennium eadem, aut alia minori forma excudat, aut excudenda curet, vendat ipſe, aut cuiquam diuendenda mandet, aut denique excuſa ab alijs intra eiuſdem Maximiliani & Imperij fines vendenda importet, ſeu quouis modo diſtrahat manifeſtè vel occultè, vel quouis alio prætextu: alioqui ſibi mulctam decem marcharum auri puri irrogatam ſciat, quarum dimidia fiſco Imperiali fraudis vindici, reſidua verò pars ipſi Gulielmo Rouillio, aut eius hæredibus, aut ab illis mandatum habentibus, cedet, præter librorum amiſsionem, quos per ſe idem Rouillius, vel per ſuos, vbicunq; locorum nactus fuerit, adiumento magiſtratus loci, vel citra, propria auctoritate ſibi vindicare, inque ſuam poteſtatem redigere poterit. In cuius rei fidem ipſi edicto manu ſubſcripſit, & ſigillum apponi iuſsit Cæſarea Maieſtas, vt latius patet in ipſo diplomate dato Pragæ decimaquarta die menſis Iunij, anno Domini milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimoquinto. Subſign.

MAXIMILIANVS.

Ad mandatum ſacræ Cæſ. M. proprium.

A. Eſtenberger.

Extraict du priuilege du Roy de France & de Pologne.

PAr grace & priuilege du Roy eſt permis à Guillaume Rouille marchand libraire de Lyon, d'imprimer ou faire imprimer, vne fois ou pluſieurs ces preſents Liures intitulez, Hiſtoria generalis Plantarum, in libros octodecim digeſta: *leſquels liures il a recouuré auec grãds frais, miſes & deſpenſes, tant ſur les pourtraicts & tailles des figures, que pour le recouurement d'icelles: & pource eſt faicte defenſe de par ledict Seigneur à tous autres Marchands, Libraires, Imprimeurs & perſonnes quelconques, de non imprimer, vendre ni diſtribuer en ſes pays, terres & ſeigneuries leſdicts liures, ſi ce n'eſt par le conſentement dudict Rouille: & ce iuſques au temps & terme de dix ans, à compter du iour & date que ſera paracheuee la premiere impreſsion: ſur peine d'amende arbitraire, & de confiſcation des liures qu'ils auroyent imprimez. Et à fin qu'aucun ne puiſſe pretendre cauſe d'ignorance du preſent priuilege, ledict Seigneur veut & entend que l'extraict d'iceluy eſtant mis au commencement dudict liure ſerue pour toute notification. Car tel eſt ſon plaiſir, nonobſtant oppoſitions & appellations quelconques, comme plus à plain eſt contenu & declairé par leſdictes lettres de priuilege, ſur ce donnees à Lyon le vingt vnieſme Ianuier, mil cinq cens ſeptante cinq, & de ſon Regne le premier.*

Par le Roy, à voſtre relation,

Signé, MORE.

Et ſeelé du grand ſeau en ſire iaune à ſimple queuë.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM LIBER PRIMVS,

Quo describuntur, atque pictæ ostenduntur, arbores sponte in Syluis nascentes.

QVERCVS CAP. I.

DRISCI GRÆCI omne genus arboris δρυὸς appellatione intellexerunt, à verbo δρύω, quod est, erumpo, ac pullulo. Latini glandis nomine, omnem fructum complexi sunt, vt Iabolenus ait, exemplo Græci sermonis τῆς δρυὸς, apud quos omnes arborũ species, ἀκρόδρυα, appellantur, vt παρὰ τῆς δρυὸς fiat dictio ἀκρόδρυα, quo verbo Caius omnem fructum significari dixit. Quæ etiã glandis appellatione apud scriptores intelliguntur, à Græcis βαλανηρὰ vocantur. Græcos, δρυὸς vocabulo omne lignum significare scribit Hermol. vnde Gerandryon pro vetere & ambusta quaque arbore accipitur, quasi vetus ramale, vt loquitur Persius. Sed tam latè patentes significationes in angustius sunt adductæ, vt δρυὸς arborem omnem glandiferam tantùm significet, & præsertim quercum. Glãdem verò, vt ait Plinius, quæ propriè intelligitur, ferunt Robur, Quercus, Esculus, Cerrus, Ilex, Suber. Ἀκρόδρυα propriè quæ in ambitu lignosum putamen habent. Verùm glandiferas arbores Plin. vna voce comprehendi posse negat Latino sermone, quemadmodum Græco potest τῆς δρυὸς, & antiqua voce Saronos, à quo Saroniacus sinus, & Saro in Arcadia nemus trans Ladonem fluuium, & sinus Saronicus, olim querno robore redimitus, vnde nomen, ita Græcia antiqua appellante quercum, quanquam Pausanias à Sarone qui post Altipum regnauit, sinum eum dici velit. Quibusdam, vt Theodoro Gazæ, Roboris appellatione contineri posse omnia genera videntur, non sine errore, cùm Robur vna species sit duntaxat ex multis, quæ δρυὸς generi subiectæ sunt. Matthiolus etiam Dioscoridem δρυὸς nomine vniuersè quidem omnes glandiferas arbores comprehendisse existimauit, qua in significatione id nomen hìc à nobis vsurpatur. Latinè verò Quercus, modò pro genere, modò pro vnica eius specie, sic dicta, quòd id genus arboris graue sit, ac durum, tum etiam in ingentem euadat amplitudinem. Querquerum enim quidam graue ac magnum dici volunt. Ac primùm glandiferarum arborum, maximè Quercuum genera, & historiam tum veteres, tum neoterici variè distinxerunt, atque descripserunt. Nam vt Theophr. ait, τῆς δρυὸς genera constituunt Idæi, Hemerida, Ægilopa, Platyphyllon, Phagum, Haliphlœon, siue Eutyphlœon:

Nomina

In Coroll. c. de Quer. li. 1. Dioſc.

Lib. 16. ca. 6.

Plin. lib. 4. cap. 5.

In cap. de Querc. lib. 1. Dioſc.

Genera.

Li. 3. Hiſt. cap. 9.

Ibid.ca.10. Macedones, Etymodryn, Platyphyllon, Phagon, Aſprin, Haliphlœon. Genera
Lib.16.c.5. glandium multa, inquit Plinius. Diſtant fructu, ſitu, ſexu, ſapore: Et, glan-
Ibid.ca.6. dem, quæ propriè intelligitur, ferunt Robur, Quercus, Eſculus, Cerrus, Ilex,
Loco cita- Suber. Hermol. roboris genera diuidit quadripartitò, in Quercum, Robur,
to. Eſculum, Cerrum, quæ Græcis illis reſpondent, Hemeridi, Ægilopi, Haliphlœo, Platyphyllo. Vt ſit Quercus hemeris: platyphyllos eſculus: ægilops cerrus. Sed nunquid Haliphlœos, Robur ſignificet, nondum, ait, compertum habeo. Alij aliter iſta digeſſerunt, atque explicauerunt. Qua de re quamuis tanta ſit inter doctos homines diſſenſio, vt de ea decidere difficile ſit, tamen ex iudicio & ſentẽtia Iacobi Dalechãpij Medici literatiſsimi, & in ſimplicium medicamentorũ cognitione exercitatiſsimi, atque vſu peritiſsimi, primũ de Quercus generibus, deinde de cæteris glandiferis arboribus dilucidè atque enucleatè dicam.

PLATYPHYLLOS Mas.

Quercus genus 1.

PLATYPHYLLOS fœmina.

Quinque igitur ſunt Quercus genera. Platyphyllos, Hemeris, Phagus, Ægilops, Halyphlœos, quæ & Cerrus fœmina dicitur, & Farnia Italis. Differunt hæc folio, caudice, materia ſiue ligno, totáque ferè ſpecie, præterea fructus ſapore, magnitudine, figura, colore. Platyphyllos Idæorum & Macedonum, quã latifoliam, verbũ
Li. 16. c.6. verbo exprimens Plin. interpretatur, Latinorum eſt Quercus, quæ pro ſpecie ſu-
Nomina mitur. Gallorũ *Cheſne*, Italorũ *Quercia*, Germanorũ *Eichbaum*, Arbor eſt maximè o-
Forma. mniũ procera, ſi Ægilopẽ excipias, recto caudice, cortice inferna parte rimoſo, ſcabroq;, ſuperiore læui cui ſubeſt albuurnũ, quod cũ animalis pingui cõparari poteſt, plurimis in orbem brachiata ramis, magnã innoxiamq; vmbrã loco inducẽtibus: folio grãdi, Cerri & Haliphlœi folio latiore, carnoſo, laterũ anfractibus ſinuoſiſsimo in arbore vetuſta, minus in ea quæ cæſa nouã frondem mittit, ſed tũ maximè lato, & ſpiſſo, ſumma parte obtuſo, cũ cadit nigreſcẽte potius quã flaueſcẽte: glande mediocri, ſuibus grata, ob eam cauſam iis ſaginandis apta, cùm à Phagi & Hemeridis glãde diſceſſeris, dulci, non omnino quidem, ſed ſi cũ haliphlœi & ægilopis

glande

GLANDES PLATYPHYLLI *perfecta.*

GLANDES PLATYPHYLLI *imperfecta.*

glande conferas. Minus enim acerba & amara guſtui eſt, calyce nullis aculeis horrido, ſed puſtulata tantùm ſcabritia aſperato. In ſummo ramorum cacumine ferè glans naſcitur, breuior, extrema parte veluti depreſſa, ac retuſa, aculeo, qui in sũmo faſtigio glandis eminet, breuiore, & minus pungente: ſæpè ternæ glandes ſimul cohærent, aut binæ, rarò vnica prodit: pediculus eas ſuſtinens, craſſus & breuis, inde naſcitur vbi ramo foliũ adhæret. In vnius ſurculi capite plerunque videas hinc tres cõiunctas glandes, illinc duas, ac in proximo vnam ſolùm, prout ſuccus, earum alimentum, huc illuc ſeſe magis ſpargit: radice longè latéque euagante: materia ad ædificia, dempta Haliphlœo, peſsima, ad cremandum quoque & carbonem faciendum inutili, ſicut & Haliphlœi, ac poſt illam teredinibus carieíque maximè obnoxia, vt ſcribit Theophr. Et paulo poſt. Materia Platyphylli improba: & dolata quidem omninò inutilis: rumpitur enim & labat: non dolata verò melior, & ob id rudi duntaxat vtuntur. Improba etiam ad cremandum, & carbonem faciendum: nam omninò inutilis eſt eius carbo: exilit enim, & ſcintillat, ærariorum tantùm officinis compendio, quoniam deſinente flatu protinus emoriens parùm abſumitur. Verùm hunc Theophraſti locum aliter quàm in excuſis Græcis Latiníſque codicibus & legimus, & interpretati ſumus, quia depraua tum illic eſſe exiſtimamus. Scribit enim Ægilopis glandem ἔσχαλον καὶ πικρόζαλον eſſe, id eſt, omnium peſſimam, & amariſſimam: ac paulò poſt Aſprin fructum ferre adeo inſuauem, vt eo nullum animal veſcatur, demptáſue, nec ea quidem, niſi alterius pabuli inopia: ex quibus efficitur eandem planè eſſe Idæorum Ægilopem, & Macedonum Aſprin: ſed quæ de Aſpri ſequuntur maximè repugnant: μοχθηρὰ ὁ καὶ τὰ ξύλα, &c. Id eſt, materia autem improba, & dolata quidem, & cætera, quæ ſuprà retulimus. Quî enim Aſpris tam improba materia, & ad cremandum, & ad carbonem faciendum tam inutili eſſe poſsit, quæ rectiſsima, excelſiſsima, leuiſsima, & materiæ per longitudinem robuſtiſsima ſit? eodem Theophraſt. auctore. Quare proculdubio legendum, μοχθηρὰ ὁ τῆς πλατυφύλλου καὶ τὰ ξύλα. Id eſt, materies Platyphylli improba, ſicut iam conuertimus, id quod tum ipſiuſmet Theophraſti, tum Plinij authoritate comprobamus. Nam Theophr. hîc ea repetit, quæ ſuperiore capite de Platyphylli materia dixerat. Materia ad ædificia, dempta Haliphlœo, peſsima, ad cremandum quoque, & carbonem faciendum inutili, & c. Plin. verò quæ de Aſpri hoc Theophr. loco perperam legebantur, ad Platyphyllon omnia refert. Ab hac proxima latifoliæ proceritas, ſed minus vtilis ædificiis, carbone dotata, vitiis obnoxia eſt: quamobrem ſolida vtuntur carbonarij, ærariorum tantùm officinis compendio, quoniam deſinente flatu protinùs emoriens, ſæpius recoquitur, cæterò plurimis ſcintillis. Idem è nouellis melior: id quod in Querno noſtro carbone quotidie experimur. Nam qui ex trunci, aut craſſiorum ramorum talcis fit (Gallis *barbon de quartier* dicitur) in igne crepitat, ſubſilit, non niſi continuo flatu accẽditur, quo ceſſãte, vel ſi non lignis facile flagrantibus aſsiduè foueatur, conceptus ignis ſtatim extin-

Li. 3. Hiſt. c. 9. & 10.

Lib. 3. Hiſt. cap. 10.

Lib. 3. Hiſt. cap. 9.

Li. 16. c. 6.

guitur: qui verò ex gracilioribus ramis fit (Galli *charbon de branche* nominant) vel ignem facilè concipit, vel exiguo raróque flatu accensum constantissimè alit, quousque in cinerem redigatur. Sed hîc obiter ex vtriusque authoris supra positis locis delendæ, quæ diu inhæserunt maculæ. Nam in Theophrast. pro ὁι ϑ περὶ μακεδονίαν τέτταρα γένη ποιοῦσι, lege πέντε γένη ποιοῦσι, vt quinque sint, vt Idæis, ita & Macedonibus Quercuum genera: totidem enim mox enumerat, Etymodryn, Esculum, Platyphyllon, Asprin, Haliphlœon. In Plinio, pro, sed minùs vtilis ædificiis, atque carbone dotata vitiis obnoxia, repone, sed minùs vtilis ædificiis atque carboni. Dolata vitiis obnoxia est. Sic enim Theophrast. ex quo hæc Plinius conuertit, πελεκηθέντα μὲν ὅλως ἀχρεῖα. Verùm ad Platyphylli historiam redeamus.

Cap. 10.

Platyphyllos fœmina.

Periti quidam herbarij Platyphyllon quam descripsimus, marem esse aiunt, fœminam verò genus alterum in saxosis & asperis locis ferè nascens, mare humilius, cortice in tenellis surculis rubescente, non vt in illo, albescente: folio minore, breuiore, angustiore, antrorsum magis acuminato, tam densis laciniis sinuoso lateribus, vt eminus crispum videatur, lætiùs & nitidiùs virente, glande pusilla, & strigosa. Talem profectò gignunt aprici lapidosique colles Allobrogum, aspectu nonnihil variam ob loci squallidi ariditatem. Cæterùm & in aliis quercetis fœmina quoque prouenit, folio quàm maris breuiore, antrorsum latiore, & magis obtuso, inferne pallido, cortice ramorum nigriore: glandibus minimis, in ramorum & surculorum vertice prodeuntibus, interdum senis, aut quinis, sæpè ternis, aut quaternis, rarò binis, rarissimè singularibus, quasi digito retusis, aculeo minimo, parùm è calyce prodeuntibus, sed ei firmiter adnexis. Platyphyllorum generi adscribenda etiam Quercus virens perpetuò, qualis in Thurino agro, vbi Sybaris olim fuit, ex vrbe prospiciebatur, nunquam folia dimittens, nec ante mediam æstatem germinans. In Apennino, & Andium Gallicæ gentis agro tales quædam visuntur, vt quod Plinio mirum sit, iam nos mirari desinamus. Id verò admiratione multò dignius, quod scribit Plinius, probari Latifoliæ glandem, cuius in balano vtrinque ex longitudine extrema lapidescit duritia: meliorem cui in cortice quàm cui in corpore, vtrumque non nisi mari. Nam cùm locum Theophrasti exprimere voluisse videatur, ab eius sensu alienissimus est. Neque enim id melioris glandis signum esse vult Theophrastus, neque id de Platyphyllo scribit, sed de Phago & Haliphlœo. Locus Theophrasti est huiusmodi: peculiare Phago & Haliphlœo, quod ambarum in maribus tantùm, glandes parte extrema vtrinque lapides gignunt, aliâs in cortice, aliâs in corpore. Ideo detractis lapillis, cauitates perinde atque in animalibus relinquuntur. Platyphyllos in syluis nostris vasta gignitur. Alterũ Quercus genus est Hemeris Idæorum, Macedonum Etymodrys, Latinorum Robur, Italorum *Rouere*, Allobrogum quorundam *Roure*. Robur, inquit Festus, in carcere locus is, quo præcipitatur maleficorum genus, quod ante robusteis arcis includebatur. Hunc locum etiam robustum carcerem Plautus vocat. Robur apud Lucretium

Theophr. lib. 1. Hist. cap. 15.

Li. 16. c. 21. Lib. 16. c. 6.

HEMERIS

Etymodris.

Lib. 3. Hist. cap. 9.

Locus.

Quercus genus 2.

Nomina

cretium legitur, pro Fuſte ac ligno, quo ſontes tundebantur, fuſtuario. Placidam interpretatur Gaza, Hemerin, audaciùs, more ſuo. Plinius Græco nomine, vtitur. Arbor eſt non læui, ſed aſpero rimoſóque cortice, humilis, non excelſa, non recta, ſed contorta, aliſque ramorum crebrò cauata: materia firma duraq;, ſed minus, quàm Phagi: glande poſt Phagum dulciſsima, ſed longiore maioréque, imò omnium maxima, è ſuo calyce breuiore, ac depreſsiore facilè decidua, tenui, longóque pediculo, affixa, modò vnica, modò gemina dependente, quod illi ex omnibus Querc⁹ generibus peculiare eſt. Allobroges Rhodano vicini ſeruatis, Græcæ vocis veſtigiis, Chermillat appellant, quaſi Quercũ Hemeridem: Sabaudi *Drylie*, nomine, ἀπὸ τῆς δρυὸς deriuato. Gignitur in arenoſo, lapidoſo, ſterilíq; & tenui ſolo. Tertium Quercus genus Phagus erit Græci ἀπὸ τοῦ φαγεῖν φηγὸν appellãt, Latini ab eſca Etculum. De hac priuſquam aliquid dicam, intelligant, velim, Lectores τὴν φηγὸν Theophraſti, noſtram Fagũ non eſſe, etſi id plurimi, atque etiã Plinius dictionũ ſimilitudine deceptus crediderint:

Forma.

Locus.

Quercus genus 3. Phagus Theophr. diuerſa à phago noſtra.

PHAGVS
Eſculus mas.

PHAGVS
Eſculus fœmina.

Noſtram verò Fagum Theophraſti Ochyan eſſe. Eſt enim Phagus Theoph. Hemeridis modo breuis, in orbem comoſa, non erecta. At Fagus noſtra procera eſt, rectáque attollitur, abietis magnitudine non cedens. Præterea Theophraſtus Phagum ſuam, glandem ferre perſpicuè docet, cùm ſcribit in putamine glandium Phagi & Haliphlœi, nonnunquam & in carne lapides gigni, quibus detractis cauitas relinquatur, quemadmodũ in animalibus, quòd in vera glande licet intelligere, in noſtræ Fagi fructu nequaquam, quæ non fert glandes, ſed in echinis nucleos longiuſculos, triangulos, acuminatos. Adde quod Macedones Phago ſuæ, glandem rotundam aſsignant, quæ noſtræ Fagi fructui prorſus non conuenit, ſiue calycem hiſpidum conſideres, ſiue fructus inuolucrum, ſiue nucleum triangularem. Ad hæc Theoph. Oxiæ nomine, vt dixi, Fagũ noſtram tam graphicè depinxit, vt nullus ſit, niſi planè vecors, qui id diſſiteri

Lib. 3. Hiſt cap. 10. *Nomina*

posſit. Quare Phagus Idæorum ac Macedonũ ἀπὸ τῦ φάγειν, dicta, quod fructus eius ſit dulcis, ideoq; palato gratus, ac edulis, ceu caſtanea, cùm cæterarũ quercuum fructus ſuibus tantũ ſapiat. *Forma.* Breuis eſt arbor, in orbẽ comoſa hemeridis modo, non erecta, minùs tamẽ quã hemeris cõtorta, caudice craſsiſsimo: folio quã Hemeris, anguſtiore, & breuiore, obſcuriùs virẽte, inferne cãdicante, glãde dulciſsima, terete, longa, quã Etymodryos breuiore, è breui craſſoque pediculo ſubrecta, calici, multùm eius cõplectẽti, tenacius hærẽte, in ramorum ſurculis, ad exortum ſingulorum propemodum foliorum vnica, rarò gemina, graciliore quàm in latifolia, & magis acuminata, aculeo ſuo magis pungente. Reperitur & in hoc genere arbor, quæ glandem fert ſuperiori omnino figura ſimilem, ſed craſsiorẽ, altiorẽ, pleniorẽ, ob molis ſuæ pondus, è calyce facile deciduam. Lignatores huius ſpeciei marẽ eſſe volũt, alterum fœminã. Hac glande, vel ſub prunis cocta, vel in aqua elixa: cũ veſcuntur ruſtici, grauitate capitis tentantur, & veluti inebriantur, non aliter quàm qui lolium pani commixtum ederint. Præterea phagus materia eſt robuſtiſsima, & putredini minimè obnoxia, id quod de quercu dixit Plinius. Fortius lignum, inquit, Quercus habet, & incorruptius, cùm id de phago peculiariter ſcripſerit Theoph. Si Virgilio credimus, inquit Plin. quantùm corpore eminet, tantùm radice deſcẽdit. Hanc Eſculum Latini vocant, ab eſu, Seruio auctore, vel ab eſca, Hetruſci Iſchia, voce ab Eſculo deprauata, Romani etiã nunc ruſtici Eſculo, Hiſpani arborem quidẽ Enzinam, glandes verò *Vellotas*, quas ob ſuauitatem ſub cineribus toſtas ſecundis menſis apponunt. Vt non vbique in Italia prouenit, ſic nec in Gallia. *Locus.* Frequentem tamen in Apulia eſſe declarat Horatius his verſibus,

Lib. 6. c. 6.
Lib. 3. Hiſt. cap. 9.
Lib. 16. c. 31.
Nomina

Quale portentum neque militaris
Daunia in latis alit Eſculetis, &c.

In eo Allobrogum tractu quem Rhodanus alluit, ad pagum Amblerieu nominatum, & lapicidinarum, quæ illic ſunt, antra, gignitur Eſculus, parua quercus ab incolis appellata, nimirùm ex collatione cum Etymodry, ſiue Robore, cuius illic copia eſt, & Quercus magna dicitur, cùm cæteri Allobroges ſeruatis Latinæ appellationis veſtigiis *Roure* nominent. Quartum genus Ægilops Idæorũ, Aſpris Macedonum, Latinorum Cerrus, Italorum *Cerro*, Gallis ignota arbor, cui eam ob cauſam nullum ab eis nomen poſitum eſt, ac ne Italiæ quidẽ magna ex parte nota, vt ait Plinius. In ſummam altitudinẽ creſcit, in Græciæ ac Hetruriæ ſyluis, incultis amica, rectiſsima, leuiſsima, & materia per longitudinem robuſtiſsima, ad ſuſtinenda ſuſpendendaq; ædificia firmiſsima. Folio eſt craſſo, amplis inciſuris laciniato. Sterilis non eſt, vt quidam putauerunt, ſed eſt glande triſti, horrida, rotunda, ac velut obtuſa, amariſsima, adeoq; inſuaui, vt præter ſues, nullum attingat animal, ac ne eæ quidem, ſi aliud pabulum habeant. Ea caput mandentium dolore afficit, auctore Theophr. quod tamen de Haliphlœi glande perperam ſcripſit Plin. Calyx glandis eam fere totam complexus, rigidis, latis, in cinereo candicãtibus aculeis echinatus,

CERRVS.

Quercus gen. 4. Nomina Forma.

Lib. 3. Hiſt. cap. 10.
Lib. 6. ca. 6.

valla

GLANS CERRI

vallatúſque eſt, non, vt Plin, ait, ceu Caſtaneæ : ſunt enim hi craſsiores & rigidiores multò Glandes cerreas calycibus ſuis contectas ex Cypro, Chio, aliiſque Cerrorũ fertilibus locis, negotiatores interdum conuehunt, Gallones alij vocant, alij Vallonia. Vſus earum eſt ad inficiendos atro colore pannos, gallarum vice. Sed ex illis tinctura dilutior, fugacior, viliorq; eſt. Quintũ genus eſt Haliphlœos Idæorum, & Macedonum, Cerrus fœmina quorundam, Italorum Farnia, Gallis incognita. Latino nomine caret. quare Plinius Græcum ſemper vſurpauit, quem imitari debuerat Gaza potius, quam ineptè Salſicorticis nomen finxiſſe, perinde quaſi, ἐκ τῆς ἁλὸς, καὶ τοῦ φλοιοῦ compoſitum ſit nomen : quin potius ἐξ ἁλὸς καὶ τοῦ φλοιοῦ dicta eſt hæc quercus ſpecies, ob corticis craſsitudinem, Plinio teſte. Peſsima, inquit, & carboni & materiæ Haliphlœos dicta, cui craſsiſsimus cortex, atque caudex, & plerũq; cauus, fungoſúſque : quæ cùm procul dubio ex Theophr. ſint expreſſa, apertè oſtendunt locum hunc in Theophr. exemplaribus mancum eſſe, atque ſic corrigendum. ἡ δὲ ἁλίφλοιος παχύζωτον μὲν ἔχει τὸν φλοιὸν καὶ τὸ στέλεχος, χαμῶνον ὂν, καὶ κοῖλον, cum in excuſis legatur, ἡ δὲ ἁλίφλοιος παχὺ μὲν ἔχει τὸ στέλεχος, χαμῶνον ὂν, καὶ κοῖλον. Quare multò magis mihi hæc probanda videtur etymologia, quàm illa quã ſecutus Gaza Salſicorticẽ dixit, quaſi verò ſalſus ſit Haliphlœi cortex. Naſcitur in Hetrurię ſyluis, præſertim maritimis, inter Cerros, & Phellodryas, materia & ædificiis & carboni peſsima, quoniã cũ cauo fungoſoq; ſit caudice, breui putreſcit. In cauſa eſt arboris horridæ, ſubrectiſque foliis, eamq; ob cauſam imbrem excipientis natura, qui guttatim in laxum fungoſumq; caudicem ſtillans, illũ viciat, & putrefacit. Sunt qui & corde hanc ſolam carere volunt : quin & fulmine ſæpiſsimè icitur, quamuis altitudine non excellat : ideo ligno eius nec ad ſacrificia vti apud Æolum quoſdam fas habebatur : ad axes ſimiliáque tantùm vtile illud erat. Caudice aſſurgit procero, & recto, cortice ſub cœruleo, ramoſa quidẽ, ſed ramis latius non porrectis, nec extentis, vt quercus, imò breuibus, nec ita in multos ſurculos diuiſis, vt tota arbor aſpectu toniæ ac putatæ ſimilis ſit. Folia habet Cerro ſimilia, longiora, anguſtiora, & multò nigriora, per latera inciſuris minus latis ſinuoſa, interuallo quod iacet inter margines laciniarum minus patente, infernè ſuperneq; ſubaſpera, tactu duriora, hyeme decidua. Glandes profert aliis glandiferis minores, excepta ilice, non longas ac teretes, ſed orbiculatas, & aliquantum cõpreſſas, Cerri maris modo, ex calycibus ſuis parum exertas, qui ſpinis longis, flauis, gracilibus, denſis hiſpidi ſunt, caſtanearum inſtar, non tamen ita rigidis, erectiſque, ſed nec craſsioribus ſpinarũ mucronib⁹ armati, vt in Cerro. Caliculi hi quibus continentur glandes, bini plerúmque ad ſingulos exortus, breuiſsimo pediculo ramis & ſurculis adhęrent. Radicibus nititur validis, non recta deorſum actis, ſed vndique per trãſuerſum terrã in obliquũ comprehendentibus.

Ibidem.

Quercus gen. 5.

Nomina

Ibidem.

Lib. 4. Hiſt. cap. 9.

Locus.

Quercus gen. 5. Forma.

HALIPHLOEOS
Cerrus fœmina.

Cortex ligno propior cũ in ramis, tùm in caudice & radice vehemẽter astringit: folia remissiùs. Glandium calyces facultate cortici respondent. Glandes vehementiùs astringunt, & amaræ sunt: quare etiam à porcis negliguntur, nisi aliud desit pabulum. Materia arbori robusta & dura. Nascitur in montibus, loco frequentius pingui, quàm macilento & arenoso, subtus tamen saxoso, locis liberis, & vento perflatis. Copiosissima in Apennino, in planis rara. Bauhino Quercus alia, quę Haliphlœos Sequanorũ dici possit, nascitur in sylua parua, qua itur Dola Vesontium, prope pagum sancti Viti, folio Hemeridi simili, virente, non admodum sinuoso, vel crebris incisuris diuiso, glandibus amplis, tribus, quatuórue ferè simul iunctis, quæ sine pediculo furculis hærent, calyce valde hispido, Haliphlœo siue farniæ simili. Quercus genera sic distribuit Dalechampius ex ipsarum arborum natura, inspectione, Theophrastiq; Historia (nam de marinis Quercubus Lusitanis fabulatur Porphyrius Græca fide, quarũ glandibus saginentur thynni, inquit Scaliger) distinctiùs quàm cæteri, atque adeo quàm Plinius ipse, quem cúm de his multa ab eodem Theophrasto mutuatum esse constet, tamen alia negligentiùs tractasse, alia confudisse, qui hunc cum illo diligenter conferet, facilè iudicabit. Posset tamen his addi, vel aliquod superiorũ generũ referri, Quercus peregrina, siue Mauritanica. Est enim sub Mauritaniæ fluuius qui sese exonerat in Atlanticum. In ea terra Quercus grandissimam ferunt glandem, oblongam, sapore longè dulciore, atque delicatiore quàm castanea. Robur, quę Theophr. agriadrys dicitur, ea Plinio esse videtur, quam Gallicum nunc vulgus *Chesne* vocat, inquit Ruellius, non sine errore, si hæc *Chesne* quercus sit: nam à robore Plinius glandis magnitudine secernit, quàm in Quercu grandissimam esse ait, in robore paruam. Quanquam Plinius, vt diximus, parum diligenter glandiferarum arborum discrimina obseruauit. Multi Esculum, Græcorum esse Platyphyllon existimãt. In qua est opinione Bellonius. In Thraconitide, inquit, prouenit Esculus, qui à Græcis antiquis vocabatur Platyphyllos, nunc Velaguida. Fert glandem magnitudine oui columbini, qua possent victitare homines tempore famis: ad gustum enim castaneæ accedit. At Plinius Esculi & Platyphylli tanquam diuersarum arborum eodem loco meminit. Præterea Esculus, vt inquit Horatius, rigida, nec excelsa est arbor. Platyphyllos, dempta ægilope, rectissima est, & excelsissima, atque ædificiis inutilis. His accedit glãdis discrimen, quam in Esculo dulcissimã esse etymologia indicat, cum ab esu, vt diximus, nominetur. Platyphylli glandem non nisi tertium bonitatis locum tenere ex Theoph. diximus. Qui Ægilopa, id est, Cerrũ, Gallorũ extracta priore litera, aut in aspirationem conuersa, herrum aut hedrum esse putant, vehemẽter errant. Anguillara glandiferarum arborum species omnes quas recẽset Theoph. Italiæ notas esse ostendens, Haliphloeon Italorum *Rouere* esse scribit. Quod cùm consentiente nominis affinitate omnes Latinorum Robur esse affirmẽt, falli Anguillaram certum est. Robur enim Plinius ab Haliphlœo perspicuè distinguit. Robori, inquit, glans parua, qua fungosa fit caro. Haliphlœo rarò, & cum tulit, amara, quã præter sues nullum attingit animal, ac ne eæ quidem, si aliud pabulum habeant. Pessima & carboni, & materiæ Haliphlœos, cui crassissim⁹ cortex atque caudex, & plerúmque cauus fungosúsque. Nec alia putrescit ex hoc genere, etiam cum viuit. Robur firma duráque materia est. Quercũ Plutarchus inter arbores syluestres, fructu pulcherrimam, atque fertilissimam esse ait: eo enim & feræ & alites pascũtur. Et M. Cato inter ea quæ ad bonum agrum spectant, syluam glandariã annumerat. Sed præter glandem plurima alia gignunt Quercus, auctore Theophrasto. Gallam duplicem, alteram candidam & exiguam, alterã nigram: interdum

Locus.

In lib. 2. Caus. Pl. Theoph. cap. 8.

Scaliger Exercit. 181. 26.

Lib. 1. cap. 86.

Lib. 16. c. 6.

Lib. 2. Obs. cap. 90.

Lib. 16. c. 6.

Lib. 16. c. 6.

Quercus quæ ferãt præter glãdes.

Lib. 3. Hist. cap. 6. & 8.

1. *Galla candida.*

2. *Galla nigra.*

ita

EXCREMENTA QUERCVVM.

ita crescentem, vt mali compleat magnitudinem, πιτλώδη, id est succo resinoso pinguem, quanquam alij πιτλοειδῆ legant, id est atro colore picem æmulantem. Verum prior lectio, quam Gaza etiam secutus est, magis arridet, vt galla hæc Theophrasto & πιτλώδης, & μέλαινα sit. Nam pilulæ lana farctæ modo (de qua mox dicetur) hanc in lucernis bene flagrare scribit, quod non nisi pinguis, resinosæque substantiæ beneficio efficeret. Ferunt & quædam veluti mora, sed dura, & fractu contumacia, idq; rarò: quiddam etiam initio pudendi virilis effigie cùm perficitur durum, Tauri caput imitans, cui fructus inest, nucleo oliuæ similis. Hæc duo postrema haud distincta in vulgaribus Plinij codicibus mendosè leguntur. Quare sic emendato. Namque fert & gallæ vtrumque genus, & quædam veluti mora, ni distarent arida duritie, & quædam plerumque Tauri caput imitantia, &c. Nascuntur & in Quercubus pilulæ duro putamine contectæ, intus habentes floccos molles, lucernarum luminibus aptos. Etenim probè flagrant, sicuti galla nigra: & sine oleo addit Plinius, id quod Theophrastus non habet. Absurdum sanè videtur, quicquam sine oleo, aut pingui aliquo in lucernis ardere. Item pilulæ quædam cum capillo, inutiles, verno tamen tempore mellei succi. Aliæ præterea interius ad alarum pronos recessus, sine pediculo, intus cauæ, versicolores, eminentibus vmbilicis candicantibus, aliquãdo maculosis, interdum nigris: media cocci colore splendent: apertis nigra & putris inanitas est. Qua oratione nos locum Theophrast. ex quo hæc expressimus, & correxisse, & illustrasse arbitramur. Habẽt enim nostra exemplaria, φύει δ' ἐντὶ ἐιῶνος τῶν ῥοπῶν μασχαλίδιας ἕτερον σφαιρίον ἄμισχον, καὶ κοιλόμισχον, &c. Nos verò legimus, φύει ὃ ἔδιοθεν τῆς ῥοπῆς μασχαλῶν, ἕτερον σφαιρίον ἄμισχον, καὶ κοιλόμυχον. Gaza verò: φύει ὃ ἐν κλάδων μασχάλαις, &c. Sic enim conuertit. Inque ramorum alis pilulã aliam gignit, sine pediculo, καὶ κοιλόμισχον concauóque sessilem, non sine repugnantia, quoniam si pilulæ istæ pediculo carent, &, vt ait Plinius corpore non pediculo, adhærent, qui concauo pediculo sessiles esse possunt? Deinde: Τὰς μὲν γὰρ ἐπανεστηκώτας ὀμφαλὰς, ἐπιλόχους, ἢ ἐπεστιγμένας ἔχει μέλανας. Gaza interpretatur. Nam

3. Morũ.
4. Verrucarum.
5. Pilula lanata.
6. Pilula capillata.
7. Pilula sessiles.
Li. 16. c. 7.

eminen

eminentes quoſdam vmbilicos candicantes, vel paſſim variantes nigris maculis habent. Nos particulam diſiunctiuam addidimus, ἢ ἐπεστιγμένας ἔχει, ἢ με-
Lib.6.ca.7. λάνας. Quam coloris vmbilicorum varietatem ne Plinius quidem ipſe ſatis expreſsiſſe videtur. Candicantes vmbilicos, ait, cætera nigra varietate diſperſa. Nec illud poſtremum: ἀνοργόμωνον δὲ ἐστὶ μέλαν, καὶ ἐπίφαυρον. Apertis amara inanitas

8 Pumex eſt, pro, apertis nigra & putris inanitas eſt, vt conuertimus. Gignunt & Quercus, quanquam rarò, pumiceos lapillos, non autem puniceos, vt in excuſis Latinis Theophraſti codicibus legitur: his rariùs è foliis conuolutas pilulas compa-

9. Pilula folioſa. ctas, atque oblongas. Ad hæc in foliorum tergo, non, vt Plinius ſcribit, in folio rubente, pilulas, non, vt idem ait, nucleos, candicantes, tranſlucidas, aquoſas,

10. Pilula aquoſa. quamdiu molles ſunt, in quibus & culices naſcuntur. Matureſcentes in modum

Ibidem. paruæ & læuis gallæ dureſcunt. Ferunt Quercus & Cachryn. Eſt autem Cachrys

11. Cachrys. globoſus foliorum conceptus, inter præcedentem exortum ſiue articulum, & no-

Lib.1.Hiſt. cap.7. uellam germinationem medius. Sunt enim hæc verba Theoph. Ἔστι δὲ ὥσπερ κύησις φυλλικὴ μεταξὺ κύστεως τῆς ἐξοχῆς ἐπιφύσεως, ὥσπερ τῆς φυλλικῆς βλαστήσεως ἐξωδικύιας: ad verbum: Eſt autem veluti foliorum conceptus, ſeſe proferens, in medio adnaſcentis eminentíſque tuberculi, foliorum germine tanquam parturiente. Gaza tamen legit ἐπιδήσεως, & ſic interpretatur. Fit veluti foliorũ conceptus inter antecedentem obſtruſionẽ, & ſequentem exortũ medius, vt ſit, ἡ ἐξ ἀρχῆς ἐπίδησις, antecedens obſtruſio, vt loquitur, ſiue prior articulus colligans. ἡ ἐξ ἀρχῆς ἐπίδυσις, præcedens exortus, ſiue articulus. Significat & Cachrys libanotidis frugiferæ ſemẽ

Lib.2.c.72. acre, quod in mandendo linguam exurit, de quo vide Dioſcor. Qua homonymia

Lib.16.c.8. deceptus Plinius Cachryn Quercuum, & Cachryn libanotidis, res valde diuerſas, pro eadem re vſurpat. Ferunt, inquit, robora & Cachryn: ita vocatur pilula, in medicina vrendi vim habens. Verùmtamen apud pleroſque non Cachrys, ſed Canchrys pro libanotidis ſemine ſcriptum reperitur. Quod verò eodem Plinij loco continenter legitur, valdè deprauatum eſt, & mancum, quo Cachryj tribuuntur,

Lib.3.Hiſt. cap.7. quæ de iulo auellanæ nucis Theophraſtus, à quo hæc mutuatus eſt Plinius, apertè ſcripſit. Ex quo ſic locus reſtitui poteſt. Gignitur Cachrys & in Abiete, Larice, Picea, Tilia, Nuce, Platano poſtquam folia cecidêre, hyeme durans. Nuci auellanæ poſtquam fructus decidit, iulus emergit, nuci pineæ nouellæ ſimilis: is creſcit hyeme, aperitur vere callus totus. Cadit cum folia cœperint creſcere. E glãdiferis ſola

Lib.6.c.8. quæ vocatur Ægilops, inquit Plin. fert panos arentes, muſcoſo villo canos, non in cortice modò, verùm & è ramis dependẽtes (è cortice, non è ſurculo ait Theophr.) cubitali magnitudine, odoratos, vt diximus inter vnguenta. Quæ cũ ex Theophr. ſumpta ſint, nos admonent, vt hunc ipſius locum maculis aliquot aſperſum purgemus. ὃ ὑπὸ καλῶσί τινες φάσκον, ὁμοίως τοῖς βραγχίοις, ἢ αἰγίλωψ μόνη φέρει πῶλιον, καὶ βράγχιον & c. Gaza ſic. Quod autem quidã penẽ appellant brãchiis ſimile Cerrus ſola pro-

Li.11.c.23. ducit, canũ, muccoſumq;. At non φάσκον, ſed σφάγνον lego, auctore Plin. Sphagnos infra eos ſitus in Cyrenaica prouincia maximè probatur. Alij Bryõ vocãt. Secũdũ locũ obtinet Cyprius, tertiũ Phœnicius. Fertur & in Ægypto naſci: quin & in Gallia, nec dubitauerim. Sunt enim hoc nomine cani arborum villi, quales in Quercu

Li.24.c.6. maximè videmus, ſed odore præſtãtes, & c. Et alibi: Sphagnos, ſiue Spacos, ſiue Bryon, & in Gallia, vt indicauimus, naſcitur, &c. Sũt qui Splachnõ, & Hypnon appellãt, Arabes, *Uſneam*, quanquã Phauorimus φάσκον, δ' ἐπὶ τῶν δρυῶν γινόμενον, exponit.

Lib.24.c.8 Pro βραγχίοις repono βρύοις, id eſt muſco ex Plinio, pro πῶλιον δὲ βράγχιον, πῶλιον γὰρ βρυῶδες, id eſt, canũ, & muſcoſum, ſiue ῥακῶδες, id eſt, lacero pãno ſimile. Mox enim

Theophr. lib.3. Hiſt. cap.9. muſcũ hunc villoſum longo lintei fruſto cõparat. Tam multiferæ ſunt & tot res præter glandem pariunt Quercus: ſed & boletos, qui è radicibus, & circa radi-

Pli. lib.16. cap.8. ces gignuntur. Ferunt & viſcum, & mella, apéſque, vt auctor eſt Heſiodus:

conſtat

Conſtátque rores melleos, è cælo cadentes, non aliis magis inſidere frondibus. Quin & ex cremata quercu nitrum fieri aiunt, vt Theophraſtus ſcribit, quod Plinius aliter, eúmque ſecutus Gaza, expoſuerunt. Cremati quoque roboris, inquiunt, cinerem nitroſum eſſe certum eſt. Naſcitur etiam in Quercuum caudicibus Polypodium, item Agaricum. Sed horum quædam Quercuum propria ſunt, quædam illis cum aliis communia. Ac de galla quidém, viſco, fungis, melle, bryo, agarico, polypodio quercinis, idoneis locis dicetur. Per inſitionem Quercus bona pira ferre viſa eſt, ait Ruellius. Naſcitur quoque in Ciliciæ Quercubus coccum cochlearum exilium ſimilitudine, quod illius regionis mulieres ore legunt, inquit Dioſcorides. Quem locum corruptum eſſe putat Marcellus, & pro τῷ τόμαλι, id eſt, ore, aliter legi potuiſſe, pertineréque ad tempus quo coccus legendus ſit. (Sic Marcellus.) Quidam legunt τῷ τρέμμαλι, quod illius regionis mulieres diſtortum Cuel, diſtorquentes legunt. De Dryino qui in Quercuum radicibus viuit, vnde illi nomen, tam malefica beſtiola, vt eius qui ſupergreditur imprudens, cutis à pedibus excorietur, tota crura admodum intumeſcant, vide Nicandrum in Theriacis, Dioſcoridem & Galenum. Vermes etiam qui Raucæ vocantur, in radice Quercus viuunt. In eſculo vermiculi naſcentes, priuatim Galbæ nominantur. Quercus diutiſſimè viuit, & longa, craſſáque eſt radice, etiam ſi ſcribat Theophraſtus, τῶν μακροῤῥιζων καὶ παχυῤῥιζων nullam longioris eſſe vitæ. Plus æquo, & odioſè ſanè, inquit Scalig. Cæteri enim auctores in iis numerant arboribus, quarum immenſa penè vita eſt. Iuxta vrbem Ilium Quercus in Ili tumulo tunc ſatæ dicuntur, cùm cœpit Ilium vocari. In Ponto circa Heracleam aræ ſunt Iouis Stragij cognomine, ibiq; Quercus duæ ab Hercule ſatæ, ait Plinius: Vetuſta penes Cepheſum proſpiciebatur Quercus, quam Alexandri Quercum vocarunt, quod ibi caſtra poſuiſſe credebatur Plutarchus: Nonne & vetuſtiſsimæ Quercus Dodoneæ, à quibus oracula petebat ſtulta, & ſuperſtitioſa antiquitas? Nec ſolùm æternæ propè vitæ ſunt Quercus, ſed & ex earum (quæ paucæ ſunt) lectiſsima in natura claſſe, quæ vtrumque beneficium ſunt conſecutæ, & ſibi viuendi, & poſteritati, vt & vitam ſuam robore, & ſpeciem propagent generatione. Quare tanto admirabilior eſt natura, quod in ſenecta ſunt fœcundiores. Sunt Quercus miræ magnitudinis, & amplitudinis in Septentrionali plaga Hercyniæ ſyluæ, roborum vaſtitas intacta æuis & congenita mundo, propè immortali ſorte miracula excedit, inquit, Plinius. Sunt in Petrocoriis nemora Quercuum proceritate viſenda: non enim ſuperantur ictu Scorpionis. Eſt in ſylua *Tronſac* nuncupata, prope Bituriges incredibili ferè proceritate, ac craſsitudine Quercus, quam admiratus inuictiſſimus, & doctiſsimus Gallorum Rex Franciſcus, aggere pedamentis munito cingi voluit, vt poſt venationes ſub ea oblectaretur. De Quercu quæ eſt Baſileæ in D. Petri nemore, cuius truncum trini viri diductis manibus vix amplectuntur, vide Cardanum. Fuit Quercubus maximus apud antiquos honor. Hinc ciuicæ coronæ, militum virtutis inſigne clariſſimum, cùm antiquitus nulla niſi Deo daretur. Hæ Ioui ſacræ erant. Ex his deorum ſimulachra fiebant. His ſacrificabãt. Ab his oracula petebant. In Armoricis, ſiue in minore Britannia erant porticuum vice ante nobilium ædes, in ordinem diſpoſitæ Quercus, quæ annoſæ, non ſolùm præclari generis vetuſtatem, ſed & ſanctitatem ſignificabant. Quòd ſi quis turpe aliquod facinus perpetraſſet, non ſolùm ſupplicio afficiebatur, ſed etiam, quæ ſumma infamia erat, domeſticæ Quercus amputabantur. Plura alia de Quercu adſcribi poſſent, quibus pleni ſunt veterum auctorum libri. Sed ad huius operis inſtitutum nihil pertinent. Paſsim in ſyluis, aliiſque locis naſcitur Quercus, arenoſis, macilentis, ac ſiccis gaudet. Hemeris in ſterili tenuíque ſolo

Lib. 16. c. 8.

Lib. 1. c. 22.

Lib. 4. c. 43

Li. 6. c. 49. Li. de The. ad Piſo. Pli. lib. 17. cap. 18. Rue. lib. 1. cap. 76. Li. 2. Cauſ. cap. 16. In Comm. ca. eiuſdé. Lib. 16. ca. 44.

Lib. 6. ca. 2.

Lib. 6. De Vatic. c. 23.

Locus. Fuch. c. 84. Dodo. lib. 6. cap. 68.

Tempus. solo, lapidoso, scilicet, arenosóque prouenit. Phagus in sabuloso macróque. Montes ac valles diligit Robur, inquit, Plin. Quercus verè germinat, sed tardius multis aliis arboribus. Eam tamen inter eas numerat Theoph. quæ maturè germinant. Noua folia producit mense Maio. Glandes maturæ sunt Augusto. Gallæ proueniunt æstate, Septembri decidere incipiunt. Theoph. Quercus serùs fructificat, scilicet circa Vergiliarum occasum. Deficcat & astringit: excalfacit autem paulo infra media, in genere scilicet eorum quæ tepida sunt: folia, cortex, & calyces glandium sicci sunt ad tertium vsque gradum, & adstringentes: eiusdem etiam temperamenti sunt glandes, nisi quòd calidiores, & minùs adstringentes. Glans, auctore Auicenna, frigida est, & sicca: frigida quidem in primo gradu, sicca in secundo. Quercus omnis adstrictoriam vim habet, præsertim liber qui cortici, & ligno intercedit. Quin etiam tunica putamini Glandis subiecta. Decoctum ex iis datur dysentericis, cœliacis, sanguinem excreantibus. Trita in pesso fœminis fluxione vluæ laborantibus subiicitur. Glandes eosdem effectus exhibent, vrinam ciunt, capitis dolorem, & flatus in cibum sumptæ, pariunt, resistunt esitatæ venenatorũ ictibus. Decoctũ earum, & corticis, cum lacte vaccino, potum, prodest contra toxica. Intritæ crudæ, inflammationes illitu leniunt: ad duritias quas Cacoëthes vocant, & malefica vlcera cum salsa axungia conueniunt. Hæc Dioscorides, Galenus verò, Quercus partes omnes, inquit, astringentis facultatis participes sunt: sed plus tamen quæ in trunci cortice membrana subest, tum, quæ sub Glandis ipsius, non calyculo, vt Gerardus interpres habet, sed putamine est, ea videlicet, quæ fructus carnem conuestit. Quamobrem ad profluuium muliebre, sanguinis expuitiones, ventrísque diuturnos fluxus commodam esse credunt. Maximè verò ea vtuntur decocta: ego quandoque glutinasse me vulnus memini, securi inflictum, cùm nullum adesset ad manum medicamentum præter ipsius Quercus folia. Terebam ea in læui saxo, & vulnus, omnémque vicinum locum illinebã. Eandem cum foliis vim habet, & fructus Quercus, eóque medici nonnulli ad incipientes, & crescentes vtuntur phlegmonas. Hippocrates præfocationi vteri folia Quercus adhibet in suffitu. Idem βαλάνῳ voce ἀντὶ δρυὸς vsus est, vbi inflammatis βαλάνου φύλλα, id est, Quercus folia imponenda præscribit. Glandium esum ciere vrinam etiam vulgo notum est, quod asiccatas illas in vsum asseruat, si quis vrinæ difficultate tentetur, vsurpandas.

Lib.2.cap.286. Li.1.c.121. Lib.6.fin. Libro de morb.mul. Lib.de aff. Cor.Emb. 118. libr.1. Dioscor. Corn. ibi.

In cap.121. li.1.Dioſc. MATTHIOLVS. Stillaritia aqua, quæ in balnei calentis aquæ vitreo organo, à tenellis Quercus foliis, primo ipsarum exortu decerptis elicitur, iocinoris inflammationes sistit, renum calculos comminuit, & mulierum alba profluuia cohibet. Datur quoque potanda vtiliter, dysentericis, & sanguinem reiicientibus. Sunt qui in febribus pestilentialibus eam propinant, quòd aduersus venena non parùm valeat. Recentia folia ventriculi ardorem tollunt, si super lingua teneãtur. Cæterùm aqua quæ in marcescentium Quercuum reperitur cauitatibus, scabiem omnem vlcerosam sanat. Ad hæc, eius echinatæ pilulæ, siccæ ac tritæ vim apprimè adstrictoriam possidẽt. Quapropter efficacissimo sunt remedio contra omnes alui fluxiones In summa præstant, vbi supprimere sit opus. His in Historia Germanica addit. Medius arboris cortex, & tunica interior Glandis, si in aceto, & aqua decoquantur, & igni sacro imponantur, calorem extingunt: folia Quercina, feruidis pustulis adhibita, calorem leniunt, & eas sanant. Mulieres quæ vrinæ difficultate torquentur, carbones Quercinos candentes vino aspergant, vaporémque per infundibulum in vterum recipiant. In fluore muliebri foliis Quercinis in aqua decoctis locos foueto. Ad idem valent, & Querneæ glandes.

Lib.3.c.70. HIERONYMVS TRAGVS. Aqua è tenera ac recens prorumpente Quercus fronde, aut immaturis glandibus destillata, quasuis alui, & vuluæ fluxiones inhibet

bet efficaciter, neque non Gonorrhœam. Datur & ſanguinem excreantibus, & iis qui à venenatis animantibus, aut ſerpentibus morſi vel icti fuerint. Qui venenum hauſerint, vel cantharidas, ita vt ſanguinem meiant, quod ipſi aliquando vidimus, glandes in puluerem redactas bibant, ac ſentient opem. Quidam glandes aridas aduerſus calculum exhibent. Folia Quercus tenera & rubicunda in vino decocta, collutu & gargariſſatu, dentium dolorem ſedant, qui à frigidis fluxionibus ortus fuit, ſed ſæpè hoc decocto calido os colluendum erit.

Dodon. Cortex Quercus in puluerem tritus vtilis eſt puerulis aduerſus vermes. Calyculi glandium cum cortice Quercus vtiliter miſcentur vnguentis, oleis, emplaſtris, quæ ad ſanguinis, aliorúmue humorum fluxum inhibendum valent. Democritus apud Apſyrtum ſerpentes emori iniecta fronde Querna dicebat. Radix minutatim contrita, contra Hydri morſum prodeſt: eiuſdem decoctum cum vaccino lacte potum, contra toxica valet, ac ſerpentium plagis illinitur. Carbunculum (quo morbo olim vno anno duo viri Conſulares obierunt, vt ſcribit Plinius, Iulius Rufus, & Qu. Lecanius, Baſſus) Querneus tritus carbo cum melle ſanat, adeo in rebus quoque damnatis (vt pulchrè ait Plinius) ac iam nullis, vt in hoc carbone, aliqua ſunt remedia. Galenus ad ventriculi dolorem, carbonem Quercus in lacte extinguit, & ægroto dat potui. Mures ruſticos, ſi Querneo cinere aditus eorum obtures, attactu frequenti ſcabies occupat, & perimit. Quercus & Olea tam pertinaci odio diſident, vt altera in alterius ſcrobe depacta moriatur. Quercus verò & iuxta nucem iuglandem. Glandibus quondam homines victitaſſe, frumenti vſu nondum reperto, plurimis tum Poëtarum, tum Hiſtoricorum teſtimoniis ſatis conſtat, quæ hic adſcribere ſuperuacaneum foret. Eum cibum Pelaſgus primus Arcadas docuit, quo ita ſunt delectati, etiam cùm iam cerealibus fructibus reliqui Græci veſcerentur, vt à Pythiæ oraculo, Lacedæmonios ne eos bello laceſſerent monente, βαλανοφάγοι auctore Plutarcho, ſint appellati. Hinc Quercus Ioui ſacra erat (quanquam Poëtæ aliam eius rei cauſam reddiderint) & Iouis arbor dicebatur, quod glandibus mortales primùm Iupiter aluerit, inopémque eorum vitam his ſuſtentarit. Vnde adagium, πολλῶν πανηγύρεων διὸς βαλάνους ἔφαγεν, id eſt, multorum feſtorum Iouis, glandes comedit, de ſene, & longo plurimarum rerum vſu perito. Et illud, ἄλις δρυὸς, ſatis Quercus, de iis qui deterioribus relictis meliora perſequuntur, quemadmodum illi qui glandes poſt inuentas fruges neglexerunt, cùm ſatis diu cibum ſe petiiſſe à Quercubus dicerent. Vſurpatum à Cicerone. Dignitatis ἄλις, tanquam δρυὸς. Dignitati ſatis conſuluiſti, nunc ſaluti conſule. Idem ſignificabat mos ille qui Athenis erat, vt in nuptiis puer quiſpiam vndique ſpinæ frondibus, & Quernis glandibus opertus coronatúſque cunas panibus plenas geſtaret, & ingrediens hæc proferret, ἔφυγον κακὸν, εὗρον ἄμεινον. id eſt, euaſi malum, meliora ſum nactus, quæ ſponſo ſponſæq; bene ominabantur, tanquam meliore fortuna vſuris: mala enim erant ſpinæ ſteriles, & glandes quibus victitabant antiqui, panes verò bona. Sed nec poſt inuentas ſegetes, glandibus vti omnes deſierunt. Nam M. Varro referente A. Gellio in Satyra περὶ ἑδεσμάτων, inter exquiſitos multarum gentium fructus glandem Ibericam poſuit. Plinius ſcribit glandes opes fuiſſe ſua quoque tempeſtate multarum gentium etiam pace gaudentium. Nunc & in inopia frugum, ait, glans arefacta molitur in farinam, ſpiſſatúrque in panis vſum: quin & hodie per Hiſpanias ſecundis menſis glans inſeritur. Dulcior eadem in cinere toſta. Luſitani, vt ſcribit Strabo, qui in montibus habitant, duabus anni partibus Querna victitant glande, quam

Li. 6. c. 68.

Li. 26. c. 1.

Li. 36. c. 22. Lib. de Parat. facil.

Rue. lib. 2. cap. 45. Plin. li. 24. cap. 1.

Pauſa. in Arcad. Gal. lib. 2. Alim. Plutarch.

Lib. 2. ad Att.

M. Varro. Lib. 16. c. 5.

cùm deſiccauerint molunt, & in panis vſum recondunt. Allobij ex Sarmatis
Clemens. populi, auctore in Stromatis Clemente, glandibus, & arborum baccis veſcuntur. In frugum penuria, glandibus Pergamenos ſuos vſos fuiſſe, teſtatur Ga-
Li.2.Alim. lenus, variè ipſas ad eſum comparantes. Interdum enim in aqua elixabant, & poſt calidis cineribus contegentes mediocriter aſſabant: nonnunquam comminuentes, pultarium ex ipſis conficiebant, aliàs aqua ſola conſpergentes, ſed condimentum aliquod immittentes, aliàs mel effundentes aut lacti incoquentes. Eæ autem copioſum corpori ſuppeditant nutrimentum, & æquè nutriunt ac frumentaceorum eduliorum pleráque, ſed tardè permeant, craſſique ſunt ſuc-
Lib.1. ci, ex quibus efficitur, vt concoctu ſint difficiles. Idem omnino Ætius commemorat. Symeon Sethi, Glandes difficilis eſſe coctionis, tradit, valdè nutrire, tardè deſcendere, crudóſque humores generare. Propterea illarum vſum vitari
Lib.1.co. medici præcipiunt. Galenus inter cætera quæ in capitis dolore non ſolùm ven-
part. triculi conſenſu orto, ſed in omnibus capitis affectibus vitãda eſſe præcipit, etiam à Quercinis glandibus abſtinere iubet. Idem etiam Pythagoras præcipiebat, auctore Æliano. Nunc verò Glans animalium tantùm eſt eſca, præſertim Suum. Hoc enim pecus diffuſum & grauiſsimum facit, vt Varro ſcribit. Nam ea multæ in Gallia, & alibi gentes, magnos ac innumeros porcorum greges per ſyluas
Cap.54. glandarias ſaginant. Idem Cato poſt ſementem legi præcipit, & in aquam cõiici, vt inde Semodius, patrata ſementi, verno modius bobus ſingulis detur. Glandes hyeme bobus Columella exhibet in pabulum, Quercus folia Æſtate, & Autum-
Lib.6.ca.3. no. Denique multas alias & magnas vtilitates Quercus affert. Vſum corticum coriarij, aliíque opifices norunt, quanquam hodie Græci, & qui in Aſia
Li.1.Obſ. ſunt, vt ſcribit Bellon. coria adornant calycibus glandium Eſculi, vt in Gallia
cap.51. corticibus Quercus. Ligni verò vſum & vtilitatem, ait Tragus, nemo facilè ex-
Li.3.c.70. plicabit. Siquidem inter alia omnia, lignum nullum perennius, nullum etiam ad plura, hoc eſt ædificia, vtenſilia, & inſtrumenta, tam ea quæ in terra, quàm quæ in aquis vſui eſſe poſſunt, adhibetur Querno. Hæc Tragus, quæ non de cu-
Li.16.c.39. iuſuis Quercus materia inte.ligenda ſunt, vt ex Theophraſto ſuprà declarauimus, & Plinio, qui Robur ex iis eſſe tradit quæ tardiſsimè cariem veruſtatémque
40.41.& 43. ſentiunt: vere cæſum teredinem ſentire: ſicciſsimam loton eſſe, deinde Robur exalburnatum, cuius nigricat color: Robori tantam duritiam eſſe, vt terebrari niſi madefactum non poſsit, & ne ſic quidem adactus auelli clauus: quædam in aliis diuturniora vſibus eſſe quàm alia: Vlmum in perflatu firmam, Robur defoſſum, & in aquis Quercum obrutam: Robur marina aqua corrumpi, Eſculum humoris impatientem: Robur & Oleam incuruari, cedereque ponderi: arida latiùs quàm viridia ferris cedere, præter Robur, & Buxum, quæ pertinacius reſiſtunt, ferrarúmque dentes replent æqualitate inerti: qua de cauſa alterna inclinatione egerunt ſcobem. Ex maturis glandibus, delibratis, modicè deſiccatis, tuſisq;, oleum exprimitur lucernis aptum.

***

GALLA

GALLA. CAP. II.

VANQVAM quæ glandem ferunt, omnes & gallam Plinio auctore, tamen cùm hæc Quercubus magis sit peculiaris, adeo vt Dioscor. Gallam Quercus fructum appellet, Quercuum historia explicata, de Galla ordine dicendum videtur. κηκὶς ea Græcè dicitur, Latinè & Italicè *Galla*, Arabicè *Hafs*, aut *Hafus*, Germanicè *Galloepffel*, & *Eychoepffel*, Hispanicè *Abogalla*, Gallicè *Noix de Galle*. Vna est Omphacitis nominata, parua quidem, articulorum manus modo rugosa (sic enim κονδυλώδης Matthiolus interpretatur, vt hac voce Gallæ Omphacitidis figura designetur, magnitudine priùs expressa) solida, nullo foramine peruia: altera plana, leuis, perforata. Eadem planè genera fecerunt Galenus, Paul. Ætius, nempe Gallam Omphacitidem, & alteram flauam, magnam, laxam, quæ superioribus cum de fructuũ πολυκαρπίᾳ ex Theophrast. differemus, minimè repugnant. Nam Galla alba, parua, solida, eadem, vt & magna, perforata, nigra. Plinius. Pauciora Gallæ genera nos non facimus, cùm esse dicimus solidam, perforatam, item albam, nigram: maiorem, minorem, quæ cùm ita esse grauissimorum auctorum testimoniis satis sit probatum, Quercus rem hanc quotannis ostentans. Nam in Italia, præter glandes, duo Gallarum genera ferunt, inquit Matthiolus minores, quæ rugosa sunt cute, fullonibus & coriariis expetitæ, & quæ Græcis Omphacitides dicuntur: maiores, quæ leuiores sunt: tamen Cornarius Gallam Omphacitidem Dioscoridis & Galeni nihil aliud esse contendit, quàm calycem illũ cui glandes inhærent, qui vulgo cuppula glandium nominatur, vnico ad id credendum Pauli Ægin. loco inductus, qui est huiusmodi: ὀμφακίδος κεκαμμένης. ἔστι δὲ κοῖλον ἐξ οὗ ἐκπέφυκεν ἡ τῆς δρυὸς βάλανος, ᾧπερ οἱ βυρσεῖς χρῶνται) Id est, Omphacidis vstæ. Est autem cauum illud, ex quo glans Quercina enascitur, quo coriarij vtuntur: quo loco non ὀμφακίδος, sed ὀμφακίτιδος putat legendum, à qua opinione se nunquam decessurum ait, nisi quis corruptum hunc Pauli locum docuerit, aut ὀμφακίδα substantiuè, à Paulo pro calyce glandis dici ostendat. At Cornarium reprehendit Matthi. & iure quidem. Nam si Paul. inquit, non putasset ὀμφακίδος vocabulum, quod rarum esset, permultis fore obscurum, quemadmodum & Cornario fuisse videtur, ei certè opus non fuisset descriptione illud explicare. Quod præterea Paulus pro Omphacitide Galla glandium calycem non acceperit, hinc intelligere licet, quod alio in loco de Gallis, non de glandibus differens, duo Gallarum genera constituit, alteram Omphacitidem appellans, alteram, flauam, magnam, viribus inferiorem, Dioscor. & Galen. auctores secutus, qui non aliter diuisêre, nec vsquam Omphacitidem Gallam pro glandis calyce vsurpauêre, vtpote qui glandes & earum calyces à Gallis planè diuersas esse scirent. Præterea Dioscor. Galen. Paul. nusquam nomine ὀμφακίτιδος pro Galla vsi sunt, nisi vt adiectiuo iuncto cum substantiuo suo κηκὶς. Quare in Paulo legendum arbitror ὀμφακίδος, non ὀμφακίτι-

GALLA.

Lib.16.c.6
Li.1.c.123.
Nomina
Genera.
Lib.7.fin.
lib.7.lib.1.
Theophr.
Forma.
Li.24.c.4.
li.1.Dioſc. cap.123.
Li.1.6.cõp. p.& Emb. 120. lib.1. Dioſcori.
Lib.3.c.42.
Ibidem.
Lib.17. *Genera.*

Cornar.& Andernac. δλος, vt contendit Cornarius, glandiumq; calycem ὀμφακίδα à Græcis appellari, etsi Cornarius, atque Andernacus, qui ὀμφακίδα vuam acerbam interpretatur, Græcæ linguæ peritissimi non ita senserint. Verùm Omphacitis immatura intelligi non potest, inquit Cornarius, quum vtraque suo tempore immatura sit. At cùm Dioscor. & Galen. Omphacitim Gallam dicunt, hac voce immaturam non intelligunt, etsi multi apud eosdem ita sint interpretati, sed quod στυφνὸν ἱκανῶς ἐστὶ φάρμακον, inquit Lib.7.f. Galen. id est, quod admodum acerbum sit medicamentum, cùm altera Galla minùs acerbæ qualitatis sit particeps, quam à rusticis suis οἰνογαλλίδα appellari scripsit Galen. id est vinogallam, quod cùm vehementiore astrictione sit opus, vino incoquenda sit austeriusculo. Sunt tamen qui οἰνογαλλίδα magnam illam Gallam à Galen. appellatam velint, id est asininam Gallam. Quidam vinosam dictam putãt, quoniam minus adstringens ad austeri vini lenitatem propius accedit. Galla Om-
Ibidem. phacitis Gale. sententia, ordine tertio desiccat, secundo refrigerat. Altera desiccat quidem, sed tanto minùs, quanto minùs acerbæ qualitatis est particeps. Galla
Li. 2. c. 315. Auicennæ est frigida in primo gradu, sicca in secundo, Dodonæo frigida & sicca,
Lib.6.c.68. ad tertium vsque gradum, & valde adstringens.

Li.1. c. 123. DIOSCORIDES. Galla Omphacitis eligi debet, quæ efficacior est. Vtriusque vis, vehementer adstringere. Tritæ excrescentia in carne, fluxiones gingiuarum & vuæ, atque oris exulcerationem prohibent. Nucleus dentium cauernis inditus dolorem sedat. Crematæ carbonibus, donec igne flagrent, & vino, aut aceto, aut acida muria extinctæ sanguinem supprimunt. Decoctum in sese efficax est, contra vuluarum prolapsus, & fluxiones. Capillos denigrant aceto, aut aqua maceratæ: dysentericis, cœliacisque cum vino, aut aqua tritæ conuenienter illinuntur, aut bibuntur: obsoniis addi debent, aut integræ in aqua præcoqui, in qua nonnihil excoquendum est, quod his affectibus conferat. In summa his vtendum ad adstringenda, aut sistenda, aut siccanda quæ opus sunt. Hanc Ruellius versionem vno loco castigat And. Lacuna. Nucleus dentium cauernis inditus, dolorem sedat. Græcè legitur, inquit, ὃ ἐστὶ μέσον αὐτῶν hoc est, quod in medio ipsarum consistit. Quo loco Dioscorides Gallarum corculum, centrum, ac meditullium significat, non nucleum quo Gallæ omnes sunt destitutæ, quum per omnia v-
Lib.24.c.4 nam eandémque continuam substantiam sortiantur. Sed Ruellius, Plinium auctorem habet, qui de Gallis scribens, Nucleus, inquit, commanducatus dẽtium
Li.34. c.14. dolorem sedat. Et quid mirum nucleum Gallarum à Plinio dici, qui nucleum ferri pro chalybe dixerit.

Lib.7.fim. Galla Omphacitis Galeno desiccat, & repellit fluxiones: ad hæc constringit, contrahítque partes laxas, ac languidas, omnibúsque fluxionum affectibus strenuè resistit. Altera autem Galla desiccat minùs. Cocta itaque per se, ac deinde trita, cataplasma est non instrenuum sedis phlegmonarum, ac procidentiarum. Porrò coquenda est, si modica opus sit adstrictione, in aqua: si vehementiore, in vino, ac si augere insuper adstrictionem sit opus, vino vtendum austeriusculo. Denique Gallæ combustæ sanguinem reprimendi facultatem acquirunt, ac nimirùm etiam calorem & acrimoniam ex vstione assumunt, sùntque iis quæ ignem expertæ non fuerint, tum subtiliorum partium, tum maiore desiccandi potestate. Cæterùm cùm ad sanguinis suppressionem præparare eas voles, carbonibus impositas, dum vndequaque candeant, aceto, aut vino extinguere oportebit.

In lib.1. Dioscor. cap.123. Fit ex Omphacitide Galla, inquit Matthiolus, chalcantho, gummi, & vino atramentum scriptorium optimũ hoc modo. Sumito Gallarum crassiusculæ contusarum vncias quinque, chalcanthi Romani vncias tres, gummi Arabici vncias duas,

duas, ſalis drachmam vnam: coniiciantur hæc omnia in fictile vitro circumlitum: ſuperfundito vini albi, potentis, feruentiſque libras quinque, & vncias quatuor: occluſo vaſis ore, quindecim dies inſolato, vel poſt vaporarij fornacem hyeme reponito, miſcetóque quotidie rudicula. Illud peculiare ſibi maiores Gallæ vindicauêre, vt quotannis aut annonæ fertilitatem, aut ſterilitatem, aut peſtilentem auram prænuntient. Nam ſi rumpantur integræ, quæ perforatæ non ſunt, aut muſca, aut araneus, aut vermiculus exit. Si muſca euolat, futuri belli, ſi repat vermiculus, annonæ penuriæ, ſi currit araneus, peſtilentium morborum præſagium eſt. Neque cuiquam mirum videatur, quod ex omnibus Gallis iſta exoriantur animalcula. Etenim ego, inquit Matthiolus, huius rei ſæpius periculum feci, nullámque vnquam ſum conſecutus, prius non perforatam, quæ ex tribus animalibus vnum intra ſe non contineret: foramine aperto, facilè iudicari poteſt iam animal exiiſſe. Dicamus igitur licet, Quercum, & fructum, & animal gignere, cuius rei haud ignari veteres illi, non ſine cauſſa dixerunt Quercum Ioui ſumino eſſe dicatam. Gallam ſi in Quercu permanſerit, putreſcere Albertus magnus ait, atque in ea vermem procreari, qui ſi in Gallæ medio ſitus ſit, futuram hyemem aſperiorem prænuntiat, mitem verò ſi circa margines.

VISCVM. CAP. III.

VIscvm multis adnaſcitur arboribus, tamen quia optimum, ſed rarum in Quercubus prouenit, iis illud ſubiungere abſurdum non fuerit. ὁ ἶξος, Viſcum dicitur Ariſtoteli, vnde fluxit Latinis Viſcum, ἰξία Theophraſt. quod nomen ait eſſe commune, *Hyphear* verò Arcadibus, *Stelis* Euboïcis, Arabibus *Debach*, & *Dabach*, & *Hele*, Gallis *Guy*, Italis *Viſchio*, Hiſpanis *Liga mordago*, Germanis *Miſtel*, & *Eichenmiſtel*, & *Vogellem.* Ion Poëta ſudorem Quercus vocauit. Ex huius fructu quod fit glutinum, Latinè idem cum planta nomen habet, quemadmodum Græcè vtrumque ἶξὸς nominatur. Præterea ne homonymia nos in errorem inducat, ſcire licet Chamæleonem album Ixiam aliquibus dici, quod nihil delendum. ἶξὸς, id eſt, Viſcum circa radices eius inueniatur, vt ait Dioſcorides, Plinio verò; Chamæleonis duo genera. Candidior, quem Ixiam vocant, &c. Ad hæc Ixias à Dioſcor. in venenatis radicibus recenſetur, quam Ixiam cùm Plinius ab Ixo, id eſt, Viſco nominatam videret, inquit Cornarius, vbique pro Ixia venenata radice Viſcum reddidit, quod tamen cum homonymũs de Viſco arboreo, & de glutino ad aucupia dicatur, vitio non caret, id quod etiam Leonicenus obſeruauit. Viſci tria genera, Plinio: In Abiete ac Larice Stelin dicit Eubœa naſci, Hyphear Arcadia, Viſcum autem in Quercu, Robore, &c. Theophraſto Ilex fert à Septentrione Viſcum, à Meridie Hyphear, ſed vna omnium natura, diuerſæ habitudines, quia oriuntur in diuerſis. Multò igitur plura conſtituenda eſſent genera, quia in multis aliis arboribus Viſcum

Nomina Li.1.de Generat.ca.1. Lib.3.Hiſt. ca.9.& 16. & lib. 2. cauſ.

Lib.3.ca.8. Li.12. c.18. Li.6.ca.21. *Genera Ixiæ.* Emb.9. li. 3.Dioſc. *Genera.* Li.16. c.44 Theophr. Lib.2.cau. cap.13. Lib.4.Hiſt. Cap.16.

nascitur. Adiiciunt quidam & hoc discrimen, in iis quæ amittunt folia Viscum decidere, contrà inhærere semper, natum in æterna fronde: ab his enim alimentum perpetuò suppeditari, in illis Viscum quoque sentire alimenti dispendium.

In Comm. cap. 23. lib. 2. caus. At nos, inquit Scaliger, in nostris malis hyemis sæuitia spoliatis videmus, Viscum ne vnum quidem amittere folium. Ratio est, tenacitas ipsius succi, quæ suo lentore sibi ipsa sufficit, quemadmodum animalibus, quæ sine cibo latent hyeme. Sic etiam ipsis in arboribus perpetuifoliis intelligendum. Prętereà Plinio mas

Ibidem.

Forma.

Cap. 123. est fertilis, fœmina sterilis. Viscum planta est fruticosa, surculis geniculatis, lentis, transuersis, sese implicantibus: intus porracei coloris, extra subflaui, inquit Fuchsius: (Idem Dioscorides, sed referre id videtur, ad glutinum, quod ex hac

Li. 16. c. 44. planta fit, non ad plantæ ipsius colorem, coloris semper viridis esse Plinius scribit:) grauis odoris: folio penè buxi, minore, longiore, crassiusculo, pingui, ex viridi nigricante. Altitudo eius vix excedit cubitum: sine flore esse scribunt Ruel-

Li. 1. c. 140. cap. 123. lius & Fuchsius, flores tamen profert exiguos, luteos, ex quibus baccæ paruæ, rotundæ, pallidæ, viscido humore plenæ, quarum singulis inest nigrum semẽ.

Locus.

Plin. li. 16. cap. 44. Theophr. lib. 2. caus. cap. 24. Viscum in iis est quæ in terra gigni non possunt, sed in arboribus nascuntur, & cùm sedem suam non habeant, in aliena viuunt, auctoribus Plinio, & Theophrasto, quod mirum certè videri debet, citra vllas radices passim in arborũ caudicibus totum annum, adeóque brumali tempore, Viscum fronde virere noua,

Ibidem. Scalig. ibi. Dod. lib. 6. cap. 69. quòd non sua seminat arbos, vt canit Maro. In Abiete ac Larice stelin dicit Eubœa nasci, Hyphear Arcadia, Viscum autem in Quercu, Robore, Ilice, Pruno

Lib. 3. c. 87. Li. 2. Obs. cap. 83. sylvestri, Terebintho, nec aliis arboribus adnasci plerique. Copiosissimum in Quercu, quod ὑφυὸς Hyphear vocant. Nascitur & in Castanea, Malo, Pyro, Sorbo, Salice, Tilia, Betula, & aliis. Quin etiam, vt scripsit Dioscorides, inuenitur in quorundam fruticum radicibus. In Palestina Bellonius tradit esse oleas, quæ rubentibus baccis Viscum ferunt, eam ob causam sterilescentes. Floret sine mẽ-

Tempus.

Tẽperam. sis Maij. Fructus maturus est Autumni initio, siue fine Septembris, totam hyemem durans. Calefacit cum acrimonia, vt Paulus scribit. Ex plurima aërea & a-

Lib. Temperam. Gal. lib. 6. simp. lib. 2. cap. 728. Dod. lib. 6. cap. 69. quea, pauciſsima terrena substantia constat. Nam acrimonia in eo amaritudinem excellit. Auicennæ calidum est, & siccum: in tertio gradu. Folia fructúsque calefaciunt & siccant, latísque tenuium sunt partium. Viscum emollit, discutit, extrahit: parotidas, tubercula, cæteráque collectiones ad maturitatem perducit.

Vires.

Dios. lib. 3. cap. 87. Cum resina, & cera pari, epinyctidas in splenio sanat: vetera vlcera, abscessúsq;, quos Cacoëthes vocant, ex thure mollit: lienem cum calce, gagate, aut Assio lapide coctum & impositum absumit: cum Sandaracha, aut auripigmento illitũ vngues extrahit: mistum cum calce, & vini fæce, suam vim intendit, vel, vt alij legunt, ipsorum vim intendit.

Lib. 6. fim. Viscum Galeno, valenter humores ex alto extrahit, nec eos tantùm tenues, sed & crassiores, eósque diffundit, ac digerit. Est autem ex eorum genere, quæ non protinus admota calefaciunt, sed quæ tempus requirunt, velut Thapsia.

In cap. 87. lib. 3. Dios. Visci Querni lignum in tenuissimum puluerem quidam redigunt ait Matthiolus, & comitialibus hauriendum præbent, quo tantùm medicamento multos sanatos pro certo affirmant. Atqui operæ pretium est, vt eo vtantur comitiales quotidie, & in quadragesimum vsque diem, caueántque ne lignum ab arbore resciſsum terram contingat. Idem collo aut brachio pro amuleto suspensum cum suo cortice, grauidarum conceptum adiuuat: sed noui ego plures morbi & medicamenti prorsus ignaros, qui ligni loco Viscum ipsum in catapotia deuorandum dederint. Viscum quod in Pyro sylvestri nascitur, contractione membrorum laborantibus maximo esse auxilio scimus. Contunditur id vnà cum foliis, & ramis, & cum pinguedine capri recenti. Defricantur li-

chenes

chenes pumice, vt flos Viſci cum calce ſubactus illinatur.

Omnia Viſci genera Trago dum viridia adhuc, & recentia ſunt, tuſa, ſucco extracto, auribuſque indito, diſcutiunt collectiones earum, & emolliunt eas intra paucos dies, dolorémque leniunt. Superſtitio etiamnum hodie Chriſtianorum quorundam mentes vſque adeò occupauit, vt ſint qui credant Viſcū Quercinum aduerſus veneficia, & ludibria Satanæ efficax eſſe: quam ob cauſam ex collo puerorum ſuſpendunt. Quidam empirici exiſtimant Viſcum quod in Quercu, Corylo, Pyro naſcitur, ſi terram non tetigerit in puluerem redactum, ac è vino potum comitialibus mederi. Itaque ex eo orbiculos precatorios conficiunt, quos aduerſus eundem morbum valere credunt. Alij argento includunt ad περιαπτὰ. Gentilis Fulginas, & Iacobinus de partibus tam præſtantes huius vires eſſe arbitrati ſunt, vt lignum ſanctæ crucis appellarint, ſibíque perſuaſerint aduerſus epilepſiam, apoplexiam, paralyſim quàm maximè prodeſſe, tùm intus ſumptum, tùm collo appenſum. Lignum Viſci in Aronia Meſpilo nati arquatos ſanare affirmat Curtius. Viſcum conſit, vt prodit Plinius, exacinis qui colliguntur meſsium tempore, immaturi. Nam ſi acceſſère imbres, amplitudine quidem augentur, Viſco verò marceſcunt. Siccantur deinde, & aridi tunduntur, ac conditi in aqua putreſcunt, duodenis ferè diebus: vnum hoc rerum putreſcendo inuenit gratiam: inde in profluente rurſus malleo tuſi, amiſsis corticibus, interiore carne lenteſcunt. Hoc eſt Viſcum, pennis auium ligandis, iuglandis oleo ſubactum, cum libeat inſidias moliri. Viſcum ſcribit Matth. variis modis fieri: verùm omnium præſtantiſsimum eſſe quod è granis in Quercu naſcentibus conficitur. Viſci, præter id quod inualidum in pyris, maliſque naſcitur, ingens in Hetruria prouentus. Siquidem ibi non modò in Quercu probatiſsimum prouenit, ſed etiam in Cerro, Ilice, Caſtanea, in noſtris præſertim maritimis Senenſibus, vbi vaſtiſsimæ aſſurgunt ſyluæ, quæ non paruo pretio locantur iis qui Viſcum conficiunt. Grana quæ legerunt in aqua decoquunt, donec diſrumpantur: deinde contundunt, & tamdiu lauant in aqua, donec furfuracea excrementa eximant. Fit præterea Viſcum in Syria ex Myxis, quo vtuntur Inſubres in ſuis aucupiis, quoniam arboreo Viſco carent. Ex Venetiis illud defertur, quo primùm ex Damaſco Syriæ aduehitur, vnde Damaſcenum vocant: ſed id Querno bonitate cedit. Fit quoque Viſcum ex Agrifolij, & Viburni radicibus ipſarum corticibus in ſcrobe inter ſuarum arborum frondes humido ſolo ſepultis, ibíque tamdiu dimiſsis, quoad computreſcant: Tum enim eximuntur, & tamdiu in pila contunduntur, donec lentorem concipiant: pòſt aqua calida lauantur, & manibus commiſcentur. Hac etiam ratione quibuſdam in locis Viſcum fit ex Ibiſci radicibus. Serapio quoque ex corticibus ramorum arboris Tarabellæ Viſcum bonum confici tradit. Viſcum Quercinum maximo Hetruſcis vſui eſt. Nam præterquam quod in aucupiis eo vtuntur, etiam vites eodem muniunt, atque illinunt, ne prima germinatione ab erucis, & vermiculis, quibus omnia ſcatent, gemmæ deuorentur. Viſci fructu veſcuntur Turdi, præcipuè magni, quos noſtri vulgo Turdellas appellant, quorum ſtercore ſemine Viſci pleno inficiuntur, & ſeruntur arbores, in quibus pernoctant, & victitant: Ex eo ſemine naſcitur planta, quæ Viſcum creat, vnde ſcitè à Plauto dictum eſt, Turdus exitium ſibi cacat. Eadem eſt de Viſci ortu Plinij ſententia. Omnino ſatum, inquit, nullo modo naſcitur, nec niſi per aluum auium redditum, maximè Palumbis, ac Turdi. Hæc eſt natura, vt niſi maturatum in ventre proueniat, quod, & ſcribit, & admiratur Theophraſtus, præſertim cùm Viſcum & fructum ferat, & ſemen è quo generari poſsit. At id negat Scaliger, & ex arborum vitali excremento, quaſi è ſemine, proportione quadam, oriri Viſcum probat, ſicut,

Plin. lib. 25. cap. 4.
Lib. 1. c. 3.
Gentilis & Iacob.
Li. 26. c. 23.
Li. 16. c. 44.
Cap. 167.
Li. 16. c. 44
Lib. 2. cau. cap. 21. In comm. ca. ſuprad. & exercitat. 168.

& Gallam, non è semine deiecto ab auiculis, quasi verò, inquit in palumbis, & Turdi ventriculo nequeat granum concoqui, cùm tamen labruscarum gigarta longè duriora, & grandiora conficiantur, id quod experti sumus, datis Turdo vuis labruscæ, deinde Visci baccis, nullâque horum specie in auis excrementis reperta. Adhæc extremo Autumno comedunt aues acinos Summis ramis etiam surrectis quibusdam Viscum oritur. Quomodo totas hyemes perdurat, neque tantis tempestatibus proluitur? Non enim statim nasci est verisimile. Quare caloris interni fotu informata Visci principia in succo sibi connaturali, ab externo calore adiuta, atque euocata concrescunt, & in plantam adolescunt, quemadmodum cornua ex ossibus animalium educuntur. Non omittenda est hac in re, & Galliarum admiratio. Nihil habent Druidæ (ita suos appellant Magos) Visco, & arbore in qua gignitur (si modò sit robur) sacratius. De quorum vana superstitione, & populi hac imbuti stoliditate, lege plura apud Plinium, & Iulium Cæsarem. Druidæ, inquit Cæsar, certo anni tempore in finibus Carnutum (quæ regio totius Galliæ media habetur) considebant in loco consecrato. Ea Galliæ pars hodie *la comté de Dreux* nominatur. Arboribus exitio est Viscum, auctoribus Theophrasto & Plinio, qui id etiam nec igni, nec aqua posse corrumpi tradidit. Hyphear ad saginanda pecora vtilius est. Vitia modo purgat primo, deinde pinguefacit quæ sufficêre purgationi. Quibus sit aliqua tabes intus, negãt durare. Ea medendi ratio adhibetur æstatis quadragenis diebus.

Ibidem.

Li.16.c.44 de bel.Ga.

Lib.2. cau. cap.22.
Li.17.c.14.
Li.13.c.22.
Li.16.c.44.

ILEX. CAP. IIII.

Nomina
Lib.16.ob. cap.44.

ILEX Græcè πρῖνος nuncupatur, quia serra propter duritiem sit secanda, Arabicè *Barbes*, siue *Carmas*, Gallicè *Ieuse*, & *Eouse*: Bellonio *Chesne verd*, quo nomine Quercum perpetuò virentem, cuius capite de Quercu meminimus, minimè intelligit, Italicè, *Elice*, Hispanicè *Anzina*, & *Auzinheira*, *& Coscoia*, Germanicè *Stecheychen*, *Eingattung*

In lib.1. Dioscor. cap.121. Lib.6.ca.3.

ILEX.

Forma.
Forma Matheo.lib.1. Dios.c.121

Plin.li.16. c.6.Matth. Th.ib.d. Pli.lib.16. cap.25.

Duûm Ilex est generum, alterum folio spinoso, sine aculeis alterum: hoc vbique ferè scatet Hetruria, illo verò Hispania. Meminit vtriusque Columella. Possunt, inquit, & ficulnea folia bubus probè dari', si sit eorum copia. Quernea tamen frons melior est vel Ilignea, sed eius generis quæ spinas non habet. Nam altera quoque, vt Iuniperus, respuitur à pecore. Quare non rectè sentiunt, qui Plinij tantùm & Theophr. testimonio freti, Ilicem non spinosam legitimam esse negant. Ilex foliis laurinis ac perpetuis constat, parte aduersa candicantibus, scabris, auersa virescentibus, ac læuibus, toto ambitu serratis, rigidis suis crenis pungentibus in vno genere, in altero minimè, Breui pediculo: glande parua, Quernæ simili, breuiore, graciliore, pertinaciter hærẽte, quam Homerus Achylon vocauit, eóque nomine à glande Querna distinxit. Viscum atque hyphear fert. Nullo flore exhilaratur. Tota arbor procera est, & Robur magnitudine æquat, vbi solum nacta fuerit idoneum: cortice in rufum nigricante

nigricante, materia denſa, ſpiſſa, robuſta, ex nigro rufa: radice multiplici, profunda ἐπιτεταμένως, id eſt mediocriter, Theodorus admodum conuertit. Theophraſtus certè alibi ſcripſit, omnium ſylueſtrium profundiſsimas radices Ilicem habere, materiam denſam, robuſtámque admodum, quare, & decorticationem hyeme diutius tolerat, in atrum rubeſcentem, vnde apud Ariſtophanem πρίνινοι homines, id eſt Iligni pro duriſsimis ponuntur: eam tamen frangi ac diſsilere ſponte ſua ſcripſit Hermolaus, ob idq; Periclem dixiſſe, Bœotios Ilicibus eſſe ſimiles, vt eſt apud Ariſtotelem, quod ipſi ſe conficerent inteſtinis diſcordiis. Ilicis à Matthiolo pictæ folium oblongius, & anguſtius, ad id fortaſſe genus referendum, quod Plinius in Italia naſci tradit, folio non multùm ab Olea diſtante. Quæ in Gallia Narbonenſi, & Prouincia notiſsima eſt, etiam mulierculis, & pueris, folia habet Suberis primi foliis minora, & magis orbiculata, in adultis arboribus plerumque ſine aculeis, præter nouella, & nunc primùm enata, quæ aliquantulùm inciſa, & aculeata ſunt: Nam in tenellis arboribus antequam glandem ferre incipiant omnia folia aculeata ſunt, teſte etiam Cluſiodoro. Admirandam Ilicem deſcribit Plinius his verbis. Vicina luco eſt Ilex, & ipſa nobilis, 35. pedum ambitu caudicis, decem arbores mittens, ſingulas magnitudinis viſendæ, ſyluámque ſola facit. Idem inter vetuſtiſsimas etiam arbores Ilicem recenſet. Vetuſtior vrbe inquit, in Vaticano Ilex, in qua titulus æreis literis Hetruſcis religione arborem iam tunc dignam fuiſſe ſignificat. Tiburtes quoque originem multò ante vrbem Romam habent. Apud eos extant Ilices tres etiam Tiburto eorum conditore vetuſtiores, apud quas inauguratus traditur. Ciuica corona Iligna primò fuit, poſtea magis placuit ex Eſculo Ioui ſacra. Ilex in iis eſt arboribus quæ montibus propriæ, naſci in planis nequeunt. Inter ſylueſtres perpetuò viret. In prouincia Narbonenſi, præſertim agro Monſpelienſi frequens naſcitur. In Italia notiſsima eſt arbor. In Ida monte Cretæ, hodie Pſiloriti nuncupato copioſæ proueniunt Ilices, & in monte qui Athos dicitur: item in montibus circa Hieroſolyma, & locis circa Amanum montem. Ilex Vere germinat teſte Theophraſto. Earum, inquit, quæ ſeriùs fructificant, quas nonnulli anni ſpatio fructum perficere volunt, vt Iuniperi, & Ilicis, germinationes Vere proueniunt. Fructus, eodem auctore, ſerò matureſcit, vt annotinum nouus occupet, eámque ob cauſſam bifera hæc arbor à nonnullis exiſtimata eſt. Omnium tardiſsimè Ilicem fructum ſuum perficere idem alibi ſcripſit. Sic enim Gaza legit, πάντων δὲ ὀψιαίτατά, &c. codex autem Baſilienſis, πάντων δὲ πλείστην, id eſt, omnium copioſiſsimè, &c. Eodem loco, Quercus, & Caſtanea ſerius fructus perficiunt, nempe circa Vergiliarum occaſum: eodem modo, & Philyrea, & Ilex.

Lib.3.Hiſt. cap.7. Theophr. Lt.4.Hiſt. cap.15.

In lib.1. Dioſc.

Lt.16.c.44

Plin.li.16. cap.4.

Locus. Theophr. lib.3.Hiſt. cap.. Pli.lib.16. cap.18. Bell.libr.1. ob.cap.18. & 44.

Bell.lib.2. ob.cap.81. & 107.

Tempus. Lib.2.Hiſt. cap.6. Cap.16. Lib.3.ca.6.

Ligneæ Glandes viribus Quernas antecellunt, ait Dioſcor. Ligneæ radicis cortex cum aqua coctus, dum mollitus intabeſcat, & tota nocte illitus denigrat capillos, priùs cimolia terra purgatos.

Li.1.c.121.

Vires.

Valentius aſtringunt Phagus & Ilex, inquit Galenus, ſeu quis eas ſpecies eſſe Quercus velit, ſeu toto genere diuerſas. Harum folia dum tenera ſunt, impoſita, non inſtrenuè ſiccant, minus autem Quercus, quanto minus etiam adſtrictionis ſortita ſunt. Dioſcor. de omnium foliis æqualiter pronuntiat, contuſa, & trita tumoribus prodeſſe, & imbecilles membrorum partes roborare. Radix Ilicis tuſa, & ictui dryini *impoſita plurimùm prodeſt. Galen. alio loco ſcripſit, Ilicis Glandes quas Græci ἀκύλους vocant, fugiendas eſſe, quoniam acerbæ, & duræ ſunt, eóq; inſuaues: etiam ſi quis elixas ſumat, concoctu difficiles, & ſucci craſſi. Scribit Corn. Ilicis Glandem Galeno acylon appellari, & Querna Glande ad omnia deteriorem exiſti

Lib.6.ſim.

Curt.li.21. cap.17:

* *Drymoſerpentis genus, Dioſcor. lib.6.*

Lib.de ben. & mal. ſuc. Emb.109. li.1.Dioſc.

Lib.2.de Alim.

existimari, sicut hanc castaneis, quæ omnium glandium sunt optimæ, quo tamen loco vulgaria exemplaria Græca Latináque Memecylon habent.

Libr. 2. de diæta. Li. 1. de vlc. Acyli, Quercus, Fagíque Glandes Hippocrati crudæ, tostæq; aluum sistunt: elixæ minùs. Ad idem ambusta Ilicis radices teneras in vino dulci coquere iubet ad lentum ignem, donec satis crassum fiat medicamentum. Similiter in aqua coqui possunt. Hæc cùm ita se habeant, inquit Cornarius, mihi sanè videtur prouerbium, quod ἀκόλῳ τὰ χθίλη, ὑ σύκῳ βῦσαι, iubet, non legendum esse ἀκόλῳ apud Suidam, sed ἀκύλῳ, quum ipse ad salubrem, & fortem rerum vsum id admonere nos dicat. Ego hìc nihil contendo, nec admodum refert. Iligna Glãs Suem angustam, nitidam, strigosam, ponderosam facit, Horatius.

Ibidem.

Erasm. in Chiliad.

Pli. lib. 16. cap. 6.

Umber, & iligna nutritus glande, rotundas
Curuet aper lances carnem vitantis inertem.

Matt. ibid. Ilignus carbo Hetruscis in pretio est, non modò quòd ignem diutius foueat, sed etiam quod (vt aiunt) vapore caput minimè tentet. Iligna materia vt querna, ad multa est vtilis. Ilici honos ad axes inquit Theophr. & ad currus vnico iugo tractiles, & ad iuga lyrarum. Secatur in laminas prætenues & Ilex, auctore Plinio, colore quoque non ingrata, sed maximè fida iis quæ teruntur, vt rotarum axibus. Proditum terebris vaginas ex Buxo, ac Ilice vtilissimas fieri. Hyginus manubria rusticis carpinea aut Iligna fieri iubet. Oribasius ex Heliodoro scribit machinas ex robustiori materia conficiendas esse, scilicet Iligna vel fraxinea.

Lib. 5. Hist. cap. 8.

Li. 16. c. 43.

Lib. de machin.

SVBER. CAP. V.

Nomina

SVber Græcis φελλὸς dicitur, Gallis *Liege*, à leuitate, vt putat Ruellius, quod innatet aquis, nec obruatur: qua ratione etiam ἴψος dicitur, quòd semper altum petat: Italis *Sugaro*, Germanis *Pantoffelholtz*, Hispanicè *Alcornoque*. Suberis duo sunt genera, foliorum figura diuersa: alterum folio prolixiore, acuminatioréque: alterum

Lib. 1. c. 88.

Genera.

In cap. 121. li. 1. Dioscor.

SVBER folio breuiore, & latiore.

SVBER folio longiore, & angustiore.

breuio

breuiore,rotundioréque,& ſerrato.Suber arbor eſt folio Ilicis,vel Oleæ, craſsiore, longioréque,vt ſcribit Theophr. perpetua coma virens: quod tamen negat idem Theophr.niſi codex mendoſus ſit,cui refragatur Plinius,& iure quidem, numerãs inter ſylueſtres arbores,quibus folia non decidũt,Suberem. Apud Theophraſtum legendum quidam cenſent, τὸ δὲ φύλλον ὅμοιον τῆς ἐλαίας, παχὺ, προμήκες τερον, οὐκ φυλλοβολοῦν, ἀλλ' ἀείφυλλον: Folium Oleæ ſimile,craſſum,longius,non deciduum, ſed ſempiternum. Ilici magnitudine cedit,vt teſtari poſſunt, qui Bacano Romam proficiſcuntur, quo in itinere, innumeræ Suberum plantæ viſuntur. Eſt enim, ἡμήκης ἐπιεικῶς, καὶ ἀνώμαλος, inquit Theophr. id eſt mediocriter procera, & augeſcens,non admodum procera,auctuq; inſignis, vt conuertit Gaza.Quin & à Plinio dicitur minima eſſe arbor.Caudice eſt craſſo: paucos producit ramos: Glans Ilici ſimilis peſſima,rara:cortex tantùm in fructu,præcraſſus,ac renaſcens, atque etiam in denos pedes vndique explanatus.Materia eius diſrumpitur facilè,quemadmodũ Piceæ, verum fragmentis maioribus, ſicuti ſcribit Theophr. & eſt, vt alibi tradit, ἄεργος καὶ μαλακος,id eſt tractatu facilis,molliſque,verum θραυστὴ,id eſt,fragilis,vel fiſsilis,non rigida,vt Gaza interpretatur.Ex ea quondam ſimulachra Diis factitata, verùm in eius locum ſucceſsit palma. Suberi detrahitur totus cortex,alioqui deterior fieret arbor, qui triennio poſt ſubnaſcatur, haud ignara natura quòd cortice ſpolianda ſit,inquit Matthi.materiam duplici cortice muniente.Cortice in orbem detracto necantur arbores inquit Plin.excepto Subere, quod ſic etiã iuuatur.Craſſeſcens enim præſtringit,& ſtrangulat.Alterum Suberis genus folio eſt prolixiore, & acuminatiore,alterum breuiore,rotundioréque,per ambitũ ſerrato, acuminatis quibuſdam in locis, inciſuris. Scribit Theophr. Suberem peculiariter in τυῤῥηνία naſci, in quibus verbis Victorius mendum eſſe ſuſpicatur, legíque debere τυῤῥηνιά. Copioſa namque hæc arbor eſt in maritima regione Hetruriæ, quam olim incoluêre Thyrrheni, vt & ſyluæ etiam ingentes Suberis ſint prope Populonium, & oppidum quoque inde appellatũ Sughereto. Corrupta enim Latina voce Suber, patrio ſermone *Sughero* vocatur. Qui folio eſt rotundiore, in Romano, qui prolixiore, in Piſano agro prouenit. Spectantur Suberes in ora maritima Liguriæ, vt Plinio fides non ſit adhibenda, qui nec in Italia tota naſci, nec in Gallia omninò tradidit. Sunt, & in Hiſpania humiles, parúmque ramoſi, inquit Ruell. at forſitan in Pyreneis montibus proceriores. Tardiſsimè arbor germinat Suber,præſertim ex vinorum cadis, combuſtum, cinerem reddit ſiccando valentiſsimum,qui medicinis ad dyſenterias inſcriptis admiſcetur. In immodico ſanguinis ex vtero profluuio Paulus Suberis ex Italico vaſe combuſti cinerem propinat in poſca.Mirificè auxiliatur, Suberis ex Italico vaſe vſti cinis cum aceto, vel poſca, in vterum inditus. Suberis cortex tritus ex aqua calida potúſque ſanguinem ex vtralibet parte fluentem ſiſtit. Eiuſdem cinis ex vino calido, ſanguinem excreantibus magnoperè laudatur, auctore Plinio, id quod etiam teſtatur Serenus his verſibus.

Sed quacunque fluit vis immoderata cruoris
Subereus cortex calidis potatur in vndis,
Ante minutatim ſtudio vincente terendus.

Serenus.

Vſus Suberis, autore Plinio, ancoralibus maximè nauiũ, piſcantiumq; tragulis, & cadorũ obturamẽtis, prẽterea in hyberno fœminarũ calceatu.Quamobrem nõ infacetè Græci corticis arborẽ appellãt,(ſic enim legendũ, nõ vt in aliis exẽplaribus, mulieres cortices arborũ &c.dixerũt autem Græci δενδρόφλοιον, id eſt arborẽ corticis, vel corticoſam.)Sunt & qui fœminam Ilicem vocẽt, atque vbi non naſcatur Ilex,pro ea Subere vtantur,in carpẽtariis præcipuè fabricis,vt circa Elim,& Lacedemonem. Suber inter eas recẽſetur arbores, quæ tardiſſimè carie vetuſtatémque ſentiunt

Lib.3.Hiſt. cap.16. Li.16. c.11.

Matt. in c. 121. lib.1. Dioſc.

Ibidem.

Lib.16.c.8.

Forma.

Pli. lib.16. cap. 8.

Lib.3.Hiſt. cap.16. Theophr. Ibidem. Theophr. Ibidem. Ibidem. Li.17.c.24.

Genera.

Locus.

Lib.3.Hiſt. cap.16. Lib.3.Var. Lect. c.17.

Lib.16.c.8 Li.1.c.89.

Vires.

Plin.li.16. cap.25. Paul.lib.1. Lib.3.c.62.

Li.24.c.4.

Vſus.

Li.16.c.8.

Li.16.c.40

Lib.16.c.8.

sentiunt. Eiusdem Glande fungosa caro fit. Huius corticis vsus sutoribus, veteramentariis, atque piscatoribus notus: his, verriculorum alis, ne sidant aut in profundum trahantur, appendentibus: illis, soleas aduersum frigora munientibus.

SMILAX. CAP. VI.

Nomina

SMilacis ancipites, & multiplices significationes errorem sæpè crearunt in re herbaria, atque etiam creare possunt, nisi bene distinguantur. Smilaces primùm dicuntur læuis & aspera, herbæ repentes: deinde quædam arbores. Ilicis duo genera teste Plinio. Ex iis in Italia folio non multùm ab Oleis distant Smilaces à quibusdam dictæ, in prouinciis Aquifoliæ. Præterea, quæ Taxus Latinis, Smilax Græcis nuncupatur.

Li. 16. c. 6.

SMILAX ARcadum Glandifera.

Postremò Glandiferæ quædam aliæ arbores hoc nomine appellantur, de quibus nunc agitur. Harum duo obseruauimus esse genera. Vnũ Smilacem Arcadum Theophrasto dictum, alterum humilius, vix in arborem excrescens. Smilax Arcadũ arbor est Ilici similis, inquit Theophrast. mediocriter procera, cortice cinereo, in summis ramis cano, & lanuginoso: folio lauri, nec serrato, nec, Iligni modo, in ambitu spinoso, superiore parte viridi, inferiore candicante, lanuginéque obducta, quæ mollis tangentibus sentitur: flore Oleæ Roboríue simili, luteo, in longis paniculis denso, quo Ilex caret: glande admodum parua. Græci vocant Milaci, & Acilaci vocibus corruptis à σμίλακος, & ἀκύλᾳ nominibus. Gallis nullum proprium nomen huius arboris est. Materia est non, vt Ilex, solida, densáque, sed molli, vt tradit Theophrast. qua ratione Matth. eorum improbat sententiam, qui Smilacem Arcadum, Ilicem non spinosam esse autumant. Alterum Smilacis glandiferæ genus humile est, fruticosum, in arborem sese non attollens: folio Oleæ, candido, neque insecto, neque spinoso: fructu, floréque superiori simili, à quo folio tantùm angustiore discrepat. Rectè ergo Theophr. scribit, Smilacis glandiferæ folium non esse aculeatum, siue spinosum, cùm Smilacis asperæ reptatricis, & scansilis, folium mucrone lateribúsque pungat: item rectius esse quàm Ilicis (βαθύτερον enim, non vt Gaza βαθύτερον, id est profundius, legendum puto) quoniam, neque sinuosum, neque in ambitu incisum: molle, quia vna parte lanuginosum: differentiisque pluribus varium. Smilacis glandiferæ primum genus frequens in agro Monspelienſi prouenit, vbi non rectè ab herbariis Robur appellatur: alterum in collibus Rhodanum respicientibus, totóque eo tractu, qui à Vienna Allobrogũ ad Arelatem vsque porrigitur. Astringendi vires Smilax habet auctore Gale. qui enumeratis iis quæ columellæ mediocres phlegmonas modicè reprimunt, subiungit. His validiora sunt Myrti, & baccarum eius decoctum, & Cydoniorum malorum acerborum, item virgultorum tenerorũ Ilicis, Arbuti, Smilacis, Phagi. Quo loco hæc Cornarius. Smilacem arborẽ Taxum Latinis vocari, & Dioscorides & Plinius tradunt, in potúque acceptũ venenatum pharmacum esse, & repentinam mortem inducere. Idem Dioscorides prodidit, imò non solũ in potu acceptum lethalem esse, sed vmbrã etiam illius sub ea sedẽtibus aut dormientibus

Genera. Li. 3. Hist. cap. 16.

Forma. Ibidem.

Nomina

Ibidem. In li. 1. Dioſco. ca. 121.

Ibidem.

Locus.

Vires. Lib. 6. cap. part. cap. 3.

Lib. 6.

tibus noxiã, vt pleriq; inde moriantur, quod alio loco Dioſc. & Plin. tradunt, vt mirum videri queat eius arboris ramulorũ decoctũ hoc loco à Galeno ad columellam inflammatã probari, maximè cùm etiã ipſe Gal. ſcribat σμίλαξ, ἢ τάξος, ϕλένδρον ἐστι δηλητήριον δυνάμεως. Pro τάξος nõ rectè, vt equidẽ arbitror, χάλυβος legitur, velut etiã apud Paulum. Non eſſe aũt de alia Smilace accipiendum, teſtimonio eſt id, quod aſperã, & lenẽ, non Smilacem, ſed Milacẽ appellare ſolet, velut alibi oſtẽdi, & quod hoc loco inter Ilicẽ, Arbutũ, ac Phagũ recenſetur, quibus aſpectu ſimilem Taxũ Plin. dixit, & Dioſcor. tum foliis, tũ magnitudine, Abieti ſimilem ſcripſit. Arbitror itaque Gale. reuera Taxi arboris ex genere Abietino, & Ilicino ramulos hoc loco probare, vt quorũ decoctũ vehementi adſtrictoria vi præditum ſit. Non eſſe aũt eam vbiq; letalem, & venenoſam ex eo patet, quod Dioſc. præcipuè de Italica, & in Narbonẽſi Gallia, Hiſpaniæ cõtermina naſcẽti tradat, pro qua apud Pliniũ in Arcadia, corruptè, vt opinor, habetur. Hęc paucis refellit Matth. Si Cornarius, inquit, Theoph. ſibi alioqui familiarẽ cõſuluiſſet, qui Smilacem quandã (vt Paulo ante oſtendimus) arborẽ Ilici ſimilem facit, rectiùs, meo quidem iudicio, & paucioribus rem hanc explicaſſet. At Cornarius, ne cõſulto quidem, opinor, Matth. in Emblematis, Theophr. locũ ſe legiſſe demõſtrat, quo Smilacem Arcadum deſcribit, & hanc Smilacẽ non eſſe Taxum ait. Smilacẽ verò Dioſcor. & Plinij agnoſcit, quod vel ex eo patet, inquit, quod alibi eodem libro Theophr. de Taxo agit, ipſamq; μίλον vocat. Veruntamen ne ſic quidẽ à priſtina ſententia dimoueri poteſt. Nam Paulo poſt ſuperiorẽ Gal. locum cùm poſuiſſet, ſic ſcribit. Quo loco ego non de alia Smilace in cõmentariis Medicis accipiendũ cẽſui, & adhuc ſentio, quàm de ea quæ Taxus appellatur. Nam Smilax altera Theophr. apud Arcadas ſolùm id nomen habet, & peculiaris illorum arbor eſt.

In libr. 1. Dioſc. c. 111

Emb. 68. li. 4. Dioſco.

Lib. 6. cap. part. ca. 4.

PHELLODRYS CAP. VII.

PHELLOD. alba anguſtifol. Folio ſerrato. | *SMILAX humilis anguſtifo. Folio non ſerrato.*

QVum de Ilice, & Smilace dixiſſet Theo. ſubiũgit: Quod verò Phellodryn Arcades nũcupãt, natura eſt inter Ilicem, & Quercũ media, atque adeo Ilicem fœminam quidã eſſe putauerunt. Hæc ille. Si tamẽ nomen ex Subere & quercu factũ ſpectes, Phellodryn, ideſt Suberi quercum naturæ Suberis, & Quercus participem potius dixeris. Sed Suber Ilici arbori adeo ſimilis eſt, vt nihil interſit, an ex Ilicis, an ex Suberis & Quercus confuſis principiis hanc dicas fuiſſe à Theophr. nominatam. Quinque Phellodryos genera obſeruauimus: duo candicantibus foliis: tria, obſcurè virentibus. Vna igitur eſt foliis altera parte albicantibus, anguſtis, longiuſculis, crebris admodum & non profundis inciſuris crenatis, leuiter aſperis potius, quàm ſpinoſis: cortice cinereo: glãde, cum matura eſt, ex fuſco flaueſcẽte. Hæc videt eſſe Matth. Phellodrys picta, ſed nõ deſcripta. Alteri, folia altera parte cãdicantia, latiora ſunt, raris laciniis, ſinuoſa, molliter acu leata: cortice, maturáq; Glãde, ex atro rufeſcẽte. Alia Phellodrys eſt, cui folia ſunt mediocris amplitudinis, nigricãtia, ſiue obſcuræ viriditatis, non adeo multis, neq; profundis laciniis ſinuata, mitius pungentia: calyce Glandis læui: Glande ipſa ex fuſco flaueſcente: cortice cinereo.

Lib. 3. Hiſt. cap. 16.

Nomina

Genera.

Forma.

PHELLODRYS Matthioli.

PHELLO. nigra mediocrib. foliis.

PHELLODR. nigra Latiſſ. foliis.

PHELLODR. alba, Latifolia.

PHELLODR. Foliis muricatis, Calyce glandis echinato.

Alia foliis eſt latiſsimis, ſimiliter nigricãtibus, craſsis, frequãtioribus inciſuris, valde ſpinoſis, glandis calice læui, cui maturæ, & cortici idem qui & ſuperiori color eſt. Harum omniũ Glans ſtrigoſa eſt, & tenuis: calyx non ſpinoſus, ſed vt in Quercu tuberculis verrucoſus. Hanc & Ilicis glandem olim ἄχυλον vocabant, auctore Theoph. cuius vocis veſtigia hodie quoque Græci retinent, vniuerſum hoc glandium genus Acylacas nominantes. Poſtremum Phellodryos genus folia ſuperiore minora habet, pallida, multùm laciniata, valde muricata, Aquifolij modo: calicem glandis echinatum: glãdẽ cęteris ſimilem, corticẽ cinereũ.

Lib. 3. Hiſt. cap. 16.

Locus. Hęc genera in collib⁹ Rhodano vicinis, aut nõ procul ab eo diſsitis proueniũt.

ILEX AQVIFOLIA CAP. VIII.

ILEX aquifolia Plinio, siue Ilex parua aquifolia, hæc arbor nominatur, Phellodrys coccifera quibusdam, Theophr. communi nomine πρῖνος, à Dioſc. κόκκος βαφικὴ, Gallicè, *Labre de la graine d'eſcarlate.* Ilicis duo genera Plinius tradidit: vnã in Italia nascentẽ, folio non multum distantẽ ab oleis, cuius, obiter supra meminimus: alterã in prouinciis, aquifoliam dictam. Est autem Ilex aquifolia, arbor parua, surculosa, cortice ex rubro candicante, Glande rotunda, calyce aculeis rigente, totámque ferè vt in Cerro, complectente: foliis paruis, & veluti in Agria, siue Aquifolio laciniatis, ac in ambitu sæuissime pungẽtibus, breui pediculo adnexis. In ima parte qua petiolo hærent, & ea supina, nonnũquam verò, sed rarius, in surculorum nodis, granum quoddam innascitur, rotundum, paruum foris è cinereo rubens, intus verò sanguineo cruore lucido plenum, vesiculis vlmorum foliis insidentibus simile, tanquam huiusce arbusculæ purgamentum quoddam ac excrementum, à natura in folia protrusum, non autem bacca. Hoc Theophr. κόκκον φοινικοῦν vocat, Dioſc. etiam κόκκον, Plinius granum, coccum, quisquilium: quanquam Gelenius cusculium legat. Est enim, inquit Hispanum vocabulum, non Romanum, & cusculiatum videtur olim dictum, quod nunc deprauatè scarlatum. Hermolaus verò, quisquilium Plinio Vermiculum, ideſt, ipsum cocci granum dici putat. Nam quisquiliæ, vt ait Festus, sunt, quicquid ex arboribus minutis surculorum, foliorúmque decidit, vnde nomen venit: ob id Cecilius quisquilias volantes venti folia dixit: vnde natum, vt vestis coccina literis per imperitiam interceptis, Squarlata vulgo nominetur hodie, pro quisquiliata. Sed Plinij locum præstat adscribere, vt contaminatum, ideóque obscurum purgemus, ac illustremus si possumus. Omnes has roboris dotes Ilex solo prouocat cocco. Granum hoc, primóque ceu scapus fruticis paruæ aquifoliæ Ilicis, cusculium vocant. Sic Gelenius. At Hermol. Marc. Ruellius, Granum hoc rubens est, primúmque ceu spectes frutices, paruos aquifoliæ Ilicis: Quisquilium vocant. Quidam, primóque ceu scrupus, vel ceu spurcities: Alij, primóque ceu bacca, &c. absurdè: coccus enim non est Ilicis fructus, vt ostendemus. Sic verò legit Dalechampius: Granum hoc, primóque ceu scapo, &c. vt scapum Plin. intelligat petiolum. Coccus enim ex eo prosus loco existit, quo petioli scapus folio cohæret, vt diximus. Turnebus in veteribus libris exaratum inuenisse se scripsit, primóque ceu scaptes fruticis paruæ aquifoliæ Ilicis: vnde, inquit, temere scapus fabricatus, & edolatus est ab emendatoribus, nos scabies legendum esse affirmamus. Coccum Arabes, *Charmen*, *Kermes*, seu *Quermes*, appellant, Officinæ, Grana tinctorum, Galli, *Vermillon*, & *Graine d'eſcarlate*, Itali *Grana de tintori*, Germani *Scarlachber*, Hispani, *Grana para tegnir*, & *Grana en grano*. Serapio cum de chermes tractat, eandem eius quam Dioscorides, cocci infectorij historiam describit: ex quo intelligere licet, idem esse Chermes Arabum, & coccum infectorium Græcorum. Quare, idem ne sit Chermes siue coccus infectorius, & Ilicis nostræ granum infectorium

Nomina Li. 16. ca. 6. Lib. 3. Hist. cap. 16. Li. 4. ca. 43.

Genera.

Forma.

ILEX AQVIFOLIA.

Plin. libr. 16. cap. 24.

Lib. 3. Hist. cap. 16. Ibidem. Lib. 16. c. 8.

Festus.

Lib. 16. c. 8.

In li. 1. Dio. c. de Coc. Li. 3. ca. 98.

Th. 2. ad li. 4. cap. 16.

Nomina

seplasiariis,& infectoribus notissimum,quo illi ad medicatas cordíque amicas alkermes præsertim confectiones hi in laneis vestibus inficiendis vtuntur, dubitant quidam sine ratione. Matthiolus nescire se dicit, an eius arbuscula in Italia proueniat, vniusque picturam exhibet, quæ ex Byzantio est allata : At frequentissimam hãc minimam Ilicem tum plerisque Italię locis,tum præsertim in Hetrusco,Romano, & Senensi finitimo agro , locis montosis, glareosis , sterilibus , inter varias Ilices, smilaces asperas, terebinthos, lentiscos nasci Pena affirmat, tametsi paucas, & parum nec quotannis , tamen nonnullas coccum ferentes : sed quia minus,& paucum citóque euanescentem partim ignorari , partim negligi. Porrò ex eo quòd granũ infectoriũ vulgare, rotũda, vt ait, inanisq; bacca nullam lentis speciem refert, vt scribit Dioscor. coniicit Coccum diuersorum esse generũ, nostrúmq; illud esse, quod Plinius in Attica,& Africa prouenire tradit, Scolecion ideo vocatum , quoniam ex eius medulla tenues exoriuntur vermiculi : argumento quod hoc inane intus deprehẽditur. Verùm ea coccifera quam depinxit arbor , est planè parua Ilex aquifolia. Et quod ait Dioscor. hærere Coccum fruticibus suis ὡς φακοὶ, idest,ceulentes,non ad formam grani, sed hærendi modum referendum esse annotauit Marcel. Virgil. Quantum verò ad vermiculos attinet, scire licet Cocci omnis , ni tempestiuè legatur , aut tẽpestiuè collecti,ni feruentissimo soli exponatur,aut in calentem furnum immitatur, aut vino albo irroretur vt fit ab infectoribus qui magnam eius vim emunt succum in vermiculos commutari , ita vt prorsus inanis superfit folliculus , sic euanescente eius humore,sicque in puluerem rubellum redactum seruant.Qua de causa vt scoleciõ antiqui,idest vermiculosum,ita nostri *Vermillon*,à vernibus nominauerunt. Cornarius incertos nos esse tradit de Cocci tinctorij ortu,etiã si res ipsa nota sit, in maximóque vsu ac pretio habeatur,ad tingendos pannos tum sericos omnis generis, tum alios quoque. At si Ilices aquifolias Coccum ferentes in Galliæ prouincia, Hispania , alibi , contemplatus fuisset, proculdubio vt rem ipsam atque eius vsum , ita & ortum cognouisset. Cæterũ id quòd ab amico quodam peregrinationis admodum studioso,de grano tinctorio audiuit , adscribit. Nascitur , inquit in Sarmatiæ ad Rusiam spectante Podolia appellata regione , herba similis plantagini. Ad huius radicem granum vnum adnascitur,vulgo,illic *Ischirbitz* voce ex Chermes, vt puta corrupta,appellatum, quo ad finẽ Maij,& Iunij principium per quatuor hebdomadas collecto,antequam in vermem alas postea aquirentem abeat,serici,& alij panni inficiuntur eo colore quem nostri *Schalach*, & *Chermesin*,vocant Vbi colligitur hoc granum, quinta pars talenti , quod nos centenarium dicimus , quinque aut sex aureis Rhenanis vænit. Verùm inter exsiccandum ac præparandum dum in puluillũ redigitur, tantum ipsi decedit, vt ad nos Francfordiam allatum libræ vnius põdus triginta aut quadraginta plus minus aureis valeat?Et addidit grana singula singulis radicibus adnascentia lentis magnitudinem non excedere. Quæ si vera sunt, inquit Cornarius , sicut vera esse illi affirmanti credidi , veteres illi

Lib.4.Dio. cap. 43.

COCCI INFECTORIJ Arbuscula.

Lib.24.c.4.

Ibidem.

Marcel. Virgi.

Emb.39.li. 4.Dioſc.

longe

lõge ſua opinione falſi ſunt. Imo fallitur ipſe Cornarius, vt pote q. Charmes ſiue Coccum, à Crameſino, quod appellant, adhærente radicibus pimpinellæ, aut cuiuſdã herbæ in Germania Arnogloſſo ſimilis, non diſtinguat. Veteres autẽ & ſi Coccũ à frutice ſiue arbuſcula, quam nos paruã Ilicem aquifoliã eſſe arbitramur, produci ſenſerint, non tamen alibi quoque naſci ignorauerunt. Dioſcor. enim naſci in Cilicia prodidit è Quercubus, cochleariũ exilium ſimilitudine, quod illius regionis mulieres ore legunt; & Coccum vocitant. Quẽ locũ rectè, vt mihi quidem videtur, Cornarius ipſe emendauit, vt quod in Dioſcor. exẽplaribus reperitur, γυναῖκες τῷ θμιλι ἀναλέγονσι, hoc eſt mulieres ore colligunt, legat ἐν τῷ θέρει, pro τῷ θμιλι, vt mulieres æſtate Coccũ colligere accipiamus. Id quod ante Cornariũ Marc. animaduertit, vt ante anotauim⁹. Quidã legũt, τῷ θρέμμελι, vt ſenſus ſit, legere mulieres intorquẽdo auellentes. Dioſc. hiſtoriæ cõſentanea tradit Matthi. copioſum in Bohemia Coccũ in Quercubus prouenire, eúmque quod ab incolis non agnoſcatur, quotannis deperire, atq; etiam in Polonia, vbi diligenter legitur. Quare ſi grana infectoria nunc ad radices herbæ cuiuſdam reperiuntur, non propterea veteres Cocci ſui natales, & originem, naſcendíque modum neſciuerunt. Monachi qui in Meſues Antidota commentarios ediderunt, in expoſitione Electarij ex granis tinctoriis, quod vulgo confectio Alchermes dicitur, duo præcipuè conſtituunt granorum genera, quibus tinctores vtuntur: vnum quod abſolutè granum tinctorum, Coccus baphica, à Serapione Chermes dicitur: alterum granum non abſolutè, ſed granum Chermes, quo ſolo vtuntur tinctores ad tingendum ſericum, quod à Chermes Chermeſinum nominatur. Id reperitur ad radices quarundam herbarum, ſed copioſius ad radices Pimpinellæ. Horum itaque ſententia chermes à Cocco differt, éſtque Chermes Chermeſinum, quo ſericæ veſtes hodie inficiuntur. At idem omnino eſſe Charmes Arabum, & Græcorum Coccum baphicã ex Serapione iam demonſtrauimus. Chermeſinum verò noſtrum à Chermes Arabum, ſiue Cocco Grçcorum diuerſum eſt, vel tinctorum iudicio, qui Coccum, Granam vocãt, *Graine*, Chermeſinũ verò quod ex herbæ radicibus colligitur, *Cramoiſi*. Sed Monachos atq; alios multos Chermeſini, ſiue vt nos loquimur Crameſini vox fefellit, à Chermes Arabum deducta, quod ei Crameſinum noſtrum ſimile ſit, non tamen idem, vt modò diximus. Iidem Monachi (ſic error errorem parit) in antidoto ex granis tinctoriis, atque aliis quæ ſericum tinctum admittunt, ſericum Crameſino infectum accipiendum eſſe arbitrantur, quod, inquiunt Pharmacopœi medicamenta huiuſmodi componentes, à tinctoribus poſſunt emere. Hoc falſum abſurdúmque eſſe notius eſt, quàm vt refelli oporteat. Sericum enim candidum vel fuluum, crudúmque tingendum intelligitur ſucco ex Coccis baphicis recentiſsimis preſſu excepto, à pharmacopeis, ſolo, ſinceróque, citra alumen, atque alia quæ tincturis permiſcentur: qui ſuccus liquórue, ſi grana aliquandiu ſeruentur, in vermiculos, vt diximus, mutatur, ſed tempeſtiuè exſiccatus, & præparatus, à mercatoribus, vt oſtendimus, in puluiſculum abit, quo tinctores vtuntur. Noſtræ, de Cocco baphica, opinioni ſuffragatur Bellon. qui ſcripſit Coccum baphicam colligi ex frutice Ilici Glandem ferenti ſimili, cui folia veluti Aquifolio ſunt, aculeata, eſſéque grana rotunda, parui piſi magnitudine, qua parte ſurculis adhærent, perforata. Gignitur granum infectorium. inquit Plinius, in Galatia, Africa, Piſidia, Cilicia, peſsimum in Sardinia. Coccum Gallatiæ rubens granum, aut circa Emeritam Luſitaniæ in maxima, laude eſt. Eſt præterea genus Cocci in Attica ferè, & Aſia naſcens, celerrimè in vermiculũ ſe mutans, quod ideo Scolecion vocant, improbantq;. Optimũ inquit Dioſc. Coccum gignitur in Gallatia, & Armenia, deinde Aſia, & Cilicia.

Dioſcor.

Ibidem.

Monachi.

Matth. lib. 4. Dioſc. c. de Cocco.

Lib. 1. Obſ. cap. 17.

Locus.
Libr 16 c. 8.
Lib. 9. c. 2. 41
Lib. 24. c. 4.
Lib. 4. c. 43.

Ibidem. Vltimum ex omnibus Hiſpanicum. In Creta quoq; prouenit, teſte Bellon. In via qua ab Hieroſolymis Damaſcū itur, proueniunt arbuſculæ ex quibus colligūtur grana tinctoria, quæ incolæ mercatoribus Venetis vendunt. Gramōtium nemus haud procul ab Mōpelio, hoc fruticis genere Coccū ferentis abundat. Scimus, & in Prouincia, & circa Narbonē Coccū ex eadē arbuſcula colligi, & in Hiſpania, Lib.16. c.8. penſionem alterā tributi pauperibus Hiſpaniæ donans, inquit Plin. Menſibus *Tempus.* Maio, & Iunio colligitur. Ad eum colligēdū puellæ, mulierculæq; ſuccinctæ tur Lib.4. c.43. matim eunt, mūdum, ornatumq; muliebrē inde ſibi cōparātes. Dioscor. Vis *Vires.* huic ſpiſſandi: vulneribus neruiſq; præciſis cōuenienter ex aceto tritū illinitur.

Lib.7 ſim. Galen. Granum tinctorium aſtringentem ſimúlque amaram qualitatem poſsidet. Vtraque ſine morſu deſiccat. Proinde ad ingentia vulnera congruit, præſertímque neruorū: ſed tunc ipſum quidā cū aceto terūt, alij cū oxymelite.

Lib.24.c.4. Plin. Coccum Ilicis vulneribus ex aceto recentibus imponitur. Epiphoris ex aqua, & oculis ſuffuſis inſtillatur.

In lib.4. Dioſc.c.43. Matthiolvs. Grani tinctorij puluere non infœliciter vtuntur mulieres Italicæ ad prohibendum abortum, ipſum grauidis in ouo ſorbili propinantes, Fuch. De cōp.med. pauco addito thure, vel maſtiche. Fvch. Eximiè confert hoc granum mulieribus abortientibus, cum pari thuris pondere in potu ſumptum.

Lib.1. de med.ſim. Silvivs. Roborat partes ſuis qualitatibus manifeſtis, ſiue etiā, vt quibuſdam placet, totius ſubſtantiæ familiaritate, quā dicūt habere cum corde præcipuam. Puluiſculo, de quo ſupra diximus, tinctores lanas inficiūt viuido illo colore, qui in roſis micat, imperatoriis paludamētis olim dicato, quo aſpectu nihil gratius, & in purpuras Tyrias, dibapháſq;, aut laconicas. Etenim Tyrio primùm tinctas, mox & Cocco tingere mos erat, aut contra. Nam & tertio, & quarto, & quinto ſaturabantur, vnde nomina illa veſtium, Monocoros, Dicoros, Tricoros, Tetracoros, Pētacoros in vitis Principū. Anniculo grano languidus ſuccus, vt auctor Lib.9.c.41. eſt Plin. idem à quadrimo euanidus. Ita nec creſcenti vires, neque ſeneſcenti.

CASTANEA CAP. IX.

Nomina THANC arborem ſi quis glandiferarum generis non eſſe contendat, tamen huic eſſe affinem, cum eius fructus Sardianæ glandes, & Iouis glandes appellentur, diffiteri nullo modo poteſt. Caſtanea igitur ſui nominis fructus fert, quos à Græcis κάςανα, & καςάνεια primò dictos ruiſſe ſcribit Phocion, à Caſtano Magneſiæ vrbe, vel, vt Stephanus ſcribit, Apuliæ, non procul à Tarento, vnde aduecti ſunt, vt fortè Diodorus nuces Caſtanaicas inde nominarit. Quid ſi à caſtitate, cùm Plinius ieiuniis ferè dicatas eas innuat? Dicuntur etiā σαρδιανὰι βάλανοι, id eſt Sardianæ Glādes, quod Sardibus eæ prouenēre primùm, non quod in Sardinia optimæ naſcantur. Euboidas quoque, & Euboicas à Græcis dici reperio. Verùm Ruell. & Tragus ſic dictas fuiſſe nuces regias volunt. Pręterea appellātur διὸς βάλανοι, id eſt Iouis Glandes, cùm tamen hæc appellatio nucibus tantum regiis dicata ſit à noſtris, vnde Iuglandes dictæ. Nuces vocamus, & Caſtaneas, καςάνεια κάρυα, quanquam propiores Glandiū generi. Tiberius Balani nomē impoſuit ſatiuis, cura multo excellentioribus factis, vocātur & Lopima à cortice craſsiore, qui Græcis λέπος dicitur, & Leucena, à quodam montis Idę loco, qui magnā ipſarū vim profert. Nux etiam Heracleotica dicitur Caſtanea, vt ex Oppio in libro quem fecit de ſylueſtribus arboribus, docuit Macrobius, his verbis. Heracleotica hæc nux, quā quidam Caſtaneā vocant. Euboica etiam à regione. Theoph. tamen, atque eius interpres Theodo. nucem Heracleotic ampro nuce Auellana vſurpant. Agelochus, vt ſcripſit Athenæus, ἄμυλα vocat τὰ καςάνια. In Dioſcor. lego μῦλα, quod

Lib.17.c.22. Plin. Ibid. Fuch.cap. de Caſt. Hermol. Athe.lib.2. Lib.1.c.90. Li 3.ca.66. Plin. Ibid. Dioſc. li.1. cap.122. Ga.li.2.ali. Gal.lib.de bon.& ma. ſuc. Opp.Auct. Li.3. Satur. cap.18. Lib.2.

nomen

CASTANEA.

nomen tanquam ſpurium opinor ab interpretibus omiſſum fuiſſe: neſcio an ἄμυζα reponẽdum. Arbor à noſtris, *Chaſtaignier*, fructus *Chaſtaigne* nominatur: ab Arabibus *Sadanalach*, *Caſtal*, & *Stebulor*: ab Italis *Caſtagne*: à Germanis *Caſtani*, & *Keſten*: ab Hiſpanis, *Marrones*. Matthi. genera duo cõſtituit, ſatiuũ, & ſylueſtre. Ruell. duo apud nos Caſtanearũ genera obſeruantur, inquit, quædam altiles, multo maiore corporis tuberculo, quas vulgus vocat *Marrons*: aliæ lõgè minores, & veluti ferę. Antiqui plura fecerunt, nominibus plerúmque inditis à locis vnde importabãtur. Plin. Tarẽtinæ faciles, nec operoſę ſunt cibo, planæ figura. Rotundior, quæ Balanitis vocatur, purgabilis maximè, & ſponte proſiliens. Pura & plana eſt ex iis & Salariana. Tarẽtina minùs tractabilis: laudatior Corelliana, & ex ea facta, quo dicemus in inſitis modo, Meterana, rubenti cortice, quã vulgus præfert triangulis, & populariter nigris, q̃ coctiuæ vocantur. Patria laudatiſsimis Tarentum, & in Cãpania Neapolis. Cæterę Suũ pabulo gignũtur, ſcrupuloſa corticis interioris circa nucleos quoq; ferrumination e. Caſtanea arbor ad eandem quã annoſæ Quercus magnitudinẽ, proceritatẽ, craſſitudinẽq; tẽpore accedit. Folia ſunt illi magna, ſerrata, venoſa. Sũmis potiſsimùm ramis inter folia proueniũt nuces, intus ſolidę, & vt plurimũ planæ, cordis ferè figura, triplici tegminis ambitu ſeptę, membrana primùm rubente, amara, mox lento cortice, ſiue corio, læui in atrũ rubeſcente, interius villoſo: demũ echinati calicis vallo, quod inchoatũ glãdibus, intus etiã villoſo, ferè albo: mirumq; viliſſima eſſe, quæ natura tanta occultauerit cura. Gale. λοπίμια πώγωνα appellat. Inde etiã Virgilius Caſtaneas hirſutas, quanquã Hermolaus aliter accipere videatur, cùm ſcribit. Ex Caſtaneis Græci Pogonias appellãt, quæ barbulas quaſdã habẽt, niſi quis lanatas earũ intelligat: ſunt enim aliquæ pilis hirſutæ. Trini quibuſdã partus ex vno calyce, ſed nõ abſq; pernicie. Sunt enim minores ac deteriores, vt in animaliũ plantarúmque partu, quo plures fuerint. Fructũ præcedunt nucamenta longa, lutea, Iuglandis Iulis ſimillima. Alij nucamenta hæc floris vice putant propendere. Alij florere credũt. Pullã terrã & reſolutã deſiderat, auctore Columella, vbi Ruell. puram legit. Sabulonẽ humidum, vel refractũ tofum non reſpuit: opaco & Septentrionali cliuo lætatur: ſpiſſum ſolum, & rubricoſum reformidat, vt Damogeron memoriæ prodidit: ſabuloſis & ſitiẽtibus gaudet. Diligit & frigidum cæli ſtatũ, ſed tepidũ nõ recuſat, ſi humor aſſenſerit. Delectatur cliuis, & opacis regionibus, præſertim in Septentrionẽ verſis. Montes & valles diligit. In pleriſq; Germaniæ locis copioſiſsima prouenit. In Gallia laudatiſsimæ Caſtaneæ, quæ apud Allobroges proueniunt, & in totam prouinciã ob præſtantiam dimittuntur. Apud Petrocorios tamen maior prouentus, vt ingentes ibi eius arboris, ſi alterius cuiuſquam ſyluæ cernãtur. Apud illos caſtanea quadrupedum omnis generis, & cortis auium pabulum eſt. Ineunte vere germinat, ſeriúſque, vergiliarum ſcilicet occaſu, fructificat. Caſtaneæ maturæ ſunt circa finem Septembris, ac per totam ferè hyemem durant. Aſtringit & exiccat Caſtanea, haud ſecus quàm aliæ glandes. Calida verò & ſicca eſt primo ordine.

Lib. 1. Dioſ. cap. 122.

Genera.

Lib. 15. c. 23.

Forma.

Plin. lib. 15. ca. 23.

Lib. 1. c. pa. Ecl. 17. In lib. 1. Dioſc. ca. de caſt.

Theoph. li. Hiſt. ca. 6.

Locus.

Lib. 4. c. 39

Fuch. c. 143. Curt. li. 15. cap. 12.

Tempus.

Theoph. li. 3. Hiſt. c. 6. Dodo. li. 6. cap. 55. Fu. h. ibid. Tempera.

Vires. DIOSCOR. Caſtaneæ aſtringunt & ipſæ, eoſdémque quos cæteræ glandes
Lib.1.c.122 effectus præbent, præſertim tunica quæ carnem & corticem media intercuſat. Caro his qui Ephemerum biberunt conuenit.

Lib.24. c.8. PLIN. Caſtaneæ vehementer ſiſtunt ſtomachi & ventris fluxiones, ſanguinem excreantibus proſunt, carnes alunt.

In cap.112. lib.1. Dioſ. MATTHIOLVS. Tritæ, cum ſale melléque ſubactæ, rabidorum canũ morſibus vtiliter imponuntur: cum hordeacea polenta acetóque illitæ mammarum duritias diſcutiunt. Venerem excitant, quia flatus gignunt. Largiùs in cibo ſumptæ capitis dolorem efficiunt: inflant: aluum aſtringunt, ac ægrè concoquuntur. Attamen quæ cineribus obrutæ torrentur, vulnerato priùs in latere cortice, crudis & élixis innocentiores redduntur, præſertim ſi cum pipere & ſale, vel ſaccharo edantur. Interior membrana rubens, qua albicans pulpa circumueſtitur, ex vino auſtero pota duarum drachmarum pondere, ſiſtit valenter immodicos omnes alui fluores, & ſanguinis reiectiones. Quinetiam, cum
Ruel.ibid. pari pondere ramentorun eboris, alba fœminarum profluuia cohibet, ex aqua albę Nympheę hauſta. Iis vino maceratis, & cũ farina ſubactis peſsi vice vtuntur ad ſupprimendos menſes.

Ibidem. DODO. Ex farina Caſtanearum cum melle fit electuarium vtile aduerſus tuſsim & ſanguinis ſputum.

PL. VALERIANVS. Caſtaneæ ex omnibus fortiſsimum quidem cibum corpori præſtant, ſed qui difficile concoquatur. Coctæ in carbonibus, vel in fictili ſicco aſſatæ, & cum melle ieiunis datæ, tuſsientibus proſunt. Aqua, in qua cum ſuo cortice decoquuntur, cœliacis, dyſentericis, ſanguinémque excreantibus bibenda, haud, inutiliter propinatur. Interior membrana quæ corticem fructúmque diſcernit, ad tértias decocta in aqua, & potui data mirè aluũ fluentem reprimit, adeo vt Dioſco. putet etiam cathartico dato per hanc potionem
Li.2. Alim. iri obuiam poſſe, ſi pluſquam neceſſe ſit purget. Galen. tradit Caſtaneas omniũ Glandium præſtantiſsimas eſſe, & ſolas inter fructus agreſtes alimentũ corpori
De tenui vict. memorabile prębere. Sed animaduertendum has, quamuis plurimùm nutriant, tamen in cibis frequenter comedendas non eſſe. Nam, vt alibi ſcripſit, ſiue in
De bon. & mal. ſuc. aqua coctæ, ſiue toſtæ, ſiue etiam frixæ, ſemper eſitãtibus noxã inferũt, multóq; magis, ſi crudæ edantur. Idem alio in libro, inter cibos craſsi ſucci numerat.

SYMEON SETHI. Copioſum corpori alimẽtum præbent, tardè tranſeunt, & difficulter coquuntur. Craſſum humorem, capitis dolorem, & flatus efficiũt: ventrem ſiſtunt. Si torreantur, aut ſiccentur, multum nocumenti deponunt.

PLIN. Proxima corpori membrana & in his, & in nucibus, ſaporem, ni detrahatur, infeſtat. Torrere has in cibis gratiùs. Moluntur etiam, & præſtãt ieiu-
Ibidem. nio fœminarum quandam imaginem panis. Matthiolus. Mitiores facilè purgantur, harúmque illæ principem locum tenent, quas vulgus *Marrons* appellat, quod cæteris ſint maiores, ſapidiores, ſpecioſioreſq;. In montibus aliarum frugum inopia, incolæ Caſtaneis hyeme victitant. Námque eas in cratibus primo exiccatas ab vtroque cortice repurgãt, moluntq; in farinã, ex qua panẽ cõficiũt.

Li.2. Deipnoſ. MNESITHEVS auctore Athen. Caſtaneas coctu difficiles eſſe tradit, & flatus parere. Si tamen à ventriculo victæ coquantur, veſcentes exhilarãt ſagina, &
Athen. ibi. ſtrigoſis craſſos reddunt. Diphilus verò, & multũ nutrire ait, & boni ſucci eſſe, ſed difficile concoqui, quod in ventriculo morentur: toſtas minùs quidem nutrire, ſed facilè confici, elixas flatuum minus excitare, ſed magis nutrire. Maio-
Ruel.ibid. res Caſtaneæ, quas à Galli *Marrons* vocari diximus, lautiores diuitũ mẽſas claudunt: minores pauperũ ſaturant ieiunia: illas cineribus obrutas torrent igni, has in aqua excoquunt ad ſatiandam plebis auiditatem, vnde populares &

coctiuæ

coctiuæ à Plinio dictæ, vt ſupra meminimus. Priuſquam cineribus credantur, ferro vulnerari debent, vt plagæ hiatu ſpiritus igne citatus euadat, alioqui flagrantes flamma magno cum crepitu proſiliunt, aſsidentium periculo. Flatus itaque his anguſtiis eliſus à noxa vindicabit, impetu in ſibilum abeunte. Integrarum probatio eſt, vt in frigidam mittantur. Siquidem quæ ſanæ ſunt merguntur, ſupernatat quæcunque vexata eſt. Seruantur vel in cratibus diſpoſitæ, vel intra ſabulonem, ne inuicem tangantur immerſæ, vel in vaſculis fictilibus nouis conditæ, & loco ſicciore defoſſæ: vel incluſæ virgeis ex Fago receptaculis, & lutatæ, vt ſpiracula non relinquas: vel hordei paleis immundiſsimis obrutæ: vel paluſtri vlua figuratis denſioribus ſportis recluſæ. Sunt qui filo tranſfixas cumulatim, & igni detoſtas aſſeruant. Indi, auctore Plinio, oleum ex Caſtaneis, non vinum, vt ſcripſit Curtius, conficiebant. Materies arboris ædificiis atque aliis domeſticis vtenſilibus admodum apta eſt: ſiquidem ex ea non modò fiunt trabes, tigna, aſſeres, & pedamenta, ſed & cadi, & eorum cinctus. Verum igniariis inepta. Nouum Caſtaneæ genus exhibet Matthiolus, cuius neque veterum, neque recentiorum quiſquam meminit. Huic Caſtaneæ Equinæ nomen. Arbor eſt ſpectatæ proceritatis, folio Pentaphylli, ſed longe humana manu, imò etiam ricini folio grandiore, ex longo tenuíque pediculo propendente. Echinos fert in cacumine, magnitudine noſtratibus æquales, rufo colore, verùm duriore ac craſsiore putamine, aculeis raris, ſed robuſtis firmíſque, flaueſcentibus. Singuli ſingulos includunt partus, Caſtaneis noſtratibus ferè ſimiles, craſsiores tamen, rotundioréſque ſaporis optimi: cortice nigricante, præter quam anteriore parte, qua interno Echini putamini hæret, ea enim albicat, macula cordis effigiem præſeferēte, quemadmodum in repentis veſicariæ ſemine videmus. Torus is cortex robuſtus eſt, ſimplex, nulla illi ſubiecta tunicula, quali Caſtaneæ noſtræ conteguntur. Hoc genus in Oriente naſcitur. Hæ Caſtaneæ anheloſis & tuſsientibus equis valdè proſunt deuoratæ. Quam ob cauſam Conſtantinopolitani Equinas Caſtaneas nominant. Humilem Caſtaneam, nemini antea notam non longè à Pilatino monte contemplatus Ioannes du Choul ſic depinxit. Matura, nucis auellanæ eſt magnitudine, Echinato calyculo, corio, membranáque tegitur. Sola nunquam ſuo calyculo includitur. Multæ ſimul racematim cohærent. Guſtu eſt inſuaui.

Lib. 15. c. 7. Lib. 25. c. 13.

CASTANEA
Equina.

In li. 1. Dioſcor. ca. 112.

Nomen.

Forma.

CASTANEA
Humilis.

Locus.

Li. de Qu. Hiſtor.

FAGVS CAP. X.

ET si Fagus hæc noſtra propriè glandiferarum generis non ſit, tamen cum Caſtaneæ modo nucleos Echinis contectos habeat, ſæpiúſque in ſyluis inter glandiferas arbores reperiatur, haud fuerit abſurdum glandiferis eam ſubiungere. Quæ igitur ὀξύη à Theoph. dicitur, a Latinis Fagus, à Gaza Sciſsima, quod ſit in laminas ſectilis, ab Arabibus *Chinaos*, aut *Chiachas*, à Gallis *Fau*, *Fouteau*, & *Heſtre*, ab Italis *Faggio*, à Germanis *Buchbaum*, aut *Buche*, ab Hiſpanis *Haia*. Fructus vocantur nuces, & nuclei, Latinè Fagi, Gallicè *Faine*. Fagus altera montana, candida materia, altera cam-

Nomina Lib. 3 Hiſt. cap. 10.

Genera Theophr. ibid.

FAGVS PICTA
à Matthiollo.

FAGVS PICTA
à Dodaneo.

Forma. peſtris, nigra. Arbor eſt abieti proceritate, craſsitudineq; ferè æqualis, caudice recto, læui, enodi, in orbē comoſo. Flores producit, qui nihil aliud ſunt quā iuli quidam lutei, caduci, betulæ iulis minores, cætera ſimiles: folia craſſa, lęuia, latiuſcula, ſubrotunda, Populo ſimilia, minora, initio viridia, mox ſaturatæ viriditatis, celerrimè flaueſcentia, media ſuperioréque parte plerúmque gignentia paruulam baccam, cacumine aculeatam, primùm viridem, deinde rubentem, concauam, in qua vermiculi. Radices hæc Arbor nec multas, nec altas agit. Fructus nuclei ſunt trianguli, læui cute, Caſtanearum modo in atrum, rubeſcente, echino incluſi, non ſpinoſo, ſed leni, blandóque, nec vt in Caſtanea pungēte, cui nihilominus fructus ſimilis eſt, & dulcedine, & ſucco. Lignum eius coloratum, robuſtum, neruoſum. Neminem eſſe arbitror qui non hic ſibi ante oculos poſitam eſſe videat Latinorum Fagum, quam à Græcorum Phago prorſus diuerſam eſſe ex iis quos legi, qui hactenus de re herbaria commentati ſunt, præter Valerium Cordum, & Iacobum Dalechampium, nullus apertè declarauit. Id tantùm ſub odoratus fuiſſe vidētur Hermolaus, ſic ſcribēs. Duo genera ſiue nomina ſunt Phagi, alterius glandē ferētis, materię ſcabra, quam Græci φηγὸν appellant, vt fructum quoque Hippocrates, alterius quā Græci oxýan,

In li. 1. Dioſcor. c. 145.

In c. 146. li. 1. Dioſcor.

Lydi

Lydi Myſon, in Olympo eorũ monte copioſam. Vnde Myſi populi, vt Strabo inquit, & Euſtathius. Noſtri Sciſsimam appellant, &c. Quæ omnia indiſtinctè capite de Fago tranſcripſit Ruell. Fagum Matthiolus legit in Dioſc. glandiferis arboribus adnumerari, tametſi fructus effigiem glãdibus prorſus reclamare videat. Bellonius ſcribit arborem quam vocamus *Fouteau* frequentiſsimam eſſe in monte, cui nomen Athos, & ab omnibus vocari Oxiam. Et alibi. Magna pars arborum ſylueſtrium quæ in his montibus reperiuntur, ſunt *Haiſtres*, quas Græci vocant Oſtrias, & *Foteaus*, quas vocant Oxyas. Quantum verò Fagus hęc à Theoph. phago differat, oſtẽdimus, cum τὴν φηγὸν Quercus ſpeciem deſcriberemus. Fagus eſt in mõtibus copioſa, in Galliæ, Germaniæ, Carinthiæ, Stiriæ, Carniolæ ſyluis frequens. Plinius. Fagus amat plana, loca item aprica, ac humida. Flores foliáque profert fine Aprilis, aut Maio menſe. Nuces Septembri maturantur cum Caſtanea. Folia Fagi refrigerant. Nuclei nonnihil humidi calidíque ſunt. Folia recentia tuſa & impoſita calidis tumoribus proſunt, eóſque diſcutiunt. Admouentur etiam puſtulis, atque vlceribus. Manducantur in gingiuarum labiorúmque vitiis. Tuſa illataque, torpentia membra corroborant. Calculis glandis fagineæ cinis illinitur: item cum melle, alopeciis. Nucleorum ſapor dulcis & ſubaſtringens, inquit Matth. Glires hoc pabulo maximè delectantur, ac pingueſcunt. Quamobrem cùm maturuit, innumeri capiũtur glires in Carniolæ, Stiriæ, & Carinthiæ ſyluis. Incolas mane inſpicias ſaccos gliribus vna nocte captis plenos reportantes. Delectantur Fagi fructu etiam mures, cuius rei gratia è longin, quo natura ducti, gregatim ſyluas ingrediuntur. Item & ſciuris gratiſsimus eſt cibus, ac etiam turdis, merulis, aliiſque auibus. Quin & obſeſſos ab hoſtibus in oppido Chio, ea tantum glande victitaſſe Cornel. Alexander eſt auctor, donec ſe obſidione liberaſſent. Nucleorum Fagi, inquit Dodon. nullus vſus eſt: dulces tamẽ ſunt, & edules, ad ea omnia ferè vtiles, ad quæ nuclei Pinei. A qua quæ in cauis Fagis reperitur, hominum, equorum, boum, ouiúmque ſcabiem, & impetigines, ſi ea lauentur, ſanat, id quod ſe in pecoribus & hominibus expertum fuiſſe ſcribit Tragus. Cortex Fagi, auctore Plinio, in magno vſu agreſtium. Vaſa, corbéſque, ac patentiora quædam meſsibus conuehendis, vindemiiſque, faciunt, atque prætexta tuguriorũ. Nec non in quodã vſu ſacrorũ religioſus eſt Fagi cortex. Facilis & in opere Fagus, quanquã fragilis & tenera. Eadẽ ſectilibus laminis in tenuia flexilis, capſisq; ac ſcriniis ſola vtilis. Apud antiquos & vaſis honos. Manius Curius iurauit ſe ex prẽda nihil attigiſſe, præter guttum Fagineum quo ſacrificaret. Vipera teſte Ruellio, Faginei ramuli ictu, vel oblatu cohibetur.

Lib. 1. c. 78. In cap. 111. lib. 1. Lib. 1. Obſ. cap. 42. Ibid. cap. Cap. 1. *Locus.* Lib. 6. c. 18. *Tempus.* *Temper.* Dod. lib. 6. cap. 76. *Vires.* Trag. lib. 3. cap. 73. Dod. ibid. Plin. li. 24. cap 5. In li. 1. Dioſcor. ca. 111. Ibidem. Ibidem. Lib. 16. c. 8. Plin. lib. 16. cap. 43. Lib. 2. c. 88. Plutar. li. 4. Symp.

CEDRVS CAP. XI.

VANQVAM Matthiolus ingenioſè de reſiniferis arboribus tractarit, copioſè etiam Bellon. libro huic rei dicato, ea res tamen deterrere me non debet, ne quæ de iis longa obſeruatione, & Græcorum Latinorumq; auctorum ſcriptis comperta mihi ſunt, hic perſcribam. Primùm earum differentias explicabo. Deinde ſingularum Hiſtoriam naturámque perſequar. Reſiniferæ omnes, & iis folio ſimiles arbores, aut bacciferæ ſunt, ſiue aciniferæ, aut coniferæ. Bacciferæ, Oxycedrus, Thiya Maſsiliẽſis, ſeu Cedrus Lycia Bellon, Cedr⁹ Lycia Matthioli, Lẽtiſcus, Terebinthus, Taxus, Sabina Cupreſſo ſimilis, Sabina Tamarici ſimilis. Coniferæ ſunt Cedrus Phœnicia, Pinus, Pinaſter, Teda. Picea, Abies, Larix, Cupreſſus, Thiya, altera, ſiue Arbor vitę Bellonij. A Cedrorũ hiſtoria exordiar, recentioribus non ſatis

In li. 1. Dioſc. o. de arb. comf. & reſin.

CEDRVS PHOE-
nicia noſtra.

CEDRVS PHOE-
nicia Matthioli.

ſatis rectè, vt ego quidem ſentio explicata, quos Plinius perperam intellecta, ob rerum ignorationem Theophraſti oratione, in errorem induxiſſe videtur.

Genera. Nomina Ac primùm Cedrum in ſua genera partiar, quibuſcum ſingulorũ nomina declarabuntur. Eius duo genera. Phœnicia & Lycia. Phœnicia (ſic quam φοινικὴν Theophr. dixit, Plinius interpretatus eſt, Gaza ineptè Punicam) à Phœnice quæ Syriæ pars eſt, dicitur, à qua Syria, etiam Syriaca, quod illic naſcatur, & ea, qui Phœnicen & Syriam incolunt, ad nauium fabricam vtantur Pini vice. Cedrelate quoque nuncupatur, quia proceritate τὴν ἐλάτην, id eſt abietem æquat. Dendrolibanus in Geoponicis. Arabes *Serbin*, Galliæ *Cedre*, Italicè *Cedro*, Hiſpan. *Cedro*, Græci κέδρος. Cedrus Lycia eſt, quam Oxycedrũ etiam appellant, Theoph. κεδρίδα, Gaza Cedrulam. Quodam tamẽ loco κεδρίας pro κεδρίδος mendoſè legitur, quod Gaza cùm non animaduertiſſet, Cedrias conuertit. Cedrides multitudinis numero ſunt Dioſcoridi, & Galeno, Oxycèdri baccæ. Cùm igitur hæc duo ſint Cedri genera, Dioſcorides, vt in ſincerioribus & incorruptioribus libris reperitur, κέδρος, inquit, δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία σμυάγε) ἡ δὲ λεγομένη κεδρὶς, vel vt alij, ὀξύκεδρος, vel κέδρος μικρὰ, φύλλα καὶ κάρπον ἔχει ὥσπερ ἄρκευθος, μύρτου μέγεθος, πεπλιφερῆ. Vel, vt ex Codice Catacuz. Conſtantinop. legit Matthiolus: Κέδρος δένδρον ἐστὶ μέγα, ἐξ οὗ ἡ λεγομένη κεδρία σμυάγε). κάρπον ὃν ἔχει ὥσπερ, κυπάρισσου, μακρότερον μὴν ὅσον τὸ πολύ. λέγε) δὲ καὶ ἄλλη κέδρος μικρὰ, ἀκανθώδης ὥσπερ ἄρκευθος, φέρουσα κάρπον μέγεθος μύρτου, πεπλιφερῆ. Rectè etiam Galen. Cedrum duplicẽ eſſe prodidit. Vnam fruticoſam ſimilem Iunipero, alteram arborem magnam. Vtríque Cedro folium Iunipero ſimile eſt, ſed durius, acutius, ſpinoſius Oxycedro. Præterea vtraque ὑψηλοτέρα ἐστὶν ἢ ἄρκευθος, ſic enim in Theophr. legendum, id eſt procerior eſt quàm Iuniperus. Sed præſtat ipſas ſigillatim delineare.

Lib. 3. Hiſt. cap. 12
Lib. 13. ca. 5. Theoph. li. 5 Hiſt. ca. 9.
Ibidem. Cap. 8.
Lib. 11. c. 17.
Lib. 1. Hiſt. c. 15. & li. 6. Cauſ. c. 21.
Lib. 1. Hiſt. cap. 16.
Li. 1. Dioſc. cap. 89.
Lib. 7. ſim.
Lib. 3. Hiſt. cap. 12.

Forma Cedri Phœn. Cedrus Phœnicia, ſiue Syria, radicibus multis & craſsis nititur, non altè deſcendentibus (quod rationi conſentaneum eſt in ſaxoſis & aſperis huius arboris natalibus) ſed per ſummam terram vagantibus, caudice recto, maximè procero,

procero, alias quaſuis arbores ſupereminẽte, ab imo ſurſum verſus gracileſcente arbore, vt eminus conſpicientibus metæ modo turbinata appareat, quoniam rami inferiore trunci parte latè circumfuſi, & in orbem procul ab arbore expatiantes, quo propiùs ad faſtigium acceditur, eo minores breuioréſque ſunt. Cortice eſt glabro, & quaſi arte polito, præſertim ſuperne (nam in annoſis & vetuſtis rimoſus eſt, & ſcaber in ima caudicis parte, ad primum vſque ramorum ordinem) tenui, cinereo, cum vnguibus ſcalpitur, virente, cum profundiùs vulneratur, rubro. Rami non quidem proni, ſed ſubrecta diuiſura ad cælum tendentes, pœnè ſtatim ab radice, veluti brachia tranſuerſim lateribus inhærent, arborem ad ſcandendum facilem præbentes, vt ſi quis in primos ſubſilierit, ad verticem vſque facilè poſsit euadere. Ij licet vndique ſtipitem ambiant, ſinuoſo tamen quodam flexu truncum aſpici permittunt, & ſurſum maiores repandi oneri quidem pertinaciùs renituntur, at ſi quis plicet, valido crepitu fragiles vno ictu diſsiliunt. Minores autem pectinatim filicis modo in maioribus digeruntur. Folia huic ſunt Laricis, nunquam decidentia, breuia, anguſta, crebra, ſummo mucrone rigidiuſcula, non tamen aculeata, ex quouis ſurculorum tuberculo ſimul numeroſa, vt interdum quadragena, vel quinquagena ex vno nodo prorumpant, ita per ſurculum diſpoſita, vt tandem extremum ſurculi verticem coronantia pictorum penicillum referant, odorata, ſubacida, & cum amaroris pauxillulo adſtringentia. Conos fert hæc Cedrus recta cælum ſpectantes, quod huic & Abieti peculiare eſt, Pineis graciliores, Abiegnis craſsiores, maiores, duriores, quinũm vel ſenũ digitorum longitudine, ſubfuluos, obtuſos, compactili ſquamarum ſtrue coagmentatos, ramis ſic hærentes, vt non niſi abſtracto ſecum rami fruſtulo reuellantur. Plin. lib. 16. cap. 21.

Porrò hi dum hiantes recluduntur, ſubeunte rore ac pluuia madeſcunt, & finduntur, túmque relicto ac nudato pediculo firmo, qui per medium coni traducitur, circumſtantes ſquamæ defluunt, ſed hoc non niſi poſt biennium: anno enim vt matureſcant opus eſt. Hunc pediculum malè Bellon. ſcribit vocari haſtulam à Plinio, cùm illic aſſula legatur, non haſtula, & Cedri nulla fiat mentio, ſed Piceæ. Verba Plinij hæc ſunt. Aperitur Picea à parte ſolari, non plaga, ſed vulnere ablati corticis, cum plurimùm bipedali hiatu, vt à terra cubito cum minimùm abſit. Nec corpori ipſi parcitur, vt in cæteris, quoniam aſſula in fructu eſt. Semen fert Abieti ſimile, vinaceo magnitudine par, guſtu dulce, quale Pini eſt, oleoſo quodam ſucco præſtantiſsimi odoris circumfuſum. Ex hac Cedro Phœnicia duplex reſina, ſiue Cedria colligitur, vna liquida Abieris reſinæ ſimilis, quæ manat ex tuberculis in caudicis adhuc tenello, nec dũ rugoſo cortice multis, quæ adacto cornu, vt in Abiete fit, ruſtici pertundunt. Alteram dureſcentem, ac in arbore ipſa coëuntem Cedri ſponte ſua ſudant. Manſa dentibus tam pertinaciter adhæret, vt vix auellatur. Naribus admota odore ſuaui delectat, & tanquam fraga redolet, quod Dioſcoridi planè aduerſatur, à quo βαρεῖα τῇ ὀσμῇ, id eſt grauis odoris Cedria eſſe dicitur. Sed locum hunc ex vetuſtiſsimo Codice manuſcripto Matthiolus emendauit, in quo legitur, ὄτονος τῇ ὀσμῇ, id eſt vehementis odoris, ſeu vehementer odorata, cui adſtipulatur Verg. Lib. 1. de Conif. Lib. 16. c. 12. Lib. 1. c. 89. Lib. 7. Aen.

Vrit odoratam nocturna in lumina Cedrum.

Id ante Matthiol. Marcellus animaduertit, validi odoris eſſe Cedriam interpretatus. Dicitur Cedria Gale. κεδρία, Arabibus *Kitran*, & *Alkitran*, de qua Belonij opinio à Matthiolo reprehenditur, & merito quidem. Etenim Cedriam ex qualibet reſiniferarum materia, modò pinguis ſit, promiſcuè fieri tradidit: nempe, ex Larice, ſi materia pinguis ſit, Cedriam manare, ex Cupreſſo, Betula, Iunipero, eaſdémque vires, quas veteres veræ Cedriæ, defuncta, ſcilicet Ibidem. Lib. 7. ſim.

corpora conſeruandi,& viuentia corrumpendi, iis tribuere videtur, & in eam opinionem Plinij verbis adductus,ſcribentis Picem in Syria Cedrium vocari. Lib.16. c.11. Locus eſt eiuſmodi. Pix liquida in Europa è teda coquitur naualibus muniẽdis,multóſque alios ad vſus.Lignum eius conciſum furnis vndique igni extra circundato feruet. Primus ſudor aquæ modo fluit canali. Hoc in Syria Cedrium vocatur , cui tanta vis eſt, vt in Ægypto corpora hominum defunctorum eo perfuſa ſeruentur. Ex quibus id ſolum intelligi poteſt Syros liquorem illum qui primus ex Cedri aſſulis fluxerit,Cedrium vocaſſe , quia ex Cedro tantum picem coquebant , vt in Europa ex teda. Cedri itaque auctore In li.1.Dioſcor. ca.de Ced. Hermolao , modò Cedri magnæ Pix, modò Cedri reſina vocatur , quæ nihil eſt , ſi propriè loquendũ ſit,quàm cruda Cedri lacryma: Cedrium verò ſuccus Cedri eſt, è teda eius conciſa & accẽſa in furnis,qui primus aquæ modo fluxerit in canali. Nam ſequens Pix iam eſt,non Cedrium. Sed confundũt auctores, nunc pro reſina , nunc pro ſudore tedarum , nunc pro Pice Cedriam & Cedrium vſurpantes , interim pro oleo Cedrino , quod Cedrelæon ex malis Lib.15.ca.7. Cedri, vt ait Plinius , appellant.Omnibus enim iis quanquam diuerſis,eadem *Locus.* natura ineſt. Cedrus Phœnicia gignitur in editis , niuoſis , & gelidis montibus , Amano, Tauro, Libano, vnde ramos ex quibus vnum hìc appictum videtis, adferendos curaui , amici cuiuſdam oneraria naue ex Tripoli reuertente, non in quauis montium parte , ſed riguis & humidis , niuéque ferè ſemper obrutis eorum crepidinibus , & præcipitiis , in opacis conuallibus,propè tor- Lib.5.ca.9. rentium margines.Theoph.In Syriæ montibus Cedri admiranda longitudine ſpectantur, tantáque craſſitudine , vt ſint quæ trium hominum vlnas com- Li.16.c.40. plectentium impleant. Plin.In Ægypto & Syria reges inopia Abietis Cedro ad claſſes feruntur vſi. Maxima ea in Cypro traditur , ad vndeciremem Demetrij ſucciſa. 130. pedum , craſſitudinis verò ad trium hominum complexum.

Forma Oxycedri.

OXYCEDRVS.

Lib.3.Hiſt. cap.12. Lib.14.ca.5. Ibidem.

Oxycedrus, ſiue Cedrus Lycia, Cedro Phœnicia minor,Iunipero maior , radices laxas & raras per ſummam tellurem diſpergit, cortice Cupreſſum emulatur, vt ait Theophraſt.non ſemine, vt malè Plin.Iuniperi modo , eodem Theophraſt. auctore , nodoſam , diſtortam , in alas multas diuiſam materiam habet , & in ea cor rubrum. A Iunipero tamen differt, quod Iuniperi materies parua ſit ,inodora , minimè denſa , cùm exciſa fuerit ſtatim putreſcens, Oxycedri verò tam ſpiſſa , vt maxima ex parte corde conſtet , putredini non obnoxia, odore grato. Sic enim locus is , Theophraſti ex integrioribus libris eſt emendandus: ὀξύδρυς δὲ ἀμφω (Iuniperus,ſcilicet , & Oxycedrus) καὶ πολυμέραλα, καὶ ἐπεστραμμένα ἔχοντα τὰ ξύλα. μᾶλλον δὲ ἡ ἀρχάθος ἢ ἔχει ἔχει μήτραν , καὶ πυκνὴν , καὶ ὅταν κοπῇ ταχὺ σηπομένην. ἡ δὲ κέδρος δ' πλεῖστον ἐγκάρδιον καὶ ἀξιπερ,&c.Folia huic ſunt Iunipero ſimilia,ſed duriora, acutiora,ſpinoſiora. Baccas fert Iuniperinis ſimiles, initio viri- Ibidem.

des,

des, deinde flauas, poſtremo rufeſcentes. Theoph. κάρπος δὲ ὁ μικρὸν τῆς κέδρου ξανθὸς, μύρτου μέγεθος ἔχων, ὀδώδης, ἡδὺς ἐσθίεσθαι id eſt, Oxycedri fructus flauus eſt, myrti magnitudine, odoratus, eſu ſuauis, non vt Gaza conuertit, odoratus pulcher, guſtatúque ſuauis. Is eſt in arbore ſua perpetuus, vt antecedentem nouus occupet, vel vt narrant Arcades tres ſimul fructus habet. Vnum proximè exacti anni, nondum maturum, alterum hunc annum proximè exactum antecedentis, iam maturum & edulem, tertium nouum, iam prodeuntem. Hos fructus ſiue baccas κεδρίδας etiam à Dioſco. & Galeno dici quid prohibet? Nam maioris Cedri fructus ſunt coni, quibus quæ περὶ τῶν κεδρίδων ſcripſerunt auctores illi competere vix poſſunt, neque in iis incluſo ſemini, quod σπέρμα, opinor, vt & Plinius ſemen, vel πυρῆνα appellaſſent, non fructũ, neque baccas. Plin. de vinis factitiis loquẽs. E fruticũ verò genere inquit, Cedri vtriuſque, Cupreſsi, Lauri, Iuniperi, Terebinthi, Lentiſci, Baccas aut lignũ muſto decoquunt. Quo in loco animaduertendum Plinium oſcitanter vinum ex vtraque Cedro dixiſſe pro Gedrino, & Cedrite, quorum alterum fit ex Oxycedri baccis, alterum è Cedria. Eodem ex loco Dioſcorid. ſcriptura de iiſdem vinis factitiis ſic emendanda. γίνε) δὲ καὶ ὁκ τῦ καρπῦ τῶν μεδόνων κέδρων ὄινος. Quem ille κάρπον, Plinius Baccas appellauit, cui conſentiunt quæ mox in Dioſc. ſequuntur. γίνε) δὲ & ὁκ τῦ τῶν ἀρκεθίδων καρπῦ ὁμοίως τῷ κεδρίτη. Fit etiã vinum è Baccis Iuniperi, non aliter quàm Cedrites. Quod verò Dioſcor. ſcribit, κεδρίδες ᾗ καλοῦνται οἱ ἐξ αὐτῆς καρποὶ, in pleriſque exemplaribus Aſteriſco notatur, qui falſi locum ſuſpectũ eſſe ſignificat, vt omnino legẽdum putem, κεδρίδες ᾗ καλοῦνται τῆς ὀξυκέδρυ καρποὶ. Quod ſi quis vulgatam lectionem mutare nolit, Cedrum hîc minorem intelligemus, & eius Baccas Cedridas, quemadmodum in Galeno, cùm ſcribit Cedridas fructus eſſe Cedri, ſicut alio in loco perſpicuè vſurpat, cùm ait, Cedridas nominant Cedri fructum, qui colore & figura fructui Iuniperi eſt ſimilis. (Subflauus enim eſt ac rotundus,) diſſidet autem ab eo acrimonia. Nec multùm abeſt, quin fructus hic ex genere ſit medicamentorum, quæ nullum præbent corpori alimentum, niſi quis aqua ipſum macerarit. Quinetiam vt fructu Iuniperi durior eſt ac ſiccior, ita profecto exilior, vt nihil ille habeat aromaticum. Perſpicuũ autem eſt, quod & ſtomachum valde mordet, & capiti dolorem infert, niſi quis ipſum parciſsimè ſumpſerit. Hæc Galen. quæ de Baccis Cedri minoris, ſiue Oxycedri, non de conis Cedri maioris intelligenda quis non videt? Gaudet Oxycedrus ſaxoſo & frigido ſolo. Fundi tautẽ gummi durum, pellucidũ, maſtiches tam ſimile, vt hac ferè ſola nota internoſcatur, quod maſtiche manſa in ore coit, ac ſpiſſeſcit, Oxycedri verò gummi, in tenuiſsimum puluerem friatur, nec cogitur. Id gummi, vt & Iuniperi, vulgus Vernicẽ appellat. Præterea ex Oxycedri lignis aſſulatim conciſis, toto Maſsilienſi tractu paſtores & ruſtici picis liquidæ genus, de quo idoneo loco dicetur, nigrum videlicet ac fœtidum liquorem oleoſum eliciunt, quem ſua lingua corrupto Cedri vocabulo *Huille de Cade* nominant, ad ſcabiem canum & pecorum, ac cimices necandos præſtantiſsimum, ſed odoris planè abominandi. Matthiolus tria Cedri genera depinxit, ac declarauit, Cedrũ maiorem mõtis Libani, ſiue Cedrelatẽ, quam ille breuius, nos fuſiùs deſcripſimus, iiſque addidit quæ de ipſa in Plinio & Theophr. ſcripta paſsim reperiuntur: Cedri minoris genera duo: Phœniciam folio Iuniperi, ſed duro, acuto, ſpinoſo, quæ & Oxycedrus appellatur. Lyciam cui folium eſt minus, denſius, multo minus aculeatum, quæ paruam Iuniperum quodammodo refert, corticéque obducta eſt rubro, & ramos emittit lentos, vitilium modo. Vtraque, inquit, omni tempore fructum fert, ſed Oxycedrus maiorem, ac pulchriorem. Frequentiſsima, inquit, naſcitur in Iſtria, & in quibuſdam Iapidiæ locis,

Ibidem.

Lib. 13. ca. 5.

Li. 14. ca. 16.

Lib. 5. c. 45.

Lib. 1. c. 89.

Li. 2. Alim.

Locus.

Ibidem.

Genera.

Iunipero admodum ſimilis, nec niſi fructu diſtans, maiore, rubente, dulci. Lycia in quibuſdam Morauiæ montibus, cuius folia ſi digitis terantur, odorem ſuauiſsimum ſpirant, illi ferè ſimilem qui in Pinorum Strobilis percipitur. Baccæ multo quàm Phœniciæ minores ex ramuſculorum ſummitatibus prodeuntes, primò virides, deinde flaueſcentes, poſtremò cùm maturæ fuerint, rubentes. Odoratæ ſunt, & guſtui ſubamaræ. Harum primam Cedrum Phœniciam, ſecundam Cedrum Lyciam ſiue Oxycedrum eſſe ex Theophraſto ſatis mihi videor demonſtraſſe: tertiam raram ſanè & egregiam plantam in Morauiæ montibus naſcentem, quidam Thyiam Maſsilienſium eſſe putant, negligentius depictam, de qua poſthac tractabitur: alij Thyiæ genus à Maſsilienſi diuerſum. Similiter Cedrus Phœnicia Bellonij vera Oxycedrus eſt, ſiue Lycia Cedrus: eiuſdem Lycia Cedrus Thyæ genus eſt Baccis rubris inſignis. Hos inſecutus Dodon. aliam eſſe Cedrum maiorem ſcribit, aliam minorem. Maiorem Cedrelaten & Cedrum Coniferam vocari: minoris duo eſſe genera, vnum, quod folio eſt aculeato, veluti Iuniperus, alterum, quod folio eſt minimè aculeato. Hoc Cedrum Lyciam vocat, quam Thyæ genus eſſe iam dixi: illud Oxycedrum, ſiue Cedrum Phœniciam, quam ego Cedrum Lyciam veram, ſiue Oxycedrum eſſe oſtendi. Lonicerus Cedri magnæ, paruæq; ſeu Oxycedri figuras, vires, vſumque commiſcet, ac confundit. His tenebras offudit Plinius, qui velut aliud agens, imo oſcitans admodum, Cedri differentias ex Theophr. exſcripſit. Iuniperi ſimilem habent Phœnices, & Cedrum minorem. Duo eius genera Lycia & Phœnicia. Differunt folio. Nam quæ durum, acutum, ſpinoſum habet, Oxycedrus vocatur, ràmoſa, & nodis infeſta. Altera odore præſtat. Fructum ferunt myrti magnitudine, dulcem ſapore. Item: Maioris Cedri duo genera. Quæ floret fructum non fert: frugifera non floret, & in ea antecedentem fructum occupat nouus. Semen eius Cupreſſo ſimile. Quidam Cedrelaten vocant. Et mox. Cedro ſimilis eſt in Arcadia arbor: in Phrygia Frutex vocatur. Hæc Plinius, qui primùm contra Theophraſti ſententiam ſcripſit, minoris Cedri duo eſſe genera, maioriſq; totidem, & Phœnicibus Cedrum minorem eſſe Iuniperi ſimilem. Nam cùm ille duo duntaxat quorundam ſententia Cedri genera conſtituiſſet, τοῖς ἐν τῇ ἴδῃ, id eſt Idæ incolis, non Phœnicibus vnicum genus eſſe ait Iunipero ſimile, quæ Oxycedrus nominatur: quarum Iuniperi, ſcilicet & Oxycedri ſimilitudinem, diſsimilitudinémque, deinde fuſius perſequitur, Has quam negligenter Plinius confuderit, expendamus. Ramoſa, inquit, Oxycedrus, & nodis infeſta. Theophr. ὀζῶδη δ' ἀμφω, καὶ πολυμάχαλα, καὶ ἐπεστραμμένα ἔχοντα τὰ ξύλα: id eſt, nodoſam Iuniperus & Cedrus, in multáſque alas diuiſam, & contortam materiam habent. Altera odore præſtat. Quaſi verò altera inodorata ſit. Duas enim Cedros minores hîc à Plinio comparari declarant præcedētia. Duo eius genera, &c. At quæ ſequuntur, fructum ferunt, &c. Theophr. καὶ ἡ μὲν τῆς κέδρου, ὕλη, ſubaudi, ὀζώδης, ἡ δὲ τῆς ἑτέρας οὔ. id eſt, Cedri materia odorata, Iuniperi verò minimè. Et, maioris Cedri duo genera. Quæ floret fructum non fert: Fructifera non floret. Vnicum maioris Cedri genus eſſe iam oſtendimus, quæ in monte Libano prouenit, florétque vt Picea: baccas autem non producit, ſed Conos. Oxycedrus autem ſiue Cedrus Lycia, ſiue Cedrus minor non floret, ſicuti nec Iuniperus auctore Theophr. ſed baccas fert. Quare ſunt qui hunc Plin. locum ſic legant. Quæ floret baccas non fert, baccifera non floret, id quod verum eſt. Semen eius, ait Plin. Cupreſſo ſimile. Theophr. τὸν δὲ φλοιὸν ὅμοιον εἶναι λοχεῖν κυπαρίττῳ, τραχύτερον δέ. id eſt, corticem Cypariſſo ſimilem videri, ſed ſcabriore.

Li. 1. de Coni.

Lib. 6. c. 83.

To. 2. de pl. cap. 3.

Lib. 13. ca. 5.

Ibidem.

Sequi

Sequitur in Plinio, Cedro similis est in Arcadia arbor, in Phrygia frutex vocatur, perperam: sic enim Theophrast. ὁι δὲ μονοφδὴ, καθάπερ ὁι ἐν τῇ ἰδα: alij vnicum genus esse dicunt, vt Idæ montis incolæ. De Cedrorum & Cedridum viribus hæc Dioscorides. Cedriæ vis inest, vt defuncta corpora conseruet, & viuentia corrumpat, qua ex causa mortuorum vitam aliqui appellauêre. Vestimenta quoque & pelles eximia calefaciendi & siccandi dote corrumpit, magni ad ocularia medicamenta vsus. Quippe illita oculis claritatem affert, albugines & cicatrices detergit, instillata autem cum aceto vermes aurium necat: cum Hyssopi decocto infusa sonitus, sibilósque sedat: cauis dentium indita eos frangit, & dolores leuat: idem facit cùm ex aceto colluitur. Quod verò sequitur, Peruncto ante coitum genitali abortiuum fieri constat, non rectè conuertit Ruell. non ad Dioscorid. sed ad Plinij sensum potius accommodans. Sic enim scribit. Portentum est quod tradunt, abortiuum fieri in venere ante perfusa virilitate. Ille verò sic. περιχεισθέντα ὑὸ ἀιδοίῳ πρὸ τ σωτσοίας ἀτόκιον ἐστὶ, id est, Cedria ante coitum genitali circumlita conceptionem impedit, & spem partus adimit, id enim significat ἄτόκιον, quod Cornar. & And. Lacu. bene annotarunt. Pergit Dioscor. Anginæ ea perunguntur, tonsillarum inflammationibus auxilio est, lendes pediculósque illitu enecat, cerastæ morsibus cum sale imposita subuenit, contra hausta Leporis marini venena in passo sumpta auxiliatur: in elephantia, aut linctu, aut peruncti one proficit, pulmonum vlcera purgat, & si cyathus eius sorbeatur, persanat. Vermes & tineas subter indita necat, & partus extrahit. Fit & oleum à Cedria separatum, dum coquitur, velleribus supra halitum eius expansis, vt in pice, eiusdem ad omnia vsus: priuatim viriliter peruncti um scabiem quadrupedum, canum, boúmque persanat, inhærentes ricinos enecat, vlcera quæ ex tonsura acceperunt, ad cicatricem perducit. Cedrides calfactoriam vim habent, stomacho aduersantur, auxilio sunt tussi, conuulsis, ruptis, stranguriæ, menses ciunt ex polline piperis poti: contra haustum leporem marinum in vino sumuntur: serpentes fugantur peruncto ex adipe ceruino, aut medulla corpore: in antidota adduntur. Hæc à Galeno sunt dilucidius explicata. Vtraque Cedrus ait, calidæ siccæq; temperaturæ est, tertij quodammodo ordinis in vtroque. Cæterùm Cedria (vocatur ita Cedri oleum) quartum etiam ordinem videtur attingere, admodum calida simul & tenuium partium. Mollem itaque carnem promptè, ac citra dolorem putrefacit, sicut alia omnia, quæ cum eiusdem sint in calefaciendo ordinis, adiunctam etiam habent substantiæ tenuitatem. At in duris plusculo tempore & vix effectum potest consequi. Porro talia omnia medicamenta vocantur Septica, & Septa, sed inter sese maioris minorisque ratione dissident. Est autem in hoc genere medicamentorum ex primo & infirmissimo ordine Cedria: plæráque enim eorum admodum sunt efficacia. Talia itaque & mortuorum corporum carnes corrumpunt, at Cedria exsiccat, simúlque à corruptione tuetur corpora demortua, vtpote humiditates eorum depascens, cæterùm solida corpora haud attingens. At in viuentibus calor ipse qui in corporibus est, Cedriæ vires adaugens, caussa efficitur, vt teneræ ab ea carnes deurantur. Nec mirum videri debet, si cum tanta polleat potentia, lendes, pediculos, & tineas, & in auribus vermes interficere possit, tum fœtum quidem viuentem interimat, mortuum autem eiiciat, sicut sanè etiam semen corrumpit, coitus tempore pudendo circumlita. Proinde conceptui aduersum est medicamentum, si sic vtaris, nulli secundum. Alia quidem multa eiusmodi particulatim efficit. Itaque argumentum est ipsum valenter

Vires.
Ibidem.

Li. 24. ca. 4.

Embl. 84. lib. 1. an notat. in Dioscor.

excalfacere, ſicut vbi dentium foraminibus inſtillatur. Siquidem dolores eorum mitigat, & ipſos confringit. Extenuat quoque oculorum cicatrices, & viſus hebetudini ab humorum craſsitudine ortæ medetur. Porrò quod eius eſt pinguiſsimum, & ad vnguem oleoſum, ſuſpenſis ſupra eam dum coquitur lanis exceptum, ac collectum, tota Cedria tenuius quidem eſt, ſed minus acre, quanquam non minùs excalfaciens. Quare illa craſsior & mordacior eſt, maiore aperiendi facultate prædita. Itaque vulnera irritat, phlegmonáſque in illis excitat. Oleoſa verò illa Cedria adeo clementibus eſt viribus, vt plebeij experientia docti, ouibus tondendo illata à forfice vlcera illitu ſanent, ſicut etiam pice humida. Vtuntur etiam ea ad ouium ſcabiem, & ad ricinos. Cedrides moderatiores vires obtinent, adeo vt comedi poſsint. Si tamen liberalius iis vtare, capiti dolorem inferent, ardorémque ac morſum in ventre efficient. Plinius inquit eadem magna ex parte, quædam aliter tradidit. Cedrus magna dat picé, quæ Cedria vocatur, dentium doloribus vtiliſsimam: frangit enim eos, & extrahit, dolores ſedat. Cedri ſuccus ex ea quomodo fieret, diximus, magni ad lumina vſus, ni capitis dolorem inferret. Defuncta corpora incorrupta æuis ſeruat, viuentia corrumpit, mira differentia, cùm vitam auferat ſpirantibus, defunctis pro vita ſit. Veſtes quoque corrumpit, & animalia necat. Ob hoc non cenſeam in anginis hoc remedio vtendum, neque in cruditatibus, quod ſuaſére aliqui, guſtandum. Dentes quoque colluere ex aceto in dolore timuerim, vel grauitati, aut vermibus aurium inſtillare. Portentum eſt quod tradunt, abortiuum fieri, in venere ante perfuſa virilitate. Phthiriaſes perungere eo non dubitauerim, itémque porrigines. Suadent & contra venenum marini leporis bibere in paſſo. Facilius in Elephantiaſi illinatur. Vlcera ſordida, & excreſcentia in iis, auctores quidam, & oculorum albugines caliginéſque inunxere eo, & contra pulmonis vlcera cyathum eius ſorbere iuſſerunt: item aduerſus tineas. Fit ex eo & oleum, quod Piſſelæon vocant, vehementioris ad omnia eadem vſus. Cedri ſcobe ſerpentes fugari certum eſt, item baccis tritis cum oleo, ſi qui perungantur. Cedrides hoc eſt fructus Cedri tuſsim ſanant, vrinam cient, aluum ſiſtunt, vtiles ruptis, conuulſis, ſpaſticis, ſtrangluriæ, vuluis, admoti: contra lepores marinos, eadémque, quæ ſupra, collectionibus, inflammationibúſque. Hippocrates Cedrum Creticam in vino coctam in vteri exulceratione infundere præcipit, & Cedri ramenta ſuffire. Idem vinum Cedrinum bibendum præſcribit, quum vteri velut ad viſcera conuerſi ſtrangularint. De vino autem Cedrino & Cedrite, vide Dioſcor. Cariem vetuſtatémque non ſentit Cedrus, auctore Plinio. Cedri oleo peruncta, materies, inquit, nec tineam, nec cariem ſentit. Quare ſimulacra deorum ex Cedro factitabant. Salomon templum Domini concamerauit lignis Cedrinis. Templi Epheſiæ Dianæ, quod tota Aſia extruente quadringentis annis peractum eſt, tectumex Cedrinis trabibus fuiſſe conuenit. Memorabile & Vticæ templum Apollinis, vbi Numidicarũ Cedrorum trabes durant, ita vt poſitæ fuerant prima eius vrbis origine, annis mille centum octoginta octo. Numæ etiam libros chartaceos duraſſe ad annos quingétos triginta quinque, terræ infoſſos narrat Plinius, quòd Cedrati eſſent. Ab hac materiæ arboris æternitate. Digna Cedro dicũtur, quæ immortalitate digna eſſe iudicãtur, atque eiuſmodi, vt poſteritati conſecrari debeant. Horatius. *Speramus carmina fingi Poſſe linenda Cedro.* Item Perſius. *Et Cedro digna locutus.* Auſonius ad Libellum. *Huius in arbitrio eſt ſeu te iuueneſcere Cedro, Seu iubeat diris vermibus eſſe cibum.* Cedrus etiam ad naues fabricandas aptiſsima, & ad ædium tecta perutilis. Rimam fiſſurámque non capit, neque etiam clauum tenet.

Lib. 24. c. 5.

De natur. mulieb. Lib. 2. de morb. mul.

Lib. 5. Lib. 16. cap. 40. 49.

Lib. 3. Reg. cap. 6. Plin. Ibid.

Lib. 13. c. 13.

Theophr. lib. 5. Hiſto. cap. 8. Plin. lib. 16. cap. 40.

PINVS

PINVS ET PICEA CAP. XII.

PINVS à Theophr vt ego equidem cum Matthiolo sentio, πεύκη dicitur, Picea πίτυς. Contrà multi, in quibus est Bellonius, πεύκην, Piceam, πίτυν Pinum interpretantur, quadam fortasse nominum vicinitate ducti, quam habet πεύκη cum Picea, & πίτυς cum Pinu. Sententiam nostram multis rationibus confirmare nos possumus. Teophrast. τῆς πεύκης nucem τρόβιλον appellat, quæ vox, eorum qui Galenum, aliósque Græcos auctores Latinos fecerunt, testimonio, nucem Pineam significat. Galen. Nux Pinea boni ac crassi est succi, multúmque nutrit, non tamen facilè coquitur. Appellant autem nunc Græci ipsam non κῶνον, sed τρόβιλον. Alibi. His crassior nec ipse mali succi nucleus pineus, ideſt ὁ κῶνος, quem veteres etiam strobilum dixêre: ac rursum: Coni fructus, quem quidam Coccalon nuncupant, & strobilum, esculentus est, sed nutrimentum coctu difficile præbet, quod de Piceæ fructu (πίτυος enim nucem etiam κῶνον idem Theophr. appellat) intelligi non potest, cum is edulis non sit, eodem Bellonio auctore. Adhæc Theophr. τῆς πεύκης duò constituit genera, satiuum, & sylueſtre: at Piceam nullus vnquam opinor, in hortis cultam vidit, Pinum vident omnes. Præterea τὴν πεύκην in Idæam, & maritimam, idem diuidit, quæ duo Pinorum genera nobis nota sunt, Picearum verò minimè, quas non nisi in frigidis, niuosis, & excelsis montibus nasci, nunquam in maritimis, compertum omnes habent: postremò picem copiosam ἐκ τῶν πευκῶν fieri scripsit Theophr. atque earum proprium esse, vt in tedam abeant: at nobis perspicuum est ex pinorum nostrarum, nom Picearum, assulis, tedáque, picis copiã maximam in montibus Galliæ nostræ, atque etiam aliis colligi. His adiungimus Scribonij Largi testimonium sic scribentis: resinæ Pityinæ, ideſt ex Picea arbore. Verùm si quis ad conuellendam sententiam nostram locos aliquot Plinij curiosiùs consectetur, ex quibus hæc nomina aliter ab eo vsurpata esse ostendat, huic respondemus arbores omnes coniferas Plinio non benenotas fuisse, atque has Romano, vt ait de se iudicio discreuisse. Id, vel ex eo probari potest, quod τὴν πίτυν quidẽ Piceam, sed τὴν πεύκην, Laricem interpretatus est Theophr. πεύκην μὲν γὰρ ἐπικαυθεισῶν τῶν ῥιζῶν οὐκ ἀναβλαστάνει, τὴν πίτυν δὲ φασί τινες ἀναβλαστάνειν, ὥσπερ καὶ ἐπὶ Λέσβον ἐμπρησθέντος τοῦ πυρραίων ὄρους. Plin. sic. Larix vstis radicibus non repululat, Picea repululat, vt in Lesbo accidit, incenso nemore Pyrrhæo. Item alibi, τὴν ἀγίδα τὴν καλουμένην θήλειαν τῆς πεύκης ἔχει. Plinius. Larix fœmina habet quam Græci vocant ægida. Alio in loco πίτυν pinastrum videtur is conuertisse. Sylueſtrium generis folia non decidunt Abieti, Larici, Pinastro. Theophr. τῶν δὲ ἀγρίων ἀειφυλλα ἐλάτη, πεύκη, πίτυς: sed hac in re fides Plinio adhibenda non est. Larix enim nusquam in Græcia nascens, Athenienſi Theophr. ignota fuit, neque, si nota fuisset, Laricem quæ simplex est, ac vnius generis, in tot differentias distribuisset. Quare satis superque me probasse confido Theophrasti πεύκην Latinorum Pinum esse, quæ Arabibus *Senabar*, dicitur, Gallis, *Pin*, Italis, & Hiſpanis *Pino*, Germanis, *Hartzbaum, Fichtembaum, & Pynholtz*, Anglis, *Pynetre*, Belgis, *Pinap pelboom*, Bœmis *Borowiczt*: Huiꝰ duo sunt genera Theophrasto auctore, Pinus satiua, & sylueſtris. Pinus satiua procera arbor in caudicis summitate ramos multos producit, qui in ramulos alios rotundos diuiduntur, foliis veſtitos densis, capillamenti modo prætenuibus, longis, firmis, aculeatis, ex candido virentibus, perpetuis. Nuces edit magnas, solidas, veluti ex squamis duris compactas, altissimè à terra suspensas, ac in his exiles nucleos, oblongos, lacunatis toris, ferruginea tunica obductos. Interior nucleus tenui velatur tunica, flaui coloris, qua digitorum attritu facilè spolia-

Nomina Lib. 3. Hist. cap. 10.

Lib. 3. Hist. cap. 10.

Li. 2. Alim.

Li. de bon. & mal. suc. Li. 7. simpl.

Ibidem. Li. de Cau. ca. de pinu. Ibidem.

Ibidem.

Comp. 201.

Ibidem. Lib. 16. c. 10. Theophr. Lib. 3. Hist. cap. 3. Li 16 c. 139. Lib. 16. c. 11. Lib. 1. Hist. cap. 15.

Nomina Lib. 3. Hist. cap. 10.

Genera.

Forma.

PINVS SATIVA.

Nomina

Locus.

Matt. ibid.

Genera.

Pinus ſylu.

Firma & Loci.

tur. Sapor illi dulcis ac iucundus: ſubſtantia pinguis, oleoſáque. Nuces has Græci κῶνους, τροβίλους, κοκκάλους & κωνάεμα vt dixi, nuncupant, Galli *Pommes de pin*, nucleos vero Pineos, *des pignons*. Materia pini rubeſcit, grauis eſt, & intus circa cor liquore quodam madet. Pinus hæc in Galliæ noſtræ hortis permultis colitur & perbella proceráque ſpectatur. Copioſa etiam in agro Rauennate reperitur, non lõgè ab Adriatici maris littore: atque etiam in alijs Italiæ locis, præſertim in cœnobiorum viridariis. Sylueſtrem Pinum ſiue Pinaſtrum (Pinaſter enim, vt ſcribit Plinius, nihil aliud eſt quàm Pinus ſylueſtris) in alia partimur genera. Aliam enim eſſe fructiferam nouimus, aliam ſterilem: Fructifera alia eſt Idæa, ſiue montana, alia maritima. Montana ſariuæ ſimilis eſt, nuces edit ſimiles, ſolidas, ex ſimili ſquamarum congerie compactas, reſinoſas, odoratas. Huiuſmodi montanæ Pinus in multis Hiſpaniæ, & Luſitaniæ montibus creſcunt, adeo fructuoſæ, vt inde maxima nucũ Pinearum copia per totam Galliam diſtrahatur. Maritimæ prope foſſas Marianas non procul ab Vrbe Monſpelio permultæ proueniunt, in ſpatioſo Pineto

PINVS SILVEſtris fructifera.

PINVS Maritima.

Lib. 3. Hiſt. cap. 10. Pinearum nucum copia celeberrimo, ſupradictis ſimiles, niſi quod nux earum breuior, rotundior, celeriùs dehiſcit, auctore Theophraſto. Montanarum autem

autem amplior, longior, diutius in ſeſe compreſſa manet. Cauſa hæc eſt, quod in arenoſo ſolo maritimis parcius alimentum ſuppeditatur ideóque minor eſt, ac ſtrigoſior nux. Præterea ob maris afflatum, litus apricum, auſtri in maritimo tractu crebro flantis occurſum nux citius recluditur, non aliter quàm cum ab arbore decerptam igni admouemus vt aperiatur: contrà verò, largius alimẽtum montanis ſuggeritur, & montium aër natura frigidior, nuces ſeſe reſerare non ſinit, imò comprimit. Hæc cùm vera eſſe tum ratione tum experientia cõſtet, tamen Matthiolus (qui maritimarum Pinorum duo genera exhibet, nucum magnitudine, & exiguitate tantum differentium) quod obſeruationi noſtræ refragari videatur, ſcribit, Pinos ſylueſtres in maritimis Senenſibus fructum ferre ſpithamam longum, pyramidis figura, firmum, ſolidũ, nec facilè dehiſcẽtem: quæ verò in Ananiis Tridentiniſque montibus reliquis, ac in Bœmia, Morauia, Polonia proueniũt, fructum edere paruum, breuem, qui exſiccatus multum dehiſcat, & ex arbore decidat, idque euenire prouinciarum & regionum alia atque alia natura, & maritimarum Pinorum diuerſis generibus. At non rectè ille quidem cum maritimis fructiferis montanas ſylueſtres & ſteriles comparat, ſylueſtres enim montanæ, fructiferæ, cum maritimis, exemplo Theophr.

li. 1. Dioſc. cap. 74.

Ibidem.

PINVS Marit. altera.

PINVS Sylueſtris.

comparandæ potius fuerunt. Reliquæ differentiæ montanarum & maritimarum ex Theoph. hę ſunt Montana rectior, celſior, materiáque craſsiore eſt: maritima folio tenuiore, magis deciduo: cortice læuiore, vtilíque ad coria, alterius verò minimè, Maritima ligno eſt validiore, mõtana ramoſa magis, & craſsior, vt dictum eſt, picémque copioſiorem fundit. Pinus ſylueſtris quam ſterilem vocamus, (non ideo quòd nullum edat fructum, Conos enim fert, ſed quia nuclei edules non ſint, nec cibis vtiles) radice nititur recta, pali modo humi defixa, lignoſa, foris nigra, guſtu acerba. Caudex eius ſæpè diſtortus ſubrubro cortice obducitur, ac ſeneſcens rimoſus, ſcaber, fungoſúſque efficitur. Ramorum cortex glaber, præſertim teneriorum, lauri modo liueſcit. Rami ipſi fragiles

ſi flectas

si flectas, cum crepitu rumpuntur. Caudex adultus in ramos diffunditur sinuosos, & perpetua fronde virentes, sic vt Pini satiuæ modo summo vertice in comam latissimam arbor expandatur: folia tenuia sunt, rigida, semper gemina, ab vno veluti tubulo exeuntia, in ipso exortu connexa, gustu subacidâ, & adstringentia. Pro floribus sunt iuli quos hyeme profert. Coni paulatim augescũt ex compactili squamarum aceruõ turbinati, ramis firmiter hærentes, pediculo breui, in nouellis recto, in aliis adunco, & tanquam reflexo, tam validè adnexi, vt cum fudi & nouo annotinus permaneat. Huiusmodi sterilibus Pinastris Aruernorum, Vellauniorum, & Allobrogum montes abundant, ex quibus resinam colligunt, & picem optimam conficiunt, vocantque *Pins sauuages*, & *Pinnatiaus*. Pinastrum scribit Plinius mirâ esse altitudine, quod minimè verum mihi esse videtur, nec ex quo id transcripserit scio. Nam in hoc arborum genere Abies, Piceáque nostrates, & Cedrus Syriaca, altitudine præcellunt, Pinastri verò omnes quotquot vidi, tam steriles quàm fructiferi, aut humiles sunt, aut altitudine mediocri, tametsi Bellonius prodiderit & Dictæos Pinastros in vastitatem diffusos, ad insignem altitudinem surgere, & eos qui in Olympi Phrygij montis, aut aliorum gelidissimorum montiũ summis culminibus proueniunt, Abietis esse rectitudine. Sed is Pinastrum sterilem, Piceam appellat, ac eam pro Pinu syluestri describit, depingítque, absurdè, & contra Theophr. Plinij que auctoritatem, vt ostendemus. Matthiolus hoc Pini syluestris genus à Bellonio Pinastrum dici coniicit: sed non rectè, inquit. Pinaster enim Plinio auctore, nihil aliud est quàm Pinus syluestris, mira altitudine, quæ gignitur nõ modo in montibus, sed etiam in planis. Bellonio verò contrà, Pinaster Pino humilior est, planáque, & montium supercilia prorsus respuit, nec alibi prouenit quàm in excelsissimis montium iugis. Huic Matth. coniecturæ non assentior. Nam Bellonij pinastrum esse Tedam arborem Plinij demonstrauimus. Quid verò de pinastri Plinij mira altitudine sentiendum sit, iam diximus. Iustior est Matth. reprehensio, quam fugere non potest Bellonius, dum Pinastri vocem ex versione Latina frequenter se legisse scribit apud Theoph. eum tamen Theoph. fuisse incognitum, quod in Græciæ Asiæque montibus non nascatur. Itaque nullum esse ex Græcis auctoribus, qui Pinus syluestris pinastríue meminerit. Quid? nonne Theoph. πεύκην aliam cultam, aliam incultam esse prodidit? Nos equidem nihil aliud esse πεύκην quàm Pinum probauimus, & πεύκην ἀγρίαν Theoph. Pinum syluestrem, siue Pinastrum esse. Neque enim Bellonio vnquam dabo, quod Matthiolus concedit, Theoph. illic de Picea syluestri fuisse locutum, duósque alios Theoph. locos opponam, in quibus πίτυς ἀγρία ideſt Pinus syluestris legitur, vel Bellonij sententia. Fallitur enim ipse Matthiol. in his Theophr. locis, in quibus multi alij errarunt. Nam vox ἀγρία interdum arborem eam significat, quæ Plinio Aquifolium, officinis Agrifolium dicitur, interdum aliarum arborum epitheton est, vt cum dicit

Locus.

Li. 16. c. 10.

Lib. de Cõ. cap. de pic.

Lib. 5. Hist. cap. 16.

PINASTER III.

clusij omnium minimus.



Theo

Theoph. πίτυν τὴν μὲν ἡμέραν εἶναι, τὴν δὲ ἀγρίαν, ideſt, Pinum aliam ſatiuam eſſe, aliam ſylueſtrem. Quare cùm montanas arbores ſic recenſet Theophraſtus, ἴδια δὲ τὰ τῶν ὀρεινῶν, ἃ ἐν τοῖς πεδίοις ὐ φύεται, περί γε μακεδονίαν, ἐλάτη, πεύκη, πίτυς ἀγρία non ſic hæc interpretanda, neque interpungenda. Montibus autem propria ſunt illa quæ in planis non proueniunt: Macedoniæ Abies, Picea, Pinaſter, ſed Montibus autem propria ſunt illa, quæ in planis non proueniunt, Macedoniæ Abies, Pinus, Picea, Aquifolium. Neque enim Theoph. quo loco Piceæ hiſtoriam tradidit, eam in ſatiuam & ſylueſtrem diuiſit, quemadmodum Pinum eodem loco diſtribuerat: quãquam non ignorem Plinii ſcripſiſſe Piceam æuo ſuo iam in domos receptam tonſili facilitate. Adhæc quæ ſcribit Theophraſt. ἀείφυλλα μὲν οὖν τῶν ἀγρίων ἃ χρὴ πρότερον εἰλέχθη, ἐλάτη, πεύκη, πίτυς ἀγρία, non ſic rectè interpreteris. Ergo inter ſylueſtria perpetuo folio ſunt ea, quæ priùs diximus, Abies, Picea, Pinaſter, ſed, Ergo inter ſilueſtria perpetuò virent ea quæ primo libro diximus, Abies, pinus, picea, Aquifolium. Præter pinos ſylueſtres de quibus diximus, ſunt aliç quoque, ſteriles, & fructiferæ: Pinus Tubulus à Plinio appellata, ab Italis hodie *Mugo, ſterilis*: Teda arbor à Plinio dicta, fructifera, à Bellonio Pinaſter, ab Italis hodie *Cembro*, ab Allobrogibus *Auuia*. Tubulus, vel, vt in quibuſdã Plinij codicibus legitur, Tibulus in aliis Stubulus, in altiſsimis

Lib. 3. Hiſt. cap. 4.

Lib. 3. Hiſt. cap. 10. Lib. 16. c. 10.

Genera alia. Nomina Lib. 16. c. 10 *Forma. & Locus*

PINVS TVBVLVS,
Mugo Italorum.

TEDA ARBOR,
Cembro Italorum.

montibus prouenit, ſine caudice, ramis à radice circũquaque per terram ſparſis, tubulorum modo, vnde foraſſe ei nomen hoc impoſitum, decem, & interdum quindecim cubitos longis, gracilibus, enodibus, olim ad vſus liburnicarum, nunc ad dolia vinaria cingenda, quod ſint non ſolùm longi, ſed etiam flexiles, & tenaces. Fructus eius eſt paulo maior quàm Pinaſtri ſterilis vulgaris, ſed plurimùm reſinoſus, odoris non ingrati. Teda in editiſsimis, & frigidiſsimis montium verticibus gignitur, parte ad Septentrionem ſpectante, niues ac gelicidia minimè reformidans, vt quibus exhilaretur potiùs quàm ledatur, ex

Teda. Locus.

vltimo

Forma. vltimo prorſus montium ſitu ac ſupremo omnes alias arbores deſpiciens, Pino vt plurimùm humilior, nonnunquam æqualis, ſimiliter ramoſa, magis quàm Pinus, aut quæuis alia conifera arbor, in metam faſtigiata: cortice proximè terram vndulatis lineis rugoſo, ſuperna caudicis parte, & in ramis, glabro, lęui, tenui, ſubalbido, vt in Abiete, non vt in Pino ſubrubro, ex quo vieto & corij modo ductili pyxides, corbes, aliáque vtenſilia fiunt. Rami vt in Abiete, Picea, Larice non recti, velut brachia ex lateribus panduntur, ſed diſtorti, & valde ſurculoſi: virides humore multo turgent, exiccati rugas contrahunt. Folia, vt in Pino, longa, mucronata, ex ſingulis turberculis quina emergunt, in Pino bina duntaxat. Eadem ſic extremis ſurculis coaceruata eminent, vt penicillum, ſiue crinitam comam referant, in cuius medio fructus nouellus incluſus, ſenſim augeſcens in conum abſoluitur, è nigro purpuraſcentem, Piceæ cono ſimilem, breuiorem, molliorem, reſinoſum, cuius nuclei parui trianguli, ab ſatiuæ Pinus nucleis ſapore diuerſi non ſunt, niſi quod ſylueſtrium omnium modo, aſperitate quadam linguam offendunt, ita fragiles ac teneri, vt non ſolùm hominum dentibus facile cedant, ſed etiam auium roſtris pertundantur, quas Allobroges Piquarellos vocant, Geſnerus Caryocatactas. Quam ob cauſam has Tarentinas nuces à Plinio vocatas fuiſſe veriſimile eſt, quo loco is nucum Pinearum genera explicat. Harum, inquit, genus alterum Tarentinæ, digitis fragili putamine, auiúmque furto expoſitum in ipſa arbore, non quod Plin. vete-

Lib.15.c.10. réſque Pini genus aliquod ſtatuerint Tarentinum, vt putant Matthiol. & Bellon. ſed quod nuces hæ Tarento Romam veherentur. Quę de hoc Pinus genere diximus omnia, ei planè conuenire quam ſolam impropriè Bellon. Pinaſtrũ

lib.1 Dioſ. cap.74. De conif. de Pinaſt. appellat, facilè perſpiciet is, qui hæc noſtra cum illius capite de Pinaſtro contulerit. Matthiolus ab Italis Cembro & Cirmolo vulgo vocari prodidit, & tum in agro Tridentino frequentem prouenire, tum in Gauia Phœbeæ vallis, tum in Flemenſibus, Vulturenæ, ac Rhethorum mõtibus, & in Comitatu Tyrolenſi, non longè ab Oeniponte, ex eaque manare reſinam albam, & odoratam, vt

Vſus. & ab aliis id genus plantis. Huius materia à Germanis ad ædificia expetitur, & maximè commendatur, non ſolùm quod pulchra ſit, & venarum fluuiis placeat, ſed etiam quod odoris ſuauitate excellat. Eandem Tedam arborẽ Plinij

Lib.16.c.10 eſſe idcirco diximus, quòd cum ſex coniferarũ genera is autor enumeret, Pinus ipſius eſſe non poſsit, de ſatiua enim loqui videtur: neque Pinaſter, inſignis altitudinis, & in planis naſcens: neque Tubulus, quod eius hiſtoriæ repugnet: neque picea, neque Larix, vt ex earum hiſtoriis intelligi poterit. Quare efficitur vt ſextum genus ſit Teda propriè dicta, ſucco inquit Pliniuś, abundantiore quàm reliquæ, parciore, liquidioréque quã in Picea, ſic enim legendum, flam-

Cap. 8. mis ac lumini ſacrorum etiam grata. Hanc etiam aliquanto poſt inter arbores numerat, quæ montibus gaudent: montes inquit, amant Cedrus, Larix, Teda, & cæteræ ex quibus reſina gignitur. His locis Matth. Bellon, atque alij Plinium falſo erroris inſimulant, Tedam pro arbore vſurpantem, quæ τὴν δάδα, ſiue τὸ δαδίον, ideſt pingues Pini, Pinaſtri, ac reliquarum reſiniferarum arborum aſſulas, non arborem ſignificet, quaſi verò Teda ὁμονύμως de vtroque dici non poſsit, aut illam Tedæ ſignificationem Plinius ignorauerit, cum eo ipſo loco ſcribat, Laricis morbum eſſe, vt Teda fiat. Mirum igitur nemini videri debet, Tedam modò pro arbore, modò pro pinguibus Pinorum aſſulis ſumi, neque illud etiam, flammis ac luminibus ſacrorum Tedam arborem gratam fuiſſe, cùm ex ea, velut ex aliis id genus, reſina fluat, lignúmque eius, vt cæterarum, pingue, & reſinoſum in Tedam vertatur, idque propterea Romani domi, & in ſacris accenderent. Sed quoniam in Tedæ mentionem incidimus, quid ea ſit

diffu

diffusius explicemus. Morbum τοῖς πεύκαις, ideſt Pinis, accidere Idæi narrant, inquit Theoph. cum nō ſolùm cor, ſed & pars externa caudicis, in Tedam abierit, tunc enim veluti ſtrangulari: id autem ſponte euenire, ob plenius arboris nutrimentū, coniectari nos poſſe, quod totū Teda fiat. Eſt autem hic Pinis proprius morbus, cuius cauſam idem Theophr. alibi explicat. Pini radix tota, inquit, in Tedam vertitur. Cauſa eadem quæ in animalibus. Quòd enim in ea caleſit perpetuò, coquitúrque, purum hæret, ac coagmentatum denſatúmque pinguitudinem quandam efficit: quod verò nutrimentum in alias partes ſubit, ſurſum fertur ad eas quæ ſupra terram ſunt alendas, non per haſce partes pingues, ſed per alios meatus, quandoquidem totis radicibus in Tedam mutatis arbores moriuntur, intercluſo ſpiritu, nullóſque iam aditus habente per quos commeare poſsit, ſtrangulatæ quemadmodum animalibus euenit quæ nimis pingueſcunt. Obturantur enim meatus à pinguitudine denſata, vt ad extremas vſque partes ſpiritus penetrare nequeat. Hæc Theophr. Partes radicum Pini pingues. Aruerni Tiè vocant, & Theſè, vocibus à Teda deflexis, & iis conciſis atque accenſis lucernarum vice vtuntur. Cæterum cùm multa Teda ad picem conficiendam ſit opus, non defuit ratio, qua Pinus non ſua ſolùm ſponte, ſed etiam arte Teda fieret. Eam ſic declarat Theophr. Idæi caudici corticem auferūt à parte ad ſolem conuerſa, duobus tribúſue à terra cubitis: eo maximè confluxum Tedæ, ſiue pinguem reſinoſúmque ſuccum fieri anno poſt affirmant. Id cum ſecuri detraxerint, altero poſt anno denuo ἐνδιαδίδοται, ideſt ſuccum pinguem fundit, ſiue Teda ſit: ac tertio ſimiliter. Poſtea ob has inciſiones, arbores putrefactæ à ventis deiiciuntur: tum earum cor eximitur: hoc enim maximè in Tedam abit, effodiuntur poſt & radices, quę etiam, vt diximus, totæ Teda fiunt. Hęc Theoph. Impropriè verò Tedas appellamus alia quoque ligna, quæ flāma olei vel picis illitu concepta faculæ modo lucent. Hinc Ceres dea Tedifera à Poëtis vocatur, & Teda pro nuptiis ſiue pro coniugio ipſo accipitur, quod in nuptiis faces præirent. Fuêre qui hoc modo Pinorum genera diſtribuerint, vt aliud eſſet mite, aliud agreſte: & agreſtis, aliud mas, aliud fœmina, marem eſſe maritimam Pinum exiſtimantes, fœminam, Idæam, quibus addunt Macedones tertium genus ſterile. Hæc à ſupradictis diuiſionibus verbis tantùm diſcrepare videntur. Marem dixerunt eſſe breuiorem, rigidiore folio, ligno duro, in opere fabrili ſeſe contorquente: fœminam proceriorem, pinguioribus foliis, mollioribus, magis inflexis, & incuruis, ligno in opere tractabiliore, molliore, nec ſeſe pandante aut diſtorquente. Legendum Porro in Theophra. ἀστραβεῖ, quod opponitur τῷ στρεφομένῳ, non vt in publicis codicibus legitur, ἐυστραβεῖ. Pinus fœmina Ægida habet Spiſſum hoc, candidum, pulchrúmque, ex arboribus vetuſtioribus gignitur. Faciunt ex eo tabellas pictorias atque codicillos. Id autem eſt cor eius, quod minus picis Tedęque gignit. Larix fœmina habet quam Græci vocant Ægida inquit Plinius, mellei coloris. Inuentum eſt pictorum tabellis, immortale, nullíſque fiſsile crimis, hoc lignum. Proximum medullæ eſt. Explicatis Pinorum differentiis atque naturis, nunc de Picea dicendum.

Lib. 3. Hiſt. cap. 10.

Li. 6. cauſ. cap. 15.

Lib. 9. Hiſt. cap. 2.

Theophr. Li. 3. ca. 10.

Theoph. li. 3. ca. 10. Lib. 16. c. 39.

A Theophraſt. veteribúſque Græcis πίτυς Picea dicitur, à Sequanis hodie *Peſſe*, Arabicè *Arz*, Italicè *Pezzo*, Germanicè *Thamen bau*, Hiſpanicè *Pino negro*, Gallicè *Peſſe & Soiffe*, Anglicè *Piche tre*: ab Allobrogibus *Soffe*, Bellonius Sapini nomine deſcripſit. Naſcitur in editis montium iugis, caudice recto, non minus quàm Abies procero: cortice ex cinereo palleſcente, lento, & lori modo flexili, aliquantulum ſcabro, & dum rugoſus ſit ſic diſsiliente, vt criſpus appareat: ramis Abieti ſimilibus, ſimiliter ordinatis, ſed in terram inclinatis, ſurculoſis, ſurculis propendentibus: foliis Abietis, herbaceo virore lætioribus, non

Nomina

Locus.

Forma.

PICEA.

Lib. 3. Hist. cap. 6.

Lib. 16. c. 25.

sic atris, nec vt in Abiete pectinatim dispositis, sed nullo seruato ordine ramorũ surculos vndiq; vestientibus, leuiter mucronatis, propemodũ teretibus, mollioribus, cũ in Abiete sint latiuscula ac duriuscula. Quidam, inquit Theophr. Pinum & Piceam florere existimãt, quidam minimè, sed Piceam, κώνλαρον gignere ideſt nucamentum, quod grosis proportione respõdet, Plinius Pinum Piceámq; vllo flore exhilarari negat, experiẽtia tamen refragatur. Nam Piceę florem ob longũ ac rubentẽ quiuis obseruare potest. Cæterum Picea fructum edit copiosissimũ oblongum, procul intuentibus conspicuum, extremis ramis adnexũ, deorsum nutantem, viri pudendum longitudine crassitudéque imitantem. Diutissimè is in arbore manet, & senescens squamas ex quibus coaluit, recludit, seminis tũ maiore parte decidua. In squamarum torulis geminum id delitescit, Pinastro simile, paulo grandius, atrum. Piceæ materies rara est, laxáque, ad trabes, & ad asseres faciendos idonea, speciosior quàm Abiegna, & in opere fabrili tractabilior, quia venis est rectioribus, minúsq; nodosa. Inter Piceæ corticem, & lignum, gummi modo resina cõcrescit, ac nonnũquam etiam liquida inde manat, quam Allobroges *Binioum* vocant, quasi Benzor num, & ad recentia cruentaque vulnera summopere commendant. Hanc esse πίτυν Theophr. id est Piceam facile quiuis intellexerit ex eius cum Pinu collatione, si ex loco illo Theoph. maculas aliquot deleuerit, mẽda quędã correxerit, meliorémq; quàm Gaza interpretationem adaptauerit. Οἰδὲ περὶ τὴν ἀρκαδίαν, inquit Theop. ὅτε τὴν ἄκαρπον λέγουσιν, ὅτε τὴν ἡμέρον πεύκην, ἄλλην ὃ πίτυν εἶναί φασι. καὶ ὅτι τὸ στέλεχος ἐμφανέστερον εἶναι τῇ πίτυϊ, καὶ ἔχειν τὴν τε λειότητα, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ ἐν ταῖς ἐργασίαις ἄχρηστον τὸ ξύλον. Τοῦτο δὲ τῆς πεύκης καὶ παχύτερον, καὶ λειότερον, καὶ ὑψηλότερον εἶναι. καὶ τὰ φύλλα τὴν μὲν πεύκην ἔχειν πολλά, καὶ λιπαρὰ, καὶ διασέα, καὶ κεκλιμένα, τὴν δὲ πίτυν καὶ κωνοφόρον ταύτην, ὀλίγα τε, καὶ δύσχωδέστερα, καὶ περφυκότα μᾶλλον. ἔτι δὲ τὴν πίτυν ἐμφανεστέραν τῆς πεύκης. καὶ δὲ τὴν πίτυν ἔχειν ὀλίγην τε, καὶ πικρὰν, ὥσπερ καὶ ἧττον κωνοφόρον, τὴν δὲ πεύκην πανυσθὴ καὶ πολλήν. φύεται δὲ ἐν μὲν τῇ ἀρκαδίᾳ ἡ πίτυς ὀλίγη, περὶ δὲ τὴν ἠλείαν πολλή. ὅτως μὲν ἄλλῳ τῳ γένει διαμφισβητοῦσι. ἡ δὲ πίτυς διοκεῖ τῆς πεύκης διαφέρειν, τῷ λιπαρωτέρα εἶναι καὶ λεπτοφυλλοτέρα, καὶ δ' μέγεθος ἐλάττων, καὶ ἧττον ὀρθοφυὴς. ἔτιδὲ καὶ τὸν κῶνον ἐλάττω φέρειν, καὶ περφυκότα μᾶλλον, καὶ τὸ χάρυον πιτυωδέστερον. ἄμφω δὲ τεραχόφυλλα, καὶ πίτυος δὲ ξύλα λευκότερα, καὶ ὁμοιότερα τῇ ἐλάτῃ. διαφορὰν δὲ ἔχει πίτυς καὶ σμῆνη πρὸς τὴν πεύκην, &c. Id est, Arcades verò Pinum in satiuã & sterilem minimè partiuntur, sed a Pinu Piceã differre aiunt. Piceæ námque magis conspicuum ac eminentem caudicem esse, læuem, magnũ, in opere fabrili vtilem, vt pote qui crassior, læuior, procerior quã Pino sit. Præterea Pini folia multa, pinguia, dẽsa, inflexa esse, Piceæ verò, quæ & ipsa conos fert, pauciora squallidiora, horridiora. Ad hæc picem in Pinu notiorem esse quàm Picea: paucam enim ac amaram ex Picea stillare, vt & minores conos in eadem gigni, vberiorẽ autem & odoratam è Pino. In Arcadia sanè Piceæ paucæ crescunt, circa Eleam multę. Sic igitur toto genere discrepant. Picea certè hoc differre à Pinu videtur, quod pinguior Pinus sit, humilior, folio tenuiori, minùs recta, item quòd breuiorem

Lib. 3. Hist. cap. 10.

conum

conũ ferat,& horridiorem,ac nucem magis reſinoſam. Vtrique folium capillatum, ſed Piceæ materies candidior Abietíque ſimilior. Eſt & alia inter Pinum & Piceã differentia,&c.Bellonius cũ Abietẽ à Gallis *Sap*, vel *Sapin* vocari ſciret, eámque quam hîc depinximus arborẽ Abieti admodum eſſe ſimilẽ, Sapinum appellare voluit,quæ Picea nominari debuit. Nã Sapinus quidẽ non ſolũ inferiorem Abietis partem ſignificat,ſicuti Fuſterna ſuperiorẽ,quod tradit Plinius, ſed etiam arborem, id quod eiuſdem Plinij auctoritate confirmatur. Prælum, inquit, è Sapino,alta potiſsimum,facito. Alibi genera nucum Pinearũ is enumerans,Tertium,ait,Sapineæ, è Picea ſatiua, nucleorum cute verius quàm putamine, adeo molli, vt ſimul mandatur. Ex his verbis perſpicuum eſt Plinio Sapinum arborem, ſcilicet Piceam ſatiuam deſignari, cuius nucem Sapineam vocat,ſiue Piceã eo loco, τὴν πεύκην, ſiue τὴν πίτυν intelligat.Sed quænã eſt Theo. πίτυς φθειροφόρος lib.1.Cauſ. cap.9. quam Gaza pediculiferam, Scaliger pediculariam interpretatur? an diuerſa ab ea quam idem Theophr.in hiſtoriis deſcribit? an eadẽ? deinde an φθειροφόρος dicta, quod,vt tradit Plinius, totis paniculis minoribus gracilioribúſque, minimos ac nigros nucleos pediculis ſimiles gignat? Pini Piceæque fructus Septembri mẽſe maturi ſunt. Pinus apricis locis gaudet: opacis aut nullo modo,aut malè prouenit. Pinus & Picea generi eidem adſcribuntur, inquit Dioſcorides, ſed quandam flagitant ſpecierum diſtinctionem. Arbores hæ cognitæ, quarum cortex aſtringit. Prodeſt tritus & illitus intertrigini, vlceribus ſummum corpus occupantibus, ambuſtíſque,cum ſpuma argenti, & manna:vlcera delicatulorum acrimoniam recuſantium cerato Myrtino exceptus ad cicatricem perducit: tritus cum ſutorio atramento ſerpẽtia cohibet: ſuffitu partus & ſecundas eiicit: potus aluum ſiſtit,vrinam mouet. Folia eorum trita & illita inflammationes leniunt,vulnera ab inflammatione vindicant: trita autem,& decocta in aceto feruenti collutione dentium dolores leniunt: hepaticis vtilia ſunt,drachmæ pondere in aqua, aut mulſa pota. Pineæ nucis cortex & folia potu idem præſtant: teda earum particulatim ſecta, ſi in aceto coquatur, & decocto dens colluatur, dolores leuat.Ex his etiam fit Spatha acoporum, peſſorúmque compoſitionibus idonea. Quinetiam earum crematarum fuligo ad librarij atramẽti confectionem excipitur:ea ipſa fuligo circumlitionibus efficaciſsimè imponitur, quibus palpebras ornant,colorémque mentiuntur: arroſis oculorum angulis,calloſis glabriſque genis,& collacrymationibus opitulatur. Pityides appellantur Pinorum Piceæque fructus, qui in conis inueniũtur.Vim adſtrictoriam habent, & aliquantulum excalfacientem: tuſsi & pectoris vitiis auxiliãtur,per ſe, aut ex melle ſumpti. Nuces Pineæ ſi repurgatæ mandantur,vel cum paſſo, aut cucumeris ſemine bibantur,vrinã ciẽt: acrimonias in renibus & veſica hebetant:ſtomachi roſiones leniunt:datæ cum portulacæ ſucco virium infirmitatem roborant,corruptorũ quoque humorum labem obtundunt. Pineæ nuces integræ recenter arboribus decerptæ in paſſo franguntur,& decoctæ veteſtæ tuſsi,aut tabitudini conferunt,ſi quotidie ex eo liquore terni cyathi bibantur. Hæc Dioſc. ex Ruellij verſione, in qua diligẽter quędã attendenda & animaduertenda ſunt:ac primùm, quod dicit Dioſc. πίτυς γράεμον δένδρον: ἐφ' ἧ τὸ αὐτὸ γένος καὶ ἡ λεγομένη πεύκη, εἴδει διαφέρουσα: quidã, διαφέρουσι. Hæc ſic Lacuna vertit.Picea vulgaris arbor, Pinúſq; eiuſdẽ generis ſunt, ſpecie tamen differunt:Sed hoc leuiuſculũ. Prodeſt cortex tritus & illitus intertrigini. ἁρμόζων πρὸς τὰ παρατέμματα λεῖος, καὶ πλαστόμβος: Cornarius legit καὶ πατλόμβος, ideſt inſperſus.Res ipſa vſum ſui oſtẽdit.Puluis enim inſpergitur, non illinitur.Pineę nucis cortex & folia potu idẽ preſtant. ποιεῖ δὲ τὰ αὐζα καὶ ὁ τῆς στροβίλου φλοιὸς, καὶ τὰ φύλλα ποθέντα. Cornarius hæc de ſtrobilo arbore, non de Nuce Pinea intelligit,

Li.16 ca.39. Lib.15.c.10.

Li.16.c.10.

Tempus.

Locus.

The.libr.2. cauſ.cap.9. Lib.1.c.74.

Vires.

Emb.71.li.1

Ibidem.

Li. 16. c. 10. quæ arbor eadem cum Pinastro est: id quod Plin. auctoritate cõfirmat, scribẽtis arbores quas per oram Italiæ Strobilos vocant, pleróque arbitrari easdem esse cum Pinastris. Auctorem etiã adhibet Paulum Ægi. qui de coni cortice, & foliis eadem cum prodidisset quæ de Strobili cortice, & foliis Dioscorides mox de Strobili conorum fructu seorsum tractat. Præterea cum de fuligine differt, Pinum, Conum, Piceam, vt tres diuersas arbores nominat. Hæc Cornarij opinio facilè refelli potest. Nam in Plinij vetusti exemplaris membranis pro Strobilis Tubulos legimus, vt sit Tubulus Pinastri genus, de quo inter Pinorum genera disseruimus: Conus verò Strobilúsque, vt iam ex Galeno probauimus, & demonstrabimus, non pro arbore, sed pro Nuce Pinea vsurpatur. At enim Strobilum Pinastrum esse concedamus. Cùm iam Dioscor. de viribus corticis Pinus siue mitis, siue agrestis vniuersè quidem scripserit, cur frustra hîc eadem repetit? Iam verò cũ Pinastri fructus edulis non sit, qui quæso Strobili, idest Pinastri fructus Cornarij sententia vires imbecillas roborare poterit, vel cætera præstare quæ Strobilis Dioscorides attribuit? Quare à Galeno, Paul. Dioscor. Conum & Strobilum, pro Nuce Pinea, non pro Pinastro accipi puto. At Pineæ nucis qui cortex quæ folia erunt, cum arborum, herbarúmque folia tantum, ac florũ esse dicantur? Nuces Pineas videmus squamatim compactilibus nucamentis siue vnguibus totas cõstare, sub quibus nuclei carnosi, molles, esu suaues abduntur. Has integras & nucleos edules Græci modo ancipiti harum dictionum significatu nominant κώνους, κογχύλους, στρόβιλους, modò epitheti accessione distingunt, quemadmodum Dioscorides ὅλους στρόβιλους προσφάτους dixit, Galenus ὅλους χλωρούς, id est integras Pineas nuces adhuc virides, recentes, & tenellas, non, vt Ruell. in Dioscoridem vertit, recẽter ab arbore decerptas, & στρόβιλους καθαροὺς, à nucum suarum putaminibus repurgatas, quales hodie veneũt, στρόβιλους κεκαθαρμένους Asclepiades, & Andromachus appellant: Galen. στροβιλῶν πυρῆνας. Paul. κώνου κάρπον, vulgus nostrum *des pignons*. Nucum Pinearum cortex extima est pars, ac veluti amictus tegens, & eas vndique ambiens, qui cultello vel deglubi, vel deradi potest: folia, lignosæ squamæ, aliæ aliis incumbentes, nucleorum opercula, & cõceptacula, quarum gradatim procedẽte structura coagmentatur Nux Pinea, & in metam colligitur, sic dicta, quòd foliorum modo, cum maturæ nuces decidunt, sese pandunt, & explicant. Hæc folia atque cortex eadem facultate pollent, qua arboris ipsius folia, cortéxque, scilicet adstringente. Quod verò de teda Dioscoridis prodidit, eadem Galenus. Dolentes dentes colluũtur pinguibus tedis in aceto ferue factis: aut Halicacabi corticis, & tedæ in aceto feruefactæ decocto, post longam coctura: aut tedarum ramenta, malicorium, alumen scissum in aceto ad tertias coquũtur, eóque decocto tepido os colluitur. Idem medicamentum quoddam ad dentium dolorem præscriptum dum coquitur, σπάθη δαδίνη, idest spatha siue rudicula, ex teda parata, mouere iubet. Pityides appellantur Pinorum Piceæque fructus inquit Dioscor. πιτύιδες ὁ χαλουῶ τοι ἀκαρπος τῶν πιτύων, καὶ τῆς πεύκης. Locus Matthi. suspectus is videtur. Putat enim verba illa τῆς πεύκης alicunde in cõtextum irrepsisse, & merito quidem. Quid enim πιτύιδες aliud significare possunt, quàm τῶν πιτύων κάρπον, id est, Piceari fructũ, vt στρόβιλοι, de quibus mox idem scriptor agit τῶν πευκῶν, idest Pinorum? Quod de Strobilis repurgatis tradit Dioscor. παρηγοροῦσι ὁ καὶ στομάχων δυσκρασίας μετ ἀνδράχνης χυλῷ λαμβανόμενοι, ἐξερεύδουσι τὲ ἀλονίαν σώματος, καὶ τὰς τῶν ὑγρῶν διαφθορὰς ἐξαμβλυώσι, Plinius his verbis expressisse videtur. Nuclei nucis Pineæ sedant acrimoniam stomachi, rosioneſque, & contrarios humores consistentes ibi, & infirmitatem virium roborant, ex quibus perspicitur Plinium nucleos nucis Pineæ Strobilos appellasse, deinde τὰς τῶν ὑγρῶν διαφορὰς legisse, non διαφθορὰς, vt Dioscoridi habent vulgata exemplaria: postremò

Aet. libr. 8. cap. 46.

Li. 6. med. gen.

Lib. 5. med. part. cap. 9.

Li. 23. ca. 8.

ἐξερεί-

ἐξερείδουσιν ἀλυσίαν σώματος, roborant infirmitatem virium, reddidiſſe. Cornarius tamen non ἐξερείδουσιν, ſed ἐξαιροῦσιν legendum arbitratus, eximunt corporis debilitatem, conuertit. De Strobilo hæc Galen. Strobilus viridis totus habet cum humiditate amaritudinem, quampiam & acrimoniam. Proinde purulentis, atque adeo quibuſcunque expedit quæ in thorace & pulmone ſunt tuſsi reiicere, facilem eam præbet. Porro fructus eius eſculentus nutrimentum eſt coctu difficile, & validum, at medicamen eſt aſperitati gutturis leniendæ congruum, cum videlicet in aqua maceratus, omnem in ea acrimoniam reliquerit. Sic enim quod ſupereſt minùs mordax, magiſque emplaſticum redditur, & ad mediocrem caliditatem trigiditatemque reducitur, ex aquea terreáque mixtum ſubſtantia, minimum particeps æreæ. Quæ ſequuntur præter illa, ſcripſit Matthiolus. Aqua è viridibus Pinorum nucibus deſtillata rugas in facie delet, & mammas admodum extuberantes cohibet, ſi linteolis inea madefactis ſæpius foueantur. Eadem vuluam anguſtiorem reddit, & à fluxionibus tuetur, ſed longè ad hoc efficacior eſt ſuccus. Nuclei Strobilorum Pinus domeſticæ valdè ſunt vtiles, nimirum qualitatibus ſuis temperatis proximi, paululum ad calidum inclinantes. Maturant, leniunt, glutinant, reſoluunt, corpus pingue faciunt, & leuiuſcula quadam acrimonia mordent, bene nutriunt, ac quamuis craſsiuſculum corpori præbeant alimentum, non tamen improbantur. Emendant enim humiditates in inteſtinis putreſcentes, ægrè tamen coquuntur, ideóque naturis frigidis dari debēt cum melle, calidis autem cum ſaccharo. Cæterum tepente aqua macerati acrimoniam exuūt, & oleoſam quam habēt pinguedinem. Sanant frequenter deuorati neruorum ac dorſi dolores. Dantur vtiliter iſchiadicis, paralyticis, ſtupidis, & tremore affectis. Pulmones mundant, & eius vlcera, humores lentos & ſaniem eorum purgantes, quare tuſsientibus dantur. Venerem excitant aqua tepida priùs macerati, deinde ſaccharo aut melle excepti, & deuorati. Semen etiã augent. Præſtãt quoque ad renũ, & veſicę vlcera, ideóq; vrinę ſtillicidiis & ardoribꝰ auxiliãtur. Corticis conorũ Pini in aceto acerrimo decocti ſuffitus perquam vtilis eſt dyſentericis.

Embl. 71. li. 1. Dioſc.

Lib. 7 ſim.

li. 1. Dioſc. cap. 79.

ABIES CAP. XIII.

Nomina Forma.

ABIES à Græcis ἐλάτη nominatur, ab Italis *Abete*, à Gallis *Auet, Sap & Sapin*, à Germanis *Thannem*, & *Thannenbaum*, *Hiſpa. Abeto*, *arbol* Angl. *Maſtre*, & *Deele*, Abies arbor eſt excelſa, Pino Piceáque procerior, imo omniũ coniferarum, dēpta Cedro, altiſsima, rectiſsima, maximè enodis. Cortex huic albicat, & ſi flectatur, facilè frangitur. Abietis pars quæ à terra eſt, inquit Plinius, enodis, & fluuiata, decorticatur, atque ita Sapinus vocatur: ſuperior pars nodoſa, duriorque, Fuſterna. Rami, non vt in Picea terrã verſus flectuntur, ſed incœlũ erecti ſtant, atque ex lateribus vtrinque prodeuntes ſurculos emittunt crucis figura, ſicut & in Picea. In his folia ſimiliter diſpoſita, vtrinque ſcilicet ex ramorũ ſurculorũque lateribus emergunt, & vt ait Plinius, inſecta ſunt pectinum modo, latiuſcula, breuia, dēſa, leuiter pũgētia, hyeme nõ decidua, dilutæ viriditatis. Conos fert palmæ lõgitudine, Piceæ conis adſimiles, in quibus ſemen eſt ſubalbũ, ſine vlla medulla. Theoph. Abietẽ quãdã marẽ, quãdã fœminã eſſe tradidit, eáſque foliis differre. Mari enim acutiora, magíſque pungentia, ac magis flexa, quare aſpectu criſpior tota arbor videtur. Materia etiã differũt, cãdidiore in fœmina, molliore, operíque faciliore, atque toto caudice proceriore. Mari ea magis varia eſt, latior, durior, medulla plenior, denique aſpectu minꝰ pulchra. Præterea Conus maris paucos nucleos habet in priore tãtũ parte, fœminæ Conus nullos omnino, vt Macedones dixerunt. Abieti folia pinnarũ modo quæ

Lib. 16. c. 19

Lib. 16. c. 14

Lib. 3. Hiſt. cap. 10.

Genera

ABIES.

Ibidem.

auiũ alas cõponũt, in breuiora foliola continuantur, aliis ſuper alia iacẽtibus & impoſitis, ita compacta, vt minora & breuiora perpetuo ſint poſteriora, quæ verſus cacumẽ ſpectãt, & antepoſitis ſuccedunt, ea figura teſtudinem referente, ſimillimáque Bœotorũ fornicibus. Sic enim vertere, emendare, & παραφραστικῶς exponere mihi viſum eſt hæc verba Theophr. ἔχει ὁ ὥσπερ πλέυρυγας τὸ φύλλον, καὶ ἐπ' ἔλατίον, ὥστε τὴν ὅλην μορφὴν εἶναι θολοειδῆ, καὶ παρομοίαν μάλιστα ταῖς βοιωτίαις καμάραις, Gaza κυάθοις legit, publica exẽplaria κωνείοις. Dẽſa adeo ſunt hæc folia, vt nec niuẽ, nec imbrẽ trãſmittãt. Denique arbor eſt aſpectu decora, magnitudine excelſa, Pinóque procerior, à qua etiam ligno non parũ diſtat. Nã Abieti neruoſum, molle, leuéq;, Pino teda pingue, graue, carnoſius. Nodi plures Pino, ſed duriores Abieti, imo in Abiete quã in reliquis ferè omnib⁹ duriores, & ſi illi molli⁹ lignũ ſit. Vt Pinus Aegida, ita Abies albũ habet, quod λεῦκωμα vocatur, Aegidi proportione reſpõdẽs, cuius nominis veſtigia etiã hodie ſuperſunt. Nã Iuræ montis lignatores Abietũ Picearúmq; cãdidiſsimos truncos nõ nodis interceptos, ſed recto venarum procurſu fluuiatos, & ad opera inteſtina faciles, nũc *Ouchon*, nũc *Louchon*, vocãt. Abies inter cortices præſtãtiſsimũ illũ liquorem cõtinet, qui Italorũ vulgo *Lagrimo* vocatur, ideſt, lacryma Abietis. De hac veteres, Matth. putat, nihil literarũ monimẽtis conſignaſſe, niſi quis dixerit Galenũ liquidam illam Piceæ reſinam, quã Terebinthinæ loco inſtitores vẽdebãt, pro Abiegna lacryma accepiſſe, tum quod ſcribat illã guſtu odoréque terebinthinæ eſſe perſimilem, id quod in Abiegna lacryma deprehẽditur, tũ quod eadem ſit quodãmodo Terebinthina acrior, quibus qualitatibus liquida Piceæ reſina caret. Hæc impulerũt Matth. vt ſuſpicetur his Galeni verbis mẽdũ aliquod ſubeſſe, maximè cũ is ſcripſerit in Euphorbij medicamẽto, inter reſinas cæteris odoratiores eſſe Terebinthinã, & Abiegnã, hánceque illa calidiorem, quãuis, inquit Matth. veteres in arborũ reſiniferarũ hiſtoria in multis ſibi ipſis nõ cõſentiant. Qui Abiegnã lacrymã clariſsimã Larignã eſſe putant, vehemẽter errãt. Illa etenim inter Abietis cortices vomicæ modo coaceruatur, & ſecta veluti cute, vt in abſceſsibus pure tumidis fieri ſolet, elicitur, Larigna verò manat ex Laricis caudice ad medullã vſque terebrato, id quod experiẽtia ſibi cognitũ ac cõpertũ eſſe Matth. aſſeuerat. Abiegna lacryma, ſiue Abiegna reſina liquida in quibuſdã Italiæ locis *Olio d'aueto* nominatur, ideſt oleum Abiegnũ, quæ vox Belloniũ mouit vt crederet id reſinam eſſe ἐλαφώδη, ideſt oleoſam Dioſcor. quo loco non reſinarum genera, id quod prius fecit, ſed reſinarum coloris differentias explicat. Officinæ Terebinthinam Venetam vocant, Galli *Terbentine de Veniſe*. Ex nouellis Abietibus ea colligitur, quarum cortex nulla rima finditur, ſed glaber tuberculis ſcatet, cùm annoſarum cortex in rugas contrahatur, rimoſus ſit, & ſine vllis tuberculis. Tuberculis paſtores armentarij bubuli cornu acutum faſtigium ſic adigunt, vt inde liquidam illam reſinam excipiant, quod cum per totũ diem in plurimis tuberculis moliti ſunt, operę pręciũ ſe feciſſe, putãt, ſi cornu vnũ quatuor vnciarũ capax liquore illo plenũ domũ retulerint, quia vnũ

Lib. 3. cõp. med. gen.

Ibidem.

Li. de. Cõ. ca. de Reſi. Lib. 1. c. 77.

Bello. de Conif. ca. de reſi.

quod

quodq; tuberculum vnã vel alterã duntaxat guttam contineat, quo fit vt rarior sit is liquor, maioríque pretij. Ex Abiete veluti ex Pinu, ac Picea resina etiam sicca & candida colligitur, quæ thus ementitur, ac pro eo à vulgo vsurpatur. Abies in montibus nascitur, in planis minimè: opacis locis gaudet. Paulo ante solstitium floret, auctore Theophr. Est autem flos eius κόκκινος, id est cocci colore, vt in excusis libris reperitur. Gaza verò κρόκινος legit, id est crocus. Fructum profert post vergiliarum occasum. Matthiolus id negat, Abieténque omnem flore & fructu carere scribit in Tridentinis montibus, quorum syluæ Abietes multas alunt. Cortex & resina Abietis arida, qualitatibus ac viribus cortici & aridæ Pinus resinæ valdè sunt similes, nisi quod paulo acriores, magis detergent. Abietis liquida resina, calida siccáque ordine tertio, acrimonia quadam sua tergendi vim obtinet, & ad veræ Terebinthinæ qualitates proximè accedit. Vulneribus recentibus, præsertim capitis, maximè confert, quod non solùm ea mundet, sed & solidet. Sumpta semiunciæ pondere, per aluum biliosos humores vacuat, renes absterget, vlceratos sanat, vrinam cit, calculos eiicit, arthriticos dolores mulcet, coxendicum cruciatus lenit. Nucis magnitudine deuorata cum nuce moschata, & saccharo, stranguriam sanat, pudendorúmque vlcerationi maximè succurrit. Abies nauibus aptissima est: triremes enim & longa nauigia ex ea, leuitatis gratia, fiunt. Ædificiis optima quæ vetustissima, modo carioſa non sit. Quin & ad tabulas pictorias, & ad plurima alia vtilis est. Pondus sustinent valdè Abies, & Pinus. Renituntur enim, nec temerè rumpuntur, priúsque carie quàm viribus deficiunt.

Dioſc. li.1. cap.93. Dod lib.6. cap.91. *Locus.* Theophr. lib.3.Histo. c.4. & li.2. cau.c.9. *Temper.* Lib.4. Hist. cap.6. Ibidem. *Temperam. & Vires.* Dod.ibid. Matth. & Dodo. ibi. Theoph.li. lib.5.Histo. cap.8. Plin.lib.16. cap.42. Theophli. 5.Hist.ca.7.

LARIX. CAP. XIIII.

LARIX.

VÆ Larix Latinè, & Larex, λάρεξ etiam Græcè nuncupatur, Gallicè *Meleſe*, Italicè & Hispanicè *Larice*, Germanicè *Lerchenbaum*. Arbor est eximiæ proceritatis, Abiete tamen sæpè humilior, nonnunquã verò æqualis: cortice valde crasso, multis rimis hiulco, intus rubente. Circa stipitem rami veluti per gradus collocantur, cum surculis & adnatis plurimis, Salicis modolentis, coloris lutei, odoris non iniucundi. In his folia ex tuberculis satis à sese distantibus emergunt eáque numerosa, densa, comosa, quæ circiter triginta simul iuncta penicilli pictorum summitatem referunt, oblonga, mollia, Pineis angustiora, minimè aculeata, hyeme aduentante decidua, ita vt sola Larix inter omnes arbores resinam fundentes, frigoris sæuitiam non reformidans, nuda hyemem transigat. Quare Plinius non rectè Laricem in his syluestribus arboribus numerauit, quibus folia non decidunt, neque in iis quarum pungunt folia. Sed quomodo Laricem accipiat nos supra declarauimus. Hac in re Plinij incõstantiam animaduertere licet, alio loco folia minimè aculeata, sed villosa, pinguia, mollia, Larici tribuentis, nisi vitiosa in vulgatis exemplaribus lectio nos fallat. Picea minùs alta quàm Larix, inquit Plinius: illa crassiori,

Nomina

Forma.

Lib.16.c.21.

Cap.12. Li.16. c.10.

læuioríque cortice, folio villoſior, pinguior, & denſior, molliórque flexu: at Piceæ rariora, ficcioráque folia, tenuiora, & magis algentia, totaq; horridior eſt, & perfuſa reſina. Hanc ſcripturam vnius dictionis mutatione reſtituere licet hoc modo. Picea minùs alta quàm Larix: hæc craſsiori, læuioriq; cortice, folio villoſior, &c. vt, hæc. ad Laricem referatur, quam correctionem ſenſus & contextus neceſſariò poſtulant. Nam ſi verba hæc, folio villoſior, &c. de Picea continenter intelligantur, quî eius folia pinguia, denſa, molliaq; eſſe poſſunt, quæ mox dicuntur tenuiora, rariora, ficcioraq; ? Ad hæc ſi præcedentia omnia de Picea, & non de Larice accipienda eſſent, cur illis particulam, At, diſcretiuam, vt aiunt, ſubiicit, cùm dicit, At Piceæ & cætera? Ex his perſpicere licet
Lib. 1. c. 91. Laricis corticem læuiorem eſſe quàm Piceæ, vt exiſtimauit Ruell. ſed eius aculeata folia non eſſe, cùm aculeatum & villoſum ſint aduerſa. Villi enim ad tactum molles ſunt, minimè autem ſpinæ, ſiue aculei. Flores Laricis vere ex ramuſculorum ſummitatibus exoriuntur, multùm odorati, contra Plinij ſententiam,
Lib. 16. c. 25. qui Laricem inter triſtes arbores recenſet, nec vllo flore exhilarari ſcripſit. Hi arbores ſuas valde ornant, quod in purpura ardenter rubeſcentes, comantibúſque foliolis miro naturæ artificio annexi, viatorum oculos non parũ remorantur, & recreant. Coni cupreſsinis admodum ſimiles, paulo longiores odoris non ingrati, breui petiolo ramis alligati, ipſiſq; incumbentes, ex tenuiſſimis ſquamulis compactilibus ac foliatiſq; contexuntur: quarum ſingulæ binos nucleos foliatos, alæ cicadarum ſimiles, ſemenq; exiguum, magnitudine ſeminis Cupreſsi includunt, quod manſum, Nucem Pineam odore plane imitantur. Laricis materia duriſsima eſt, præſertim quæ rubet, & in caudicis medio, odore acrior: quam ob cauſam in ædificiis quibuſuis extruendis cæteris
Li. 16. c. 10. omnibus longè præſtat. Larix, inquit Plinius, nec ardet, nec carbonem facit, nec alio modo ignis vi conſumitur, quàm lapides, cum cætera quæ picem & reſinam fundunt, accenſa fuligine immodica carbonem repentè expuant, cum
Cap. 9. li. 2. eruptionis crepitu, eiaculenturq; longè. Larix Victruuio flammam ex igne non recipit, nec ipſa per ſe poteſt ardere, niſi, vti ſaxum in fornace ad calcem coquendam, aliis lignis vratur, nec tamen tum flammam recipit, nec carbonem remittit, ſed longo ſpatio tandem comburitur, quòd eſt minima ignis & aëris è principiis temperatura, humore autem & terrena materia ſpiſsè ſolidata, non habens ſpatia foraminum, qua poſsit ignis penetrare, reiicítque eius vim, nec patitur ab eo ſibi cito noceri, propterq; pondus ab aqua non ſuſtinetur, &c. Quæ falſa eſſe tum ratione, tum experientia conſtat. Nam cùm omnium conſenſu, præſertim Plinij, ac Victruuij, Larix reſinam liquidam fundat, pinguem
Matth. li. 1. Dioſ. c. 74. & Epiſt. 1. lib. 4. Epiſt. ſcilicet, & quæ, non aliter quàm bitumen, igni admota facilè accendatur, quis credat Laricis lignum pingue, reſinoſumq; ignem reſpuere, quum lapides ipſi qui ſua natura flammis non accenduntur, ſi bituminoſi ſint, perinde ac ligna exurantur, editis continuò flammis quoad in cineres vertantur? Cuius rei locupletiſsimi teſtes ſunt Flandri, Brabanti, & aliæ Aquiloniæ gentes, quæ lignorum penuria, huiuſcemodi lapidibus ſuos fouent ignes. Præterea, ſi Larix neque ignem admitteret, neque carbonem faceret, malè cum iis ageretur qui in Tridentinis montibus, & in ea præſertim valle Ananiis contermina quam Solis nuncupant, ac in Camonica, & Eliotropia, & in Brixienſi agro in fornacibus ferrum excoquunt. In iis enim maxima Larigni carbonis ardet copia, neque (vt aſſerunt artifices) vllo alio carbone quàm larigno, rude ferri metallũ celeriùs colliqueſcit. Lignum etiam Laricis ſiccum, cùm reſinoſum ſit, impetu vehementi flagrat. Quamobrem in Tridentinis montibus Laricina tantùm ligna in furnis accendunt, tam iis quibus panis coquitur, quàm iis quibus

hypocau

hypocausta calefiunt. Quod autem attinet ad ea quæ narrat Vitruuius de castello quodam circa Alpes, excercitum illic habente Cæsare, ante cuius portam turris erat ex hac materia, alternis trabibus transuersis, vti pyra, inter se alte cõpositis, quam fasciculorum virgis alligatorum flamma, facésque ardentes congestæ ac immissæ lædere non potuêre, existimandum est id euenisse, non quòd Laricis materia vri non possit, sed quòd ventorum, niuium, frigoris vi, omni denique temporis iniuria, qua perpetuò ferè Alpina regio infestatur, temporis etiam diuturnitate durior, exhausto pingui succo veluti lapidea facta, à fasciculis virgarum, facibúsque, non facilè accendi potuerit, maximè cùm arboris cuiusuis solida duráque, nec in particulas concisa materia, non statim primo ignis occursu facilè vincatur, nedum Laricea, quæ soliditate & duritie cæteras omnes antecellit. Hic rursus adnotandum mirum esse Plinium in Laricis historia tantopere à sese dissentire. Cùm enim scripserit Laricem nec ardere, nec carbonem facere, paulo post ait, In Macedonia Laricem masculam vrunt, fœminæ radices tantum. Ex Larice, vt scribit idem, liquor erumpit melleo liquore, atque lentore, nunquam durescens. Et alio in loco, Larix resinam fundit gracilem, ac mellei coloris, virus redolentem, id quod ante ipsum dixerat Vitruuius. Larix habet resinam liquidam, mellis Attici colore: quare etiam medetur phthsicis: ῥητίνη λαρικίνη, vel λάριξ dicitur, à Latinis resina Laricea vel Larigna, in officinis Terebenthina, sed falsò. Prouenit etiam in Larice Agaricum optimum, de quo idoneo loco tractabimus. Vallis est supra Benacum lacum, cui à Laricum copia Vallarice nomen est. Sunt & Larices in ripis Padi, & in Slesia. Initio Martij mensis pullulare folia incipiunt ab iisdem germinibus, à quibus præcedente anno deciderant. Fructus Septembri maturus est. Laricis cortex, folia, fructus, nuclei eodem sunt, quo hæc in Pinu, temperamento, sed non eadem virium efficacia. Resina Larigna calida siccáque est, vt & cæteræ resinæ, sed magis absterget. Vtiliter emplastris, vnguentísque ad vulnera detergenda curandáq; accõmodatis miscetur. In tussi delincta cum melle thoracem expurgat. Sumpta ventrẽ lenit, vrinam prouocat, calculos expellit. Tardissimè Larix cariem vetustatémque sentit, ob succi amaritudinem, auctore Vitruuio.

Loco supra citato.

Lib. 16. c. 12.

Lib. 16. c. 10

Lib. 24. c. 6.

Locus.

Tempus.

Tepera. & Vires.

CVPRESSVS CAP. XV.

CVPRESSVS Græcis κυπάρισσος dicitur, vel κυπάρισσος, ἀπὸ τοῦ κύειν τὰ εὐστόχους τοὺς ἀκρεμόνας, id est à partu parilium ramorum, Arabibus *Suro*, & *Sera*, Officinis Cypressus, Gallis, Anglis & Belgis *Cypres*, Italis *Cypresso*, Germanis *Cypressen*, Hispanis *El Cypres*. Eius duo sunt genera: Mas, & fœmina, cuius meta in fastigium conuoluitur: mas ramos in latũ spargit. Vtraque procera est arbor, recta, crasso caudice, in summitate tantùm ramosa: folia Sabinæ bacciferæ, viridiora, longiora, perpetuò virentia: conos Laricis similes gignit, breuiores, crassiores, duriores, compactiores, quos Nuces Cupressi vocãt, alij pilulas, quidam Galbulos, in quibus semen, minimis granis constans, & quæ vix perspici possint, non omittendo naturæ miraculo, è semine tam paruo nasci arbores adeo proceras. Hoc semen formicis mirè expetitur, ampliato etiam miraculo, tantuli animalis cibo absumi natalem tantarum arborum. Id Theophr. dicit esse non σιλυώδες, vt publica habent exemplaria, id est Piceæ semini simile, sed σιλυρώδες, id est furfuraceum, siue furfurosum: est enim furfuri simillimum. Ligni materies flauescit, dura est, solida, compacta, odorata, maximè cùm igni admouetur. Fundit caudex resinam liquidam, Larignæ, & Terebinthinæ similem, sapore acerrimam. Cupressus non nisi in locis calidis sponte prouenit, vt in Creta, Lycia, Rhodo, ac Cyrenensi etiam

Nomina

Genera. Plin. lib. 16. cap. 13.

Forma.

Plin. li. 17. cap. 10.

Li. 1. Caus. cap. 5. Scalig. ibi.

Locus. Theophr. lib. 4. Hist. cap. 6.

agro

CVPRESSVS.



Plin. li.16. cap.33.

agro. Sed in Creta quocunque loco terram mouerit quiſpiã, niſi ſeratur alia, hæc gignitur, ac protinus emicat: illa verò etiam non appellato ſolo, ac vltro, maximè in Idæis mõtibus, & quos Albos vocant, ſummis eorum iugis, vnde niues nunquam abſunt, plurima: quod miremur, alibi non niſi in tepore prouenies, & nutricem magnoperè faſtidiens. Hæc Plinius ex Theophraſto. Cupreſsi fructus maturus eſt menſe Septembri, vel ineunte Vere. Plinius triferam eſſe ait, colligíque baccas eius menſe Ianuario, Maio, & Septembri. Cupreſsi folia fructúſque ad tertiũ vſque ordinem deſiccant ſine manifeſto calore, & adſtringunt. Cupreſſus Dioſcoridi, refrigerat, & adſtringit. Folia ex paſſo, & exiguo Myrrhæ pota veſicæ rheumatiſmis, & vrinæ difficultati auxiliantur. Pilulæ ex vino tuſæ in dyſenteria, alui fluxione, tuſsi, orthopnœa, aut ſi reiiciatur ſanguis, cõuenientiſsimè bibuntur. Earum decoctum eoſdem præbet effectus. Tuſæ cum fico duritias emolliunt, nariúmque polypo medentur: in aceto coctæ, & cum lupinis detritæ ſcabros vngues eiiciunt: hernias inteſtinorum prolapſu erumpentes illitu reprimunt: Folia eadem præſtant. Pilulæ cum arboris coma ſuffitæ culices abigere exiſtimantur. Folia trita & impoſita vulnera glutinant, ſanguinem reprimunt: trita ex aceto capillum tinguntillinuntur per ſe, aut cum polenta, ignibus ſacris, vlceribus quæ ſerpunt, carbunculis, & oculorum inflammationibus: admota cum cerato ſtomachum roborant. His addit Galenus Cupreſsi germina, totiúſque ſtirpis qualitates declarat, quibus omnia efficiuntur quæ Dioſc. propoſuit. Cupreſsi folia, inquit, germina, pilulæ recentes & molles magna vulnera glutinant in duris corporibus: ex quo clarũ eſt reſiccandi vim habere abſq; inſigni acrimonia, vel caliditate, ſicut certè & guſtus teſtatur. Apparet enim in ea leuis quædam acrimonia, ſed plurima amaritudo, multo etiam plus acerbitatis in tota planta. Tanta verò illa eſt acrimonia & caliditas, quãta ſatis ſit deducendæ in altum acerbitati, ſic vt nullum interim morſum, nullam moleſtam caliditatem in corporibus efficiat. Proinde altè latentes in flaccidis putreſcẽtibuſq; affectibus humiditates innoxiè tutoq; depaſcitur, & abſumit: alia verò quę excalfaciunt ſimul, & deſiccãt, humiditates quidem illas abſumũt, cæterũ acrimonia, & caliditate alias attrahunt. Enterocelas Cupreſſus iuuat, quoniã exiccat, & robur addit corporis partibus præ humiditate laxis, vt pote cum adſtrictio in altum ſubeat, deducente ipſam caliditate quæ adiuncta eum ſeruat modum, vt deducere quidẽ valeat, non autem morderere poſsit. Quidam Cupreſſo vtuntur ad carbunculos, & herpetas, polentæ miſcentes, tanquam abſumat citra excalfactionem eos morbos facientem humiditatem. Sunt qui ad eryſipelata vtuntur, admiſta nimirum polenta cum aqua, aut Oxycrato aquoſo. Hæc Galenus. Aetius ſcobem, aut ſecamenta, ramentáue, ſerra aut ſecuri detracta, vel extrita quæ πελεκύσματα, & πρίσματα vocat, ad corpori bonũ colorem inducendũ vſurpat. πελεκύσματα κυπαρίσσου, inquit, καὶ πρίνος, ἐλαίῳ ἐψήσας, ἀλφίτοις σῶμα. Conorum Cupreſsi decoctum, ſcribit Matthiolus, ex aceto paratũ, dentium

Lib.4 Hiſt. cap.1.
Tempus. Li.16.c.27.
Temper. & Vires. Lib.1. c.86.
Lib.7.ſim.
Lib.8.c.3.
Lib.1. Dioſcor.ca.86.

dolores

dolores mulcere, si eo sæpè os colluatur. Idem præstat & foliorum decoctum. Hoc quoque medicamennto vitiligines curantur. Eorundem & vnguium mulorum cinis oleo myrtino exceptus valet illitus ad capillorum defluuium. Iidē coni, vt Marcellus inquit, impari numero minutissimè triti, & ex vino vetere hausti, tussim potentissimè leniunt. Recentes viridésque hernioſos magnoperè iuuant, si eorum decoctum ex vino vetere quotidie affecti biberint trium vnciarum pondere. Interim tamen folia Cupressi trita testiculis illinēda sunt, auxilio multis experimentis comprobato. Idem præstant tenera arboris germina commāsa, ita vt eorum succus deglutiatur. His adiungit Dodon. fructum Cupressi foliorúmue ex oleo decoctum, ventriculum roborare, vomitus reprimere, ventrem astringere, omnesq; eius fluxiones, & pudendorum vlcerationibus mederi. Iidem fructus cum caricis tusi genitalium tumoribus medentur, & addito fermento bubones disipant impositi. Reliqua semina foliis Cupressi tusis si misceantur, tradunt à vermiculis non tangi, neque erodi. Ligni eius nulla temporis diuturnitate suauem odorē euanescere aiunt, quare id ad mensas & arculas expetitur, ac in iis numeratur, quæ cariem vetustatemq; non sentiunt. Pinum & Cupressum aduersus Cariem tineasq; firmissimas esse veteres prodiderunt, quam ob causam simulacra deorū ex ea sculpebant antiqui. Narrat Theuetus se, cùm in Ægypto esset, vidisse Damiatæ capsam quandā ex Cupressi ligno fabricatam, in terram loco vliginoso, decem pedibus altius defossam, prorsus incorruptam, atque integerrimam inde extractam, cum illic sepulta fuisset ex quo Sultanus Selimus totam Ægyptum subiugauit, circiter annum Domini 1512.

Lib. 6. c. 86.

Plin. lib. 18. cap. 17.

Plin. lib. 16. cap. 40. 41. Theoph. li. 5. Hist. ca. 5. Theuet. l. cosmog. li. 12. cap. 19.

THVIA. CAP. XVI.

DE resiniferis arboribus quæ conos producunt, diximus, nunc de iis tractandum quæ baccas edunt. A Thuia incipiemus, quam Cedrū Lyciam esse Bellonius existimauit. Ego Thuiæ & non Cedri genus videri supra monui. Massilienses & Prouinciales apud quos frequens est, *Serbin* vocant, nomine ad Sabinam accedente, quamobrem aliqui Sabinæ genus esse volunt. Lobellius esse putat Cedrum Phœniciam alteram Plin. & Theophr. Oxycedrum verò folio Cupressi, aut Sabinam maiorem Monspelienses. Ex huius ligno virēte, vt & Iuniperi, Fraxini, Sabinæ vtriusque, & Oxycedri, picis liquidæ genus fœtidissimum conficitur, quod *Huille de Cade* vulgus appellat. Caudex eius est brachij crassitudine, scaber, fuluus, succo pingui madēs: folia Cupresso simillima, obtusa, quasi squamulis compactilibus coagmentata, sibiipsis insidentia, quæ si digitis terantur, odorē gratum spirant. Baccas edit rotundas, ad Iuniperinas accedentes, initio virides, mox ante maturitatem flaueſcentes, postremo rubras, pulchras, gustu subamaro, odoratas. Aliud Thuiæ genus arborem esse puto, quam idem Bellon. Sabinā alterā, siue Sabinā arboreſcentem vocat, frequentē admodum in mōtis Amani & Olympi Phrygiæ cacuminibus: caudice tortuoso, sæpè crassiore quā vt hominis brachiis

Thuiæ genus 1. Li. de Conif.

Nomina Locus.

THVIA, Massilienſium.

Vsus.

Forma.

Genus 2. Ibidem.

Locus.

Forma.

brachiis capi posit:cortice viti simili,modicè crasso, rufo: materia foris alba, intus veluti gilua, cui nullam aliam similem reperias. Est enim ei veluti vini dilutus quidam rubor degenerans in subnigrum. Perpetua coma viret: folia Cupresso omnino similia,adeo vt si eminus spectetur, etiam harū rerū peritus homo,à Cupresso vix internoscatur, maximè si baccis suis careat: densiora tamen sunt eius folia,gustatu amara,aroma olentia,& resinosum quidpiam præseferentia.Florem non promit,apparente statim seminis rudimēto. Arbor illa baccarum ferax est, quas semper seruat hyeme,decidentibus annotinis cū aliæ maturæ fiunt:nondum maturæ virent, omnino maturæ ex nigro in cæruleum degenerant,rotundæ,Cedridibus vix crassiores.In extremis ramulorum surculis,& non alibi oriuntur,ita vt singuli ramulorum surculi singulas baccas ferant.Amaræ sunt & subodoratæ,turdis & merulis cibus gratissimus. Huius arboris materiam ad testudines faciendas Turcæ expetunt, quod in rimas nunquam findatur.Thuiæ tertium genus in regiis Callirhoes hortis, & quibusdam aliis Lutetiæ viret,nomine Paradiseę arboris, magna odoris suauitate & vehementia,quam qui Francisco Galliarum Regi dono dedit, Arborem vitæ nominauit,fortasse ob odoris vehementiam. Elegans admodū est arbuscula,perpetua fronde virens, caudice recto, ligno duro,nodoso,cortice ex rubro nigricante,ramis multis & expansis, qui in ramulos alios à lateribus succrescentes diuiduntur, in quibus folia oblonga, Cupressi fere, veluti è squamulis coagmentata, quaterna ferè semper simul, ex quorum extremis flores vere exeunt,quemadmodum in Cupresso, pusilli, flauescentes, quorum nonnulli deinde in exiguum fructum Pinei nuclei magnitudine formantur, Coni instar ex sex squamulis tenellis compactum, primo viridem, deinde pallescentem,& cùm perfectè maturuerit, nigricantem, quaterna plerúmque semina paleacea medio (in quo medulla acris & amariuscula) extuberante continentem. Tota arbor admodum odorata est. Quartum Thuiæ genus dixi esse Lyciam Cedrum Matthioli, minore folio,dum arbor tenera est,Iuniperi,paulo breuiore, ac molliore, post tertium aut quartum annum,rotundo,Cupresso simili, & nonnunquam in ramis inferioribus adhuc acuto,& pungente,in summis verò, iam obtuso ac rotundo:quam mutationem nisi diligenter obseruemus,facilè decepti credemus aliam esse plantam cùm adolescit, & cùm adulta est.In Spuriis Dioscoridis legitur Iuniperum magnam,quam syluestrem Cupressum aliqui vocant, vulgo cognitam esse,Cupresso similem, nascentem plerúmque in asperis & maritimis,eadem facultate præditā quali Cupressus. Ea Dioscoridis verba huic plantæ conuenire quidam arbitrantur. Figura Matthioli ostendere videtur adolescentem,nostra adultam.Quod si quis nostram hanc de Thuiæ generibus sententiam reprehendat, Matthioli auctoritate & ratione fretus, quod scilicet Thuion siue Thuia forma Cupresso similis ramis, foliis, caudice, fructu, nusquam nisi apud Ammonis delubrum proueniat, & in Cyrenensi regione, auctore

THVIAE genus tertium.
Arbor vitæ Gallis.

Vsus, Genus 3.

Genus 4. Cap.2.

THVIÆ Genus quartum.

ctore Theophr. respõdeo Theophrastum duplicis Thuiæ meminisse, huius quam modò dixi quæ in Cyrenensi regione feruida nascitur, & quam Matthiolus Atlanticam Cedrum Plinij esse arbitratur (quanquam Hermolaus Citrum legi oportere scribat, tum omnibus approbantibus, tum ex Codicum antiquorũ fide, & Thuion quod apud Homerum est, Citrum interpretetur Macrobius: Citrũ autẽ illud crediderim, cuius in Atlante monte nobiles syluæ materiam lautis mensarum orbibus suppeditauêre, Romanis expetitarum deliciis:) Alterius Græciæ familiaris, quam montium verticibus & gelidis locis gaudere tradit, & fructum tardissimè perficere, vt & Arcades narrant. Huius Arcadicę Thuiæ ea quatuor genera esse puto, quæ à me modò sunt exposita, sententiam mutaturus cum aliquis alius de iis meliora & probabiliora in medium protulerit. Perdurat Thuiæ materies incorrupta omnino. Radice huius arboris nihil crispius, nec aliunde pretiosiora opera.

Lib. 5. Hist. cap. 5.

Lib. 1. Dioscor. ca. 89. Lib. 13. c. 15. In Castig. Plin.

Lib. 4. Hist. cap. 1.

Theoph. li. 5. Hist. ca. 5.

TEREBINTHVS CAP. XVII.

TEREBINTHVS Græcè τέρμινθος nominatur, Arabicè *Baton, Boton, Botin*, siue *Albotin*, Italicè *Terebintho*, Gallicè *Terebinthe*, Hispanicè *Cornicabra*, Anglicè *Terpentine tree*. Folio est lẽtisci, maiore, crassiore, pinguiore, perpetuò virente. Flores edit paruos, racemosos, rufescentes, ex quibus fructus prodeunt rotundi, primùm virides, deinde rubescentes, postremò nigri, resinosi, odorati, duriq;. Grana viridia vocat Auicen. Ligni materies pulchra est, nigricans, densa. De hac arbore sic Theophrastus. Terebinthus alia mascula est, alia fœmina: & mascula quidem, sine fructu. Fœminarũ altera fructum statim rubentem edit, lentis magnitudine, qui coqui nequit. Altera viridẽ (χλωρὸν, Plinius pallidum vertit) deinde rubentem, & cum vite matureſcentem, tandem nigrum, fabæ magnitudine, resinosum, odore iucundiorem (sic enim Plinius ἡυωδέστερον interpretatus est, Gaza ἡδοδέστερον legit, id est, sulfurosum.) In Ida & Macedonia breuis hæc arbor est, fruticosa, contorta: in Damasco Syriæ magna, copiosa, pulchraq;. Montem enim quendam aiunt esse Terebinthis refertum, in quo arbor alia nulla gignitur. Materies ei lenta: radices validæ, & profundæ: tota arbor incorrupta, siue, vt loquitur Plinius, fidelis ad vetustatem: flos oleæ similis, rubens, folia

Nomina

Forma.

Lib. 2. c. 310.

Lib. 3. Hist. cap. 15.

Genera.

Lib. 13. c. 6.

Ibidem.

TEREBINTHVS.

in vno pediculo multa, Laurinis ſimilia, bina veluti ſorbo, in ſummis ramuſculorum partibus imparia, niſi quod minùs angulata quàm ſorbo, & ambitu Laurinis ſimiliora, pinguia cum toto fructu. Fert & illa folliculos quoſdam cauos, vt Vlmus, in quibus naſcuntur animalcula quædam, ceu culices. Sic enim ex Theophraſto legendum: φέρει ὃ & κωρυκώδη τινὰ κοῖλα, non κορυώδη, vt in excuſis habetur, neque καρυώδη, vt legit Gaza, qui ſic vertit, Fert & ad nucis ſimilitudinem quædam concaua, &c. Hi folliculi cornicula ſunt rubentia, caprinis ſimilia. Intus eſt reſinoſum quiddam, lentumq; : hinc tamen reſina non colligitur, ſed ex ligno: neque fructus Reſinæ copiam fundit, ſed manibus tantum adhæret, & ſi collectus non lauetur, cohęreſcit, cùm verò lauatur, candidus & immaturus ſupernatat, niger ſubſidit. Hæc Theophr. qui alio in loco Indicæ Terebinthi meminit, de qua idoneo loco dicetur. Reſina liquida omnium præſtantiſſima ex Terebintho manat, odorata, quæ non ita pridem in Italiam deferri cœpit. Eius locum Larigna non ſolùm ſibi vendicauerat, ſed etiam cognomẽtum, vt iam dixi: nunc vera Terebinthina Venetias defertur ex Cypro. Antea coctam deferebant, vel quod aduectu eſſet commodior, vel ad adulterandum aptior. ῥητίνη τερμινθινὴ, Latinè Reſina Terebinthina dicitur, ab Auicenna Gluten Albotin. Montes amat Terebinthus. Naſcitur in Syria, & Græcia, in multis Hetruriæ locis, præcipuè, in antiquorum ædificiorum ruinis, ac ruderibus, ſed frequens admodum in lapidiæ collibus, prope Pucinum caſtrum, haud procul ab Adriatico ſinu, non longe à Tergeſto. Prouenit etiam in Prouincia. Veris initio floret, meſsibus reddit ſemen. Terebinthi folia, ſemen, & cortex Dioſcoridi aſtringunt, & ad eadem, ad quæ Lentiſcus, conueniunt, ſimili parata modo, ſumptaq;. Fructus eſui aptus eſt, ſed ſtomacho aduerſatur: excalfacit, vrinã mouet, venerem excitat: contra phalangiorum morſus conuenienter in vino bibitur. Reſina eius ex Arabia Petræa defertur. Prouenit etiam in Iudæa, Syria, Cypro, Africa, & Cycladibus inſulis. Sed præualet candida, perlucida, vitreo colore, & in cæruleum vergẽte, Terebinthum olens. Terebinthina reſinas omnes antecellit. Galen. Terebinthi cortex idẽ ait, folia, fructus adſtrictoriũ quiddam obtinent, & ſecundo ordine excalfaciunt: itaque quod etiam deſiccent, perſpicuum eſt: recentes quidem, humidi modicè, ſicci verò ordine ſecundo Cæterùm fructus aridus propinquus eſt tertio ordini deſiccantium. Eſt enim adeo calidus, vt mandẽtibus protinus eius caliditas percipiatur. Itaque vrinam prouocat, & lienibus prodeſt. Inter Reſinas, quod idem ait, præfertur Terebinthina, manifeſtam quidem, non tamen ſimiliter atque Maſtiche adſtrictionem habens, verùm adiunctam amaritudinem quandam, per quam valentius quàm Maſtiche digerit. Ob eandem qualitatem ineſt & abſterſio, tanta quidem, vt & pſoras ſanet. Quinetiam quæ in profundo reſident cæteris Reſinis magis attrahit, nimirum cum illis maiorem habeat partium tenuitatem. Terebinthina Reſina, Matthiolo, auxiliatur laterum doloribus: ſanat labiorum facieiq; rimas: ſcabiem & impetigines delet illita: vlcera purgat: vulnera recẽtia glutinat: ſplenem attenuat deuorata: valet ad articulorum dolores, podagram, chiragram, & iſchiadicos affectus, ſi frequenter ſumatur vnciæ põdere, addito Chamæpiteas, aut Saluiæ, aut Stœchados puluere. Terebinthinũ oleum ex fructu maturo Terebinthi fit, inquit Dioſco. non ſecus ac Lentiſcinum, quod calfacit & adſtringit, non refrigerat & adſtringit, vt falſò in excuſis Codicibus legitur, Meſues ex baccis eius viridibus fieri ſcripſit, quod vulnera glutinat, ſpaſmo, tetano, duritiei neruorum confert. Huius olei nullus eſt apud nos vſus, neque aliunde ad nos importatur, ſed oleo nos ex Terebinthina vtimur conuenientiſsimè in frigidis neruorum affectibus, atque omnibus aliis ægritudinibus frigidis, & flatuoſis.

Lib.13.ca.6.

Lib.4.Hiſt. cap.5.

Lib.24.310.

Locus.

Lib.1. Dioſcor. ca.76.

Tempus.

Plin.lib 6. ca.25 & 26.

Lib.1. c.76.

Tepera. & Vires.

Li.8. ſimp.

Li.8.ſimp.

Li.1.ca.39.

tuosis. In asthmate, & anhelitus difficultate mirificũ est, si duæ drachmæ quotidie hauriãtur. Est & in empyemate vtile: denique in omni praua thorácis affectione ex pituita, colicis etiam doloribus, & flatuosis summoperè prodest: cicatrices decorat. Quanquam Terebinthina ferè oleum sit, tamẽ oleum, tenuissima eius pars, à Chymistis educitur ex ea, pulcherrimum, & copiosum. Resina Græcis ῥητίνη nuncupatur, Arabibus *Ratim*, siue *Natig*, Italis *Ragia*, Gallis *Resine*, Germanis *Hartz*. *Nomina*

LENTISCVS CAP. XVIII.

LENTISCVS dicta fortasse quòd lentore quodam folia lentescant, Græcis σχῖνος vocatur, quasi σχιστὸς, fissilis quòd facile & frequenter finderetur in dentiscalpia: Arabibus *Daru*, Gallis *Lentisque*, Italis *Lẽtisco*, Hispanis *Mata*, aut *Arueria*, Narbonẽsibus *Restiucle*, Germanicè *Mastichaum*, Anglicè *Mastietree*. Stolonibus & caudice concolor, & similis Terebintho minori. Stolones, nullo grandiore stipite à radice sublato, Corylorum syluestriũ modo huc illuc spargit, nisi quòd Lentiscus tum ramusculis, tum foliis densioribus est, magísque ramusculorum summitatibus ad terrã inflectitur. Folia Myrti emula, octona ex singulis pediculis prodeunt, pari vtrinque exortu, suauiter spirantia, pinguia, friabilia, obscurè virentia, in ambitu tamen rubentia, sicut & quibusdam venulis. Perpetua fronde Lentiscus viret, cortice subrubro, lento, tenaci, flexibili. Profert Terebinthi modo racemosos fructus, & præter hos, folliculos quosdam corniculorum modo intortos, quibus liquor limpidus incluſus, tandem vertitur in bestiolas iis persimiles quæ ex Vlmi & Terebinthi folliculis euolant. Lentisci fructus, siue baccas, Hippocrat. σχινίδας appellat, quanquam exemplaria Græca falsò ἐχινίδας habeant. Mirum est quod scribit Matthiolus totã hanc plantam grauiter olere, olfactúque caput grauare, cum contrà Pena suauiter spirare affirmet, insertaq; in os folia sitim arcere, & fauces humectare. Præterea qui norunt Mastichen, & sciunt Lentisci surculos vt Xylobalsami succedaneum in Officinis vsurpari, Lentisciníque dentiscalpiis post epulas dentes mundari, illius opinioni refragantur. Ex hac manat omniũ præclárissima & optima resina, quæ ῥητίνη χιώνη vocatur, Latinè Resina Lẽtiscina, Mastich, vulgo, & in Officinis Mastîx. Hæc liquida non est, nec cæterarum resinarum modo coit, sed in tenues particulas concisa manet. Omnium præstantissima in Chio Ægei maris insula prouenit, vt à medicis Græcis Chia simpliciter pro Mastiche accipiatur. Inde in vniuersam Europam comportatur. Ex mitibus tantum Lentisci plantis, vulneratis ipsarum truncis fluit, & in terra circumpauita concrescit. Quidquid Mastiches in hac insula colligitur, reipublicæ debetur. Qui vindemiæ tempore propriis in agris legunt, id totum absque dolo in commune cõferunt. Abscissa manu pœnas dat, qui Lentiscum Mastichen fundentẽ in proprio vel alieno agro exciderit. Tanta est Mastiches

Forma.

LENTISCVS.

Locus.

Lib. de nat mulieb. In ca. 75. lib. 1.

cura, tantus illi honos apud Chios, nec abs re quidem, cum illis vniuersus ferè orbis tam excellens ac salubre medicamentum acceptum ferat. Fert & Lentiscus Italica Mastichen, sed raram admodum, nec Chiæ comparãdam. Quare immerito à nonnullis reprehenditur Auicẽnas, quòd Mastiches Italicæ meminerit, quippe qui existiment fortasse Mastichen non alibi quàm in Chio nasci, in quo vehementer errant, arguiq; possunt Galeni & Auicennæ auctoritate, qui non solùm Chiam Mastichen memorant, sed etiam Ægyptiam. Theophrastus ex spinosa planta quam Ixinen nominat, emitti lacrymam narrat, quam Acanthicen Mastichen vocat, Gaza, spinalẽ: ea spina albus Chamæleo est, ad cuius radicẽ liquor albus reperitur, glutinosus, quẽ à Mastiches similitudine sic vocarunt.) Plinius etiam plura Mastiches genera recensẽt: Iam ego, inquit, transeo ad Mastichẽ, quæ & ex humili spina fit in India, itemq; in Arabia: Lamã vocãt. Sed Mastiche quoque nobis gemina est, quoniã & in Asia Græciaq; reperitur herba radice folia emittẽs, & carduũ similẽ malo, seminis plenũ, è quo lachryma erumpit, incisa parte ima, vix vt dignosci possit à Mastiche vera: nec non & tertia in Ponto est, bitumini similior. Laudatissima autem Chia, candida, cuius pretium in lib. x. x. (id est. denarij decem) nigræ verò x. i i. (id est denarij duo.) Chia è Lentisco traditur gigni gummi modo. Adulteratur thure & resina. Sic enim corrigendi ex Dioscoride Codices vulgares qui habent, adulteratur vt thura resina. Vera Mastiche intelligenda est quæ ex sola Lentisco fluit: quę verò ex quauis alia planta manat, impropriè & per similitudinem Mastiche nominatur. In Creta etiam Lentiscus resinam fundit, sed flauam, amarã, & Chia longe deteriorem. Lentiscus frequẽs in Italia nascitur, præsertim in Hetruria, & in Campania. Huius etiam feracissima vniuersa Narbonẽsis ora maritima. Flores racemosos, muscososq; primo vere, Aprili mense, promit, non particulatim, vt putant, ex Arati & Ciceronis versibus.

Iam verò semper viridis sempérque grauata
Lentiscus, triplici solita est grandescere fœtu
Ter fruges fundens, tria tempora monstrat arandi:

quod Theophrastus merito Scyllæ attribuit, alij verò vocis affinitate decepti, Lentisco. Toti Lentisco vis inest astringẽdi, inquit Dios. Etenim fructus eius, foliũ, cortexq; ramorum, & radicis, parẽ facultatem sortiuntur. Sic Lacu. ex Græco aliter quam Ruell. vertit, cui adstipulatur Cornarius: καὶ ὁ καρπὸς αὐτῆς, καὶ ὁ φύλλον, καὶ ὁ φλοιὸς τῶν κλάδων, ἔτι ἡ ῥίζης ἰσοδυναμοῦσι Lentiscus sua adstringente vi valet aduersus sanguinis reiectiones, alui profluuia, & dysentetias in potu: item cõtra eruptionem sanguinis è vulua, & eiusdem aut sedis procidentia: in totum Acaciæ & Hypocistidis vicem representat. Idem facit succus è tritis foliis. Decoctum fotu caua explet, fracta ossa ferruminat, vuluæ fluxiones sistit, nomas arcet, vrinam pellit, motus dentium collutione stabilit. Virentes surculi acuminatæ arundinis vice dentibus repurgandis affricantur. Fit ex fructu oleum adstrictoriam vim habens, quod prodest cũ quid adstringi opus est. Lentiscus resinam gignit, quæ pota, vtilis est sanguinem reiiciẽtibus, & tussi veteri: stomacho auxiliatur, sed ructum mouet. Additur in dentifricia & illitiones faciei, ad nitorem cuti conciliandum. Pilos in oculis replicat: mãducata, oris halitũ commendat, gingiuas contrahit. Præfertur nitedulæ modo resplendens, & candore Thyrrhenicæ ceræ similis, crassa, retorrida, friabilis, odorata: viridis autem inferior est. Hæc Dioscoro. in quibus quædam aliter quã à Ruellio non sine ratione versa sunt. Quæ enim Ruell. dixit, Semini, folio, ramo, cortici, radicibúsque, cognatę insunt vires, And. Lac. aliter ex Græco, vt exposuimus, vertit. Quæ verò Ruellius sic, palpebras oculis incommodas replicat, Lac. hoc modo. Pilos in oculis

I ib. 1. Dioscor. ca. 75. Li. 2. c. 461.

Lib. 6 Hist. cap. 4.

Lib. 12. c. 17.

Matth. ibi.

Matth. ibi.

Lib. 1. c. 76.

Embl. 72. lib. 1. Dios.

oculis replicat,hoc eſt,confirmat,ſtabilit,atque cõglutinat cilia:Cornarius verò,Agglutinat quoque palpebrarũ pilos,oculis officientes:quæ ſic intellige.Pilos in trichiaſi oculorum affectu oculũ pungentes,extra oculũ ſpecillo euerſos calens exteriori palpebræ,illita glutinis vice retinet, ne in oculum denuo reſiliant:Nec abſurdum fuerit annotare quòd Dioſco.dicit, Τὰ δὲ ξυλάρια χλωρὰ ἀντὶ καλαμίδων παραβόμβυκα τοῖς ὀδοῦσι, σμήχει τοὺς, id eſt, vt reddidit Cornarius, Ligna viridia arundinum vice dentibus adhibentur,& ipſos repurgant, de dentiſcalpiis quæ ex Lentiſco fiebant,hodieq; fiunt,accipiendũ eſſe,quæ arundinũ vice eſſe poſſunt,& non de dentifriciis,quæ in puluillum comminuta affricantur,ſicut mox de Maſtiche dicit.Itaque impropriè Dioſco.παραβόμβυκα dixit,ſi affricari,& non velut dentiſcalpium adhiberi Lentiſci lignum quis accipiat,ad eximenda ea quæ in commanſu dentibus inhærent,in quem vſum pennæ formari poſſunt,quod declarat Martialis. Ibidem..

Foditque tonſis ora laxa Lentiſcis. Et alibi: Lib.6. in Apopoh.

Lentiſcum melius, ſed ſi tibi frondea cuſpis
Defuerit, dentes penna leuare poteſt.

Porro quod Dioſc.χαπυρὰν Maſtichen probat,Cornarius valde aridã intelligit, id eſt χλαπυρὰν.Vtitur etiam hac voce Dioſc.paulo poſt,in Reſinæ probatione, quæ eſſe χαπυρὰ non debet.Vſus eſt & Galenus lib.ὑγιεινῶν, quo loco Codex Baſilienſis habet χαπνηρὸν.Fuſch.emendare volens reponit χαπνὸν,& vertit ſiccũ, ſicut & antiquus interpres,& rectè ille quidẽ ſi χαπυρὸν repoſuiſſet. Maſtichen Marcellus Empiricus vocat perſonatam,fortaſſe ex eo quod,inquit Cornarius, faciei illitionibus admixta, claritatem, ac nitorem inducit, ſicut Dioſcorides ait,vt ſit veluti προσωπίτις.vel potius,quod Laruis fingẽdis, aut etiã exprimẽdæ hominum faciei,cum alba cera mixta in vſum veniat,id quod eius artis peritis notiſsimum eſt.Ex aquea eſſentia leuiter calida, & terrena frigida non pauca compoſita Lentiſcus eſt,Galeno teſte.Deſiccat igitur ſecundo ordine cõpleto, aut tertio incipiẽte,in caliditatis & frigiditatis differentia quodammodo media.Similem omnibus ſuis partibus adſtrictionẽ obtinet, radicibus,ramis, extremis turionibus,germinibus,ac foliis,fructu,& cortice.Si vero etiã ſuccum ex foliis eius viridibus exprimas,ſimilis hic ordinis eſt,moderatè adſtringẽs. Itaq; bibitur & per ſe,& cũ aliis medicamẽtis, quæ dyſentericos & alios alui affectus ſanant.Quin & ad ſanguinis expuitiones,ſanguinis ex vtero eruptiones,ſedis, vuluæq; procidentias idoneus eſt, vtpote ad Hypociſtida nõnihil prope accedens.Maſtiche quidem candida,& Chia, quodãmodo ex cõtrariis cõpoſita eſt facultatibus,adſtringente videlicet,& emolliente.Proinde ſtomachi,vẽtris,inteſtinorum, iecoriſq; inflammationibus competit, vtpote ſecundo ordine excalfaciens,& deſiccans.Nigra quæ Ægyptia cognominatur, magis deſiccat, & adſtringit,quamobrem aptior eſt ad ea quæ validiorem digeſtionem per halitum expoſcunt.Hac ratione ad furunculos bonum eſt remedium. Porro oleum vnguentumq; Maſtichinum ex Chia conficitur, non admodum ſanè ex Ægyptia,ſimili tamen facultate.Maſtiche,quod ait Matth.cohibet ſanguinem è naribus fluentem,ſi cum Thure,ſanguine draconis,& leporinis pilis cõbuſtis excipiatur oui albo,& fronti applicetur, faſcia ſuperpoſita quæ arctè conſtringat. Manditur cum cera odorata,ad dentium dolores, & ad pituitam è capite detrahendam.Mulcet tollitq; Maſtiche frigidos articulorum dolores, ſi cum Cymino,Pulegio,Saluia,Lauri baccis,Sabina,melle excipiatur,doloreq; affecto loco admoueatur.Valet ad ventriculi dolores,ſi cũ itur dormitum,tres eius grumi deuorentur.Non ſolùm enim hoc medicamento præſens leuatur dolor,ſed ne iterum accidat,efficitur.Lentiſcinum oleum quomodo ex maturo Lentiſci Ibidem. Cap.77. Lib.6. prope finem. Ibidem. Li.8. ſimp. Li.7. ſimp. Lib.1 Dioſcor.ca.75.

Lib.1. c.39. fructu paretur Dioſco docet. Hoc, inquit, ſcabiem iumentorum canumq; ſanat, vtiliſsimum peſsis, acopis, & leprarum medicamentis: ſudores cohibet. Fit hoc
Matth. li.1. Dioſc.c.39. oleū, in Hetruria, Ilua, & Gilio Thyrrheni maris inſulis, & in quibuſdā Adriatici, ſine alterius olei permixtione, hoc modo. Racemoſas Lentiſci baccas à putaminibus repurgatas ſinunt aliquot dies ſimul flacceſcere: deinde in magnum ahenum iectas affuſa aqua, igne tandiu fouent, donec dehiſcant, poſtremo extractas, & ſaccis incluſas prælo ſubiiciunt, oleumq; inde expreſſum ſeruant. Qui hoc ita parant, ad acuendam oculorum aciem, caligines q; delēdas vtiliter cibis commiſceri affirmant. Clyſtere infuſum dyſentericis quam maximè prodeſt. Gingiuis inflammatione dolentibus optimum pharmacū eſt hoc oleum,
Lib.5. med. part. Dioſc. li.1. ca.40. auctore Galeno, modice calidum, retentum ore. Maſtichinum fit è trita Maſtiche, contra omnia vuluæ mala efficax: mediocriter calfacit, aſtringit, emollit. Aduerſus prominētes ſtomachi duritias, coeliacorum, dyſentericorumq; cru-
Li.3. Antid. ciatus vtile: faciem emaculat, & colorem nitidū reddit. Meſuæ fit ex Maſtiches vnc. tribus, vini vnc. quatuor vel octo, olei roſacei libra vna, in vaſe duplici coctis omnibus ad vini conſumptionem. Hoc cerebrum, neruos, articulos, ventriculum, hepar, cor, roborat: tumores duros mollit, dolores ſedat. Omniū verò præſtantiſsimum conficitur vitreis organis è puriſsima tantùm Maſtiche. Len-
Lib.15.c.36. tiſci baccas Plinius velut oliuas, & corna, in cadis cōdi ſcripſit, ne quid nō hominis ventri natum eſſe videatur. Reſina hæc μαστίχη Græcè vocatur: Latinè
Nomina Maſtiche, aut Reſina Lentiſcina: Arabice *Maſtech*, *Maſteche*, ſiue *Maſtoche*: Italicè *Maſtiche*. Germanicè, ac Gallicè *Maſtic*, Hiſpanicè *Al Maſtiga*.

IVNIPERVS CAP. XIX.

CVM Iuniperus, Reſinam emittat, ſiue gummi, ſiue lacrymam, Thuri, Maſtichéue perſimilem, atque alicubi montibus occupatis ſyluas totas efficiat, inter reſiniferas ſyluæ noſtræ arbores à nobis connumerabitur. Iuniperum dictam putant, quod iuniores & nouellos fructus pariat antiquis matureſcentibus: ſolam enim ferè arborum fœtus ſuos in biennium prorogare aiunt. Ἄρκευθις Græcè hæc dicitur, & Ἄρκευθος, Arabicè *Aromas*, aut *Archenas*, Italicè *Ginepro*, Gallicè *Geneure*, & *Geneurier*, Hiſpanicè *Enebro*, Germanicè *Vuckholtz*, & *Kremetbaum*, Anglicè *Iuniper tre*, Belgis *Geneuer boom*. Eius genera duo: altera maior, altera minor. Vulgaris noſtra minor eſt, arbuſculæ aut fruticis magnitudine, ramis obductis cortice, tenui, & membranoſo, qui ſponte rumpitur, ac dehiſcit: foliis paruis, tenuibus, anguſtis, duris, pungentibus, imo ſpinis potius quam foliis: Baccis paruis, rotundis, viridibus initio, per maturitatem nigris, odoratis, vt lignum totum, guſtui primùm ſub dulcibus, deinde amaris, quæ ἀρκευθίδες Græcè dicuntur, in officinis Grana Iuniperi. Hac Iunipero plerique colles in Gallia, montiúmque iuga pubeſcunt. Thuſcia vrbanas alit, quæ in proceram arborem aſſurgunt, frequen

IVNIPERVS maior.

Nomina Ruel. lib.1. cap.20.

Genera

Forma

Matthiol. Lib.1. Dioſc. cap.87.

frequentes in agro Senensi, quarum fructus syluestribus crassior & dulcior est. Vulgatissima est & in Galliæ prouincia hæc luniperus maior, ibi Cade vocata, bacca triplo maiore. Est & Luniperus maximus Illyricus, cærulea bacca, ea fortassis, cuius magnitudinem cum Nuce Pontica Dioscorides confert. Iuniperi hæc omnia genera coma perpetua virent, materie fulua, odorata, ex qua in calidis regionibus manat liquor, thuri colore & odore similis, qui cum colligitur, candidus est, cum senescit, in rufum abit. Iuniperi nostræ fructus ad eam magnitudinẽ non perueniunt quam Dioscor. expressit, vt alterius fructus Nucis magnitudine, alterius Nucis Ponticæ æqualis reperiatur. Maiorum Senensis agri Iuniperorum fructum nec Matth. quidẽ tradit ad eam accedere magnitudinẽ. Quare haud satis scio an frigiditati siccitatíque locorum id adscribendum sit, cũ sint qui se vidisse è Græcia allatas testentur magnitudine fabæ, & qui nucem Auellanã ferè æquarẽt, vel an Dioſco. codices sint hoc loco mendosi. Nam Marcel. & Matthiol. hoc de Iunipero caput multis modis deprauatũ esse adnotarunt. Serapio non nucis magnitudinem in Iuniperi baccis agnoscit, sed fabæ, vt fortasse vbi legitur, ὁ ὃ χαρπὸς αὐτῶν ὁ μὴτις χαρύα μέγεθος εὐρισκέται, ὁ ὃ χαρύα ποντικῆ ἴσος, pro χαρύα voce, quæ Nucem Iuglandem significat κυάμῳ legerit, & omnino legere oporteat, quo minoris Iuniperi fructus, fabæ, maioris, nuci Auellanæ magnitudine sit æqualis, Dioscoridis litera sic restituta: ὁ ὃ χαρπὸς αυτῶν, ὁ μὴ τις χαρύα ποντικῆ μέγεθος ἐυρίσκεται, ὁ ὃ κυάμῳ ἴσος. Certe Plinius cum scribit, Iunipero eadẽ virtus quæ Cedro: vasta hæc in Hispania, maximè quæ eius baccæ, de diuersa Iunipero à nostrate loqui videtur, cuius etiam fructus multo sit maior. Tales Iuniperi in Castella noua, Hispaniæ prouincia frequentes supra Segobiam, quaitur Madritium, arboreſcunt, adeo proceræ, vt ex earum materia trabes & contignationes incolæ sibi fabricent. Iuniperi lacrymam Vernicem hodie vocant, quam recentiorum insolentia prohibere conata est Arabas, ne patrio vocabulo Sandarax appellarent, propterea quod affinis hæc vox est Græcorum Sandarachæ. Ita suis isti caueant legibus, ne Brizo fuerit Deliis dea vaticiniorum quæ per somnia fierent, quãdo βρύζα fuit apud Thracas frugum genus: ne etiam ἐλάτη Dioſco. sit floris palmarum inuolucrum, quoniam ἐλάτη omnibus sit Abies arbor. Sed Vernicem ab anni tempestate, & Vernilaginem docti viri etiam appellant, quod in mellificiis vocat Aristoteles Erithacem. Cornarius Verniginem siue Vernicem lacrymam aut gummi Iuniperi esse, falsò à quibusdam asseri scribit, quia factitia res sit Vernix, ex succino & oleo seminis lini, non simplex, aut sponte naturæ producta, id quod confirmat his rationibus. Vernicis gummi appellatio, inquit, ex Germanica voce facta est. Germani enim istic habitantes, vbi Succinum gignitur, & pro ornamento circum colla gestatur, Vernsten, & Berniſten id Succinum vocant, appellatione, vt videtur, ex eo facta, quod ac-

Cor. Emb. 82. li. 1. Dio.

IVNIPERVS minor.

Ibidem.

Lib. 16. c. 39

Scalig. lib. 2. de Plan. Aristot.

Lib. 5. Hist. an. ca. 22. Emble. 82. lib. 1. Dios. In libr. 1. medi. part. & Emble. 92. li. 1. Dio.

censum tedæ modo ac nidore flagret, quod ita fieri etiam Plinius, & Tacitus prodiderunt. In iisdem porro locis idipsum gũmi cum lini semine in id quod Vernicem vocant rem pictoribus familiarem, & quod Bituminis vsum hodie in plerisque locis præbet, apparatur. Quod autem vt nos nunc eo, ita veteres
Li.35.ca.15. olim Bitumine vterentur, ex Plinio satis perspicitur, qui de Bitumine, ita scripsit. In reliquo vsu æramentis illinitur, firmátque ea contra ignes. Diximus, & tingi solitas ex eo statuas, & illini. Placuit in ferrariis fabrorum officinis tingẽdo ferro, clauorúmque capitibus, ac multis aliis vsibus. Ita tum in simplici re, tum in factitia, Vernicis nomen apud superius sæculum ex Germanica voce Vernsten, & Bernsten ob literarum V. & B. in pronũnciando vicinitatem factũ esse Cornarius existimat. Veruntamen Vernicis nomenclatura, quasi veris ros, quod vere potissimum gignatur, & æstate perficiatur, nulli non hodie nationi cognita est, tum pro simplici Iuniperi lacryma, tum pro illo factitio, ex sincera hac lacryma, & oleo lini conflato, quo illiti colores aliquantum imbuti, sic tinguntur, vt pertinacius hæreant quàm deleri facilè possint, ne id ex eiusmodi oleo & succino, solùm fieri quis existimet. Succinum quidem Arabicæ familiæ auctores Karabe vocant, viribus non dissimile, sed re planè diuersum à Iuniperi lacryma, quam ipsi Sandarax, aut Sandaros appellant. Auicennas de his
Li.13.ca.11. diuersis capitibus tractauit. Dioscoridis & Galeni sæculo Vernix in vsum non venerat. Plinius inter multa gummi genera Iuniperinum recenset, ad nihil vtile, id quod falsum esse frequens eius in medicina vsus ostẽdit, vt dicemus. Mõtes amat Iuniperus, & in planis nasci recusat. Non floret, nisi si puluis quidam
Locus. Dodo. lib. 6.ca.82. qui mense Maio ex ipsa excitatur, floris loco, id quod quidam arbitrantur, habendus sit. Huic mox succedit baccarum paruarum exortus, quæ Septembri
Tempus. mense maturescũt. Sed in eadem Iunipero baccæ maturæ, immaturæ, minores,
Lib.1.c.87. maioréſque simul reperiuntur. Iuniperus vtraque acris est Dioſco. Ex calfacit,
Vires. vrinam mouet, accensa serpentes fugat. Baccæ modicè calfaciunt, & adstringunt, stomacho vtiles: contra pectoris vitia, tũsim, inflationes, tormina, & serpentum ictus efficacissimè bibuntur: vrinam cient potæ: ruptis, conuulsis, & vuluæ strangulatui subueniunt. Quæ sequuntur in emendatis codicibus Græcis non leguntur. Folia acrimoniam habent, ideo tam ipsa quàm eorum succum ex vino contra viperarum morsus illini, aut bibi prodest. Corticis cinis cũ aqua illitus lepras eximit. Capitis verò clausu'am multo absurdiorem & ineptiorem Matthiolus iudicat. τὸ ῥίνημα τῦ ξύλυ τουθὲν ἀναιρεῖ, idest ramenta verò ligni de-
Lib.1.Dios. cap.87. uorata interficiunt quia nec Galen. nec Paul. nec Serapio qui verbum è verbo exscripsit, id vnquam de ligni Iuniperini ramentis literis mandarunt, cum baccæ eius contra serpentum ictus efficacissimè deuorentur, bibatúrque ac illinatur foliorum expressus succus ad viperarum morsus. Adde etiam quod facto periculo id falsum esse deprehenditur. Quare hæc Dioſco. falsò adscripta esse
Exerci.181. lib.15. plærique censent. Scaliger tamen pro falsis non habet, cùm scribit Iuniperi decoctum salutare, in quod succi sane traiectio facta est ramenta autore Dioscor. necant deuorata. Ratio haud absimilis ei quæ de Colocinthidis apparatu circumfertur. Multum enim & pinsi, & cribrari tenuissimo incerniculo iubent, ne hæreat atque vlceret, sic Iuniperi scobs ob siccitatem adhæreſcendo suffocat. Iuniperus Galeno calida & sicca est, vtrinque tertij ordinis. At fructus similiter quidem calidus est, sed non similiter siccus, verùm in hoc primi fuerit ordinis.
Ibidem Foliorum & baccarum Iuniperi decoctum, inquit Matth. potum valentissimè pellit menses. Earundem contusarum ex vino albo cum Rosis, Cupressi pilulis, & Myrti foliis decoctum calidum in ore retentum ad leuandos dentium dolores est

res est efficaciſsimum, præſertim addito aquæ vitæ momento. Lixiuium ex vino albo & Iuniperino cinere paratum vnciarum quatuor, aut quinque pondere valentiſsimè pellit vrinam, ita vt Matth. nonnullos hydropicos ſeſe vidiſſe affirmet hoc tãtùm auxilio ſanatos. Idem ſcabiem ſanat, ſi eo affecti ſeſe abluãt. Paratur balneum admirabili facultate ad podagricos ex ligni Iuniperini conciſi libris XII. coctis in aqua, quouſque tertia pars ſuperſit. Id decoctum cum ligno in labrum proiiciendum, in quod cum deſcenderit æger, optimè ante purgato corpore, ſedeat vmbilico tenus, & membra languida foueat. Iuniperi laurique ſingulorum ſeptenis baccis, cum caſsiæ ligneæ vulgaris ſemidrachma, & cinnamomi drachma, integris in turturis ventrem iniectis, ſi is aſſetur, gallinaceóque adipe perfundatur, & mulieri propediem parituræ, veſperi, alternis diebus edendus præbeatur, illa facillimè pariet. Fructus Iuniperi, rami, virgulta, totum denique lignum ad aerem emendãdum incenſa ſuffiuntur, & odoris ſuauitate graſſantia peſtilentiæ contagia depellunt, fœuientémque eluunt perniciem. Oleum ex Iuniperi ligno Chymiſtæ per deſcenſorium, vt loquuntur, conficiunt, quod calidum ore retentum dentium dolores mirificè mulcet, ſi à frigida defluxione oriantur. Fit ex baccis hoc longè præſtantius & odoratũ. Siccus vernix, ideſt gummi Iuniperi, auctore Serapione, deſtillationes ſuſpendit, menſium profluuia ſiſtit, ſinus exiccat immiſſus, hauſtus verò pituitam, quæ ventriculo & inteſtinis hæſerit: tineas & cætera in ventre animalia necat. Neruorum reſolutionibus, quas humores frigidi effecerint, opitulatur. Capitis deſtillationes ſuffitu diſcutit. Idem ſumptus ſanguinis excreationes ſupprimit, & hęmorrhoidas fluentes, illitus. Addito tum roſaceo, tum myrtino ſedis rimas cœrcet, & hiantibus frigore manuum pedúmque ſciſſuris illitu ſuccurrit. Eius igni impoſiti fumus dentium dolores ſedat, ſi per infundibulum addentem affectum peruenerit. Eiuſdem puluis cum oui albo ſubactus, & fronti temporibúſque illitus, ſanguinem ex naribus fluentem ſiſtit: vt ſummatim dicam, calfacit, ſiccátque primo ordine. Vernix liquidus qui ex illo ſyncero, & oleo ex lini ſemine expreſſo conficitur, non ad illuſtrandas tantum picturas, & ad nitorem ferro cõciliandum vtilis eſt, ſed & ad ambuſta, dolores & tumores hæmorrhoidum conuenientiſsimum eſt remedium. Iuniperi materies cariem vetuſtatémque non ſentit. Quare Chymiſtæ carbonem Iuniperinum accenſum & ſuo cinere obrutum, ignem integro anno fouere aſſeuerant, id quod Scaliger perſuadere ſibi nequit.

Plin. lib. 16. cap. 40. Exce. 318. libr. 15.

RESINA ET PIX. CAP. XX.

RESINIFERIS arboribus tam iis quæ conos, quàm quæ baccas ferunt explicatis, de reſina & pice merito mihi dicendum videtur. Earum igitur genera, cocturas, vſus, viréſque declarabimus. Reſina ἡ ῥητίνη Græcis nominata, Gallis *reſine*, & *Poix reſine*, ſuccus pinguis eſt ex arboribus quibuſdam ſponte manans. Id indicat Plinius his verbis. Arborum ſucco manantium, picem reſinámque in Oriente alię, alię in Europa ferunt, &c. Reſinæ ſummæ ſpecies duæ, liquida, & ſiccá. Liquidam è Terebintho, Larice, Lentiſco, Cupreſſo fieri tradit Plinius, & alibi ex Terebintho, Lentiſco, Cupreſſo, omiſſa Larice. Dioſcor. è Pinu, Picea, Larice, Cupreſſo. His addenda illa quam ex Cedro Phœnicia fluere diximus. Quod de liquida Lentiſci Reſina bis dixit Plinius iis locis quos modò citaui, planè falſum eſt. Maſtiche enim nunquam liquida eſt, ſed ſemper in ipſa arbore ſpiſſatur. Eſt etiam falſum quod horum locorum altero legitur: Liquidam fundunt omnes, & tantum Reſinam, craſsiorem verò, & ad pices faciendas Cedrus: at mendum illud ſic tolli poteſt:

Nomina

Li. 14. c. 20.

Genera

Li. 14. c. 22. 6.

Li. 14. c. 20.

Lib. 1. c. 77.

Li. 14. c. 20.

Liqui

Liquidam fundunt omnes,& tantùm Resinam,crassiorem verò ad pices faciẽdas idonea Cedrus:idest, crassiorem resinam fundit Cedrus, quæ Cedrus picibus faciendis idonea est.Nam neque ex crassiore Cedri Resina,neque alia quauis picem fieri constat,sed ex teda,siue ex assulis arborum succosis.In Syria certè pix ex Cedro fiebat, ipsomet Plinio auctore. Sicca Resina ex Abiete, Pinu, Picea,& Pineis nucibus manat. Resina elicitur,vt docet Theoph. ex Pino, detracto tantum cortice (non detracta teda,vt scribit Hermolaus secutus Gazam) In hoc enim vulnus humor multus confluit:ex Picea verò,& Abiete non Cortice tantùm spoliatis, sed ipso etiam corpore, id est ligno vulnerato. Hinc primum Plinij lapsus perspicitur, eo loco quem mox citabimus,è Picea detracto cortice resinam fluere dicentis, quod de Pino scripsit Theoph.deinde eiusdem deprauata hæc lectio: Nec corpori ipsi parcitur in cæteris, vel,vt in cæteris, sic restituenda, Corpori ipsi parcitur, non vt in cæteris. Sed quoniam totũ locum hunc de Resina conficienda ex Theoph. Plinius excerpsit, hunc cum illo conferre Lectori nec iniucundum,nec inutile fore putaui, vt etiam ex hac mutua collatione iudicet, quam malè Plinius archetypum suum imitetur. Hæc igitur Plinius. Aperitur Picea è parte solari, non plaga,sed vulnere ablati corticis, cũ plurimum bipedali hiatu,vt à terra cubito cum minimùm absit,nec corpori ipsi parcitur, vt in cæteris, quoniam hastula in fructu est. Verùm terræ proxima laudatur, altior amaritudinem affert. Postea humor omnis è tota confluit in vlcus: Item in Teda. Theophr. verò sic. Idæi caudicem cum cortice spoliarint, (spoliant autem à solari parte duobus tribúsue supra terram cubitis) anno post eo confluxus fit maximè ἐνδαδος, ideſt pinguis resinosúsque. Vide quantum Plinij oratio à Theoph. oratione absit. Rursum Plinius. Cum is manare desiit, simili modo ex alia parte aperitur,ac deinde alia. Postea tota arbor succiditur, & medulla eius vritur. Theophrastus verò:Quod autem confluxit, vbi securi dolauerint, altero post anno denuo ἐνδαδεται, ideſt resinosum succum fundit,siue teda fit, ac itidem tertio post. Tales autem arbores quoniam subtus cæsæ fuerunt, putrefactæ à ventis deiiciuntur, quarum cor Idæi eximunt, quod maximè sit δαδῶδες, ideſt pingue ac succosum,ac potissimum radices, quæ vt dixi, maximè omnium sunt ἔνδαδαι, ideſt succo pingui redundantes, siue in tedam mutatæ. Sic & in Syria (subiungit Plinius) Terebintho detrahunt cortices,ibi quidem & è ramis,& è radicibus, cum resina dãnetur ex his partibus. At Theophrastus. Vulnerant & Terebinthos vtraque parte (ad Resinam eliciendam sub)scilicet cortice,& ramis. Sed quæ in caudicem resina confluit, & largior,& melior est, quàm quæ in ramos.Verùm Theophr.quoque ipse locis quibusdam ad hanc rem spectantibus contaminatus est. In eo enim legendum ἡ ὃ ἀναπλήρωσις οὐκ ἐκ τοῦ ξύλου καὶ τῆς συμφύσεως, ἀλλὰ τῆς ῥητίνης ἐστι, non πίτυος, vt in excusis legitur:ideſt: Expletur verò plaga non renascente ligno,neque coalescente,sed Resina. Id primùm ex eo perspicuum esse potest, quod ex arboribus pix non manat:deinde ex Plinij testimonio hæc sic interpretantis. Expletur autem plaga Resina, non cortice, nec cicatrice, quæ in hac arbore non coit. Adhæc legendum. Ἀλλ' ἡ ἐργασία διὰ τοσούτου χρόνου γίνεται τῆς ῥητίνης, nõ πίτυος, ἀναγκαῖον ὃ δὴ λοιπὸν καὶ τῷ ξύλῳ γενέσθαι τινὰ πρόσφυσιν, ἕπερ ἐξαιρουμένης τῆς δαδὸς, καὶ χαυομένης, τῆς πίτυος ἡ ἔκροη. Quæ quoniam Gaza non intellexisse, atque adeo malè conuertisse videtur,sic mihi videntur transferenda. Fit ergo tanto temporis spatio (triennio scilicet)Resina. Necesse est autem, quoniam (exacto scilicet triennio)teda detrahitur, ex qua vsta, pix fluit,ligno alimenti quidpiam suppeditari. γενέσθαι τινὰ πρόσφυσιν, subaudi τῆς τροφῆς. Alij legunt. Ἀλλ' ἐργασία διὰ τοσούτου χρόνου μὴ γίνεται τῆς πίτυος.Ideſt ex arboribus ad resinæ cõfluxum vulneratis,toto hoc trien-

nio

Lib.16.c.11. Resinę eliciẽdæ modus.

Lib.9.Hist. cap.2.

In cap.91.l. 1.Dioscor.

Li.16.ca.12.

Ibidem.

Lib.9.Hist. cap.2.

nio pix non conficitur. Eo enim demum exacto ex illarum teda pix fit. Hactenus de Resinæ generibus, arboribus quæ eam emittunt, eiusque conficiendæ ratione ex Theoph. & Plinio. Sunt qui alia eius genera, statuant, ξυλώδη scilicet ideſt, lignosam, in Italia tantùm nascentem, quàm in dropacem ab Oribasio & Paulo admitti annotat Hermolaus, eámque fortasis esse Tyrrhenicam putat, vel Gallicam, Columellæ verò corticatam. At ego non resinam ξυλώδη, sed ἰξώδη, ideſt viscidam lego. Etenim quæ talis est, dropacibus admixta ob glutinosum lentorem tenacius parti adhæret. Corticatæ verò Resinæ nusquam meminit Columella, sed corticatæ picis Allobrogum, de qua postea dicemus. Præterea Hermolaus in malagmate quod βαῖον appellat, ego φαιὸν, ideſt fuscum, resinam ξυγίαν, ideſt Acernam inueniri scripsit. Sed quis vnquam Acer resinosum esse aut prodidit, aut alicubi vidit? Quare non resinam ξυγίαν, sed Phrygiam legendum puto, ex Ida monte Phrygiæ, inter Resinarum genera celebrem. Galenus etiam Resinæ sicciſsimæ genus vocat πιλώνιον φύσημα, veluti piceæ bullam, ideſt resinę veluti guttas rotundasque bullas ex Picea manantes, & in eius cortice pluuiis, ventis, æstu, frigore duratas, candidas, thuri sic similes, vt iis olim thus adulteraretur. Δολᾶται, inquit Dioſc. πᾶς λίβανος πιλωνίνῃ ῥητίνῃ μεθοδευόμενος, καὶ κομμι. Ea fortasis Resina est è Picea quam admodum candidam in Asia fieri tradit Plinius, & Spagada vocari scribit. Hermolaus Epargon legit, ita enim Græcè cãdida significatur, vel Pscada, quasi à roratu, ἀπὸ τῆς ψεκάζειν. Quid si Stagoniã vel Stalactin legas, ideſt guttatim stillantẽ, vel stillatitiam, quibus nominibus Thuris & Calcanthi genus Dioſco. appellat? De eadem resina Plinius alibi loqui videtur. Picea plurimam resinam fundit, interueniente candida gemma, tam simili thuri, vt mista visu discerni non queat, vnde fraus seplasiæ. Addam duo ex Plinio, vnum, Resinæ florem crudum ab eo dici, tenuem Resinę crudæ, & siccæ partem, quæ in ea veluti bullat, & efflorescit: Alterũ, permirum id videri quod scribit: Resina omnis dissoluitur oleo: quidam & creta figlinarum hoc fieri arbitrantur. Resinam enim creta liquari aut dissolui posse, verum non est, atque adeo si quis resinæ liquatæ cretam, vel aliquod aliud terræ pinguis genus admisceat, massa fit durissima, & quouis cemẽto solidior: quare locum sic corrigendum esse arbitror: Resina omnis dissoluitur oleo, Pudet confiteri maximum iam honorem esse in euellendis virorum corpori pilis. Quidam creta figlinarum hoc fieri arbitrãtur, &c. Nam pili adimuntur, vel cùm aueliuntur, vel cùm detrahuntur. Auelluntur digitis, forficulis medicamentorum tenacium impositu. Quam ob causam Archigenes apud Ætium, priusquam dropax ex pice admoueatur, radi membra præcipit, ne cum dropax tollitur, magno cum dolore vellantur pili. Medicamenta huiusmodi sunt, Resina, pix, Creta pinguis Melia Creta etiam pilos velli auctor est Plinius, quanquam Dioscorides ea tantum pilos extenuari scribat. Detrahuntur autem medicamentis septicis & vrentibus, vt Calce, Auri pigmento, lacte Salamandræ, & id genus aliis. Cretam figlinarum ad vellendos pilos tutius adhiberi quàm resinam ob id puto, in facie præsertim, quod vt Resina nec calfaciat, nec humores attrahat, nec varos, papulas, tubercula excitet. Est porro deinceps de resinæ coctura dicendum. Liquida Resina in offas cogitur duras, & solidas, ducentorum fere pondo singulas, in aquæ duplo tandiu cocta, quousque odorem amittat, friabilisque & tam arida reddatur, vt digitis iam non cedat, nec eorum vestigium recipiat, vt fit, cum eius lentor nondum prorsus consumptus est. Est autem liquanda & colo defecanda, vt feculentæ sordes secernantur, priusquam in feruentem aquam coniiciatur. Hoc coquendi artificio Resina candidissima euadit, ac fere niuea, etiam si antea vel fulua, vt Colophonia vera, vel oleosa, aut mellei coloris, vt Larigna,

In libr. 1. Dioſc. c. 91.

Lib. 11. c. 23. Ibidem. Paul lib. 7. cap. 18.

The. libr. 9. Histo. ca. 2. Li. 2. med. gen. cap. 2. & lib. 3. c. 2.

Lib. 1. c. 70. Li. 14. c. 20. Lib. 1. c. 70. & lib. 5. ca. de chalc. Lib. 16. c. 10.

Li. 14. ca. 10

Lib. 1. c. 180.

Lib. 35. c. 6. Lib. 5. c. 180.

Resinę coctum.

Larigna, fuerit. Ex quibus perſpicere licet Ruellium Dioſcor. de hac re verba rectè non expreſsiſſe: Donec inquit, friabilis, ac retorrida reddatur, & digitis cedat, cum legendum ſit, καπυρὰ, καὶ ὡς μὴ τοῖς δακτύλοις ἔχειν, id eſt arida vt digitis non cedat: deinde: Reſina fit etiam eximij candoris, ſi omnis eliquata percoletur, &c. Vertendum erat, fit autem (hoc ſubaudi, coquendi ſupradicto modo) eximiè candida. Omnem autem Reſinam liquare, & colo defecare antea oportet, &c. Sed & Dioſco. ipſum mirantur plerique, ac iure quidem, cum declarat modum ſpiſſandæ in aqua feruente Reſinæ liquidæ, eam χεῖσθαι, ideſt vri dixiſſe, ac non potius ἑψεῖσθαι, ideſt elixari. Spiſſatur etiam Reſina, cocta ſine aqua, in cortinis aeneis, ſubiecto primùm igne lento, deinde vbi coire cæpit, carbonibus liberalius aggeſtis, & aucto igne, vt quicquid ſeroſi eſt exhalet. Si liquidam durare, & in offas redigere hac ratione libet, coquenda ea eſt ſine intermiſsione, diebus ac noctibus tribus, quo ad odoris expers, friabilis, arida, nec ſub digitis lenteſcens, vt antea, fiat. Sin iam ſiccam in offas ducere placet, vnodie coxiſſe ſufficiet. Sic coctam & duratam Græci φρυκτὴν vocant, veluti frixam, Galli *Poix reſine*, Piceam reſinam, aut picem reſinaceam. Haud adſimilis eſt coquendi modus hodie Chymiſtis vſitatus, oleum è Terebinthina elicientibus. Phialam ingentem vitream, luto oblitam, & Reſina ad dimidium vſque impletam furno imponunt, alterius vacuæ, & quod ſtillat excepturæ collum in eius fauces inſerentes. Deinde ea cautione qua dictum eſt, ignem accendunt. Fluit primùm liquidus ſudor Reſinæ, aquam Chymiſtæ vocant, Piſſelæo veterum is reſpondet: abiicitur is tanquã inutilis, tametſi ad ea valeat, ad quę Piſſelæon commendatur. Sequitur oleoſus liquor, qui cum totus exſtillauerit, arida, & friabilis in Phialæ fundo Reſina ſupereſt: Colophoniam hodie nominant, magni, vt & olim, in medicina vſus. Scire tamen licet nominis Colophoniæ multiplicem ſignificatum fuiſſe. Sic enim dicta olim fuit Reſina frixa auctore Galeno, & Reſina cruda, ex Picea, Pinóue ſicca, Chię Maſtiche perſimilis, ex Colophone aduehi ſolita: Præterea Reſina liquida ex iiſdem arboribus, ab eodem loco miſſa, eodem Galeno teſte, quæ quod ſuauiſsimè oleret, & admodũ pauca colligeretur, ſummo erat in pretio. Cùm à Chymiſtis eo quo diximus modo vritur Reſina, æquum eſt ex ſingulis libris effluere aquoſi ſeri vnciam vnam, oleoſi liquoris vncias quatuor. Plinius coquendæ Reſinę modum breuiter perſtringens, multum hallucinatur: E Picea, inquit Reſina feruentibus cocta lapidibus, in alueis validi Roboris, aut ſi aluei non ſint, ſtruis congerie, velut in carbonis vſtu: (vſu legit Hermolaus) Neque enim reſina coquitur circum accenſa lignorum ſtrue, quemadmodum carbo vritur, ſed Pix, auctore Theophr. qui in coquẽda pice lignorum fieri tradit παραπλησίαν σωρεύσιν τῆς τῶν ἀνθρακευόντων, ſimilem fieri ſtruem dicit, ac ſi carbo vreretur. Quod verò conſequitur, Reſinã eo modo coctam in vinum addi, farinæ modo tuſam, nigriore colore, non eſt ſic accipiendum, vt planè nigram eſſe exiſtimemus (nam cuiuſuis reſinæ coctæ & tuſæ puluiſculus ex flauo albeſcit) ſed minus candidam, quam quæ in aqua feruente coquitur. Præterea cùm ſcribit, Eadem reſina ſi cum aqua leuius (ὑπάρως Dioſco. ideſt leni igne) decoquatur, coletúrque, rufo colore lenteſcit, ac ſtillatitia vocatur. Seponũtur autem (Hermolaus eliguntur) in id ferè vitia Reſinæ, corticéſque: & aliquot verſibus poſt: Reſinæ albæ congium in duobus aquæ pluuiæ coquunt, malè conuertit, & declarat reſinæ in aqua coquendæ modum, a Dioſcor. traditum. Neque enim Reſinæ albæ congius coquitur, ſed Reſinæ congius quam albam efficere volumus, neque cocta in aqua ruteſcit, ſed fit ἐξόχως λευκὴ, ideſt eximiè candida. Adhæc deponuntur malim, cum χωρίζεσθαι verbo vtatur Dioſc. quàm ſeponuntur. Intelligit enim, id quod etiam antea diximus

Li. 7. med. gen. ca. 3.

Lib. 2. med. gen. ca. 2.

Lib. 16. c. 11.

In caſti. in Plinius.

Lib. 9. Hiſt. cap. 3.

Lib. 2. c. 94.

li. 1. Dioſc. cap. 91.

mus, si liquetur, & coletur resina priusquam coquatur, vitia, sordes, corticésque excerni ac detrahi, purámque ac expurgatam deinde coqui. Resina condire musta vulgare est Italiæ, prouinciisque finitimis, inquit Plinius, vehementiúsque id fieri arbitrantur crudo flore Resinæ, excitarique lenitatem. Palladius. Quidam Resinę siccę tritę vncias tres dolio immergunt, & permouent, ac vina diuretica sic fieri posse persuadent. Columella inter medicamina musto in defrutario ad tertias decocto adiicienda, Resinæ Terebinthinæ sesquilibram recenset. Ea conditura feritatem vini compescebant, virúsque frangebant, aut vbi pigra vini lenitas torperet, virus addebant, ea tamen moderatione, vt mustis pugnacibus plus inderetur, lenibus parciùs. Resinam verò sine curiosa alia præparatione, vt ex arbore collecta fuerat, musto permiscebant, aut florem Resinæ sic præparatum. Eum cum assulis multis, tenuibus, breuibus quibus inhęret, minutim concisum & cribratum, in aqua feruida coquebant. Sic enim pinguis Resina exprimebatur, rara, nec nisi paucis in locis subalpinæ Italiæ, ad vini conditurum excellens, & medicinæ conueniens. Hanc conditurum Plinius Crapulam vocat, quod vina, opinor, sic condita capitis dolorem & vertiginem excitarent, præsertim nouitia, nec inueterata, quod ipse declarat his verbis. Nouitium Resinatum nulli conducit. Capitis dolorem & vertiginem facit, ab hoc dicta Crapula est. Quare Columella cum aromata quibus defrutum cõdiri solebat, enumerans Crispam pampinaceam nominat, plerique docti viri crapulam resinaceam legunt, Hermolaus verò Sertam Campanicam, ob id, opinor quod ea, Palladio teste, ad vini conditurum vterentur. Vina resina condita frigidis stomachis vtilia existimabantur, noxia verò vomitoribus, sicut & mustũ, & sapam, & passum. Galenus Resinas omnes siccare & excalfacere scribit. Cæterùm inter se discrepare, quod plus aut minùs habeant in gustu quidem acrimoniæ, in facultate verò caliditatis: tum quod aliæ plus, aliæ minùs sortitę sunt partium tenuitatis: præterea quod nonnullæ adstrictionis sunt participes, aliæ nequaquam, Idem alibi, Resinarum inquit calidissima est Strobilina, & celerrime siccat moderatissima Terebinthina, Pityinon Physema siccat & calefacit, siccando autem à Strobilina non superatur, calefaciendo, plurimùm. Inter Pityinon Physema & Strobilinam Resinam media calore est Abietina, sicut etiã Colophonia Thus redolẽs, calore mediocri prædita. Humidissima est omniũ, altera Larignæ differentia. Nam hæc duplex est: vna similis Terebinthinæ: altera acrior, calidior, magis liquida, odoratu grauior, & gustu amarior. Sed & vasis fictilibus Piceam resinam continentibus, quæ subsidit liquida Resina, consistentia & colore Terebinthinę adamussim similis, odore & gustu diuersa, ingratior qui dẽ olfactu est, sicut etiã acrior, & gustu mordacior. Cupressi Resina nõnihil adstringit. Putabit, inquit, forsan aliquis, à nobis dissentire Dioscoridem resinis sic scribentem: Ex omnibus principatus Terebinthinæ datur, posteam Lentiscinæ, tũ ei quæ de Picea manat, & Abiete, vltimũ locũ Pinea Strobilináque obtinet. In his enim Dioscoridẽ tãquã de infima Strobilina, optima verò Terebinthina sentire videtur. Verũ ego ex his tribus Resinis, Strobilina, Abietina, Terebinthina, principem certè Strobilinam calore, secundã Abietinã, postremã Terebinthinã esse dixi. Ac de Resina quidẽ satis ferè dictũ est, nunc de Pice disseramus. Pix inquit Plinius, nihil aliud est quàm combustæ Resinæ fluxus. At ex Resina Piceam nõ fieri, sed ex teda vsta iam diximus. Quare Hermolaus cum hac definitione Picis notionem parum explicatam esse perspiceret, dixit, Picem esse combustæ in teda sua Resinæ fluxum. Vt enim Resina ex arboribus manat, aut liquida, & fluens, aut in ijs concrescens, sic Pix ex teda, idest ex vstis arborum succosis & resinosis assulis ignis vi elicitur. Assulæ verò aut ex arboribus adhuc stantibus

Resina vsus. Li. 14. c. 19. & 20. Cap. 14. octobr. Li. 12. c. 20.

Li. 14. cap. & Lib. 16. c. 12.

Li. 23. ca. 1.

Li. 12. c. 20.

Lib. 3. Dioscor. ca. 46. Capit. 14. octobr. Plin. Ibid. Lib. 8. fin. *Vires.*

Li. 2. med. gen. cap. 2.

Ibid. lib. 3. cap. 2. libr. 1. c. de Tereb.

Nomina Li. 13. cap. 1. In li. 1. Dioscor. ca. 91.

desecantur, nimirum iis quas ad Resinam, eliciendam vulnerant, aut ex arboribus cæduntur, quæ nullam amplius fundentes Resinam, vel à ventis euersæ sunt, vel à rusticis ad picem conficiendam deiectæ. Harum arborum præsertim Pinorum radices, eiusmodi succo pingui qui in picem liquitur, maximè abundant: & in his, media truncorum pars, quam Græci καρδίαν, & μήτραν, idest cor, & matricem vocant. Picem è pinguissimis Pini Piceæque lignis congregari rectè scripsit Dioscorid. malè Plinius, è Piceæ Resina: in Hispania autem, è Piceastris (alij Pinastris) nihilo magis laudata, quàm aliarum Resina, amara, arida, & grauis odoris. Terebinthum picem fundere apud Syros scribit Theophr. Quidam addunt, inquit, & Piceam, & Cedrum phœniciam (Gaza malè Cedrum & Palmam vertit.) Sed quia id rarò fit, perinde ac id quod fortè euenit accipiendum. Macedones enim ad picem faciendam, ne Pinum quidem vrunt, præterquam marem. Quandam enim marem vocant, aliam fœminam, tertiam sterilem. Fœminæ verò radices tantùm ad id sumunt. Omnium nanque Pinorum succosa, pinguisque est radix. Hæc transtulit sic Plinius. In Macedonia inquit Laricem masculam vrunt: (ad picem conficiendam sub.) fœminæ radices tantùm: quorum velut oblitus alio in loco, ex arbore mascula meliorem non esse picem scripsit. Spissarum inquit, vtilissima medicinæ est pix Brutia, quoniam pinguissima, & resinosissima, vtrasque præbet vtilitates, vtriusque (Picis Resinæque naturam simul habet, inquit Dioscorides) ob id magis rutila quàm cæteræ. Id enim quod in hoc adiiciunt, ex arbore mascula Picis faciendæ modum meliorem esse, non arbitror posse intelligi. Pix duobus fit modis. Prior is est. In area cretacea pauita tedam pinguem, siue frusta truncorum veteris & pinguis Pini recta collocant, eo prorsus modo quo in carbonariis. Struem hanc fronde Abietum & Picearum contegunt, luto vndique obstruentes, ne flamma perrumpat, & emicet: id enim si contingat, pix perit. Aditu in ima struis parte relicto, ignem succendunt, quo cum ardet teda, pix liquescens in canalem aream cingentem fluit, ac inde per alios ductus in scrobes ligneis asseribus vestitas, ne terra ebibat, deriuatur. Ea tandem excepta, dolia, cados, vtres implent. Eodem modo à Macedonibus Picem vri fusius tradidit Theophr. Posterior modus est. Ingentibus vasis terra defossis, laminam ferream multis foraminibus peruiam, vel ambiente canali cinctam adaptant. Super hanc furnum extruunt, teda assulatim cæsa complent, & obturāt: ignem accensum extrorsum circundant. Feruescens teda primum aquosum sudorem mittit, deinde crassiorem sudore liquidam picem. Non absimili ratione pastores & opiliones Massilienses ex Oxycedro picem conficiunt. Ollam enim primum defodiunt: deinde alteram ori defossę æqualem assulis Oxycedri replent, virgulis transuersim cratis modo super impositis, ne assulæ decidant. Ollam sic repletam in os conuertunt, defossæque applicant. Luto rimas oblinunt, qua commissæ sunt ollæ, ac tum ignem circum accendunt. Primum sudorem aquæ modo canali fluentem in Syria Cedrium siue Cedria vocabatur, teste Plinio, quia Syri cum Pinis & Piceis carerent, rarissimè Terebinthos, sæpius Cedros ad picem conficiendam vrebant, vt alibi annotauimus, cum Bellonij opinionem improbaremus, qui ex quauis arbore resinifera huiusmodi fluentē liquorem Cedrium vocat. Aquosus is sudor picis ferum est. Eius Picis vt Resinę duo sunt genera: Liquida altera, Græcis ὑγρὰ, Arabibus *Eerfs*, *Zefs*, aut *Kir*, Italis *Pece liquida*, Germanis Pix omnis *Bech*, sicut Hispanis *Pex negra*, Gallis *Poix fondue*. Hæc alium ignem non experta quam cuius calore fluxit, ὠμὴ, idest cruda à Theophrasto sæpè dicitur, optima splendens, sincera, læuis. Altera Pix sicca dicitur, coctione durata, aut in doliis & seriis in quibus seruatur, diuturnitate spissata

Pix ex quibus colligi. Lib. 1. c. 95. Li. 14. c. 20.

Lib. 9. Hist. cap. 2.

Lib. 16. c. 11

Lib. 24. c. 7.

Lib. 1. ca. de pi. arid.

Lib. 9. Hist. cap. 3.

Li. 16. ca. 11.

Genera.

Dioscori. lib. cap. 95.

ſpiſſata Italis *Pece ſecca*, Gallis *Poix ſeche*. Coquitur duplici cura, aut igne tam valido, & tandiu continuato, vt abſumpto prorſus humore per quem tenax eſt, arida, fragilis, ac raſilis fiat: aut eouſque dum ad viſci tantum craſsitudinem coacta ſit. Hanc βοσκήδα vocant, fortaſsis quod in pellibus τῶν βοσκημάτων, ideſt pecudũ conderetur, ac venderetur, aut quod pecudũ ſcabiẽ ſanaret, aut quod illitu greges priuatim ſignarent: prior altera, ξηρὰ ideſt arida, ſiue ſicca dicitur, vtraque Palimpiſſa, quaſi recocta, ac bis factam Pix. Plinius Picem liquidam in cortinas coniectam, aceto ſpiſſari tradit. Bellonius igne ſpiſſari legendum cenſet. Ego verò nihil immutandum cenſeo, commodéque pici, dum coctura ſpiſſatur, affundi ſolitum acetum, ne pix inter coquendum, vreretur, & vt ſiccior poſt coctura eſſet. Aceto enim ſiccandi vim ineſſe cuiuis perſpicuum eſt. Quam ob cauſam Plinius fortaſſe bonæ picis nec aduſtæ experimentum eſſe ait, ſi fragmenta ſubluceant, ac ſub dente lenteſcant acore iucũdo. Theopompus ſcripſit referente Plinio in Apolloniatarum agro Picem foſsilem non deteriorem Macedonica inueniri. Eſt autem illa Piſſaſphaltum Dioſcoridis, nempe ad ſpiſsitudinem picis coactum, Temporis ſpatio. Cocta pix ad vſus medicinæ commoda probatur pura, pinguis, reſinoſa, odorata, ſubruffa, qualis Brutia à Brutiis Italiæ gente, & Lycia ab Aſiæ regione dicta, modicè cocta, nec lento reſinoſóque ſuo ſucco prorſus exuta, Reſinæ Piciſque naturam ſimul habens. Aſia picem Idæam maximè probabat, ab Ida celeberrimo Troadis monte Græcia. Pieriam à Piero Theſſaliæ monte, qui Macedoniam verſus protenditur. Virgilius Naræſiam, non, vt vult Bellonius, Lariciam, à Nareſiis Liburniæ populis, quorum montes Pinorum ſunt feraciſsimi. Alij Naryciam legunt, à Naryciis Locrorum populis, qui optima Pice abundant. In Plinio eadem de re ſcriptum extat. Quidam arbitrantur in montoſis picem copia præſtantiorem ac colore, & dulciorem fieri, odore quoque gratiorem dum Reſina ſit: decoctam autem minus picis reddere, quoniam in ſerum abeat: tenuioréſque eſſe ipſas arbores, quàm in planis, ſed has & illas ſerenitate ſteriliores. Fructum quædam proximo anno ab inciſu largiuntur, aliæ ſecundo, quædam tertio, &c. quæ celeriter aures noſtras præteruolare ſanè non debent, ſed diligenter attendenda, atque ex Theophraſto, à quo tranſlata ſunt, expendenda. Quod ait in montoſis picem copia præſtantiorem ac colore, & dulciorem fieri, Theophr. dixit ex Idæa ſiue montana Pino picem πλείω καὶ μελανίδραν γίνεσθαι, καὶ γλυκυδέραν, id eſt copioſiorem eſſe, & nigriorem, & dulciorem, vt in Plinio legendum ſit, ac colore nigriorem, odore quoque gratiorem, διωδεστέραν legit Plinius, non vt in Theophraſti publicis exemplaribus legimus διχεμωδεστέραν, καὶ διωδεστέραν. Gaza vtrúmque videtur legiſſe, vertit enim faciliorem & odore gratiorem: Cæterum in emendatis codicibus legimus, εἰλικρινεστέραν, καὶ ἐνωδεστέραν, ſinceriorem puriorémque, ac odore gratiorem. Plinius habet dum reſina ſit. Theophraſtus ὠμὴν, dum cruda ſit, neque enim hîc de reſina vlla mentio. Plinius decoctam autem minus picis reddere. Theophr. decoctam autem Picem minui, & pauciorem fieri, quoniam in ſerum abeat. Plinius tenuioréſque eſſe ipſas arbores. Theophraſt. tenuiorémque eſſe Picem ex Idæa Pino, quam ex marina. Quo enim ſeroſior eſt Pix, eo tenuior, quo ſeri minus habet, eo craſsior. Plinius. Sed has & illas ſerenitate ſteriliores. Theophraſt. Ex pari Tedæ Pineæ quantitate Picem copioſiorem, & magis ſeroſam fieri, & frequentibus pluuiis quàm diuturnis ſqualloribus, & ex gelidis ac vmbroſis locis, quàm ex tepentibus, & apricis. Plinius. Fructum quædam proximo anno ab inciſu largiuntur, aliæ ſecundo, quædam tertio, &c. Theophr. ἐπιῤῥοὴν ἔνδλαδον habet, id eſt confluxum reſinoſum, pinguémque, vt iam hoc capite declarauimus. Optima

Coctura.

Lib. 16. c. 11.

Lib. 16. c. 12.

Lib. 1.

Plin. lib 14. cap. 20.

Li. 2. Geor.

Li. 16. ca. 11.

Lib. 9. Hiſt. cap. 2.

& puriſsima Pix, Theophraſto, fit locis Aquilonem ſpectantibus, & apricis: ex opacis, βλοσυροτέρα, aſpectu fœdior, Plinio, horridior, impura, ſordida, & velluti cœnoſa, βορβορωδης, Plinio, virus præferens: hyeme leni, copioſa, bona, candidior: hyeme aſpera, pauca, deterior, & decolor, quod poſtremum addidit Plinius, perinde ac ſi apud Theophraſtū legiſſet, ὀλίγη, ἄχρως, μοχθηροτέρα. Picis naturam, quibus ex arboribus, qua arte fiat expoſuimus: item eius genera, coctura, probitatémque. Nunc de iis quæ picis genera alia à ſupradictis videri poſſent, dicemus. Pix Nemeturica olim dicta fuit à Nemeturis Alpinis populis, quorum meminit Plinius, licet eam in Liguria confici ſcribat Columella. Ea pix liquida erat eodem auctore. Pix corticata qua vtebantur Allobroges ad vini condituras, ſic eſt fortaſſe dicta, quod in loculis ex arborum cortice factis adueheretur, aut quod tam dura eſſet, vt in multiplices textus, ac loricas, tanquam in cortices ac philyras diuideretur. Hæc ſicca erat, duraque, & quo vetuſtior, eo melior in vſu, quoniam omni lentore amiſſo facilius in puluerem reſoluebatur, atque cribrabatur. Cocta eſſet nec ne Columella non declarauit. Coctione duratam fuiſſe veriſimile eſt. Habetur & in vulgatis Columellæ exemplaribus Pix raſis, quæ raſilis mea quidem ſententia dicenda eſt, igne quidem non exſiccata, ſed cruda, verùm multis annis & vetuſtate ſic durata, vt contuſa in puluerem redigeretur, ac radi poſſet. Eandem eſſe puto quam Plinius Rabulanam, ſiue Radulanam, ſiue Raſulanam vocat, non à radula, vt exiſtimauit Beroaldus, ferreo inſtrumento quo Pix raderetur ex doliis, ac educeretur. Opinioni tamen Beroaldi ſubſcribere videtur Hermolaus, his verbis: Quidam ex Columella malunt Radulana quàm Rabulana legere, quòd auctor is inſtrumentum in pice educenda Radulam quaſi à radendo nominauerit. Sed & rabula quoque à radendo flectitur, vt à fando, paſcendo, fabula, pabula. Sunt qui Rheticam legendum cenſent, laudatam à Conſtant. Cæſare. Picis vſum duplicem fuiſſe rei ruſticæ ſcriptores tradiderunt: vnum ad dolia, & ſerias, cæteráque vaſa ante quadrageſimum vindemiæ diem picanda, & aliter ea quæ demiſſa eſſent humi, aliter ea quæ ſtarent ſupra terram. Nam in iis quæ demerſa eſſent, pix vetuſta lateribus adhærens liquabatur igne in lampade admoto, & radula curua ligneo rutabulo prefixa foras eiiciebatur, poſt deterſa penicillo vaſa, feruentiſsima pice infuſa, ſcopula rutabulo alligata & circumducta picabantur. At quæ ſupra terram conſiſterent, complures dies antequam curarentur, in ſolem producebantur: deinde cum ſatis inſolata eſſent, in os conuerſa, ſubiectis tribus paruis lapidibus ſuſpendebātur, atque ita ignis ſubiiciebatur tandiu incēſus donec ad fundum calor adeo vehemens perueniret, vt appoſita manus patiens eius non eſſet, pixque vetuſta liquaretur: tum dolio in terram demiſſo, & in latus depoſito, pix feruentiſsima infuſa dolium volutabatur, vt omnes eius partes linerentur. Piceam duram & recoctam ad id commendabant, adiecta quinta parte picis Brutiæ. Pix in Italia, ad vaſa, vino condendo, maximè probatur Brutia, inquit Plinius. Picis illitus vino duratricem firmitatem præſtat, ait Plinius, ne vinum corrumpatur, & ſicubi rimoſum vas ſit, ne transfluat. Picis alter vſus erat ad condituras. Plinius. Græcia argilla, aut marmore, aut ſale, aut mari, lenitatem vino excitat. Italiæ pars aliqua Rabulana pice. Ratio condiendi muſta in primo feruore, qui nouem diebus cum plurimum peragitur, aſperſu picis fit, vt odor contingat, & ſaporis quædam acumina. Is picis odor ſapórque Romanis olim fuit gratiſsimus in vinis, quæ ob id Picata appellabant, Galenus οἶνον χωνίαν & πισσίτην. Huiuſmodi vina arte, talia erant, vel naturæ ſponte, qualia Viennenſia, Allobrogum. Plinius. Iam inuenta

Lib. 9. Hiſt. cap. 2.
Li. 16. ca. 12. Theophr.
Ibidem.
Lib. 4. c. 20.
Lib. 12. c. 24
Colu. ibid. cap. 23.
Li. 12. c. 20.
In annot. in Colum. In cap. 19. l. 14. Plinius.
Lib. 6. ca. 5.
Vſus.
Colu. libr. 12. cap. 43.
Li. 14. c. 20.
Lib. 14. ca. 1.
Li. 14. c. 19.
Lib. 14. ca. 1.

uenta vitis per ſe in vino Picem reſipiens, Viennenſem agrum nobilitans: vulgus ea vina violam olere inquit. Plinius libro 14. capit. ſecundo. vuam ex qua vina talia exprimuntur Picatam appellat. Picem quidem non ſolam, ſed multa alia medicamina vinis condiendis admiſcebant antiqui, veluti nigram Maſtichen auctore Plinio, quæ in Ponto Bitumini ſimilis gignitur, & Li.14.c.20.
Iridis radicem, Folium, ſic enim legendum, non oleum, Nardum Gallicam, vt tradit Columella, Crocum, Palmam, nimirum Elaten Palmæ, Cyperum, Li.12.c.20.
Schœnum, Myrrham, atque alia plura cum Pice raſili. Quemadmodum enim cum vinum adeo infirmum eſſet, vt perennare non poſſet, aut certe quouſque venderetur, durare, periculúmque eſſet, ne aceſceret, fugeret, muceſceret, id Reſina, flore Reſinæ, crapula reſinacea, ſapa, defruto, aliiſque odoribus condiebant, ita, Pice interdum ſola, interdum cum aliis vt modo diximus, mixta, & ea quidem modo liquida, qualis fuit Nemeturica, vel ſicca, qualis fuit corticata Allobrogum, Raſilis, Brutia, vina medicabantur, prius tamen pici liquidæ ſemper aut cinerem lixiuium infundentes, permiſcentéſque, aut aquam marinam ex alto petitam, vt his & picis odorem auferrent, & ſpurcitiam eluerent. Alios duos picis apud veteres vſus libet adVict. lib. 8. Vari. lect. cap. 14.
ſcribere. Pice illita pilos auellebant, è corporis partibus, quas natura iis veſtitas eſſe voluit, quod πιτλοῦν & καταπιτλοῦν Græci dicunt, à materia qua vterentur Lib.3.Pæd.
in eo fœdo miniſterio. Hoc verbo vſus eſt ſæpe Clemens Alexandrinus, molle delicatúmque inſtitutum, ac improborum hominum artificium accuſans. Præterea pice torquebant corpora hominum, qua in re verbo καταπιτλοῦν longe alio intellectu quàm in vaſis linendis vtebantur: valebat enim, cruciatu illo & ſupplicio afficere. Intellexit hoc Lucretius, cum pœnas mortalium, tormentáque breui exponens, inquit.

Verbera, carnifices, robur, pix, lumina teda: In captiuis

Nec non Plautus, cum induxit Ariſtophontem refellentem aſtutam vocem ſerui, qui dixerat in eum, Atra bilis agitat hominem: At pol te, ſi hic ſa- *Vires.*
piat ſenex, Atra pix agitet apud carnificem, ac tuo capiti illuceat. Picis facultates ex Dioſcoride hæ ſunt. Pix liquida contra venena, phtiſim, purulentam excreationem, tuſſes, ſuſpiria, & pectoris humores qui difficilè extuſsiuntur, efficax eſt, eclegmate cyathi menſura cum melle dato. Tonſillarum & vuæ inflammationes, anginæque, vtiliter perunguntur: purulentis auribus infunditur cum roſaceo: illinitur cum trito ſale ſerpentium morſibus: adiecta verò pari cera ſcabros vngues extricat, impetiginéſque emendat: vuluæ duritias, ac ſedis tubercula diſcutit: cum farina hordeacea & pueri impubis vrina decocta ſtrumas rumpit: cohibet vlcera quæ ſerpunt, cum Pineo cortice, aut ſulfure, aut furfuribus illita: cum thuris manna & cerato profundos vlcerum ſinus glutinat: rimis ſedis, & pedum magno auxilio illinitur: vlcera replet, & cum melle purgat, quin & cum vua paſſa & melle carbunculos, putridáque vlcera emarginat, ac diſrumpit. Erodentibus medicamentis probè im- Cap. 81.
miſcetur. Pix arida calfacit, dura emollit, pus mouet, tubercula, panoſque diſcutit, vlcera replet: vulnerariis medicaminibus commodè permiſcetur. Pix Lib. 8. fim.
ſicca Galeno deſiccat, & excalfacit ſecundo exceſſu, plus tamen deſiccare poteſt quàm calfacere: humida contrà, plus calfacit, quàm deſiccat, habétque nonnullam partium tenuitatem, qua & aſthmaticos & purulentos adiuuat. Satis eſt autem cyathi linxiſſe menſuram melli mixtæ. Abſtergendi quandam vimque habet, concoquendi, digerendi, velut & in guſtu ſubamarum quid piam, & acre. Sic leproſos vngues eximunt ambæ, mixtæ cum cera, lichenáſque detergunt: concoquunt item duros & crudos tumores omnes, cataplaſmatis

minantia nihil pati. Homines quidam fructu veſcuntur : eſt enim ſuauis atque innoxius, Plinius cùm de Picea & Abiete diſſeruiſſet, ſubdit. Similis his etiámnũ aſpectu eſt Taxus, minùs virens, graciliſque, & triſtis, ac dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola baccifera. Mas noxio fructu. Letale quippe baccis, in Hiſpania præcipuè, venenum ineſt. Vaſa etiam viatoria ex ea, vinis in Gallia facta, mortifera fuiſſe cõpertum eſt. Hac Seſtius Smilacem à Græcis vocari dixit, & eſſe in Arcadia tam præſentis veneni, vt qui obdormiant ſub ea, cibúmue capiant, moriantur. Sunt qui & Taxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc Toxica dicimus, quibus tinguntur ſagittæ. Repertũ innoxiam fieri, ſi in ipſam arborem clauus aëreus defigatur. In quo loco pro Arcadia legendũ putat Cornarius Narbonia, velut Dioſco. habet. Nam de Hiſpaniæ & Galliæ Narbonẽſis, ad Hiſpaniã ſpectantis Taxo loquuntur. Plutarchus eo tantum tempore Taxũ noxiam eſſe tradit, quo florere incipit, quòd tum ſucco ſit maximè prægnans. Virgilius Taxum, vt apibus noxiam, ab apiario ſemouet.

Lib. 16. c. 10.

Embl. 68. li. 4. Dioſc. Lib. 4. ſympoſ.

Ne propius tectis Taxum ſere

Galenus hæc pauca de Taxo. Smilax ſiue Taxus arbor eſt venenoſæ facultatis, Vbi exemplaria falſo habent ἡ χάμελος pro ἡ τάξος. Dioſcorides, Auiculæ quæ Italicę Taxi baccas deuorant, denigrantur, & qui ederint eaſdem homines, alui profluuio corripiuntur. Narbonæ tam præſentis eſt veneni, vt ſi qui dormiant ſub ea, aut in eius vmbra ſubſideant, lædantur, & ſæpenumero moriantur. Et alibi. Taxus frigus vniuerſo corpori, ſtrangulatus, & celerem interitum infert. Cui eadem quæ Cicutæ conueniunt. Solum merum Nicander exhibet, idq; liberalius hauriendum eſſe præcipit. Teſtatur Matthiolus in Tridentinis montibus non veterina ſolùm ſed ruminantia etiam animalia deuorata Taxo interire, ipſiuſq; baccas iiſdem in locis pernicioſas eſſe, ſéque curaſſe affirmat paſtores, ac lignatores, qui ſaporis dulcedine allecti, cũ has ediſſent, in febres ardentes inciderunt, & alui profluuia, non ſine magno vitæ diſcrimine. Contra Penna eius baccas innoxiè puerulos eſitare in Anglia affirmat, ſeq; guſtaſſe ſub hyemen non ingrato ſapore, ſed fatuo, vel ſubamaro, ibiq; porcos paſsim eas tanquam glandes comeſſe. Nulli ſanè Angliæ angulo deeſſe hanc, vbi ſemper virente, vmbroſa, denſaq; ramorũ fronde & latiſsima, ſimiliter Abieti, pennatis & longis quaſi pectinum radiis, ex atro virẽtibus comoſa, in ſepulcretis & areis pro templorum foribus pangitur, ad arcendos ſolis æſtus à concione, plebeq;, ſub tegmine Taxi conuentus agere ſolita, nullo percepto inde vel tantillo incommodo. Sed hîc exiſtit quæſtio, inquit Matthiol. an frigidi, an calidi ſit Taxus temperamenti? Dioſcorides eiuſq; ſectatores frigidi eſſe temperamẽti exiſtimarunt, quod iiſdem remediis Taxi veneno, quibus & Cicutæ occurrendũ eſſe ille ſcripſerit. At his opponit Matthiol. amarorem qui cortici ac frondibus ineſt, comam perpetuò virentem, Pinorum, Abietũ, Picearumq; modo, quibus fronde ſimilis eſt, baccarum tum dulcedinem, tum acrimoniam quandam, & quod auiculę eas depaſtæ nigreſcant, quæ omnia inſignem temperamenti caliditatem arguunt. Quare & febribus, & alui profluuio tentantur, qui eas baccas ederint, inflãmatis ſcilicet ſpiritibus, & ſanguine. Quod ſi quis dixerit accendi febres, fieriq; alui fluxiones ex humorum putredine, quemadmodum æſtate ex frigidorum fructuum eſu, nigrum verò colorem in auiculis contrahi poſſe tam à frigido, quàm à calido, quid tandem ad frondium corticíſque amarorẽ, baccarum dulcedinem & acrimoniam, perpetuoq; virentem comam reſpondebit? Nam hæc à calore fieri nemo negauerit. Febres verò & alui profluuia ex calore immodico potius, vt deuoratis Anacardiis accidit, quàm ex humorum putredine ſuboriuntur, & nigror ille pennarum à calido potius quàm à frigido auicu-

Lib. 8. ſim. lib. 4. c. 76.

Lib. 6. c. 12.

In ca. 12. li. 6. Dioſcor.

Ibidem. *Temper.*

larum pabulo. Frigus enim nigrorem non inducit, nisi sit immodicum, & tantum vt interimat. Quare nigror exustis humoribus gignitur, vt in Æthiopibus. Ex Taxo arcus & scorpiones fiebant, atque etiam hodie fiunt. Virgil.

Usus. Georg. 2.

Itycos Taxi torquentur in arcus.

Taxus etiam sectiles laminas glutinandis capsis, scriniis, subselliis, atque aliis huiusmodi præbet.

VLMVS CAP. XXII.

DE glandiferis, coniferis, resiniferisq; Syluæ nostræ arboribus satis copiosè diximus. Supereſt vt de aliis agamus quæ syluarũ & montium propriæ sunt. Ac primum à nostratibus, notioribúsque incipiemus, deinde ad externas veniemus. Græcis πτελέα dicitur, quæ Latinis Vlmus, Arabibus *Didar, Dirdar, Luzach*, Gallis *Orme*, Italis *Olmo*, Germanis *Vlmen, Ristnholtz, Lindbast, Iffenholtz*, Hispanis *Vlmo*, Anglis *Elmtre*, Belgis *Olmboom*, Boemis *Gilm*. Vlmi duo genera sunt Theophrasto, vnum ὀρεοπτελέα, Gaza Montiulmum vertit, cum montosam Vlmum Plinio auctore dicere potuisset: Alterum πτελέα, id est Vlmus, Plinio campestris Vlmus, qui quatuor Vlmorum genera numerat. Græci, inquit, duo Vlmi genera nouêre, montosam quæ sit amplior, campestrem, quæ fruticosa. Italia Atinias vocat excelsissimas, & ex iis siccaneas præfert, quæ non sunt riguæ. Alterum genus Gallicas. Tertium nostrates, densiore folio, & ab eodem surculo numerosiore. Quartum syluestre. At Columella: Vlmorũ inquit duo esse genera cõuenit, Gallicum, & vernaculũ. Illud Atinia, hoc nostras dicitur. Quare πτελέα, Vlmus, Plinij Vlmus nostras, siue Italica, Theophrasto campestris, Columellæ Vlmus vernacula, eadem planè arbor esse videtur: itemq; ὀρεοπτελέα, Vlmus mõtosa Plinij, siue syluestris, Vlmus Atinia siue Gallica Columellæ eadẽ. Vlmus magna proceraq; est arbor, radicibus longè lateq; vagantibus, ramis latiùs passis, folio minimè fisso, leuiter in ambitu serrato, lato, & oblongiore quàm Pyrus, scabro neque læui. Materia dura, flaua, neruosa, deformis, quia tota cor est, cũ viret, cæsu facilis, si exaruit, difficilis, qua ad fores lautiores vtuntur. Rigorem fortissimè seruat, inquit Plin. ob id cardinibus assamentísque portarum vtilissima, quoniam minimè torquetur: permutanda tamen sic, vt cacumen ab inferiore sit cardine, radix superior. Semen fert Vlmus latiusculum, rotundum, tenue. Quare aberrarunt ij quos scribit Theophr. putasse Vlmum sterilem esse, quibus tum experientia, tum Plinij auctoritas repugnat, Vlmos omnes, præter Atinias, ex semine prouenire tradentis. Sed ipsi Plinio scribenti Atinias non ferre Samaram, & fructum arborum solas nullum ferre, hoc est ne semen quidem, Tamaricem, Populum, Alnum, Vlmum Atiniã Columella apertè refragatur, cùm dicit, Atiniam Vlmũ Tremellius Scrofa non ferre Samaram (quod est semen eius arboris) falsò est opinatus. Nam rariorem sine dubio creat, & idcirco pleriſq; sterilis videtur, seminibus inter frondem, quam

Nomina

Genera. Lib. 16 c. 17.

Ibidem.

Lib. 5. ca. 6.

Forma.

Theophr. ibid.

lib. 16. c. 40.

Lib. 3. Hist. cap. 14.

Lib. 16. c. 17. Li. 16. c. 26.

Ibidem.

quam prima germinatione edit, latentibus. Itaque nemo iam serit ex Samara, sed ex sobolibus. Est autem Vlmus ea longè lætior & procerior quàm nostras, frondemq; iucundiorem bubus præbet. Hæc Columel. Fert & Vlmus gummi ἐν κωρυκοῖς, inquit Theophr. id est in folliculis, non vt Gaza vertit, in petiolis, & animalia quædā culicibus similia. Hi folliculi sunt haud ita parui, subrotundi, crassi, scroti hominis figura, quibus clauditur humor initio lentus, tandem solis vi in gummi concrescens. Cachryn etiam edit peculiarem, autumno multā, minutam, nigram. Vlmus Atinia, siue montosa, arbor est multo procerior, ramos tamen tam latè non extendens, folio Vlmi superioris, per ambitum modicè serrato: ligno simili, candido, Buxi instar spisso, solidissimoq;, & quod non facile findi se patiatur: vnde ad rotas molares, cochleásque, trochleas, & alia instrumenta quæ pondus magnum sustinent, maximè expetitur. Tragus Orni nomine depinxit. Galli *Charme*, vocant, & *Charpente*. Quamobrem nominum similitudine quidam falsi Carpinum esse putauerūt, cum Aceris genus Carpinus sit, non autem Vlmi. Omnium ferè Vlmi partium magnus est in medicina vsus. Folia, cortex, rami, inquit Dioscor. vim habent spissandi. Folia trita ex aceto ad lepras efficaciter illinuntur, vulnera glutinãt, sed multo magis corticis tilia, si fasciæ loco intorqueatur: nam in lori morē flecti potest. Crassior cortex in vino, aut aqua frigida vnciatim potus pituitas trahit. Fracta ossa celerius solidescunt, si decocto foliorum, corticis, aut radicis foueantur. Humor in folliculis nascens prima germinis eruptione, cuti illitus nitorem inducit, faciémque splendidiorem præstat, is scilicet qui dum siccatur, in animalia abit, quæ culicum formam gerunt. Folia tenera olerum modo cocta ad obsonia vsurpantur. Eadem ferè de his Plinius tradidit. Vlmi foliis, inquit Galen. quandoque recens vulnus glutinauimus, confidentes astringentem pariter & abstergentem inesse illis facultatem. Cortex amplius etiam subamarus est, & astringens, ideo cum aceto & lepram sanat. Porro viridis etiámnum ac recens, si vulneribus vinculi vice circumligetur, ea glutinare potest. Radices eandem vim obtinent. Nam & decocto earum quidam perfundunt fracturas, quæ topho siue callo inducto opus habent. In his animaduertendum hæc Dioscor. verba, ἢ τὸ ἀφέψημα ἢ τῶν φύλλων, ἢ τῆ φλοιῆ τῶν ῥιζῶν χαλασλώμενον, χάλαγμα ποιεῖ ταχίον, sic esse vertenda. Et decocto foliorum, aut corticis radicum si fracta ossa foueantur, citiùs callo obducentur, vt Dioscor. decocto foliorum, aut corticis radicum adscribat, quod Galenus, & eum secuti Paulus, atque Aetius simpliciter de radicum decocto produnt. Eorū sensum in Dioscoride exprimere voluisse videtur Ruellius, aut in Dioscor. legisse, ἢ τῆ φλοιῆ, ἢ τῶν ῥιζῶν, &c. quam tamen particulam ἢ secūdo loco positam in nullis excusis exemplaribus comperi. Humor qui folliculis Vlmi continetur (vt experientia sibi compertum esse Matth. affirmat) medetur puerorum enterocelis, si linteola eo madefacta sæpe inguini affecto imponãtur, & perizomate seu ventrali constringantur. Eodē liquore vitreo vasè concluso, & in terra aut fimo viginti

Nomina

VLMVS ATINIA.

Lib. 4. c. 73. *Vires.*

Lib. 1. ca. 95. *Vires.*

L. 24. ca. 8. L. 8. simp.

Lib. 1. Dioscor. c. 95.

viginti quinque dies condito, vasis ore diligenter obturato, fundo verò super salis communis stratum collocato, euenit vt fex subsidat, & liquor clarissimus supernatet, qui ad vulnera recentia glutinanda adeo officax est, vt mirum dictu sit, quàm bellè celeriterq; id efficiat, cũ spleniis iucũdis, aut penicillis admotus. Corticis radicum decoctum articulorum duritias emollit, & neruorum cõuulsiones resoluit, fotus aut balnei modo adhibitum. Præterea tumores discutit, quos iugi attritus in collo boum excitauit. Interiores Vlmi radices si diu decoquantur, & decocto supernatans pinguitudo colligatur, eaq; illinatur sæpe locus à quo pili defluxerint, ij breui renascentur. Eiusdem cortex contusus, & muria vsq; adeo subactus, vt malamagti similis sit, illitus podagricos dolores mulcet. Folia Vlmi quæ ad Orientẽ spectãt impari numero decerpta, & cum piperis granis cõtrita, & ex vino Cretico pota à ieiunis, auctore Marcello, purulentas tusses mirificè iuuant. Humor ille folliculorum Vlmi videtur in emplastrum quoddam Melinum, quod Rustico adscribitur, recipi apud Galenum: πτελέας, inquit, ϛ ἐν φυλακίοις δρ. χ. ιε. quæ non rectè vertit interpres Vlmi in sacculis ex corio reconditæ denariûm pondo. Dicẽdum enim, Humoris Vlmi qui in folliculis cõtinetur drach. quindecim, vt τῷ ὑγρῷ, aut quid simile intelligatur. Nec enim video quid aliud de Vlmo sibi velit, nec aliud hic est τὸ φυλάκιον Galeno, quàm κωρυκὸς Theophrast. sic enim in eo legendum, non κωρυκὶς, & φύσα Dioscoridis quibus nominibus folliculus, vtriculus, vesicula significatur. Paulus inter remedia quæ Ceruſæ veneno aduersantur recenset κοκκυμήλων κόμμι, ἢ πτελέας δ' ἐν τοῖς φυλακίοις ὑγρὸν μετὰ χλιαρῶ ὕδατος, id est Prunorum gummi, aut Vlmi humorem, qui in folliculis ipsius continetur. Quo in loco quamuis Paulus Galenica τῷ φυλακίῳ voce sit vsus, tamen cum totum id caput, vt & alia ex Dioscoride ad verbum exscripsisse constet, ex eo locus Dioscoridis eadem de re, deprauatus facilè restituetur: ἢ κοκκυμήλοις, inquit, ἢ κόμμι ϛ πτελέας, ἢ τὸ ἐν τοῖς φύλλοις ϛ πτελέας ὑγρὸν μετὰ χλιαρῶ ὕδατος. Ruellius, aut Prunis, aut gummi quod Vlmus plorauit, aut humor quem Vlmea folia reddiderunt, &c. Legendum verò ἢ κοκκυμήλων κόμμι, ἢ πτελέας δ' ἐν ταῖς φύσαις ὑγρὸν μετὰ χλιαρῶ ὕδατος. Sed quid Paulo teste opus est, cum ipse Dioscor. alibi id satis testatum reliquerit? δ' ἐν ταῖς φύσαις (τῆς πτελέας suba.) μετὰ τὴν πρώτην ἀνεράσησιν βρισκόμενον ὑγρὸν, id est, Humor qui in folliculis Vlmi prima germinatione reperitur.

Lib. 2. med. gen. cap. 7.

Li. 3. Histo. cap. 14.

Lib. 1. ca. 95.

Lib. 5. c. 60.

Lib. 6. c. de ceruſ.

Lib. 1. ca. 95.

FRAXINVS ET ORNVS. CAP. XXIII.

Nomina

VLMVS arbor Græcis μελία dicitur, Latinis appellatur Fraxinus, Gallis *Freſne*, Italis *Fraßino*, Hiſpanis *Freſno*, & *Frexo*, Germanis *Eſchern*, *Eſcherbaum*, *Steyneſchern*, Anglis *Aſchetre*, Boemis *Geſen*, Belgis *Eſchen*.

Genera.

Eius genera duo esse prodidit Theophr. Vnum excelsum, procerũ, ligno candido, neruoso, molliore, crispiore, magis enodi. Alterum humilius, minus augescens, scabrius, durius, & magis flauum. Hanc Fraxinum, Ornum esse existimant, Fraxinumq; syluestrem Columellæ, Italis *Orniello* dictam. Macedones auctore Theophr. priorem βυμελίαν, id est grandem Fraxinum vocant, non vt Theodorus interpretatus est, Bubulam Fraxinum, perinde quasi πολυμελίαν dixissent, βυ particula magnitudinem significãte, ab Aeolicis sumpta, β, pro π, in dictione πολύ, & expuncto, λ, elemento βυ pronunciantibus, vt testatum reliquit Plutarchus. Est vt scribit Theophr. quæ in montibus nascitur, bene colorata, lævis, spissa, lenta: quæ in planis, male colorata, rara, scabraq;. Hæc Plinius sic transcripsit. Græci duo Fraxini genera fecere, longam, enodem. Alteram breuem, duriorem, fusciorémque, Laureis foliis. Bumeliam vocant in Macedonia, amplissimam, latissimámque. Alij situ diuisêre. Campestrem enim esse crispam

Lib. 3. Hist. cap. 11.

Li. de arb. cap. 16.

Ibidem.

In symposi. Ibidem.

Li. 16. ca. 13.

FRAXINVS.

ORNVS.

criſpam, montanam, ſpiſſam. Virgilius quoque montanam Ornum facit, cùm ſcribit: *Cantando rigidas deducere montibus Ornos.* Eclog. 6.

Vtriq; folia ſunt Lauri latifoliæ ſimilia, in acutiùs coacta, in ambitu nonnihil ſerrata, non pungentia (nam in Theophraſto falſò ſcriptum eſſe puto καὶ ἐπεχανθίζοντα, vel vt Gaza legiſſe videtur ἢ ἐπεχανθίζοντα, id eſt ac ſubſidentia, pro οὐκ ἐπεχανθίζοντα) Quod verò ſequitur, aliter & rectiùs videtur legiſſe Gaza, quàm in Codicibus noſtris ſit exaratum, hoc modo. τὸν δὲ ὅλον κλῶνον, ὄντος εἴποτιν μονόφυλλον, τῷ ἅμα φυλλορρεῖν, &c. Id eſt, Ramum totum vnum folium eſſe quis dixerit, quoniam ab vno pediculo folia ſimul iuncta exoriantur, quæ coniugatim velut per genicula in ſingulis ordine dependent, frequentibus ac crebris coniugationibus, perinde atque in Sorbo. Inde non illepidè Plinius folia pennata dixit. Humilis Fraxini internodia breuia ſunt, foliorum coniugationes pauciores (legendum enim ἐπὶ δὲ τῶν μὲν βραχέα τὰ μεταγονάτια, &c.) Albæ autem ſiue montanæ longæ coniugationes, & plures, quia latiùs diſtinctæ, latioráque interualla, id quod ſignificaſſe mihi videtur Columella, cùm ſcripſit Ornum paulo latioribus eſſe foliis, ſed folia ſingula oblongiora, anguſtiora, obſcurius virentia porracei coloris: τὴν δὲ χρόαν πρασώδη, inquit Theophraſtus, Hermolaus verò legit τὴν δὲ χρόαν πρασώδη, id eſt coloris herbacei: Cortice læui, ſpiſſo, tenui, rubeſcente integitur: radicibus crebris, eraſsis, altíſque nititur. Idæi fructu floréque carere exiſtimant: fert tamen in ſiliqua fructum minutum, nucis modo, qualem Amygdalæ, guſtu ſubamarum. Fert & quædam alia, οἷον βρύα, id eſt veluti muſcos, inquit Theophraſt. vt Laurus: cæterùm denſiores, & magis compactos, τυφνότερα, non τρυφνότερα, globoſos, non aliter quam Platani pilulas, & eos quidem partim fructui propinquos, partim à fructu longè ſemotos, & plures quidem (πλείω, non πλείω) eo pacto nimirum à fructu multùm diſtantes. Globoſos hos muſcos ego in Fraxino obſeruaui & collegi hyeme iam deſinente. Sunt autem hi tuberoſi, velut ex reſiccato impenſiùs glutinoſo muſco

Formæ.

Lib. 16. cap.

Li. de arb. cap. 16.

FRAXINVS CVM fructu, & Pilulis.

Locus. Ibidem.

Lib.16.c.18.

Dodo.li.6. cap.70.

Plin.lib.16. cap.26.

Lib.1. c.92.

Lib.7.

Lib.16.c.13.

Ibidem.

Lib.7.Ep.c. Lib.1. Dioscor. a.91. Lib.4 Hist. cap.10.

Lib.6.ca.3.

Ibidem.

Lib.3. Hist. ca.10.

muſco concreti, guſtu nonnihil adſtringentes, lignoſo intus nodo muſcoſum corpus ſuſtinente. An verò in Lauro tale quippiam gignatur nondũ obſeruaui. Scio tamẽ Theophraſt.cap.8.lib.3. cùm recenſet arbores quæ præter fructum peculiarem alia nonnulla ferunt, tradere, in Vlmo gigni vuam, & folliculos: in fico, groſſos, & ficus: in Auellana nucem, & Iulum: in Ilice, glandem & coccum: in Lauro fructifera, non omni quidem, ſed aliqua eius ſpecie, baccam, & vuam, (τὸ βότρυον, niſi legendum ſit, τὸ βρύον,) quæ tamen vua in Lauro non fructifera, quam marem vocant, magis gignitur. In Lauro Muſcum aut Vuam me vidiſſe equidem non memini. Læuis Fraxinus, vt ſcribit Theophr.locis βαθυσκίοις, id eſt valde vmbroſis gaudet, Gaza βαθυκοίλοις videtur legiſſe, vertit enim, locis concauis madidíſque: ſcabra, ſiccis, atque ſaxoſis. Plinius verò: Aquoſis montibus gaudet Fraxinus. Deſcendunt & in plana Ornus, & Fraxinus. Fraxinus loca humida amat, vt fluuiorum ripas. Ornus in montibus prouenit, & vmbroſis ſyluis. Fraxinus meſsibus reddit ſemẽ. De Fraxino mentio nulla apud Galenũ inter ſimplicia medicamẽta, neq; apud Aetiũ. Fraxini foliorum ſuccus, inquit Dioſcor. ipſaq; ex vino pota, & illita, viperarum ictibus auxiliantur. Corticis cinis ex aqua illitus lepras eximit. Ligni ramenta ſcobémque potu perniciem afferre tradunt. Paulus hæc Dioſcoridis verba tranſcripſit, neque quicquam amplius addidit. Quod Dioſcorides de foliorum & ſucci ipſorum potu atque illitu ſcripſit, hoc etiam Plinius habet. Contra ſerpentes ſucco expreſſo ad potum, & impoſita vlceribus, folia opifera, ac nihil æquè, reperiuntur. Sed quod idem ait: Folia earum iumentis mortifera, cæteris ruminantium innocua, Græci quoque prodidêre. Hoc autem non ſine errore ab ipſo proditum eſt, meritoq; à Manardo & Matthiol. reprehenditur, quod μελίαν, quæ Fraxinus eſt, pro μίλτῳ, id eſt Taxo agnouerit apud Theoph. cuius hæc ſunt verba: φασὶ δὲ καὶ μίλτῳ λέφρα ἐὰν φαγὴ τῶν φύλλων, ἀποθνίσκειν, καὶ ὃ μὴ ευκάζονται ὐδὲν τἀλλα, quæ cum περὶ τῆς μίλτου Theophraſtus ſcribat, Plinius de Fraxino intellexit. Quamobrem de ſuo adiecit: In Italia nec iumentis nocent, quòd quotidiana experientia id certiſsimum eſſe perſpiceret. Quin & Columella inter frondes quibus tota æſtate, & deinde autumno ſatiantur boues, probat maximè Vlmeam, poſt Fraxineam, ab hac Populneã. His ipſis foliis tantam eſſe vim aduerſus ſerpentes tradidit Plinius, vt ne matutinas quidem occidentéſue vmbras, quam ſunt longiſsimæ, ſerpẽs arboris eius attingat, adeo ipſam procul fugit. Experti prodimus, inquit, ſi fronde ea gyro claudatur ignis & ſerpens, in ignem potius quàm in Fraxinum fugere ſerpentem. Mira naturæ benignitas, priuſquàm hæ prodeant, florere Fraxinum, nec ante conditas folia dimittere. At verò non hoc ſolùm quod modò diximus de Taxo à Theophraſt. traditum, ad Fraxinum tranſtulit Plinius, ſed etiam quod paulo ante dicit, Eam quidem Fraxinũ quæ naſcitur in Ida, eſſe in tantũ Cedro ſimilẽ, vt ementes fallat, cortice ablato. Hoc enim Theophr. eodem loco de Taxo ſic habet: ὁ δὲ ἐκ τῆς

ἴδης

ἴδιος ξανθὸν σφόδρα, καὶ ὅμοιον τῇ κέδρῳ, διὸ καὶ τοὺς τορνεύοντας φασὶ ἐξαπατᾶν, ὡς κέδρον τορνεύοντος πάνυ γὰρ ἔναι χαρδίαν, ὅταν ὁ φλοιὸς περιαιρεθῇ. Dicet aliquis, Fraxineas mensas quales hodie habent multi, vndoso venarum discursu, Citreas, Cedrinas, & Acernas æmulari, quod vt verum esse fatear, ita pro Plinio facere negauerim, qui non eo iudicio, neque eo sensu de Fraxino id prodidit, sed Theophrast. verba cum Latinè exprimere vellet, quod Theophr. Taxo, id Fraxino perperam illum attribuisse perspicuum est. Plura de Fraxini viribus Plinius quam Dioscorides tradidit. Semen foliis eius inest, quo medentur iocinoris & lateris doloribus in vino: aquam quæ subit cutem extrahunt: corpus obesum leuant onere, sensim ad maciem reducentes, iisdem foliis cum vino tritis, ad virium portionem, ita vt puero quinque folia tribus cyathis diluantur, robustioribus septem folia, quinque cyathis vini. Non omittẽdum ramenta eius & scobem à quibusdam cauenda dici. Obseruandum autem ramenta scobémque à Plinio hic dici quæ τορνάσιμα Dioscorides vocat, & quæ etiam περίσματα, & πελεκύσματα à Græcis dicuntur. Galenus in confectionibus hepaticis ab Asclepiade conscriptis, cuiusdam meminit, quæ semen Fraxini recipit. Aetius verò idem medicamentum Asclepiadæ ex Philagrio citat, & Oribasium Fraxini semen non admittere scribit, addítque Fraxini semen, seu fructum esse arboris, ex qua Fraxinea ligna quocunque in opere apta ac obedientia cæduntur, hoc est, ἐξ ἧς τὰ ἐργάσιμα μελιπὰ ξύλα κομίζει. Semen Fraxini, inquit Matthiol. quod auis linguam vocant officinæ, vtiliter propinatur in lateris dolore, & ad ciendam vrinam: venerem excitat, præsertim si cum Pistaciis, & nucleis Pineis deuoretur, addito Saccharo, vel cum nuce Myristica, vt testantur Isaac, Rhazes, Damascenus, cæterique Arabes. Nouembris initio decerptum, & in furno siccatum maximè confert calculosis, ex vino vetere potum. Fraxini spumosus liquor qui è viridi ligno igni impositio manat, additis succi Cyclamini, Ccyllæ, Rutæq; æqualibus partibus, omnibus simul parum feruefactis plurimum ad surditatem valet, si in aurem sanam (alij ægram malunt) liquor hic calidus instilletur, cùm itur cubitum. Oportet autem in aurem affectam (aliorũ sententia sanam) iacere. Cum verò aurẽ vtrámque surditas occupauerit, in eam quæ minùs (aliis magis) laborat liquor infunditur, & in alteram iacet æger. E viridi Fraxini ligno tessellatim conciso per descensum, vt loquuntur, aqua & oleum eliciuntur, veluti ex ligno Iuniperi. Aqua cum quarta parte aquæ violarum purpurearum faciei illita, ruborem & pustulas cùm eo erumpentes sanat. Oleum tradente Manardo, potum, hepaticis spleneticísque maximè conducit. Corticis ramorum ex aqua decoctum splenem absumit, si eo diutius vtantur splenetici: Folia, cortéxque Fraxini moderatè calida sunt auctore Dodon, & tenuium partium. Semen calefacit, & siccat tertio excessu. Foliorum & corticis decoctum ex vino potum hepar splenémque ab obstructionibus expedit, roborátque, & lateris doloribus medetur. Idem folia præstant in oleo feruefacta, & lateri imposita. Folia, cortex, turionésque eodem modo sumpti valent ad hydropem, quia vacuant aquas. Ad idem facit semen in vino decoctum Sereno teste.

Lib. 24. c. 8.

Lib. 8. med. part. cap. 8. Lib. 10.

Lib. 1. Dioscor. ca. 92.

Lib. 6. c. 70.

Fraxineum semen cum Bacchi rore bibendum est.

E ligno Fraxini pocula fiunt, ex quibus si quis assiduè bibat, lienem extenuari aiunt. Fiunt etiam ex eo mensæ, vasa, ac vtensilia multa. Eius enim materies, vt scribit Plinius, est ad plurima vtilis, multúmque Homeri præconio, & Achillis hasta nobilitata.

Lib. 16. c. 13.

POPVLVS ALBA CAP. XXIIII.

Genera. & Nomina.

TRIA ſunt Theophr. & Plinio Populi genera. Populus alba quæ Græcis λεύκη, Arabibus *Haur*, dicitur, Italis *Popolo bianco*, Gallis *Aubeau*, & *Peuplier*, Germanis *Bellere*, *Poppelbaum*, & *Salbaum*, *Abiolbaum*, Hiſpanis *Alamo Blanco*. Populus nigra Græcis ἄιγειρος, Arabibus *Haur romi*. Italis *Populo nero*, Gallis *Peuplier*, & *Tremble*, Germanis *Aſpen*, & *Poppelnuciden*, Hiſpanis *Alamo nigrilho*. Populus Lybica, Theophr. χερρὶς, quibuſdam Populus Alpina, Gallis *petit Tremble*. Anglis *Aſp*, *or Popler tre*, Boemis *Topel* Populus alba arbor

Forma.

eſt magna, proceraq;, craſſo caudice, cortice, præſertim ramulorum, albicanre, ac læui: foliis vitigineis, latis, angulatis, aduerſa parte virẽtibus, auerſa maximè

POPVLVS ALBA.

POPVLVS NIGRA.

albicantibus, lanuginoſis, læuibus, mollibúſque, Bechij modo, quod à ſimilitudine Chamæleucen vocauêre Græci, hanc verò Populum Leucen. Materia eſt candida, non dura. Antequam folia emittat, Iulos producit longos, coloris pu-

Iliad. 5. nicei, bene diluti. Populũ hanc Homerus ἀχερωΐδα ab Acheronte appellat, quòd Hercules deuicto Cerbero Populum arborem ex Achorante ſecum detulit, frondibuſq; Populeis coronatus, lætitiam quam ex tot victoriis cœperat, declarauit. Exemplo Herculis omnes in certamine aliquo cum laude & gloria verſati, victoriamq; conſecuti, Populi fronde coronabantur. Populus nigra magna etiam, procera, craſſáque eſt arbor, cortice læui minimè tenui, cineritio: folio Hederaceo, longiuſculo, prope pediculum lato, apice in acutũ deſinente, non, vt in alba, laciniato, ſed in ambitu paulum ſerrato, nigricante: longo, tenuiq; pediculo appenſo. Huius Iuli racematim compacti multis baccis rotundis conſtant, in quibus multa concluditur lanugo candida, quæ maturis baccis in pappos auolat. Aprili menſe, & Martij fine proueniunt. Materia eſt alba ad aſſeres faciendos præcipuè idonea. Germina quæ folia antecedunt (oculos vulgo vocant) valde odorata viſcido humore & flauo turgent, ex quibus vnguentum Populeum cognominatum parant Seplaſiæ. Quo tempore Iuli

produ

POPVLVS LYBICA.

producuntur, ea colligẽda ſunt. Populus Lybica nigræ ſimilis, hac, & alba aliquãtulo minor, cortice nigriore, materia imbecilliore, alba tamen, ac tenaci: foliis latis, breuibus, rotundioribus, nigrioribus, durioribuſq; Populi nigræ foliis, per oras inciſis, longo tenuíque pediculo appenſis, eámque ob cauſam continuo ſeſe mouentibus, ſempérque tremulis, & inter ſeſe crepitantibus, vnde *Tremble* à Gallis nomen inditum. Iulos producit cæteris longiores, & magis nigricantes, coloris ſcilicet ex cinereo fuſci. Gaudent Populi vliginoſis locis, fluminum ripis, & ſcrobium aggeribus. Montes amat Populus, inquit Plinius. Harum omnium ſic meminit Theophraſtus. Populus alba nigráque vnius ſunt formæ, ambæ rectæ, ſed nigra excelſior, & læuior. Foliorum figura ſimilis, & ſimile lignum candore, cum cæditur. Vtrámque flore carere exiſtimant. Cercis (Gaza Alpinam, alij Lybicam vertunt) Populo albæ ſimilis eſt, tum magnitudine, tum ramorum cãdore: folio Hederæ, ſed parte altera non anguloſo, altera angulum habente, oblongum, in acutum deſinẽtem: colore parte ſupina pronáque fere ſimili, ex petiolo longo, tenuíque pendente, ideóque non recto, ſed inclinato: cortice aſperiore ſcabrioreq;, quàm Populus alba, ſed Pyri ſylueſtris modo. Idem alibi. Quidam Populum nigram ſolam ſterilem eſſe putant, vt Arcades, cæteras omnes quæ in montibus proueniunt fructum proferre. At in Creta Populi nigræ multæ ſunt fructuoſę. Ex priore Theophraſti loco reprehendendi nos anſam quis arripiat, quod alia folia Populo albæ, alia nigræ tribuerimus, ille verò foliorum vtriuſque figuram ſimilem eſſe dixerit. Sed ex ipſo Theophraſto reſpondemus, aliarum omnium arborum folia ſibi ipſa ſimilia eſſe, Populi autem, & Hederæ, & Ricini diſſimilia. Recentia enim Populi vtriuſq; & Ricini folia rotunda eſſe (de quibus intelligit, cùm dicit vtraque foliorum figuram ſimilem habere) vetera heri anguloſa. Alibi etiam ſcripſit Populum albam in nigram mutari, tum foliis, tum tota ſpecie. Plinius de Populo hæc literis mandauit Populi tria genera, alba, nigra, & quæ Lybica appellatur, minima folio, ac nigerrima, fungíſque enaſcentibus laudatiſsima. Alba folio bicolor, ſuperne candicans, inferiore parte viridi. Huic nigræq; & Crotoni folia in iuuenta circinatæ rotunditatis, vetuſtiora in angulos exeunt. Populorum foliis grandiſsima lanugo. Euolat candidæ (tradita folio numeroſiore candida) vt Iulus. In quibus Plinium errorum aliquot conuincit Matthiol. Primum enim ſcribit Populi albæ folia ſupernè candicare, infernè viridia eſſe, cùm contrà ſupernè vireant, infernè candicent: Deinde quòd ſine diſcrimine, inquit, Populorum foliis grandiſsima lanugo, cùm hæc in alba tantum efflореſcat, in nigra minimè: Poſtremò quòd populum inter eas recenſeat, quæ nec fructum, nec ſemen ferant, cum nigra Populus, vt oſtendimus, fructum ferat vuarum ſpecie, intus alba lanugine refertum, atque etiam ſcribat Dioſcorides, ſemen ex aceto potum comitialibus prodeſſe. At Plinius ipſe alio in loco Populum vuas & ſemen proferre tradit, illas ad vnguentorum vſum, hoc comitialibus vtile? Ex quibus Plinij verbis natus videtur eſſe error Ruelli ſcribentis

Locus.
Li. 16. c. 18.
Lib. 3. Hiſt. cap. 14.
Li. 3. Hiſto. cap. 5.
Lib. 1. Hiſt. cap. 16.
Li. 2. Cauſ. cap. 21.
Lib. 16. c. 24.
Lib 1. Dioſcor. c. 93.
Li. 16. c. 26.
Lib. 1. ca. 93.
Lib. 24. c. 8.
Lib. 1. c. 119.

vnguentum Populneum, quod Ægirinon Græcis dicitur, ex vua Populi, quæ Bryon eſt, conſici verno tempore, cum plurimùm grauis eſt, prægnánſque reſina. Sed caueant Pharmacopœi, inquit Matth. vnguentum quod Populeum vocat, ex vuis Populi conficere, quoniã Nicolaus Myrepſicus non vuas, ſed germina, vt diximus, quæ vere primo exeunt, huic admiſcet, quæ odorata ſunt, & veluti cera turgida, cum nullus vuis ſit odor. Verùm enimuero an antiqui Populi vuas ad odorata vnguenta adhibuerint, dubitat Matth. Nam Plinius quo loco de vnguentorum materia tractat, Populi vuam nihil aliud eſſe oſtendit, quàm ipſius Bryon, id eſt Muſcum, quem Populneum Muſcum Dioſco. & Galenus vnguentis oleíſque inſerunt, & inter odorata recenſent. Optimũ, inquit, Dioſcorides, eſt Cedrinum, proximum Populneum, &c. Quare Plinius hallucinatus Muſcum in Populo naſcentẽ nihil ab eiuſdem vuis differre exiſtimauit. Eius verba ſunt. Eodem & Bryon pertinet, vua Populi albæ. Optima circa Cnidum, aut Cariam, in ſitientibus, aut ſiccis, aſperíſque: ſecunda in Lycia Cedro. Hæc Plinius. At Cedrus nullas fert vuas, ſed Muſcũ odoratũ. Populus vtraque, inquit Matthiol. naſcitur frequentiſsima in agro Mantuano, ac Ferrariẽſi, non modo in Padi ripis, ſed & per agros, & prata, in foſſarum aggeribus, Dioſcorides vtriuſq; Populi has eſſe vires tradit. Potus albæ Populi cortex vnciæ vnius pondere, iſchiadicis, ac vrinæ ſtillicidio prodeſt. Conceptionem impedire, vel ſterilitatem inducere tradunt, ſi cum mulæ rene bibatur, (ſic enim vertẽda ſunt illa verba ἐφορεῖται ὁ τὸ ἀτόκους εἶναι, &c. non, abortiuum fieri tradunt, vt vertit Ruellius:) folia quoque cum vino poſt purgationes pota, idẽ præſtare produntur. Tepens foliorum ſuccus vtiliter aurium dolori inſtillatur. Pilulæ quæ primo foliorum partu proueniunt, tritæ & cum melle illitæ oculorum hebetudini medentur. Memoriæ prodiderunt corticem Populi albæ & nigræ, particulatim cæſum, & ſulcis ſtercoratis mandatum, omni tempore anni edules fungos proferre. Populi nigræ folia cum aceto magna vtilitate podagricis doloribus illinuntur. Reſinam Populus fundit, quæ in malagmata additur. Semen potum ex aceto comitialibus vtile eſt. Eadem Plinius habet, quibus addit: virgam Populi in manu tenentibus intertrigo non metuatur. Humor è cauis Populi nigræ effluens verrucas, papulaſq;, & attrita corporis tollit. Populi ferunt & foliis guttam, ex qua apes Propolim faciunt. Serenus.

Sæpius occultus victa coxendice morbus
Perfurit, & greſſus diro languore moratur.
Populus alba dabit medicos de cortice potus.

Lib. 1. Dioſcor. c. 93.
Ibidem.
Lib. 1. c. 20. Li. 6. ſimp.
Lib. 1. c. 28.
Ibidem.
Locus.
Vires.
Ibidem.
Li. 24. c. 8.

GALENVS. Populus alba miſtæ quodammodo temperaturæ eſt, ex aquea tepida, & terrena extenuata eſſentia. Quamobrem & abſtergentis facultatis eſt particeps. Populi nigrę flores calidi facultate quidem ſunt in primo receſſu à temperatis, ſed in differentia quæ habetur in ſiccãdo & humectando, paulũ à temperatis & mediis ad ſiccius deflexerunt, verùm & ſubtiliorum potius quã craſſiorum ſunt partium. Folia quidem ipſius quodammodo floribus ſimilia ſunt, niſi quod ad omnia imbecilliora, minuſq; efficacia. Sed & Reſina eius floribus ſimilem facultatem obtinet, atq; etiam calidiorẽ. Porrò ſem, tumen Reſina, tum floribus, & ſubtiliorum eſt partium, & magis exiccat, non tamen eſt admodum calidum. Scribit Matthiol. nigræ Populi prima germina, odorata, glutinoſaq; ad capillorum nitorem à mulieribus expeti. Contundunt enim ea cum recenti butyro, deinde aliquot diebus inſolata à butyro percolãt, quo capillos inungũt, abluto priùs capite. Lybicæ Populi folia ad ea omnia valent, ad quæ nigræ Populi folia valere diximus, ſed longè inefficaciùs. Populus alba idem, inquit, humo tenus ſecta ad radicem vſque, & aqua calida, in qua fermentum diſſolutum

Li. 7. ſimp.
Li. 6. ſimp
Ibidem.

fuerit,

fuerit perfusa,infra quatriduum fungos copiosos edit, esuiq; gratissimos. Vnguentum Populeum,cuius supra meminimus, contra calorem febrilem, & ad somnum conciliandum temporibus, & pulsantibus arteriis illinitur. Ex nigræ Populi semine,oleum αἰγείνον paratur æstate, cum nulla est circa illud Resina. Sumunt eius grana, modicéque confringunt, & ad pondere expensum inde trientem,olei dulcis sextarium immittunt,& ad dies quadraginta insolant, atq; ita excolatum reponunt.Hoc oleum calfacit,tenuium est partium, mollit cum odore iucundo.Populi materia lenta,ideoq; scutis faciēdis apta,inquit Plinius. Populi vitibus placent,nulla illarum vmbra,ludentibus foliis.

Aet.lib.1. Paul.lib.7.

Li.16.c.40. Lib.16.c.37. Lib.17.c.11.

TILIA. CAP. XXV.

VLæ Latinè Tilia, Græcè φιλύρα dicitur, quod in tenues assulas & Philyras discerpatur, Gallicè *Tillet,Teilleu, Teil,* Italicè *Tilia,* Belgicè *Linden,*Germanicè *Linden,*& *Lindenbaum,Steinlinden,*Hispanicè *Teia,* Anglicè *Linden tre,*Boemicè *Liipa.*Duo eius genera, mas, & fœmina. Hæc vulgatior ac notior, procera est crassáque arbor, vastis & multum diffusis ramis, magna vmbra terram opacantibus: cortice exteriore parte fusco, læui, nudo, interiore candido, lento, flexilíque, ex quo intorquentur funes. Inter corticem hunc & lignum alij tenues sunt interiores cortices,& veluti membranæ,à quibus aliarum quoque arborum cortices interiores Tiliæ vocantur,& Philyræ,quod Plinius declarat his verbis. Inter corticē & lignum tenues tunicas multipliçi membrana, è quibus vincula Tiliæ vocantur,tenuissimæ earum Philyræ,coronarum lemniscis celebres, antiquorúmque honore,qua in significatione ipse vsurpat de Vlmo loquens. Corticis interior tilia lepras sanat. Et paulo post.Idem præstant & tiliæ corticis. Materies huius ligni læuis est;enodis, in opere tractabilis, ex qua carbones fiunt conficiendo pulueri machinarum bellicarū vtiles. Folia multum virent, latiuscula sunt,toto ambitu modicè serrata,Hederaceis haud absimilia. Flores albicant, odorati,

Nomina

Genera.

Forma.

Li.16.ca.14.

Lib.24.c.8.

TILIA FOEMINA.

TILIA MAS.

multi simul ex medio folioli candidi, angustiq; dependuli. Fructus pilulæ sunt, siue bacculæ rotundæ, racematim Corymborum Hederæ modo coaceruatæ, in
Forma. quibus semen minutum continetur, rotundum, nigricans, quod ex minutis baccis immaturis ac dehiscentibus excidit. Tilia mas arbor est non minùs procera, crassa, ramosa quã fœmina: cortice lento quidem, sed minùs flexibili, magis scabro, spissiore, fragiliore, cineritio, in ramusculis candidiore, quàm in Tilia fœmina, sed non tam candido, quàm in ramulis Vlmi: materie duriore, magis nodosa, magísque fulua, Vlmo valde simili. Foliis est latioribus, scabris, parum in ambitu crenatis, foliis Vlmi, haud absimilibus. Hæc Tilia fructum semper non profert: quare sterilis à quibusdam esse existimatur. Interdum tamen siliquas edit rotundas, compressas, coaceruatas, cum crena, siue fissura in summa
Lib. 1. Hist. cap. 10. parte, quarum singulæ ex singulis petiolis dependent. De Tilia hæc Theophr. prodidit. Tilia altera mas est, altera fœmina. Differunt inter se tum tota forma, tum ligno, & quod altera fructifera est, altera sterilis. Mas enim ligno est flauo, duro, magis nodoso, spissioréque: fœmina candidiore. Cortex maris crassior, & detractus propter duritiam flecti nequit: fœminæ candidior, & flexibilis, ex quo cistæ fiunt, item odoratior. Præterea mas sterilis est, & sine flore: fœmina florem & fructum gignit. Flos calyci similis iuxta folij pediculum, & anni sequentis Cachryn, suo petiolo nixus emergit, viridis, dum in caliculo est, detectus autem, subflauus. Floret cum vrbanis arboribus. Fructus rotundus, oblongus fabæ magnitudine, Hederæ corymbis similis: maiusculus quinque angulis constat, velut eminentibus fibris, & in acutum sese contrahentibus, minutior minus diuisus. Grandior exculptus, parua quædam tenuiáque semina emittit, quanta sunt Atriplicis. Folium & cortex suauia dulciáque. Folium figura Hederæ folio simile, verum sensim magis rotundatur, & iuxta pediculum id quod velut in gibbum prominet, à folij medio, longiore tractu, in acutùm magis cogitur. Per ambitum crispa & serrata folia sunt. Medullam paucam lignum habet, ac eam quidem quàm in aliis materiæ generibus molliorem: & alioqui li-
Lib. 16. c. 14. gnum ipsum quoque molle est. Plinius horum magnam partem sic expressit. In Tilia mas & fœmina differũt omni modo. Námque & materies maris dura, ruffioráq;, ac nodosa, & odoratior: cortex quoque crassior, ac detractus inflexibilis: nec semen fert aut florem vt fœmina, quæ crassior arbore, materie candida præcellénsque est. Mirum in hac arbore fructum à nullo animalium attingi: foliorum corticísque succum esse dulcem. Materies teredinem non sentit, proceritate perquam modica, verùm vtilis. Ex quibus perspicuum est Plinium φιλύραν Theophr. Tiliam reddidisse, & dixisse maris corticem odoratiorem esse, cùm id de fœminæ cortice dicat Theophr. Quod verò scribit, Mirum in hac arbore, &c. hoc ex eodem Theophr. habet: ἰδιώτατον δὲ ὅτι ἐπὶ τῆς φιλύρας, inquit, ταύτης γὰρ τὰ μὲν φύλλα γλυκέα, καὶ πολλὰ τῶν ζώων ἐσθίει, ὁ δὲ καρπὸς οὐδενὶ βρωτός. Adhæc quod dixit Tiliam proceritate esse perquam modica, cùm contrà excelsam & amplam arborem esse inter omnes constet, apertè indicat (vt rectè
Lib. 1. Dioscor. c. 108. Ibidem. etiam Matth. annotauit) ipsum nominum vicinitate deceptum, Theophrasti Philyram cum Dioscoridis Philyrea confudisse, quam Phliyream arborem ligustri magnitudine esse Dioscor. prodidit. Præterea Plinius vulgari nostræ Tiliæ eas vires adscribit, quibus Philyream præditam esse Dioscorides auctor est.
Lib. 1. c. 138. Ibidem. Id quod etiam fecit Ruellius ipsum secutus. Eundem Plinij errorem, etiam secuti Hermolaus, & Marcellus, Philyreã Dioscoridis Tiliam sunt interpretati, eandem arborem esse arbitrati, quæ φιλύρα, idest Tilia dicitur. His quibus nominum similitudo imposuit: quod doctissimis viris contigisse mirum, cùm Tilia à Philyrea notis omnibus diuersa sit, vt ostẽdemus cũ de Philyrea tractabimus.

Cæterum

Cæterum Tilia, aquoſis montibus gaudet, inquit Plinius, & montes valléſque diligit. Eius cortex foliáque auctore Dodo. temperatæ ſunt caliditatis, parum deſiccant & aſtringunt, eiuſdémque ferè ſunt cum Vlmo temperamenti foliorum in aqua decoctum puſtulas, exculceráque maligna in ore puerorum collutione ſanat. Folia in aqua tuſa commodè pedum tumoribus imponuntur. Cortex Tiliæ in aceto tritus vitiliginibus albis, & aliis huiuſmodi cutis vitiis medetur. Tradit Matth. corticem Tiliæ commanſum & illitum vulneribus glutinandis efficacem eſſe: folia verò trita, & aqua cõſperſa pedũ tumores diſcutere: humorẽ medulla caſtratæ arboris defluẽtẽ capiti illitũ, capillos reddere, defluẽtéſq; cõtinere: quæ qui diligẽtius cõſiderarit, Pliniũq; attẽtius legerit, cõperiet, opinor ea omnia Vlmo ipſum attribuiſſe, Tiliæ verò ea ſolùm qui de Philyrea Dioſc. prodidit. Cũ enim de Vlmi foliis, cortice, folliculorũ humore dixiſſet, de eadẽ Vlmo ſic deinceps ſcribit. Cauliculi foliorũ primi vino decocti tumores ſanant, extrahúntque pus fiſtularũ. Idẽ præſtant & Tiliæ corticis. Multi corticẽ cõmãducatũ vulneribus vtiliſsimũ putãt: folia trita aquæ aſperſu pedũ tumori. Humor quoq; è medulla, vti diximus, caſtratæ arboris effluens capillos reddit capiti illitus, defluẽtéſque cõtinet. Tũ de Tilia incipit dicere. Arbor Tilia leuiter tuſa ad eadẽ ferè vtilis eſt ad quæ Oleaſter: folia autẽ tãtũ in vſu, & ad infantiũ vlcera in ore cõmãducata: decocta vrinã ciẽt, menſes ſiſtunt illita: ſanguinẽ pota detrahũt. Quod autem quæ Vlmo propria ſunt, ad Tiliã ſint tranſlata, in cauſa eſſe potuit Plinij codicũ vulgatus error, in quibus legitur, Idem præſtant & Tiliæ cortices, perinde ac ſi hæc, & quæ conſequuntur de Tilia arbore intelligantur, cùm de interioribus corticis Vlmi tunicis accipienda ſint, vt rectè Hermolaus emẽdauit, quod etiam de Tiliæ nomine initio huius capitis annotauimus. Quæ cum ita ſint, perſpicuũ eſt Pliniũ Tiliæ vires explicãtẽ ea tãtũ deſcripſiſſe quę Dioſc. de Phillyrea ſcripſerat his verbis. Phillyreę folia aſtringunt: ad eadẽ vtilia ad quæ Oleaſter, cũ adſtrictione opus eſt, maximè ad oris vlcera cõmanducata, aut ſi decocto colluantur: pota vrinã ac menſes cient. Tilia, inquit Theophr. in opere perfacilis eſt, ob ſuam mollitiam, & foris nauium longarũ, & arcarũ menſurarum que fabricæ expetenda. Habet corticem ad ciſtas faciendas idoneũ: ex eo enim illas fabricantur. Legendũ enim, ἔχει ὁ καὶ τὸν φλοιὸν χρήσιμον πρός τε τὰς κίστας, ποιοῦσι γὰρ ἐξ αὐτῆς, non ἐξ αὐτῆς, vt habent vulgata exẽplaria. Sed & hîc alterum membrum deeſſe videtur ante τὰς κίστας. Sic enim Theod. vertit. Habet etiam corticem funibus cuníſque percommodum Dioſcorides flores & omnia quæ iucundum odorem ſpirant ἐν κιβωτίοις φιλυρίνοις, ideſt in arculis tiliaceis reponi iubet. Molliſsima Tilia, inquit Plinius eadem videtur & calidiſsima: argumẽtũ afferunt quia citiſsimè aſcias retundat. Apta ſcutis eſt Tilia quia lenta, plaga ſe contrahente protinùs. Ob hanc Tiliæ naturam veterum quidam faſciis tiliacis vſi ſunt. Iulius Capitol. de Antonino Pio: Cùm ſenex & longus eſſet, incuruaretúrque, Tiliaceis tabulis in pectore faſciabatur. Cineſium Poëtam tam gracilem fuiſſe aiunt, vt Tiliaceis aſſeribus corpori circundatis imbecillitatem ſuam fulciret: quare Ariſtophanes illum Poëtam Philyreum vocabat. Tiliæ ſolæ Columellæ ex omnibus ſyluestribus apibus ſunt nocentes. Tilia Trago omni ſua ſubſtantia mollis eſt, & pinguis: folia habet mollia, ſuccum, lentũ, dulcem ac glutinoſam tunicam, nẽpe eam quæ cortici & ligno intercedit. Quidam aquam deſtillatam aduerſus ventris tormina exhibent, non ſine ratione: nam inteſtinis à dyſenteria eroſis illa conuenit. Alij aduerſus morbũ comitialẽ vſurpant. Tilia vſta aceto carbonibus reſtinctis cum oculis cançrorum tritis ſumpta, ſanguinis grumos exigit iis qui ex alto delapſi ſunt, ita vt ſanguinem excreent. Libri medij qui cortici & ligno interiacet, aqua macerati lentum viſcoſumque humorem ambuſtis maximè prodeſſe experientia compertum eſt.

Locus.
Lib. 16. c. 18.
Lib. 6. c. 73.
Tẽperam.
Vires.
Lib. 1. Dioſc. ca. 180.
Plinius li. 24. ca. 8.
Lib. 9. ca. 4.
Lib. 3. c. 74.
Li. 1. c. 108.
Lib. 5. Hiſt. ca. 7. & 8.
Vſus.
Li. 1. prooẽ.
Li. 16. c. 40.

BETVLA. CAP. XXVI.

Nomina Lib.3. Hist. cap. 14.

BETVLA, vel vt alij legunt Betulla, à Theophr. σημύδα nominatur, à Gallis *Bouleau*, & *Bes*, à Tridentinis, *Bedollo*, à Germanis *Birchenbaum*, ab Italis *Betula*, & *Bettola*, à Boemis *Briza*. Betula sæpe in altam & crassam arborem assurgit, multúmque ramosam: ex ramis virgæ p urimæ dependent, lentæ, in quamuis partem flexiles, in terram inclinatæ. Harum & teneriorum ramusculorum cortex læuis est, succosus, colore fusco, siue Castaneæ. Caudicis cortex candidus, durus, scaber, rimosus, mediocrium ramorum, parum maculosus. Huic liber alius subest læuis, tenuis, candidus, chartæ nostræ modo, in quo veteres opera sua inscribebant ante repertum chartæ nostræ vsum. Tragus se vidisse Curiæ oppido Rhetiæ superioris nõnulla carmina in hoc Betulę cortice exarata testatur, folia sunt latiuscula, in ambitu parum crenata, Fagi foliis minora, alioqui parum disimilia. Betula Iulos edit Coryli modo, breuiores, in quibus semen hi vnà cum semine septembri mense sunt maturi. Locis frigidis gaudet: in siluis & montibus nascitur. Betula Theophrasto folio est Caryæ (fortasis Oxyæ, quidam ὑραελεωτοειῒ κάρυᾳ legunt id est Coryli) paulo angustiore, cortice versicolore, materia læui, nec nisi ad baculos vtili. Betulam arborem Plinius esse tradit Gallicam, mirabili candore, atque tenuitate, terribilem magistratuum virgis, eandémque circulis flexilem, itẽ corbiũ sportis: bitumen ex ea Gallię ex coqui. Idem alibi Betulam ex eorũ genere esse docet quæ lentiss imasunt, & ideo scutis faciendis aptissima, quoniam plaga contrahit se protinus. Mathiolus scribit, Betulam in agro Tridentino frequentissimam esse, materia lenta, tenaci, ex qua circuli ad dolia vinaria cingenda præstantíssimi fiunt: Ananienses ex Betulis optimos conficere carbones ad liquanda metalla: ex delibrato ac intorto cortice faces ad nocturna lumina, quæ, quod bituminosa quadam pinguitudine redundent, tedæ modo flagrant, & resinosum quiddam Picis colore sudant: nec fortasse alia de causa, inquit, Betula dicitur, nisi quod bituminæ scateat. Huius caudex terebro perforatus aquæ copiam emittit, cui vim maximam inesse quidam asserunt ad cõminuendos tam renum quàm vesicæ calculos, si diutius bibatur. Eadem maculas in cute delet, nitoremque conciliat: collutione oris vlceta sanat. Foliorum succus coagulo admixtus caseos à carie & vermibus vindicat. Betula vt olim Romanorum magistratuum fascibus minax, sic & hodie in Gallia virgeis pedagogorum sceptris pueros terret. Ad Baculos & scopas vtimur. Ex ea in Aruernia circuli ad vasa vinaria constringenda factitantur, vt & in Allobrogibus, & Sebusianis.

BETVLA

Lib.3. c.75.

Locus. Lib.3. Hist. cap.14.

Lib.16.c.18.

Vsus.

Li.16.c.40.

Lib.1.Dios. cap.93.

Vires.

PLATANVS CAP. XXVII.

Πλάτανος Græcè, Latinè Platanus, ab amplitudine nominatur, Arabicè *Dulb*, Gallicè *Platane*, Italicè *Platano* Germanis incognita. Arbor est magna, procera, multis longísque radicibus, patulis diffusa ramis, vnde ἀμφιλαφῆ πλάτανον dixerunt Græci: cortice crasso: foliis latissimis, vitigineis, ex longo & rubente pediculo pendentibus. Flores edit paruos, pallidos, congestos: baccas rotundas, scabras, lanuginosas, ferè nucis pōticæ magnitudine. Platanus auctore Plinio, vmbræ gratia tantùm ex alieno petita orbe per mare Ionium in Diomedis insulam eius tumuli gratia primū inuecta, inde in Siciliam trāsgressa, atque inter primas donata Italię, cui postea tantùm honoris increuit, vt mero infuso enutriretur, compertúmque id maximè prodesse radicibus, ita vt arbores vina potare docuerimus, alioqui aquas amantes, & irrigationibus gaudentes, vt scripsit Theoph. Prætera celebratæ sunt, inquit, primum in ambulatione Academiæ, Athenis, cubitorū XXXVI. vnius radice ramos antecedente. Nūc est clara in Lycia, gelidi fontis socia amœnitate, itineri apposita, domicilij modo caua, LXXX atque vnius pedum specu, nemoroso vertice, & se vastis protegens ramis, arborum instar, agros longis obtinens vmbris: ac ne quid desit speluncæ, imagini, saxea intus crepidinis corona muscosos complexa pumices, tam digna miraculo, vt Licinius Mutianus ter Cos. & nuper prouinciæ eius legatus prodendum etiam posteris putarit, epulatum intra eam se cum duodeuicesimo comite, large ipsa toros præbente fronde, ab omni afflatu securum, optantem imbrium per folia crepitus, & lætiorem quàm marmorū nitore, picturæ varietate laquearium auro, cubuisse in eadem. Aliud exemplum Caij Principis in Veliterno rure mirati vnius tabulata, laxísque ramorum trabibus scamna patula, & in ea epulati, circum sparsa vmbra XV. conuiuarum ac ministerij capace triclinio, quam cœnam appellauit ille nidum. Est Cortynæ in insula Creta iuxta fontem Platanus vna, insignis vtriusque linguæ monumentis, nunquam folia dimittēs, statímque ei Græciæ fabulositas superfuit, Iouem sub ea cum Europa concubuisse, ceu verò non alia eius generis esset in Cypro. Sed ex ea primum in ipsa Creta (vt est natura hominum nouitatis auida) Platani satę regenerauere vitium, quādoquidem commendatio arboris eius non alia maior est, quam solem æstate arcere, hyeme admittere. Idem auctor cum Theophr. inter arbores longissimæ vitæ numerat Platanum Delphicam, & alteram in Caphyis, Arcadiæ luco, Agamennonis manu satas. Platani vmbra adeo delectatum fuisse Xerxem in Lydia scribit Ælianus, vt diem integrum sub ea cum maximo exercitu consumpserit, floccipendens tam breui voluptate tot copias remorari. Tenerrima Platani folia Dioscoridi in vino decocta, mox illita, oculorum fluxiones sistunt, tumores & inflammationes leuant: decocto cortice in aceto, dentes in dolore colluuntur: virides pilulę in vino potę serpentum morsibus auxiliantur, exceptæ vero adipe, igne ambusta sanant: at quæ insidet foliis & pilulis lanugo oculos

Nomina.

Forma.

PLATANUS.

Vsus.

Lib. 12. ca. 1.

Liib. 1. Hist. cap. 11. &. Li. 3. ca. 1.

Li. 17. c. 44.

Lib. 4. Hist. cap. 14.

Lib. 1. c. 91.

Vires.

Libr. 8. fin.

los & aures offendit. Galenus Platanum, scribit, esse humidioris frigidiorisque naturæ, sed non procul à temperata: proinde folia viridia trita, & illitâ non obscurè phlegmonas nascétes adiuuare, corticem autem & pilulas magis desiccantem vim obtinere, vt ille quidem in aceto coctus ad dentium adhibeatur dolores, pilulæ verò cum adipe ad ambusta: esse autem qui cortice combusto medicamentum deficcatorium & absterforium efficiant, quod cum aqua lepras sanet, per sese autem illitum, vlcera, ob humorem nimium vetera, & sordida. Vitandum esse puluerem foliis arboris insidentem idem monet, quoniam spiritu attractus, arteriam offendit, valenter desiccans & exasperans, vocemque
Lib.24.c.8. lædit, sicut sanè etiam visum, & auditum, si in oculos aut aures inciderit. Platani aduersantur scorpionibus, inquit Plinius, Pilulæ earum in vino potæ omnibus serpentium venenis medentur, item ambustis. Tusæ autem cum aceto acri, magísque Scyllite, sanguinem omnem sistunt: lentiginem & carcinomata, melanias quoque veteres addito melle emendant. Folia & cortex illinuntur collectionibus, & suppurationibus. Cortex autem in aceto decoctus dentium remedium est: folia eorum tenerrima in vino albo decocta oculorum. Lanugo foliorum & auribus, & oculis inutilis. Cinis pilularum sanat ambusta igni, vel
Lib.15. c.7. frigore. Cortex è vino scorpionum ictus restinguit. Inopia cogit aliquando luminum causa è Platani baccis oleum fieri, aqua & sale maceratis.

ACER. CAP. XXVIII.

ACER, vel Aceris vt Solinus dicit, Græcè ἡ σφενδαμνος dicitur, Gallicè *Erable*, Italicè *Pie d'oca*, & *Platano aquatico*. Theophr. inter campestres arbores τὴν σφένδαμνον, id est Acerem recenset, quæ in monte proNomina Lib.3. Hist. cap. 4. uenit ζυγίαν vocans, Gaza Carpinum interpretatus est: quæ in planis, γλεῖνον, Gallicam idem interpres vertit, vt fortasse non γλεῖνον, sed γαλάτειον legisse videatur. Quanquam, inquit Theophr. alij τὴν σφένδαμνον, & τὴν ζυ-
Lib.3. Hist. cap. 11. γίαν specie differre arbitrentur. Idem alibi: τῆς σφενδάμνυ alij duo, alij tria constituunt genera: primum quod communi nomine σφένδαμνον, idest Acer vocant: alterum ζυγίαν, idest Carpinum: tertium Clinotrochon, vt Stagiritæ vocant. Plinius etiam plura eius genera prodidit. Album quod præcipui candoLi.16. ca.15. ris, vocatur Gallicum, in transpadana Italia, & trans Alpes nascens: alterum genus crispo macularum discursu, qui cum excellentior fuit, à similitudine caudæ Pauonum nomen accepit, in Istria Rhetiáque præcipuum. E viliori genere Crassiuenium vocatur. Græci quoque, inquit, situ discernunt. Campestre enim candidum esse, nec crispum, quod Glinon vocant: montanum verò crispius duriúsque, etiamnum è mascula crispius ad lautiora opera: tertium genus Zygiam, rubentem, fissili ligno, cortice liuido, & scabro. Hoc alij generis proprij esse malunt, & Latinè Carpinum appellant. Hîc tria Aceris genera nobis nota proponimus: Acerem montanum, cuius duo genera, vnum candidum, quod Alpini Aruerníque à similitudine foliorum Platani Plane appellant: alterum flauum, siue crispum, qui Opulus est montanus: *Erable madré*, & *Erable iaune* appellant. Eius enim color nitidior est, venarúmque in eo discursus magis apparent, præsertim si oleo nucũ illinatur. Hodie quoque lignatores Sequani Acerem montanum mare fœminaque distingunt: colore magis flauo in mare, pallidiore in fœmina: ligno in mare duriore, venosiore, magisque crispo, in fœmina laxiore, molliore, solutioréque, ac minus crispo, quódque mas priùs floreat, etiam Plinio teste, fœmina tardius. Secundum Aceris genus
Li.16.ca.16 est Acer campestre, siue in planis nascens, veteribus Opulus campestris. Hodie Insubres seruato vetere vocabulo Opolo vocant, & ea ad maritandas vites vtú-

tur

tur, quas coniugatas *Hautains* appellant. Nos à ligni, si cum Aceris montani ligno conferatur, teneritudine & colore, *Erable mol*, & *Erable madré* nominamus. Tertium genus Acer Monspelienſe nominauimus, quod in ſilua Monſpelienſi vrbi vicina, eíque ligna ſuppeditante, Valena nuncupata proueniat, Aceris vulgaris penè figura. Acer campeſtre ſiue Opulus campeſtris, vt à notiori faciam exordium, in ſepibus planorum locorum, aut colliculorum fruticat, nonnun- *Forma.*

ACER MONTANVM.

ACER CAMPESTRE
Carpinus.

ACER MONſpeſulanum.

quam humilis, arbuſcula, interdum adhibito præſertim cultu, in procerā arborē grandeſcēs, craſſam, ramis multis brachiatā: cortice ſpiſſo, parum candicante, corpore candido, rariore quàm Aceris mōtani, longo & vndoſo venarū diſcurſu ornato: foliis latis, quæ quinque angulis conſtant: fructu longo, compreſſo, tenui, auicularum plumis, aut grandium muſcarum alis ſimili: floret menſe Maio, fructum maturat Septembri. Acer montanum ſiue Gallicum arbor eſt ſpecioſa, procera, ramoſaque, foliis maioribus, vitigineis, è longis, tenuibus, rubentibuſque, petiolis pendulis, floribus muſcoſis, luteolis, foliacea ſiliqua Papilionis alas imitāte, vno vtrinque ſemine donata, materia duriore, vnde apud Ariſtophanem homines σφενδάμνοι, ideſt Acerni, pro duriſsimis ponuntur. Paulo ante æquinoctium germinat, autore Plinio, meſsibus reddit ſemen. Acer Monſpelienſe arbor eſt mediocriter procera, ramis ſatis explicatis, cortice quodammodo purpuraſcente, folio Aceri vulgari ſimili, in tres tantum

Dodo. li. 6. cap. 74.

Tempus. Li. 16. c. 20. & 25.

tum cuſpides ſiue angulos diuiſo, craſſo, venoſo, ex longo pediculo pendente, paribus interuallis vtrinque ſito: fructu gemino, membranulis duabus cohærentibus, alis muſcarum ſimilibus. Hoc Aceris genus quidam eſſe aiunt, quod Plinius in Iſtria Rhetiáque præcipuum eſſet tradidit, criſpo macularum diſcurſu, quod cius cũ excellentior fuit à ſimilitudine caudæ pauonũ nomẽ accepit. Horum opinioni nec aſſentior, nec repugno. Aceris radix contuſa, inquit Plinius, iocinoris doloribus efficaciſsimè imponitur, quod etiam teſtatur Serenus his verſibus.

Vires.
Lib.24. c.8.

Si latus immeritum morbo tentatur acuto,
Accenſum tinges lapidem ſtrindentibus vndis,
Hinc bibis: aut Aceris radicem tundis, & vna
Cum vino capis, hoc præſens medicamen habetur.

Li. 8. med. part. cap. 8.

Galenus in confectionibus Hepaticis ab Aſclepiade conſcriptis numerat τὴν τῆς σφενδάμνου ῥίζαν κοπεῖσαν, καὶ λειωθεῖσαν, ideſt Aceris radicem tuſam, & tritam. Exhibet autẽ ex ea drach. 1. cum aquæ dilutæ cyathis tribus, quo loco dubitat Cornarius an σφενδάμνου vox rectè legatur, aut potius σφενδυλίου vox ſit pro ea ſubſtituenda, quum ob vicinitatem ſcripturæ vtriuſque vocis facilè committi potuerit, vt altera pro altera ſupponeretur. Nam de Sphendamno arbore, ideſt Acere non temerè reperias hoc auxilium, quandoquidem nullam eius mentionem fecerunt Græci Medici in ſimplicium medicamentorum tractatu, Dioſcorides, Galen. Paul. Ætius. Vnus Plinius de eius radice dixit quæ ſuprà citauimus. Sphõdylij verò radicem ictericis & hepaticis exhiberi teſtatur Dioſcor. item Galenus, qui ei aerem, & incidendi vim tribuit. Acer eodem Plinio teſte, operum elegantia ac ſubtilitate Cedro eſt ſecundum, imo potius Citro, vt rectè emẽdauit Hermolaus. Pulcherrimum verò eſt Bruſcum, multoque excellentius etiamnum Molluſcum, tuber vtrumque Aceris. Bruſcum intortius criſpum, Molluſcum ſimplicius ſparſum, quod ſi magnitudinẽ menſarum caperet, haud dubiè prę ferretur Citro. Nunc intra pugillares lectorúmque Silaceas laminas (id eſt luteas, & veluti ſile tinctas, qui color Aceris eſt) raro vſu ſpectatur. Quidam legunt, Sicilicia, & laminas, (id eſt Secamenta, a Siciliendo, quod verbum ſecare ſignificat.) E bruſco fiunt & menſæ nigreſcentes. Hæc Plinius. Bruſci verò veſtigium aliquod nobis ſupereſt, ſed de alia arbore intelligitur. Nam in Gallia Narbonenſi, locis Hiſpaniæ finitimis, ac mõntibus Pyreneis, potiſsimum circa oppidum dictum Limons, haud procul Carcaſſona, radices Buxi, quarum illic magna copia eſt, Brouchin appellant. Has potiſsimum Germani ob maculas varias, ac flexuoſos venarum diſcurſus ad opera lautiora expetunt, atque emũt. Item qui oppidum D. Claudij nomine inſigne incolunt in monte Iura, ex iiſdem radicibus cochlearia pulchra conficiunt.

ALNVS CAP. XXIX.

Nomina

ALNVS Græcè κλήθρα nominatur, Gallicè *Aulne*, Germanicè *Erlenbaum*, & *Elernbaum*, Italicè *Aulno*, & *Ouo*, Boemicè, *Vuolſe*: Arbor eſt magna proceráque, ramis multis, qui fragiles inflecti ſe minime patiuntur, vt ligna alia aquatica, cortice ex fuſco rufeſcente, ligno ſatis duro, ruoente ſtatim atque cortice ſpoliatum eſt, atque etiam vetuſtum, & aridum. Folio eſt rotundo, parum rugoſo, Corylo haud abſimili, craſsiore, neruoſiore, glutinoſo, ac veluti melle aſperſo. Id craſsiſsimum eſſe dicit Plinius. Flores huius ſunt iuli longi, Betulæ iulis ſimiles: fructus paruæ oliuæ magnitudine, virides, oblongi, Moris forma ſimiles, ex ſquamis quamplurimis compacti, minuto in his ſemine, colore in nigrum fuluo, quod iis maturis, & ſiccitate hiantibus

Forma.
Li. 16. c. 24.

ALNVS.

hiantibus decidit. Ex quibus Plinium erraſſe, ſed Theophraſti fide perſpicuum eſt, qui Alnum ſcripſerit neque fructum, neque ſemen ferre. Alnus aquis gaudet, & in aquoſis locis ſemper prouenit. Germina foliáque menſe Aprili profert: fructus Septembri matureſcit. Alnus Theophraſto ſterilis eſt, & vnius generis, recta arbor natura, ligno molli, medulla tenera, vt virgæ tenues totæ excauentur: folio Pyri, ſed ampliore, neruoſioréque: cortice ſcabro, intus rubente, quo coria tinguntur: radice eſt per ſumma terrę ſparſa, non maiore quàm Laurus. Naſcitur in aquoſis, nec alibi vſquam. Idem paulo poſt Nucis Auellanæ folio Alni folium ſimillimum eſſe ait: & alio in loco minimè ſterilem eſſe exiſtimat, cùm ſcribit, Terebinthus circa tritici meſſem, aut paulo ſeriùs, ſemen reddit: Fraxinus, atque Acer, æſtate, Alnus, nux Iuglans, Pyorúmque genus quoddam, Autumno. Cortex Alni & folia refrigerant, ſiccant, & adſtringunt. Recentia folia tumores impoſita diſſoluunt, & inflammationes reſtingunt. Nudis pedum plántis ſuppoſita viatoribus itinere defatigatis magno ſunt leuamento. Rore matutino madentia cubiculis ad necandos pulices per æſtatem vtiliter inſperguntur. Ex cortice Alni ater fit color, quo pilei, & vmbracula coactilia, vulgo *Feutres*, craſsiores pāni, aliáque huiuſmodi inficiuntur. Quidam eo, & fructu viridi vtuntur, Gallarum vice ad ſcriptorium atramentum conficiendum, addito gummi, & chalcantho. Materies Alni ad naualia commendatur, & ad palationes, ideſt fundamenti genus, quod in aquis, aut vliginoſis, aut congeſtitiis locis fieri videmus. Vitruuius: Itaq; Alnus, quia non nimis habet in corpore humoris, in paluſtribus locis infra fundamenta ædificiorum palationibus crebrè fixa, recipiēs in ſe quod minus habet in corpore liquoris, permanet immortalis ad æternitatē, & ſuſtinet immania pondera ſtructuræ, quæ in vulgatis Vitruuij codicibus mēdoſa ſic legit Budæus. Vmbra pinguis Alno, ſed paſcens ſata, inquit Plinius, & alibi: Licet Alni ſepes muniant, contráque erumpentium amnium impetus, riparum modo in tutelam ruris excubent in aqua ſatæ, cæſæque, denſius innumero hærede proſint.

Locus.

Tempus.

Lib. 5. Hiſt. cap. 14.

Capit. 15. Cap. 6.

Vires.

Dodo. li. 6. cap. 75. Matth. lib. 1. Dioſc. ca. 93. Trag. li. 3. cap. 63.

Lib. 2.

ALNVS Nigra.

In Annot. in Pand. Li. 17. ca. 11. Lib. 16. c. 17.

ALNVS NIGRA BACCIFERA. CAP. XXX.

HÆc à foliorum ſimilitudine Alnus nigra recentioribus quibuſdam vocatur, Gallis *Aulne noir*, Germanis *Faulbaum*, aliis Alnus baccifera. In arborem vix aſſurgit, neq; craſſeſcit, ſed virgas quāplurimas emittit

Nomina

Forma.

longas, rectas, quæ in alias virgulas diuiduntur, cortice tenui nigróque veſtitas glaucis maculis aſperſo, libro ſubtus flauo. Lignum candicat, medulla media ex rubro nigricante. Huius folia ſunt Alni, aut Ceraſi, aut Corni, fuſca: floſculi albicant, quibus ſuccedũt baccę rotundæ, quãtæ Piperis grana, primùm virides, deinde rubrę, poſtremo nigræ cũ maturæ fuerint, guſtus planè ingrati. Prouenit in ſiluoſis, & vdis, nec niſi ad Septẽtriones, vt Angliæ, Germaniæ, Northmaniæ. Floret Aprili menſe: fructus Auguſto ſunt maturi. Siler Plinij quidã eſſe volunt, quod in aquoſis prouenit, cap. 18. lib. 16. & folio frõti illito capitis dolores ſedat: ſemine in oleo trito phthiriaſes coercet: ſerpẽtes fugat: quã orbẽ baculum ex eo ruſtici gerũt: ca. 10. lib. 24. liber interior flauus deſiccat: in vino maceratus ac potus vomitum ciet, purgátque valentiſsimè phlegmaticos ventriculi putridoſq; humores, & aquas. Idẽ in vino decoctus dẽtiũ dolorẽ ſedat, ſi in ore cõtineatur: illitus ſcabiẽ deterget. Folia bubus ſunt vtile pabulũ, quia lactis copiã generant.

Tempus.

Locus.

SAMBVCVS SYLVESTRIS CAP. XXXI.

Lib. 3. c. 24.

Nomina

SAMBVCVS ſylueſtris, ſiue mõtana, in opacis vliginoſiſq; ſyluis naſcitur. Tragus, & ſylueſtrem vocat, & Ceruinã, quod non niſi in ſyluis, & mõtibus proueniat, & quòd à Ceruis magnopere expetatur. Ea eſt fortaſſe arbor mõtana, quàm πυγὸν Theoph. his verbis ſignificat: ἰδια ὄ τὰ τοιάδε τῶν ὀρεινῶν, ἃ ἐν τοῖς πεδίοις ὐ φύεται, ἐλάτη, πεύκη, πίτυς, ἀγρία, φιλύρα, ζυγία, πυγὸς, &c. ideſt, montibus aũt propria, q̃ in planis naſci nequeunt, Abies, Pinus, Picea, Aquifolia, Tilia, Carpinus, Pygus quã poſtremã arborẽ Gaza in tranſlatione ſua omiſit. Ea frõde, cortice, ligno, medulla, deniq; colore, odore & ſapore vulgarẽ Sambucũ omnino refert, floribus dũtaxat, & fructu & ꝓceritate, ab ea diſtãs. Nã Sãbuco vulgari ſemp humilior eſt. Flores ſubluteos, forma ſtellatos, non in vmbellis vt vulgaris, ſed racematim liguſtri modo, multò etiã celeriùs, nempe Aprili menſe profert, qui in acinos abeunt, Auguſto menſe rubeſcẽtes, minijq; colore tinctos, nec vnquã nigreſcẽtes, racematim è pediculis depẽdentes, iniucundi ſaporis. Sambucũ ſylueſtrẽ frigidã eſſe iudicat Tragus, vt pro Mandragora, ſi illa deſit, vſurpari poſsit. De facultatibus acinorum nihil ſe obſeruaſſe, fatetur. Illud verò experiẽtia didiciſſe affirmat, Ceruũ auidiſsimè hãc Sambucũ per ſiluas ſectari. Vbi namq; locorum duas huiuſmodi ſtirpes ꝓueniſſe ſenſerit, eò accurrit, quod mirum eſt, Sambucus hæc, ac vulgaris eoſdem ſitus occupãt. His ceruus mirificè delectatur, folia vtriuſq; non baccas depaſcẽs, ex quo intelligi põt haſce baccas frigidioris eſſe tẽperaturæ, atque ideo feris, nedũ iumentis & hominibus minùs ſalubres. Harũ eſum ſomnũ cõciliare tradit Pena, atque adeo veternũ, & nimiũ admodũ noxiũ eſſe. Iam verò quod maiori dignũ eſt admiratione, obſeruarũt Ceruũ ſolũ foliis his veſci, non Ceruã, niſi prægnãs fuerit, Ceruũque in vtero geſtarit: tũ enim & folia hæc appetit, & illa deguſtat, aliàs nunquã. Matth. Sãbucũ hãc Mõtanã vocat, & à vulgari differre ſcribit fructu, qui in Mõtana nõ in vmbellã coaceruatur, nec maturns nigricat, ſed racematim cohęret, & perpetuò rubet. Adhæc vulgaris procerior eſt, & leuiore cõſtat materie.

Lib. 3. Hiſt. cap. 24.

SAMBVCVS Syluestris.

Forma.

Vires.

Ibidem.

SORBVS

SORBVS TORMINALIS CAP. XXXII.

SORBVS torminalis.

SYLVESTRIS hęc arbor Sorbus eſt torminalis, ſic dicta quòd contra tormina valeat, à Sequanis Tormigne nominatur. Magna nonnunquam ſpectatur hæc arbor, ſed non niſi longiſsimo tempore, & quia in frutetis ſæpius naſcentem agicolę cum fruticibus cędunt, nec creſcere ſinunt, in iuſtam magnitudinem non aſſurgit: quare humilis ſæpius reperitur, cortice fuſco, qualis ferè eſt Alni: foliis magnis, longis, multis in vno pediculo, parum hirtis, Sorbo ſimillimis, in ambitu ſerratis: floribus albis, racematim cohærentibus, quibus ſuccedunt baccæ rotundæ, primùm virides, deinde rubentes, ſaporis ingrati. In altiſsimis Syluis prouenit. Plinius quartum hoc Sorborum genus conſtituit. Quartũ genus inquit, Torminale appellãt, remedio tantũ probabile aſsiduum prouentu, minimúmque pomo, arbore diſsimili, foliis penè Platani. Dodon. hãc Fraxinum bubulam & Ornum appellat.

Nomina

Forma.

Locus.

Li. 16. c. 21.

Li. 6. c. 70.

CRATAEGVS CAP. XXXIII.

CRATAEGVS Theophraſti.

HÆc arbor in denſis Syluis naſcitur mediocri proceritate. In hortos tamen tranſlata facilè prouenit. Caudex cortice veſtitur lęui, albicante: folia Sambuci aquaticę ſimilia ſunt, minora, pedis anſerini figuram quodammodo referentia. Florem mittit ex pallido candidum, racematin cohærentem, Sambuci vulgaris ferè modo, quo dilapſo poma naſcuntur exigua, incana, Oliuarum magnitudine, guſtu aſtringentia, veluti Meſpila, quæ vt illa, lapideum ſemen non continent, ſed nucleos nigros Piri vulgaris modo. Poma hæc autumno molleſcunt, tunc palato gratiora acerbitate depoſita. Tragus Sorbum eſſe Torminalem exiſtimat. Hypomelides Palladij eſſe quidam opinantur. Hypomelides, inquit Palladius, poma ſunt Sorbo ſimilia, mediocri arbore naſcuntur, & flore candidulo. Dulcedo huic fructui cum acuto ſapore commixta eſt. Amat loca tepida, aprica, maritima & ſæpè ſaxoſa, ſtatum rigidum reformidat De Hypomelidibus, ſiue Amamelidibus poſthac agemus fuſius. Arborem hanc Cratægum eſſe Theophraſti non abſurdè quis exiſtimauerit. In qua opinione eſt Anguillara, reclamante Matthiolo, qui Sorbum Tor-

Locus.

Forma.

Nomina

Lib. 13. c. 4.

Lib. 3. c. 30.

In cap. 136. lib. 1.

minalem esse putat, eoque nomine depingit. Κράταιγος, inquit Theophrast. ἀ δὲ κραταιγονα καλοῦσι, ἔχει τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον μεσπίλῃ, τελανὸν, πλὴν μεῖζον ἐκείνης, καὶ πλατύτερον, καὶ προμηκέστερον, τὸν δὲ καρπὸν οὐκ ἔχον, ὥσπερ κἀκεῖνο (Legendum τὸν δὲ καρπὸν ἔχον ὥσπερ κἀκεῖνο, dixerat enim suprà de Anthedonis folio, καὶ τὸ ὅλον κατακίσμασι περικεχαραγμένον, (ideſt totum sinuosis fissuris laciniatum) γίνεται δὲ τὸ δένδρον οὔτε μέγα λίαν, οὔτε παχὺ τὸ δὲ ξύλον ποικίλον, ἰσχυρὸν, ξανθὸν. ἔχει δὲ φλοιὸν λεῖον, οἷον μεσπίλη, μονόῤῥιζον δὲ εἰς βάθος, ὡς ἐπὶ τοπολύ. Καρπὸν δὲ ἔχει στρογγύλον, ὑλίκον ὀκόψιμος (ὁ κότινος legit Athenæus) πεπαινόμενος δὲ ξηρὸς γίνεται (ξανθὸς γίνεται ex Athenæo) καὶ ἐπιμελαίνεται, (emenda ὑπομελαίνεται) καὶ τὴν γεῦσιν καὶ τὸν χυλὸν μεσπιλώδης: διὸ καὶ ὅσον ἀγρία δόξειεν ἂν εἶναι. Ideſt, Cratægus, alij Cratægona vocant. Folium habet Meſpili (nempe Aronię Dioſcoridis, Anthedonis Theophraſti: eius enim ſolùm folia deſcripſit Theophraſt. non aliarum) rigidum (τελανὸν, quam vocem & de Anthedonis folio idem vſurpat) ſed maius, latius, longius, eius modo laciniatum. Arbor eſt non admodum procera, nec craſſa: lignum varium, ſolidum, flauum: cortex læuis eſt Meſpili modo: magna ex parte vnicam radicem in profundum agit, fructus eius eſt rotundus, magnitudine Cotini, qui matureſcens flaueſcit, & vtcumque nigreſcit, ſucco & guſtu Meſpili. Quamobrem ſylueſtris Meſpilus eſſe videri poſſit. Hæc Theophraſti oratio plātam hîc adpictam ſatis aptè exprimit, folio Meſpili Aroniæ, ligno intus ex albo flaueſcente, ac fructu, in quo ſemina duo aſpectu, ſaporéque Pyro ſimilia, lapidoſa quadam concretione ſub vmbilico concluduntur: qua in re particeps eſt naturæ Meſpili, cui oſſeum ſemen eſt, & Sorbi, cui Piri æmulum. Matthiolo verò Plinij auctoritas vtcumque fauere videtur ſic ſcribentis. Quartum genus Torminale vocant remedio tantum probabile, (probatum, laudatum) aſsiduum prouentu (nam quotānis fert, & copioſè) minimumque Pomo: arbore diſsimili, foliis penè Platani (non planè, hoc enim falſum eſſet, cum à Platano multùm diſcrepēt.) Non ferunt ante trimatum ex vllo genere. Cato & Sorba ſapa condiri iubet. At Plinius vt ſæpè alibi, ita hîc dormitaſſe videri poſsit. Nuſquam enim is alibi neque Sorbi ſylueſtris, quę proculdubio Torminalis eſt, meminit, neque Cratægi, arboris vtriuſque crebrò ab auctoribus memoratæ, præterquam eo loco in quo Theophraſti Cratęgum, quē Cratæogonum, ſiue Cratæogona vocat, Aquifoliam eſſe Italorum perperam ſcribit. Quare facile fuit Plinium iudicio ſuo & feſtinanter hæc æſtimātem, in natura pene ſimilis facultatis, & corporis fructúſque figura non multùm diuerſa, pro Cratęgo Sorbum torminalem nominaſſe. Athenæus ſcriptor quidem magnæ auctoritatis, ſed in tractandis plantis non admodum exercitatus, ſine ratione Cratęgum eſſe tradit Ceraſum acidam, quam debellato Mithridate Lucullus è Ceraſunte oppido Ponti in Italiam primus aduexit, citata de Cratægo hiſtoria Theophraſti, quod omnino confutatur vel hoc ſolo argumento, quod maturis Ceraſis Meſpili ſapor nullus eſt, vt Cratægi fructui.

Lib. 4. Hiſt. cap. 15.

Cap. 12.

Lib. 23. c. 21.

Li. 17. ca. 8.

Libr. 2.

CORYLVS SILVESTRIS. CAP. XXIIII.

Nomina

Forma.

KAPYA ποντικὴ, Latinè Nux Pontica ſylueſtris & Corylus nominatur, Gallicè *Couldre*, & *Noiſetier*, Germanicè *Haſelſtranch*. De nuce Pontica ſatiua eiúſque fructu idoneo loco dicetur. Corylus arbor eſt, ſæpius frutex, radice lata, in obliquum acta, nodoſa, ſtipitibus multis fruticante, quorum alij proceri ſunt, craſsi, ramis multis brachiati, cortice ſummo tenui, pingui, maculis albis vario, medulla tenui & flaua: alij longi & graciles, ex quibus piſcatoriæ lineæ fiunt, materie nimirū lenta admodū, & non fragili: foliis rugatis, Alni ſimilibus, ſed latioribus, altera parte ex viridinigricātibus, altera ſubalbis, per ambitū ſerratis. Nō floret Corylus, ſed floris vice iulos profert, quibus decidentibus folia emergūt, inter quę nuces ternæ quaternæve,

quas

CORYLVS Syluestris.

quas magna ex parte calix viridis integit, in ſummo fimbriatus, molli prominente barba, ſubſunt: putamen durum, lignoſum, nucleus quæ alba ſiue pallida tenuíq; tunica obductus, ſolidus, in quibuſdam rotundus, in aliis oblongus. Vmbilicus intus in medio vẽtre ꝓminet. Scribit Tragus omnia Corylorum genera exiguos ac rubros flores, breuib⁹ croci ſtaminibus ſimiles, antequam folia fundant, oſtendere Februario menſe, cum iuli quos nonnulli Coryli flores eſſe perperam ſtatuunt, colorem luteum aquirunt. De iis floribus ſic Theophr. Quidam Quercum, nucem Auellanam, & Caſtaneam florere exiſtimant: item Pinum & Piceam, alij nullã earũ, ſed iulũ Nucis, muſcũ Quercus nucamentũ Piceę, groſsis ꝓportione reſpondere. Gaudet Corylus argilloſis, & vliginoſis locis, nemoraq; amat, hyemis patientiſsima. Mõtes in Gallia Corylis veſtiuntur, & nemora ſcatẽt. In planis etiã naſcuntur. Theoph. quaſdã eius partes anxiè cõſectatur. In Corylo, inquit, cum deciderit fructus, naſcitur racemoſum quiddã vermis prægrandis magnitudine, ex vno pediculo, pingue, iulos nõnulli vocãt. Conſtant ex paruis particulis veluti ſquamulis, eodẽ ordine quo in nucibus Pineis, vt ꝑſimilis ſit nuci Pineæ nouellæ viridíq; figura iuli, niſi quod iulus oblõgior, & fere æqualiter craſſus. Hyeme augetur, ineunte vere dehiſcit: ſquamata illa flaua fiunt, & in trium digitorũ longitudinẽ increſcunt. Vere aũt folia cùm erũpũt illa decidũt: ac tũ nucis totidẽ caliculacea tegumẽta gignuntur cõpactim iũcta in vno pediculo, quot & flores, horúmque ſingulis ſingulæ nuces inſunt. Hęc Theoph. Nuces Auguſto menſe ſunt maturæ, Dioſc. auctore, ſtomacho infeſtæ: tritæ tamẽ & in aqua mulſa potæ tuſsi veteri medẽtur: toſtæ & cũ exiguo Piperis potæ, deſtillationẽ cõcoquũt. Crematarum cinis cum axũgia aut adipe vrſi perũctus, alopecijs capillũ reddit. Aiũt nõnulli vſta earũ putamina, & in cineris ſpeciẽ redacta, cæſiorũ oculorũ pupillas, infantibus denigrare, perfuſo cũ oleo ſincipite, id quod Cornarius illuſtri experimẽto facto aliquoties, ſe cognouiſſe aſſerit, & veriſsimũ comperiſſe. Nuces ponticę Galeno plus habẽt eſſentiæ terreſtris ac frigidæ, quã iuglãdes: itaque etiã guſtãti auſterior tũ cortex, tũ plãtatũ fructus apparet: cætera iuglãdi ſimiles ſunt. Simeõ Sethi calidas & humidas eſſe aſſerit, magis verò nutrire quã iuglãdes nuces, difficiliúſq; cõcoqui, inflationes facere, & vt quidã aiũt ieiunũ inteſtinũ lędere, facilius autẽ cõcoqui, minúſque vẽtrẽ ſiſtere, ſi interior earũ cortex abiiciatur. Aiũt ei neque morſus, neque venena officere illo die poſſe, & ſcorpiones ab ipſo fugere, q ante alios cibos cũ Ruta ſumpſerit. Sũptæ cũ caricis iã à ſcorpione ictis auxiliãtur. Ad aciditatẽ oris vẽtriculi à nigro humore excitatã cõferũt. Nuces auellanę, inquit Tragus, ſtomacho tenuioribúſque inteſtinis infeſtæ ſunt, maximè ſi nõ ſatis maturæ fuerint, id quod non ſolum verſiculus Macri. *Ex minimis nucibus nulli datur eſca ſalubris,* ſed etiã experiẽtia docet. Etenim pueri cũ Auguſto mẽſe Nuces Auellanas auidè deuorãt, facilè indyſenteriã incidũt: bilẽ enim augẽt, inquit Matth. Oleũ nucũ iſtarũ deſtillationes efficaciſsimè cõcoquere idẽ tradit, & articulorum dolores inunctũ leuare. Adhæc putamina ipſarum cruda in puluiſculũ trita, & ex vino

Li. 3. ca. 67.

Lib. 3. Hiſt. cap. 6.

Locus.

Lib. 3. Hiſt. capi. 7.

Tempus.

Li. 1. c. 142.

Vires.

Emble. 139. li. 3. Dioſc. Lib. 7. fim.

Lib. 3. c. 67.

Lib. 1. Dio. cap. 142.

auſtero hauſta drach.duarũ pondere,diarrhœã cohibere,& alba fœminarũ profluuia. Verũ ad id,ac etiã ad mẽſes cohibẽdos magis valere quidã affirmãt ſubruffam medullã quæ putamini intus inhærens nucleũ ambit. Plutarchus ſcriptũ reliquit, quoties Coryli nucula laquearibus appẽſa cohærebit,ſcorpiũ in domicilia nõ irrepturũ. Neque eſt omittẽdũ quod ſimplex ruſticitas obſeruauit, ſerpẽtẽ obtorpeſcere, quæ Coryli caudice vel ſurculo fuerit icta,& tãdẽ emori. Sed Coryli virga magis quã alia ictus ſerpẽs occiditur, quia cũea flexilis admodũ ſit, parti ſerpentis quã attingit validius incutitur,ac illiditur: ideóque ſpinę vertebras rũpit quas ferit. Sic natiuo ſuo motu ſerpendi anguis priuatus, fuga euadere non poteſt,& aliquanto poſt tum doloris cruciatu,tum inedia moritur.

Ruell. li.1. cap.55. Li.3.ca.67.

STAPHYLODENDRON. CAP. XXXV.

HÆc arbor, quę vt plærąque ſyluęſtres,ſæpe fruticis tantũ formam habet,Staphylodendrõ Plinij à quibuſdã eſſe exiſtimatur. Matthi. ſcripſit quibuſdã in locis Piſtaciorũ ſylueſtriũ nomine cuiuſdã arboris fructus appellari, quã Plinius Staphylodẽdrõ vocat,& ſi à piſtacijs figura ſaporéque plurimũ diſſideãt. Scaliger ad Piſtaciorũ ſpecies refert. Tragus Nucẽ Veſicariã & folliculariẽ appellat. Quidã,inquit Dodon. Piſtacium Germanicũ:fructus ipſius Germ. *Pimpernuſzle*, vocãt.Geſnerus ait ab Italis quibuſdã, vt Romæ, vocari *Sambucum Validã*. Anguillara *Albero de l'vua*,& quibuſdã in locis *Piſtacio ſaluatico*. Arbor eſt humilis,foliis Sãbuci, ſed viridioribus,& tenerioribus. Mẽſe Maio flores albicãtes,rotũdi,multiplices,ſæpe quaterni aut terni emicãt, qui tãdem in cauas abeunt veſicas.Autumno verò in ipſis maturis binę ternęue reperiũtur nuculę,Ciceris effigie maiores tamẽ in quibus ſubuirides includũtur nuclei,ſapore dulces,ſed nauſeã mouẽtes. Pli. Eſt trãs Alpes arbor, ſimillima Aceri albo materia, quæ vocatur Staphylodẽdron. Fert ſiliquas,& in his nucleos ſapore Nucis auellanæ. Ex quibus verbis Plinij falſum eſſe perſpicitur quod multi cõtẽdũt,Staphylodẽdrõ iſtud Plinij Colyteã eſſe Theoph.quæ folio eſt Salicis, ramoſa comoſãque, atque magna prorſus arbor,fructũ in ſiliquis leguminũ modo gignẽs, latis nõ anguſtis:ſemẽ incluſum paruũ,durum modicè,nõ multum pro ſiliquæ magnitudine. Quæ omnia diuerſa ſunt à Plinij Staphylodẽdro. Verũ cũ Plinius, inquit Tragus, Staphylodẽdrõ ſiliquas ferre dicat,hęc verò arbor veſicas, nõ video quo iure ex nuce veſicaria Staphylodẽdrõ faciãt,niſi fortè per ſiliquas,veſicas intelligãt.Eandẽ arborẽ luculẽtè deſcripſit Scaliger.Apud Ieſuates noſtros,inquit,arbor eſt,è qua virga pacta, & adoleuit celerrimè, & effuſis ſtolonibus frequentiſsimam circa ſe confecit ſyluã.Enodis,ſi qua alia, Oliuæ folio,ſimplici,aut Salicis frõdi proximo.E ramis folliculũ demittit,qualẽ Halicacabus, durũ tamẽ.In eo fructus cõdũtur bini terniue,eſculenti, natura,colore,ſapore Piſtaciorũ,ſed orbiculatiore facie.Quare qui Piſtaciorũ arborẽ ignotã habeã,ex hac Piſtaciorũ medullam eſitarim, an ſit hæc ad Piſtaciorũ ſpecies referenda non ambigã?Nux veſicaria, inquit Tragus, quocunque in loco plantata facilè prouenit.Seritur autem nuculis, neque non ſurculis

Nomina

Lib.1.Dioſ. ca.140. Li.& c.16. In libr.1.de plan.Ariſt. Lib.3.c.68. Li.6. c.60. In Hort. Germ.

STAPHYLODENDRON.

Forma.

Ibidem.

Ibidem.

Lib.3.Hiſt. cap.14. Ibidem.

ſurculis,ſeu ſtolonibus,qui quotānis è radice proſiliunt,ſicut & virgæ Cotoneæ Mali,& Coryli ſingulis annis fruticare cōſueuerunt. Hi ſtolones Autumno aut vere ineunte euulſi tranſplantari poſſunt.Creſcit,ait Geſnerus, apud nos ſpōte in ſepibus, quamuis rara,& videtur locum humidum amare.Frequentior,vt audio,circa Arouiam.Ex nuculis orbiculi precatorij fiunt. Ibidem. Trag. Ibid.

LABVRNVM CAP. XXXVI.

ARBOR hæc fruticoſa eſt,aut frutex arboreſcens,inquit Solerius de Cytiſo tractās,trium quatuórue vlnarum altitudine, caudice non admodum craſſo,ramis hinc & inde diffuſis.Nonnunquam fruticoſa tantum ſpectatur (quia plerúmque cæditur,& Coryli modo ab imo caudice regerminat) ſtolones innumeros ab vna radice fundens, longos,rectos,ex viridi candicantes, Viticis virgis ſimiles,ex quibus per certa interualla erumpunt folia terna,longo pediculo nitentia,Viticis foliis ſimilia, læuia, ſupernè viridia,infernè candicantia. Ex ramis prope foliorum pediculos emergunt flores lutei, quales flores Geniſtæ aut Braſsicæ, è longis pediculis inæqualiter dependentes, rarioreq; illa ac prælonga textura,cubitalem æquantes longitudinem,apibus ingrati.Floribus decuſſis ſuccedunt cornicula,ſiliquęúe,Piſorū hortenſium ſiliquis ſimiles,compreſsiores,fractu contumaces.In extremis ac nonnunquam intermediis ſpatiis continetur ſemen Lentis magnitudine,ex latitudine ſubrotūdum, imo loco qua ſiliquæ per petiolum hæret,tantillū excauatum, renis prorſus effigie, quod ante quam maturuerit viret,poſt maturitatem varium eſt,durum, & ob læuorem ſplendidum. Floret mēſe Maio,& Iunij initio,deinde ſenſim ſiliquatur æſtate,ac tandem dureſcit matureſcente vua,& circa calendas Octobris integrè perficitur. Hanc arborem Plinij Laburnum eſſe putat Dalechāpius. Alpina, inquit, eſt arbor, nec vulgo nota, dura ac candida materie, cuius florem cubitalem longitudine, apes non attingunt. Hæc quidem plantæ appictæ conueniunt,hodiéq; de hac arbore à ruſticis & montium incolis prædicantur. Natales eius in Alpibus, & montibus fermè omnibus Delphinatus, Sabaudiæ,Terræ cognomento nouæ, vmbroſis & ſyluoſis locis, ſæpius ſiccis,nonnunquam humidis.Ab eorum locorum indigenis voce ex Laburno detorta,*Albour*,& *Aulbour* nuncupatur,materia duriſsima,ac palis conueniente,natura apibus inimica.Matthiolus hanc arborem Anagyrin Dioſco.eſſe exiſtimat,primum ſcilicet eius genus, quod maius eſt, in Apulia frequentiſsimum,& eo Cāpanię tractu quo Terracina itur Fundos, ad Tyrrheni maris litus: foliis Vitici proximis,flore Braſsicæ, racemoſo, fructu hortenſi Smilaci ſimili, amplioribus tamen,& breuioribus paulò ſiliquis incluſo, colore purpuraſcente,vſque adeo duro,vt aqua maceratum duritiam ſuam pertinaciter ſeruet. Sed Anagyris Dioſcoridis eſt perquam grauis odore frutex: Laburni noſtri, nec flores,nec folia fœtent. Semen illius ἐν κεράτιοις μακροῖς, id eſt in corniculis longis:huius ſemen in corniculis breuibus: Folia maiora latioráque habet quàm Anagyris,vt oſtendemus cùm veram Anagyrin exhibebimus.Præterea tria quę

Forma. In ſchol.in Act.

Tempus.

Nomina Lib.16.c.18.

Li.3.c.149. Dioſcor.

LABVRNVM.

hodie huic arbori à Rusticis tribui diximus, quòd Alpina sit arbor, quòd materie dura, ideoq; palis apta, quòd flores eius apes non attingant, nullus, quod sciam Anagyridi, at Laburno certè Plinius tribuit, quæ hîc depictam arborem non Anagyrin, sed Labarnum esse testantur. In eadem sunt sententia Cordus, & Gesnerus, quam reprehendit Matthiolus. Laburni, inquit, materies à Plinio candida describitur, non contrà medullitus nigra, cortice tenus lutea, modo Gaiaci, qualis Egheli materies cernitur. Ad hæc Eghelus arbor est omnibus ferè cognita, quod frequentissima in syluis reperiatur, non ea quidem vulgo incognita, vt de Laburno refert Plinius. Iam verò Egheli Flores qui in arbore ramorum instar pendent, palmi longitudinem non excedunt, quos Laburno Plinius cubitales tribuit. Postremò, illud experientia compertum, quod apes Egheli flores non aspernantur. Hæc sententiam nostram labefactare, aut infirmare non possunt. Laburnum enim hîc Matthiolus accipit, quod secundum, seu minus Anagyridis genus ipse constituit, quódque rura Tridentina vocant Eghelo. At quod Gesnerus Laburnum, quódque nos intelligimus, primum est à Matthiolo positum ac depictum Anagyridis genus, vt ex pictura apparet, & quod maius appellat, vt paulo ante indicauimus. Huic omnia quæ adscripsimus optimè cõueniunt, minimè verò ea quæ secundo Anagyridis generi ipse adscripsit. Quod si nostra Gesnerique sententia Laburnum Plinij sit ea arbor quam hîc proponimus, & quam Matthiolus pro primo Anagyridis genere depinxit. Cur non secũdum eiusdem Matthioli Anagyridis genus, alterum etiam Laburnũ iure dicetur, cum similes natales habeat, foliorum figuram sitúmque similes, vires ferè easdem, materiam similiter duram? Maio & Iunio mensibus grato in montibus spectaculo floret. Micat enim aureo flore, primo Anagyridis siue Laburni nostri generi simili: folio est non fœtente, nec ingrati saporis, Trifolij pratensis ferè. Huic cornicula prodeunt, Genistæ emula, in quibus semen continetur, seminis eiusdem Genistæ magnitudine, sed oblongum Phaseoli modo, colore subnigro. Quod si quando ignari pastores comederint, vti legumina alia, crebris magníque vomitionibus adeo vexantur, vt testetur Matth. se vidisse qui ad sanguinis vsque reiectionem vomuerint. Materies ligni durissima, Gaiaci modo exterius lutea, interius nigra. Incorrupta diu durat: quare vinitores ex ea palos faciunt sustinendis vitibus aptissimos, quos & cæteris omnibus præferunt. Quin & sagittarij ex ea validissimos arcus cõficiũt. Hac planta scatet Vallis Anania, ac vniuersus Tridentinus ager. Solerius certo & indubitato se scire scripsit Laburni Alpinorum siccatum corticẽ in pollinẽ redactum, & drachma plus minus vna, ex quopiam liquore potũ, maximas vacuationes moliri. Verùm diuersa ratione, quandoquidem si ab infernis ad superna procedendo corticem euulsum porrigas, vomitum, sin verò à supernis ad inferna descendendo, per aluum deiectiones insignes mouebit. Quod si quis obstinatè Matthioli sententiã tueri malit, hoc saltem optimo iure mihi tribuet, & concedet, primum Laburnum Anagyrin Alpinam esse, atque fortasse etiam secundum Anagyridis Alpinæ speciem.

Ibidem.

Forma.

LABVRNVM alterum.

Matth ibi.

Tempus.

Vires.

Vsus.

In Schol. in Act.

ANA

ANAGYRIS CAP. XXXVII.

ANagyris Latinis, vt ἀνάγυρις & ἀνάγυρος Græcis dicitur, Gallis *Bois puant*, Italis *Anagiri*, Arelatensibus Pudis. Frutex est aut arbuscula, ramulis tenuibus, in quibus folia terna semper, Vitici similia flores lutei, & pallidi, Brassicæ haud absimiles, quibus succedunt siliquæ longæ, semen continentes durum, compressum, Phasiolorum figura, sed minus. Tota planta fœdo est & ingrato admodum odore. Dioscoridi Anagyris frutex est arboris instar, per quam grauis odoris, foliis Viticis, virgísque, flore Brassicæ: semen in corniculis gignit, subrotundun, firmum, versicolori facie, *Nomina*

Li. 3. ca. 149.

ANAGYRIS
Dodonæi.

ANAGYRIS
vera ex agro Arelatensi.

simile renibus, quod durescit vua matureſcente. Anagyris Plinio, quam aliqui Acopon vocant, fruticosa est, grauis odore: flore oleris: semẽ in corniculis non breuibus gignit, simile renibus, quod durescit per messes: in quibus cum Dioscoride consentit. Neque enim multum refert, an per messes, an vua matureſcente semen durescat. Ex his perspicuum est veram esse Anagyrin quam hîc exhibemus, quæ tetro suo odore ita se prodit, vt nullum vnquam in eam incidisse putem (maximè consentientibus cæteris notis quas ex Dioscoride & Plinio tradidimus) qui non Anagyrin esse sibi ipse persuaserit. Inde natum prouerbium, Anagyrin commouere, in eos dici solitum, qui sibi ipsis malorum auctores sunt, quíque in suam perniciem aliquem irritant. Eandem ob causam sunt qui Anagyrin à Plauto Nauteam vocari putant, sed auctorem non habent. Nauteam porrò herbam grauem esse scribit Festus, qua coriarij vtuntur, à naui, quasi Nauseam dictam. Matthiolus duas alias Anagyridis species depinxit, quas non Anagyridis, sed Laburni species esse iam demonstrauimus. Anagyris locis incultis prouenit, prope Arelaten, paludosis, vnde hæc collecta, & ex viua planta depicta. Aprili & Maio mense floret. Septembri fructum parit, Autumno perficit. Tenera eius folia trita, inquit Dioscorides, tumores illitu reprimunt: si partus hæreat, & secundæ menséſque morentur, drachmæ pondere bibuntur

Lib. 27. c. 4.

In cap. 149. Lib. 4.

Locus.

Tempus.

Li. 3. ca. 139.

Vires.

buntur in passo:sic & suspiriosis dantur, & contra dolores capitis in vino. Difficulter parientibus adalligantur,ita vt à partu statim auferantur. Radicis cortex concoquendis discutiendísque adhibetur.Semen commanducatum vomitiones vehementer ciet.Hæc Dioscorides:In quibus verba ista, Radicis cortex concoquentis,&c.aliter vertit Ruellius quàm Græca significant:τῆς δὲ ῥίζης χυλὸς διαφορεῖ,καὶ ἐκπέσσει. Id est radicis succus discutit,& concoquit.Plinius : Folia collectionibus imponuntur, difficultérque parientibus adalligantur, ita vt à partu statim auferantur. Quod si fœtus emortuus hæreat,& secundæ mensesq; morentur,drachmæ pondere bibuntur in passo folia. Sic & suspiriosis dantur, & in vino vetere ad phalangiorum morsus.Radix discutiendis concoquendísque adhibetur. Semen commanducatum vomitiones facit. In his Plinius in quibusdam à Dioscoride dissentit:illi enim radix, huic radicis succus discutit & concoquit,Galeno & Oribasio radicis cortex. Nisi quis dicat quod Plinius simpliciter de radice,Galenus de radicis cortice dixerit, fieri posse vt in Dioscoride τῆς ῥίζης φλοιὸς,& non ῥίζης χυλὸς legendus sit.Quod verò sequitur multo maioris est momenti.In vino vetere folia dari ad phalangiorũ morsus Plinius ait,Dioscorides πρὸς ὃ κεφαλαλγίαν σωὺ ὄινῳ, id est ad capitis dolorẽ in vino, ita vt vox φαλαγίων pro voce κεφαλαλγίαν in Plinio supposita sit,aut in Dioscoride pro κεφαλαλγίαν voce, τὰ φαλάγια legere oporteat. At certè verisimilius est in Dioscoride τὰ φαλάγια pro κεφαλαλγίαν legendum esse. Quid enim Anagyridis folia quæ subacria sunt,excalfaciẽtisq; ac incidẽtis facultatis ad capitis dolores valere possunt? Procliuius quidẽ fuit,vt vox κεφαλαλγίαν in Dioscor.pro τὰ φαλάγια supponeretur,quam vt Plinius τὰ φαλάγια pro κεφαλαλγίαν verteret. Galenus de
Li.6. simp. Anagyridis natura hæc scripsit.Anagyris frutex est grauiter oleus,& digerentis excalfacientísque facultatis.Sed folia etiamnum virentia cũ propter humiditatis admistionem minùs sint acria,idcirco tumentia reprimunt.At resiccata incidentis sunt,excalfacientísque facultatis.Similem ferè facultatẽ habet radicis cortex.Semen autem magis subtilium est partium. Sed & vomitum prouocat. Eadem omnino Oribasius quoque habet.

RHVS CAP. XXXVIII.

Nomina Li.24. c.11.

Pŏῦς,& Hippocrati ῥόος dicitur à colore coccineo acinorũ : ῥῶς enim ἐρυθρὸν interpretãtur,vnde Russus vox Latina,& *Roux* vulgo Gallorum,nobis Rhus,'vel Rhos:Latinum enim nomẽ nõ habet, vt scribit Plinius,cũ in vsum pluribus modis veniat.Tamen Theodorus, quæ est rabiei eius audacia, Fluidam interpretatur, nomen illi à ῥέω positum fuisse existimans, Arabes vocant *Sumach*, *Adurion*,*Rosbar Sadisticos*,seu *Rosaidicos*, Itali *Rhu*,& *Sumacho*,Hispani *Sumach*,& *Sumagro*, Germani *Gerberbaum*.Rhus arbu-

Forma Li.1.ca.124. scula est siue frutex hominis altitudine,vel binum ferè cubitorum,vt ait Dioscor. ramis multis,foliis oblongis subrubentibus , binis ex aduerso sitis, in ambitu serratis Ilicis modo , id est τὴν περιφέρειαν ἐνδεδεμμένα περιοδῶς, ait Dioscor. quæ

Lib.1.Dioscor.c.124. Embl.121. Li.1.Dioscor. postrema vox à Ruell.& Marcel. interpretibus omissa est, nescio qua ratione, inquit Matthiol.cum non modo eam quoque legat Oribasius,sed quòd etiam Rhus foliis pulchrè Ilicem æmuletur.Cornarius verò Latinè reddit, circũcirca velut serra incisa,nõ enim περιοδῶς,id est Ilicis modo,sed περιωοδῶς, id est velut serra,legendum censet.Fructus Rhois racemis paruis similis est,densus,magnitudine Terebinthi,quadantenus latus, corticosa tunica perquam vtili. Sic enim legitur in publicis Dioscor.exemplaribus, ὃ τὸ περιεχόμενον φλοιῶδες ἐστὶν ἄχρηστον.At postremæ vocis loco Cornarius legit ἄχρηστον:id est inutile,vertitq;,

Ibidem. cuius circundatus ipsi cortex inutilis est:nullum enim eius vsum in sequẽtibus

præscri

RHVS.

præscribit. Theophrastus hanc plantam depinxit his verbis, Græca ego adscribam, quia in vulgatis exemplaribus integra non sunt, nec Gaza interpres omnia reddidit: τῆς δὲ ῥοῦ τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ καλοῦσι, τῷ τὸ μὲν ἄκαρπον εἶναι, τὸ δὲ καρπιμον. οὐκ ἔχει δὲ ὁ δὲ ζὰς ῥάβδους ὑψηλὰς, οὐδὲ παχείας. φύλλον δὲ ὅμοιον τελέᾳ, πλὴν μικρὸν, καὶ τραχύτερον, καὶ ἐπίδασυ. τῶν δὲ κλωνίων τῶν νέων ἐξ ἴσου τὰ φύλλα εἰς δύο, καζάλληλα δὲ (pro καζάδηλα, &c.) ἑκατῶν πλαγίων, ὥστε στοιχεῖν. βάπτουσι δ' οἱ σκυτοδέψαι τὰ λευκὰ δέρματα. ἄνθος λευκὸν, βοτρυῶδες, ὃ' κήπαλι δὲ ὀλόχερες, ὅστ λυγας ἔχον (ὅστ υγλας habent nostri Codices) ὥσπερ δὲ ὁ βότρυς. ἀπανθήσαντος δὲ, ὁ καρπὸς ἅμα τῇ σαφυλῇ ἐρυθραίνει, καὶ γλίνον ὅιον φακοὶ λεπτοὶ, συγκείμενοι. βοτρυδὸν δὲ τὸ χῆμα καὶ τούτων. ἔχει δὲ φαρμακώδες τοῦτο δ καλεῖται ῥοῦς, ἐν αὐτῷ ὄστ ὦδες, ὃ δὲ τῆς ῥοῦ διαπλημμύης ἀπέχει πολλαχοῦ. ῥίζα δὲ ἐπιπόλαιος, καὶ μονοφυὴς, ὥστε ἀνασκάπτειν ῥαδίως ὁλόῤῥιζον. τὸ δὲ ξύλον ἐντεριώνην (hic deest, οὐκ ἔχει) ἄφθαρτον δὲ κοπλόμενον. ἐν πᾶσι δὲ γίνει τοῖς τόποις. ἐνθηνεῖ δ' μάλιστα ἐν τοῖς ἀργιλώδεσι. Cap. 18. lib. 3. Histor.

Id est, Rhus alia mas, alia fœmina: hæc sterilis: illa fructifera: neque virgas rectas, neque crassas habet: Folium Vlmi simile, sed paruum, oblongius, pilosum (sic Plinius ἐπίδασυ interpretatur, Gaza densum aliquantulum.) Ramulorum nouellorum folia paribus spatiis bina disposita coniugatim ex lateribus ordine seruato prodeunt. His pelles albas inficiunt (vel spissant,) qui coria condepsant. Flos est albus, racemosus, figura rotundus, cinnis, seu villis, vuæ modo capillatus. Flore delapso, fructus cum Labrusia rubescit, aceruatis veluti lentibus multis, ac tenuibus, congestus, racemi quoque figura. In eo fructu osseum medicamentum est, etiam Rhu vocatum, quod dum vua colatur à carne separatum, huc illuc abscedit. Colatur vua, succus vt exprimatur acore grato commendatus ad ciborum condimenta, qua de causa Rhu, obsoniorum vocant. Radix per summa cespitum hæret, simplexque est: quamobrem cum integra radice facile arbor effoditur. Lignum sine medulla est, cæsumq; non corrumpitur. Nascitur in omnibus locis, sed in argilosis potissimùm luxuriat. Hæc Theophr. quæ omnia si non satis rectè expressero, conatum meliora ea faciendi æqui boníque consulant lectores. Lib. 14. ca. 6. Plinius non omnia transcripsit, quædam veluti obscura transiliens. Etiam Rhus Syriæ, inquit, mascula fert, sterili fœmina, folio Vlmi, paulo longiore & piloso, foliorum inter se semper contrariis pediculis, gracili breuiq; ramo. Pelles candidæ conficiuntur iis. Semen Lenti simile, cum vua rubescit, quod vocatur Rhus medicamentis necessarium. Li. 14. c. 11. Plinius alibi tria Rhois videtur feciſſe genera. Nam & herba est syluestris, inquit, foliis Myrti, cauliculis breuibus, quæ venena & tineas pellit. Est & frutex coriarius subrutilus, cubitalis, crassitudine digitali, cuius aridis foliis coria vt Malicorio perficiuntur. Et paulo post. Rhus quæ Erythros appellatur, frutex est, & huius fruticis semen vim habet adstringendi, refrigerandíque. Aspergitur pro sale obsoniis, Aluos soluit, omnésque carnes cum Silphio suauiores facit. Quo in loco hallucinatus esse videtur Plinius, cùm de coriario priuatim scripserit, ipsumq; diuiserit ab eo, quo in ciborum condimentis antiqui vtebantur. Lib. 1. Dioscor. c. 124. Quamuis enim

apud

apud medicos, præsertim apud Galenum, tum alibi, tum maximè libris τῶν κατὰ τόπους, multa sint Rhois nomina, vt qui Syriacam appellent, Ponticam, Rhoem obsoniorum, coriariam, rubram, tamen non sunt hæ plantarum quæ genere vel specie differant appellationes, cũ vnum sit duntaxat Rhois genus à Dioscor. descriptum. Sed hoc animaduertendum, ῥοῦν ἐπὶ τὰ ὄψα, id est Rhoem obsoniorum, nihil aliud esse quàm semen fruticis, at ῥοῦν βυρσοδεψικὸν, id est Rhoem coriariorum, folia & ramusculos eiusdẽ. Rhus quæ obsoniis aspergitur, Dioscoridi semen est coriarij fruticis. Galen. Rhoe coriarij ad desiccandas, & adstringendas pelles vtuntur, propterea coriaria appellata est. Porrò medicis in vsu est in primis fructus eius, ac succus, multum austeræ qualitatis. Rhus rubra dicitur semen eius immaturum, maiore astringendi vi præditum quàm vbi maturuit, acinis quodammodo nigricantibus. Syriaca & Pontica à regionibus in quibus nascitur, quemadmodum Iberica, & Italica dici potest. At Plinium errore liberat Cornarius, loco ex veteris manuscripti Codicis lectione emẽdato, quo cum de Rhoe frutice coriario tractasset, mox subdit. Rhus quæ Erythros appellatur, semen est huius fruticis. Vim habet astringendi refrigerandique. Aspergitur pro sale obsoniis aluo, soluta, omnésque carnes cum silphio suauiores facit. Quantum ad Theophrastum attinet, ex eius verbis intelligi minimè potest, alteram esse Rhoem obsoniis, alteram coriis destinatam. Cùm enim eam sexu tantùm discreuisset, vtrãque coria alba spissari tradit. Quare non immerito reprehendendus Fuschius, qui cũ duo Rhois in vniuersum genera esse tradidisset, quòd Græcis μαγειρικὸν, id est Culinarium nominatur, alterum βυρσοδεψικὸν, id est coriarium, subiunxit Galenum, Nicolaum Myrepsum, & alios Syriaci etiã Rhois mentionem facere, qui à duobus suprædictis differat, sitq; peculiaris cuiusdam Syriacæ arbusculæ succus. At Rhus Syriacus, vt rectè Cornarius annotauit, nihil aliud est quàm Rhus qui in Syria prouenit, succus autem Rhois qui ex Syria defertur, idem est cum Rhoe culinario, & coriario. Syriacus verò propterea dictus videtur, quòd in Syria multus proueniret, velut ex Plinio appareret, qui Rhois Syriacæ plantæ ad pelles conficiendas commodæ, semen, quod Rhus vocatur, medicamentis necessarium adscripsit. Denique Rhoem obsoniorum, siue rubrum, siue culinarium, & Rhoem coriariorum eandem planè esse plantam, Paulus paucis, & apertè declarauit: ῥοὸς τῆς βυρσοδεψικῆς καλουμένης τοῖς ἰατροῖς, ὁ καρπὸς μάλιστα καὶ ὁ χυλὸς εἰς χρείαν ἥκουσιν, ἱκανῶς ὄντες στυπτικοὶ μὲν, καὶ ξηραντικοὶ δὲ τῆς τρίτης τάξεως, ψυκτικοὶ δὲ δευτέρας id est: Rhois coriariæ à medicis dictæ fructus & succus magno in vsu sunt. Abundè enim astringunt, & siccant, ordine tertio, refrigerant secundo. Quare toto cælo errãt, qui Rhoem Syriacũ à Celso Mannam intelligi arbitrantur, pharmacũ aluo leniter soluendæ aptum, quod ex Syria adfertur, cùm nihil aliud sit Rhus Syriacus, quàm Erythros siue ruber, siue coriarius, & apud eum non ros, sed Rhos, siue Rhus Syriacus legi oporteat, sicut etiam apud Columellam non Rorem sutorium, sed Rhoem Syriacum legendum est, cum Syriaci appellatio Latinis vsitata sit, vt Græcis familiaris, & recepta. Neque enim sutorium à sutorum siue coriariorum vsu ipsum dixisse noua appellatione efficta credere par est, veluti quidam somniarunt: neque etiam Rosmarinum paulo post legendum est, veluti recens edita exemplaria habent. Nam alio in loco idem Columella in conditura ex Cydoniis, Rhois Syriaci contriti & cribrati heminam habet, de quo adeo in huiusmodi pharmaca ac condituras addendo etiam Galenus egit. Habetur tamen apud Marcellum medicum Rhus marinus, siue Rhus orientalis, dysentericis tritus propinandus ex vino, vt etiam apud Columellam Rhoem marinum legere possis, non rorem. Libet verò credere eundem Rhun, siue Rhoem

à diuer

Li. 8. simpl.

Embl. 111. li. 1. Dioscor.

Matth. ibi. Li. de comm. Li. 6. med. part.

In lib. 6. med. part.

Lib. 7.

Crinit. lib. 7. de hon. disciplin.

Lib. 9. ca. 13.

Lib. 12. c. 41.

Li. 6. med. part.

à diuerſis locis in quibus prouenit tam varias appellationes ſortiri, cum etiam Eupatoricam & Ponticam Rhun (eſt enim generis cõmunis) Damocrates probet. Rhus naſcitur in petris Dioſco. auctore. Naſcitur in Italia, inquit Matthiolus, Apennino monte pluribus in locis, cuius aridis foliis hircorũ caprarumq; pelles concinnantur, quas vulgo Somachi vocant. Aſpergebatur olim pro ſale obſoniis, vt ſcribit Plinius, & Dioſcor. ῥῶς ἐπὶ τὰ ὄψα. Quod ita accipit Matthiolus, & plærique; alij, ac ſi pro ſale antiqui in condimentis vterentur, quem eius vſum apud Syros & Ægyptios, vbi Rhus præſtantior prouenit, etiamnum hodie durare aiunt. Cornarius verò non ſatis ſeſe intelligere dicit, an is fuerit eius ſeminis vſus, vt ſalis locum obtineret. Is enim obſoniis aſpergi ſolitũ arbitratur in fluidis affectionibus, maximè cœliacis, ac dyſentericis aſtringendi gratia, non pro ſale, ſed cum ſale, velut hodie in Saxonia magna, in omnibus ferè eduliis ac obſoniis farina auenacea craſsior, quam ipſi Gorte vocant, vna cum ſale aſpergitur. Vires Rhois medicas has eſſe ſcribit Dioſcor. Folia vim habent aſtringendi, & Acaciæ effectus præbent. Decoctum capillos denigrat: dyſentericis infunditur, & in potus eorum inſeſſuſq; adiicitur: inſtillatur auribus purulenti. Gangrænas & pterygia folia cohibent, ex aceto aut melle illita. Liquamentum fit ex aridis foliis, ad craſsitudinem mellis, in aqua decoctis, eadem cũ lycio facultate. Semen eoſdem effectus exhibet: cœliacorum dyſentericorumq; obſoniis aſpergitur: fracta deſquamata, liuidaq; illitum ex aqua ab inflammatione vindicat: linguæ aſperitates cum melle abſtergit: candida fœminarum profluuia ſiſtit: hæmorrhoidas ſanat, cum Querneo carbone intrito admotum. Aqua in qua ſemen maduit, decocta cogitur, coitq;, efficacior quodammodo ipſo ſemine Gummi defert, quod dentium cauis imprimitur ad dolores finiendos. Galenus. Rhus fruticoſa planta aſtringit & deſiccat. Nam & coriarij ad deſiccandum & aſtringendum planta vtuntur, ac proinde βυρσοδεψικὴν, id eſt coriaria nominatur. Porrò medicis in vſu ſunt imprimis fructus eius, & ſuccus, multum auſteræ qualitatis. Conſentaneus eſt vſus particularis ipſi guſtus ſenſui. Fuerit itaque & hoc medicamen ex tertio ordine exiccantium, ex ſecundo verò refrigerantium. Medici, inquit Plinius, Rhoicis vtuntur ad contuſa: item cœliacos, & ſedis vlcera, aut quæ phagedænas vocant, tritis cum melle, & illitis cum aceto. Decoctum eorum inſtillatur auribus purulentis. Fit & Stomatice decoctis ramis ad eadem quæ ex moris, ſed efficacior, admiſto alumine. Illinitur eadem hydropicorum tumoribus. Galenus etiam Rhois ſuccum Stomaſticis admiſcet: & apud eundem Damocrates in confectione ex capitibus papaueris ad fluxiones & vigilias. Quæ Rhois ſpecies ab herbariis eſſe putantur, ſubiungẽdæ. Primã hic propoſitã, Rhus à Plinio is primo loco ponere videtur. Nec Rhus Latinũ nomẽ habet, inquit: nã herba eſt ſylueſtris, foliis Myrti, cauliculis breuibus, quæ venena & tineas pellit. Quidam etſi fruticem iſtum ab ea Pliniana Rhoe notis aliquot diſcrepare aperte videant, vt mox dicetur, tamen quia multis aliis Rhois naturam & figuram refert, malunt eo nomine depingere, quàm (ſicut in plurimis aliis fecimus) ambitioſius & curioſius de nominibus altercando tempus terere. Frutex igitur ad hominis altitudinẽ adoleſcit. Caule eſt craſsitudinis pollicaris, fragili, cauo Sambuci modo, cortice cinereo, maculoſo, membrana rufeſcente ſubiecta, paribus interuallis in nodos quoſdam intumeſcente, à quibus ſurculi ſiue ramuli prodeũt, lenti, & flexiles, in quibus folia ſunt, æqualibus ſpatiis bina, aduerſum diſpoſita, Myrto ſylueſtri & latifoliæ omnino ſimilia, aliquantò ampliora, venoſa, altera parte rubeſcentia. Flores purpurei in ſummis virgis hinc illinc enaſcuntur: fructus nigri è tenui pediculo pendent, aliquantum compreſsi, veluti ſtriis quibuſdam comaliculati, fibris quaternis

Lib. 7. med. part. *Locus.* Ibidem. Lib. 1. Dioſcor. c. 124. Li. 24. c. 11. Ibidem. Embl. 111. lib. 1. Dioſc. *Vires.* Li. 8. ſimpl. Li. 24. c. 11. Li. 6. med. part. Li. 7. med. par. Li. 24. c. 11.

discreti,sapore acerbo:semen intus album rugosum, vinaceis simile. Ergo florum & fructus congerie,eiusdem sapore,foliorum effigie cum Rhois natura & Pliniana descriptione satis conuenit,nisi fruticis proceritate,caulis crassitudine,ramulorũ longitudine discrepare videretur. In sepibus agri Monspeliensis,

RHVS syluestris Plinij.

RHVS syluestris altera.

Lib.6. c.12. pingui, densoq; solo prouenit. Rhus syluestris Dodonæi, & Plinij Rhus altera videtur esse plãta, quã alij Myrtum vocant, alij Pseudomyrsinẽ, & Myrtum Brabanticã, Germani, *Gagel*. Humilis ea est, lignosa, dura, surculis multis, in quibus folia longiuscula, Buxi arboris foliis satis similia. Inter surculos ramuli exoriuntur multas veluti spicas ferentes, primùm flosculis multis onustas, deinde seminibus multis cõgestis, angulosis, pingui quodam liquore refertis, saporis foliorum, florum, fructus, surculorum amarissimi, sed odoris iucũdi. Rhotomagenses in quorum agro plurimus hic frutex nascitur per saltus herbidos, & vligine madentes, vocant sua lingua *Piment Royal*, quasi Melissophyllum rẽgium. Rustici æstate surculos folioſos & seminibus onustos, in manuales fasciculos collectos vendunt, non ad alium vsum, quam vt vestes odoris suauitate commendent, & à rodentium vermiculorum noxa custodiant. Sapor tamen egregiè amarus insignem habere vim siccandi & discutiendi monstrat, sed præsertim valere tam sumptum quàm admotum ad lumbricos necandos, & pellendos. Maio mense & Iunio floret, Iulio & Augusto fructum perficit.

Locus.

Vires.

Tempus.

ZIZIPHVS CAPPADOCICA CAP. XXXIX.

Lib.21. c.9. *Nomina*

HÆc arbor Ziziphus Cappadocica à Plinio nominatur, ex cuius odorato flore olearũ flori simili coronæ nectebantur: quibusdam arbor Paradisæa, ob floris odorem suauissimũ, quod nomen aliis etiam tribuitur. Sunt enim qui Thuiam odoratam, arborem Paradisæam etiam vocent, vt diximus. Crescit hæc Ziziphus ad Salicis magnitudinem, radicibus multis nixa, crassis, circumquaque sparsis, locíque multum occupan

ZIZIPHVS Cappadocica.



occupantibus, ſumma terra vagis, Stolones multos gignentibus, qui niſi putentur matrem emaciant, & tandem enecant, putati verò & depacti viuunt, & arboreſcunt. Cortex albicat, in ſtipite valdè rugoſus & craſſus, in ramis tenuior, & molli quadã lanugine obſitus. Porrò in multos & lõgos ramos arbor finditur, in quibus lõgæ validæq; per interualla ſpinæ. Folia cãdida, oblõga, Oleæ, Salicíue ſimilia, denſa, multaq; in ſurculis. Flos hians aureus, in ſex cuſpides diſſectus, priuſquam dehiſcat in Alabaſtrum faſtigiatus, ex viridi candicans, paruus, Rhamni ſecũdi noſtratis, aut Mali Citriæ figura, veluti floſculis cõſertis pendulus, ternis ferè ſimul ad imam foliorum partem emicantibus, odoris iucundiſsimi, mea quidem ſententia ſuauitatem Mali Citrię, quæ ſumma nobis habetur, ſuperantis. Fructum fert, paruam ſcilicet baccã, Oleaſtro ſimilem minorem, breuiſsimo pediculo nexam, viridem, & qua parte ſolem magis excipit, rubeſcentẽ, lanuginoſo quodã puluiſculo tectam, guſtu ſubacido, carne valde ſicca & exucca, qualis eſt Baccarum Oxyacanthæ cùm maturuerunt. Huius arboris taleæ exciſæ, & in terram defixæ facilè comprehendunt, & radicantur, Salicis modo. Amatus Luſitanus hanc arborem Salicem eſſe Amerinã videtur exiſtimare. Bellunenſis Auicennnæ interpres, Chalef arborẽ deſcribit, ſpecie Salicis, in locis humidis naſcentem, foliis Ceraſi: quæ arbor fructum non fert, ſed flores valde odoratos, veris initio, antequam folia prodeant. Ex quibus floribus in Syria deſtillatur aqua ſuauis odoris, qua frequẽter vtũtur in cordis morbis calidis. Ex iiſdẽ in oleo maceratis fit oleum Chalef, nõ aliter quam violaceum. Ex iis etiam permixtis cum Amygdalis, quoad eorum odore & humore imbuta fuerint, exprimitur oleum, quod etiam oleum Chalef nominatur. Id Arabum Chalef, quidam Ziziphum hîc à nobis deſcriptam eſſe putant, ſola, opinor, in vtriuſque flore odoris gratia & ſuauitate moti. Nam alioqui magnum inter has arbores reperio eſſe diſcrimen. Ziziphus enim hęc noſtra ęditis iam foliis floret, Chalef ante foliorum exortum: hæc baccis grauari ſolet, illud fructum nullũ profert. Verumtamen nõ dubito, quin ex huius Ziziphi floribus in operculata concha preſtantiſsimi odoris aqua ſtillare poſsit, oleumq; ex iiſdem cum Amygdalis tritis parari, eo modo quo ex Bellunenſi recitauimus, odoris fragrantia

Lib. 1. Dioſcor. ca. de Vitice. Chadef arbor.

Vires.

OLIVA Boemica, ſiue Elæagnus Matthiol.

Locus. præcellens,ac pretioſum. In natali humo ſylueſtris hæc arbor,à Lugdunenſibus quibuſdam in hortis colitur,huc olim,vt narrant,Rhodo,à quodam Equitum Rhodiorum procuratore translata,priuſquam ea inſula in Solimani Turcarum Imperatoris ditionem veniſſet.In horto etiam Cœnobij D. Irenæo ſacri id genus arbores aliquot lætiſsimæ viſuntur. Matthiolus nomine Oliuæ Boemicæ,ſiue Elæagni pictam dedit.Naſcitur in Boemia,inquit, fruticoſa, folio Vitici ſimili,molli,ac lanuginoſo:flore albo ex virgis ordine propè foliorũ exortum prodeunte,odore non inſuaui,ex quo nullus prouenit fructus.Huic alia per omnia ſimilis viſitur Viennæ in horto Cæſaris Ferdinandi, quæ baccas profert Oleæ figura,ſed minores,apice in ſummitate aculeo ſimili. Hanc Elæagnum appellarem,quod folio ac virgis Agnum,fructu Oleam referre videtur.

CERATONIA CAP. XL.

Nomina Li.7. ſimp. KEPATΩNIA quaſi cornuta ſiliqua arbor hæc à Galeno & Paulo vocatur,fructus κεράτων, à Latinis Siliqua,& ſiliqua dulcis, ab Arabibus *Charnub*,ab Italis *Carobe*,& *Carobole*,à Gallis *Carouges*,ab Hiſpanis *Alcarobas*, à Germanis *S.Ioans brot*:Boemis *Suuatheo*,& *Ianachleb*.Græci recentiores Xylocerata vocant.Arbor in magnam ſatis proceritatem attollitur,cortice cinereo in cæruleum inclinãte,vt in Loto arbore, ramis in latitudinem potius quã longitudinẽ expãſis: foliis eo poſitis ordine quo in Fraxino, latioribus tamen quàm in Fraxino, durioribus, rarioribus,magis circinatis,ſupernè ex fuſco viridibus,infernè dilutæ viriditatis. Floret Ceratonia hyemis fine,aut vere iam appetente. Fructum profert æſtate & Autumno. Fructus Siliquæ ſunt latæ,compreſſæ,aliquando pedem vnum,aut eo plus longæ, quæ ſemen continent amplum,latum,etiam compreſſum, Caſtaneæ colore.Hæ recẽtes ab arbore decerptæ guſtui ſunt ingratæ,ſed diu in cratibus ſiccatę adeo miteſcunt, vt & dulces fiant, & guſtui ſuaues.Præter ſemen, melleum intus ſuccum habent.Eo potiſsimũ refertæ ſunt in Oriente prouenientes, quo Indi & Arabes Zinziber, Myrobolanos, Myriſticas nuces, aliaq; aromata condiunt, vt teſtatur Strabo de Indicis arboribus ſcribens. Arbor hæc amat loca maritima,calida,ſicca, campeſtria. Multum hæc cognita Niceæ & maris Liguſtici accolis, vbi eam eſitant pueri,etiamq; porci. Naſcitur & in agro Neapolitano,inquit Matthio.præſertim in Apulia,ac etiam in Campania.In via Appia frequentiſsima conſpicitur.Incolæ Salequa vocant,nomine à Siliqua detorto. De Siliquis hæc pauca Plinius.Haud procul abeſſe videantur, & prædulces Siliquæ, niſi quod cortex in iis manditur.Digitorum hominis longitudo illis,interim falcatis, pollicari latitudine.Idem aliquanto poſt.Cùm in pluribus ſemina placeant, in Siliquis damnantur:Idem in Siliquis verò,quod inquit manditur,quid niſi lignum eſt? non omittenda ſeminis earum proprietate.Nam neque caro, nec lignum, nec

Forma. Matth lib. 1.Dioſc. ca. 330.

CERATONIA.

Tempus.

Lib.15. Geog. *Locus.*

Ibidem.

Li.15.ca.24.

cartilago

cartilago dici poteſt,neque aliud nomen inueniat.Longe alia eſt Siliqua quam Ceroniam vocat Theophr.Ceronia,inquit,fructum ex ramis producit, non tamen copioſum.Vocãt enim Ceroniam quæ Ficus quas Ægyptias vocant,producit.De illa Plini.Similis his Siliqua quam Iones Ceroniam vocant:trunco & ipſa fertilis,ſed pomo Siliqua.Ob id quidam Ægyptiam Ficum dixere, errore manifeſto.Non enim in Ægypto naſcitur,ſed in Cypro, Ioniaq́; , & circa Gnidum,atque in Rhodo ſemper comantibus foliis,flore candido cum vehementia odoris:plantigera imis partibus , atque ideo ſuperficie flaueſcens , ſuccum auferente ſobole. Pomo antecedẽtis anni circa Canis ortus detracto,ſtatim alterum parit : poſtea florem , poſt Arcturum hyeme fœtus enutriente. Siliquarum de quibus hic agitur naturam breuiter exponit Dioſcor. Siliquæ recentes ſtomacho aduerſantur, aluum ſoluunt:eædem ſiccatæ ſiſtunt, ſtomachoq́; vtiliores fiunt.Vrinam ciunt,ſed præcipuè quæ vinaceis condiuntur,vel,vt vertit Cornarius,maximè quæ vuarum retrimentis compoſitæ aſſeruantur : μαλίςα δὲ τὰ ὁπ τῶν τεμφύλων σωτιθέμθνα.Sic enim ſeruari ſolent, velut etiam vuæ Ollares dictæ,itémque Oliuæ,ita vt viciſsim & retrimentorum , & ſiliquarum aut vuarum,aut oliuarum compoſitio fiat. Has compoſitiones Dioſcor. τὰ ὁπ τῶν τεμφύλων σωτιθέμθνα vocat : τέμφυλα enim ſolidas vuarum in torculari expreſſarum reliquias, aut retrimenta appellari auctor eſt Galen.qui Siliquas in cibis damnat his verbis.Ceratia praui ſucci ſunt edulium,ac lignoſum,quam rem neceſſario ſequitur,vt concoctu ſit difficile. Quinetiam incõmodum id ipſis ineſt, quod non celeriter deiiciantur.Proinde ſatius eſſet à regionibus Orientalibus, in quibus naſcitur,ad nos non importari.Idẽ alibi. Ceratonia exſiccantis eſt, & adſtringentis facultatis, ſicut & fructus eius quem Ceratia vocant , nonnihil etiam dulcedinis continens.Accidit autem iſtis ſimile quiddam Ceraſiis. Nam ſi humida ſumas , magis ventrem ſubducunt, ſicca verò magis ſiſtunt, vt pote cum humiditas abſumatur,& quod eſſentiæ eſt craſsioris tantùm reliquum habeant.Siliquæ ſiccæ,inquit Matthiol.etſi omnium conſenſu manifeſto adſtringant,certum eſt tamen earum decoctum potum mirificè conferre tuſsientibus, ob dulcem melleamq́; ſubſtantiam quæ iis ineſt.

Lib.4 Hiſt. ca.24.

Lib.13.ca.8.

Lib.1.c.130.

Vires.

Embl.117. lib.1.

Li.2. Alim.

Li.7.ſimpl.

Li.1.Dioſc. cap.130.

SILIQVA, SIVE CASSIA CATHARTICA.
CAP. XLI.

Nomina

ΚΑΣΣΙΑ μέλαινα Græcè, hæc planta, Latinè Caſsia nigra dicitur. Medici,Seplaſiariique, Arabum, à quibus inuenta eſt , ſectatores, Caſsiam Fiſtulam vocant , alij Caſsiam ſolutiuam , alij Siliquam Ægyptiam,ſiue Catharticam. Italis *Caſsia*,& vulgo *Cannela*,Germanis *Zimmet Roertim*,Hiſpanis *Canela*,Gallis *Caſſe*. Huius Siliquæ arbor inter proceras numeranda eſt , in India & Taprobana excelſiſsima, in Arabia & Ægypto mediocris proceritatis,radicibus magnis Iuglandis modo,cortice cinereo, materia ſolida, compactáque , cortice tenus Buxei coloris , medullitus nigri, Ebeni,aut Gaiaci colore,quæ recens grauiter olet,ſicca minime: folio eſt Siliquæ dulcis, ſed maiore , & in acutum deſinente. Ex ramis fructus fiſtuloſus, ſiue Siliquæ pendent , denſæ, ſæpius pedes duos longæ , teretes, duræ , lignoſæq́; , pollicis craſsitudine cum maturæ ſunt , colore ex rubro nigricante. Nigrum dulcémque intus humorem concretum habent , non, vt in animalium oſsibus , continuum, ſed crebris, tenuibus, lignoſiſq́; membranulis diremptum. In ſingulis loculis granum quoddam eſt durum , Siliquarum granis adeo ſimile , vt alterum ab altero internoſci vix poſsit : hac de cauſſa

Forma.

Matth. lib. 1.Dioſc.c.14.

SILIQVA, siue Cassia Cathartica.

Vires.

fortassis errauêre, qui has arbores congeneres esse crediderint. Deligenda quæ ex Memphi, & Alexandria Ægypti aduehitur, Fistula insigni, plena, ob id graui, & recente, & quæ cōcussa inclusis seminibus minime constrepat, splendente, foris ac etiam in pulpa pingui. Pulpa excalfacit, & humectat ordine primo: clementer & innoxiè à ventriculo bilem & pituitam purgat leniendo, febribus inchoantibus confert, sanguinem hac ratione puriorem reddit, ac eius sanguinis ac bilis flauæ acrimoniam frangit, aluum commodissimè ciet, eiusq; vis ventriculum non pertransit. Quare securissimè datur à Medicis febribus inchoantibus, aliisque calidis morbis ante venæ sectionem. Resoluit thoracis & pulmonis, & asperæ arteriæ phlegmonas, eásque partes lenit ipsa morsus expers. Sitim sedat, præsertim sumpta cum succo Intybi, vel Cichorij, vel Solani arte defecato. Intemperiem deniq; renum calidam mitigat cum duireticis sumpta, & Glycyrrhizæ decocto, ob ídque calculum in his gigni prohibet, súntque qui affirment eum à renum calculis, à ventriculi doloribus & apostematibus prorsus liberum fore, qui quotidie ante prandium tres pulpæ Casiæ drachmas deuorauerit. Exterius illita erysipelata extinguit, cæteráque inflammationes quæ in cutem emergunt. Si viscera sunt sicciora, Casiæ lubricitas augenda est oleo Amygdalarum dulcium: si debilia & lubrica sint, minuenda Myrobalanis vel Rhabarbaro, vel aqua cum Mastiche cocta, vel Spica addita. Si ad vias vrinarias ferri eam volumus, vrinæ enim difficultati mirificè auxiliatur, vretica misceantur. Sine tardius, aut imbecillius purget, veremur, acre aliquod, quale thymum, Hyssopum, actionem eius intendens misceatur, aut potius aliquot medicamentorum valenter purgantium. Efficacius autem purgat, si ex sero lactis propinetur. Tam est benignum & innoxium hoc medicamentum, vt omni ætati, ipsis etiam pueris, & prægnantibus tutò sumatur. Salubre est sanis & ægris ad aluum clementer leniendam. Quouis tempore tutò sumitur, etiam initio epularum, aut paulo ante cœnam. Datur hodie pulpa Casiæ cortice, membranis, & seminibus per cribrum purgata (recens enim sumenda potius, quam vasis asseruata) ab vncia dimidia ad sescunciam, vel drachmas decem, mane, vel ante cœnam. Sed paulo ante cibum duabus tribúsue horis, etiam drach. duabus, tribus, quatuor datur his quibus est aluus natura pigrior. In quem vsum quibusdam iucundius est pulpam lata cultelli cuspide exceptam deuorare. Saccharo conditur recens ab indigenis ad eosdem vsus, quam primum ostenderunt Veneti, & Lusitani, nunc etiam in Galliam sic condita aduehitur. Quam autem vim purgatoriam tribuit Manardus semini ipsius, maiorem scilicet, quàm pulpæ ipsi, non recipiendum confirmat Musa, suo multiplici experimento. Quod præterea nonnulli Medici existimant huius Casiæ corticem ad menses mouendos, ad partum iuuandum, ad remorantes secundas aliquid valere, absurdissimum est, cùm de Casiæ aromaticæ siue odoratæ corticibus id sit accipiendum.

STYRAX

STYRAX. CAP. XLII.

VT Græcè στύραξ, ita etiam Latinè Styrax dicitur, Arabicè *Miha, Mehaha*, seu *Astarach*, Italicè *Stirace*, Hispanicè *Esteraque* Officinis Storax calamita. Styrax arbor est proceritate ac forma Malo Cotoneæ similis, folia tamen longe minora profert, auersa parte albicantia, solida, oblonga, sed paulo latiore ambitu. Flos illi est albus Aureæ Mali similis. Baccas edit longo pediculo appensas, tenui quadam lanugine obductas, rotundas, in acutum desinẽtes, Nucis ferePõticæ magnitudine, in quibus aliquot concluduntur ossicula semen continentia. Ab hac manat liquor seu lacryma eiusdem nominis. Arbor est eodem nomine Cotoneæ Malo similis inquit Plinius, succo prægnans lacrymæ exaustero, vel vt quidam legunt, dulcioris iucundioris: intus similitudo harũdinis: In hanc circa carnis ortum aduolãt pennati vermiculi, erodentes: ob id scobe sordescit. Reperiuntur arbores huiusmodi in Italia, non solùm in hortis, ac viridariis, sed etiam sponte prouenientes in Romano & Tiburtino agro. Viret & sylua iis arboribus, nõ procul ab eo religioso templo quod incolæ vocant *les Maries*, in Prouincia Romana Galliæ, verùm gummi non emittunt. Proxima Iudeæ Syria, inquit Plinius, Styracem gignit, circa Gabala & Marathunta, & Casium Seleuciæ mõtem: Et mox: Styrax laudatur post supradicta ex Pisidia, Sidone, Cypro, Cilicia, Creta, minimè ex Amano Syriæ medicis, sed vnguentariis magis. Exit & in Pamphylia, sed aridior vel, vt quidam legunt, acrior, minúsque succosus. Styrax auctore Dioscor. præfertur pinguis, flauus, resinosus, albicantibus grumis, quamplurimum in sua odoris gratia permanens, qui dum mollitur, melleum liquorem reddit, qualis è Catabalis, Pisidia, & Cilicia deuehitur. Sed non omittendum pleraque exemplaria habere pro λιπαρὸς, ideſt pinguis ῥυπαρὸς, ideſt sordidus, quam lectionem secutus est Ruellius. Verùm nostræ scripturæ suffragatur Plinius, qui pinguiter lentum probat. Colos, ait, in quacunque natione præfertur ruffus, & pinguiter lentus. Et Idem alibi: Placet maximè pinguis purus, albicantibus fragmẽtis. Apud Aetium sæpe ξανθὸς καὶ λιπαρὸς probatur. Hęc etiam verba, τοιοῦτος ἢ ἐστιν ὁ καβαλίτης, ideſt, talis autem est Catabalites, Oribasius legit, τοιοῦτος ἢ ἐστιν ὁ γαβαλίτης, talis autem est Gabalites, quam lectionem Marcel. approbat, subscribente Plinio, qui Styracem circa Gabala & Marathunta gigni tradidit. Sed multum non refert, an Catabalites, an Gabalites rectiùs appelletur: natales enim Styracis loci multi sunt. Deterior Styrax niger, furfurosus, friabilis, canóque situ obductus, quæ verba canóque situ obductus, quoniam in Græcis exemplaribus non leguntur, ea Cornarius in sua translatione omisit, sed à Ruellio adiecta sunt ex Plinio, qui sic scripsit. Deterior furfurosus, & cano situ obductus. Cæterum lacryma, inquit Dioscor. inuenitur gummi similitudine, perlucida, & Myrrhæ æmula (siue id colore, siue odore sit intelligẽdum:) verùm perpauca manat. Græci probatique auctores vnũ tantum Styracem agnoscunt. Seplasiæ hunc in siccum & liquidum distingunt, cum Styrax,

Nomina

Forma.

Li. 12. c. 25.

Locus.

Lib. 12. c. 25.

Lib. 1. c. 68.

Ibidem.

Li. 24. ca. 6.

Li. 12. ca. 25.

STYRAX.

Matt. ibid. officinarum liquidus Myrrha Stacte ſit multorum iudicio, nec Styrax appellari debeat. Siccus iiſdem Seplaſius Storax Calamita dicitur, quæ appellatio ex Galeno ſumpta videtur, quo loco pauciſsimum & optimum Styracem Calamiten eſſe indicauit, & tanto præſtantiorem multo alio Styrace, quanto præſtantius eſt vinum falernum, eo quod in cauponis venditur, eúmque in calamis ex Pamphylia adferri, vnde Calamitæ nomen. Addit ex hoc ſumendum eſſe pallidiſsimum, vt qui & odore, & ſapore validiſsimus ſit. Porro videtur is eſſe Styrax, quem Dioſcorid. Gummi ſimilem, & paucum naſci ſcripſit. Itaque cum nullus ſit Styrax hoc præſtantior, conſueuerunt medici medicamẽta præſcribentes, quæ Styracem recipiunt, Calamitæ cognomen adiungere, vt intelligant pharmacopœi optimum atquæ præſtantiſsimum Styracem requiri. Manardus etiam eadem appellationis ratione ductus, hæc Dioſcorid. quæ in vulgatis exemplaribus leguntur, τοιοῦτος ἡ ἐστιν ὁ χαλαβαλίτης, legenda eſſe cenſet, τοιοῦτος ἡ ἐστιν ὁ χαλαμίτης, ideſt, talis eſt Calamites: ſed Gabalites legi oportere iam docuimus. Præterea Fuchſ. Styracem Calamiten liquidum fuiſſe exiſtimat, non alia ratione fortaſſe fretus, quàm quod in Calamis afferretur. At Styrax Dioſcorid. lacryma eſt arboris, præſtátque ille cæteris qui flauus eſt, reſinoſus, grumóſque habet albicantes, & dum mollitur, melleam humiditatem reddit. Ex quibus conſtat Styracem hunc liquidum non fuiſſe, ſed in grumos concretum: quin ſi Galeni tempore in calamis adferretur: id eſt, harundinum foliis obuolutus, non hinc effici neceſſe eſt liquidum fuiſſe. Neque enim aliam ob cauſam, opinor, Styracem calamis obtegebant, ſiue pro emporeticis inuolucris eſſent, ac Stegeſtribus harundinis ſola folia complicata, & aduoluta, ſiue ex iis foliis textæ ſportæ, quàm vt eius odor conſeruaretur, id quod in Creta factum fuiſſe ab iis qui Pictamnum legebant, teſtis eſt Theophraſt. ne vis eius expiraret. Adhæc veteres Græcos nullam liquidi Styracis mentionem feciſſe paulo ante diximus. Verùm Calamitæ Styracis appellatio Plinium mouit imprudentem, vt harundinis ſimilitudinem intus quãdam eſſe traderet, quæ nulla prorſus intelligi poteſt. Idem Scolecitis nomine deceptus, vermiculis ſimilis, fabulam finxit de pennatis vermiculis circa Canis ortum aduolantibus, & erodentibus. Strabo in Selga Piſidiæ vrbe, plurimum Styracem naſci tradit, arborem non magnam, rectam, ex qua haſtæ Styracinæ Corneis ſimiles fiunt. Idem etiam liquoris meminit, qui ex ea deſtillat, ac facilè coagulatur, Succino ſimilis. Styrax adulteratur, Plinio Cedri Reſina, vel Gummi: aliàs melle, & Amygdalis amaris, quæ omnia deprehenduntur guſtu: Dioſcoridi verò ligni ſcobe, quam vermiculi erodentes excuſſerunt, melle Irini ſedimento, & quibuſdam aliis. Ceram aut adipem odoribus imbutum alij flagrantiſsimis ſolibus cùm Styrace ſubigunt, & per laxa cribri foramina in frigidam aquam tranſmittentes, veluti vermiculos exprimunt, venundántque. Styracem hunc, quoniam in vermiculorum ſpeciem contrahitur, Scolecitem etiam cognominant, quem tanquam ſincerum imperiti approbant, non animaduertentes ad præcipuam odoris fragrantiam. Siquidem acer admodum eſt odore, qui adulterationis vitio caret. Styracis vires Dioſcorides fuſius exponit his verbis. Styrax calfacit, emollit, concoquit: medetur tuſsi, deſtillationibus, raucedini, grauedini, & interceptæ voci: vuluæ præcluſæ, duritiáue laboranti conuenit: Ciet menſes potu, appoſitúque: aluum leuiter mollit, ſi exiguum cum Reſina Terebinthina catapotij modo deuoretur. Miſcetur vtiliter diſcutientibus Malagmatis Acopíſque. Vritur autem, & igni torretur, vt fiat ex eo, veluti ex Thure fuligo, ad eadem conueniens ad quæ Thuris fuligo. Græcè ſic ea leguntur, χαίεται ἡ καὶ ὀπτᾶται, καὶ φώτιλα, καὶ ἀυθαλῶται, non, θαλῶται.

Libr. 1. de antid.

Ibidem.

Lib. 2. cõp. med.

Lib. 9. Hiſt. cap. 16.

Ibidem.

Ibidem. Emble. 65. Lib. 1. Dio. Lib. 12.

Ibidem.

Li. 1. ca. 68.

Ibidem.

Vires.

θαλβεται: Ideſt, vritur, aſſatur, torretur, ac fuligo ex ipſo fit, &c. Ex eo etiam in Syria Styracinum oleum componitur, quod calefacit vehementer, & emollit: verùm caput dolore afficit, grauátque, & ſoporem affert. Eadem de Styrace Plinius prodidit. Sed præter iſta, Inuenio, inquit, potu modico triſtitiam animi reſolui, largiore contrahi. Sonitus aurium emendat infuſum: ſtrumas illitum, neruorúmque nodos. Aduerſatur venenis quæ frigore nocent ideo & Citutæ. Styrax Galeno excalfacit, emollit, concoquit: quamobrem tuſſibus, catharris, pituitæ deſtillationibus, raucedinibuſque prodeſt. Tum menſes potus, ſeu admotus, deiicit. Combuſti eius fuligo, Thuris fuligini quodammodo ſimilis eſt. Oleum ex Styrace ſic parandum eſſe docet Matthio. Styrax biduo aqua Roſarũ maceratus, in vitreum vas luto oblitum, vna cum aqua immittitur, quod altero vaſe ſuperimpoſito in furno collocatur, igne accẽſo moderatiore, donec aqua tota, in vas aliud excipiens deſtillauerit. Cũ verò oleum fluere cæperit, validiore igne opus eſt, donec totum efluxerit. Valet hoc oleum, non ſolùm ad odoramenta, ſed etiam ad ea omnia: ad quæ Styrax: eſt tamen illo valentius.

Lib. 24. c. 6.

Libr. 8. ſim.

Lib. 1. Dioſ. cap. 68.

***

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER SECVNDVS,

Quo deſcribuntur, atque picturæ oſtenduntur frutices in Dumetis & Frutetis ſponte naſcentes.

RVBVS CAP. I.

VONIAM poſt nemora & maiores ſiluas, præſertim circa montes, dumi fruticéſque ſæpius occurrũt plerumque ſabuloſo & arido ſolo, nonnunquã vdo vliginoſóque, idcirco ſiluæ noſtræ dumetum frutetúmque ſubnectimus. Vt Dumetum (ſiue, quemadmodum antiqui dicebãt auctore Feſto, Dumectum, quaſi Dumicetum) locus eſt dumis, ideſt ſpinis cuiuſuis generis, quæ etiam penè omnes fruticãt, obſitus, ſiue agros pratáue ſepibus muniant, ſiue non ſic frutetũ ſoli tractus eſt in quo frutices, aut Plantæ fruticantes ſua ſponte proueniũt, nihilque aliud prẹter dumos ferè ac frutices naſcitur. A Rubo, quod vulgaris ſit notitię, faciam exordiũ. Huius genera tria ſunt Theophr. βάτος, χαμαίβατος κυνόσβατος: Plinio totidẽ, ſed nõ eadẽ omnia. Rubi mora ferunt, inquit & alio genere ſimilitudinẽ Roſę, qui vocatur Cynosbatos. Tertiũ genus Ideũ vocant Græci à loco. Nobis quinque: Batos, Chamæbatos, Rubus, Ideus ſpinoſus, Rubus Idæus non ſpinoſus, Cynosbatos: Βάτος, Rubus magnus, & Sentis Latinis dicitur, Arabibus *Buleich*, ſiue *Haleicho*, Gallis *Ronce*, à runcatione, quæ dumorum tantùm eſt, Italis *Roue*, Germanis *Bromber Bremen*, & *Bramen*, Anglis *Bramble bulhe*: Hiſpanis *Carca*. In dumetis, ſiluis, ſepibus & agrorũ limitibus cum aliis ſpinoſis proſilit, radice nodoſa, virgis multis, ſubrectis quidem ſed quæ tandem gracilitate proceritatéque nimia, niſi à vicinis fulciantur, curuatæ defixis in terram capitibus radicãtur. Id enim de Rubis omnibus verè dixit Plinius, Theophraſtus de humili Rubo duntaxat. Rubi, inquit, curuati gracilitate, & ſimul proceritate nimia defigunt rurſus in terrã capita, iterúmque naſcuntur

Genera Rubi. Lib. 3. Hiſt. cap. 18. Li. 16. ca. 37.

Nomina Sca. libr. 3. cauſ. ca. 18.

Locus.

Forma.

Li. 17. ca. 14. Lib. 3. Hiſt. cap. 18.

RVBVS.

tur ex ſeſe, repleturi omnia, nì reſiſtat cultura, prorſus vt videri poſsint homines terræ cauſa geniti. Ita peſsima atque execranda res propaginem tamen docuit, ac viuiradicem. Theophraſtus verò, ὅταν σωάπλῃ τῇ γῇ ῥιζόμενος πάλιν, ὃν καλοῦσι χαμαίβαλον. Cum ſe terræ coniunxerit, rurſus radicatur, quam Chamæbaton vocant. Virgæ ſpinis aduncis & pungentibus aculeis veſtiuntur, quibus prætereuntium veſtibus ſeſe affigunt, eoſque remorantur: folium inciſuris diuiſum eſt, aſperum, dorſo aculeato, inferiore parte candicans, ſuperiore nigricans, hyeme vix decidens, niſi alterum ſuccreſcat: flos ſtellatus, ex candido Roſeus: fructus cum maturuit, niger, guſtu dulcis, pauxillulum amarus, Moro perſimilis, multò minor, cui ſuccus ſanguineus ineſt, veluti cruore atro manus inficiens.

Li. 6. med. part. c. 1. & Li. 2. alim. Hæc Rubi mora βάτινα appellari ſcripſit Gale. quæ quidam Latini in Vaticana corruperunt, ſicut μόρα, & συκάμινα vera Mora, appellationibus à plantis deductis quæ ſunt βάτος, μορέα arbor, & συκαμινέα. Sed quum locus vnus Gale. de hac re ſit corruptus, eum ſic reſtituit Cornarius. τὸν τῶν βάτων καρπὸν ὀνομάζουσιν οἱ παρ' ἡμῖν ἄνθρωποι βάτινον, καθάπερ μόρα τε καὶ συκάμινα τὸν τῆς μορέας καὶ συκαμινέας. Quæ verba τὸν τῆς μορέας καὶ συκαμινέας in vulgatis exemplaribus Græcis deſunt, vt ex præcedentibus nullus ſenſus erui poſsit. Vult enim, vt diximus, Batina à Bato dici, ſicut Mora à Morea, & Sycamina à Sycaminea, Latinè Mora Rubi nominantur.

In com. li. 6. m. p. ca. 1.

Lib. 15. c. 24. Plinius, Mora naſcuntur & in Rubis, multùm differente callo. Quanquam in publicis exemplaribus, Romæ naſcũtur & in Rubis, &c. leui, tamen à nemine animaduerſo errore legitur, inquit Cornarius. Non enim Romæ, ſed vbique Mora in Rubis naſcũtur. Id quod repetit idẽ Plin. alibi, Rubi mora ferũt &c. Ouidius.

In com. lib. 6. m. pa. c. 1. Li. 16. c. 37. Li. 1. Metã.

Cornáque & in duris hærentia Mora rubetis.

Tempus. Lib. 4. c. 33. Folia Rubi vere, flores æſtatis initio colliguntur: fructus cum maturuit, per meſſes, & extrema æſtate decerpitur. Rubus auctore Dioſcoride vim habet ſiccandi & adſtringendi: capillum tingit. Ramorum decoctum potu aluum ſiſtit, & fœminarum profluuia, preſteris morſui accommodatiſsimum. Gingiuas firmant, & oris vitiis medentur folia commanducata: cohibent vlcera quæ ſerpũt vlceribus in capite manantibus, oculíſque procidentibus remedio ſunt: condylomatis & hæmorrhoidibus folia illinuntur: cardiacis & ſtomachi doloribus trita conuenientiſsimè imponuntur. Caules cum foliis tunduntur, exprimitúrque ſuccus, mox ſole cogitur, ſingulari remedio contra omnia quæ modò dicta ſunt. Mori in Rubo naſcentis quàm optimè maturi ſuccus ad oris medicamenta conuenit. Siſtitur aluus præmaturi cibo, nec non flore in vino poto. Sed quod Ruellius interpres habet, ſingulari remedio contra omnia quæ modò dicta ſunt, Græcè legitur, βέλτιον ποιεῖ ἐις πάντα τὰ εἰρημένα, eſt remedium ad omnia dicta

Lacuna in Dioſcor.

præſtantius: itẽ ſiſtitur aluus præmaturi cibo, Græcè eſt, ἴσχει ὁ κοιλίαν ἐσθιόμενος ὁ μέσως πέπειρος: quod eſt, Rubi fructus in medio conſiſtens maturitatis aluum ſupprimit: vel, vt vertit Cornarius, fructus is, ſi in media edatur maturitate, aluum

Lib. 6. ſim. ſiſtit. Galeno Rubi folia, germina, flos, fructus, & radix qualitate adſtringente pollent, eáque non obſcura. Sed hoc inter ſe differũt, quòd folia mollia & recens nata plurimum in ſe habent ſubſtantiæ aqueæ, parum verò adſtrictionis: eadem ratione & germina. Itaque ſi mandantur, aphthas, & alia oris vlcera ſanant. Quin & alia vulnera glutinare poſſunt. Eſt enim eorum temperies ex terrea frigida eſſentia, & aquea tepida. At fructus, ſi quidem maturus fuerit, nõ parum habet ſucci calidi temperati, qui dulcis eſt. Itaque ob hoc, & ob modicam adſtrictionem eſui non inſuauis eſt. At immaturus frigidam terreámque ſubſtãtiam vincẽtem habet, & proinde acerbus eſt, ac valde exſiccatorius. Sane vterque reconditus, validiùs quàm recens deſiccat. Sed & flos eandem vim quàm fructus immaturus poſsidet. Vtraque ad dyſenterias, & ventris profluuium, roburque

burque exolutum, & ſanguinis ſputum idonea remedia. Porro radix præter adſtrictionem non paucam habet ſubſtantiam in ſeſe tenuem, per quam & lapides renum comminuit. Idem alibi ſcribit Batina magis quàm mora adſtringere, & ſi quis largius iis veſcatur, capitis dolorem ſentire. Proinde fructum hũc abluamus oportet, priuſquam ipſum comedamus, qui tamen ventrem nõ ſubducunt, ſed potius cohibet. At ſi quis immatura ipſa priùs ſiccata repoſuerit, multo etiam magis cohibebunt. Omnia certe medicamenta quæ ex Mororum ſucco parantur, ſi facta ex his quoque fuerint, facultatem habebũt efficaciorem, Quare ex ſucco Mororum Rubi, itidem vt ex ſucco Mororum arboris ſtomaticum medicamentum fit. Nec Rubos, inquit Plinius, ad maleficia tantùm genuit natura, ideóque ex eis Mora vel hominibus cibos dedit. Vim habent ſiccandi, adſtringendique, gingiuis, tonſillis, genitalibus accommodatiſsimi. Aduerſantur ſerpentium ſceleratiſsimis Hæmorrhoidi, & Preſteri flos, aut Mora. Reliqua idem fuſius perſecutus quæ Dioſcorides tradit, ad Stomaticem deinceps compoſitionem progrediens, ait. Mora quæ in his naſcuntur, vel efficaciorem Stomaticen præbuerint, quam ſatiua Morus. Cum eadem compoſitione, vel cum Hypociſtide tantùm, & melle bibuntur in cholera, & à cardiacis, & contra araneos. Inter medicamenta quæ Styptica vocant, nihil efficacius Rubi mora ferentis radice, decocta cum vino ad tertias partes, vt colluantur eo oris vlcera, & ſedis foueantur: tanta quidem eius vis eſt, vt ſpongiæ ipſæ lapideſcant. Alterum Rubi genus Chamæbatos dicitur, ideſt humilis Rubus, humirubum interpretatur Gaza. Ripis fluuiorum humectis, macriis, incultiſque agris gaudet. Eum intellexiſſe mihi videtur ideo Theophraſtus, cum ſcripſit βάτον ἔνυδρον, aut παύδρον, vt & Paliurum, eſſe. Is longe latéque diffunditur, humi ſerpentibus tenuiſsimis & aculeatis flagellis, nunquam ſeſe attollens, ſed protinus deorſum vergens, minor reptánſque: radice, flore, folio priori ſimilibus, fructu diſsimili: quoniam cùm maturus fuerit, cæſius eſt, non vt ſuperioris niger, minor, minúſque ſucculentus, guſtus dulcedine fere eadem qua Mori arboris fructus. Aliud genus eſt Rubi in quo Roſa naſcitur, inquit Plinius, Dioſcoridis χαμαίβατος, qui in ſepibus cum Rubis aliis gignitur. Latinè Rubus caninus is appellatur, aut Canirubus, Arabicè *Sent*, Italicè *Rouo canino*. Fruticem eum eſſe putant nonnulli quem Galli *Englantier*, & *Eglantier* vocant, id quod notæ à Dioſcoride poſitæ teſtantur. Nam frutex eſt Rubo grandi maior, & firmior, vt qui arboris inſtar aſſurgens rectus ſtet, nec ob imbecilitatem Rubi modo in terram flectatur. Folia fert Myrti, ſed latiora, robuſtas circa ramos ſpinas, qua de cauſa Ruborum potius, quàm Roſarum generibus comprehendimus. Florem ædit ſæpius candidum, interdum ex candido ſubrubentem, odoris iucundiſsimi: fructum oblongum, nucleo oliuæ ſimilem, qui per maturitatem fulueſcit, & floccos intus continet. Fructus is exemptis interioribus floccis (nam hi arteriam lædunt) ſiccatus, & in vino feruefactus, ac potus, aluum ſiſtit: quæ poſtrema Ruellius mendoſos codices ſecutus ſic vertit, fructus exemptis interioribus floccis arefactus, aluum ſiſtit: feruefacti enim ij in vino mox poti arteriam infeſtant. Integer autẽ codex habet. ἴσχυσι ὁ χοιλίαν ὁ χαρπὸς, ξηρὸς διχὰ τῦ ἐν αὐτῷ (ερεώδες χαχωδες γὰρ τῆς ἀρτηρίας τοῦτο.) ἀπαζεννύμενος ἐν ὄινῳ, καὶ πινόμενος. Recte ſic Corn. hęc expreſsit. Fructus ſiccatus, inquit, ſiſtit aluũ abſque interno illo lanuginoſo, hoc enim arteriam lædit, ſi in vino, feruefactus bibatur. Addo Dioſcor. hiſtoriæ, non Cynosbati florem ſolùm, ſed etiam folia, ſi digitis terantur, ſuauiter olere. Serapio hiſtoriæ Dioſcorid. quam tranſcripſit, adiicit radicem fructu calidiorem eſſe: tuſam & in emplaſtro admotam, ſpinas & infixa corpori extrahere: folia quoque trita & impoſita phlegmonas impedire, ac prohibere:

Li. 2. Alim.

Lib. 6. m. p. cap. 1. Li. 24. c. 13.

2. Genus. *Nomina* *Locus.* Lib. 4. Hiſt. ca. 14. *Forma.*

3. Genus. *Locus.* Li. 14. ca. 11. *Nomina* Li. 1. c. 106. *Forma.*

Laeu. in Dioſcori.

Embl. 102. li. 1. Dioſc.

quæ cum in noſtris Dioſcoridis exemplaribus deſiderentur, non ſine ratione ea manca hîc eſſe ſuſpicari licet. In hac Dioſcoridis hiſtoria cum nihil ſit quod non ſententiæ herbariorum de hac planta adſtipuletur, dubitant tamen adhuc de ea re quidam. Dodonæus ſcribit Album ſpinam videri Cynosbaton Theophraſti. Tragus eam pro Cynosbato depinxit, ac deſcripſit. Alij apertè refragantur, imprimis doctiſsimus Matthiolus. Nam ſi Cynosbatos eſſet aliquod ſylueſtrium Roſarum genus, inquit, ſat erat Dioſcoridem dixiſſe Canis rubum Roſæ ſimilem eſſe, non autem arboris inſtar aſſurgere, Rubo longe maiorem. Præterea Roſæ ſylueſtris folia à Myrto plurimùm diſsident. Eius etiam fructus nõ modo Oliuarũ nucleis, ſed oliuis ipſis craſsior eſt. Adhæc Plinius Roſam ſylueſtrem peculiari nomine Cynorrhodon appellat, non Cynosbaton. Præterea Cynorrhodon veteribus nihil aliud fuiſſe quàm ſpongiolam illam quæ mediis Roſarum ſylueſtrium ramis oboritur: idem ſcribit. Cùm verò de Cynosbato tractat, à Roſa ſylueſtri longè diuerſum facit, nempe folium habere veſtigio hominis ſimile, &, quod omiſit Matthiolus, ferre vuam nigram, in cuius acino neruum habet, vnde Neuroſpaſtos dicitur. Iam verò Theophraſtus Cynosbaton tradit Malo Punicæ ſimilem eſſe, & ei fructum ſimilem edere, folium verò Viticí: quibus omnibus reſpondent alterius ſententiæ autores, hoc primum quod Matthiolus vehementer probat, & aduerſus Marcellum contendit, Cynosbaton à Cynorrhodo ſiue Roſa ſylueſtri differre cauliũ robore, proceritate, craſſitudine, aculeorum multitudine, & rigiditate, folio iucundi odoris, inquit Plinius, ſed anguſti, nec latè ſeſe diffundentis, quod in Roſa ſylueſtri prorſus odoris eſt expers, in acutum deſinente, cum Roſæ ſylueſtris folium ſumma parte latiuſculum ſit, & maioribus inciſuris diuiſum, quæ cum tantopere interſe diſſideant, Cynosbaton neque cum Roſa ſylueſtri, neque cum ſatiua à Dioſcoride conferri oportuit. Nullo verò pacto aduerſatur Plinij auctoritas, Roſam ſilueſtrem Cynorrhodon, non Cynosbaton appellantis, qui etiam non ſcribit veteribus Cynorrhodon nihil aliud fuiſſe, quàm ſpongiolam illam quæ mediis ſylueſtrium Roſarum ramis oboritur, vt ait Matthiolus, ſed Cynorrhodi medicinam vnam fuiſſe, ſpongiolæ quæ in mediis ſpinis eius naſcitur, cinere, cum melle, alopecias capitis expleri. Perſpicere verò ex hac hiſtoria licet Cynosbati folium Myrto, præſertim ſylueſtri, ſimillimum eſſe, verùm latius, in ambitu ſerratum, paulo minùs acuminatum. Eiuſdem fructum nucleo oliuæ ἰσικότα, vt ſcribit Dioſcor. ideſt ſimilem, non ἴσον, ideſt magnitudine parem: quanquam nec eius magnitudo ea ſit, vt oliuas ſuperet Hiſpanicas, aut Narbonẽſes. Quod autem in Theophraſt. legitur de Cynosbato, δλένδρου εἶναι καὶ θάμνου μέταξυ καὶ παρόμοιον ταῖς ῥόαις mendoſum eſt, ſcribendum enim παρόμοιον τῇ ῥόδῳ. Sic enim Plinius hæc reddidit: Rubi Mora ferunt, & alio genere ſimilitudinem Roſæ, qui vocatur Cynosbatos. Ex quibus reliqua in eodem Theophr. perfacile eſt emendare, κυνόσβατον τὸν καρπὸν ὑπέρυθρον ἔχειν, καὶ παραπλήσιον τοῦ τῆς ῥόδου. Ideſt Cynosbaton fructum habere ſubrubrum, ſimilem Roſæ, non τῆς ῥόας, vt in exemplaribus noſtris habetur: Et, τὸ δὲ φύλλον, non ἀγνῶδες, ſed ἰχνῶδες, vt legit Plinius, folium hominis veſtigio ſimile interpretatus. Hominis enim veſtigium ſi cõſideres, principio nonnihil latum, medio latius, in anguſtum & acutum ſummo cacumine deſinit, quale à calceatis arenæ lutóve imprimitur, tali præſertim calceo, qualem veteribus in vſu fuiſſe ex antiquis ſtatuis apparet. Ea figura imaginem foliorum Cynosbati repreſentat. At quod ſcribit Plinius Cynosbaton vuam nigram ferre, Cynosbaton ſane, id quod in pleriſque facit, cum Chamæbato cõfundit, impropriéque eius fructum vuam, non Morum appellat, quanquã inter vuæ & Mori figuram parũ interſit. Hoc inde cognoſci poteſt, quòd ex Theoph.

Li. 6. ca. 31.
Lib. 3. Hiſt. cap. 18.
Lib. 4. ca. 18.
In comm. li. 1. Dioſc. cap. 106.
1. Ratio. Matthiol.
2. Ratio.
3ª.
4ª.
Lib. 8. c. 41.
Li. 15. ca. 2.
5ª.
6ª.
Lib. 3. Hiſt. cap. 18.
Refutatio rationum. Matthioli.
Lib. 21. c. 4.
1ª. & 4ª.
Ibidem.
2ª.
3ª.
Ibidem.
6ª.
Lib. 3. Hiſt. cap. 18.
Li. 16. c. 37.
Ibidem.
5ª.
Li. 24. c. 14.
Ibidem.

tria

triaRubi genera eo loco enumerare velle videatur.Cùm enim de Rubo grādiore dixiſſet, ſubdit, Alterum Rubi genus eſt in quo Roſa naſcitur: Chamæbati vero tertij ſcilicet generis nulla mentio, niſi ea quæ modo dixi ad eum referātur, cui ſententiæ ſubſcribit vetuſti exemplaris auctoritas, in quo legitur, fert & vuam nigram Chamæbatos, in cuius Acino,&c. Tam in Cynosbato quam in Cynorrhodo excrementum quoddam gignitur globoſum, hirſutum, tactu aſperum, quod in Cynosbato pilulam Caſtaneæ ſimilem Plinius appellat,prę- Lib.24.c.13. Li. 25.ca. 2. cipuo remedio calculoſis, in Cynorrhodo Spongiolam. Cynosbati meminit Lib.7. fin. Galen. his verbis. Huius fructus haud ſegniter adſtringit, folia verò mediocriter.Itaque particularis eius vſus haud ignotus eſt. Cauendum ab eius fructu qui veluti lanam incluſam habet, arteriæ infeſtam. ac rurſum: fructus Canirubi Li. 2. alim. multo magis quàm Ruborum adſtringit, ob eámque cauſam ventrem magis cohibet. Veſcuntur autem ipſo frequenter ruſtici, exiguum alimentum corpori ſuppeditante.De Cynosbato quidem ſatis diximus:iam de Rubo Idæo ſpinoſo, & non ſpinoſo diſſeramus. Rubus Idæus appellatus eſt,non, vt Plinius exi- 4.Gen.Ru. ſtimauit, quod in Ida non aliàs naſcatur, ſed quod copioſius in Ida proueniat *Nomina* Dioſcoride auctore. Et certe Theophraſtus Idæ peculiares arbores recenſens, Li.24.c.14. Lib.3.Hiſt. inter eas Rubum Idæum non numerat. Eum fruticem herbariorum maior pars cap.17. eſſe cenſet, quem Galli *Framboiſier*, vocant, quaſi fragariam ligneam aut ſiluoſam.Germani *Hymbeerem*, vt propemodum id ſit extra controuerſiam. Eſt enim, vt ſcribit *Forma.* Dioſcor. longe tenerior priore,ac minoribus Lib.4.c.34. ſpinis horrens: quanquam & ſine ſpinis inueniatur, præſertim in nouellis ſurculis,quique annum nondum exceſſerūt.Inſuper eadē præſtat quæ ſupradictus. Eadem Plinius ha- Li.16.ca.37. bet. Tertium genus Idæum vocant à loco:tenerius eſt quàm cætera (ſic enim Hermolaus ex Dioſcoride repoſuit, pro tenuius eſt) minoribúſque ſpinis, & minùs aduncis. Radice eſt longa, per terram ſparſa, quot annis ſurculos producente, qui ſecundo anno flores fructúſque proferunt. Ii, Rubi Moris ſimiles ſunt, ſed rubri, ſimilitérque Rubi Idæi Mora nominantur, Galli *Framboiſes*, Allobroges, *Ampes*, Itali *Ampomele* vocant. Rubus Idæus *Tempus.* Maio & Iunio menſibus floret. Fructus Iulio matureſcit. Flos eius, inquit Dioſcorid. cum *Vires.* Ibidem. melle oculorum collectionibus illinitur,ignē ſacrum extinguit, ſtomachicíſque ex aqua bibendus datur. Plinio flos contra lippitudines Li.16.ca.37. Li.24.c.14. illinitur ex aqua, quæ alio in loco idem repetit. Idæus Rubus appellatus eſt, quoniam in Ida, non aliàs naſcitur. Eſt autem tenerior ac minor, rarioribus hamis (non calamis, vt in vulgatis codicibus ſcriptum eſt) innocentioribúſque,ſubarborū vmbra naſcens. Huius flos cum melle epiphoris illinitur,& ignibus ſacris, ſtomachicíſque (non ſtomaticis) ex aqua bibendus datur. Cætera eadem præſtat quæ ſupradicta. Rubus Idæus non ſpinoſus, non æque omnibus notus eſt. Gi- 5. Gen. *Locus.* gnitur frequens in Allobrogum monte Gratianopoli vicino, quem vocant *la* *Forma.* *Motte*, caulibus multis ſeſquipedalibus, vt Idæus Chamæbatos iure nominari

RVBVS IDAEVS
ſpinoſus.

minùs rubentem: mox Alabandicam, viliorem, albicantibus foliis. Viliſsimam verò (vel vt alij legunt vtiliſsimam) plurimis, ſed minutiſsimis, Spineolam. Eſt & genus eius quam centifoliam vocant. Eſt & quæ Græca appellatur à noſtris, à Græcis Lychnis, non niſi in humidis locis proueniens, nec vnquam excedẽs quinque folia, Violæ magnitudine, odore nullo. Eſt & alia Græcula appellata, conuolutis foliorum paniculis, nec dehiſcens niſi manu coacta, ſempérque naſcenti ſimilis, latiſsimis foliis. Alia funditur è caule maluaceo, folia oleæ habente, Moſcheuton vocant: atque inter has media magnitudine Autumnalis, quam Coroneolam vocant. Omnes ſine odore præter Coroneolam & in Rubo natam. Roſas Campanas, Roſas noſtras albas eſſe exiſtimo, quæ nobis omniũ viliſsimæ ſunt, demptis Damaſcenis, quædam foliis denſiſsimis, vt antiquis Alabandicæ, Spineolæ fuiſſe arbitror, quæ à ſpinis dictæ, & Centifoliæ: Roſas vero Preneſtinas, rubras & in iis Mileſias, quas Galli *Roſes de Prouins* appellant: trachinias, minùs rubentes quas *Roſes incarnates*. Græca rubra etiam eſt, vt ego equidem ſentio, quamuis Plinius colorem non expreſſerit, eáque, multorum ſententia, quæ Damaſcena rubra nominatur, *Roſe de Damas rouge*. Græcula multorum etiam iudicio, Roſæ Damaſcenæ genus eſt, flore ex albo ad puniceum nonnihil vergente, *Roſe de Damas incarnate*. Moſcheutos quæ ſit ambigitur. Sunt qui inter Damaſcenas, numerant, alij inter Roſas ſylueſtres paſsim naſcẽtes in dumis. Damaſcenarum cortex maluacei corticis modo lætius quidem viret quàm cæterarum, ſed quæ foliis ſit Oleæ nullam adhuc comperi quanquam in quibuſdã exemplaribus folia læuia leguntur, non Oleę. Cęterũ Moſcheuton Roſam dictã putat Dalechampius, nõ quòd Moſchũ oleat antiquis incognitũ, ſed quod μόχοις, ideſt ſtolonibus multis fruticet, vel quod μόχοις, ideſt malleolis feliciter pangatur Vitis modo, nõ ſolùm viui radice. Roſam Coroneolã à coronis nominatã, ſiue ſeram, ſiue autũnalẽ, Damaſcenam eſſe ferè omnes autumant, tum quòd autũno proueniat, tũ ꝙ odore ſuaui prædita ſit. Galli *Roſe Muſquee*, & *Muſcadelle* vocãt, Itali *Roſa Moſchetta*. Anglis, Germanis & Belgis *Roſanbaũ*. Ea duplex eſt: vna enim quinq; tantũ foliis: Altera denſa foliorum congerie conſtat, quod olitorũ arte & mangonio factũ putant. Vtraq; eximia odoris ſuauitate delectat. His addenda Roſa lutea, veteribus indicta. Cynorrhodon vniuerſẽ quidem Roſam omnẽ ſylueſtrem Plinius appellat, vt ſupra annotauimus. Huius genera duo obſeruarunt herbarij, ſylueſtrẽ Roſam vulgarem, quæ paſsim in dumetis reperitur, & Cynorrhodon Polyacãthon, forma Roſæ ſatiuæ. Roſa radice eſt ramoſa, & lignoſa, virgas emittit longas, lignoſas, multis in locis aculeis curuis plenas: folia longiuſcula, inciſuris diuiſa, nigricantia, aſpera. Inter hæc ex longo ſatis pediculo emergit qui calix dicitur, ipſum ambientibus quinq; foliolis viridibus, duobus vtraq; parte barbatulis, duobus minimè, quinto vna duntaxat parte. Hæc foliola cortices Roſarũ nominãtur. Paulatim Roſa dehiſcit, ac ſeſe pandit, emicantq; aut rubeſcentia, aut candicantia folia, tũ aſpectu pulchra, tum odoris ſuauiſsimi, quorum imæ partes candidæ, quibus capiti

ROSA Damaſcena.

Nomina

Lib.21.c.18. Lib.1.c.112. hęrent, quæq; cum ex Rosis conficitur conditum aut syrupus, forfice desecãtur, vngues Rosarũ à Plinio nominantur, à Dioscor. ὄνυχες τῶν ῥοδῶν. Iis detractis Rosæ ὠνυχυσμέναι & ἐξωνυχυσμέναι dicuntur, hoc est exunges, & resectis vnguibus. A Galeno etiã vngues sæpè λοβοὶ, idest extremitates dicuntur. Nam & ῥοδῶν χλωρῶν χωρὶς τῶν λοβῶν apud eum legitur, & ῥοδῶν φύλλων χωρὶς τῶν λοβῶν. Sunt enim Græcis λοβοὶ rerum omnium summitates. Qui in medio calicis stant lutei apices, cũ capillamentis etiam luteis quibus insident, flores sunt Rosarum, Græcis ἄνθη τῶν ῥοδῶν. Hos flores qui Antheram appellant, vehementer errãt. Anthera enim Galeno, Celso, Paulo, Aetio cõpositionis nomẽ est, quæ apud diuersos auctores varia est. Sunt enim Antheræ stomaticæ, & aliæ aliis partibus cõueniẽtes: sunt & siccæ, quæ pulueris specie inspergi possunt: sunt & melle exceptæ, & non à floribus rosarũ, quos multæ nõ recipiũt, sed à floridis medicamẽtorũ coloribus quæ in eas cõpositiones addũtur, nominatæ. Virides illi alabastri qui flores sustinẽt, & in quibus semen cõtinetur, κεφαλαὶ τῶν ῥοδῶν, Latinè capita Rosarũ dicũtur quę foliis floribusq; breui dilapsis instãte Autũno maturescẽtia rubescunt, semẽque includunt durũ, lana obuolutũ. Rosa Græca à Græcis Lychnis dicta, quòd flore lychnidẽ æmuletur, nascitur spõte in sepibus, valde humilis, spinis carẽs, quòd huic tantũ generi Rosarũ propriũ est, flore lãguidius rubro, vere & autũno prodeũte: quod etiã huić Rosæ cũ Coroneola, & Gręcula cõmune est. Quę in hortis nostris colitur, & in quibusdã mõtib⁹ luxuriat, odoris est expers: at, humi iacẽtẽ & valde humilẽ, foliis tã exiguis, vt vix Rosa esse videretur, flore suauissimi odoris in Cemeneorũ mõtiũ iugo altissimo Lugduni propinquo, quod mõtẽ Pilati vocãt Dalechãpius collegit. Contra in Chartusianorũ cœnobio primario, Gratianopoli vicino prorsus inodora est, vt verisimũ esse cõperiatur quod scripsit Theophr. de his ipsis Rosis tractãs, odoris pręstantiã loci ratione contingere, & quæ eadẽ in diuersa tellure proueniũt à sese differre, quod iucũdũ vel nullũ odorẽ spirẽt. Eũ locũ Gaza (vt id obiter dicã) nõ rectè est interpretatus. Hanc si quis Rosam Græcã esse Plinij negauerit, certè cũ sit syluestris Rosę genus, Cynorrhodon læue esse mihi iure cõcesserit. Græcula Rosa flore est suauiter olente, quẽ sub æstatis initiũ paulo serius quã Damascena cãdida promit, & florere per ęstatem ferè totã perseuerat, foliis Damascenæ albæ latiorib⁹, sese nõ explicãtibus, nisi quis manu diducat, sed veluti cõglobatis, & cõuolutis, vt scribit Plini⁹. Cinnamomũ olere hãc Rosam vulgus ait. Rosa lutea siue aurea φ luteo aureóue colore fulgeat nominata est. A cæteris Rosarũ generib⁹ foliis, flore, odore discrepat. Nã parua eius folia sunt rotũda, obscurę viriditatis, valdè insecta, inciſurarũ crenis propemodũ rigẽtibus: caulibus valde spinosis, flore aureo siue luteo, cætera aliis simili, sed simplici, & quinque tãtũ foliis cõstãte, non autem numerosis hortẽsiũ Rosarũ modo: odore graui, atque ingrato, accusanda natura, quæ flori egregio suauẽ odorẽ, idest Roseũ ac suũ inuiderit, quo si nõ careret, haud prostremũ locũ inter flores excellẽtes obtineret. Nascitur in Italia, at nõ ita pridẽ in hortis colere nos cœpimus. Rosa syluestris quã Cynorrhodõ à Plin. appellari diximus, foliis est asperis, aculeatis: rami surculíque, vt in satiua

Forma Græca.

Locus.

ROSA Lutea.

Lib.6 Hist. cap.6.

Forma Græcula.

Ibidem.

Forma Lutea.

Locus. Forma Rosæ silu.

CYNORRHODON Polyacanton.

ROSA SYLVESTRIS Pomifera.

ſpinis horrẽt, ſed graciliores ſunt, foliáque multò minora: Roſę ipſæ ſimplices, albæ, aut in albo purpureæ, inodorę quibus tandẽ ſuccedũt capita rotũda, vt in ſatiua, rubra cùm matura ſunt, in quibus ſemen lana opertum. In mediis ramis naſci pilam quandam, hirſutam, à Plin. ſpongiolam nominatam iam diximus. Hanc Seplaſiarij quidam Bedegar appellant, nõ ſine errore, cũ Bedegar Cardui genus ſit. Syluęſtris Roſæ multæ ſunt varietates, exq; notatu dignæ. Sunt Cinnamomeæ, foliolis omnium florum minimę. In Francia, Belgia, Anglia ruriſponte oriuntur, ipſo odore notiſsimæ. Luteæ ſyluęſtres ſunt in Africa: ſunt & Cæruleæ in hortis Italicis. Eſt & altera ſpecies foliis Myrtinis, ſed latioribus, flore & elegantia Roſæ Moſchatæ, vulgo *Eglantier*, de qua prius egimus, cum de Cynosbato diſſereremus. Inter ſyluęſtres etiam non poſtremæ venuſtatis, inquit Pena, alia Angliæ familiaris, & Eſglantinæ cognatior fruticat pumila, bicubito non altior, inodora, folio minore, Aroniæ non diſpari pomo donata, minore multo, colore viuidiore, rubello ſubpuniceo, per Auguſtũ maturo: flos Roſæ ſyluęſtris eſt. Hæc Pena. In noſtris Roſis luteis, delapſo flore, talia poma ſuccedunt, adeo Sorbis ſimilia, colore, figura, & interdum magnitudine, vt imperitus ac inexercitatus ea vix à Sorbis diſcernat. Alterum Cynorrhodi genus, à ſpinarum denſiſsima multitudine, quibus caulis, ſurculi, ramuli, folia rigent Polyacanthon nominauit Dalechampius. Id pedis altitudinem nunquam excedit. Flore eſt rubro, exiguo. Reperitur in Gramuntio nemore prope Monſpelium. Vera Roſa, inquit Plinius, plurimùm ſolo præualet. Cyrenis odoratiſsima eſt, ideóque ibi vnguentum pulcherrimum. Carthagine, Hiſpaniæ hyeme tota præcox. Refert & cæli temperies. Quibuſdam enim annis minùs odorata prouenit. Præterea locis omnis ſiccis, quàm humidis odoratior. Serineæ pinguibus vult, nec argilloſis locis, nec riguis, contenta raris, (vel ruribus, vt emendauit Hermolaus) proprieq; eruderatum agrum amat. Præcox Campana, ſera Mileſia. Nouiſsimè tamen deſinit Preneſtina. Fodiuntur altiùs quàm fruges, leuius quã vites. Tardiſsimè proueniunt ſemine, quod in cortice eſt, ſub ipſo flore, opertũ

Forma Poliac. Locus. Lib. 21. c. 4.

Tempus.

lanugine:ob id potius caule conciſo inſeruntur. Ex ocellis radicis, vt arundo, vnum genus ſeritur pallidæ, Spineolæ, longiſsimis virgis, quinquefoliæ, quæ à Græcis altera eſt. Omnis autem reciſione atque vſtione proficit. Translatione quoque, vt Vitis, optimè ociſsiméque prouenit, ſurculis quaternum digitorum longitudinè, aut ampliore, poſt Virgiliarum occaſum ſata, dein per Fauonium translata, pedalibus interuallis, crebroq; circumfoſſa. Qui præcocem faciunt pedali circa radicem ſcrobe aquam calidam infundunt germinare incipiente calyce. Hæc Plinius: ex quibus locum Theophr. vnde iſta magna ex parte tranſlata ſunt, illuſtrare atque emendare licet: Lib. 6. Hiſt. cap. 6. Εὐοσμότατα δὲ, inquit, τὰ ἐν κυρήνῃ. διὸ καὶ τὸ μῦρον ἥδιστον. ἁπλῶς δὲ καὶ τῶν ἴων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνθῶν ἄκρατοι. μάλιστα δ' ἐκεῖνα αἱ ὀσμαὶ, διαφέρουσιν δὲ καὶ τὸ χρόνῳ. πλεῖστον δ' ὅτος ἔοικεν παραλλάττειν. Gaza. Odoratiſsimæq; apud Cyrenam gignuntur, & proinde vnguentum iucundiſsimum illic faciũt. In plenum verò, & Violarum, & reliquorum florum odores ibidem ſinceri præcipuè ſentiuntur. Lege ἁπλῶς δὲ καὶ τῶν ἴων, καὶ τῶν ἄλλων ἀνθῶν ἔκκειται μάλιστα ὀκεῖ μὴν ἔσιν αἱ ὀσμαὶ, &c. Id eſt, prorſus autem & violarum, & reliquorum florum eximius odor illic eſt, ſi tempus commodum fuerit: id enim plurimum immutat. Plinius. Refert & anni temperies: quibuſdam enim annis minùs odorata prouenit. Et mox. φύεται μὴν οὖν ἡ ῥοδωνία καὶ ἐκ τοῦ σπέρματος. ἔχει δὲ ὑπὸ τὸ ἄνθος ἐν τῷ μήλῳ κνηκῶδες, ἢ ἀκανωδες, ἔχον δὲ τινὰ χνοῦν, ὥστε ἐγγὺς εἶναι τῶν πρώτων σπερμάτων. Gaza, Naſcitur Roſa etiam ex ſemine, quod flori ſubditum ſuo in malo contẽtum, Cneceum, vel Acanaceum lanugine quadam obductum gerit, vt primis ſeminibus proximum ſit. Emenda. κνικωδῶς, ἢ ἀκανωδῶς ἔχον γε τινὰ χνοῦν, ὥστε ἐγγὺς εἶναι τῶν πάντων σπερμάτων. Id eſt, naſcitur Roſa etiam ex ſemine, quod ſub flore malo incluſum habet, lanugine Cnici modo, aut echini carduorum, obductum, omnia ſemina proximè ambiente. Quondam prope Allobrogum Cularonam, ſiue Gratianopolin, è medio floris Roſæ rubræ, cùm iam folia decidiſſent, enatus caulículus, gracilis, tres digitos altus, ſecundum florem extulit, priori ſimilem, cum calyce ſubiecto, ac florem ſuſtinente. Plinius, Tardiſsimè proueniunt ſemine, quod in ipſo cortice eſt, ſub ipſo flore, opertũ lanugine. Quod igitur Theophr. τὸ μῆλον Roſæ, Plinius corticem appellat, vt & paulo ſupra. Germinat omnis primo incluſa granoſo cortice, τὴν κεφαλὴν, id eſt caput appellari diximus: ὑμὴν ἀλλὰ διὰ βραδέως παραλύεται, καταπλουτίζει τὸν καυλὸν φυτεύσει· ἐπικαρμῴη δὲ, καὶ ἐπιλεμνομῴη βόλτων φέρει τὸ ἄνθος, ἐωμῴη δὲ ἐξάνξει, ἢ ἀπολωμῶται. δεῖ δ' καταφυλεύειν πολλάκις. καὶ δ' ὅτα φασὶ καλλιον γίνεσθαι τὸ ῥόδον. Plinius. Ob id (quod tardiſsimè ſemine prouenit) potius caule conciſo inſeruntur. Omnis autem reciſione atque vſtione proficit: relicta enim (quod omiſit Plinius) excreſcit, & in fruticoſum dumum degenerat. Translatione quoque, vt ait Plinius, ſicut Vitis, optimè ocyſsimeq; prouenit Roſæ ſatiuæ & ſylueſtres Maio & Iunio menſibus florent. Roſæ Damaſcenæ ſeu Moſchatæ etiam Maio, ſed iterum Septembri menſe, ſiue Autumno, quod nemini mirum videri debet, cum ſint etiam Peſtanæ Roſæ bifferæ Virgilio. Roſa refrigerat & adſtringit, inquit Dioſcor. Sed ſicca magis adſtringit. Idem Plinius quoque dixit. Quia verò locus corruptus eſt, & quæ ad Iuncũ odoratum præcedentem pertinent, cum Roſa confuſa ſunt, ex vetuſto exemplari ſic reſtituit Cornarius. Ad muliebres vſus decoquitur. Opiſthotonicis cum Reſina arida imponitur, excalfactoria. Et hactenus quidẽ de Iunco, deinceps autem ſequitur de Roſa. Roſa aſtringit, refrigerat, &c. Noſter verò codex manuſcriptus habet: imponitur, excalfactoria. Roſa adſtringit, refrigerat, &c. Galen. Roſam ex aquea ſubſtantia & calida, duabus aliis qualitatibus aſtringente videlicet & amara admixtis compoſitam eſſe tradidit: eiúſque florem magis quàm Roſam ipſam aſtringere, ac proinde etiam exſiccare. Alio in loco oleum

Tempus.

Li. 4. Geor. *Temper. & Vires* Lib. 1. c. 112. Lib. 21. c. 18. Embl. 109. lib. 1. Dioſ. Li. 8. ſimpl. Lib. 3. ſimp. cap. 10.

Raſo

Rosaceum idem scribit in primo esse ordine refrigerantium: ac Rosarum succum esse frigidiore quidem temperie, sed non ita multò, verùm caloris tepidi, & tenuis essentiæ. Auctores hi diuersa ratione ducti rectè scripserunt, illi quidé Rosam frigidam esse, hi calidam. Nam Rosa in caliditatis frigiditatisq; medio quodammodo sita est, quum sensu qualitas alterutra in ea non percipiatur. Etenim quæ caliditate sua aut frigiditate sensum mouent, ea secũdo calidi frigidíque ordine collocantur, sicut quæ ratione deprehenduntur, primo. Rosa igitur, vt rectè tradit Mesues, frigida est primo gradu, sicca secundo, ex substantiis diuersis etiam separabilibus composita, aquea quidé mediocri, & terrea adstringente, aërea verò, dulci & aromatica, ignea denique tenui, à qua est amaritudo, rubor, perfectio, & forma. Igneæ tamen substantiæ vis, quę ruborẽm & speciem impressit, valentior fuit, quam quæ amaritudinem. Quamobrẽ hæc sola siccatione exolescit, illis adhuc permanentibus. Ob eam scilicet amaritudinem Rosæ recentes succo præsertim, purgant bilem & aquas, quam vim veteres Græci videntur ignorasse: siccatæ verò resoluta caliditate amaritudinem excitante, substantiam adstringentem & stipantem ostendunt. Quare frigidiores sunt, & magis adstringunt, ac ex magis quæ non fuerint perfectæ: & albæ magis, quam rubræ. Succus calidus est, prope ad primũ gradũ, nimirùm à substantia terrestri & frigida secretus. Is recẽtibus foliis exprimitur, inquit Dioscor. desectis forfice vnguibus, reliquum in pila teri debet, & in vmbra exprimi, donec cogatur, & ita ad oculorum circũlitiones recondi. Siccantur etiamnum folia Rosarum continuo versata, ne muceant, néve situs insideat. Aridis Rosis in vino decoctis expressus liquor facit ad dolores capitis, aurium, oculorum, gingiuarum, sedis, recti intestini, ac vuluæ, penna illitus, aut infusus. Eædem sine expressione tusæ præcordiorum inflammationibus, humidis stomachi vitiis, igni sacro illini prosunt: siccæ, ac tritę fœminibus inspergũtur. Misceri solent ocularijs antidotis, atque compositionibus, quas Antheras vocant. Folia vruntur in Calliblephara. Flos qui in mediis Rosis inuenitur, siccatus, gingiuarum fluxionibus efficaciter inspergitur. Capita potu citam aluum, & cruentas reiectiones sistunt. Folia Rosarum, cor, vẽtriculum, iecur, & eorum retentricem facultatem roborant: dolores à caliditate ortos mitigant: inflãmationes tollunt. Vngues lotionibus & clysteribus ad inhibendas fluxiones vtiliter admiscẽtur. Flos, tradente Plinio, somnum facit. Inhibet fluxiones mulierum, maximè albas, in posca potus, & sanguinis excreationes. Calyx capútque alui fluores, & cruentas excreationes sistunt. Fructui maturo rubróque, & semini ac lanugini conclusis non obscura adstringendi vis inest. Quamobrem contra alui fluores, contra fœminarum abundantiam qualemcũque, maximè contra Gonorrhœã, remedio sunt. Succus ex Rosis puniceis efficacior est, ex rubescentibus infirmior: succus adultarum melior: itémque dilutum quod ex rubescentium foliis aqua maceratis paratur, quanquam quę Damascenę, seu Moscatę vocãtur, longè pręstent. Earum enim vicenis foliis deuoratis facilè & innoxiè aluus subducitur. Rosarum succus purgat, resoluit, aperit, terget. Quare bile flaua sanguinẽ expurgat venarum & arteriarum. Confert ictero: quia obstructiones ventriculi, iocinoríque aperit, & purgat. Cor, ventriculum, hepar roborat. Cordis tremorem sanat, vacuata eius causa: febribus bilioſis confert. Dilutũ ex quo pharmacopæi syrupum Rosatum quem vocant solutiuum, cõficiunt, ex eorum medicamentorum genere est, quæ quoniam clementer, & absque vlla noxa aluum subducunt, recentiores Benedicta vocant. Bilem & aquas purgat çstate salubriter, ab vnciis duabus ad vnc. quatuor. Albæ Rosæ nihil aut minimùm purgant: potentiùs astringunt, & roborant quàm rubræ: quod cum de Rosis albis vulga-

Lib. 1. met. purg.

Lib. 1. c. 112.

Matth. li. 1. Dioscor. c. 112

Lib. 21. c. 19.

ribus

Lib.2.m. purg.

ribus quibus paſsim abundant fruteta, Meſues intellexerit, iniuſtè à Manardo reprehenſus eſſe videtur, quoniam albæ Roſæ quas Damaſcenas appellamus, inquit, maiore deiiciendi vi quàm cæteræ præditæ ſunt, Damaſcenæ Meſuæ, vt opinor, incognitæ fuerunt, atque etiam veteribus Græcis, & Latinis, tum quòd non ita pridem in Italia, & Gallia coli cœperint, tum quòd nullus veterũ, quod ſciam, de his aliquid memorię prodiderit, niſi eæ ſint quas Coroneolas à Plinio appellari diximus, Oleum roſatum, & aqua ex Roſis educta, cor, ventriculum, hepar, facultatémque retentricem eorum roborant, cogendo ipſorũ ſubſtantiam laxam, inflammationem omnem extingunt, & ortum ab ea dolorem ſedant, ſomnum conciliant: coryzam tamen & ſternutationem excitant, ſed longè vehementius recentis floris odor, iis quibus facile caput repletur, catarrhis obſunt. Vuam ſtringunt, & guttur, illasq; partes roborant: crapulã arcent, & diſcutiunt. Aqua in qua maceratæ ſunt Roſæ, mundat, terget, purgat: at quæ vi caloris extillauit multum roborat, ſed non purgat: quia ſubtilis eius caliditas igne eſt diſſoluta. Acetum Roſatum inflammationes omnes ſedat, incidit, purgat, roborat. Sylueſtres Roſæ maiore adſtringendi vi præditæ ſunt, quàm ſatiuę, ſed multo minùs odoratæ, & purgandi facultate deſtitutæ. Syluestris Roſa, vt

Li.21.ca.19.

auctor eſt Plinius, cũ adipe vrſino alopecias mirificè emendat. Scribit præterea Spõgiolæ quæ in mediis Cynorrhodi ſpinis naſcitur, cinere cum melle alopecias capitis expleri: tum etiam, ad canis rabidi morſum vnicum remedium oraculo quodam nuper repertum, radicem ſyluestris Roſæ quæ Cynorrhodos appellatur. Spongiolę ac fructus Cynorrhodi plurimùm valent contra calculum, & vrinę difficultates, ſi lęuigatæ in puluerem exhibeantur.

Lib.8.c.41. & c.8.li.25. Fuch.c.254 Dodo.li.6. c.1.

PRVNVS SYLVESTRIS. CAP. III.

Nomina

PRVNVS ſyluestris Græcis κοκκυμηλέα ἀγρία, ſiue ἀγριοκοκκυμηλέα dicitur, Gallis *Prunelier*, & *Prunier ſauuage*, & *Peloßier*, Germanis *Schlehen*. Etymon nominis eſt, quod magnitudine & rotunditate Cocci, mala ferat. Virgilius maſculino genere Spinum hoc hemiſtichio, & Spinos iam Pruna ferentes, appellat auctore Seruio, quem conſtantiſsimè alij ſequuntur, vt refragari non liceat. Naſcitur vbiuis in ſępibus, cum Rubis & Dumis aliis, quorũ & ipſa genus eſt. Frutex eſt, & vix in arborem magnã adoleſcit, radice lenta, lignoſa, longe, latéque ſerpente, ex qua multos producit ramos, pungentibus aculeis horrentes: folia ſatiuę Pruno ſimilia, ſed multo minora: fructus rotundus, Prunis ſatiuis minor, guſtus acerbi, & plurimum adſtringentis, quem ἀγριοκοκκυμηλον appellari ſcripſit Galen. & in Aſia προυμνον, Latini Prunum ſyluestre vocant, Prunellum, & Prunulum, Galli *Prunelle*. Theophraſtus cap. 7. lib. 3. Hiſtoriæ, ἀποδιάδα, vel, vt apud Athenęum legitur lib. 2. ἀπονδιάδα, vocat. Pruna ſyluestria refrigerant, ſiccant, & adſtringunt. Ipſorum ſuccus aluum ſiſtit, aduerſus ventris & ſanguinis profluuium, fœminarúmque fluores plurimũ valet. Ex iis coctis ſuccum expreſſum, inſolutũ, ac teſſellatim diuiſum, vſurpamus Acaciæ

Li.4. Geor.

PRVNVS ſyluestris.

Locus.

Forma.

Li.2. Alim.

Temperam. & Vires.

verę

veræ loco, minimo errore, inquit Siluius, quia refrigerat, ſiccat, aſtringit, vt veterum Acacia. Syluestrium quidem Prunorum baccæ, inquit Plinius, vel è radice cortes in vino auſtero ſi decoquantur, ita vt triens ex hemina ſuperſit, aluũ & tormina ſiſtunt. Satis eſt ſingulos cyathos decocti ſumi. In ſyluestri ſatiuáque Pruno reperitur limus arborum quem Græci lichena appellant, rhagadiis & condylomatis mirè vtilis.

Lib. 1. m. ſimp. Lib. 23. c. 7.

GROSSVLARIAE CAP. IIII.

AN veteribus Græcis ac Latinis frutices tres quos hîc exhibemus cogniti fuerint, multi dubitant. Quia complures incognitos fuiſſe affirmant, eorum vulgaria, & quibus omnes herbarij hodie vtuntur, nomina vſurpabimus. Eorum primus Vua criſpa nominatur ab intortis, feréque in circulum verſis (ac veluti criſpis,) foliis, & acinis quos producit. Nõnullis Vua marina, à pluribus Vua Creſpina, vulgo noſtrati quòd groſſorum exiguorum quandam referat imaginem, Groſſularia nuncupatur: *Groſelier*, Germanis *Kruſelbeer*: quibuſdam Vitis Precia Plinij, ſed perperam, quia Vitis Precia vinifera eſt. Poſt Rhamnos Theophr. Iſos vel, vt alij legunt, Oeſos memorat, quorum alius eſt flore fructúque candidus, alius flore fructuq; niger. Iſon, vel Oeſon candidũ nonnulli Groſſulariam noſtram eſſe arbitrantur, de quorum iudicio poſt hac amplius diſſeremus. Geſnero Vua Criſpa Ceanothus ſpina Theophraſti videtur eſſe. Ceanothon Anguillara Carduum eſſe credit, ſatis vulgarem, quem Patauini ruſtici Aſtoni vocant: ſed de hoc aliâs. Vua Criſpa frutex eſt radice gracili, dura, lignoſa, fibrata: ramulis multis, candicantibus, aculeatus, rectóq; ſpinarum mucrone horridus: foliis ex viridi pallentibus, Apij modo diſſectis: flore ex herbido purpuraſcẽte: aciniscãdicantibus, primũacerbis, à maturitate ſplẽdeſcentibus, flaueſcẽtibus, nõnunquã ſubrubeſcẽtibus ſub dulcibus. Is fructus Groſſula à noſtris vocatur, *Groſelle*. In Galliæ paſſim fruteris & ſepibus naſcitur. Seritur etiã in hortis. Veris ſtatim initio frutex iſte pubet, Primũ folia, dein flores, ac nõ ita multo poſt acinos ſeu baccas proferens. Fructus immaturus, tunc enim magis in vſum venit acerbæ vuæ loco, frigidus ſiccuſq; ordine ſecundo, adſtringit, eiuſdem ferè cum vua acerba facultatis. Quare grata placet acerbitate, magnamq; à palato init gratiam, & iuribus innatat. Appetentiam excitat: feruentem bile ventriculum refrigerat, incoctus iuſculis febrientibus vtiliter exhibetur: maturitate dulceſcit in cibum, qui tamen lautioribus menſis repudiatur, grauidis mulieribus, tam maturus, quam immaturus valde expetitus: Immaturus alui fluorem, & ſanguinis profluuium cohibet, maximè ſuccus ab eo expreſſus, ſiccatuſq;. Idem fructus inflammationibus, & eryſipelatis vtiliter admouetur. Ad idem valent folia, ſed minus efficacia. Recentia & cruda ſi edantur, vrinã cient, & calculoſis proſunt. Alter frutex Groſſularia rubra, & Vua tranſmarina à vulgo vocatur, à noſtris *Groſelier rouge*, & *Groſelier*

Nomina Fuch. c. 68.

Lib. 3. Hiſt. cap. 17.

In hort. Germ. Lib. 4. Hiſt. cap. 11.

Forma.

Locus.

Tempus.

Temper. & Vires.

Nomina

GROSSVLARIA Alba.

GROSSVLARIÀ Rubra.

In Hort. Germ. *Forma.*

Groſellier d'outre mer: Officinis Ribes nominatur, Geſnero Ceanothus læuis. Germ. *S. Iohanſz treublin, oder beerlin.* Ramis eſt lignoſis, lẽtis, cortice furuo opertis: foliis latis, nigricãtibus, vitigineis, vel Populo albæ ſimilibus, ſed minoribus inter quæ flores emergunt racematim congeſti: dein baccæ primùm virides, cũ maturuerunt rubræ ex pediculis longis tenuibuſq; pendulæ, ſapore ſubacido, admixta quadam dulcedine, magnitudine Piperis. Noſtri *Groſelles rouges*, & *Groſelles d'outre mer*, appellant. Frutex hic nullis ſpinis horridus eſt, ſed topiarius magis, in Sequanorum & Allobrogũ montibus naſcitur ſponte, à nobis verò in hortis cultus eleganter ſepit illorum puluinos thoros & areas. Iulio menſe fructus maturi, adſtringunt, frigidi ſicciq; ordine ſecundo. Qui hunc fruticem Arabum Ribes eſſe credunt, valde allucinantur. Nam vt Serapio ſcripſit, Ribes arbor eſt, capreolos proferens, è viridi rubeſcentes, folia lata, magna, rotunda, quæ ſanè notæ huic noſtræ plantæ minimè conueniunt, vt ex pictura perſpicere licet, tametſi fructus Ribis fructui qualitatibus ſimilis ſit, acidus ſcilicet, ſimul & dulcis, qualem eſſe Ribis fructum Serapio tradidit: quare eadẽ quæ Ribis fructus præſtare poteſt. Febribus igitur acutis opitulatur, æſtuantem ventriculum refrigerat, ſitim reſtinguit, nauſeam ac vomitum ſiſtit, cibi appetentiam inuitat, cœliacos, & lientericos biliоſis defluxionibus vexatos iuuat, ſanguinis feruorem mulcet, bilis acrimoniam retundit, eiuſq; impetum domat. Laudãdi igitur Pharmacopœi, qui ex huiuſmodi fructu vinum exprimunt, & in hos vſus recondunt.

Locus & Temper. Ribes officin. Matth. li. 1. Dioſc. c. 105.

Vires.

Li. de Coniſ.

Bellonius Ribem Serapionis ſeſe inueniſſe ſcripſit in ſummo cacumine montis Libani, foliis Oxylapathi, grandioribus, retuſioribus, è quorum medio racematim exeunt baccæ rubentes, vt in Hypogloſſo, Ruſco, Lauro Alexandrina. Eius porro iudicio Matthiolus non ſubſcribit. Neque enim Serapionis Ribes folia habet Oxylapathi, ſed rotunda, baccas è mediis foliis nõ exerit, & Capreolos habet, quibus Bellonij Ribes caret. Huius Groſſulariæ rubræ, ſiue Ceanothi læuis genus, proceritate ſeſquicubiti circa ſyluas quaſdam-ditionis Bernenſium, Heluetiorum prouenire ſcribit Geſnerus, & à ruſticis *Keozbeer* dici, quod tuſsi medeatur. Tertius frutex quibuſdam Iſos, ſiue Oeſos niger. Theoph. Groſſularia nigra, eſt aliis Pipirella, à baccis magnitudine, coloréque Piperi ſimilibus, Officinis Ribes niger, Gallis *Poiurier, & Groſelier noir* dicitur. Frutificat vt Ribes ruber, eiq; ramulis, foliis, flore, fructu ſimilis eſt, niſi quod huius folia latiora, odorem nonnihil grauem cum manduntur, ſed non ingratum ſpirant: fructus niger, ex ſubdulci auſterus, *Groſelles noires* nobis appellatur. Quidam acetariis, iuſculis, condimentis viridibus admiſcent, ſalubremq; eius vſum eſſe prædicant: nullius alioqui in medicina eſt vſus. Floret, fructúmque edit eodem tempore quo Ribes ruber. Sponte in locis humidis, & incultis naſcitur, in aggeribus foſſarum, & fluuiorum ripis. Ne quid verò hic prætermittatur quod attentum Lectorem torquere poſsit, obſeruandum Theophraſtum de fructibus & arboribus tractantem, quæ vno genere comprehenſa, priuatis quibuſdam

Ibidem.

In Hort. Germ.

Ibidem.

Nomina

Forma.

Vſus.

Tempus.

Locus.

Lib. 3. Hiſt. cap. 17.

notis

GROSSVLARIA Nigra.

notis inter se differũt, exempli gratia memorasse ῥάμνον, ἴσον, κιτλον, βάτον, quorum differẽtias sigillatim persequitur, & Isi vua Oesi præcipuè, qui nunc candidum florem & fructum gignit, interdum nigrum, interdum mediũ, nec coloris albi dilutioris, nec crassi vini modo nigrescentis, οἰνωπὸν vocat, sed ad purpuram inclinantis. At cũ doctus quispiam & acris iudicij vir, pro Iso planta incognita, ad marginẽ scripsisset ὄισος, qui post transcripserunt, & ὄιτον loco τῦ ὄισον immiserunt, & non deleta voce ἶσος literæ Theophrasti interseruerunt, gemino errore, quo Gaza etiã inuolutus est: ὄισον quidam Amerinam esse volunt, quã Galli Parisienses, seruato Græco vocabulo adhuc vocant *Osier*, coloribus à Theophrasto recitatis variã. At illorum sententiam vanam id demonstrat esse, quod ὄισυ species omnes fructum edunt, qui Amerinæ, & Salicibus nullus est. Vero propius fuerit, quod ὄισον Agnum esse quidã censent, in eaq; arbore conspici floris ac fructus tres illas differentias à Theophrast. recitatas. Ideoq; Plinium cũ indicatum locum Theophrasti verteret, in genera duo Viticem diuisisse, alterum floris è candido purpurascentis, alterum purpurei. Cæterum inuenio Theophrastum Agnon, quam Amerinam inscitè Theodorus vertit, priuatim nominasse vt plantam ab Oeso diuersam. Eustathius clarus sanè Homeri interpres magna inconstantia nunc λύγον ὄισον appellari tradit, & ὀισόκαρπον ἀγνόκοκκον exponit, nunc ὀισύαν spinosam plantam eandem esse cum Oeso putat, cùm Agnus minimè spinosus sit, sicut nec Amerina, nec Salix, nunc hoc versu ῥιπίσι διαμπερὲς ὀισυίνοισι, sportas exponit contextas ex Salicis viminibus. Hæc Dalechampius.

Li. 24. ca. 9.

Lib. 1. Hist. cap. 5. & 22.

VVA VRSI CAP. V.

A GALENO ἄρκου σταφυλὴ hæc planta nominatur, id est, Vua Vrsi, quæ radicibus est crassis, numerosis, caudice recto, firmo, candicante, vel subcinereo, simili eius arboris quam pro Oxyacantha Matthiolus exhibuit: ramis multis, longis, huc illuc diffusis, spinis crebris, validis, subrectis, atrociter pungentibus: foliis Arbuti, siue Pyri sylvestris, venosis, in ambitu dissectis: floseulis aceruatim congestis, ex luteo rubentibus: fructu similiter ex aureo colore ad coccineum vergente, densiùs coaceruato, rotundo, acidi gustus. Nascitur in Alpinarum gentium Brammouicum, & Ebrodunensium saxosis conualibus: maximè qua torrentes præcipiti cursu vicinas terras glarea & arenis obruunt. Prouenit & in agro Senensi Hetruriæ prope Alcinum montem. Galenus ad hæmoptoicos Pharmacum Arrhabiani, quod Ponticum dicitur, sic describit. Vuæ Vrsi lib. XVI. aquæ pluuiæ sextarios XVI. Coquito ad tertias, & expressum liquorem reponito. Quibus mox subiungit. Quæ Vua Vrsi appellatur, in Ponto nascitur. Planta est humilis, & fruticosa, folio Memæcyli, fructum ferens rubrum, & rotundum, gustu austerum, quem

Lib. 7. med. part. *Forma.* *Nomina* Li. 1. Dioscor. cap. 105.

Locus.

Ibidem.

Vires.

VVA VRSI.

Vuam Vrſi appellant. Sunt qui Ribem rubrum, quem deſcripſimus Vuam Vrſi eſſe putant, quorum ſententia ex Galeni verbis modò citatis facilè refelli poteſt, vtpote qui ſcribat Vuam Vrſi folio Memæcili viteſcere.

OXIACANTHA.
CAP. VI.

Corol. 124. lib. 1. Dioſ.

OXIacanthæ ſtirpibus quibus abundamus, quænam ſit ea quæ Oxyacanthæ nomine à Dioſcoride deſcribatur, inter auctores ambigitur. Rurá, inquit Hermol. Oxiacanthã Criſpinam, quaſi acrem Spinam vocant, ex cuius Acinis vinum etiam conficitur, Criſpinum vocatũ, eodẽ ferè vſu quo vinũ ex Malo Punico. Singulares in Acinis quibuſq; nuclei ſunt. Acini oblongi, racemoſi, congeſti, folia quoque oblonga. Ruellius Hermolaum ſecutus, ſcribit Oxyacantham à Gallis, quod huius Acinis vinum exprimatur, Spiniuinetam vocari, ab aliquibus acrem Spinam. In eadem ſunt ſententia Fuſchius, Tragus, Cornarius, & recentiores ferè omnes Medici, quibus dum aduerſatur Cordus, Oxyachanthæ nomine ſcribit cõfundi apud auctores duos frutices natura diuerſos. Aliã enim eſſe Dioſcor. Oxyacantham, aliam Galeni. Dioſcor. Oxyacantha, pyracantha eſt, id eſt albus Spinus. Galeni Oxyacantha eſt Berberis Officin. Cordi ſententia. Et Dioſcor. quidem Oxyacantham non eſſe Spiniuinetam, ſiue Berberim Officinarum ex ipſa deſcriptione probat: quia Spiniuineta diuerſiſsima à Piraſtri figura ſit. Piraſter enim plerumque ſingulari caudice aſſurgit, non ita recto, in diuaricatos & intortos ramos diuiſo, at Spiniuineta pluribus virgis, fruticis modo ſe attollit, iiſq; rectis. Piraſtro antequam ſeneſcat cortex eſt læuis, glaber, in flauo ſpadiceus, in cæſio candicantibus maculis variegatus: Spiniuinetæ longè diuerſus colore, in ipſa adoleſcentia rimoſus, & rugis contractus. Spiniuinitæ fructus quidem ruber eſt, ſed Myrti baccæ diſsimilis. Ea enim rotunda eſt, ille oblongus, & vtrinque acuminatus. Præterea Oxyacanthæ fructus à Dioſcoride ἄθρυπτος, id eſt friabilis deſcribitur, Spiniuinetæ bacca, quoniã lenta cute ſuccu lentam carnem continet, friabilis eſſe non poteſt. Nam friabile non de re lenta, humida, & ſuccoſa dicitur, ſed arida, & fragili, quæ digitis facilè, velut in puluerem atteri queat. Quare aliam eſſe Oxyacantham à Dioſcor. deſcriptam, contendit Cordus, à Galeni Oxyacantha, cui adſtringendi & incidendi vires tribuit, in Berberi Officinarũ manifeſtas. Vt autem quæ ſit Dioſcoridis Oxyacantha explicet, annotat Dioſcoridẽ inter Oxyacanthæ ſynonyma πυρακάνθην numerare, quæ vox cùm apud nullum auctorem extet, perperam exaratam fuiſſe ſuſpicatur. Cùm verò Dioſcor. ipſe hoc eodem libro de Meſpilo agens Pyracanthæ meminerit, eam eſſe cenſet quæ hîc corrupto nomine πυρακάνθα vocatur, facili ſcribentium lapſu. Dioſcoridem igitur pro Berberi, quæ vera eſt Oxyacantha, Pyracantham deſcripſiſſe iudicat, eámque Oxyacanthæ nomine deſcriptam Pyracantham eſſe Spinam, quæ inter arbores à veteribus Latinis

Li. 1. ca. 106.

Lib. Hiſto. plan. c. 205.

Lib. 3. ca. 21. Embl. 151.

Li. 1. Dioſc.

In li. 1. Dioſcor. c. 113.

Li. 8. ſimp.

Lib. 1. c. 105.

Cap. 133.

ſimplici

ſimpliciter Spina, à Gallis *Aubeſpin*, id eſt Albus Spinus, à Germanis *Hagedorn*, nominatur. Hæc enim habitu figuraq; Piraſtro ſimilis eſt. minor tamen, ſpinoſiorq;. Fructum fert Myrteis baccis æqualem, rubentem, nucleos intus habentem, omniſq; ſucci expertem, ideóque friabilem. Idem teſtatur Plinius, inquit, cùm dixit Aquifoliæ & Spinæ baccas ſine ſuccō eſſe. Accedit etiam foliorum figura, quæ Apio ſimilia ſunt. Nam talia Pyracantha habere debet, Dioſcoride Meſpili Aroniæ, ſcilicet folia cum Pyracanthæ foliis comparāte, & Theophraſto Meſpili Anthenoidis, quæ Aronia Dioſcoridis eſt, folia Apio ſimilia deſcribente. Hæc Cordus. Cui alio in loco de Sorbo aculeata, id eſt Pyriacantha tractanti Geſnerus album Spinum appinxit, annotauitq; Oxyacantham Dioſcoridis videri, & Spinam Appendicem Plinij. Idem Geſnerus alibi Oxyacantham Dioſcoridis, Spinam albam vulgo dictam arbuſculam videri ait, & Plinij Spinam Appendicem, & ſimpliciter Spinam. Matthiolus acutiſsimè eos refellit qui Oxyacantham Vuam Creſpinam, ſiue Creſpinum eſſe credunt. Dioſcorides enim, inquit, Oxyacantham Piraſtro ſimilem eſſe ſcribit, minorem tamē, ſpinoſiorémque, & fructum ferre Myrti ſimilitudine, plenum, friabilem, rubentem, & intus nucleum, radicéſque ſubeſſe multifidas, & altè deſcendentes: ex quibus perſpicuum eſt alias Oxyacanthæ notas non expreſsiſſe quàm proceritatis, craſsitudinis ſtipitis, ramorum, radicum, ac fructuum, omiſſa foliorū, florum & corticis hiſtoria, quæ qui accuratius expenderit, Creſpinum is notis omnibus Piraſtro diſsimilem eſſe comperiet. Nam ſylueſtris Pirus ſimplex è ſolo proſilit, vno duntaxat caudice attollitur, atque tandem ita creſcit, vt in proceritatem arboream conſurgat, Creſpinus verò nullum ab radice caudicē emittit, ſed ſurculis multis ſtolonibúſque fruticat, qui virgarum modo creſcunt, nec vnquam arboreſcunt, niſi rarò, longoq; tempore: omnium enim maximi pollicarem craſsitudinem vix excedunt, raróque hominis altitudinem æquant. Præterea Piraſter cortice integitur aſpero, craſſo, ſquamoſo, Creſpinus albo, læui, multum tenui, adeo vt vel leuiſsima lapide, aut ferro illata plaga diſrumpatur, croceusq; ſubtus color appareat. Adhæc licet Pirus ſylueſtris, Pruni ſylueſtris modo aculeata ſit, ramiq; frequentibus horreant ſpinis nigris, validis, tamen ſingulæ ex vno tantum loco erumpunt, in Creſpino verò ternæ ex eodem loco, albæ, planæ, nec rotundæ, nota inſigni, nec à Dioſcoride prætermittenda. Iam verò Oxyacantha fructum fert Myrti magnitudine, Creſpinus autem racematim Vuæ modo, Acinis oblongis, rubētibus. Prætereà Creſpini folia Aroniæ Meſpilo ſimilia non ſunt, ſed potiùs Malopunicæ, latiora, nec tam in mucronem deſinentia, per ambitum Spinis tenuiſsimis, frequētiſsimiſq; horrida. Radices quæ crocei ſunt coloris, multæ quidem, ſed tenues, nec altè deſcēdentes vt Oxyacanthæ, & in obliquum ſummo ceſpite vagantes. Denique flos à Piraſtri flore plurimùm diſsidet: eſt enim melinus, ex racemo Vuæ ſimili prodit fruticis ſui colorem referens, qui dum ſeſe pandit, ſuauiſsimè ſpirat. Ex his effici vult Matthiolus Dioſcoridis Oxyacantham, quæ & Oxyacanthos dicitur, id eſt acuta Spina Creſpinum non eſſe, ſed eam aculeatam arborem, ſtipite, cortice, ramis, proceritate, floribus, ligni materie Piraſtrum planè referētem, quem Itali *Bagaia* vulgò nominant, Ananienſes, & Tridentinarum vallium incolæ quidam *Amperlo*, alij *Pan d'orſo*, Goritienſes *Barazzo bianco*, Arabes *Amirberim*, ſeu *Amyrbarim*, ſeu *Berberim*, Galli *Aubeſpin*, Hiſpani *Purlitero*, Germani *Hagdorn*, Boemi *Hlog*. Id apertè demonſtrant arboris ſtipes rami firmis, acutiſsimiſque ſpinis armati, à quibus arbori nomen, ligni materies, ſubſcaber ſquamoſuſq; cortex, veluti Piraſtro, flos albus Piraſtro haud abſimilis, fructus Myrti craſsitudine, rubeſcens, plenus, friabilis ori ſubauſterus, quo, modò vnus, modò plures conclu-

Lib. 15. c. 24

Li. 3. de pl. cap. 7.

In hort. Germ.

In li. 1. Dioſcor. ca. 105.

Nomina

Forma.

OXYACANTHA,
Acuta Spina Matthioli.

duntur nuclei: radices in altum descendentes. Folia quidem à Piraſtro diſsident: Apij modo diſſecta, paulóque longiora: hoc tamen ſententiam Matthioli labefactare minimè poteſt: ſimilitudines enim ex pluribus partibus potius ſumi conſtat, quàm ex paucioribus. Quali ergo folio ſit Oxyacantha Dioſcor.non explicat, ſed tantùm dixit eſſe arborem Piraſtro ſimilem, quod magis ad ſtipitis,corticis, ramorum, florum delineationem, ligni materiam reſpiceret, quàm ad folia, quæ nihilominus qualianam ſint, ex ipſo Dioſcor. & Theophraſto colligere licet, quoniam Dioſcor.de Aronia Meſpilo agens, ſcribit eam arborem ſpinoſam eſſe, foliis ſimilem Oxyacanthæ (alij Pyracanthæ legunt, vt diximus) Theophraſtus verò Anthenoidis Meſpili folia diſſecta eſſe ait, quæ, vt monuimus, Aronia eſt, & per extrema Apio ſimilia.At Theophraſti ipſius auctoritate fretus,poterit aliquis ſententiam Matthioli oppugnare, quod locis duobus Oxyacantham inter eas arbores recenſet, quæ perpetua fronde virent, cum Oxyacanthæ noſtræ folia, decidere omnibus conſtet. Sed hos locos mendoſos eſſe ex eo intelligere licet, quod Tiliam Myricam, Quercum, Terebinthum inter, perpetuifolias numeret, id autem falſum eſſe ſciunt omnes qui has plantas cognoſcunt. Hoc itaque loco pro Oxyacantha Pyxacantham docti viri reponunt. Nec Plinius eaſdem arbores ex Theophraſto recenſens,Tiliæ,Quercus, Oxyacanthæ meminit. Hæc eſt Matthioli de Oxyacantha ſententia, hæ rationes quibus eam confirmauit. Oxyacantha in Dumetis, ſepibus, & agrorum limitibus frequens prouenit. Maio menſe floret:fructus Septembri matureſcit. Is refrigerat & adſtringit. Potu aut cibo,inquit Dioſcorides,alui profluuium, & abundantiam fœminarum ſiſtit. Radix illita aculeos,& ſpicula extrahit:abortum fieri tradunt, ſi ter radice venter,aut ſenſim feriatur,aut perungatur. Oxyacāthus arbor Galeno,vt Piro ſimilem habet ſpeciem, ita & vires ſimiles. At fructus Piri ſylueſtris prorſus acerbus eſt, Oxyacanthæ verò, cum partium tenuitate, modicam incidendi vim habet.Cæterum Oxyacanthæ fructus,Piri ſylueſtris fructui ſimilis non eſt, ſed Myrti,rubens, & rarus (αδρὸς videtur legendum ex Dioſcoride, id eſt plenus pro ἀραιὸς.)Habet item & nucleos. Porrò non eſu tantùm, ſed & potu affectus omnes fluxionũ quos ῥοώδεις Græci vocant,cohibet. Serapio eadem ad verbum tranſcripſit de Amirberi, ſeu Berberi tractans, quæ Dioſcorides & Galen. de Oxyacantha tradidêre. Anguillara eorum ſententiæ vix aſſentitur qui Oxyacantham illam eſſe putant, quę Italorum vulgo *Spinbianco* dicitur, tum quòd Theophraſtus Oxyacantham inter arbores perpetuę frondis numeret, tum quòd Mali Medicę ſpinas, Piri aut Oxyacanthę ſpinis comparet, quę in Spinum album competere non poſſunt. At Matthiolus priorem locum falſi ſuſpectum eſſe oſtendit:Spinarum verò Mali Medicę, cum Piri aut Oxyacanthę ſpinis comparatio non inepta. Eſt enim Pirus quædam ſatiua, ſpinis armata, Lugduni ſatis frequens, quam ideo *Poirier d'eſpine* vocant, & fructum

Poire

Lib.1. c.133.

Lib.3. Hiſt. cap.12.

Lib.1. Hiſt. ca.15.& lib. 3.Hiſt.ca.4.

Li.16. c.20. & 21.

Locus.
Tempus.
Temper.
& Vires

Dodo.li.6. cap.31.
Lib.1. c.105.
Li.8.ſimpl.

Lib.1. Hiſt. ca.15.& lib. 3.cap.4.
Li.4. Hiſt. cap.4.

Poire eſpine. Fructus is magnus eſt, viridis, qui in ſeram hyemem prorogatur & durat, guſtus ſuauiſsimi, præſertim cùm in pruna coctus apponitur, inſperſo ſaccharo. Surculos ex Neapoli, huc allatos fuiſſe olitoresaiunt. Hęc profecto Pirus eſt, cuius ſpinas cum aculeis Oxyacanthæ comparat Theophraſtus, nec immerito: ſunt enim inter ſe prorſus ſimiles. Multo meliore ratione, ſententiam illam oppugnat Anguillara, cùm ſcribit Oxyacanthæ à Galeno & Dioſcoride tributas facultates albo ſpino minimè conuenire. Huius enim fructus non acerbos, ſed dulces, maximè cum maturi ſunt, aluum ducere magis quàm adſtringere, & mulierum fluores elicere potius quàm cohibere. Hæc Anguillara. Certè vulgus Gallicum, vt ſcribit Ruellius, deturbandis calculis vtitur acino, ſingulari remedio, ex vino, quem peculiari vocabulo Senelle nominat. Ruſtici viuas ſepes hoc frutice extruunt, quæ pecus minacibus aculeis valenter arceant. Dos eius omnis in odore, tametſi non defuerint, qui tradant hanc ſtirpem, inſtar Lauri fulmine non ici, nec vnquam de cœlo tangi. Aiunt quoque piſces marinos floris odore tactos ſtatim corrumpi, quod Ruellius arbitratur, fragranti grauitati acceptum ferendum. Huius rei piſcatores gnaros florem deuitare: Mirum eſt, inquit, ſi fulminis ictum tuta reſpuat. Sed fama tantum hoc didicit nullo certi ſcriptoris teſtimonio. Piſces verò non ob odoris florum Oxyacanthæ vehementiam, aut noxiam aliquam qualitatem, vitium contrahunt, ſed quoniam Maio iam progreſſo arbor illa floret, quo tempore ob æſtuoſum cælum piſces qui è mari vehuntur in vrbes procul remotas corrumpuntur.

Lib.j.c.a.n.

BERBERIS OFFICINARVM, CAP. VII.

PLANTA hæc à Seplaſiariis Berberis nominatur, ab Italis *Creſpina*, à Gallis *Eſpine vinette*, à Germanis *Ponſſelbeel, Saura h, Verſich*, à Boemis *Drac*, ſiue *Driſtal*, ab Anglis *Berberis*. Plinij Spinam Appendicem eſſe multi credunt. Frutex hic è terra ſurculos plurimos mittit, coryli modo, ab imo ad ſummum ſpinis armatus acutiſsimis: longis, compreſsis, albicantibus, fragilibus, ternis ex eodem loco prodeuntibus. Cortex extimus totius fruticis candidus, læuis, tenuis, interior autem exilior, & ligno proximus flauus, ac ceruſei, ligni materies alba, fragilis, fungoſa. Numeroſæ radices valdè flauæ, per ſumma terræ ſparguntur. Folia ex viridi candicant, Punicæ ſimilia, ſed tenuiora, latiora, minùs acuminata, toto ambitu ſpinis tenuiſsimis horrentia. Flores ſunt lutei, racematim congeſti, odoris non ingrati. Fructus ſunt Acini oblongi, racemo penduli, Punicæ Mali Acinis haud abſimiles, quanquam oblongiores, paruis intus concluſis nucleis, qui maturi maximè rubent, guſtúque ſunt acido, & ſubauſtero. Ex his vinum exprimitur, quod vinum ex Berberi falſò vocant Officinæ, acerbius acidiúſque Malorum Punicorum ſucco. Id in acutis, peſtilentibúſque febribus zulapio violaceo permixtum cum aqua vtiliter exhibetur. Etenim non modo ſitim extinguit, ſed bilioſas peſtilentéſque exhalationes ſupprimit. Datur commodè cœliacis, cibum reiicientibus, dyſentericis, iiſque quibus bilis à iocinore in ventriculum regurgitans, cholericum excitarit affectum. Tam ſumptum quàm admotum menſium profluuia cohibet. Tineas ventris enecat, præſertim ſi bibatur ex aqua Graminis, vel Portulacæ, vel Abrotoni, addito ſacchari tantillo. Prodeſt cruentis excreationibus, firmat commotos dentes, ſi eo ſæpius foueantur, gingiuas roborat, gargarizatu faucium & Vuæ inflammationes diſcutit, atque deſtilla-

Nomina

Lib.24.c.13.

Forma.

Matth.li.1. Dioſc.c.105

Vires.

BERBERIS
Officinarum.

Ruel. lib.1. cap.106.

tiones eo confluentes reprimit. Vulnera recentia in carnis superficie glutinat; & vlcera vetera desiccat. Nocet iis qui ventriculi doloribus ex flatu & frigiditate ortis vexantur, atque etiam ægrè spirantibus. Condiuntur item Acini vel melle, vel saccharo ad restinguendam sitim, depellendámque febricitantium inappetentiam, quorum morosum nimis palatum cibum ferè quemcunq; respuit. Nam elanguescens appetitus cibi mirum in modum grato huius acore recreatur. Spina Appendix appellata, inquit Plinius, quoniam baccæ Puniceo colore in ea Appendices vocantur. Hæ crudæ per se, & aridæ in vino decoctæ, aluum citam, & tormina compescunt. Lixiuio in quo radix maduerit sæpe eloti capilli flaueſcunt. Ex foliis viridibus, quemadmodum ex Oxalide, succus in ciborum condimenta exprimitur refrigerans, & appetentiam inuitans, atque bilioſis, & febricitantibus perutilis. Frutex hic multis locis nascitur, nempe syluis, frutetis, campestribus, montanis, siccis, & aquosis. Germinat ineunte vere, ab occasu Virgiliarum fructum præbet, qui per Septembrem mensem, & Octobrem demetitur, campos & syluas exornans.

Lib.3. Hist. cap.17.

Dodo. li.6. cap.21.

Locus.

Tempus.

RHAMNVS, CAP. VIII.

RHAMNI historia, si vlla alia, valdè est perturbata, atque impedita, & ob variam de iis scribẽtium tractationem magna obscuritate inuoluta. Ac primùm Dioscoridis caput, quo de his agit, apertè corruptum, multisq; modis deprauatum esse ostendunt tres asterisci, in contextum inserti eius exemplaris, alioqui fidelissimi, quo Ruellius vsus est. Primus φύλλα μακρὰ * ὑπομήκη, &c. Secundus, ἐστὶ δὲ καὶ ἑτέρα * λευκοτέρα, &c. Tertius ἐοικὼς * ἀσφοδέλῳ. Deinde Theophrastus duo duntaxat Rhamni genera facit, candidum & nigrum, diuersumq; ipsorum fructum, vtrumque tamen spinosum. Plinius item duo, quæ inconsideratè Ruborum generi adscribit. Eius verba quia à Dioscor. sententia variant, & alioqui corrupta leguntur, ex veteri manuscripto Codice à Cornario emendata adscribam. Inter genera Ruborum Rhamnus appellatur Græcis, candidior, fruticosior, ramos spargens rectis aculeis, non vt cæteri (vel Rhamni, vel spinosi frutices) aduncis, foliis maioribus. Alterum genus eius syluestre, nigrius quadantenus rubens, fert veluti folliculos. Huius radice decocta in aqua fit medicamentum quod vocatur Lycium (id porro falsum esse norunt herbarij omnes) Semen secundus trahit. Hoc Dioscor. minimè habet. Galenus, & eum secuti Paulus, atque Ætius, velut de vno solùm genere, aut certè de vna omnium facultate, omissis eorum differentiis loquuti sunt. Dioscorides tria genera descripsit, cuius breuitas, & inemendata librorũ nostrorum lectio, vt diximus, in ambiguo multos habet, quinam ex tot dumis

Lib.1.c.102.

Genera Li.24. c.14.

Embl. 98. lib.1. Dios.

Lib.1.c.102.

Rhamni

Rhamni dici posſint. Dioſcoridem ſiue is ex Andrea, ſiue ex Crateua Rhamnorum hiſtoriam concinnarit, certe Oribaſius, & Serapio ſecuti tria quoque Rhamni genera memorant, Paliuri mentione à neutro facta, celebris alioqui plantæ, & facultate ſua, qua veſicæ lapides exterit, inſignis perinde ac ſi Rhamnorum hiſtoria inuoluatur, aut eorum genere contineatur. De vtroque tamen ſeorſum dicemus ex Dioſc, qualia qualia ſint eius exẽplaria. Rhamnus, inquit, fruticat in ſepibus, ramos ferens rectos, & aculeos Oxyacanthæ modo, foliis paruis, oblongis, ſubpinguibus, teneris. Alterum ei genus candidius. Tertium nigrioribus, latioribúſque foliis conſtat, & quadantenus rubentibus, cuius rami quinum ferè cubitorum ſunt longitudine, ſpinoſiores quidem, ſed infirmioribus, minúſque rigentibus aculeis. Fructum edit latum, candidum, tenuem, folliculari ſpecie, verticillo ſimilem. His, diuerſi auctores diuerſas plantas aptarũt. Cornarius & Tragus Rhamni genus eſſe exiſtimarunt fruticẽ eum quem Vuam criſpam ſiue Groſſulariam appellari diximus. Item aliud Tragus, Hermolaus, Ruellius, quem Spinum ceruinũ, Itali, *Burgam ſpinam*. Galli vocant. Prima Rhãni ſpecies, inquit, Anguillara, omniũ ſententia ea eſt, quæ Romæ *Spino ſanto* nominatur, à Sãnitibus, *Spino di Chriſto*, à Marcello lib. de re medica, Salutaris, & Spina alba. Salutaris herbæ faſciculũ, inquit, ideſt, Spinæ albæ qua Chriſtus coronatus fuit. Cordus etiam Rhamnum à Latinis Albam ſpinam dici teſtatur, prudenter interim nos monens ne ſtirpes diuerſas hoc nomine confundamus. Nam præter Rhamnũ ſpinam arboreſcentem, Albæ ſpinæ nomine paſsim ab auctoribus in herbaceo genere duo Cardui indicantur. Secunda ſpecies, inquit idem Anguillara, priori in omnibus ſimilis eſt, niſi quod candidior, foliis longioribus & tenuioribus, in Illyrico copioſa, ex qua ſepes conficiunt. Tertiam Rhamni ſpeciem in Dioſc. ſuppoſititiã eſſe autumat: quia in eius deſcriptione ſibi ipſe refragatur, vt pote qui fructum eius dicat eſſe latum, candidum, tenuem, veluti folliculum, Haſtulæ regiæ ſimilem. Fructus verò eius Rhamni quem repræſentant, & ſi latus ſit, nimirùm cõpreſſus, minimè tamen Aſpodeli fructui ſimilis eſt, rotũdo, non compreſſo. Sed hæc ratio deprauatæ lectionis correctione facile refelli poteſt. Neque enim dicitur à Dioſcoride tertij Rhamni fructus ἰσοχὸς ἀσφοδέλῳ, ſed ἰσοχὸς σφονδυλίῳ, id eſt ſimilis verticillo. Ad hæc ſpinæ eius infirmæ non ſunt, quales Dioſc. eſſe vult. Præterea Theophraſtus duo duntaxat Rhamni genera poſuit, Rhamnóſque perpetuo eſſe folio, Paliurum minimè. Matthiolus tria Rhamni genera ſtatuit. Primum in ſepibus naſcens, cuius longis aculeis Hetruſcę, mulieres ficus recentes perforant, & ad ſolem appendunt. Hos Oxiacanthæ modo fert: folia oblõga, mollia, ſubpinguia: caulem habet album, læuem, & rubentes inter folia baccas. Hic ſpinoſus Matthioli frutex ad Rhodani ripas & glareoſa vada frequentiſsimus viſitur, ſæpè humilis, nonnũquam ad hominis proceritatem aſſurgens, cortice cinereo, ramis firmis, ex quibus ſurculi hinc illinc oriuntur, per interualla foliis breuioribus veſtiti, ſpinas per interualla proferentes, & ſemper in rigidum aculeum deſinentes, qua nota ab aliis diſcrepat. Fructus eſt circum ramos copioſus, rotundus, cum maturuit phœniceus, folliculo aut veſiculæ ſimilis, ſucco luteo plenus, acidi guſtus, nec ingrati, cuius Omphacij vice ad ciborum condimenta vſus eſſe poſsit. Gratianopolitani vocant *Des Argouſſes*. Tertium Rhamni genus Matthioli cæteris nigrius eſt, quinum fermè cubitorum longitudine, infirmioribus aculeis aliis, rectis, aliis incuruis, foliis latioribus, ſolidioribus, neruoſioribúſque: floribus muſcoſis, ſubcroceis: fructu tenui, folliculari ſpecie, rotundo, verticillo haud abſi-

Lib. 1. cap. 101. *Forma.*

Nomina

In cap. 102. lib. 1.

RHAMNVS
Primus Matth.

RHAMNVS secundus
Dodonæi, primus
Pena.

RHAMNVS
Secundus Matth.

RHAMNVS secundus
Monspelienſium
Pena.

mili, in cuius medio nucleus eſt durus, rotundus ciceris ferè magnitudine, in quo ſemen concluditur, lentis inſtar compreſſum, rubro cortice, & alba intus medulla

medulla. Secundum genus cæteris candidius eſt. Hæc Matthiolus, Penæ Rhamnus primus frutex eſt in Italiæ, Galliæ, & Hollandiæ, maritimis locis multis naſcens, ab imo ad ſummū ramoſus, aculeatus, ſurculis albidis, foliis anguſtioribus, multis, Chamælææ longioribus, fructu iuxta alas denſo, racematim congeſto, Aſparagi, aut Agrifolij, minore, ſucco flauo turgido. Hunc pro Rhamno ſecundo Dodon. pinxit & deſcripſit. Idem Pena Rhamnum ſecundum Mompelienſium, magis exquiſitè Dioſcoridis notis reſpondere ait, quam ſecūdum Matthi. Tota planta alba eſt, cortice ex viridi palleſcēte, foliis Oleæ, ſed candidioribus, floribus minoribus. Cluſius Rhamnos tres exhibuit. Eſt autem primus frutex faciēdis ſepibus idonęus, ramis rectis, in multa virgulta ſeſe findētibus, candidis, validis ac firmis aculeis rigentibus, foliis plerumque quaternis aut quinis ad ſingularum ſpinarum exortum, oblōgis, ſubpinguibus, Oleæ ſimilibus, ſubalbidis, teneris, & ſucculentis, quæ Autumno nouis ſucereſcentibus, interdum decidunt; flores longiuſculi, candicantes, extremis oris in quinque crenas diuiſi, quibus dilapſis quoddam ſeminis rudimentum vt in Iaſmino relinquitur. Radix ſubeſt craſſa, & multiplex. Iſtius generis alium ſe obſeruaſſe ait, ſimilem ferè, ſed humiliorem, & frequentioribus ramis fru-

Libr. ſtirp. Hiſpan. 16.

RHAMNVS I. Cluſij.

RHAMNVS
Alter Cluſij.

RHAMNVS
Tertius Cluſij.

ticoſum

ticosum, minoribus foliis, & magis carnosis, salso gustu superiore cādidiorem, floribus eiusdem formæ, sed purpureo planè colore. Prior in multis Hispaniæ, Lusitaniæ, Galliæ Narbonensis locis gignitur. Illius alteram speciem vno tā-tum loco se inuenisse ait, iuxta Orcelim vrbem, ad flumen Serabin, vt Valentini regni extremis limitibus. Secundus eiusdem frutex ramis est & virgultis flexibilioribus, spinarum etiam vallo horrentibus, angustioribus foliis, neque adeo carnosis, perpetuis, flore Oleæ herbaceo, circa ramos frequenti, fructu rotundo, per maturitatem flauescente, totáque hyeme in frutice perdurante. Totus verò frutex puluere obsitus videtur. Is in maritinis Belgicis, & quorundam montium vallibus iuxta amnes, vt & superior prouenit. Tertium addit fruticosum, frequentibus ramis, spini magnitudine, cortice nigro tectis, & spinis longis armatis, folia ex quibusdam tuberculis, vt in priore, multa simul exeunt, oblonga, angusta, carnosa, colore viridi, gustu adstringente, & Rhabarbari saporem satis referente, semper virentia. Flos veris initio paruus, iuxta folia plurimus, & cōfertim nascens, colore herbaceo: æstate nigrū fructum fert Pruno syluestri similem, rotundū, acerbum. Hunc frequentem Granatensi & Murciano regno locis incultis inuenit inter alios frutices. Pro Rhamni etiam genere spinosam plantā Germanus quidam rei herbariæ studiosus ex Ingolstadio Dalechāpio attulit, quàm Rhamnum Bauaricum vocabat, quod alius aptius nomen non inueniret. Hæc planta, vt narrabat, hominis altitudinem superat, cortice est purpurascente, spinoso, foliis dēsis, pallidis, omnibus serratis, sed aliis longioribus & angustioribus, prima scilicet ramorum parte, nec Ilici absimilibus, aliis breuioribus & rotūdioribus circa ramorum extrema, Rhois folia vtcumque emulantibus, spinis multis, tenuibus, sed acutissimis, folliosis, vt in primo Rhamno Matthioli. Spinosarum enim stirpium, (Cuius rei lectores hîc admonuisse prodest) quibusdam exertæ, foliisque nudę, sunt spinę, vt Paliuro, Mespilo, Oleastro: aliis surculi folliosi in rigidas spinas mucronati desinūt vt in hac planta, Rhamno primo Matthioli, & nōnullis aliis. Rhamnus auctore Galeno, desiccat & digerit ordine secundo, refrigerat primo completo, aut secundo incipiente. Proinde hirpetas sanāt & erysipelata, non magnoperè calida. Cæterū ad hoc teneris vtendum est foliis. Sic etiam Dioscor. omnium folia erysipelatis & serpentibus vlceribus efficaciter illinuntur: fama est ramos eius valuis fenestrisque impositos veneficia depellere: quas vires Ouidius Spinę albæ, quæ Rhamnus est, vt diximus, seu Virgæ Ianali, quæ eadem est, tribuit his versibus.

RHAMNVS Bauaricus.

Li. 8. simp. *Vires.*

Li. 6. fasto.

Sic fatus spinam qua tristes pellere posset.
A foribus noxas, hæc erat alba, dedit.

Et paulo post,

Virgáque Ianalis de spina sumitur alba
Qua lumen thalamis parua fenestra dabat.

DE

DE PALIVRO CAP. IX.

PALIVRI qui παλίουρος Græcis dicitur, vnius duntaxat meminit Dioscorides. Alij plura fecêre genera, Imprimis Theophrastus ita scribens. Paliuri differentiæ quædam sunt, omnes quidem fructiferæ: ac rursum Paliurus velut in siliqua folliosa fructum habet (sic enim legenda Græca, ἐν λοβῷ τινὶ τὸν καρπὸν ἔχει καθάπερ τοῦ φύλλου, pro τὸ φύλλον vt in vulgatis legitur: alij legunt τῇ φύσει, ideſt in vesica, alij θυλακίῳ, folliculo: alij, καθάπερ σφονδύλιον, ideſt veluti verticillum, vt in Dioscoride) in qua terna aut quaterna semina gignuntur, quibus tusis medici contra tussim vtũtur: habent enim lentum quiddam & pingue veluti Lini semen. Nascitur locis humidis, atque etiam siccis, sicuti Rubus: non minùs autem iuxta aquas prouenit. Foliis est deciduis, non perpetuis, quemadmodum Rhamnus. Idem alibi. In Africa Loti vt & Paliuri maxima copia est: Et mox: Paliurus Loto fruticosior est, folio huic nostrati similis, fructu diuerso, non enim lato, sed rotundo, Cedridis magnitudine, aut paulò maior, nucleum habet qui non simul manditur, acinorũ Mali Punici modò: fructum verò suauem, quem si vino infundas, tum se ipso suauior redditur, tum vinum suauius, reddi aiũt, quæ breuius conuertit Plin. Cyrenaica regio Loton suæ postponit Paliuro. Fruticosior hæc, fructú que magis rubens (magis in Theophr. nõ legitur) cuius nucleus nonsimul mãditur, iucũdus per se (fructus subaudi, ex Theophr.) atque è vino suauior, quin & vina succo suo cõmẽdans. Hęc Plinius. At Paliurus Agathoclis, auctore Athenæo, arbor est magnitudine Vlmo aut Pino nõ inferior, ramis frequentibus, longis, nonnihil spinosis, folio tenero, virente, figura rotundo, fructu valde dulci, magnitudine Oliuæ Phauliæ, carne, & osse illi simili, sed gustus suauitate præstanti, quem anno bis, Vere & Autumno profert. Is recens estur, cũ autem siccatus fuerit, in farinam molitur, quam nec manibus subactã, nec aqua perfusam, sed negligenter, qualis est, pedibus cõculcatá reponunt in cibariũ quotidianũ. Ex his tribus generibus

Genera.

Lib. 3. Hist. cap. 17.

Lib. 4. Hist. cap. 4.

Lib. 13. c. 19.

Li. 14. cap.

PALIVRVS
Rhamnus III. Matth.

Dioscorides, Paliurus, notus est frutex, aculeatus, durus, cuius semen pingue & fuliginosum est, si rectè λιγνώδες legatur. In duabus posterioribus descriptionibus non videntur congruere folium rotundum Paliuri Agathoclis, at in Paliuro Africano, vulgari simile: itẽ duplex quotannis in Agathoclis Paliuro fructuum prouentus, & eorundem magnitudo, Oliuę Phauliæ par, omnium grandissimæ, quam & Regiam, & Maiorinem ideo vocant, auctore Plinio, non syluestris: vt expositi Anguillara, cũ superioris Paliuri fructus Cedridibus æqualis sit magnitudine, aut eas parum excedat. Quare diuersa hæc Paliuri genera esse necesse est. Paliurus primus Theophrasti, Anguillarę sententia, frutex est Italiæ & Græciæ familiaris, tertia prorsus Rhamni species, in textu Dioscoridis significata. Nascitur enim locis, tum aquosis, tum siccis, hic frutex, est valdè spinosus, foliis Ziziphi syluestris, sed latioribus & rotundioribus, & qua parte pediculo hærent, fuscioribus: multos ramos à terra summittit, quaternum aut quinum cubitorum altitudine,

Li. 1. c. 104.

Lib. 15. c. 3.

Paliu. 1.

ne, ſurculoſos, colore Caſtaneæ, quo & Spinæ, quæ ſemper binæ ſunt, altera recta ſuperiore, altera adunca inferiore: fructum edit latum, rotundum, in medio aliquantulũ tuberoſum, figura verticilli, in ramulis copioſum, initio ex viridi albicantem, cùm inaruit fuliginoſum (quod de ſemine legitur in Dioſcoride, non de eius operimento) ternis aut quaternis ſeminibus intus concluſis, Lino & figura & magnitudine ſimilibus. Hic frutex non alius eſſe videtur, quàm Paliurus primus Theophraſti, nec non Paliurus Dioſcoridis, qui etiamnũ hodie in multis Græciæ locis nomen retinuit, ſed corruptum: nam Apalizu & Paliru nominatur. Hæc Anguillara. Cui aſſentiuntur multi periti herbarij. Eundem eſſe Paliurum Theophraſti, & Paliurum Dioſcoridis, demonſtrant facultates eædem huic ab vtroque aſsignatæ: præterea ſemen vtriuſque pingue & Lino ſimile: eſt enim legendum in Dioſcoride λίνῳ ὁμοιον, vel quidpiam ſimile, non λιγνώδες, ideſt fuliginoſum. Cùm etiam Rhamnus tertius Dioſcoridis, pleráſque notas habeat, quas Theophraſti Paliurus, veriſimile eſt illius deſcriptionem Paliuri deſcriptioni adiungendam, ideoque Rhamnum iſtum tertium Dioſcoridi falſò adſcriptum fuiſſe. Eſt igitur multorum ſententia, tertius Rhamnus Dioſcorid. & Theophraſti Paliurus, frutex quem pro Rhamno tertio pinxit Matthiolus. Hanc ſententiam confirmarunt Mompelienſes Medici, Paliurum nominantes, & ſeminum eius vim diureticam, ad comminuendos & expellendos calculos efficaciſsimam longo vſu,
Vives. fœliciſsimíſque ſucceſsibus experti. Quod etiam ita ſcribit Dioſcorides. Paliu-
L.i.c.104. ri ſemen potum tuſsi auxiliatur, veſicæ calculos comminuit, ſerpentium ictibus aduerſatur, folia & caulis adſtrictoriam vim habent, quorum decoctum potu aluum ſiſtit, vrinam trahit, contra venena & ſerpentium morſus auxiliatur. Radix recentia tubercula, tumoréſque omnes diſcutit, trita, & impoſita. Huic de Paliuro ſententiæ refragari quædam videntur. Primum quod ait Theophra. Paliuri ſemen ἐν λοβῷ contineri, ideſt, in ſiliqua longa, carnoſa, vt in faba, non lata & corticoſa, vt in hoc frutice. At λοβὸς non folliculus tantum lõgus & carnoſus dicitut, ſed omnis folliculus, & cuiuſuis figuræ, λοβῷ igitur ſiue folliculo ſiue ſiliqua, Paliuri ſemen includitur, ſed peculiaris naturæ, & ab aliis diuerſæ, vt quæ folioſa, & membranea ſubſtantia ſit, ac lata. Quamobrem euidentius exprimere Paliuri ſemen Theophraſtus non potuit, quàm cum dixit Paliurum fructum habere foliatum, qui folliculo continetur. Alterum eſt quod dixit Theophraſtus Aceris fructum oblõgum eſſe, & pennatum, Paliuro ſimilem. Huius igitur teſtimonio Paliuri fructus oblongus fuerit, non rotundus. Quæ ratio æquè facile ac prior refellitur. Magna enim eſt Aceris fructui cum fructu Paliuri ſimilitudo, non inuolucri rotunditate, nec verticillata figura, ſed quod duriuſculum ſemen, vt in Paliuro, membraneo tegumento operiatur, oblongo, & alis grandiorum muſcarum ſimili, ſed non tam oblongo in Paliuro, miranda Theophraſti diligentia, qui cùm dixiſſet Aceris τὸν καρπὸν ὑ λίαν μὲν προμήκη, παρὸμοιον ὃ τῷ παλίυρῳ, ideſt Aceris fructum non valdè oblongum, Paliuro tamen ſimilem, ſtatim ſubiicit, πλὴν προμηκέστερον, ideſt in Acere oblongiorem quàm in Paliuro, in quo rotundus eſt. Hactenus de primo Theophraſti, & Dioſcoridis Paliuro. Agathoclis verò Paliurum ſibi eſſe incognitum ſcribit Anguillara, niſi ſit ziziphus. Idem Paliurum Africanum Theophr. ziziphum ſylueſtrem eſſe arbitratur, quod Paliuro noſtrati, de quo modò diximus, ſimilis ſit, non modò folijs, ſed etiam ramis, & aculeis. Eſt enim ziziphus ſylueſtris, frutex quatuor, ſiue quinque & plures cubitos altus, ramis in terram ſic inclinatis, vt in ſemicirculum intorti eſſe videantur, craſsioribus ſpinis, & ſimiliter acutis, ſemper binis, ita prorſus diſpoſitis quemadmodum in noſtrate Paliuro: foliis ſicut in

Sorbo

Sorbo collocatis, fructu Iuiubis mitibus simili, nisi multo minor esset, & ad Oxycedri vel Lauri fructum magis accederet: maturus rufescit, & manditur, sed non cum nucleo, quia ossea est duritie. Sunt qui etiam Paliurum Africanum Theophr. & Ægyptium Agathoclis eundem esse existimãt, vtrũque verò nostrã Ziziphum, quorũ hæ sunt coniecturæ. Paliurũ in Aphrica semper extitisse scriptorũ omniũ veterũ monumentis constat: Ziziphũ quoque Aphricæ peculiarẽ fuisse, & D. Augusti nouissimis tãtùm tẽporibus, inde à Sexto Papinio in Italiã aduectã Plinius scriptũ reliquit. Quamobrẽ Dioscor. qui sub Antonio vixit homo natione Græcus, sed Romanæ ciuitatis incola, cũ adhuc Italiæ peregrina foret suo sæculo, nec eam cognouit, nec in opere suo celebrauit. Theophrastus in recensendis externis plantis, quas aut vidisset, aut ab alijs descriptas sciuisset, diligens admodũ, Ziziphi mentionẽ nusquam fecit, nec vllus quidem eorũ qui eius memoriam aut anteceſſerũt, aut secuti proximè sunt. Causam esse putant, quod Græcorũ, qui primi in Aphricam nauigantes eam arborem conspexerunt, cũ ignorarent eius nomen, ob similitudinem quam cũ Paliuri Græci folijs habet, Paliurum Aphricanum nominarunt: reliqui iis posteriores eodem nomine vti maluerunt, sibi facili, ac pronũciantibus non molesto, quàm barbara, & insolita voce Ziphziphi, qua fortasis tum Aphricani, vt verisimile est, eam arborem nuncupabant, nomine postea à Romanis recepto, sed linguæ suæ accommodato. Cum ergo nunquam Zizipho caruerit Aphrica, cuius fructus ad alenda seruitia in maximo vsu est illius populis, & gentibus, quod etiam apparet ex eorum historia, qui nuper Aphricæ ritus & mores enarrarunt, gustu palmulis, & vuis passis, haud absimilis, seruisque alendis idoneus, vt est eius regionis mos, & Paliuri Aphricani historia nostræ Zizipho foliorum figura, fructúsque specie optimè quadret, Paliurum Theophrasti & Agathoclis nostram Ziziphum esse non absque ratione arbitrantur, haud tamen præfractè aliorum sententiæ & iudicio, qui meliora proferent repugnaturi. Quod si hunc Paliurum alium esse, quàm Ziziphum existimandum sit, nullam aliam magis ad eius naturam accedere putant, quàm Rabich Arabum Aphricanorum, aut alteram à Ioanne Leone descriptam capite de Hain Elchallu. Rabich, inquit capite de Zarfa, spinosa arbor est, fructu minore quàm Cerasi, sapore fermè Ziziphorum. Idem loco citato de Hain Elchallu. Nascuntur illic Corni, & arbores multæ spinosæ, fructu terete, luteo, simili Ziziphis, nucleo maiore quàm Oliuæ, gustu non admodum grato. Hæc Dalechampius, huius sententiæ tacitis autoribus.

Lib. 15. c. 14.

RHAMNVS CATHARTICVS, siue Spina infectoria, CAP. X.

FRVTEX iste aculeatus, Rhamnus Catharticus vulgo dicitur, non quòd Rhamnus sit, aut vlla ei cum Rhamni generibus à Dioscoride & Theophrasto traditis affinitas, est enim Pruno syluestri similior quàm Rhamno, sed quod, vt Rhamni, spinis horret, eique spinis tantum nonnihil similis est. At cum ei nullum nomen à veteribus positum sit, Matthiolo Spinam infectoriam appellare libuit. Hetrusci *Spino merlo*, Longobardi Venetíque *Spin ceruino*, Foroiulienses *Spin guerzo* appellant, Galli *Bourgeſpine*, & *Nerprun*, Germani *Vueghedornbeer*, à viis, quia nusquam maiore copia inuenitur, quàm in dumetis secus vias sitis. Frutex est caudice tibiæ hominis crassitudine. Cortex illi subniger, & nitidus, qualis Cerasо, intus virens, post luteus: lignum extra candidum, interior medulla rubet. Eo validos arcus nostri fabricant. Rami spinis duris, acutis, & pungentibus rigent. Folia lata sunt, Piro quadantenus similia: flores albi, baccæ rotundæ, Myrtis similes, initio foris

Nomina

Forma

huit Cratæogonum, siue Cratæogona, quam Itali Aquifoliam vocant. At Plinio hic vehementer errasse periti omnes herbarij existimant, ἀγρίαν quoque apud Theophrastum pro alia arbore idem videtur significare, cum scribit, Arcadum Phellodryn Dorum esse ἀγρίαν, sic enim legit Gaza, & agrestem conuerti. Verùm in vulgatis exemplaribus pro ἀγρίαν ἁρίαν, exaratum reperias. Hic etiam scrupulum iniicit Theophrastus, cum scribit Suberem fructum ferre glandosum, vt vertit Gaza, similem Aquifoliæ, cum Aquifolium baccas ferat. Sed eum facile eximet emendata eius loci lectio, quæ est, καρπὸν ὃ φέρει βαλανώδη, ὅμοιον τῇ ἁρίᾳ. Ideſt, fructum fert vt Glandem, Phellodryi similem, quæ Dorum est ἁρία, cuius paulò ante meminit. Eam non rectè Ruellius cum Agria confundit, pro Ilice Aquifolia, inquit, à Doribus vsurpata. Nec probanda est eorum sententia qui Aquifolium, de quo hîc agimus, Paliurum Dioscoridis esse censent. Hoc enim semen folliculo inclusum habet, pingue, & fuliginosum, illud baccas rubentes. Est igitur Aquifolium Ruellij, Dodonæi, Tragi, Matthioli sententia, quod officinæ Agrifolium vocant, Theophrast. vt diximus, ἀγρίαν, Lugdunenses seruatis Græcæ vocis vestigiis Agron, & Agreuon, reliqui Galli *Houx*, & *Houſſon*, rusticis non ignotum, qui sæpè spinarum iniuriam experiuntur, Itali *Agrifolio*, Hispani *Azebo*: Belgæ *Hulſti*: Angli, *Holy*. Germani *Vualddiſtel*. Frutex est hæc plata, & multis in locis tam pumila arbor, & tam crescendo pigra, vt ad fruticosas plantas potiùs sit referenda. Aliis in locis in quibus sibi commodam nacta est humum, in iustam arborem attollitur, perpetua fronde virens, caudice, ramisque læuibus, cortice duplici contectis, exteriore viridi, interiore pallido, odoris ingrati: ligno candido, durissimo, grauissimo, quòd Gaiaci modo in aqua sidit, eique non admodum dissimile est. Folia sunt Lauri æmula, carnosa, solida, densa, pungentibus aculeis toto ambitu armata, ex viridi splendentia, vt in Malis aureis, & Medicis, pediculo breui pendentia, saporis non tam ingrati quàm cortex. Flores venusti, albi, parui, plures simul, breuibus pediculis annexi, vt in Lauro, qui quaternis foliolis, & quaternis apicibus constant, in quorum medio baccarum rudimenta apparent. Hæ tandem rotundæ sunt, rubræ, vmbilicatæ, paruæ, baccis Oxyacanthæ quodammodo similes, gustu subdulces, cum tetro quodam sapore, quaternis intus nucleis, triangularibus, & striatis. Hoc Aquifolio plæræque Galliarum syluæ scatent. Sæpe etiam in incultis iuxta vias, & inter sæpes cum aliis dumis reperitur. Fructus Septembri mense maturus est, diúque in arbore manet, temperamento calidus. Radicum decocto foueri vtiliter articulos auctor est Matthiolus, qui priùs luxati duritiem contraxerint, quoniam id decoctum emollit, resoluit, tumores discutit, ossáque fracta ferruminat. Aquifolia arbor, inquit Plinius, in domo aut villa fata veneficia arcet. Flore eius aquam glaciari Pythagoras tradit, itémque baculum ex ea factum, in quoduis animal emissum, etiam si citra ceciderit defectu mittentis, ipsum per sese recubitu propriùs allabi, tã præcipuã naturam inesse arbori. Scribit Dodon. quosdam iactantes se vires Aquifolij.

AQVIFOLIVM.

Lib. 3. Hist. cap. 16.

Ibidem.

Lib. 1. ca. 53. & 63.

Lib. 1. ca. 74. & 88. Lib. 6. c. 34. Li. 4. ca. 154. Lib. 1. Dios. ca. 104.

Nomina

Forma.

Locus.

Tempus. Temper. & vires

Lib. 1. Dio. ca. 104.

Li. 24. ca. 11.

Ibidem.

expertos, affirmare quinque huius baccas deuoratas, aduersus colicos dolores perutiles esse, & aluum mouere. Fit apud nos viscum ex Aquifolio, hoc modo. Huius cortices detrahunt, & facto humi scrobe, locis vliginosis maximè, obruunt, frondibus arborum inuoluentes, & ibi putrescere sinunt, quod ferè duodecim diebus fieri solet, tum marcidos eruũt, & tantisper in pila tundunt, dum in viscum lentescant: demum in profluente, vt obhærentes corticum reliquiæ sordésque fluitent, proluunt, & adiecto olei nucum momento, fictilibus recondunt ad aucupia.

LYCIVM, CAP. XII.

Lib. 1. c. 114. *Nomina*

LICIVM Dioscoridi, arbor spinosa, etiam Pyxacantha dicitur, vt & succus, qui ex ea fit: & Lycium quidem, à Lycia, in qua, velut & Cappadocia, magnus erat huius prouentus, etiam si Indicum optimum habeatur, vt ex Galeno dicemus. Pyxacantha verò à Buxi similitudine quadam, cum Græcè Pyxacantha nihil aliud sit, quàm Buxus aculeatus: Arabicè *Hadhadh*, *Hadad*, *Kilulem*, siue *Felzacarag*, Italicè *Licio*. Est igitur Lycium arbor spinosa, ramis tres cubitos longis, nonnunquam etiam longioribus: foliis Buxi, densis: fructu Piperis, nigro, læui, amaro, densóque: cortice pallido, non dissimili Lycio madefacto: radicibus multis, obliquis, lignosis. Hunc fruticem appictum, quoniam notis ferè omnibus Lycium repræsentat, vnde etiam Lycium rectè fiat, Brasauoli, Matthioli, Dodonæi auctoritate fretus, non dubitaui pro Lycio hîc proponere. In Liguriæ Alpibus prouenit, & in Dalmatia. Alia est planta Lycio non parum similis, inquit Matthiolus Verona à Calzolario missa, cuius effigiem hîc damus. Pinxit etiam Lobellius Lycium aliud Hispanicum, quod Clusius descripsit his ferè verbis, frutex est spinosus, multas à radice virgas ferens, cubitales, & ampliores, rectas, tenues, rubentes,

Forma.

Li. 1. Dioscor. cap. 114.

Li. 16. ca. 33. *Locus.*

LYCIVM
Alpinum.

LYCIVM
Italicum.



multis

multis ramulis donatas, qui in acutam ſpinam plerumque deſinunt: tametſi alios huc illuc ſparſos aculeos habeant, breues interdum & infirmos, nonnunquam verò oblongos, firmos, & multis foliis obſitos, folia multo ordine digeſta, Myrti Tarentinæ aut Buxi quodammodo æmula, guſtu læuia, & cum quadam aciditate mordicantia. Apud Complutum aliiſque Caſtellæ veteris locis, & Bæticæ parte, quam Extremaduram vocant, circa fluenta, & decliuibus locis naſcentem obſeruauit Cluſius. Plinius, Spinam ex qua Lycium fit in Græcia pyxacanthon Chironium vocari dicit, in cuius hiſtoria aliquantum à Dioſcoride diſsidet. Fert & Spina, inquit, Piperis ſimilitudinem, præcipua amaritudine: foliis paruis, denſiſque, Cypri modo: ramis trium cubitorum, cortice pallido, radice lata, lignoſaque, buxei coloris. Hac in aqua cum ſemine excepta in æreo vaſe medicamentum fit, quod vocatur Lycium. Ea Spina & in Pelio monte naſcitur, adulterátque medicamentum. Item Aſphodeli radix, aut fel bubulum, aut Abſinthium, vel Thus, vel Amurca. Lycium aptiſſimum medicinæ, quod eſt ſpumoſum. Indi in vtribus camelorum, aut Rinocerotum id mittunt. Spinam ipſam in Græcia quidam Pyxacanthum Chironium vocant. Dioſcorides folia Buxo ſimilia dixit. Plinius radicem buxei coloris, eandémque latam, cum in Dioſcoride obliqua eſſe legatur, vt πλαστία pro πλαγία à Plinio legi potuerit, ſicut & ab Oribaſio legitur. Elicitur ſuccus ex foliis vnâ cum frutice tuſis, & ad multos dies maceratis, deinde coctis. Tum abiectis lignis liquor itidem coquitur, donec mellis craſsitudo fiat. Adulteratur id Lycium adiecta decoctioni Amurca, aut Abſinthij ſucco, aut felle bubulo. Innatans ſpuma inter coquendũ exempta, oculorum medicamentis additur: reliquo ad alia vtuntur. Simili modo fit Lycium ſemine expreſſo, & inſolato. Plinius ex Rhamni ſyluestris & nigrioris radice in aqua decocta fieri medicamentum tradit, quod vocatur Lycium; de quo iam diximus. Sed mox ſubdit. Lycium præſtantius è Spina fieri, quam & Pyxacanthum Chironium vocant, qualem in Indicis arboribus diximus, quoniam longè præſtantius exiſtimatur Indicum. Coquuntur in aqua tuſi rami, radicéſque ſummæ amaritudinis, in æreo vaſe, ferè per triduum, iterũque, exempto ligno, donec mellis craſsitudo fiat. Quo loco rurſus à Dioſcoride diſſentit, quia ramos & radices coqui ſcribit, Dioſcorides folia cum frutice. Ruellius tamen in verſione ſua Plinij ſenſum exprimere maluit quàm Dioſcor. Rami, inquit, cum radiculis tuſi, &c. Cum in Dioſco. legiſſet, χυλίζεται ὁ τῶν φύλλων σὺν τοῖς θάμνοις θλασθέντων ideſt, colligitur ſuccus foliis cum frutice tuſis, &c. Lycium optimum eſt, quod vri poteſt, reſtinctúmque rubentem ſpumam κατ-τον, ideſt fumum legit Oribaſius) oſtendit, glebis extrinſecus nigris, intus, cum fregeris, ruſis, odore minimè viroſo, cum amaritudine aſtringens, crocino colore, cuiuſmodi Indicum eſt, cæteris præſtantius, & efficacius. Hoc & Galenus confirmat. Lycium hoc in Lycia & Cappadocia plurimum prouenit. Alterum

LYCIVM Hiſpanicum.



Dioſcori. Ibidem.

Li. 24. c. 14.

Cap. 8.

Electio. Dioſcor. Ibidem.

Lib. 7. ſim. & 4. med. p. cap. 4.

verò Indicum ad omnia valentius est. Hæ lycij notæ diligenter sunt animaduertendæ, quibus legitimum ab adulterino dignoscamus, etiamsi id facile non
Li.1. Antid. sit, Galeno teste. Quare cùm id quod passim Officinæ hodie vtuntur, nec igni admotum accendatur, nec intus rufescat, nec vlla eius amaritudo gustu percipiatur, cum denique notis omnibus à vero dissideat, adulterinum esse constat. Alij enim ab impostoribus ex Ligustri fructu, alij ex Periclymeni baccis, alij ex Sanguineę virgę Corymbis, alij ex iis omnibus simul contusis fieri tradiderunt.
Emb.III. li. i. Dioscor. Lib 1.c.114. Quod verò Lycium Indicum scripsit Dioscor. fieri id ex frutice Lõchitide, Cornpenitùs suppositititiũ esse iudicat, & de Lonchitide herba huc trãslata, de qua infrà eadẽ ferè traduntur. Lycium verũ, auctore Dioscor. adstringit, caliginẽ oculorũ
Vires. discutit, genarũ scabiẽ, pruritus, veterésque fluxiones sanat, facit ad purulentas aures, exulceratas gingiuas, tonsillas, labiorum fissuras, sedis rimas, attritúsque illitum: cœliacis, dysentericísque potum inditúmque conuenit: datur sanguinem excreantibus, & tussi, ex aqua: contra rabiosi canis morsus in catapotio deuoratur, aut in aqua bibitur, flauos facit pilos, reduuiis, vlceribus quæ serpunt, aut putrent, medetur: fœminarum profluuia appositùm sistit, rabiosorum ictibus ex lacte potum, aut vice catapotij deuoratum, auxiliatur. Quæ postrema apertè corrupta sunt. Cùm enim paulò ante de commorsis à cane rabido dixerit, quid attinet statim eadem repetere? Quare in iis quæ in Dioscoride leguntur, ἴστησι καὶ ῥῶν γυναικεῖον προστιθέμενον, βοηθεῖ ὃ καὶ λυσοδήκτοις, ποθὲν μελὰ γάλακτος, ἢ
Ibidem. ἀνὶ καλαπόσις λαμβανόμενον, Cornarius has voces redundare putat, βοηθεῖ καὶ λυσοδήκτοις, & pro iis particulam ἢ reponendam, vt accipiamus sistere fluxum muliebrem appositum, aut potum cum lacte, aut catapotij modo sumptum. Plinius enim, Bibitur & à mulieribus in lacte contra profluuia, perspicuè dixit. Galen.
Libr. 7. simi. verò, lycium siue Byxacanthum, inquit, arbor spinosa, ex qua lycium conficitur id videlicet medicamentum liquidum, quo ad fugillata vtũtur, & sedis orísque phlegmonas & vlcerationes, tum herpetas, putredines, vlcera contumacia, aures purè fluentes, intertrigines, & paronychias. Est autem facultatis exsiccatoriæ, compositum ex diuersi generis substantiis, altera quidem tenuium partium, digerente, atque calida, altera terrestri & frigida, ex qua adstrictionem habet. Porrò hæc qualitas pusilla medicamento inest: digerit verò & desiccat non parum, in secundo scilicet ordine: in calore autem symmetris proximũ est. Proinde ad varia hoc vtuntur, vt abstergente quidem: ad ea quæ pupillas obtenebrant vt contrahente verò cœliacis, dysentericis, ac muliebri profluuio adhi-
Li.24.c.14. bentes. Lycij spuma Plinio, ac flos quidam, oculorum medicamentis additur. Reliquo succò faciem purgat, & psoras sanat, erosos angulos oculorum, veterésque fluxiones, aures purulentas, tonsillas, gingiuas, tussim, sanguinis excretiones, fabæ magnitudine deuoratum, aut si ex vlceribus fluat (sub. sanguis) illitum: rhagadas, genitalium vlcera, attritus, vlcera recentia, & serpentia, ac putrescentia in naribus: suppurationes. Bibitur & à mulieribus in lacte contra profluuia. Indici differentia, glebis extrinsecus nigris, intus rufis, cum fregeris cito nigrescentibus. Astringit vehementer cum amaritudine. Ad eadem omnia vtile est, sed præcipuè ad genitalia. Garcias in Aromatum Indi-
Li.1.c.10. corum historia, auctor est Cate siue Cato medicamentum esse apud Indos cum amaritudine astringens, arborémque ex qua succus is extrahitur magnitudine Fraxini, folio minuto, Ericæ vel Tamarici simillimo, perpetuo virente. Florere aiunt, sed fructum ferre negant: multis spinis horrere: materia ligni robusta, dura, densa, ponderosa, nec, vt aiunt, putredini obnoxia, siue solibus exponatur, siue aquis immergatur: quam ob causam incolis lignum Sem-

peruiuum

peruiuum nuncupant. Hanc arborem Hacchie vocant, cur autem ſiccum Cate vocent, ille intelligere non potuit. Porrò ſucci extrahendi rationem hanc eſſe tradit. Ramos huius arboris minutim conciſos elixant, deinde contundunt, poſtremò cum farina Nachani (ſemen id eſt nigrum & minutum, ſapore Secales, conficiendis panibus aptum,) & cuiuſdam nigri ligni, quod illic naſcitur ſcole (interdum etiam ſine eo) paſtilli aut tabellæ formantur, quas in vmbra ſiccant, ne ſolis ardore earum facultas exhalet. Optimum eſt medicamentum non modò ad confirmandas gingiuas, & deſiccandum & conſtringendum, verùm etiam ad alui profluuia curanda, oculorumq; dolores tollendos, in quibus plerúmque ſe optimo ſucceſſu vſum fuiſſe affirmat. Idem auctor hoc Cate nihil aliud eſſe exiſtimat, quam Græcorum & Latinorum Lycium. Nam eius extrahendi ratio ab omnibus eadem deſcribitur, iiſdémque facultatibus pollere, quibus Indicum Lycium, cenſetur. Huc adde quod Indicum Lycium præfertur à Dioſcoride, Plinio, Galeno, Auicennâ, & Serapione, qui Hadhadh appellant. Hæc Garcias. Sed vnum hoc refragatur, quod & à Cluſio annotatum eſt, Dioſcoridi Lycium Buxi folia habere, & puſillam eſſe arborem, vt alia eſſe videatur arbor quæ à Garcia deſcribitur. Tametſi non ſatis ſibi conſtare videatur Dioſcorides in Lycij hiſtoria, ſi modo poſtrema capitis de Lycio pars Dioſcoridis ſit. Hic etiam plantam ſecundo loco pictam, haud abſurdè Lycium dici poſſe Dalechampius arbitratur. Eſt enim Spina tres cubitos alta, cortice in cinereum palleſcente, radicibus multis, lignoſis: foliis denſis, figura Buxo non diſsimilibus, colore, craſsitudine, venularúmque ductu ad Prunum vtcumq; accedentibus: aculeis multis, rigidis, folioſis, fructu Piperis magnitudine, nigro, adnexo breui pediculo, nunc triangulo, nunc quadrangulo, nunc cordis figura, pro nucleorum numero, è cuius faſtigio pilus duplex ſubtiliſsimus eminet, guſtu aſtringente & valdè amaro. Baccis ad tingendum aureo colore ſericum infectores vtuntur, eáſque vocant Tinctorium granum, *Graine a teindre*, aut flauum granum, *Graine iaune*, aut Auenionenſe granum, *Graine d'Auignon*. Id quod de Lycio Dioſcorides prodidit, nimirum ξανθίζειν τὰς τρίχας, flauos reddere pilos, facit vt credam, quod & multi aſſerunt, verum Lycium quamuis hæc planta non ſit, eius ſucoſis nos vtamur, eoſdem effectus deprehenſuros, quos veteres ſuo Lycio tribuerunt. In aſperis & ſaxoſis circa Auenionem & Carpentoracte locis prouenit.

Li. 2. c. 399. Lib. ſimpl. cap. 7.

Forma.

Locus.

LYCIVM
Dalechampij.

OLEASTER, CAP. XIII.

Nomina OLEASTER, olea syluestris & Æthiopica dicitur, Græcis, ἀγριελαία, κότινος, αἰθιοπικὴ, ἐλαῖα. Oleæ domesticæ fere similis est, sed foliis paulò minoribus, inter quæ pungẽtes aculei multi: fructus etiam minor, qui difficilè matureſcit. Quod ex eo elicitur Oleum viride est, & immaturũ, cuius in Galliæ Officinis nullus est vsus. Dioscorides tamen diuersas Oleastri partes, multos & diuersos in medicina præbere vsus ostendit.

Forma

Lib. 1. c. 118.

Vires.

OLEASTER.

Folia, inquit, adstringunt: trita & imposita ignem sacrum, vlcera quæ serpunt, epinyctidas, carbunculos, reduuias, nomásque cohibent: crustas emarginant cum melle illita: quinetiam sordida vlcera repurgant, inflammationes panósque cum melle illita discutiunt: curem à capite vulsam conglutinant: oris vlceribus, & priuatim infantium, commanducata medentur. Succus & decoctum eosdem habet effectus: Sanguinis eruptiones ac muliebre profluuium admotus succus inhibet: vuæ oculorum, pustulísque prodest: vlcera, & veteres defluxiones sistit: quapropter in collyria additur, ad palpebrarum erosiones perquam vtilis. Exprimitur succus tusis foliis, affuso vino, aut aqua, siccatúsque sole, in pastillos digeritur. Sed longè validior, & ad recondendum aptior succus habetur, qui cum vino, quàm qui cum aqua expressus est: auribus subuenit, siue vlcerentur, siue pus effluat. Folia conuenienter cæliacis cum farina hordeacea illinuntur. Vruntur cum floribus folia, vt Spodij vicem cinis præstet, in cruda olla, oblito ore luto, vsque dum figlinum percoquatur: restinctáque vino, & rursus subacta eodem modo vruntur. Postremò ceruſæ modo elota coguntur in pastillos. Huiusmodi cinerem in medicamentis oculorum, constat spodio non cedere, sed iisdem viribus præditum esse. Oleum syluestris oliuæ gingiuis putri vligine laborantibus colluitur, dentium mobilitates stabilit: calfacti & ex colati fotus gingiuis fluxione laborantibus vtilis est: lanam enim specillo circumligatam oleo madefacere oportet, & gingiuis admouere, donec albæ spectentur. Oleæ Æthiopicæ lacryma Scammonio quadam tenus similis est, fulua, stillis exilibus constans, mordax. Quæ autem Ammoniaci aut Gummi similitudinem refert, colore nigricans, nec gustu mordens, superuacua est. Nostrates Oleæ Oleastriq; similem lacrymam sudant, quæ commodè ad oculorum hebetudines illinitur: cicatrices, albuginésque illitu emendat: vrinam & menses ciet: cauis dentium impressa, ad dolorem efficax est. Inter venena scribitur, aut vt quidam interpretantur, numeratur inter ea quæ fœtum corrumpunt: partus pellit: lepras & impetigines sanat. Hippocrates ad fluxum rubrum inter reliqua medicamenta ψώραν ἀγριελαίας, id est oleæ agrestis scabiem habet: sic enim Plinius ψώραν morbum arborum interpretatur. Idem limum vel lichena appellat. Syluestris seu Æthiopicæ Oleæ lacryma licet multis polleat viribus, inquit, Matthiolus, eius tamen in Officinis nullus est vsus, neque vlla ad nos adfertur. Sed sunt qui hanc esse putant, id quod recentiores medici

Lacryma oleæ Aethiopicæ.

Vires.

Lib. 2. mor. mul.

Li. 17. c. 24.

Lib. 23. c. 7.

Lib. 1. Dioscor. ca. 119.

Lacryma oleæ Aethiop. non est gummi elemni.

medici & Officinæ Gummi Elemni vocant. Illos vehementer errare gustatus ipse indicat. Neque enim mordax est id Gummi, neque linguam vellicat. Gummi verò impropriè dici, cùm in Resinarum genere sit potiùs, ex eo intelligi licet, quòd igni exposita hæc lacryma, statim colliquescit, ac diffunditur, non aliter quàm Resina quæ ex Pinu, Picea reliquisq; resiniferis stirpibus manat. Nullum autem Gummi genus igni liquatur, nisi addito aceto, aut vino, aut liquore alio, sed vritur. Cæterum etsi nobis prorsus ignota sit planta; ex qua in Oriente hæc Elemni lacryma prouenit, tamen notissimæ sunt Chirurgis eius vires. Ea enim in emplastris & vnguentis ad caluariæ fracturas, & vulnera sananda vt præstantissimo vtuntur medicamento. Est & alia, auctore Theophrasto, Oleæ maris rubri lacryma, ex qua medici ad cruenta recentiáque vulnera medicamentum componunt præstantissimum.

Vires gũmi Elemni

Li. 4. Hist. cap. 8.

PHILLYREA, CAP. XIIII.

THEOPHRASTI Phillyram à Dioscoridis Phillyrea plurimum distare nemini iam dubiũ est, id quod maximè descriptiones confirmant, vt fusius diximus, cùm de Tilia ageremus. Est enim Phillyra procera, crassaq;, foliis latiusculis, modicè serratis, ferè Hederaceis, at Phillyrea Dioscoridi arbor est Ligustri tantum magnitudine, foliis Oleę nigrioribus, latioribus: fructu Lentisci, nigro subdulci, racematim cohærente. In asperis nascitur. Hanc Matthiolus Phillyreæ Iconem proposuit tantùm, nõ descripsit, quia descriptioni Dioscoridis haud parum conuenire videatur: non affirmat tamen legitimam esse, quod eius baccæ subdulces non sint. Pena pro Phillyrea φιλελαῖαν dicere mauult, id est Oleæ amasiam, vt ait, quod Oleæ non modò similis sit, sed etiam socia, vt ab Oleastris quibuscum frequens nascitur, nihil ferè discrepet. At potius φυλελαῖαν dicas, id est folio Oleæ similem. Huius ille genera duo descripsit, & depinxit, quæ arboresc ũt în Gallicæ prouinciæ viarum marginibus, & Oliuetis Monspelio vicinis. Maior & rarior, persimilis est pumilæ Oleæ, caudice, ramísque nigrioribus, longioribus quàm Oleæ agrestis, folio magis ad Ligustrum accedente: baccis exiguis multis, è ramis prodeuntibus cum suo pediculo, minoribus quàm in Oleastro, non amaris, vt in oleastro, sed subdulcibus, nucleo intus Cerasi. Minor multò frequentior in iisdem natalibus & Monspelij collibus glareosis, folio æquè longo, sed angustiore dupio. Est etiam duplo minor tota plãta: acini similes lentiscinis, & similiter racematim proximè hærẽtes, breui admodum pediculo, qui maturi subdulces fiunt, aliquantùm acres, sed non ingrati vt Oliuæ satiuæ, & agrestes. Has duas Alaterni nomine, in fine huius libri exhibuimus. Serapi Mahaleb describens, totum Dioscoridis de Phillyrea caput transcripsit. Sed planta, inquit Matthiolus, quam nonnulli Mahaleb vocant, cuius baccarum nucleis Vnguentarij ad odores conficiendo vtuntur, Dioscoridis Phillyreæ

Forma.

Lib. 1. c. 108.

Cap. 44. simpl.

In cap. 108. lib. 1.

PHILLYREA
Matthioli.

lyreæ reſpondere non videtur. Nam hæc folia habet Oleæ, ſed latiora, baccas racematim cohærentes, quæ notæ in Mahaleb hîc appicto non reperiuntur.

MAHALEB
Matthioli.

Verùm vt Mahaleb illud, cuius nucleorum Vnguentariis eſt vſus, negat Phillyream eſſe Matthiolus, ita legitimum eſſe Mahaleb, de quo Arabes ſcripſerunt, multis rationibus perſuaſus credit. Arabes enim quos citat Serapio ſuo Mahaleb facultates à Phillyreæ facultatibus multùm diuerſas tribuunt, quoniam Phillyrea Dioſcoridi adſtringit Oleæ agreſtis modo, Serapionis vero, Abẽ Meſues & Rhaſis teſtimonio Mahaleb calfacit, & emollit, id quod vulgaris Mahaleb nucleos, quibus vnguentarios vti diximus, euidenter præſtare ait Matthiolus. Nam cutis aſperitatem duritiémque læuigant, & emolliũt illiti, affrictíue: ex quibus colligit rectè eos ſentire, qui plantam hîc pictam genunium Arabum Mahaleb eſſe arbitrantur. Quod, ſi verum eſt, non parum hallucinatus fuerit Serapio, qui putarit Arabum Mahaleb, Dioſcoridis eſſe Phillyreã, præſertim cùm Arabas citet, qui Mahaleb vires aſsignent, tum eas quas diximus, tum ventris tineas pellendi facultatẽ, quæ Phillyreæ minimè inſunt. Pena Phillyream aliam de viua arbore expreſsit, quam hîc depinximus. Hanc prorſus refert maior priorq; illius Phillyrea hoc capite deſcripta. Reperitur in Gallica prouincia circa Tholonum. Æquat ſcapo, & ſparſis ſtolonibus Prunũ & Ceraſum, folio planè Phillyreæ, aliquanto latiore: flos Ilicis muſcoſus, albidus: & pluſculæ vna aceruatæ & congeſtæ baccæ, Terebinthi, maiores, nigricantes, herbidæ, ſubdulces, nucleis, quales prorſus proſtant hodie in Officinis nomine Mahaleb. Hæc, verius Serapionis Mahaleb, id eſt Phillyrea fuerit. Phillyreæ folia adſtringunt, auctore Dioſcoride, ad eadem vtilia, ad quę Oleaſter, cum adſtrictione opus eſt: maximè ad oris vlcera, commanducata, aut ſi decocto dentes colluantur. Pota vrinam ac menſes cient. Alias Cluſi Phillyreas adiungimus illis pridem à nobis declaratis. Priorem Ilice coccifera proceriorem, ramis pollicem & amplius craſsis, cortice viridi, ſed albicantibus, maculis aſperſo, foliis Ilicis cocciferæ, maioribus, viridioribus, denſioribus, in ambitu nonnihil ſpinoſis, guſtu adſtringente, ſed ſapore non ingrato. Fructus Lentiſcino maior non eſt, ex foliorum alis dependens, niger cum maturuit. Hanc altera magnitudine

PHILLYREA
Mahaleb Serapionis.



Vires.
Lib. 1. c. 108.

ſuperat

PHILLIREA
secunda Clusij.

ſuperat, multos proferens ramos, candicante cortice obductos, folia ei frutici quem ille pro Alaterno maiori, nos pro Apharca depinximus, ferè ſimilia, ſed firmiora, & minùs nigricantia, ſapore aliquantulum acri, cum quodam amarore. Fructus Decembris initio racematim inter folia propendere viſus eſt, magnitudine granorum Piperis, aut baccarum Myrti, niger, calidus, nucleum oſſeum & durum cortice candido & fragili opertum contegens. Præter has, tertiam & quartam Phillyreas Cluſius oſtendit, eaſdem cum Penæ Phillyreis maiore & minore, ſupra memoratis, quas alibi pro Alaterno deſcripſimus.

CAPPARIS, CAP. XV.

VT κάππαρις Græcè, ita Capparis Latinè nominatur. Quidam, teſte Plinio, Cynosbaton appellarunt, quod, opinor, quædam illi ſint cum Cynosbato cõmunia: alij Ophioſtaphylen, id eſt Vuam viperinã, pro qua in nothis Dioſcoridis Phylloſtaphylen legimus. Gaza Inturin vocauit, Arabicè *Cappar*, ſiue *Kappar*, dicitur, Italicè *Capparo*, Gallicè *Cappres*, Germanicè *Kappern*, Hiſpanicè *Alcapparas*. Fructus eſt aculeatus, cùm humi ſternitur, ac iacet: huc illuc in orbem euagatur. Spinas vt

Nomina Lib. 13. c. 23.

Forma.

CAPPARIS.

CAPPARIS folio Acuto.

Rubus

Rubus habet in hami modum aduncas:folia Mali Cotoneæ, rotunda: fructum Oleæ ſimilem:is cùm dehiſcens panditur,florem candidum promit,quo excuſſo nonnihil Glandis oblõgæ figura inuenitur, quod apertum grana Acinis punicorum ſimilia oſtendit, parua,rubicunda.Radices lignoſas ſpargit, grandes, numeroſaſq;.Capparis retuſo folio hîc picta eſt:item altera folio acuto, ea ſola varietate à priore diſcrepans.Tenui plerúmque ſolo, aſperíſque locis, in inſulis,& inter rudera naſcitur.In cultis Capparim prouenire negat Theophraſtus. Lib.6.Hiſt. cap.5. Qua de cauſa inter frutices & dumos eam repoſuimus. Seruntur tamen,colunlib.19. c.8. túrque perinde ac ſegetes & legumina.Plinius. Quippe cum Capparis quoque ſeratur ſiccis maximè,area in defoſſu cauata,ripiſq; vndiq; circunſtructis lapilib.11.ca.3. de:aliàs euagatur per agros,& cogit ſolum ſterileſcere. Columella. Capparis in plurimis prouinciis ſua ſponte in noualibus naſcitur.Sed quibus locis eius inopia eſt,ſi ſerenda fuerit,ſiccum locum deſiderabit:isq; debebit ante circundari foſſula,quæ repleatur lapidibus,& calce, vel punico luto, vt ſit quaſi quædam lorica,ne poſsint eam perrumpere prædicti ſeminis frutices, qui ferè per totũ agrum vagantur, niſi munimento aliquo prohibiti ſint. Quod tamen non tantum incommodum eſt(ſubinde enim poſſunt extirpari) quãtum quod noxium virus habent,ſuccoq; ſuo ſterile ſolum reddunt. Cultu aut nullo, aut leuiſsimo contenta eſt:quippe quæ res etiam in deſertis agris citra ruſtici operam conualeſcit Seritur vtroque æquinoctio. In Cypro Capparis plurimùm prouenit. In *Temper.* Plin.ibid. Italia,Hiſpania,Gallia Narbonenſi frequens.Floret æſtate. Viret vſque ad Vergiliarum Occaſum;ſabuloſis familiariſsima. De huius multiplici, tum in cibis, Li.2.c.169. tum in medicamentis vſu,hæc ab auctoribus traduntur,à Dioſcoride. Caulis & *Vires & Vſus.* fructus cibi gratia cõdiuntur.Aluum turbat,ſtomacho aduerſatur, ſitim gignit: cocta tamen ſtomacho,quàm cruda vtilior eſt. Fructus drach.duabus in vino potus quadraginta diebus lienem abſumit,& vrinam cruentúmque excrementum emittit:bibitur vtiliſsimè in coxarum doloribus,& neruorum reſolutione, item ruptis & conuulſis:menſes ciet,caput purgat.Dentium dolorem ſedat ſemen ex aceto decoctum, colluto inde ore. Aridus radicis cortex ad eadẽ proficit:vlcera omnia vetera & ſordida, & quæ occaluerunt,expurgat: lienoſis cum farina hordei illinitur: dente demorſa dolori eius auxiliatur: cum aceto trita vitiligines albas exterget.Radix foliáque intrita ſtrumas ac duritias diſcutiunt. Aurium vermiculos infuſus ſuccus enecat. Aphrica, & præſertim Marmarica Capparis vehementer inflat.Apula vomitus facit.Quæ à Lybico,& rubro mari defertur,mirum in modum acris eſt, ſi quidem in ore puſtulas excitat, gingili.7.ſimp.l. uáſque oſſe tenus exeſt. Quare in cibis non ab re damnatur. Capparis Galeno radicis cortex vincentem habet qualitatem amaram,proximam acrem, deinde acerbam. Ex quo liquet diuerſis pugnantibúſque conſtare facultatibus. Nam abſtergere,purgare,incidere poteſt amaritudine,excalfacere,incidere, digerere acrimonia: contrahere,denſare,conſtringere acerbitate. Idcirco lienes induratos,ſi quod aliud, hoc medicamentum iuuare poteſt,tum foris idoneis illinendis remediis admixtum, tum intro in corpus aſſumptum, ſiue decoctum in aceto, aut Oxymelite, ſiue aridum contuſum, illíſque permiſtum. Quippe cum apertè craſſos, lentóſque humores hoc pacto ſumptum euacuet, nec eos tantùm per vrinas, ſed & per ventrem:ſæpe etiam ſanguinolentos deferat, vnde & lienes iuuantur,& coxarum dolores.Quinetiam menſes promouet:ex capite purgat,detrahítque:auxiliatur ruptis,& conuulſis.Radicis eius cortex,vlceribus malignis cataplaſmatis modo impoſitus, non malum eſt remedium, vt qui illa extergere valeat,& potenter deſiccare.Præterea dentium dolores,prædictarum qualitatum ratione adiuuat,interim cum aceto coctus, interim cum

vino

vino, sæpe etiam solus dentibus mansus. Radicis cortici fructus proportione virium respondet, nisi quod ad omnia imbecillior est. Imo & folia, & caules eius similem vim obtinent. Memini me foliis quandoque, paucis diebus, duritiem cœradis naturam referentem discussisse. Sed admiscemus illis quippiam, quod virium obtundat vehementiam. Iam non mirum est, quòd aurium vermes succus amaritudine occidat sua. Porrò Capparis quæ in feruentibus admodum regionibus prouenit, vt quam fert Arabia, multò est nostrate acrior, adeo vt plurimùm etiam habeat facultatis adurentis. Idem alibi. Capparis facultas tenuium admodum est partium: proinde minimum alimenti in corpus eorum, qui ipsa vescuntur, distribuit, quemadmodum & alia omnia quæ tenuibus constant partibus. Vtimur autem fructu huius plantæ, magis vt medicamento, quàm vt alimento. Importatur ad nos etiam sale consperſus: quia solus asseruatus putrescit. Clarum ergo est Capparis adhuc virentem, antequam sale condiatur, plus habere nutrimenti. Nam ex salis conditura plurimum eius amittit, & nisi sal abluatur, prorsus haud quicquam nutrit, aluum tamen subducit. Verùm ablutus, & maceratus, donec omnem salis naturam exuat, vt minimi sane alimenti cibus est, ita obsonium, & medicamentum, cùm ad excitandum prostratum appetitum, tum ad deradendam deiiciendámque pituitam ventri adhærescentem accommodatum erit, ac denique ad lienis iecorisq; amoliendas obstructiones. Verum in hos vsus cum Oxymelite, aut Oxelæo ante alias omnes dapes sumi oportet. Tenellis porrò Capparis germinibus homines, vt Terebinthi turionibus vescuntur, cumq; adhuc virent, in oxalme, & aceto non secus atque hos reponunt. Plinij verba hîc adscribam. In Ægypto & Capparis, firmioris ligni frutex seminisq; in cibis vulgati, caule quoque vna plerúmque decerpto. Cauenda eius genera peregrina. Siquidē Arabicum pestilens, Aphricum gingiuis inimicum, Marmaricum vuluis, & torminum inflationibus. Apulum vomitus facit: stomachum & aluum soluit. Marmaricum dixit, quod apud Marmaridas Libyæ nasci Dioscorides ait. De vsu Medico idem hæc scripsit. Non vtendum transmarino. Innocentius Italicum est. Ferunt eos qui quotidie id edunt, paralysi non periclitari, nec lienis doloribus. Radix eius vitiligines albas tollit, si trita in sole fricentur. Splenèticis prodest in vino potus radicis cortex, duabus drachmis, dempto balinearum vsu. Ferúntque x x x v. diebus per vrinam & aluum totum lienem emitti. Bibitur in lumborum doloribus, ac paralysi. Dentium dolores sedat tritum semen, ex aceto decoctum, vel manducata radix. Infunditur & aurium dolori (semen, sub.) decoctum oleo. Vlcera quæ Phagedænas vocant folia, & radix recens cum melle sanant. Sic & strumas discutit radix: parotidas vermiculósque cocta in aqua. Iocinoris quoque malis medetur. Dant & ad tineas in aceto & melle. Oris exulcerationes in aceto decocta tollit. Stomacho inutilem esse inter auctores conuenit. Nunc vt olim floribus & fructibus muria asseruatis frequentissimè in cibis vtimur. Suauiores palatóque gratiores sunt recentes acerrimo asseruati aceto, quod plerique faciunt in Hetruria. Præstantissimæ Cappares ex Alexandria Ægypti Venetias adferuntur. Est & in Apulia earum prouentus, sed Ægyptiis deteriorum. Proueniunt etiam Romæ in collapsis ædificiorum parietibus, ruderibusq;, præsertim circa Pacis templum, itemq; Senis, quæ quidem Apulis saporis præstantia minimè cedunt. Paulus earum vsum commendauit ex aceto, & oleo, quod & appetentiam inuitent, & lienem laxent, pituitamq; per aluum exigant. Theuetus auctor est in Insula Suachem Æthiopico litori adiacente nasci herbā quandam *Albam* nomine, in rupibus, late sese diffundentem, foliis, fere Capparis: cuius fructus germina sunt, sine capitula rotunda. Folia, radices, fructus gustu

Li. 2. Alim.

Lib. 13. c. 23.

Lib. 20. c. 15.

Matth. li. 1. Dioſc. cap. 169.

l i. t. ca. 74. The. 1. Cosmo. la. 5. c. 6.

ſuauiſsimi ſunt,& cordi ſalubres, quibus indigenæ ad coliros & ſtomachi dolores quoſuis, præterea ad hepatis & pulmonum affectus vtuntur, decocto ex tota herba parato cum corallij albi puluere.

APHARCA, CAP. XVI.

Nomina

DEPICTVM hîc fruticem herbarij quidam Apharcam Theophraſti eſſe putant:alij Lycium alibi deſcriptum. Alij Phillyream Græcorum:Monſpelienſes Pharmacopœi *Bourgeſpine*, id eſt, Spinam Burgundicam vocant. Pena eo nomine depinxit & deſcripſit, an Apharca ſit Theophraſti dubitans.Ego de nominibus digladiari nolo, ſed pro virili parte plantas minimè vulgatas & adhuc veluti reconditas in apricũ proferre. Scio enim non defuturos viros ingenioſos, qui iis cognitis nomina ſua, vel fortuitò,vt plerunque fit, vel ex diligenti veterum auctorum lectione ſint impoſituri.Cæterùm frutex hîc in arborem etiam creſcit, magnitudine Mali Punicæ,radice craſſa, caudice recto,ramoſo, cortice non admodum ſpiſſo, ex cinereo albicante,aſpectu triſti: foliis ima parte anguſtis,ſuperna latiuſculis, Portulacæ modo, obtuſis aliquando, interdum in acutum faſtigium terminatis, per ambitum inſectis,inciſurarum eminẽtiis rigidiuſculis, carnoſis,Ilicis,aut Oleæ modo,venoſis elata coſta per medium diuiſis:flore albo, baccis racematim cohærentibus,anguloſis,principio virentibus, cùm maturuerunt, nigris, guſtatu ſubdulcibus. Arbor iſta perpetua fronde viret,ea dote Laurum Ilicem, & cæteras ſua coma ſemper ornatas prouocans Apharcæ folia non decidere ſcripſit Theophraſtus.Præterea illam & Adrachnen germinare cum vrbanis arboribus, ac vtramque biferam videri, his verbis: Ἀνδράχνη δὲ & ἀφάρκη τὸ μὲν πρῶτον παιπαλύσει ἅμα τῷ βότρυϊ περιχάζοντι. τὸ δὲ ὕστερον ἀνθοῦντι. δοκεῖ δὲ ταῦτα δίκαρπα, ἀρχομένης δὲ χειμῶνος, &c. Quæ cùm malè à Theodoro ſint verſa, ſic mihi rectè videntur exprimi poſſe. Adrachne & Apharca fructum primum cum Vua nigreſcit,& varia fit, maturant: alterum cum vitis floret.Bis enim ambæ fructum ferre videntur.Ineunte hyeme,&c. Prouenit in aſperis & ſaxoſis oræ maritimæ locis,non procul à Monſpelienſi vrbe, quà Vicum itur,pagum Apiano vino percelebrem.

APHARCA
Theophraſti.

Lib.1. Hiſt. cap.15. Lib.3. Hiſt. cap.6.

Locus.

ALATERNVS CLVSII: CELASTRVS Theophraſti, CAP. XVII.

MIRANTVR, & iure quidem, in ſtirpium cognitione verſati, cur Plinius Apharcæ,Phyllicæ,atque Celaſtri plantarum à Theophraſto ſæpè memoratarum nuſquam mentionem fecerit. Ego ſanè Plinium tacuiſſe de illis puto; quia Græciæ, & ſemotis ab Italia prouinciis peculiares eſſe,vt & Adrachnen,crederet.Phillyæ ſolius meminiſſe quidam conſent,Alaterni nomine, quòd vbi Phyllica naſcitur, eius regionis incolæ

incolæ adhuc vocent Alaterno, Linterno, & Alarders, vocabulo ad Alaternum accedente. De illa planta nos posthac agemus. Celastrum Theophrasti plerique esse volunt plantam, quam pro Alaterno huius rei peritissimus Clusius pingit, & describit, & eam duplicem: Maiorem, nonnunquam arborescentem, ramis

ALATERNVS prior Clusij: Celastrus mas Theophrasti.

ALATERNVS secundus Clusij: Celastrus Theophrasti fœmina.

longis, non admodum crassis, in alas minimè diuisis, surculis flexilibus, cortice è viridi candicante, membrana subtus flauescente: Foliis nullo ordine dispositis, media inter Oleam & Ilicem magnitudine, crassiusculis, in ambitu leuiter serratis, è nigro virentibus, ingrati gustus, amaris, cum acrimonia quadam leui: Floribus Oleæ, pallidis, ad foliorum pediculum exorientibus, racemosis, vere ac interdum media hyeme prodeuntibus: marem hunc esse volunt. Minorem alteram, fœminam, humilem: breuioribus ramis: corticis colore ex albo viridi ac subpurpureo confuso: folio minore, rotundiore, serrato, dilutius virente, flore superiori simili, maiore, pallidiore: fructu racemoso, Acinis Lentisci magnitudine, ex tribus veluti granis constantibus, primum viridi, post rubente, ac tandem nigro. Floret sub finem mensis Februarij, & initio Martij. Theophrasto Celastrus semper viret: summis locis gaudet, frigoriq; & sæuis tempestatibus expositis: fructu per hyemis rigores deciduo, tardissimè maturescente, vt in Ilice, ac Iunipero. Cultum omnem recusat. Falluntur qui putant, quoniam Celastrum Theophrastus in summis & gelidissimis nasci montibus scripsit, eum reperiri posse in Alpibus, Apennino, Cemeniis montibus, & aliis vsq; adeo excelsis. Dictum id Theophrasti prorsus intelligendum de summis & frigidissimis locis, non nostratis regionis, sed eius in qua prouenit. Thuia, & procera quidem, in frigidis montium verticibus gignitur, eodem teste. Frustra operam sumat, qui in Alpibus requiret, vbi, ne nomen adhuc quidem est auditum.

Frigidos eos tractus Tauri mõtis Amani, & reliquorum montium eiuſmodi in Aſia & Europa Theophraſtus ſignificat, non noſtros ad Septentrionem ſitos.

ACACIA, CAP. XVIII.

Nomina

NOMEN huius ſpinoſi fruticis Græcum eſt ἀκακία, idem etiam Latinum Acácia, Arabicum *Achachie*. Dicitur autẽ ab ἀκάζω, id eſt acuo, vnde Acacia, quaſi acuta: Theophraſtus ἄκανθαν ſimpliciter, id eſt ſpinam, & ἄκανθάν ἀιγυπτίαν, ſpinam Ægyptiam vocat, ita vt Acaciæ nomine & ſpinam, & ſuccum ex fructu Spinę expreſſum accipiamus: Spinæ verò Ægyptiæ appellatione ipſam arborem Acaciam intelligamus. Sic Dioſcorides videtur vſurpaſſe. Acacia, inquit, in Ægypto naſcitur, Spina arboris inſtar, &c. & rurſum: Alterum Acaciæ genus in Cappadocia, Pontóq; prouenit, &c. Aetius, Spina Ægyptia, ex qua Acacia præparatur, &c. A Spina Ægyptia longè diuerſa eſt Spina Arabica, ſimilis Spinæ albæ, de qùa Dioſco. Galen. tamen Spinam Ægyptiam, à quibuſdam vocari ſcribit Arabicam, ſimilem Spinę albæ, &c. ſeorſumq; de Acacia, & eius ſucco tractat. Plinius quoque Spinam Arabicam ab Acaciæ Spina diſtinxit. Spinæ Ægyptiæ ſiue Arabicę laudes in odorum loco diximus, inquit, &c. Ita enim vetus Codex habet, ſed in vulgatis, hæ duę voces deſunt, (Ægyptiæ ſiue.) Idem aliquãto poſt eodem capite. Eſt & Acaciæ Spina, &c. Veteribus igitur duplex Spina eſt Ægyptia, hæc, quæ etiam Acacia vocatur, & ea quæ Spina Arabica. Qua Homonymia deceptus Aetius duas diuerſas plantas in vnam confudit, cùm ſcripſit. Spina Ægyptia ex qua Acacia præparatur, adſtringendi ac ſiccandi vim habet. Quare & fluxui muliebri prodeſt, & vlcera ſedis inſufflata ad cicatricem perducit. Eſt enim hæc Aetij Spina Ægyptia, Arabica, cuius vires ex Galeno tradit, non Spina Ægyptia, ex qua Acacia fit, cuius paulò ante ipſe meminit. Apud Plinium cap. 12. lib. 24. legendũ: Spinæ Ægyptiæ laudes in odorũ loco diximus, Arabica ſpiſſat, &c. Huic enim Spinę omnia quæ à Dioſcoride Arabicæ tributa ſunt, rectè adſcribit. At locus is quo ſe Ægyptiæ Spinę laudes dixiſſe ait, eſt lib. 13. de Ægyptia Spina, ex qua fit Acacia, nõ de Arabica, id quod contextus ipſe apertè declarat. Nec minus, inquit, Spina celebratur in eadem gente, duntaxat nigra, quoniam incorrupta etiam in aquis durat, ob id vtiliſsima nauium coſtis. Candida facilè putreſcit. Aculeus Spinarum & in foliis. Semen in ſiliquis, quo coria perficiuntur Gallæ vice. Flos & coronis iucundus, & medicamentis vtiliſsimus. Manat & Gummi ex ea. Sed præcipua vtilitas, quod cæſa anno tertio reſurgit. Circa Thebas hæc, vbi & Quercus, & Perſea & Oliua, c c c. à Nilo ſtadiis, ſyluestri tractu, & ſuis fontibus riguo. Idem paulò poſt. Gummi optimum eſſe ex Ægyptia Spina conuenit, Hunc Plinij locum citans Ruellius in Spinæ Arabicæ hiſtoria, Spinam Ægyptiam & Arabicã pro eadem planta, non ſine errore vſurpat. Acaciæ duo ſunt genera, Dioſcoride auctore. Vna quę in Ægypto: altera, quæ in Cappadocia, Põtoq; prouenit. Acacia Ægyptia Spina eſt inſtar arboris, fructicoſa, non ſeſe in altum attollens, ramis pungentibus aculeatis, inter quos proueniunt folia, in plurima alia foliola diuiſa. Florem habet candidum, ſemen Lupino ſimile in folliculis, ex quo ſuccus expreſſus ſiccatur in vmbra, niger ex maturo ſemine, ſubrufus ex viridi. Eligitur modicè rufus, & odoratus, vt in hac arbore eſſe poteſt. Aliqui exprimunt ex foliis & ſemine ſuccũ. Manat & Gũmi ex ea Spina. Acaciã Ægyptiã Dodonæi hîc depinximus, à qua permultũ diſtat Matthioli Acacia prima hîc quoq; appicta, de qua Penæ ſententiã audiamus. Sequinus Martinellus, inquit, medicus, & peritus Pharmacopæus miſit ex Syria ſiliquarũ Acaciæ Ægyptiæ ſaccos plenos Alberto Martinello fratri ſuo, perquam ſædulo & erudito Pharmaco-

Lib. 4. Hiſt. cap. 3.

Lib. 1

Lib 3. ca. 13. Li. 6. ſimp. Cornar. Embl. 112. lib. 1. Dioſ. Lib. 24. c. 12

Lib. 1

Li. 6. ſimpl.

Lib. 3. ca. 13. Cap. 9. & 11 Lib. 13. a. 9.

Lib. 3. ca. 9.

Genera.

Lib. 1. c. 1 5. Dioſ. ibid.

Forma.

Li. 6. ca. 22. In cap. 115. lib. 1.

pœo,

ACACIA
Ægyptiaca.

ACACIA
I. Matthioli.

pœo, ex quo semine in horto Patauino, aliísque quamplurimis Venetorum locis sato, orta est ista Acacia. Accepit & Morganus plantam nuper ex maris Occidui insulis Perunianis, ne quis putet peculiarem Ægypto aut Arabiæ. In neruulis prælongis foliola sunt Scorpioidis leguminis similis, aut herbæ Sferra cauallo nominatæ, in toto virgulto, gracili, aliquot rigidis Spinis in surculis exertis. Seminis tota siliqua non maior vno alteróue Lupino simul iunctis, sed suis alueolis distincta. Quare Matthiolus non Acaciam, sed si Spinas demas, arbori Indæ similem pictam dedisse videtur, cuius siliquæ, siue lobi non sunt Lupini similes, sed Genistæ, duplo latiores, vt Senæ compressæ: à Pena hic descripta verior. Alterum Acaciæ genus, Ægyptiæ Spinæ est simile, longe minus, tenerius, humile, aculeorum vallo munitum: Folia habet Rutæ: semen Lenticulæ, minus, Autumno, in loculis conuexis, ternûm, quaternúmue capacibus. Acaciam alterâ genuinâ esse hîc appictâ censent Periti Herbarij, foliis Rutæ aut Cytisi, ternis, siliqua Genistellæ, aut vulgaris Glycyrrhizę, nouaculæ effigie, dorso obtusiore, & altero latere, quasi acie acutiore, tria aut quatuor etiam Genistellæ semina dura continente, quæ nondum matura flauent, postea nigricant. Hac Tyrrhenum & Ligusticum, atque Mediterraneum litus scatet, & pleráque alia Italiæ loca. De Acacia, eiúsque generibus hæc prodidit Theophrast. Spina ex eo nomen accepit, quòd tota arbor aculeis horreat, excepto caudice: nam & super germina, foliáque aculeos habet. Altitudine procera est, vt quæ ad duodecim cubitos perueniat. Materies ex ea cæditur tectis idonea. Eius duo genera: quædam candida, quædam nigra. Candida imbecillis, & facilè putrescens, nigra robustior, & incorrupta. Quare in nauibus fabricandis ad earum costas illa vtuntur. Recta non valde assurgit. Fructus in siliqua modo leguminum, quo incolæ coria perficiunt Gallæ vice. Flos vsque adeo aspectu pulcher, vt ex eo coronas faciant, est & medicamentis vtilis: quamobrem à medicis colligitur. Manat & Gummi ex ipsa, tum vulnerata, tum sponte sine vlla plaga. Cum

Forma alterius Acaciæ.

Lib. 4. Hist. cap 3.

Gummi.

Locus. *ACACIA ALTERA Matthioli.*

cæsa fuerit, tertio anno statim renascitur. Eius copia & sylua ingens circa agrũ Thebanum est, vbi & Quercus, & Persea Olea quoque eodem loco gignitur, non aquis fluuij riguo (distat enim plusquam trecentis stadiis) sed manantibus sponte aquis, multi enim fontes in eo sunt tractu. Hæc Theophrasti, Plinius eo quem supra indicauimus loco trãsscripsit, atque vertit. Eadem de re alio loco idem sic scripsit, quo vulgati Codices ex vetustissimis sic sunt emendandi. Est & Spinæ succus Acacia. Fit in Ægypto alba, nigráque arbore: item è semine viridi, aut maturo, sed longè melior è priori. Fit & in Galatia, teneriore spinosáq; arbore. Semen huius lenticulæ simile: minore est tantum & grano, & folliculo. Colligitur Autumno, ante collectum nimio validius. Spissatur succus ex folliculis aqua cælesti perfusis: mox in pila tusis exprimitur organis: densatúsque sole in mortariis cogitur in pastillos. Fit & ex foliis minùs efficax. Ad coria perficienda semine pro Galla vtuntur. Foliorum succus & Galaticæ Acaciæ nigerrimus improbatur: item qui valde rufus. Hic Plinius alteram Acaciæ speciem, quam in Cappadocia & Ponto nasci ait Dioscorides, Galatiam appellat, & cum priore, Ægyptia, scilicet, confundit, si semen omnium, & non Galatiæ tantùm Lenticulæ simile facit. Dioscorid. enim prioris semen Lupino comparat, alterius minus Lente esse ait. Gummi quod ex Acacia Spina stillat, id præfertur, quòd in vermiculorum speciem contrahitur, & vitri modo perlucet, ligni expers: proximum est candidum: sordidum verò ac resinosum inutile. Id etiam optimum esse tradit Plinius, vermiculatum, colore glauco, purum, sine cortice, dentibus adhærens. Theophrastus lacrymosum humorem hanc Spinam ferre tradit, non è cortice, sed in folliculo. Serapio Arabicum nuncupat, quod ex Arabia regione Ægypto finitima suo tempore importaretur, inquit Matthiol. Scire autem oportet Gummi Arabicum Officinis dictum, multum à Spinæ Ægyptiæ Gummi differre: neque enim contractis vermiculis simile est, sed grumis versicoloribus constat. Aduehi non ita pridem cœpit ad nos ex Ægypto vera Acacia, in paranda Theriace, aliisque componendis medicamentis valdè expetita, qua nos ad hoc vsque tempus caruimus. Id Gummi Galenus aliquando κόμμι ψηθαικὸν vocauit, ob id fortasse quod Theophrasto auctore in agro Thepano magna sit spinosæ huius arboris copia, & ingens sylua. Spinæ Ægyptiæ succus, inquit Dioscorides, oculorum medicamentis vtilis: valet ad ignem sacrum, vlcera quæ serpunt, perniones, pterygia, & oris vlcera: procidentes oculos reprimit: mensium abundantiam sistit, prociduam vuluam cohibet: citam aluum sistit, aut potus, aut subter inditus: capillos denigrat. In qua Ruellij translatione id meritò reprehendendum videtur, quod ἐπέχει ῥοῦν γυναικεῖον, mensium abundantiam sistit, interpretetur, cùm fluxum muliebrem dicere debuisset. Differt enim fluxus muliebris à mensibus, seu menstrua purgatione immodica, vt perspicuè docet Paulus. Sed Plinium, Ruellius imitatus est, quo loco eadem quæ Dioscor. habet. Acacia purpurea, aut leuco

Lib.13.ca.9.

Li.24.ca.12.

Electio Gummi.

Lib.9.Hist. cap.1.

Lib.1.Dios. cap.115. Gũmi Acaciæ, nõ est Gũmi Arabicum.

Lib.7. me. gen.

Lib.4.Hist. cap.3. Vires succi

Lib.3.ca.63.

leucophæa, & quę facillimè diluitur, vi ſumma ad ſpiſſandum, refrigerandúmque eſt, oculorum medicamentis ante alias vtilis. Lauantur in eos vſus paſtilli ab aliis, torrentur ab aliis, capillum tingunt. Sanant ignem ſacrum, vlcera quæ ſerpunt, & humida vitia corporis, collectiones, articulos contuſos, perniones, pterygia. Abundantiam menſium fœminis ſiſtunt, vuluámque, & ſedem procidentes. Item oculos, oris vitia, & genitalium. Sed non hoc tantum loco Plinius menſes pro fluxu muliebri reddidit. Gummi verò Acaciæ ſpiſſandi, refrigerandíque vi preditum eſſe ſcribit Dioſcorides, cutis meatus obſtruere, & medicamentorum quibus admiſcetur acrimoniam hebetare: ambuſtis ex ouo illitum puſtulas non pati erumpere. Acaciæ planta Galeno, & ipſa acerba eſt, & fructus, & ſuccus, qui lotus quidem & imbecillior, & minus mordax redditur; vt pote acrimoniam quandam dum lauatur deponens (ideſt vehementius adſtringentem vim, qua contacta corpora diſtrahit, ac veluti dilacerat. Ea ſcilicet vis aquæ perfuſione diluitur, & obtunditur. Sic locum hunc exponit Dalechãpius: omnis enim acrimoniæ prorſus expers eſt Acacia, etiam ſi Galeno credamus partes quaſdam calidas in eius ſubſtantia mixtas eſſe) Porrò ſi parti alicui ſanæ illinatur, protinus eam & ſicciorem, & contractiorem efficiet, nullum quidem caloris ſenſum inuehens, ſed nec frigoris admodum valentem. Vnde conſtat medicamen id eſſe frigidum & terreum, immixta quadam etiam ſubſtantia aquea, videtúrque ſanè non eſſe ſimilium partium, verum quaſdam in ſeſe diſperſas habere partes tenues, & calidas, quæ in ipſa lotione ſegregantur. Eſto porrò tertij ordinis ex ſiccantium, & ſecundi refrigerantium, cùm lotum fuerit, illotum verò primi Acaciæ veræ ſubſtituunt tum Officinæ, tum medicorum vulgus ſuccum ex ſylueſtribus Prunis expreſſum, in tenues placentulas diuiſum ac in ſole ſiccatum. Dioſcorides tamen eius vice tum Rhois folia, tum Lentiſci foliorum ſuccum, tum Hypociſtidem medicamentis admiſcet, quibus vtẽdum potius fuerit, quàm ſylueſtrium Prunorum ſucco.

Vires Gummi.

Ibidem.

Lib. 6. ſim.

Lib. 1. c. 124. & 75. & 109

SCORPIVS THEOPHR. CAP. XIX.

HANC plantam Scorpium Theophraſti (Gaza Latinè nepam vocat) herbarij eſſe iudicant: quia multa ei conueniunt, quæ de Scorpio Theophraſtus prodidit. Scorpius, inquit, ſpinoſa planta, tota ſpinis conſtat vt Corruda. Sic hæc adulta nullo modo folioſa eſt, ſed ſpinas tantum pro foliis habet. Præterea radice ſingulari breuíque conſtat, ante æſtatem non germinat, germinationem prorogat in autumnum. Floret etiam poſt æquinoctium autumni: florem in carne extuberante ſub extremo aculei profert. Quæ omnia de Scorpio ſcripſit Theophraſtus. Quod verò idem alio loco ſcripſit Scorpij radicem figura Scorpio eſſe ſimilem, vtilémque & ad eius ictum, & ad alia quædam, id huic ſententiæ noſtræ non repugnat. Etenim de Thelyphoni, non de Scorpij ſpinoſi radice id accipiendum eſſe ipſemet Theophr. aliquanto poſt perſpicuè demonſtrat his verbis. Thelyphonum quod alij Scorpionem appellant, quia radicem Scorpio ſimilem habet, &c. Quare Gaza ſuperiore loco nepam vertere non debuit, hunc Scorpium ſiue Thelyphonum cum Scorpio ſpinoſo perperam confundens. Planta hîc depicta radice eſt craſſa, lignoſa, nigra, ſimplici, dimidium pedem longa: caulibus multis, ferè pedalibus, qui plurimis aculeis rigidis, firmíſque horrent: foliis in paruula & tenella planta minimis, Tragacantho ſimilibus, in vetuſta & dura nullis: flore paruulo, ad aculeorũ imã partẽ emergente: ſemine in ſiliquis latiuſculis incluſo. In aridis locis & perflatis naſcitur. Huic affinẽ, vel eũdẽ Scorpiũ deſcripſit Cluſius. Pedis altitudinem rarò ſuperat, totus denſiſsimis ſpinis horret, quæ ſerie quãdã

Nomina

Lib. 6. Hiſt. cap. 1.

Tempus.

Li. 6. Hiſt. cap. 3.

Li. 9. Hiſt. cap. 14.

Lib. 9 Hiſt. cap. 19.

Lib. 9 Hiſt. cap. 14.

Forma.

Locus.

SCORPIVS
Theophraſt.

2.Sco.gen.

Lib.6.cap.

Lib.33.ca.4.

seruãt,& ſemper cõtrario inter ſe exortu binę naſcuntur,neq; aliæ ex aliis: ſummis ramulis inhærẽt bini aut terni flores,lutei,menſe Martio,quo tẽpore exiguas,breuéſque ſiliquas,vel potius ſemina Erui magnitudine multa incánáque lanugine hirſuta profert,dẽſiſſimis ſpinis occulta:radix ſingularis,ſed in plures deinde ꝓpagines ſparſa,dura,liquoſa.Hęc Cluſius. Alterũ Scorpij genus quidã ſtatuũt fruticem ſpinoſum,deſcriptum à Dodonæo pro Geniſta ſpinoſa ſecũda,foliis carentem, ſpinis vndique horridum. Maio & Iunio mẽſibus florere ſcribit. Vlicem Plinij quidam eſſe volunt, Roris marini ſimilem, aſperum. Belgæ *Gaſpeldoren* vocant, Armorici, apud quos ſyluæ huius plantæ ſunt, tam proceræ vt propemodum arboreſcat, vocant *des lans*. De ſpinoſa hac planta,quæ ſequuntur Pena tradit, Prorſum cognata Geniſtæ hæc, ſed multùm aſpectu horrida, ſentibus præduris, innumeris, cancellatim armata, ſemper virentibus, ſtriatis, lignoſis virgultis, Spartio ſimilibus, ſpinis penè folia occulentibus.Quare doctiorum nonnullis placuit Gazæ Nepam eſſe,aut Scorpium Theophraſti:ſed obſtant Geniſtæ ſiliquæ,aliquanto breuiores,& flores non abſimiles,concolores,eiuſdem ſaporis,qui aurei particulatim emicant, tota æſtate, etiámquè hyeme in Anglia,vbi frequentiſsima in ſterilib⁹ & Ericetis, in Prouincia item Narbonẽſi penè par proceritate. Sed Monſpelij ad Ladum in collibus ſaxoſis triplo minor,rigidior & ſqualidior eſt, adeo vt parum Geniſtam repreſentet,folijs lentis.Illic Aſpalathum ſecũdum faciunt, tametſi inodora, & funis inſtar pertinax frãgẽdo ſit:floribus quidam ad ictterum vtuntur,& tota planta calfaciunt furuos. Cluſius Aſpalathum alteram, tum Salmanticæ, tum Mõſpelij ſic dictam pinxit, cubitum non excedentem,fruticoſam admodum multis horrentem ſpinis,deorſum inflexis,firmis, acutis,in quibus naſcuntur puſilla folia,lentis magnitudine, viridia, qualia etiam(ſed teneriora)fert in nouellis ramulis, quibus ſubſunt recens nati aculei: flores in firmioribus & rigidioribus ſpinis, terni, quaterni, aut plures ſimul,Geniſtæ ſimiles,ſed minores,nunc lutei, nunc palleſtẽtes: ſemen in ſiliquis exiguum. Legitimã Aſpalathũ alteram eſſe non fatetur Cluſius: verũ cùm à nonnullis ſic vocetur,nomẽ mutandũ non cenſuit,præſertim cũ ad quam plantã à veteribus memoratã referẽda ſit, adhuc neſciat:fortaſſe ad ſcorpiũ Theoph. inquit Cluſius, Eadem eſt cũ Geniſta ſpinoſa,aut certè perſimilis.

SCORPIVS ALTER,
ſiue Geniſta Spinoſa.

BVXVS

BVXVS. CAP. XX.

GRÆCIS πύξος, Latinis Buxus & Buxum dicitur, Gallis *Bouys*, Italis *Bosso*, Hispanis, *Box*, Bœmis, *Poßpan*: Anglis, *Burs*. Belgis *Palmeboom*: Germanis *Buxbaum*, Buxus quædam frutex tantum est, quædam in arborem magnam assurgit. Tria eius genera, inquit Plinius. Gallicum quod in metas emittitur, amplitudinémque proceriorem: Oleastrum in omni vsu damnatum, grauem profert odorem. Tertium genus nostrate vocant: syluestre, vt credo, mitigatum satu, diffusius, & densitati parietum virens semper, ac tonsile. Hoc Plinij loco mirum certè est, cur secundum Buxi genus Oleastrum vocet. Annotat Dalechampius Plinium, aut eius scribam libertúin Oleastri voce deceptum fuisse. Nam cum apud auctorem Græcum reperisset secundum Buxi genus ἄγριον ὅλως εἶναι, omnino agreste esse, nec vtile materia, vt primum genus, nec vestiendis parietibus idoneum vt tertium, imo etiam abominandum fœtore, & grauitate odoris, incautè legit ἀγριέλαιον εἶναι, Oleastrum esse. Buxus arbor crasso est trunco, spisso, duro, valido: ramos emittit multos cæterarum arborum more, duros, crassósque, foliis plurimis vestitos, Myrto similibus, minoribus, densioribus, crassioribus, subrotundioribus, saturatæ viriditatis, perpetuis nec vnquam decidentibus: flore herbaceo: fructu quaternis apicibus in cacumine diuiso, Ciceris magnitudine, semine rufescente, omnibus animantibus inuiso, quod Carthęgō vocari Plinius scripsit ineptè, cùm enim Theophrastus libr. 3. cap. 15. historiæ Buxi Cratægi descriptionem statim subiecisset, Plinius hæc confundēs, dixit Buxum granum ferre quod Cratægum vocant. Ineptius idem Buxō tribuit, quæ de Ilice Theoph. prodidit, nempe à Septētrione viscum gignere, à meridie hyphear. Buxus tertius, frutex, ramos multos sepè ex ipsamet radice, nonnunquam ex paruulo trunco in latum spargit. Folia habet dilutioris viriditatis, rotundiora, minora, cætera similia supradictis duobus generibus. Buxus, inquit Theophra. magnitudine est haud procera, folium ei Myrteo simile, (Plinio cōcauum.) Buxus montes amat, in planísque nasci recusat. Pyreneis ac Cytoriis montibus plurima, & Berecynthio tractu: crassissima in Corsica, flore non spernendo, vel, vt quidam legunt, apibus florē non spernentibus, quæ caussa amaritudinis mellis. Semen illius cunctis animantibus inuisum. Hæc in Olympo Macedoniæ gracilior, sed breuis. Amat frigida, & aprica. In igni quoque duritia, quæ ferro, nec flamma, nec carbone vtili. Hæc Plinius ex Theophrasto, transtulit, sic scribente. φύλλα ὁ πύξος ἐν ταῖς ψυχροῖς τόποις, καὶ τραχέσιν· καὶ ὄρεσι τὰ κύλωρα τοιοῦτον, ἃ καὶ πλείστη γίνεται. ψυχρὸς ὁ ὁ ὄλυμπος μακεδονικὸς· καὶ ἐνταῦθα γίνονται, πλὴν οὐ μεγάλοι μέγιστοι ὁ καὶ κάλλιστοι ἐν κυρήνῃ legendū ἐν κύρνῳ in Corsica, καὶ εὐμήκεις· καὶ πάχος ἔχουσαι πολὺ παρὰ τὰς ἄλλας· διὸ καὶ τὸ μέλι οὐχ ἡδύ, ὅζον τῆς πύξου, πλήθει ὁ πολύ. Idest, Buxus locis frigidis & asperis nascitur, etenim Cytorij montes tales sunt, in quibus plurima prouenit. Olympus quoque Macedoniæ frigidus, in quo nascitur, sed non magna. Maxima autē & pulcherrima

Nomina Genera. Dodon. li. 6. cap. 32. Li. 16. c. 16.

Forma. Li. 16. ca. 30.

Lib. 3. Hist. cap. 15. Li. 16. c. 24.

Locus. Li. 16. c. 26. Lib. 3. Hist. cap. 15.

BVXVS.

rima in Cyrene, (in Corsica.) Nam procera est, & crassitudine cæteras longè superat. Quamobrem mel insuaue est, Buxum olens, multum autem, & copiosum. Plinius dixit Buxum in Corsica crassissimam esse, flore non spernendo, hánque esse causam amaritudinis mellis: Theophrastus in Corsica crassissimam, mélque illic insuaue, quia Buxum oleat. Quod vterque de Cytoriaca Buxo tradidit, id & Poëtæ cecinerunt: Cytorus enim buxifer à Catullo dicitur: *Et imitat undantem Buxo spectare Cytorum*, dixit Virgilius. Buxus Februario & Martio mensibus floret. Septembri semen maturum est quibusdam in locis. Buxi folia calida siccáque esse, atque adstringere ipse gustus perspicuè demõstrat, inquit Dodon. In eadem sententia est Fuchsius scribens à recentioribus temperatam eius arboris essentiam statui, sed id multas ob causas verisimile non videri. Haud dubiè verò adstringere, & siccare. Quia Buxus immortali coma viret, topiario operi accommodatissima est, ac tonsilis. Imprimis verò materies honorata illi est, raro crispanti (crispleanti, vetust. cod.) nec nisi radice: cæterò lenis quies materiæ, silentio quodam, & duritie ac pallore commendabilis. Idem alibi: spississima ex omni materie, ideo & grauissima iudicatur Ebenus, & Buxus, graciles natura, vel, gracilis natura, vt de Buxo tantum hoc intelligatur. Neutra in aquis fluitat, nec Suber, si dematur cortex nec Larix cariem vetustatémque Buxus non sentit. Nunc sola pectinum dote commendatur, ad plaustrorque axes, & aratrorum buras. Fiunt & ex ea tibiæ ac fistulæ, pertusæ rotundis foraminibus, quibus digitorum appositu clausis, aut apertis, cantus moduli variantur & pyxides, quibus nomen dedit. Nullus Buxi in medicina vsus: folio tantũ cum materiei Scobe & lixiuio capillum rufat. Sunt qui dicãt ligni scobe hausta sanari alui profluuia. Nec desunt ex recentioribus, qui sentiant nihil aliud nobis esse Buxum, quàm Indis lignum, quod Gaiacum appellatur: quoniam Buxi decocto fæliciter sanatos esse lue venerea affectos, frequenti experientia compertum est, quam opinionem refellit Matthiolus. Nam & si, inquit, eas esse Buxei ligni vires experientia doceat, id tamen, & Indorum Gaiacum eandem esse plantam non rectè colligas. Gaiacum enim lignum est pingue, resinosum, materia intus nigra, Ebeni fere modo, amara, acríque. Quibus notis siccam Buxi materiam carere constat. Præterea Gaiaco (testibus iis qui in India viderunt) folia sunt Plantaginis, breuiora, crassiora, duriora: lutei flores: fructus Iuglandis magnitudine, Buxo verò folia Myrti, breuiora: flores herbacei: fructus Myrto nunquam maior. Somnum capere sub hac arbore cerebro vehementer incommodat, quod eius odor naturæ prorsus aduersetur. Ferunt serpentes vulneratas eius radice degustata, statim sanitatem recuperare. Germani ex Galliæ Narbonensis locis Hispaniæ finitimis, præcipuè montibus Pyrenæis, circa oppidum Limons, haud procul Carcassona, crisparum Buxi radicum magnam copiam aduehunt, ob varias maculas & intortos linearum discursus ad opera lantiora expetitarum, ex quibus cochlearia, cultellorum manubria, latrunculi, & imagunculæ fiunt, ab his præcipuè qui oppidum incolunt celebre nomine D. Claudij in monte Iura: Eas radices quamuis seruato prisco vocabulo, sine discrimine *Brouchin*, quasi Bruscum vocent, in iis tamen, vt & tuberibus Aceris Bruscum & Molluscum facilè discernas, lineis vel simpliciter sparsis, vel flexuosius distortis. In eodem mõte Iura quod antea nos monuimus, lignarij Abietum & Picearum candidissimos truncos recto venarum discursu fissiles, nullis interceptos nodis, ad opera faciles, seruata dictione vetusta λυσσὸν, qua Theophrastus vsus est, adhuc Louchon vocant: Aruerni verò cuiusuis arboris crassiorem ramum *Lusse*.

Li. 2. Geor. *Tempus.*

Temper. & vires

Ibidem. Libr. Hist. pl. ca. 347.

Plinius li. 16. cap. 16.

Plin. ibid. ca. 40.

Plin. ibid.

Ruell. li. 1. cap. 60.

Vsus.

Buxus gaia cũ non est.

Lib. 1. Dio. cap. 114.

Fusc. Ibid.

SPAR

SPARTIVM DIOSCORIDIS ET GRÆCORVM, siue GENISTA. CAP. XXI.

DE Spartio, Geniſta, & Sparto, lunco, magna eſt inter auctores controuerſia. Hermolaus, & Marcellus Dioſcoridem cum Spartiũ dixit, Geniſtam, non Spartum Hiſpaniæ deſcripſiſſe videri aiunt. Horum ſummus alioqui imitator Ruellius falli eos ſcribit, qui Geniſtam eandem eſſe cum Spartio contẽdunt. Amatus Luſita. & Andreas Lacu. ſuperiorum ſententiæ ſubſcribunt. Matthiolus cùm aliquando idem ſenſiſſet, tandem mutata ſententia, Spartium Dioſcoridis, & Spartum Hiſpanicum eandem ſtirpem eſſe exiſtimauit, atque à Geniſta diuerſam. Fuchſius & Tragus pro Geniſta exhibent, eam quæ Geniſta anguloſa à nobis dicetur, at pro Spartio ille quidem eam quæ à Matthiolo depingitur Spartij nomine, hic verò florem tinctorium vulgo nominatum, quem ſeorſum deſcribemus. Dodonæus Spartum nomine Geniſtæ Hiſpanicæ deſcripſit, quæ in Hiſpania & Gallia Narbonẽſi prouenit, & eam pinxit, quam à Fuchſio & Matthiolo Spartij nomine pictam eſſe diximus. Alia in hiſtoria, Spartum eſt, inquit, non quæ Geniſta appellatur, ſiue illa Italica dicta, aut alia quæuis, ſed alia ſtirps Hiſpaniæ familiaris, Geniſtæ quidem Italicæ virgarum multitudine, ac tenuitate quadantenus ſimilis, nullis, aut omnino pauciſsimis, ac minimis foliolis, quæ non ſiliquas veluti Geniſta, aut legumen aliquod, ſed lobos paruos, hoc eſt exigua vndequaque concluſa capitula, in rotunditate oblonga, & ſub candida fert, Bœnis, id eſt, Fabis minoribus magnitudine formáque æqualia, & candidis earum colore quoque ſimilia, in quibus ſemen vnum aut alterum conditur, nigrum, aliquantulum compreſſum, Aphacæ fructum ſatis referens. Hæc ille, qui in Sparti hiſtoria parum ſibi conſtare videtur. Vtroque enim loco Spartum non Spartiũ Geniſtam Hiſpanicam appellãs, illo in Hiſpania & Gallia Narbonenſi eam naſci tradit, hoc, Hiſpanicam ab Italica differre, cum Italiæ, & Galliæ Narbonenſis Geniſta eadem plane ſit, nec Amatus Luſ. nec And. Lac. inter Hiſpanicam & Italicam aliquid eſſe diſcriminis arbitrentur. Dici verò non poteſt Spartij, ideſt Geniſtæ Hiſpanicæ nomine, Spartum Hiſpanum deſignari: de eo enim poſt eum locum quem citauimus ſeorſum tractat Dodon. ex Plinio. Cordus Spartum Latinis vocari Geniſtam ſcripſit. Eſſe autem duplicis differentiæ. Quandam in funes torqueri, ex qua etiam corbes Vuis paſsis, & ficubus ſeruandis texuntur in Hiſpania, Spartúmque à veteribus eam plantam vocari: Alteram non tam Lentas habere virgulas, vt ſimile quiddam ex iis fieri poſsit. Alio in loco Geniſtam idem Iunceam depinxit, ac deſcripſit, eam planè quæ fuchſio Matthiolóque Spartum eſt à Geniſta diuerſum. Sed quid mirum de hac re inter recentiores controuerſiam extitiſſe: cùm Plinius ipſe dubitauerit, an Geniſta ſit, quam Græci auctores Sparton appellauere, ex qua lina piſcatoria apud eos factitabantur. Cornarius Geniſtam eſſe Spartion Dioſcoridis vult, cui Plinius eaſdem vires, quas Dioſcorides Spartio adſcribit, neque dubitat, vt Plinius, quin Spartum Græcorum Geniſta ſit, ſed Hiſpanici generis, apud Græcos rari, ex quo Aſiæ populi lina ad retia præcipua facerent: quandoquidem ex Geniſta nulla fieri poſſunt. Ex quibus intelligere licet Cornarium aliam ſentire eſſe Geniſtam Hiſpanici generis, aliam ex qua lina piſcatoria fieri non poſſunt, quæ fortaſſe noſtra eſt Geniſta anguloſa: duplexque eſſe Spartion, alterum etiam hodie in Hiſpania copioſum, alterum quod Dioſcorides Spartum appellat, Plinius Geniſtam. In hac opinionum varietate, ſi quid ſtatuere & decernere mihi liceat, iis potius aſſentiendum puto, qui Spartium Dioſcoridis & Græcorum Geniſtam

Nomina

Li.1.ca.84.

Lib.4.Dio. cap.152.

Libr. de Hiſt.pl.6. cap.7.

In frume. Hiſt. ca. 33.

In libr. 4. Dioſc.c.158

Lib.3.Hiſt. pl.ca.34.

Li.24. ca.9

Emble.157. lib.4.Dioſ.

eſſe

esse arbitrantur Spartum vero Iuncum Hispanicum. Nam Ruellij Matthiolíque rationes facilè dilui possunt. Prior, quod Dioscoridis Spartium frutex sit sine foliis, quibus scatet Genista: Altera quod Spartum florem habet, vt albæ Violæ, luteum verò Genista ferè piso similem. Spartium enim plantam quæ iam virgas floréſque protulerit, idest senescentem Dioscorides describit, quo tempore foliis caret. Eius verò adolescentiæ statum, quo nouos ramos, foliáque minuta
Lib.3. ca.31. profert, negligentius prætermisit. Sic dictamnum Dioscorides flore seminéque
Li. 4.c.164. Chamæsycen flore carere scripsit. Quæ si vera essent, nothæ essent hæ Dictamni & Chamæsyces plantæ, quæ pro veris habentur. Quare ex eo quod Spartio iam adulto folia nulla sunt, non efficitur id Genistam esse non posse, quæ pullulans folia habeat. Quod de flore dicunt, nullius est momenti. Dioscorides enim non floris Spartij figuram cum floris Leucoij figura hic comparat, sed colorem cum colore. Esse autem Leucoium aliud flore albo, aliud melino, &c.
Li.3. c.121. Dioscorides ipse alio loco testatur. Spartium igitur planta hæc dicitur, quod funiculi, & vinculi vsum in alligãdis vitibus præbeat τῷ σπάρτῳ, id est Iunci Sparti modo, & Genista, fortasse quia genu modo flexilis ad nexus sit, vel quia genibus medeatur dolentibus, vel quia, vt alij censent, facillimè & celerrimè sobolem generet suo semine Gallis, *Genest*, & quibusdã inhortis sata, *Genest d'Hespagne*, *Genest de Florence*: hodie vulgo in tota Grçcia, quę Iũcũ Spartũ nõ nouit, σπάρτος vocatur, Italis *Genestra*, Hispanis *Genestra*, *Giesta*, & *Giesteira*, Genista hæc, siue Spartiũ
Forma. Dios. & Græcorũ frutex est, cuius rami in multas virgas diuidũtur, lõgas, rectas, teretes, glabras, iunceas, firmas, fractu contumaces, foris lento, neruoso, flexili,
Cord. libr. 3.de pl.c.43. egregiè virente cortice, intus inani, fungoso, candidóque, leuem Iuncum prorsus referentes. De foliis, qui plantam diligentius contemplatus fuerit, hæc verissima esse comperiet, in teneris scilicet, & nuper enatis virgis folia esse latiuscula, vtrimque acuminata, pauca, ex internallis plerumque singula, non vt in

SPARTIVM DIOSC.
siue Genista.

SPARTIVM MATH.
siue Genista.

Genista

Geniſta vulgari & Scoparia anguloſa, in vno quoque exortu terna. Quo magis adoleſcit planta, eo pauciora habet folia, anguſtoriáque, in locis æſtuoſis adeò exilia, vt marcida facta, nulla prorſus, extitiſſe videantur, in vetuſtioribus, & ſeneſcentibus, quæque iam ſiliquas habent, virgæ ac ramuli foliis omnino carent: Flores habet luteos, vt Leucoium, figura Piſi flori ſimiles, quibus ſingulæ ſuccedunt ſiliquæ, anguloſæ Geniſtæ ſiliquis longiores quidem, ſed anguſtiores, in quibus ſemen compreſſum Lenticulæ ſimile, Phaſiolorum modo naſcitur, anguloſæ Geniſtæ ſemini ſimile & æquale. Cortex caudicis, ramorum, radiciſque guſtu Geniſtam anguloſam æmulatur, vt & ſemen illius guſtum. Omnes tamen eius partes remiſsiores ſunt tam odore, quàm ſapore. At extremæ virgæ, & nouella germina nihil graue, nihil nauſeoſum, nihílque amarum olent, aut reſipiunt, ſed herbaceam, & inſipidam Iunci qualitatem. Meſues breuius ſic deſcripſit. Spartium Geniſta Latinis, arbor eſt montana, cuius rami deſinunt in virgas multas, rectas, flexiles, fractu contumaces, quibus vites, & alia ligantur. Flores habet flauos, lunata figura: ſiliquas Phaſiolis ſimiles, & ſemina in his Lenti ſimilia, interuallis diſtincta. Hæc ille à quo Geniſtæ ſemen non rectè obſeruatum eſſe Matthiolus ait, quod Erui, aut Viciæ faciem potius referat, quàm Lentis. Imo verò Matthioli negligentiam hîc mirari licet, Geniſtæ in Italia vulgatiſsimæ ſemen adeo oſcitanter contemplati, vt id Eruo, vel Viciæ compararit, quod compreſſum eſt, & Lenti ſimile, etiam auctoribus Fuchſio, Ruellio, Dodonæo, niſi ſemen ſiliquas accipiat. Etenim Geniſtæ huius ſiliquæ, Erui vel Viciæ ſiliquis ſimiliores ſunt, quàm Lentis. Naſcitur Geniſta in Italia, & Gallia Narbonenſi, locis ſiccis, adeo copioſè, vt Maio & Iunio menſibus iucundiſsimo ſint viatoribus ſpectaculo, collibus huius pulchris floribus ita ornatis, vt procul aurei videantur. In multis aliis regionibus non paſsim in agris reperitur, ſed in hortis ſeritur, & colitur. Semen Auguſto menſe & Septembri matureſcit. Id calidum ſiccúmque eſſe, tum guſtus, tum vires indicant. Purgant, inquit Dioſcorides per ſuperna vehementer, Ellebori vice, citra periculum flores, & ſemina, quinis obolis in aqua mulſa pota. Semen deiectiones mouet. Ramis in aqua maceratis, mox tuſis extractus ſuccus iſchiadicis, & angina laborantibus auxiliatur, ſi cyathi modum ieiuni bibant. Quidam marina aqua macerare malunt, vel infundere iſchiadicis clyſtere: ſtrigmenta autem elicit cruenta. Quæ poſtrema Græcè ſic leguntur. ἔνιοι δὲ ἐναποβρέξαντες ἅλμῃ, ἢ θαλάττῃ ἐγκλύζουσι τὰς ἰσχιαδικὰς ἄγει δὲ ἁιματώδες, καὶ ξυσματώδες. Ideſt. Nonnulli autem ipſos macerant muria, vel aqua marina, quam clyſtere infundunt iſchiadicis. Educit enim cruentum quendam humorem, & veluti inteſtinorum ramenta. Plinius dubitans, an hæc Geniſta ſpartium ſit Græcorum, eadem illi tribuens quæ Dioſcorides Spartio, mox tanquam iam ſublata omni dubitatione iudicat Geniſtam, & Græcorum Spartium idem eſſe, vt & Cornarius annotauit. Semen inquit, in folliculis phaſiolorum modo naſcens, purgat Ellebori vice, drachma & dimidia pota in aquæ mulſæ cyathis quatuor ieiunis. Rami ſimiliter cum fronde in aceto macerati pluribus diebus, & tuſi, ſuccum dant iſchiadicis vtilem, cyathi vnius potu. Quidam marina aqua macerare malunt, & clyſtere infundere. Perunguntur eodem ſucco iſchiadici addito oleo. Quidam ad ſtranguriam vtuntur ſemine. Geniſta tuſa cum axungia genua dentia ſanat. Præterea quod ſcribit Geniſtam vinculi vſum præſtare, & Aſiam lina ex ea facere ad retia præcipua, in piſcando durantia, frutice madefacto decem diebus, id de Geniſta noſtra intelligi oportet. Hæc enim ligandis vitibus in Italia Salicis vicem ex-

Lib. 2. met. pur. ca. 29.

Lib. 4. Dio. cap. 152.

Locus.

Tempus.

Fuc. & Dodon. ibid.

Temper & Vires.

Lib. 4. c. 152.

Lacu.

Emb. 147. li. 4. Dioſ. Pl. li. 24. ca. 9.

Lib. 19. c. 2.

Matt. ibid.

Ibidem. plet, maceratúrque etiam in aqua Cannabis modo, fiúntque inde funes, & rudia lintea faciendis saccis aptissima. Hæc cum Genistæ angulosæ non conuenire perspiceret Cornarius, Genistam quandam Hispanici generis confinxit. Dubitat etiam Plinius, nunquid Genistam designauerit Homerus, cum dixit nauium Sparta dissoluta. At verò mox illa, neque ad Genistam, neque ad Spartium Græcorum, neque ad Spartum Hispanum pertinere satis declarat, cùm dicit, Nondum fuisse Africanum, vel Hispanum Spartum in vsu, certum est, & cum sutiles fuerint naues, Lino tantum non Sparto vnquam sutas.

Li.24.ca.9.

Li.19.ca.1. Idem alio loco, ex Lino fuisse nauium armamenta apud Homerum eruditiores interpretatos esse asserit: quoniam cum Sparta dixit, significauerit sata, hoc est res satiuas, Cannabim & Stupam. Versus Homeri est Καὶ δὴ δεῦρο φασίηνπερ νεῶν, ἠὲ σπάρτα λέλυνται. Scholiastes σπάρτα interpretatur σπαρτία, χοινίκια, ideſt funes, & rudentes. Mesue auctore Genista calida & sicca est ordine secundo, semen calidius, floribus & ramulis humiditas inest, incidens, sed excrementosa, ob id vomitoria. Quin planta hæc omnibus suis partibus conturbat, prouocat, incidit, tenuat. Pituitam & humores extrahit ab articulis valenter, vomitu, & deiectione: renes omnibus excrementis perpurgat: vrinas strenuè mouet, calculum frangit in renibus, atque adeò in vesica, nec in his materias spissari, ac in calculum durescere sinit. Flores quoque huius cum Melle Rosaceo, aut ouo strumas resoluunt. Oxymel etiam ex his, aut seminibus, tumores lienis discutit. Vomitus quoque cum his frequens, ischiadi, podagræ, & renum doloribus prodest. Nocet stomacho & cordi. Ob id cum Melle Rosaceo sumi vult Philagrius, vt his partibus nocere desinat, & eadem ratione cum Rosis & Mastiche. Semen verò eius cum aqua Mellis Rosati sumendum est. Anisi quoque, & fœniculi, vel Dauci semen eius noxas castigant. Flos modicum coqui potest, semen diutius. Datur flos à drach. duabus, vsque ad drach. quinque: semen autem à drach. duabus ad drach. quatuor. Sparti vires breuiter perstrinxit Galenus. Spartij, quo vites apud nos alligant, tum semen inquit, tum virgarum succus non instrennuè trahentis est facultatis. Paulus eademquæ Dioscorides habet. Genistæ flores apibus gratissimi: quare circum aluearia seruntur. Coronis etiam eos addidit antiquitas. Alia duo Spartij eiusdem genera in Hispaniis à Clusio obseruata noua quidem, & à nemine adhuc descripta hîc ob oculos ponimus. Prius stipite est plerúmque cubitali, pollicari crassitudine, cortice scabro, & striato, qui in multos ramos cubitales, virescentes, & striatos diuiditur: deinde hi in virgulas iunceas, virides etiam & striatas, quæ dum nouellæ sunt & primum germinant, aliquot foliis exornantur, statim atque planta florere incipit decidentibus, vt postea ἄφυλλος tota planta conspiciatur: è virgularum lateribus prodeunt oblongi pediculi, ex quibus depẽdent flores aliquot exigui, Clycyrrhizæ ferè vulgari

SPARTIVM Hispanicum alterum Clusij.

Lib. 9. ca. 7.

Libr. Plinij li. 24. cap. 9.

SPARTIVM
aliud Hiſpanicum
Cluſij.



SPARTIVM
Aphyllon fruticoſum,
Iunceis lanatis
capitulis.



vulgari ſimiles, aut trifolio pratenſi, colore luteo, inodori: deinde ſiliquulæ cartilagineæ, rotundiuſculæ, colore ex flauo rufeſcente, in quibus ſemen vnicum ſæpius continetur, (raro bina) durum, nigrum, exiguo reni ſimile, quod in ſiliquulis, dum quatiuntur, crepitat, & ſonum edit: radix dura, lignoſa. Alterum planè huic ſimile, longè tamen maius, & hominis altitudinem ſuperans inuenitur, virgulis priore tenuioribus, lentioribus, magis obſequioſis flore paulo maiore & omnino candido: ſiliquulis à ſuperiore, forma non differentibus, ſed minoribus, ſemen etiam minus continentibus. Primum variis Caſtellæ vtriuſque locis creſcit, arenoſo ſolo, florétque Maio: ſemen maturum eſt Iulio. Secundũ Gadibus, & locis vicinis aura marina perflatis, arenoſo, & ſterili ſolo Februario floret. Aliud Spartiũ ἄφυλλον, fruticoſum iunceis, aculeis lanatis capitulis depinxit & deſcripſit Pena, inuentu minus frequens, naſcens in aſperioribus præruptíſque cliuis Alpium Magdalenæ in Gallo Prouincia paruus hic frutex eſt, Latiuſculè in latera aliquot Sparteos ſtriatos, ex pullo Buxeos, lignoſos, & ſeſquipedales ſurculos ſpargens, ea radice Tragacanthæ ſimili, prolixiore, nullis foliis, ſed multis Sentiçoſis ac rigidis ſtilis pungentibus, iunceis, in ſummo tantum aduncis, quorum ſingulis faſtigiis aduoluuntur tomentaceæ gemmulæ, vitis oculo ſimiles, minores, ſed concolores partim longiuſculæ, & incuruæ, partim breuiuſculæ, guſtus nonnihil amari, exſiccantis, adſtringentis: nullo aut folio, aut flore, qui hæc contemplanti viſus ſit.

GENISTELLA CAP. XXIII.

OB superioris Genistę similitudinem hæc planta à recẽtioribus herbariis Genistella appellatur, quod illa exilior, & humilior sit: Gallicè, *Petite Genestre*, vel *Petit Genest*, Germanicè, *Erdpfrymmen*, & *Stechende Ginst*. Frutex est virgas plurimas emittens, graciles, lignosas, quę initio, & adhuc teneræ, vestiuntur foliolis virentibus spinísque, tum etiam mollibus horrent, & parum pungentibus: At cùm annum ferè excesserunt, foliolis ferè destituũtur, spinęque tum rigent, & vehementer pungũt. Inter foliola flores exoriuntur lutei, superiori Genistæ similes, sed minores, & pallidiores. Semen exiguis siliquis includitur, rotundum & rufum: radix lenta est, & sublutea. Nascitur in incultis & arenosis, ac secus vias, Maio & Iuniomensibus floret. Adstringenti cum amaritudine facultate prædita est, ac proinde valenter, citra mordacitatem exiccat. Decoctũ foliorũ ex aqua aut vino, si bibatur, profluuiũ menstruorum sistit. Ventris etiam fluori succurrit. Quare non sine magno errore quidam pro Genista vtuntur, quum facultatibus diuersis predita sit. Genistella, inquit Ruellius, colore Rosmarini, & pene folio, flore luteo, semine rufo, quod serpentibus aduersari tradunt. Sed & frondis decocto vtilis natura ad sistendos mulierum cursus menstruos: eodem aluinis succurrunt poto. Sunt qui hanc esse putant quam Galli Rosmarinum aculæatum, vel potius Iomarinum appellant, Libanotidis folio, sed rigido, ac pungente, cuius floribus pastæ apes improbum mel conficiunt. Nascitur in arenosis, secus vias, flore melino. Scorpium secundum, & Vlicem nos antea suoloco vocauimus. Armorici in quorum vastis saltibus frutex is plurimus nascitur, appellant *des Ians*, quòd supra nos monuimus.

Nomina

Dodo. li. 6. cap. 9.

Forma

Locus.

Tempus.

Temper. & vires

Fuch. c. 80.

Dodo. Fuch. ibid.

Lib 1. c. 84.

GENISTELLA.

GENISTA minima.

GENISTA MINIMA. CAP. XXIIII.

OB caulis breuitatem, & cum cæteris Genistis similitudinem hæc planta Genista minima vocatur, in sabulosis, & lapidosis tumulis Oeno fluuio per Sequanos labenti propinquis nascens, quà è Liono Salinario Nozeretum oppidum itur. Radice est longa, crassa, lignosa, in multas radiculas diuisa, nigricante: caule breui: ramis multis per terram spar-

Nomen.

Locus.

Forma

GENISTA Iluensis.

sis: folio densissimo, Hyperico, aut Rutæ similis, minore, candicante, villoso: flore luteo, Genistæ simili, croceo suo colore oculis prætereuntium adblandiente, & iucundo spectaculo terram in qua porrigitur exornãte fructus in siliquis continetur. Idem ei sapor qui Genistæ.

GENISTA ILVENSIS CAP. XXV.

Locus. IN Ilua Tyrrheni maris insula hoc Genistæ genus prouenit, ramulis multis luxurians tenuibus,

Forma densis, ex albo subflauis, crebris nodorum articulis distinctis, ac veluti geniculatis. foliis circa genicula multis, angustis, breuibus, subhirsutis, radiorum modo genicula ambientibus: flore in summis ramis copioso, luteo, piso, aut reliquis Genistis simili: siliqua, fructúque etiam similibus. Eadem ei quæ cæteris Genistis facultas, & si diuersa sit effigies.

GENISTA HVMILIS, SIVE Tinctorius flos. CAP. XXVI.

Dodo. li. 1. cap. 46. Lib. 1. c. 49. Libr. Hist. pl. cap. 47. Lib. 2. ca. 7. Libr. Hist. cap. 311. Lib. 6. ca. 8. *Nomina* Ibidem. Lib. 2. ca. 8. *Forma.* Lib. 1. stirp. Hisp. c. 46. *Locus.* Ibidem. *Tempus.* *Tempera* Fuchs & Dodo. ibi.

NE rei herbariæ studiosos homonymia fallat, eos monitos velim florem tinctorium nominari plantam quæ etiam herba lutea nominatur: item tinctorium florem Tragos dici, quem pro Astere Attico Fuch. depinxit, eundémque Tragũ Chamæspartium vocare florem tinctorium paruum. Nos de Tinctorio flore Fuchsij hîc agimus, quem Dodon. Genistam humilem nuncupat. Gallicè *Petit Geneſt*, vel *Petite Geneſte*. An hæc herba veteribus cognita fuerit, nondum compertum habemus, inquit Fuchsius. Quapropter ad Germanicam alludentes appellationem, Tinctorium florem, interim dum certius nomen nacti fuerimus, nominabimus. Germani *Gilb bluom*, vel *Streich*, vel *Ferb blumen*, quod florum illius in tingendis libris, & aliis quibusdam vsus sit, nuncupant. Galli, *Fleur à teindre*, & *Herbe à iaunir*, quia eius floribus ad pannos laneos luteo colore inficiendos vtuntur. Tragus ferulæ nomine describit, atque etiam Thapsiam vocat, nec non à quibusdam Tinctorium florem dici scribit. Est igitur noster hic tinctorius flos proculdubio Genistæ species, Genistæ vulgari haud multũ absimilis, nisi quod non tam attollitur, sed ferè per humum serpit, ramulis multis, ex vno stipite productis, gracilibus, herbaceis, circa quos folia sunt tenuia, paulò longiora, & latiora quàm in Genista vulgari, ad Hyssopi ferè formam accedentia: in summitate flores lutei, venusti, Genistæ vulgari similes, minores: Semen in siliquis angustis, compressum, Lenticulæ ferè par. Radix planè lignea. Prouenit hæc planta locis altis & aridis, atque pratis nonnullis, inquit Fuchsius. Dodonæus verò nasci scribit in locis decliuibus & incultis, nonnunquam in terra humida, & argillosa. Floret Iunio & Iulio mensibus, atque deinceps semina profert. Amara est haud aliter quàm Genista vulgaris, vt calefacere illam & siccare in

secundo

TINCTORIVS FLOS,
siue Genista humilis.

GENISTA
Tinctoria Clusij.



secundo ordine sit euidentissimum. Quemadmodum forma & temperamento Genistæ, vulgari similis est, sic etiam facultatibus, haud dubiè illi respondet, verum minus efficacibus. Commodè hîc Genistam Tinctoriam Clusij appingemus, fruticem ad binûm cubitorum altitudinem sese attollentem, nudo stipite, enodi, recto, digitali crassitudine, candicante cortice obducto, in multiplices breuésque ramos summa parte fissum, tenellos, & fragiles, quos ornant folia Lini, aut Thymeleæ frequentia, supernè virentia, inferiore verò incana, & planè argenteo splendore, gustu, primùm linguam exsiccante, & nonnihil adstringente, deinde subamaro: Flores in summis ramulis nascuntur, spicatim, Genistæ Tinctoriæ Germanicæ similes, lutei. Tota planta elegans est aspectu. Nusquam fruticem hunc se vidisse ait Clusius, quàm in Murciano regno, secus vias, mense Martio florentem. Theuetus in Canariis insulis, ea præsertim quæ ferrea cognominata est, locis lapidosis, & montosis, nasci herbam refert, quam Oricelle vocant, Arabes *Sereth*, qua coria eleganter tingunt, ex Hispaniis eò delata. *Vires.*

Lib. 1. stirp. Hisp. c. 46.

CHAMAESPARTII TRAGI, CAP. XXVII.

CHAMÆSPARTII nomen à Trago factum retinemus, nunc meliore veróque destituti. Maio mense, inquit, cùm Genistæ florent, in aridioribus, & incultis campis exiguus frutex hîc reperitur, totus haud temerè dodrantem excedens, radice lignosa, caulículis multis herbaceis, angulosis: foliis Lenticulæ, seu Genistæ: flore luteo, stipato, spicato, Orobo simili conspicuus: semine atro, terete, instar exigui Orobi, in siliquis nigris, rotundis concluso. Cauliculi vsque ad insequentem annum illæsi frigora hyemis sustinent, tum enim noui regerminant. *Nomen.*

Lib. 2. ca. 7.

Locus.

Tempus.

Forma.

CHAMAESPARTIVM Tragi.

CHAMAEGENISTA peregrina Clusij.

Planta omni prorsus odore caret. Hæc paucis cognita est : nonnullæ tamen mulierculæ *Clein Streuhblumen*, hoc est paruos Tinctorios flores vocant. Sunt qui *Erdpfimmen*, id est terrestrem, seu humilem Genistam nuncupant. Græcè fortè licebit χαμαιγαπάρτιον dicere. Flores puerorum quoque crepundiis, & lusibus inseruiunt, & temperamento Orobi Fœnigræci esse mihi videtur. Hæc Tragus in cuius figura Chamæspartij, flores non rectè sunt expressi. Plantam hanc si Gesnerus Genistam esse angulosam Cordi existimauit, quod eius picturam Genistæ angulosæ descriptioni apud Cordum apposuit, rem non satis inspexisse videtur. Cordus enim Genistam angulosam à nobis descriptam, vulgarem nostram Genistam, siue Spartium angulosum intellexit. Chamæspartij etiam meminit Gesnerus. Alia quædam in Genistarum genere, inquit, caulibus angulosis, & peculiari quodam modo foliatis. Chamæspartium dixeris. Ab hoc diuersa est Chamægenista peregrina Clusij, quam Lobellius pingendam curauit, Clusius sic descripsit. Vix palmari magnitudine assurgit, admodum fruticosa, foliis Chamæleæ proximis, breuioribus, duris & carnosis, per ambitum aliquantulum sinuosis, & crispis, rigidiusculisque, vno ex altero è medio neruo prodeunte, quemadmodum in Chamægenista illa, quàm nonnulli Sagittalem vocant, interdum vero binis terniſue simul exorientibus : hic verò neruus paulatim intumescit, & in ramulum conuertitur, quandoquidem tota planta folioſa sit : in extremis istis foliis quini seniue, aut plures flores simul iuncti, ex villosis caliculis nascuntur, Genistæ similes, sed minores, aurei planè coloris, quorum bina inferiora folia incana lanugine pubescunt. Floret Martio in incultis locis Valentini regni.

Li 3. Plant. cap. 43. In Hort. Germ.

SPAR

SPARTVM HISPANICVM, CAP. XXVIII.

LONGE aliud esse Spartum Hispanicum à Græcorum Spartio. Hermol. Marcell. Dodonæus, Cornarius, Amatus Lusitan. Andreas Lac. rectè existimarunt. Id hodie in Betica Hispaniæ regione, & Algarbia Lusitanorum, Aphricæ finitima prouenit: & ab incolis Sparto etiamnum vocatur. Est autem frutex Iunci aculeati modo aceruatim sponte sua nascens, virgis ad summum cubitalibus, solidis, fractu cõtumacibus sine folio, semine, & flore, præcipui ad vincula vsus. Ex his etiam sportulæ, corbes, calathi fiunt, quibus ficus, Vuæ passæ, aliæq; merces in alias regiones asportantur. Hoc Spartum Plinius à Græcorum Spartio distinxit, eiúsque naturam seorsum explicauit his verbis. Sparti quidem vsus multa post sæcula cœptus est, nec ante Pœnorũ arma, quæ primùm Hispaniæ intulerunt. Herba est hæc sponte nascens, & quæ non queat seri, Iuncusq; propriè aridi soli, vni terræ dato vitio. Namq; id malum telluris est, nec aliud ibi seri, aut nasci potest. In Aphrica exiguum & inutile gignitur. Carthaginiensis Hispaniæ citerioris portio, nec hæc tota, sed quatenus parit, montes quoque Sparto operit. Hinc strata rusticis eorum, hinc ignes facésque, hinc calceamina, & pastorũ vestis, animalibus noxium, præterquam cacuminum teneritate. Ad reliquos vsus laborioſè euellitur, ocreatis cruribus, manibusq; tectis manicis conuolutum osseis ligneísque conamentis. Nunc iam hyeme vix: facillimè tamen ab idibus Maiis in Iunias: hoc maturitatis tempus. Vulsum & examinatum, fascibus in aceruo biduo, tertio resolutum, spargitur in sole, siccaturq;, & rursus in fascibus reddit subtecta. Postea maceratur aqua marina optimè, sed & dulci, si marina desit, siccatumq; sole, iterum rigatur: si repentè vrgeat desiderium, perfusum calida in solio, ac siccatum stans, compendium operæ fatetur. Hoc autem tunditur, vt fiat vtile, præcipuè aquis mariq; inuictum. In sicco præferunt è Cannabi funes: At Spartũ alitur etiam demersum, veluti natalium sitim pensans. Est quidem eius natura interpollis: rursusq; quamlibet vetustum nouo miscetur. Verùmtamen complectetur animo qui volet miraculum æstimare, quanto sit in vsu omnibus terris, nauium armamentis, machinis ædificationum, aliisque desideriis vitæ. Hæc Plinius: qui paulo post Theophrastum nullam omnino Sparti mentionem habuisse tradit, cuncta cura magna persecutum ante ipsum annis cccxc. Cornarius tamen Linospartum Theophrasti non aliud esse quam Spartũ, è quo Plinius Lina ad retia præcipua fieri dixit, constanter credit, eiusq; mentionem feciſſe Theophrastum, cùm inter ea recenset, quæ multiplicem corticem habent. Verba eius hæc sunt. καὶ τῶν μὲν πολύλεπτος ὁ φλοιὸς, ὅιον φιλλύρας, ἐλάτης, ἀμπέλου, λινοσπάρτου, χαμαιρόδων. Matthiolus aliam Genistæ, aliam Spartij Dioscoridis figuram pinxit, quod idem esse cùm Hispanico à Plinio descripto videtur existimare. Sed in hac figura quædam absurdè picta esse animaduerterunt docti Herbarij. Eam tamen imitati Dodon. & Fuschius pro Spartio etiam exhibuerunt. Gesnerus Genistæ Iunceæ Cordi eandem appositit. Flores enim minimè quadripartiti esse debent, etiam si Dioscorides Spartium florem habere vt Leucoium dixerit, colorem colori, non figuram figuræ, ferens, vt iam indicauimus. Spartũ certe Hispanicum folio, floræ, fœminæ destitutum est, nec ramos habet, qui in ramulos diuidantur, atque adeò Sparti planta nihil aliud est, quàm tenuium Iuncorum aceruus. Qua de re vt diligentes Herbarij ex collatione verius iudicare possint, Spartij Icones aliquot ex Clusio hîc adiecimus. Spartum Hispanicum, siue Plinij, numerosa, tenuia, Iuncea viridiaq; folia habet, ex eadem radice prodeuntia, cubitali longitudine, quę dum nouella sunt, latiuscula cernuntur, & interiore parte canescentia, tempore verò contrahuntur & conuoluuntur, fiuntq;

Iuncea

Corol. 160. lib. 4. Dios. In hist. stru. cap. 33. Embl. 137. li. 4. Dioſc. Enar. 158. li. 4. Dioscor. *Nomina Locus. Forma. Vsus.* Lib. 19. c. 2.

Embl. 137. li. 4. Dioſc. Lib. 19. ca. 2.

Lib. 1. Hist. cap. 8. Lib. 4. Dioscor. ca. 152. Lib. 19. c. 2.

Li. 3 pl. c. 54 Lib. 4. c. 152.

Lib. 2. stirp.

SPARTVM PLINII
ex Cluſio.

Iuncea, dura, flexilia tamen, & marginibus, ſic agglutinatis, vt vix rima appareat, niſi curioſius obſerues. Ex his foliis culmi emergunt paulò longiores, qui vere & æſtate paruam paniculam arundinaceam ferunt. Arundinis ferè modo florentem, deinde oblongum ſemen, veluti nonnulla graminis genera. Radices ſubſunt fibratæ & perennes. Multæ ſimul naſcuntur huiuſmodi plantæ, contiguæ Iunci modo, vt nonnunquam vna planta, ſiue multarum congeſtarum cumulus duorũ pedum ſpatium, aut amplius in ambitu occupet. Plurimum naſcitur in multis Baeticæ locis, ſed omnium copioſiſsimũ ab initio Regni Granatenſis ſiue Baeticæ limitibus vſque ad Murgim vrbẽ, vulgo Murcia dictã, vt non ſine cauſa totus ille tractus à veteribus appellatus ſit Cãpus Spartarius, quo noua Cartago, vulgò Cartagena, vrbs maritima cõtinetur, à nõnulis etiã Spartaria cognominata, ob Sparti eo in loco naſcentis copiã. Naſcitur & in Valẽtino agro longè vberius, & lætius. Eſt verò Spartum hoc, quod etiam ab Hiſpanis apud quos naſcitur Sparto nuncupatur, à Prouincialibus Elpho, illud ipſum quod Plinius eo loco, quem hoc capite citauimus, deſcripſit. Eodem eſt in vſu nunc apud Hiſpanos, qui fuit Plinij tempore. Nam ex crudo & ſiccato tapetas, ſiue aulæa, ſtoreas, corbes, rudentes, alióſque funes cõficiunt: Ex eo aqua, veluti

SPARTVM ALIVD
Plinij ex Cluſio.

SPARTVM tertium
Cluſij.

linum,

linum, macerato, deinde ſiccato tuſoq́;, calceaminis genus quod ipſi Alpergates vocant, funes etiam & alia ſubtiliora opera nectunt. Aliud Sparti genus naſcitur in Murciano regno, humidioribus præſertim locis, ſuperiore tenuius, cuius rarus eſt vſus ſtoreis, aut aliis huiuſmodi conficiendis, ſed plurimus ad lineos ſaccos quos lectis ſubſternunt, implendos, quemamodum nos ſtramine vti ſolemus, quoniam molliore tenuioreq́; ſit Iunco quàm ſuperius: paniculam fert breuem, & membraneo folliculo, inſtar floris Narciſsi, & ſimilium ferè, incluſam. Naſcitur eodem quo prius modo, & paulò maturius floret, nempe Martio menſe. Incolæ *Albardin* vocant, fortaſſe quia clitellas ex craſsiore cannabina tela confectas, quas iumentis imponunt, quaſque *Alabardas* vocant, iſto Sparto compleant. Inuenitur apud Bergas atque etiam in nonnullis Galliæ locis, in aggeribus fabuloſis Oceano propinquis. Sparti genus quoddam *Halm* ab incolis vocatũ quaſi ὁλμυρὸν, ἀπὸ τ ἁλὸς, id eſt à ſale, priori ferè ſimile, ſed multo maius, & rigidius, cruribus eorum, quibus per eos aggeres iter eſt ſine ocreis, permoleſtum: pungit enim, & cutim penetrat. Creſcit eodem modo quo ſuperiora, ſpicam ferens ſecales fere inſtar. Hæc de Sparto Hiſpanico literis mandata, & obſeruata.

TAMARIX, CAP. XXIX.

Μυρίκη, Latinè etiam Myrïce, & Myrica, & Tamarix Plinio etiã Tamarice, in Achaia Bria ſylueſtris, Officinis Tamariſcus, Arabicè *Tarfa*, ſeu *Carfa*, Gallicè *Tamaris*, Italicè *Tamarigio*, Germanicè *Tamariſcken*, aut *Porſt*, Hiſpanicè *Tamargueira*. Eius genéra duo ſunt Dioſcoridi, altera ſylueſtris, arbor vulgo cognita, quàm hîc pictam damus, altera quæ in Ægypto, Syriaq́; gignitur, mitior ſylueſtri. Rurſus Tamaricis duplex genus in Germania inueniri tradit Cordus. Alterum ſolidiore ligno, medullaq́; admodũ exili, & foliis tenuioribus, copioſè ad Rhenũ circa Argentoratum naſens: alterum ampliore medulla, foliis latiuſculis, lignoq́; non vſq; adeo ſolido, quod frequenter ad Danubij, & Vuertachi ripas in Vindelicia prouenit, præſertim circa Auguſtam. Tamarix quæ vulgo in Italia, & Gallia Nabornenſi naſcitur, frutex eſt, aut arbuſcula, ſæpius hominis tantum altitudine. Quam ob cauſam Virgilius humiles Myricas appellauit, ramis plurimis aliquando in viridi pallidis, aliquando fuſcis: foliis Sabinæ; aut Ericæ, paruis, carnoſis, & nũquam decidentibus, vt ait Plinius, fructu flori ſimili in purpureum inclinante, muſcoſo, qui demũ in pappos euolat. Plinius fructum nullum ferre, hoc eſt ne ſemen quidem, ſed ſcopis tantum naſci ſcripſit. Vt qui id quod Dioſcorides dixit, χαρπὸν ὅλως ἄνθος φέρειν, βρύειν τε τὴν ὕφεσιν, neque ſemen, neque fructum eſſe, aut dici debere putarit. Narbonenſem & Germanicam Tamaricem Pena ſic deſcripſit & depinxit. Vulgatiorem, inquit, facieq́; Ericæ prioris videas præcipuè in riguis & maritimis Gallo prouinciæ & Lio Venetorum,

Nomina
Lib. 13. c. 21.

Lib. 1. c. 99.
Genera.

In li. 1. Dioſcor. ca. 117.

TAMARIX
Matthioli.

Forma.

Ecl. 4.

Lib. 16. c. 21. & 24. Lib. 16. c. 26.

TAMARIX Germanica. | TAMARIX Narbonensis.



rum, in Cotonei magnitudinem & caudicem crescere, è qua ad splenem detornantur pocula. At quæ hîc proximè appicta est, ad Rheni ripas in Germania sponte fruteſcit, sed exilior, humiliórque multò, nec arbor fit, imo plerumq; in hortis Anglię bruma interit. Flores huic tometosi papposiq; diffluunt vnà cum semine, maioresq; sunt, aut ferè pares, & similes vulgari Lampsanæ, sed purpurei. Narbonensi autem ramosi exiguiq; flosculi, non papposi, sed rotũdi, Oleæ similes, ex albo punicei, cum acinulis, quos interdum totum triduum Soli obiectos se obseruasse ait subsiliẽtes, & tripudiantes, vermiculo intus orto agitante, qui pertusis aut desilientibus tandem granis, foras prodit. Satiua sylvestri similis est, fructum parit Gallæ proximum, inæqualiter adstringentem gustu, quo conuenienter vtebantur antiqui vice Gallæ in medicaminibus oculorũ oriq;. Tamaricem, inquit Plinius Corinthus, & quæ circa est regio Oryoniam vocat, eiúsque duo genera facit. Sylvestrem planè sterilem, alteram mitiorem. Hæc

Lib.24.c.9.

fert in Ægypto Syriaq; etiam abundanter lignosum fructum, maiorem Galla, asperum gustu, quo medici vtuntur vice Gallæ, & in compositionibus quas Antheras vocant. Quæ alicubi reperitur in hortis, & in quibusdam viridariis, mitior credita, inquit Matth. non alia est quàm sylvestris in locos mitiores translata. Indicio sunt fructus & flores sylvestribus omnino similes, non autem Gallæ. Romæ Tamaricem insigni proceritate sese vidisse idem testatur, in hortulo quodam, quæ etsi pro satiua ab omnibus haberetur, tamen fructus, floresque ferebat sylvestri similes. Apud pigras & stagnantes aquas nascitur. Ad fluminũ ripas frequentissima prouenit in Italia. Satiua in Syria & Ægypto copiosa est,

Lib.1. Dios. cap.99.

Locus.

Lib.13.c.21. Li.16.c.26.

cuius infœlicia ligna appellantur, inquit Plinius. Cur autem infœlicia alio loco docet. Infœlices arbores existimantur, inquit, damnataq; religione, quæ neque seruntur vnquam, neque fructum ferunt. Rursus alio loco de Tamarice loquẽs.

Lib.24.c.9.

Vulgus infœlicem eam arborem appellat, quoniam nihil ferat, nec seratur vnquam. Steriles igitur arbores infœlices nominantur. Cicero. Infœlici arbori suspendito, & ita Liuius. Attamen hanc Myricam, cuius infœlicia ligna appellari ait, fructum ferre Gallæ similem idem Plinius scribit, & infœliciora ligna esse

Pro Rab.

Cap.21.13.

Græciæ, Ostryiæ quæ Ostryn gignat. Ostrys tamẽ ordeo simile semen habet, figura, & colore: Illa verò puella Catulli, quæ vouet se daturam Vulcano lectissima Volusij Poëtæ carmina, Infœlicibus vstulanda lignis, non temerè infœliciũ lignorum meminit. Sciendum enim veteres solitos esse plerúmque prodigia & portenta sic procurare, vt exurerent lignis infœlicibus. Macrobius. Arbores quę

Tur. T.2. Ad. lib.18. cap.11.

Lib.3. c.20.

inferum deorũ auertentiumq; in tutela sunt, eas infœlices nominãt: subiicitq;, quibus portenta prodigiaq; comburi iubere oportet. Græci ex spinosis lignis quæ infœliciora videbantur, comburere solebant, & cinerem in profluentem proiicere, vt ostendit Theocritus de anguibus quos Hercules in cunis eliserat. Ergo Catulli puella, vt malum quoddam prodigium vouerat se crematuram versus optimos Volusij lignis infœlicibus. Sed ad Tamaricem redeat oratio.

Huius

Huius fructus, inquit Dioſcor. datur cruentæ excreationi in potu, & cœliacis, & contra profluuia fœminarum, regium morbum, & Phalangiorum morſus: illitus tumores inhibet. Cortex in eoſdem vſus adhibetur. Decoctum foliorũ cum vino potum lienem abſumit: ad dolorem dentium in collutionibus ſalutare, & mulieribus fluxione vuluæ opportunis, in deſſeſsionibus: phthiriaſi, Lendibuſq; circunfuſum prodeſt. Abundantiam fœminarum ſiſtit impoſitus arboris cinis. Potorios calyces è caudice lienoſis moliuntur, quo datus in his potus proficiat. Myrica Galeno abſtergentis eſt incidentiſq; facultatis, abſque manifeſta deſiccatione. Habet verò etiam adſtrictionem nonnullam. Has ob qualitates, facultatéſque admodum prodeſt lieni duro, decocta cum aceto, aut vino, ſiue radice, ſiue foliis, ſiue extremis ramulis: ſanat etiam dentium dolores. Cæterùm fructus, & cortex non paucam ſortita ſunt adſtrictionem, adeo vt Gallæ Omphacitidi proxima ſint, niſi quod acerbitas euidens eſt in Galla, ſed Myricę fructui temperatura ineſt inæqualis, quoniam immixta eſt naturæ eius multa partium tenuitas, atque vis adſtringẽdi, quod ſanè in Galla non ineſt. Attamen vbi Galla fortè ad manũ non erit, eo vti liceat ad omnia, ad quæ illa vtimur, ad eadémque, præterea & cortice. Porrò Myricæ combuſtæ cinis admodum deſiccatoriæ facultatis eſt, plurimam habens abſtergendi facultatem, pauxillam adſtringendi. Myricen & Ericen vocat Lenæus, inquit Plinius, (Sic emendat Cornar. ex vetere libro manu ſcripto vulgatos Codices, in quibus habetur, Myricẽ, quam & Tamaricen vocat Lenæus) ſimilem ſcopis Amerinis dicit. Sanari ea carcinomata, in vino decocta, tritáque, cum melle illita. Arbitrantur quidam hanc eſſe Tamaricen. Sed ad lienem præcipua eſt, ſi ſuccus eius expreſſus in vino bibatur. Adeóque mirabilem eius antipathiam contra ſolum hoc viſcerum faciunt, vt affirment, ſi ex ea alueis factis bibant ſues, ſine liene inueniri. Et ideo homini quoque ſplenetico cibum protúmque dant in vaſis ex ea factis. Grauis auctor in medicina virgam ex ea defractam, vt neque terram, neque ferrum attingeret, ſedare ventris dolores aſſeuerauit impoſitam, ita vt tunica cinctúque corpori apprimeretur. Datur ſanguinem reiicientibus cortex tritus, & contra profluuia fœminarum, cœliacis quoque. Idem tuſus, impoſitúſque, collectiones omnes inhibet: Foliis exprimitur ſuccus ad hæc eadem. Et in vino decoquũtur. Ipſa verò adiecto melle gangrænis illinuntur. Decoctum eorum in vino potũ, vel impoſita cum roſaceo & cera ſedant: quidam hæc conturbata ſic legunt. Et in vino decoquuntur ipſa: adiecto vero melle gangrænis illinuntur, vel imponuntur cum Roſaceo & cera. Sedat & decoctum eorum in vino fotu. Sic & epinyctidas ſanant. Ad dentium dolorem, auriúmque, decoctum eorum ſalutare eſt: radix ad eadem, ſimiliter & folia. Hæc amplius ad ea quæ ſerpũt imponuntur cum polenta. Semen drachmæ pondere aduerſus Phalangia & Araneos bibitur. Cum altillium verò pingui furunculis imponitur. Efficax & cõtra ſerpentium ictus, præter quam Aſpidum. Nec non morbo regio, phthiriaſi, lendibúſque decoctum infuſum prodeſt, abundantiamq; mulierum ſiſtit. Cinis arboris ad eadem omnia prodeſt. Scribit Columella, ſues dum dulcedinem pabuli conſectantur, ſupra modum æſtate ſplenis incremento laborare. Cui ſuccurritur, inquit, ſi fabricentur canales ex Tamaricis trunco (ſic enim legendum, non vt habent exemplaria ex Tamaricibus, & Ruſco) repleanturq; aqua, & deinde ſitientibus admoueantur. Quippe ligni ſuccus medicabilis epotus inteſtinum tumorem compeſcit. Myricæ cinerem omnia vlcera ignis exuſtione contracta efficaciter exſiccare auctor eſt Serapio. Folia, inquit Matthiolus, ſimul cum tota planta fotu frigidas collectiones inhibent, ac reprimunt. Rami contuſi ex aceto illiti lienem attenuant. Datur ramorum cortex ad diuturnas alui fluxiones.

Lib. 1. c. 99. *Vires.*

Li. 7. ſimp.

Lib. 24. c. 9. Embl. 95. li. 1. Dioſcor.

Lib. 7. c. 10.

In li. 1. Dioſcor. c. 99.

Fructus potui datus confert viperæ morsibus. Elephantiasim lienis vitio obortam Myricæ radicum decoctũ, cum vuis passis epotum sanare tradidit Alcanzius Arabs, id quod se vidisse ait in duabus mulieribus, quæ illo morbo tenebantur. Ex quo colligit Matthiolus id decoctum commodum fore morbi Neapolitani remedium, Gaiaci ligni decocto fortasse haud absimile. Myricę radices pro odorata Casia venditabant impostores. Sed fraude à Peritis materiæ medicæ viris deprehensa, eius in Officinis vsus penitus exoleuit. Hippocrates eodem libro πρόμαλον bis habet, qua voce Myricam Cornarius intelligit. Posteriore loco, id ad sustinus, cum vteri loco moti vexant, probat. Priore verò sic habet: ἢν δὲ ἔτι φέρηται ὁ ῥόος, πρόμαλον φώξας, & τρίψας ἐν οἴνῳ δίδου. Id est Cornario interprete. Si verò adhuc feratur fluxus, Promalon, siue Myricã torreto, & tritam in vino dato. Græci dictionarij πρόμαλον, ἢ μυρίκην, ἢ ἄγνον exponunt. Quidam eam quæ fœlici auctu adoleuit πρόμαλον intelligunt. Videtur autem Hippocrates liberum reliquisse, siue quis fructu, siue cortice Myricæ vti velit: vtrumque Dioscorides fluxione laborantibus fœminis commodum esse tradit.

Ibidem.

Lib. 2. mor. mulieb.

Ibidem.

SABINA, CAP. XXX.

Nomina

SABINA, vel Sauina Romanis, βράθυς Græcis, & βάρυθρον dicitur, Arabibus *Abhel*, seu *Alharar*, Gallis *Sauinier*, Italis & Hispanis *Sabina*, Germanis *Sebenbaum*, Boemis *Klaßterſka*, *Cuuogka*, Belgis *Sauelboom*, Anglis *Sauin tre*. Officinæ Sauinæ nomen retinuerũt. Sabina duũm

Genera. est generum auctoribus Dioscoride & Plinio. Vna foliis Tamarici similis, altera

Lib. 1. c. 88. Li. 24. ca. 11. Cupresso, quare quidam Creticam Cupressum dixerunt. Vtraque in multis Galliæ nostræ hortis prouenit, miranda natura, & contemplatione dignissima.

Locus. Frequẽtior quæ Tamarici similis est, Fruticis, seu arbusculæ forma crescit, sem-

Forma. per tamen altera humilior, ad sesquicubiti, aut vix ad cubitorum duorum alti-

SABINA
Tamarici similis.

SABINA
Cupresso similis.

tudinem

tudinem sese erigens, trunco brachij interdum crassitudine, ramos plurimos in latum fundente,& explicante.Folia cùm oriũtur,Cupresso similia sunt,deinde in foliorum Tamaricis figuram abeunt, candidiora, leuiusculè pungentia, perpetuò virentia.Odorem planta hæc valde grauem & validum spirat. Quæ Cupressum refert,procerior est.Sæpè etenim hominis altitudinem attingit,interdum celsior.Folia recentia, & adhuc tenella Tamaricis foliis proxima suut, cùm adoleuerint foliorum Cupressi figurã imitantur. Imbecillioris hæc ac minùs grauis est odoris quàm prior: immortali, vt & altera coma viret: vtraque baccas fert nigras Iuniperinis similes. Id testantur Fuschius, Dodon.Cordus, Gesnerus,atque ipsa experientia. Quare non rectè videtur Matthiolus partiri Sabinam in sterilem & fructiferam:& hanc baccarum colore differentem, quæ in altera cæruleæ,in altera rubentes spectantur. Quanquam Plinij auctoritate sese tueri potuerit,qui Sabinam negat fructum ferre, cùm dicit. Sabina herba propagine seritur,& auulsione. Et paulò post. Iisdem modis Rosmarinum serunt,& radio:quoniam neutri semen.Hts accedit Serapionis testimonium, sic scribentis.Abhel,idest Sabina,quæ & Brathys dicitur,non habet fructũ.Sed hac in re temerè his auctoribus fides adhibenda non est. Vtraq; enim tam Rosmarinus,quam Sabina semina ferunt,demonstrante id annua experientia. Sabina verò non semina tantùm,sed & fructum fert Iuniperi baccis colore & figura similem,vt diximus,verùm paulò maiorem,& gustu acriorẽ. Sed cũ non in omnibus locis,& rarissimè fructum proferat,id in causa fuit,cur multi sterilem esse existimauerint.Secundæ Sabinæ coniungenda alia quam Lobellius ostẽdit, ramulorum exilitate,& foliorum lenitate duntaxat diuersa, inquit, media inter Sabinas,& Cedros Phœnicias videtur,sed folia tenuiora & delicatiora, minimè aspera & pungentia sunt.Fructus Iuniperi minori par, similis, & concolor.Natalibus gaudet mõtosis Calabriæ,& Apuliæ.Hæc Lobellius.Nascitur & in cõuallibus Alpinis supra Gratianopolim,prope vicũ quẽ incolæ vocãt *Bourgduissantz*.

De Histor. ca.54. Lib.6.c.84. In li.1.Dioscor.c.105. In Hort. Germ. Lib.17.c.13.

Cap.280. Cordus ibidem.

SABINA
Baccata altera.

Mirum etiam qnod herbam Plinius appellet Sabinam,cùm omnibus constet fruticem, atque etiam arborem esse,non herbã.Quæ verò Sabina baccis rubentibus à Matthiolo esse dicitur,Sabina proculdubio non est, sed Thuia Massilienſis,quam *Serbin* vocant, à nobis iam descripta, & quam Cedrum Lyciam esse Bellonius putat, à qua non solùm baccarum colore Sabina differt, sed & odoris proprietate. Idem Bellonius Sabinam alterã Cupresso similem affirmat se frequentissimam vidisse in Amano,& Olympo Phrygiæ montibus, tota facie Iuniperum maiorem referentẽ, magnitudine Amygdalæ arboris maioris, foliis Cupresso per omnia similibus, baccis per maturitatem in cæruleo nigricantibus, & caudice resinam ferente. Eum Matthiolus meritò reprehendit,Sabinam hanc ineptè inter resiniferas recensentem, quam tot notis ab altera Sabina non distinxit Dioscorides. Eandem paulò post, parum sibi constans Bellon.quam Sabinam alteram Dioscoridis esse asserebat, arborem eam esse statuit, quæ à Plinio Brutes

Li.de Conif.

Lib.12.c.17

Lib.12. c.11 appellatur, quasi vero Plinius Sabinæ vtriúsque suo loco non meminerit, nulla Brutæ arboris in Sabina describenda facta mentione. Hanc Bellonij Sabinam
Inhil.c.16. pro Thyiæ genere alibi descripsimus. Sunt qui Auicennam censent Sabinam vno loco cum Iunipero altero cum Absinthio marino turpiter confudisse.
Lib.2. ca.5. Prior locus is est. Abhel quid est? Est fructus Alharar, similis Alzarur. Et mox, Arboris eius duæ sunt species. Vna cuius folia sunt sicut folia Cupressi, multas habens spinas, quæ dilatatur, & non elongatur. Alia est cuius folia sunt, sicut Tamaricis, &c. Quem locum sic exponunt. Abhel fructus est Iuniperi, similis Mespilo Azarolo, vt quæ sequũtur de Iunipero non sint accipienda, quam ali-
Li.2.c.2.368. bi nomine Harar in minorem & maiorem distinguit, sed de vtráque Sabina, cum Abhel, id est Iunipero perperam commixta. Quare Matthiolum hoc Au-
Ibidem. icennæ testimonio Sabinam fructiferam esse probare volentẽ, nominis Abhel homonymia deceptum fuisse arbitrantur: quod vt à Serapione pro Sabina, ita hîc quoque ab Auicenna fructum Harar esse definiente, pro eadem vsurpari crediderit. Imo ipsos falli, ac vehementer errare putauerim. Auctorem enim habeo Andr. Bellunensem, qui scribit Abhel non esse verum Alharar, sed eius speciem, & in libro Ebenbitar reperiri, eos errare, qui dicunt Abhel esse Alharar: quare ex eius effectis, & foliis Tamarici similibus colligi Abhel Sabinæ, aut generis ipsius fructum esse, & non Iuniperi. Verborum igitur Auicennæ is sen-
Li.2.c.668. sus erit. Abhel fructus est Iunipero similis, & Mespilo Azarolo, siue Aroniæ, &c. Posterior locus Auicẽnæ est de Sceha, id est Absinthio marino. Sceha sunt duæ species. Vna est spinosa habens folia Cypressi, &c. Et alia habet folia vt Tama-
Li.3. ca.24. riscus, &c. Quo loco cùm de Absinthio marino ex Dioscoridis sententia tractet, absurdè admodum vt Sabinam in duo genera distribuit, vt alterum foliis Cupresso, alterum Tamarici simile sit. Nunc de Sabinæ viribus dicamus. Vtriusque folia nomas sistunt, inquit Dioscorides, collectiones illitu mitigant: quin
Lib.1.ca.88. *Vires.* & cum melle illita nigritias, sordesq; repurgant, & carbunculos rumpunt: cum vino pota sanguinem per vrinas eliciunt: partus apposita extrahunt, & suffitu idem præstant. Quod de carbunculis Dioscorides dicit, in Græcis legitur, καὶ ἄνθρακας περιῤῥήγνυσι, id est carbunculos deterunt, sed falso, vt annotat Cornarius,
Fmbl.83. li. 2 Dioscor. legendum enim περιῤῥήγνυσι, id est, abrumpunt, emarginant, circunscribunt, vt idem sit quod περιχαράσσει ἄνθρακας, velut de Pice liquida dixit. Sabina Galeno est
Li.6.simpl. ex numero fortiter exsiccantium, idq; secundum tres qualitates quas in gustu præse fert, similiter Cupresso, nisi quod ea acrior est, & vt sic dixerim magis aromatica, seu odoratior. Igitur huius quam modo dixi qualitatis particeps est, nempe acrimoniæ consistentis in temperamento calido, præterea amaritudinis, & adstrictionis obscurioris quàm in Cupresso. Siquidem quanto magis acrimonia superat, tanto etiam potentiùs digerit. Itaque glutinare nequit ob siccitatis & caliditatis robur. Nam vtriúsque illi tantum inest, vt etiam tendat. & inflammationem adferat. At putredinibus similiter Cupresso accommodari potest, maximè vbi rebelliores, & diuturniores fuerint. Nam hæ citra noxam vim medicamenti perferunt. Quin & quæ atra sunt reddita, & admodum sordida cum melle expurgat: carbunculos soluit. Porro essentiæ tenuitate menses quoq; prouocat, vt si quid aliud, & sanguinem per vrinas mouet. Fœtum etiam viuentem interficit, & mortuum eiicit. Esto autem hoc medicamen tertij ordinis tum excalfacientium, tum desiccantium, ex numero eorum quæ maximè tenuium sunt partium. Quidam Cinnamomi vice duplum eius substituunt. Est
Lib.24.c.11. enim extenuantis & digerẽtis facultatis, si potum fuerit. Sabina, inquit Plinius, à multis in suffitu pro Thure assumitur. In medicamẽtis verò duplicato põdere eosdem effectus habere, quos Cinnamomum, tradunt. Collectiones minuit, &

nomas

nomas compescit. Illita vlcera purgat. Partus emortuos apposita extrahit, & suffitu. Illinitur igni sacro, & carbunculis. Cum melle & vino pota regio morbo medetur. Gallinacei generis pituitas fumo eius herbæ sanari tradunt. Matthiolus auctor est Sabinæ puluerem cum butyro permixtum, ad manantia infantium capitis vlcera magnopere conferre. Eundem drachmæ pondere ex butyri vnciis tribus & duabus mellis sumptum asthmaticis mirificè prodesse. Dari quoque summo auxilio succi Sabinæ drachmas duas cum Chrysocollæ fossilis drachma, & vini albi vncia, ægrè parturientibus, sed non nisi flagitante necessitate. Tragus herbæ cuiusdam meminit, quam Sabinam nominat. Sed cum muscí genus sit, de ea magis idoneo loco dicetur. Lib.1. Dioscor. ca.88. Li.1. ca.189.

ERICA, CAP. XXXI.

QVÆ Græcis ἐρείκη, Latinis etiam Erica nominatur, similiter Italis, Germanis, & Belgis *Heyden*, Hispanis *Queiro*, Gallis *Bruiere*, Anglis *Heth*. Athenienses, vt Plinius ait, Tetralicem appellant. Eubœa Sisaram. Codices quidam Tetradicē habent, & Sisarum. Theophrasto quidem ἡ τετράλιξ recensetur in genere aculeatorum fruticum, & æstate germinantium. Sed hanc Ericen hîc intelligi non puto. Varro Sisaram habet, ex Sisaræ flore liquidum mel fieri scribens. Lenæus, Plinio auctore, Myricam etiam Ericam vocat, & ob similitudinem quandam vtráque inter se confundit, quod ipse quoque Palladius fecit, cùm scribit. Huius mensis (Nouembris) initio Apes ex Tamarisci floribus, reliquisq; syluestribus mella conficiunt. Quod Plinius de Erica tradit, vt mox dicemus. Erica planta est lignosa, fruticosa, Tamarici similis, longè minor, tenerior & humilior. Folia sunt minutissimè incisa, Chamæcypariſsi foliis haud multum absimilia, fusciora, & duriora: Flores in candido purpurei, venusti, nonnunquam, sed rarius, albi, qui sunt veluti capitula quadripartita, ramos à medio ad summum vsque exernantia. Radix est longa, lignosa, in rubro nigricans. Dioscor. Ericam Myricæ similem facit, sed longè minorem: alio in loco Corinfolio Ericæ, pinguiore, minore. Plinius scribit Ericam fruticem esse non multum à Myrice differentem, sed colore Rosmarini & pene folio. Ex quibus colligere licet diuersa esse Ericæ genera. Primam hic pictam veterum Ericam esse multa arguunt. Nam fruticosa est arbor, Myricæ similis, longè minor, vt scribit Dioscorides. Præterea vere primo, & Autumno floret, prima videlicet, & vltima syluestrium, quod huius fruticis proprium esse rei herbariæ scriptores asserunt. Adhæc huiusce flore Autumno maximè depascuntur Apes, quod de Erice tradiderunt antiqui. Dioscor. Huius flore Apes improbum mel efficiunt. Plinius. Tertium genus mellis minimè probatum, syluestrę quod Ericeum vocant. Conuehitur post primos Autumni imbres, cum Erice sola floret in syluis,

Nomina

Lib.11.c.16.

Lib.6. Hist. cap.3.

Lib.4. c.16.

Lib.24.c.9.

Lib.11.c.16.

Forma.

Lib.1.c.100.

Lib.24.c.9.

Ibidem.

Lib.11.c.16.

ERICA PRIMA *Matthioli.*

ERICA ALTERA
Matthioli.

ERICA TERTIA
Dodonæi.

ob id arenoſo ſimile. Gignitur id maximè ab Arcturi exortu, Pridie Calend. Septembris. Quidam æſtiuam mellationẽ ad Arcturi exortum proferunt, quoniam ad æquinoctium Autumni ab eo ſuperſunt dies XIII. & ab æquinoctio ad Vergiliarum Occaſum diebus XLVIII. plurima floret Erice. Dodonæus & Fuſchius eandem plantam pro Erica repreſentarunt. In frigidis regionibus & ad Septentrionem verſis prouenit, macilento & ſterili ſolo, atque etiam in calidioribus, eodem ſolo, ſed rarius. Marcel. Ericam in Geniſtarum genere eſſe non rectè ſcripſit. Ericæ plura genera fecerunt Herbarij. Matthiolus Ericam alteram, hîc depictam, quæ fortaſſe non minùs quàm ſuperior, Ericam veram referat. Plurima ea naſcitur in Exiceto Paliſſiæ oppido vicino, toto eo ſaltu per quem iter faciunt qui Lugduno Lutetiam proficiſcuntur. Frutex ramulis denſiſsimis cubito procerior eſt, foliis oblongis, tenuibus, exiguis, creberrimis, ramos veſtientibus, & vndíque ambientibus: Flore in ramorum vertice copioſo, vltra ramorum faſtigium proiecto, ac prominente, coloris è puniceo ſubrubentis, aſpectu pulcherrimi, & qui ad decerpendum prætereuntes inuitet. Sapor idem qui & primi generis Ericæ, verùm amariuſculus. Eius florem Apes conſectari credibile eſt potius quam ſuperioris. Floret Auguſto menſe. Dodonæus Ericam aliam humilem, ſurculis quamplurimis fruticantem, teneris, gracilibus, ex radice naſcentibus, colore rubro, aut fuſco, ex quibus ſcopæ Gallis fiunt excutiendo veſtium pulueri. Vnde Scoparia iure nominari poteſt. Folia ei parua ſunt admodum, Thymi vulgaris foliis haud abſimilia, minora, & tenuiora. In ſummis ſurculis flores emicant, quini ſeníue, in terram vergentes, è rubro purpurei, oblongi & rotundi, caui, parte extrema aperti, dolioli inſtar. Radix tenera per humum ſerpit, hic atque illic nouellos ſurculos producens.

Lib. 6. c. 16. Hiſt. ca. 95.

Locus.

Lib. 1. Dioſcor. c. 19.

Ibidem.

Lib. 6. c. 16.

Gaudet

ERICA IIII. Monſpel.

Gaudet locis ſabuloſis, muſcoſis, & riuulorum fontiúmque vligine madentibus. Copioſa gignitur in Aruernorum pago quem Diuum Anthemium vocant, alibi ferè inutilis. Rhotomagenſes & Lugdunẽſes ſcoparij inde mercantur, ac in ſuas tabernas comportant, prætenues eas virgulas cultellis radentes, ac dirigẽtes contortas, vt in ſcoparũ ſtructurã aptari poſsint. Quartũ Ericæ genus in agro Monſpelienſi, & in Aquitaniæ ſaltibus creſcit, prope Burdegalam, & à Burdegalenſibus, viciníſque Bronde nominatur. Radix illi ſubiacet craſſa, longa, lignoſa, dura: rami ſunt ſeſquipedales folia parua, Thymo noſtro vulgari, aut Coridi ſimilia: flos Ericæ vulgari ſimilis, exiguus, purpureus circa ſummos ramulos vtrinque prodit. Ad hominis proceritatem hoc Ericæ genus aſſurgit in Aquitania, niſi amputetur, aut à pecore arrodatur, aut, quod ſæpè fit, admoto igne vratur. Radicem commendant ad carbonem faciendum, ideo fabris ferrariis expetitum, quod non niſi flatu accendatur, flatúque ceſſante protinus extinguatur, fabris ſic ſæpius recoquentibus. Quintum genus Erica Chryſanthemos, à floris colore ſic nuncupata. Humilis eſt frutex, radice craſſa, nigra, lignoſa, ſurculoſa, fibrata. Ramulos emittit multos, ſæpius per terram repentes, nonnunquã paululum ſupra terram ſeſe attollentes: folia Coridis circa ramulos denſa, guſtus adſtringentis. Flos eſt violæ ſimilis, aureus: ſemen durum, Milio grandius, in folliculis turbinatis, & ſtriatis, per maturitatẽ flaueſcentibus. In ſabuloſis æditorũ colliũ locis, apricis & perflatis gignitur. Floret Iulio. Sextum genus eſſe dicemus Ericam eam quam Matthio. in poſtrema commentariorum in Dioſc. editione Ericam bacciferam vocat. Naſcitur in mõtibus, inquit, qui Bohemiam à Sileſia ſeparant, humi ſerpens, & latas occupans areas, folio pene vulgaris Ericæ, Baccas edit purpureas, Iuniperinis haud minores, ſed molliore pulpa, lenta, & colore ſubuireſcente, vt in Pruno. Ramis eſt lignoſis, lentis, ex atro rufeſcentibus. Hanc plantam deſcripſit & depinxit Dodonæus pro Vaccinio paluſtri, quod *Couſines de marais* Gallicè vocari ſcripſit, cauliculóſque habere paruos, breues, graciles & teneros, per terram ſparſos, foliis

ERICA V. Chryſanthemos.

ERICA VI. BACCIFERA Dodonæi.

Lib. 6. ca. 11.

ERICA BACCIFERA
Matthioli.

Lib.1.ſtirp. Hiſp.ca.30.

paruis, anguſtiſque veſtitos, Thymi vulgaris foliis ſatis ſimiles, ſed minores. Circa cauliculorum ſummitates naſci baccas ex pediculis valdè tenuibus pendentes, Vacciniis rubris ferè ſimiles, tamen oblongiores & maiores, coloris aliquando tantum rubri, aliquando maculoſi, guſtus acerbi, adſtringentiſque. Cluſius primũ Ericæ genus ſtatuit ſimile Myricæ, alterum diuerſum, quod Myricam folio non refert, ſed Corin & forma foliorum & ſitu admodum æmulatur: cuius generis multæ ſunt ſpecies, magnitudine, foliorum & florũ forma, coloréque, inter ſeſe differentes. Prima omnium maxima, hominis altitudinem interdum ſuperat, fruticoſa admodum, ligno duro, ex rubro nigricante, foliis exilibus, & breuibus, quaterno ordine ramos ambiẽtibus, guſtu admodum adſtringente, flore copioſo, racematim totos ferè ramulos occupante, vt interdum maiores rami pedali longitudine floribus onuſti conſpiciantur. Eſt autem is flos concauus, vti paruum cymbalum, oblongus, odoratus, pulcher, albus. Naſcitur in Luſitanię ſolitudinibus, inter Vlyſsi ponẽ, & Conimbricam. Floret Nouembri & Decembri. Prima Matthio. Erica videtur hæc eſſe. Secunda eiuſdem ferè cum prima altitudinis, æque fruticoſa, tenuioribus ramis, eiuſdem cum ſuperiore coloris, foliis etiam exilibus, quaternis ſemper ſimul ramulos amplectentibus, quorum extremis inſidẽt flores oblõgi, ſuperioribus ſimiles, colore purpuraſcentes. Tota etiam eſt adſtrictionis parti-

ERICA II. Cluſij.

ERICA III. Cluſij.

ceps.

ceps. Prouenit iisdem quibus prima locis, atque etiam abundantiùs: eodem etiam tempore floret. Illi ferè similis est. Narbonensi agro frequens, longiore paulò & copiosiore folio, flore purpureo, minore, extremos ramulos occupãte. Hæc secunda videtur esse Matthioli Erica à Fallopio missa. Tertia eius Erica est secundæ admodum similis, sed paulò humilior, folia maiora & latiuscula aliquantulum, & nigriora habet, quaterna semper circum ramulos nascentia, flores plurimos per interualla secundum ramulorum longitudinem prouenientes, superioribus forma similes, primum herbacei coloris, deinde ex albo purpurascentes. Tota etiam adstrictoria facultate pollet. Supra Vlysiponem frequens cum superioribus, pluribus tamen locis occurrit. Floret Decembri, & Ianuario. Quarta Clusij eadem est quæ à nobis etiam quarta & depicta est, & descripta. Vulgaris in tota Hispania, Lusitania, & Aquitania, nota etiam Galliæ Narbonensi, scopis faciendis maximè idonea vere & sub hiemem floret. Huic similis inquit Clusius, sed minor omnino pedalémque altitudinem rarò superans, & plerúmque humi præcumpens, foliis quaternis etiam semper ramulos ambientibus contrariis inter se pediculis, inuenitur in montibus Pannoniæ quæ florem herbaceum alteri similem extremis ramis, & foliacea illa capitula profert mense Augusto & Septembri. Quinta minor est superioribus, cubitali tantum altitudine plerúmque, ramis gracilibus fruticosa, quos terni per interualla ramuli ambiunt, ternis foliis admodum exilibus circa eos ordine dispositis, flores superioribus paulò maiores plurimi & conferti circum ramulos, longis pediculis hærentes, colore purpureo obsoletiore. Incultis Lusitaniæ locis supra Vlysiponem frequens. Florebat illis Decembri. Sexta superiori admodum similis est, paulò tamen humilior, neque fruticosa, sed omnes ferè virgas, seu tenues ramos à radice proferens, singulares, cortice cinereo obductos, quos ambiunt ordine terna ramulorum rudimenta, seu germina ex multis foliis confertim nascentibus constantia, nigrioris quàm alterius coloris,

ERICA V. Clusij.

ERICA VI. Clusij.

flores

ERICA VII. Cluſij.

ERICA VIII. Cluſij.

flores concaui, iam poſtremò deſcriptæ floribus forma ſimiles, colore ſaturatioris purpuræ, elegantiſsimo, è longis pediculis verticillato ambitu per interualla, & è ſummis ramis pendent. Naſcitur in Hiſpaniæ Caſtella veteri, tum in Gallia ſupra Lutetiam, & in Anglia ſupra Vindeſoram. Floret Septembri. Septima fruticoſa eſt, cubitalibus aſſurgens ramulis, fragilibus, nigriore quàm reliquæ cortice: folia ſuperioribus ſimilia, ſed nigriora, & craſsiora, guſtu cum adſtrictione calidiuſculo, trino ordine circa ramulos diſpoſita. Septembri & Octobri fructum à reliquis diuerſum, ſummis ramulis inhærentem gerit, pulcherrimum, candidum, pellucidum, vniones obſcuriores, tum forma, tum colore referentem, ſucculentum, ſapore acido, tria granula dura plerúmque continentem, qui Nouembri deſiccatur, & per ſe decidit. Neſcit Cluſius, an floreat, incolæ negabant. Eſt verò hæc longè diuerſa Matthioli Erica baccifera. In Luſitania dũtaxat genus hoc obſeruauit non procul Vlyſsi pone. Octaua cubitali ferè eſt altitudine, fruticoſa etiam, & tenuibus ramulis prædita, qui terni ſemper circum maiores ex interuallis prodeunt, folia etiam ſimiliter terna, exigua quidem, ſed latiora quàm in reliquis ſupra deſcriptis, inferiore parte nonnihil candicantia, hirſuta, & guſtu adſtringente: ſummi ramuli ad foliorum exortus verticillatim exornantur per interualla ternis ſemper floribus, æquali diſtantia à ſeſe naſcentibus, & in vnam partem ſpectantibus, maioribus quàm in reliquis generibus, concauis, prominulo magis ventre, colore ex rubro purpuraſcente, nouem numero, duodecim, quindecim, aut pluribus. Inuenitur plerúmque cum ſeptima, & aliis, in arenoſis Luſitaniæ locis. Floret Octobri. Semen huic quale in reliquis ſupra deſcriptis (præterquam ſeptima) exiguum, nigricans. Nona non multum ab hac foliorum forma differt, & pleriſque Brabantiæ locis, nonnullis etiam Caſtellæ veteris creſcit, pedalibus ſolùm fruticans ramuſculis, tenuibus, ex rubro nigricantibus, cingentibus eos frequentibus foliis, quaternis ſimul diſpoſitis, ſuperiore anguſtioribus, & Thymi vulgaris minoribus, hirſutis. E ſummis ramulis pendent plerúmque quini, aut ſeni flores ſimul

iuncti,

iuncti, floribus Lilij conuallium ſimiles, paulò tamen oblongiores, neque adeo vti ſuperioris ventroſi, colore vt plurimum ex rubro dilutius purpuraſcente, interdum etiam albo. Floret vere & autumno. Hæ ſunt Ericæ ſpecies à Cluſio traditæ. Nunc facultates eius declarandæ. Ericæ tam flos quàm coma ſerpentium ictibus illitu medetur, inquit Dioſco. Erica Galeno digerendi per halitum facultatem obtinet. Paulus citra roſionem adiecit. Flore eius potiſsimùm ac foliis vtendum. Erice Plinio contra ſerpentes prodeſt. Idem Erices folium aduerſari ſerpentibus tradit. Ericæ vulgaris decoctum, inquit Matthiolus, in aqua tepidum ſumptum, tam mane quàm veſperi, triginta dies, quinque vnciarum pondere, tribus horis ante cibum valet ad veſicæ calculos comminuendos, & expellendos. Sed poſtea malè affecti in balneum ex decocto eiuſdem plantæ deſcendere debent, atque in eo Ericæ decocto inſidere, ídque ſæpius faciendum. Hoc tantum decocto epoto, ſeruatáque recta victus ratione, nonnullos affirmat. Matth. veſicæ calculum in minimas partes comminutum eieciſſe. Florũ decoctũ potũ lumborũ & vẽtris doloribus ſuccurrit: foliorum ſuccus oculorum imbecillitatem ſanat, ſi iis guttatim inſtilletur. Rondeletius oleo ex Ericæ floribus confecto fœlici ſucceſſu vtebatur ad delendos herpetas fœdos, & iam inueteratos totã faciẽ occupãtes. Vaccinia paluſtria, auctore Dodon. ſitim ſedãt, aduerſus calores febriles, ſanguinis, partiũque interiorũ inflãmationes cõferũt.

Vires.
Lib. 1. c. 100.
Lib. 6. ſim.
Libr. 7.
Li. 13. c. 20.
Li. 24. ca. 9
Li. 1. Dioſc. cap. 100.

Ibidem.

IDÆA VITIS, CAP. XXXII.

IDÆA vitis, vt ſcribit Theophraſtus, naſcitur in parte Idæ, quam vocant Phalacras. Eſt fruticoſa, virgis paruulis, & ramulis cubitalibus penè exporrigitur, quibus acini ad latera adhærent, nigri, fabę magnitudine, dulces, vinaceorum inſtar, (γιγαρτῶδες τί) aliquid intus continentes, molle: folium rotundum, indiuiduum, paruum. Plinius hunc locum ſic tranſtulit. Alexandrina appellatur Vitis circa Phalacram, breuis, ramis cubitalibus, acino nigro, fabæ magnitudine, nucleo molli & minimo, obliquis racemis, prædulcibus: folio paruo & rotundo, ſine diuiſuris. Alexandrinam vocat, quam Theophraſtus, Idæam, non ab Alexandria Ægypti, ſed Alexandria Troadis iuxta Idam montem. Sic & ficus Idæa Theophraſti, Plinio Alexandrina dicitur. At hæc Vitis non ſolùm circa Idæ, ſed etiam Aruerniæ, Phalacras, ideſt montoſa loca ſiluis nuda, ac veluti caluitio glabra naſcitur copioſiſsima nonnũquam etiam in ſiluis ipſis. *Airelles*, vocant Itali *Vua dell' orſo*, Germani *Heidelbeer*, Eſt autem frutex humilis, ramulis plurimis, nonnunquam cubitalibus, ſæpè minoribus: foliis rotundis, ſaturæ viriditatis, Buxeis, Myrteís ve ſimilibus, inſtante hyeme cæterarum modo decidentibus, vere ex iiſdem ramulis renaſcentibus: floſculis rotundis, cauis, circa ramulos inter folia emergentibus: bacculis rotundis vmbilicatis, primũ viridibus, deinde per maturitatẽ nigris, ſucco nigerrimo plenis, guſtui non ingrato. Radice nititur longa, gracili, lenta, lignoſa. In ſyluis noſtris naſcitur, duro, macro, edito, & ventis expoſito ſolo.

Lib. 3. Hiſt. cap. 17.
Nomen.
Forma.
Lib. 14. c. 3.

IDÆA VITIS.

Hermol. in Plin. Li. 15. ca. 18.

Locus.

Vuam

Lib.6.ca.11. Vuam vrſi Anguilara vocat, Dodonæus Vaccinia nigra, à paruis baccis: quia Vaccinia docti quidam exiſtimant dicta eſſe quaſi Baccinia à baccis, minimè tamen Vaccinia nigra Virgilij eſſe intelligit. In quibuſdam Galliæ locis idem *Couſines* nominari ſcribit. Sunt qui putant Vitem Idæam eſſe illam quæ paſſulas Corinthiacas vulgo dictas fert. Sed nobiliſsimum illud vuæ paſſæ genus, inquit Geſnerus, non in Ida, nec in aliis æditis, niuosíſque montibus naſcitur, verùm in planitie, vel in collibus apricis, magna hominum cura. Vitis Idæa menſe Maio floret, baccæ Iunio ſunt maturæ. Refrigerant ſecundo gradu, adſtringunt, & paulùm ſiccant. Crudæ coctæve cum Saccharo, aut abſque eo ſi edantur, febre biliosa, & ardenti cruciatis proſunt. Valent aduerſus ventriculi ardorem, hepatis, aliarúmque interiorum partium inflammationes, ventré adſtringunt, & nauſeam reprimunt: ab hac Idæa vite differt à Lobellio picta Myrtus Germanica foliorum inciſuris, & magnitudine, flore & fructu eadem, de qua hæc tradit Matthiolus. In Germania & Bœmia, quia legitima Myrto carent, aliam in ſyluis naſcentem ſibi comparárunt Pharmacopæi & Myrtillum vocarunt. Frutex eſt cubitalis, caudice & ramulis viridibus, foliis Buxo ferè ſimilibus, ſed tenuioribus, & leuiter per ambitū ſerratis, floribus tintinabuli figura è pediculis inter folia pēdētibus, colore ſubpuniceo, rufo intus, ſtamine. Floribus baccæ ſuccedunt, quæ maturæ, colore & magnitudine Iuniperinis non ſunt abſimiles, vinoſæ, teneriuſculæ, vmbilicatæ. Hæ Germanis cum vniuerſa planta haud inefficaciter Myrti vicem præſtant. Peculiariter autem iis vtuntur ad inficienda ſtamina, & chartam ceruleo colore. Eduntur etiam à ruſticis, nec guſtui ſunt ingratæ. Hæc Matthiolus.

In Hortu. Germ.

Tempus.

Temper Dodo. ibi.

Vires.

MYRTILVS Germanica.

IDÆA RADIX. CAP. XXXIII.

Nomen. IDÆA Radix, ſiue Idææ vitis ſpecies hæc planta eſſe putatur, ſuperiori & magnitudine, & ramulis ſimilis, niſi quod huius folia ſunt

Forma. maiora, duriora, Buxi maioris foliis ſimilia, hyeme non decidentia: flores in candido purpurei, longi, rotundi, multi ſimul in ſummis ramulis. Baccas edit rotundas, quę à ſuperioribus parū differunt, nō ita ſucci plenas, guſtu acerbas & aſtringentes. Radix ſubeſt lignoſa, & longa. Dodon.

Lib. 6. c. 11. Vaccinia rubra nūcupauit. Lobellio & Penæ eſt. Alpina Chamærtio dodēdros, odora, Cluſio vua vrſi Galeni, Italis Rhododaphne parua, ruſtica: quibuſdam Balſamum Italicum vulgare: Therionarca Plinij Guillandino. Idææ radici, in-

Li. 4. c. 40. quit Dioſcorid. folia ſunt ea quæ Ruſco: adhærent iis veluti exigui capreoli, è quibus flos. Radix ſpiſſandi naturam habet, iis conueniens quibus adſtrictione opus eſt. Bibitur etiam ad alui fluxiones, & fluxum muliebrem, omnémque

Lib. 27. c. 11. ſanguinis eruptionem ſiſtit. Idææ herbæ folia ſunt inquit Plinius, quæ Oxymyrſines: adhærent iis veluti pampini, in quibus flos. Aluum menſéſque, & omnem

IDÆA RADIX.

nem obundantiam sanguinis sistit, spissandi, cohibendíque natura. Ita enim vetus Plinij codex habet. Quæ cum Dioscoride consentiunt, præterquam quod herbam vocat, quam ille radicem, & menses, more quodam suo, pro fluxu muliebri reddidit. Idæa radix Galeno, gustu admodum acerba est, ac si opere periculum facias, eam vim præseferet, nimirum alui profluuia, dysenterias, profluuium muliebre, & quæcunque eius sunt generis, tũ pota, tũ foris imposita curans. Quæ omnia cũ frutici hîc depicto satis bene conuenire videantur, non absurdè fortasis pro Idæa radice ostenditur. Gignitur in altissimis Allobrogum montibus, humi iacentes cauliculos huc illuc spargens. Lib. 6. fim

COGGYGRIA THEOPHRA. CAP. XXXIIII.

THEOPHRASTVS arbusculæ cuiusdam meminit Arbuto & Adrachnę similis, cui hoc proprium esse tradit, vt fructum lanugine amittat, Quo loco Gaza κοκκυμηλέαν legit, & Prunum vertit. Sed fallitur, vt opinor, quod Theophrasti locum turpi mendo inquinatum esse nõ animaduertit, quem ex Plinio emendasse debuerat, qui Coggygriam, siue Coggyriam legit. Theophrast. cum de Arbuto & Adrachne dixisset, subiicit, ὅμοιον ϑ τούτοις τὸ φύλλον καὶ τῆς κοκκυμηλέας, τὸ ϑ δένδρον μικρὸν, ἴδιον ϑ ἔχει καὶ τὸ ἐκπαππᾶσθαι τὸν καρπὸν τοῦτο γὰρ οὐδ' ἐφ' ἑνὸς ἀκηκόαμεν ἄλλου δένδρου. Plinius cum eandem Adrachnem depinxisset, ait. Similis & Coggygria folio, magnitudine minor. proprietatem habet fructum amittendi lanugine, pappum vocant, quod nulli alij arborum euenit. Præterea quid absurdius quàm Prunum dicere arborem esse, quę fructum lanugine amittat? Fortasse & Cotinus quoque Plinij appellari potest illa arbuscula Italico & vernaculo nomine, vt postea dicetur. Verũ Coggygria Theophr. nihilo secius esse creditur, hac maximè ratione ducti, quòd eius fructus in pappos abeat, quæ nota huic peculiaris à Plinio tribuitur. Frutex est, nunc humilis, nunc ad Punicę magnitudinem assurgens, radicibus multis, modicè crassis: ramis furculosis, cortice subrubro vestitis: folio Terebinthi, carnoso, & spisso Arbuti modo, lęui, parum laciniato, minúsque acuto, venoso, maiore, & latiore, qua cum Terebintho similitudine decepti quidam Macedonicam Terebinthum esse putauerunt: flore per initia racemoso, ex viridi pallescẽte, qui tandem in pappositum muscariũ dilatatur, & euanescit, innu- Lib. 4. Hist. cap. 16. *Nomen.* Li. 13. ca. 12. Ibidem. *Forma.*

COGGYGRIA THEOPH.
Cotinus Plinij.

meris tenuiſsimiſque capillamentis villoſum, nutantibus in militum galeis plumoſis criſtis non abſimile, papporum lanugini inter ſparſis minutis granis,
Locus. nigris, figura cor æmulantibus. Creſcit in montibus Allobrogum tractu aprico, cliuoſo, aſpero, non nimis alto, nec inſidentium niuium frigore rigido. Alicubi cum Terebinthis pumilis, breuibus, contortis, quales circa Idæ & Mace-
Vires. & Vſus. doniæ montoſos tumulos prouenire Theophraſtus ſcripſit. Folia, flores, tenella germina, cum teruntur odorem ſpirant reſinoſum, Terebinthi modo, non iniucundum. Eorumdem ſapor auſterus eſt, & valde aſtringens, guſtanti non inſuauis. Dienſes Allobroges ſua lingua Rhu vocant, corticéque coria ſpiſſant
Vſus. ac concinnant, id quod nonnullos mouit, vt rhoem coriariorum eſſe crederēt. Gratianopolitani eius foliis ſummíſque ramuſculis ad Lineas veſtes nigro colore inficiendas vtuntur, quas aliis mulierculæ ſuper imponunt, ne ſubiectæ puluere & ſordibus inquinentur. Allobroges Sabaudi arbuſculas integras, vel earū grandiores ramos delibratos vendunt, ſuáque lingua Fuſtet vocant, ad pannos luteo colore tingendos. Is enim eſt ligni color. Qui radices Apennini incolunt Roſſolo vocant: qui ædita Apennini iuga, Scotano: quotiéſque ictericum felle ſuffuſo luridum eſſe ſignificant, eum magis quam Scotanum flaueſcere dicunt,
Lib. 16. c. 18. hac voce Cotinum Plinij exprimentes, fruticem, vt ait, ad lineamenta modo, conchylij colore inſignem. Quamquam falſi ſuſpectus ſit is locus, flauo colore, quo lignum Cotini tingit, à conchylij colore multùm diſtante, niſi de arboris cortice ſubrubro aut purpuraſcente intelligēdū id tantū ſit: quā ob cauſam Roſſolo vocāt, à roſeo colore. An verò huic ſoli peculiare ſit, in pappos fructū auolare, multis dubium eſt, cum Nerij ſiliquæ pappoſa lanugine ſemen includant.

IOVIS BARBA, CAP. XXXV.

Nomina Lib. 16. c. 12. HVNC fruticem Iouis Barbam eſſe, cuius à Plinio fit mentio, Herbarij putant. Ac quoniam Aizoō Iouis Barba Officinis dicitur, hanc quoque plantam Aizoon arborem, quidam nuncuparunt, vt ſic ab Aizoo herba diſtinguerent. Fruticoſa eſt arbuſcula, magnitudi-
Forma. ne hominis, ramis denſiſsimis, folio Lentiſci, argenteo, ſic collocato, vt lateribus folia paria ſint, impar autē foliis verſum claudat: coma in opere topiario tonſilis, & in rotūditatem ſpiſſa, elegantiſsimi aſpectus, ſi quis in hortis ſerat, veſtiendis arearū viarúmque marginibus, vt à nobis de Lauādula fieri ſolet, flore in ſummis ramis copioſo, coaceruato velut in cumulum, luteo, Geniſtæ ſimili, ſi ſumas ſingulas quaſque floris coaceruati partes. Gignitur in lapidoſis, & ſaxoſis locis maritimis, præſertim montibus ad litora poſitis. Pulcherrimam hanc plantam mons Setius (hodie *Cap, de Sette* vocant) ab Agatha & Bliterris non admodum ſemotus nutrit. Anguillara in Monte nigro prope Liuornam gigni tradit, foliis ordine diſpoſitis, candidis, nitentibus, Lenticulæ ſimilibus, anguſtioribus, flexilibus ramis, luteis floribus.

IOVIS BARBA.



Locus.

ARBVTVS, CAP. XXXVI.

ARBVTVS frutex, siue arbor est: Arbutum fructus eius à Virgilio dicitur. Cum iam glandes, atque Arbuta sacræ deficerent syluæ. Græcè κόμαρος, fructus μεμαίκυλον, Arabicè *Hutuladib*, Italicè *Albatro*, Hispanicè *Madronho*, seu *Madromeiro*, Gallicè *Arbousier*, fructus *Arbonses*. Arbutus frutex est, siue arbuscula Cotonea Malo non maior: caudicis cortex subruber, asper, squamosúsque, à quo rami prodeunt rubentiores, læuioréque, præsertim nouelli: folia Laurinis, Iligneísve similia, paulò tamen breuiora, crasioráque, non decidua, toto ambitu serrata, colore pallido potiùs quam viridi, rubra per medium excurrente costa. Flores parui, candidi, caui, floribus herbę quæ vulgo Lilium conuallium dicitur, figura similes, racematim pendentes. Fructus parui, rotundi, Sorborum ferè magnitudine, qui primo exortu virent, deinde flauescunt, maturi verò rubent, tactu asperiusculi, nullis intus ossiculis, fragorum modo, quorum etiam effigiem referunt. Sapor his insipidus, simul & austerus, qui dum eduntur, acerosa pulpa linguam palatúmque vellicant. Ab his paulum discrepare videtur Dioscorides cum scripsit. Arbutus arbor est Coroneæ Malo non dissimilis, tenui folio: cuius fructus Pruni magnitudinem implet, nullo intus nucleo, huic Memæcylum cognomen est. Maturus aut flauescit, aut rubet, in esu acerosus. Sed cum Arbutum Malo Coroneæ comparat, magis id ad arboris proceritatem, quàm ad folia, & caudicis corticem referri intelligendum. Deprauatos etiam esse hoc loco Dioscoridis codices suspicio est: quoniam Serapio qui omnia ex Dioscoride transscripsit, totam Arbutum non dicit Cotoneæ Malo similem, sed folia proferre Malo Cotonea minora, nec tenuia folia habere scribit. Alij λεπτόφυλλον, non tenuifolium, sed angustifolium interpretantur. Plinius folium Mali Assyriæ folio Vnedonis rectè videtur comparasse. Theophrastus sic descripsit. Arbutus quæ Memæcylon fert esculentũ, non valdè magna est arbor. Corticem habet tenuem, Tamarici similem: folium inter Vlicem & Laurum medium. Floret mense Iulio. Flores prodeunt ex vna appendice, extrema parte, racematim: quorum quisque Myrti baccæ oblongæ, forma similis est, & magnitudine par, nõ foliat⁹, cauus, velut ouũ excalptũ ore aperto. Cum autẽ defloruerit, etiam retinaculũ quod adhæret perforatum est. Quod defloruit, tenue est, ac veluti verticillum circa fusum, aut Doricæ colũnæ capitulum. Fructus anno maturescit, vt simul contingat & hunc haberi, & alterum florere. Plinius. Aliud corpus est terrestribus fragis, aliud congeneri eorum Vnedoni, quod solum pomum simile fructui terræ gignitur. Arbor ipsa fruticosa: fructus maturescit, paritérque floret subnascens, & prior colligitur fructui terræ, inquit Hermolaus, hoc est fragis terrestribus, nihil enim est ferè tam Vnedoni simile quàm fraga. Ob id quidam fraga montana in Ouidio Arbutos interpretantur, ad differentiam terrestrium. Cæterum quia Theophrast. aliter & melius Arbutum expressit, aliam esse hanc à Dioscor. Arbuto quidam

Nomina

Forma.

1. & 2. Geo.

Matt. c. 138. lib. 1. Dios. Dodon. li. 6. cap. 53.

Lib. 1. c. 138.

Matt. ibid.

Lib. 12. c. 3. Lib. 3. Hist. ca. 16.

Li. 15. c. 24.

In Casti. in Plinium.

ARBVTVS.

censent. Sed eruditiorum sententia eadem planè est vtriusque Arbutus, exni-
mirum ea quam hîc depinximus. De eius fructu etiam inter veteres controuer-
Li.7.fim.& sia est. Dioscorides, & Theophrast. vt diximus, eum Memæcylon appellant.
2.med.p.c. His ad stipulari videtur Galenus, qui non vno loco eum fructum Memæcylon
1. & 2. Ali, nominat. Plinius & arborem & fructum vnedonem vocat. Vnedo, inquit po-
Lib.15.c.24. mum in honorum, vt cui nomen ex argumento sit, vnum tantùm edendi. Duo-
bus tamen hoc nominibus Græci appellant, Comarum & Memæcylon. Ex quo
apparet totidem esse genera & apud nos. Alio nomine Arbutus vocatur. Qui-
bus verbis Plinius quatuor voces Vnedonem, Comarum, Memæcylon, Arbu-
Li. 23. ca.8. tum vni arbori ac fructui tribuit. Et alibi. Arbutus siue Vnedo fructum fert dif-
ficilem cõcoctioni & stomacho inutilem. At verò Vnedonem fructum Arbuti
Lib.6.fim. non esse, sed Epimelidis arboris Galenus tradit his verbis. Epimelis acerba est
planta, & vt, ita dicam, syluestris Malus. Appellatur autem à rusticis in Italia
ὐνεδὼν, idest Vnedo. Frequens in Calabria nascitur. Fructus eius acerbus est, sto-
macho incommodus, & capitis dolorem inducens, admixta enim est ei pere-
grina quædam qualitas. Idem alibi perspicuè Memæcylon ab Vnedone distin-
Li. 2. alim. xit: Et qui frutex inquit, Epigmelidas fert. Appellatur autem is fructus in Italia
Vnedo, stomachóque nocet, & capiti dolorem adfert, acerbúsque est admodum
cum exigua quadam dulcedine. Quibus mox subiungit. Cornis quidem & Ca-
nirubi fructu, & Glandibus, & Memæcylis (sic autem Comari fructus appellan-
Libr. 7. tur) rustici passim vescuntur. Galenum Paulus secutus est. Quare dubitandum
non est, quin alia arbor sit Epimelis, quæ vna cum fructu suo in Italia Vnedo
appellatur, & alia Arbutus, cui⁹ fructus Memæcylõ Græcis dicitur. Has arbores
Plinius fortasse ob similes vires pro eadem vsurpauit. Quod igitur Ruell. scri-
Lib.1.c.20. psit Galenum & Paulum Arbutum, Comarum, Vnedonem à rusticis Italiæ vo-
cari scripsisse, minimè verum esse ex supradictis intelligitur, atque adeo nec il-
lud quod alio loco ait, Galeno & Paulo Epimelida esse genus quoddam Arbu-
Lib.1.c. 97. ti, quæ Græcis Comaros dicitur, cui eandem omnino vim reddiderunt, hoc
addito, quod fructum Memæcylon nominant. Perspicuè enim illi Arbutum ab
Epimelide distinxerunt, & de iis diuersis in locis tractauerunt, nec, si similibus
præditæ sint facultatibus, inde efficitur eandem esse stirpem. Plurimę enim stir-
pes iisdem qualitatibus, viribúsque præditæ, forma & genere sunt diuersæ. Quę-
nam sit Epimelis in historia Mespilarum nos ostendemus. Arbutus in syluis,
Locus. Italiæ & Galliæ Narbonensis copiosa nascitur. Bellonius scripsit in monte, qui
Lib.1. Obs. cap.43. Athos dicitur, arbutos quæ aliis in locis frutices sunt, in magnas arbores euade-
re. Iuba auctor est, tradente Plinio, quinquagenum cubitorum altitudine in
Li. 15.c.24. Arabia esse eas. Florent mensibus Iulio & Augusto. Fructus Septembri, & sub
Tempus. hiemem maturus est, qui frigidus stomacho aduersatur, inquit Dioscorides, ca-
Temper. pitísque dolorem mouet. Eadem omnino tradit Galen. Arbutus Arbor ipsa
& vires qualitate acerba vna cum fructu est, eum Memæcylon nuncupant. Est autem
Ibidem. hìc & infensus stomacho, & capiti dolorem adfert. Idem in omni capitis do-
Lib.7. fim. lore vitandum esse præcipit Arbuti fructum. Sunt qui credant, inquit Matthio-
Lib.2.in p. cap.1. lus, Arbutum magno esse aduersus pestem præsidio, aquam quæ ex eius foliis
Ibidem. extillauerit, admixto osse in corde cerui reperto, statim ipso Morbi initio pro-
pinantes. Arbuti fructibus Turdi Merulæque delectantur. Quare hyeme, quo
tempore ij maturi sunt huiusmodi aues ab aucupibus facilè capiuntur. Fron-
Ecl.3. des ab hœdis expetuntur teste Virgilio.

Dulce satis humor, depulsis arbutus hœdis.

CORNVS

CORNVS FOEMINA. CAP. XXXVI.

A Theophrasto θηλυκρανεία dicitur Cornus fœmina, à quibusdã ψευδοκρανεία, idest falsa Cornus, ab aliis diuersis nominibus nuncupata, diuersas quoque plantas pro Corno fœmina repræsentãtibus. Cornus fœmina, inquit Ruellius, dumetis & nemoribus familiaris. Sed quia neglectas & inguſtabiles fert baccas, indignam quæ Corni nomine vocaretur rura putauerunt. Arbori quam Cordus Pſeudocraniam vocat deſcribítque, præfixit Geſnerus eius fruticis picturam quam Tragus Germanicè à ligni duritia *Hartriegel* appellari ſcripſit: hicque admonet Geſnerus quærendum, an hæc Cordi Pſeudocrania, ſit arbuſcula ſeu frutex, quem Germani *Hartriegel*, vocant, Plinius virgam ſanguineam appellauit. Eruditi quidam Cornũ fœminam eſſe coniiciunt. Sed paulò poſt Cordus aliam Cornum fœminam deſcribit, cui Geſnerus figuram Corni à Trago deſcriptæ appoſuit. Idem Geſnerus Sanguineam virgam Plinio dictam, quæ paſsim in ſæpibus creſcit, Cornum fœminam eſſe ait quorundam ſententia. Cornum fœminam eſſe putat Cornarius, quam Germani ex argumento *Faulbeerbaum*, & *Faulholtz*, vocant. Sed an is Alnum nigram Dodonæi, de qua iam dixi, an Tragi *Faulbaum*, arborem à fœtido, tũ odore, tum ſapore ſic dictam intelligat, ſcitu difficile eſt. Dodon. Cordi pſeudocraniam Cornum fœminam, ſylueſtrémue, ac Opulum Columellæ eſſe arbitratur. Eandem plantam etiam Cornum fœminam ac ſanguineos frutices eſſe Bellonius videtur exiſtimaſſe cũ ſcribit. Arbor quam Macedones olim Cornum fœminam nominarunt, nunc Galli Latinos imitati *Des Sanguins*, in monte cui nunc Caſtagna nomen, inter vrbes Philippos, & Bucephalum, nunc Cauallam vulgo dictam ſito, non multo minores proueniunt, quàm magnæ noſtræ Corni mares. De planta igitur hîc agimus, quam Tragus *Hartriegel*, Cordus Pſeudocraniam, Dodon. Cornum fœminam, & ſylueſtrem, & Opulum Columellæ vocant. Hæc Cornus fœmina frutex eſt in arborem non aſſurgens, duriſsimo ſtipitum, veterúmque ramorum ligno, nouellis ramulis nodoſis, medulla plenis, Sambuci modo: folio Corno mari ſimili: flore in muſcariis albo: baccis rotundis, primùm viridibus, per maturitatem nigris. In ſæpibus ac dumetis cum reliquis fruticibus naſcitur. Floret menſe Aprili, & Maio. Fructus Septembri ſunt maturi, nullius in medicina vſus. De Virga autem ſanguinea, ſi eadem eſt quæ Cornus fœmina, pauca hæc Plinius. Nec Virga ſanguinea, inquit, fælicior habetur. Cortex eius interior cicatrices quæ præſanauere aperit. Et, Sunt qui Virgis ſanguineis tangunt ea quæ nolunt Erucis obnoxia eſſe. Idem alibi ſanguineos frutices inter vitilia numerat. Corno non multum abſimilis eſt planta, inquit Matthiolus, quam Hetruſci, à ſanguineo virgarum colore Sanguino, & Sanguinello vocant. Creſcit in dumetis, & ſepibus, virgis Corno tenuioribus, robuſtis, nodoſis, cortice ſanguinis modo rubeſcente: foliis Corno proximis, paulò tamen latioribus, neruoſis, rubenti pediculo

Nomina.

Lib. 1. ca. 71.

Lib. 3. pl. c. 26.

Lib. 3. c. 26.

Cap. 36.

Lib. 3. ca. 37.

In hortul. Germ.

Emb. 132. li. 1. Dioſcor.

In Sil. c. 30.

Lib. 6. ca. 51.

Lib. 1. Obſ. cap. 56.

Forma.

Locus.

Tempus.

Li. 24. c. 10.

Li. 20. c. 10.

Li. 19. c. 37.

Lib. 1. Dioſ. cap. 135.

CORNVS fœmina.

nitentibus. Floret vere vmbellis albicantibus: flores baccas edunt racematim cohærentes, sanguineis tenuibúsque petiolis appensas, Orobi magnitudine, primùm virides, per maturitatem nigricantes, è quibus rura Tridentina oleum ad lucernarum vsum torculari exprimunt, iis prius in aqua decoctis. Ligni materies dura, osseáque est, Corno minimè cedens. Quare quidam Cornum fœminam esse volunt, sed infirmis rationibus nixi. At fortasse non erraret, qui diceret virgam sanguineam esse, cuius Plinius meminit. Id tamen non affirmat Matthiol. cùm nondum periculum fecerit, an planta Sanguino vocata id præstet, quod de virga sanguinea Plinius tradidit. Baccæ maturæ amaro, acerbo, adstringentéque sunt sapore. Quare oleum ex iis expressum tale quoque esse necesse est.

EPIMELIS. CAP. XXXVII.

Li.1.ca.113. *Nomina* Libr.6.fim. & li.2.Ali.

OVÆ ἐπιμηλὶς à Dioscoride secunda Mespili species ponitur, à Latinis etiam Epimelis vocatur. Galeno Epimelis acerba planta est, ac vt dixerit quispiam, Malus syluestris: vocatur ab Italię incolis Vnedo: eius magnus est in Calabria prouentus. Hæc de Epimelide, non vt de Mespili specie, sed seorsum à Mespilo scripsit. Qua ratione moti quidam,

Li.1.Dioſc. cap.113. aliam Dioscor. aliam Galeni Epimelidem esse censuerunt. Matthiolus Dioscor. Epimelidas vulgares nostras Mespilos esse ait, Sed Galenum Epimelidis appellatione diuersam arborem à nostrate Mespilo intellexisse. In eadem est sententia Andr. Lac. Cordus Epimelidem quidem vulgarem nostram Mespilum esse

In Dioſco. lib.1. c.170. putat, sed Galenum in viribus illius explicandis aberrasse. Scribit enim Cordus Epimelida, siue Hama melida dici, quod iuxta Malos nasci soleat. Copiosè in Germania & satam, & spontè prouenire. Cum spontè, semper vicinam habere

Lib.6. c.43. agrestem Malum, vnde & nomen à Græcis illi positum. Huius fructum Vnedonem ab Italis vocatum fuisse, teste etiam Galeno, quod præter vnum nemo comedere, & deglutire possit antequam mollescat, adeò fauces adstringit. Sed non verè ab eo dici stomacho eum esse noxium capitísque dolorem excitare, quæ vitia Arbuti sunt, Epimelidi immerito attributa, cùm constet Epimelida, ideſt Mespilum vulgarem, nec stomacho inimicum esse, nec capitis dolores ad ferre. Dodonæus etiam Epimelidis nomine vulgarè nostram Mespilum describit, ac depingit. Gesnerus Chamęmespilum appellat. A quibus omnibus dissentit Dalechampius. Nam Mespilus nostras, nec folia habet Malo similia, nec minora, qualia Epimelidis esse dicit Dios. quin potius Lauro similia, & foliis Mali maiora. Adhæc fructus illius, vt Epimelidis, rotundus non est, sed oblõgus, inferne gracilior, superne latior. Arbusculam igitur hîc appictam, Epimelidem Dioscoridis esse arbitratur, & Theophrasti Mespilum Antheno idem Epimelidémque nuncupatam, ob foliorum cum Malo similitudinem, Anthenoidem verò, quod eius fructus rubro colore, globosa figura, & vmbilicato vertice fructum Mespili Anthedonis, de qua suo loco dicam, æmuletur, à quo Mespili nostratis

EPIMELIS.

noſtratis fructus multum diſsidet, turbinatus, & ex rufo liueſcens. Ex vnica autem lacunoſi vmbilici nota in Meſpilo noſtrate valde perſpicua, quam etiam Epimelidi Dioſcorides aſsignat, inductos fuiſſe Herbarios veriſimile eſt, vt hanc crederent eſſe Epimelidem. Sed & hæc in Epimelide hîc depicta euidens eſt, cæteris à Dioſcoride traditis notis conſentientibus, noſtrati vero Meſpilo repugnantibus. Eſt igitur hæc Epimelis arbuſcula, cortice rubeſcente, ſed cinerea quadam cuticula obducto. Folia fert Mali, minora, inferne candida & lanuginoſa, ſupernè viridia, venoſa: fructum rubentem, rotundum, ex longiuſculo petiolo pendentem, vmbilico lato, ternis intus oſsiculis, duris, oblongis, hinc anguloſis, illinc planis & læuibus. Fructus is adſtringit, guſtu plane vulgaris Meſpili, acerbiore, ideoq; minus grato, Peculiari nomine Italis olim Vnedonẽ appellatũ fuiſſe ex Galeno iam aliquoties diximus. In Alpibus, Apennino, & in excelſi mõtis iugo qui apud Allobrogas diui Rãberti cœnobio imminet. Frutex hic copioſus naſcitur. Hippocrates ἁμαμαλίδας dixit Epimelidas à Dioſcoride nũcupatas, vt Galenus in Gloſsis teſtatur, velut hoc loco παραμίξας ϗ ἔ μέλι, ἢ ἁμαμαλίδας, εἶτα ἐπ' οἴνῳ μέλανι διδόναι πίνειν. Id eſt, & mel aut Hamamalidas permiſceto, deinde in vino nigro bibenda dato.

Forma.

Vires.

Locus.

Lib. 1. mor. muli.

EPIMELIS ALTERA,
Coronaſter Geſneri.

EPIMELIS ALTERA, CAP. XXXVIII.

FRVTEX hic ramoſus ſurculoſúſque eſt, cortice ſubrufo, folio Mali Cydoniæ, neruoſo, paulò obtuſiore, auerſa parte candicante, & lanuginoſa, aduerſa virente: fructu paruulo, rubente, vmbilicato, Meſpilo exiguo ſimili, ſaporis acerbi. Coronaſtrũ Geſnerus clariſsimus Philoſophus, ac Medicus, & pleríque Herbarij nominant, ob foliorum cum Malo Cydonia ſimilitudinem. Eius ramum fructu onuſtum cùm ad Dalechampium ille miſiſſet, Epimelidis genus eſſe iudicauit, ex fructus tũ figura tũ ſapore. In niuoſis Alpibus naſcitur.

Forma.

Nomina

Locus.

FICVS IDÆA, CAP. XXXIX.

QVÆ hîc planta exhibetur, pro Halimo à Trago, & Lonicero depicta eſt, à quo quantùm differat, cum de Halimo agetur, demonſtrabimus. A nonnullis Idæa Ficus eſſe dicitur, ab aliis Chamæmeſpilus. Fruticat ex radice craſſa, dura, lignoſa, brachiata, ramis tam multis, vt cubiti circumquáque ſpatium cum ſua ſobole vnica planta occupet. Hi plerúmque ad hominis altitudinem attolluntur, nonnunquam breuiores, lenti, flexiléſque in orbem proſiliunt, minimè ſpinoſi, cortice cinereo, qua primum erumpunt foliá, tuberoſo, velut quodam articulo nodoſi: ligno diſtorto, infernè læui, ſupernè frondis ſuæ comam fundente folio Mali Cydoniæ, molli, venoſo, altera parte virente, altera pallido, ſiue cano, ſic digeſto, vt ex quouis alarum ſinu bina ſemper exeant, Oleæ folio multo latiore & longiore, illiq; planè diſsimili, etiamſi Tragus & Lonicerus

Nomina

Lib. 3. c 22. Cap. de Ribe in Hiſt. plan.

Forma.

Ibidem.

IDÆA FICVS nostra, vulgo Frangula.

FRANGVLA Matthioli.

aliter ſcripſerint: flore inter rubrum & phœniceum medio, calathi figura, Idęæ Vitis, quam Myrtum Germanicam idem Tragus, Dodon. Vaccinium nigrum appellauit, vt diximus, florem nonnihil imitante: baccis coralli modo rubris, longo pediculo appenſis, gemellarum inſtar binis coëuntibus, & coaleſcentibus, linea tantum diſtinctis, cordis figuram ob huiuſmodi coalitum penè referentibus, Oeſi rubræ, quam Ribes vocant, magnitudine paribus, binis velut Ocellis nigris in vertice pertuſis, guſtu principio ſubdulci, ſed poſtea tam ingrato & inſuaui, vt faſtidium nauſeámque moueat, & vomitum prouocet. Naſcitur in Germania cum aliis fruticibus ſecus vias, in ſæpibus, & Dumetis Alſatiæ prouinciæ. Apud nos verò in editiſsimis & gelidiſsimis Sequanorum & Allobrogum montibus, nec vnquam in plana deſcendit. Floret Aprili menſe. Eorum ſententiam magis probat Dalechampius, qui Idæam Ficum hunc fruticem eſſe putant, quod eius hiſtoria à Theophraſto deſcripta huic ſententiæ adſtipulari videatur. Ficus Idæa, inquit, fruticoſa eſt, nec excelſa, ſed craſſa, ſic vt cubiti ſpatium in orbem fruticantes ramuli occupent: ligno contorto, lento, inferne læui, ſine nodis, ſupernè in orbem comoſo, colore tam folij, quàm corticis liuido: folio figura Tiliæ ſimili, molli quoque & lato, magnitudine pari: Flore Meſpili, qui & cum Meſpili flore emergit. Fructus quem Ficum appellant, rubet, magnitudine Oliuæ, ſed rotundior: eſu Meſpilum refert. Craſſas radices habet mitis Ficus modo, & lentas. Arbor hæc non putret. Cor illi ſolidum eſt, & ſine medulla. Ex quibus hæc Plinius tranſtulit. Idæa Ficus rubet, Oliuæ magnitudine, rotundior tantùm, ſapore Meſpili: Alexandrinam hanc ibi vocant, craſsitudine cubitali, ramoſam, materie valida, lenta, ſine lacte, cortice viridi, folio Tiliæ, ſed molli. Hunc fruticem Chamæceraſum montanam vocat Geſnerus, ſeſeq; audiiſſe ſcribit quatuor aut quinque huius Ceraſa deuorata vomitum ciere, aliquando etiam aluum. Sunt & multæ aliæ, variæq; plantæ Chamæceraſi nuncupatæ.

Cap. 28. huius lib.

Tempus.

Lib. 3. Hiſt. cap. 17.

Lib. 15. c. 18.

CHAMÆCERASVS, CAP. XL.

IDEM Gesnerus in variarum rerum cognitione optimè versatus, hanc etiam fruticis effigiem ad Dalechampium misit, quæ nascitur, vt scripsit, in montis Generosi Insubriæ crepidinibus, cliuis, ac præcipitiis, folio Aceris albi, quod Galli, vt diximus *Plane* appellant, latiore & ampliore, per ambitum valde insecto: Fructu rotundo, rubro, Ceraso simili, vnde Chamæcerasi nomen. Est alia Chamæcerasus Alpina à Lobellio picta, Cordi etiã Chamæcerasus, Xylosteũ alterum, quorundam. Rara est, hæc cubitum pedémue æquans, foliis, ramis, & stipite Corni, albidis, squallidis, nodosis: floribus candidis, pallentibus, aut luteolis. Fructus binos maturat in pediculis longioribus, pẽdulis, Cerasi ritu, sed in imo duo foramina parua albida, quoddam rudimentum pupillarum, aut oculorum adumbrantia: grana quina, aut sena, albida, lucida, Oxyacãthæ paria. Hæc quæ Pena scripsit, tanquam de rara planta, & paucis cognita, Idæam Ficum modo descriptam videntur ostendere, pictura etiam, si attentè consyderes à nostra, vel parùm, vel nihil discrepante.

Locus.

Forma. In tyn.cap

MATTHIOLVS sylucstre Pumilumq; Cerasorũ genus, nullo adhibito cultu in Tridentino agro, & in Bohemia circa Pragam, ac in Austria, circa Viennam sponte prouenire scribit, gustu admodum acido, imo acerbo, colore perpetuò rufescente, nec vnquam in atrum vergente

Forma.

CHAMÆCERASVS montis Generosi.

CHAMÆCERASVS Alpina.

CHAMÆCERASVS Matthioli.



vergente, quæ ex breui pediculo pendent in pusillis fruticibus, & admodum paruis, tantæq; breuitatis, vt pauci sint, vel potius nulli, qui dodrantem æquent,
Lib.15. cap. vt credat (etsi id non affirmet) ea esse hæc Cerasia quæ Plinius Macedonica vocat. Cæterùm hunc fruticem Chamæcerasum potius vocandum esse censet.
Ibidem. Meminit etiam Plinius Chamæcerasi Ceraso Macedonica minoris. Sunt & Macedonica Cerasa paruæ arboris, raroq; tria cubita excedentis: & minore etiam frutice Chamæcerasi.

ARIA, CAP. XLI.

Nomina ARBOREM hîc depictam Sequani & Aruerni *Alisier* appellant, Nantuatenses, Galli etiam ipsi *Cirier*, vocabulo ex Aria detorto. Itali *Matallo*, Herbariorum bona pars Ariam. Humilis est arbor, seu frutex

Forma. in Cædua sylua, sæpibus, ac Dumetis, si verò crescere permittatur procera, vasta, ramosaq;, Vlmo & Tilia nihilo minor, nec minùs ampla, diffusaq;. Cortex nonnihil in cæruleũ colorẽ vergit: folia sunt magna, & lata, Tiliæ, aut Matthioli Viburno, siue Spitææ non dissimilia, venosa, per oras incisa, supernè viridia, infernè candida: flos qualis hic exprimitur in summis ramis candidus, densus, odoratus: fructus ruber Oxyacanthæ similis, summa parte denticulatus, suaui dulcedine gratus: semen Malo Piróue simile, tenero & subatro cortice medullam occultans, saporis non iucundi. Gignitur in frigidissimis & altissimis montibus. Cultum omnino dedignatur, ac respuit. Quare in hortos translata minimè proficit. Floret mense Maio, tardè fructum perficit. Maturum huius arboris fructum rustici legũt, & condunt: neque enim fugax nimis est, sed in hyemem vsque durat, si bene asseruetur. Tusses non aliter quàm Zinziphi bacca lenit, sputum adiuuat, crudos humores pulmoni infarctos coquit. Materia arboris dura, candida, baculis apta: ex ea enim firmi ac solidi fiunt. Theophrastus Ariam inter eas arbores recenset, quæ cariem vetustatemq; non sentiunt, idemq; Ariam ac Quercũ omnium in opere difficillimas esse paulò post tradit, carbonémque optimum fieri ex spississima materia, vt Ariæ, Quercus, Arbuti.

ARIA CVM FLORE & fructu Dalechamp.



Locus.

Tempus.

Vires.

Lib. 5. Hist. cap. 5.
Ibid. ca. 6.
Ibid. ca. 10.

HAMAMELIS ATHENÆI, CAP. XLII.

Nomina HIc expressam plantam censet Dalechampius esse eam quæ ab Athenæo ἁμαμηλὶς, & ὁμομηλὶς dicitur. Cordus Myrtomelidem vo-
Lib. 14. cat, ob fructus cum Myrti baccis similitudinem. Vulgus Allobrogum *Amalenchier* vocat, perinde acsi μελίχιον, id est, mellitum pomum dicere vellet, aut Hamamelida, Nantuatenses *Manternier*, quæ vox ex Alaterno videtur esse deprauata, cùm tamen Alaternus esse non possit, cui folium
Li. 16. ca. 16. est, Plinio auctore, inter Ilicem & Oleam, nec vlla fructus fœcunditas. Est hic frutex

HAMAMELIS
Athenæi Latiore folio.

HAMAMELIS
Athenæi Angusto folio.

frutex hominis altitudine, cortice subrubro, folio ad Pruni figuram accedente, venoso, serrato, altera parte viresce nte, altera candicante: flore albo. Fructum edit Myrtis similem, vmbilicatum, prædulcem, cum maturuit purpureum ante maturitatem, ex purpureo sub rubescentem, semina terna, quaternáue includentem, Piro similia, nigra. Quæ faciunt, vt credibile sit Hamamelida esse Athenæi, quia fructus purpurascenti similis est, valde dulcis, & ἀπύρηνος, id est, sine nucleis lignosis, quorum loco semen continet, nec durum, neque lapidosum, sed vt in Piro, tenero contectum cortice, quæ de Hamamelide tradidit Athenæus. Nascitur in locis asperis confragosisq; : interdum ex scopulorum rimis prosilit, nec est vt quidam autumant, Gallorum *Alisier*, de qua superiore capite diximus.

Forma.

Locus.

LAVRVS TINVS, CAP. XLIII.

DE PICTAM hîc arborem Laurum Tinum Plinij esse inter Peritos Herbarios constat, quam Laurum nonnulli sui generis arborem intelligunt, alij sylvestrem Laurum, etiam Theophrasto in iis numeratam quæ perpetuò virent, tametsi Gaza eo loco simpliciter Laurum vertit, cùm tamen in omnibus nostris exemplaribus ἀγρία δάφνη legatur, id est, sylvestris Laurus. Alij δάφνην ἀγρίαν, id est Laurum sylvestrem esse malunt veram Laurum sine hominum cultu operáque sponte prouenientem, & ob id sylvestrem, quales multæ circa Monspelium in sæpibus visuntur. Arbor hæc cortice vestitur subrubro: ramis abundat, ex quorum nodosis articulis folia enascuntur, bina semper aduersis pediculis sita, venosa; carnosa, minime dissecta, in acutum desinentia. Flos ex albo purpurascens est in vmbellis, copiosissimus: Cærulea bacca plurima, oblonga, angulosa, gustu adstringens. Arbor ista foliis nunquam exuitur. Quare mirificè intuentium oculos delectat, & allicit frondis honore sempiterno, vmbellarum aureo fulgore, & baccarum Cæruleis.

Lib. 15. c. 30. *Nomina* Lib. 1. Hist. cap. 15.

Forma.

LAVRVS TINVS
Dalechampij.

Locus.

ruleis aceruis. Nascitur in asperis, sa..osis & maritimis Gallicæ prouinciæ, Hetruriæ, agríque Latini collibus. Itali vocant *Lantagine, & Lagro saluatico*, diuersam à Lantana sua, quam Matthiolus Viburnum esse arbitratur. Nascitur & in pleríque locis montis Cestij, inter cocciferas Ilices. Clusius duas alias Lauros Tinos exhibuit. Alteram quæ eadem est qua superior altitudine, ramis frequentioribus & firmioribus, cortice ex rubro virescente tectis, circa quos folia superioris, angustiora & oblongiora, aliquantulum, venulis quamplurimis distincta, inter sese opposita, vt in priore: flores extremis ramis vmbellarum specie etiam nascuntur, colore nonnihil purpurascente, neque adeo odorati vti superioris: fructus etiam minor, plenior, nigrior. Vno tantum loco in Lusitaniæ quodam monasterio Pera Longa dicto supra Vlysiponem extructo se obseruasse ait, secundum piscinas, & in Bæticæ maritimis. Tertia in hortis Belgicis colitur à rei Herbariæ studiosis, semine ex Italia delato nata, arbusculæ magni-

TINVS II. CLVSII.

TINVS III. CLVSII.

tudine, quæ quotannis & florem & fructum profert, minore est quàm superiores folio, Laurino, tamen latiore, læui & nigricante, perpetuo, ramos ordine quodam per interualla ambiente, vt in prioribus generibus: Vmbellæ florum alborum, foris nonnihil purpurascentium, summos ramos coronant, deinde fructus

fructus ex Cæruleo nigricans, lævis minor, quàm in aliis, Bis plerúmque floret, vere, & sub hyemem. Lucitani *Vua de Perro* vocant, & *Fallado.*

LAVRVS TAXA, CAP. XLIIII.

PLINIVS Lauri genera multa enumerat, tum ea quæ verè Lauri sunt, quales Delphica, Cypria, Mustax, Regia, Spadonia, Triumphalis sterilis: tum ea quæ verè Lauri non sunt, Lauri tamen vel à Græcis, vel à Latinis nominantur, ob foliorum cum vera Lauro similitudinem quandam, quales Laurus Tinus, Laurus Taxa, Chamædaphne, Daphnoides, Laurus Alexandrina, quod cum non satis accuratè perpendisset Manardus, pro Lauro Taxa, Laurum Fraxineam, vel Fraxinum Laureum (vtrum enim velit, non satis explicat) legendum esse censet, quoniam Lauri folio Fraxineum simile sit. Sed cum inter tot Lauri genera nemo vnquam Fraxinum retulerit, nec Lauri Fraxineæ vllus vnquam meminerit, exquirere & perscrutari debuerat, quænam esset illa Laurus Taxa, præsertim tam illustri nota ei à Plinio assignata, quæ Fraxino minimè congruit, potius quam Plinij lectionem sine ratione immutare. Laurus Taxa Dalechampio ea est, quæ Matthiolo & Dodon. Hyppoglossum, Italis *Bislingua*, & *Bonifacia*, Hispanis *Lengua de Cauallo*, Germanis *Zopfflur krant*, quibusdã *Pagana lingua*, Herbariis Vuularia, Fuschio Laurus Alexandrina. Id ita esse conuincit sola, & insignis illa nota, quæ huic plãtæ cum nulla alia communis est, nempe in maioris medio folium paruũ accrescẽs, quod veluti maioris lacinia, pediculi cui bacca insidet scapũ & exortũ cõtegit. Accedit in topiario opere Taxa, inquit Plin. excrescente in medio folio paruulo, veluti lacinia folij. His adde Lauri & Taxæ appellationes optimè conuenientes: Lauri quidem à Laurini folij figura: Taxæ verò à colore, figura, magnitudine fructus, qui Taxi baccas omnino refert, hac aptissima nominis ratione à Dalechampio primum obseruata, & explicata. Idem plantam istam Dioscoridis Chamædaphnẽ esse non sine multis & validis rationibus arbitratur, quas capite de Laureola fœmina diffusius explicabimus. Hæc Laurus, Matthioli Hippoglossum nascitur in Liguriæ Alpibus, Vrbinate agro, & in aliis syluosis montibus. Ab Herbariis colitur in hortis. Tradunt recentiores radicis aut herbæ puluerem Cochlearis mensura ex vino potum strangulationibus vteri succurrere: herniis à prolapsu intestinorum protuberantibus mederi, si diutius diluculo, puluis idem sesquidrachmæ pondere ex maioris Symphyti decocto hauriatur. Sed ventrali cingendus est æger, & fasciandus primis diebus, ne rursum foras intestina prorumpant. Folia, radixq; vuæ, gutturis, ac tonsillarum tumores, ac earũdem vlcerationes gargarizatu sanant. Scribit Marcellus in Italia plantam istam puerorum collo appendi ad vuam reprimendam, quo ad vuam prolapsam contrahendam vsu, Vuulariæ nomen. Tradit Cordus constare etiam certissimis vulgi experimentis, Vuulariæ radicẽ etiam siccam bubones in peste maturare: quin etiam Vuulariam epotam difficulter parientes adiuuare,

LAVRVS TAXA.

Lib. 15. c. 30.

Nomina

Lib. 4 Dioscor. ca. 27. Lib. 6. c. 14. Hist. plant. cap. 87.

Lib. 15. c. 30.

Li. 4. Dioscor. c. 27. *Locus.* *Vives.*

Lib. 4. Dioscor. c. 32.

menſes ciere & calculos pellere, quæ licet omnia vulgi experimenta ſint, tamen eaſdem etiam facultates Lauro Alexandrinæ auctores adſcripſere.

HYPOGLOSSVM, CAP. XLV.

Nomina
In lib 4. Dioſ. c.133.

QVIDNAM ſit Hypogloſſum verum, nunc oſtendamus. Ac primùm cum in multis Dioſcoridis exemplaribus Hippogloſſum in Plinio Hypogloſſum legeret Marcel. Verg. de huius nominis ratione & varietate ita differit. Ruſci, inquit, folia habere Hypogloſſum omnes teſtantur. Sed non adeò grandia ſunt: præterea, in cuſpidem acuminata deſinunt. Quam ob cauſam, ſiue magnitudinem, ſiue equorum linguæ figuram ea voce intelligas, nulla in foliis ratio eius erit. Nec ſi etiam, vt in Plinio legitur, Græcam præpoſitionem ὑπὸ, coniunctam linguæ à Græcis fuiſſe credideris, Dioſcoridis Hiſtoriæ reſpondebit: ἐπ' ἄκρᾳ enim, id eſt in ſummo lingulas exire hic ait, παρὰ τοῖς φύλλοις, id eſt ſecus & ſecundum folia, quæ hic intelligit in caule ſuprema. At caulis deſinens non folia profert, ſed conferctæ lanuginis potius quàm folioſæ comæ in latitudinem ſe aperiens inuolucrum non aliter quàm in ſpicatis ſeminibus aliquibus, & floribus fit. Differt tamen à Spica, quod rotundæ, quatuórue plerúmque angulis Spicæ ſurgunt: in hoc quod vltimum in caule exit in latitudinem ſe explicat. Et quoniam humanam linguam imitatur, ideo Hippogloſſum quaſi grandis lingua dicta. Hæc Marcello origo nominis & cauſa eſt. Quæ licet Plinij Hiſtoriæ aduerſari videantur: (ait enim & in iis ceu linguas, folio paruo exeunte de foliis) meminerint omnes, inquit Marcel. ſequi nos Græcos ſcriptores, præcipueq; Dioſcoridem, & in vertendis eius verbis quam debemus illi fidem præſtare, qui ἐπ' ἄκρᾳ παρὰ τοῖς φύλλοις prodire linguas in Hypogloſſo dicit, quod eſt in ſummo, & ſecundum folia, non ex foliis, ſed ex ſummo caule, qua parte deſinunt folia: id enim ἐπ' ἄκρᾳ apertè ſignificat: quibus verbis intelligi vult Marcel. Hippogloſſum neque à foliorum quæ Ruſco ſimilia habet magnitudine, neque ab Equinæ linguæ figura dici, neque Hypogloſſum à Plinio rectè nominari, cum ἐπ' ἄκρου, id eſt in ſummo caule proferat quæ humanam linguam imitantur, vnde Hippogloſſum, id eſt grandis lingua nuncupandum.

Li. 4. Dioſ. cap. 132.

Quam Marcelli mentem non ſatis intellexiſſe videtur Cordus, cùm ſcribit Marcellum Hippogloſſum malè legi cenſere: imo Hypogloſſum legi vult, ob cauſam modo dictam. Multò verius dixit ille Marcellum nequaquam verum

Ibidem.

Hippogloſſum in commentario ſuo indicare: qui neſcio quam Spicatam lanuginem inducere conatur, cuius nullus vnquam auctor in hac planta mentionem fecerit. Præterea, vt cum eodem Cordo ſentio, Hypogloſſum, ſiue Hypogloſsidion, ſiue Hypoglottion cum præpoſitione Græca ὑπὸ, ſcribendum eſſe, quod paulò poſt oſtendam, ita ab eodem diſſentio dicente Hypogloſſum eandem eſſe plantam cum Lauro Alexandrina, eam nimirum quam pro Lauro Taxa exhibuimus: Atque etiam à Matthiolo, eandem quidem pro Hypogloſſo pingente, ſed à Lauro Alexandrina rectè diſtinguente. Si enim, id eſt, Dioſcoridis Hypogloſſum, quomodo eius folia Ruſco figura ſimilia intelligi poſſunt? aut quas in ſummo linguas è foliis exeuntes habet? non è mediis foliis totius plantæ, non ex ſummis, neque ex ſummo caule hæ linguæ exeunt. Quare aliud Dioſcoridis Hypogloſſum eſſe putat Dalechampius, id

Li. 4. Dioſ. cap. 142.

nimirum quod hîc depinximus, & quod idem Matthiolus pro priore Lauro Alexandrina propoſuit, & hoc Dioſcor. caput mendis inquinatum, atque deprauatum Legendum igitur: ὑπόγλωσσον ταινίοχος ἔστι μυρσίνῃ ἀγρίᾳ καὶ λεπτῇ (melius fortaſſe λευκῇ) τὰ φύλλα ὅμοιος. Κόμην δὲ ἀκανθώδη ἔχει ἐπ' ἄκρᾳ, καὶ ὥσπερ γλωττίδας παρὰ

Forma.

HYPOGLOSSVM.

παρὰ τοῖς φύλλοις. Id est, Hypogloſſum frutex paruus est, Myrto ſylueſtri (non ruſco, vt vertit Ruellius) tenui (melius candidæ: nam & Dioſcor. Myrtus ſylueſtris est candida, folio quàm Myrtus nigra latiore & maiore.) Comam in ſummo ſpinoſam habet, & prope folia ligulas. Vel vt Andr. Lacu. ex veteri codice legit, καὶ ἐπ' ἄκρου ὥσπερ ἐπιγλωτλίδας παραφύσεις μικρὰς ἐντοῖς φύλλοις. Quod est, & in ſummitate foliorum germina quædam exigua inſtar ligularum. Quæ ſi ſic legiſſet Marcel. nec in verbis illis ἐπ' ἄκρου declarandis tantum operæ ſumere, nec in ſummis caulibus neſcio quas linguas cõminiſci neceſſe fuiſſet. Nullorum ſanè foliorum aptius inter ſeſe facies comparari poteſt, quam huius Hypogloſsi, & Myrti ſylueſtris candidæ. Nam ea in ſummitate aculeata ſunt? præterea, iuxta folia graciles longíque petioli naſcuntur ligularum inſtar, qui fructus ſuſtinent? His accedit grauiſsimi auctoris Galeni teſtimoniũ ſic ſcribentis: ὑπογλωσσον. ὠνόμασται μὲν ὅτι ὅτως ὅτι παραφύσεις ὑπ' ἄκρους τοῖς κορύμβοις ποιεῖται γλωσσιδίων. Id est, Hypogloſsum ſic nominatum est, quia propagines paruarum linguarum ſub ſummis corymbis producit. Ex quibus verbis intelligere licet γλωτλίδας, ſiue γλωσσίδια, id est, ligulas, non eſſe foliola in mediis foliis naſcentia, ac proinde Matthioli cæterorúmque Hypogloſsum, quod hæc foliola habet, non eſſe verum hypogloſſum, ſed propagines, ſiue petiolos ex quibus corymbi pendent, ſimul & appellationis rationem reddi: dictum enim eſſe Hypogloſsum quod ligulas ſub corymbis habeat. Idem demonſtrat literarum ordo, quo plantarum tractationem digeſsit Galenus. Ita etiam legit Paulus. Plinius autem Hypogloſsum pariter vocat, ac ſic deſcribit. Hypogloſsum folia habet figura ſylueſtris Myrti, concaua, ſpinoſa, & in his ceu linguas, folio paruo exeunte de foliis, & cætera: poſtremis verbis male interpretatus Dioſcoridis illud, παρὰ τοῖς φύλλοις. Hæc cum ex Dioſcoride traducta eſſe conſtet, videtur legiſſe Plinius: ὑπόγλωσσον θαμινίσκος ἐστὶ μυρσίνῃ ἀγρίᾳ ὅμοιος. Κοιλὴν, vel πολλὴν δὲ κόμην ἔχει ἡ ἀκανθώδη, ἡ ἐν ταύτῃ ὥσπερ γλώτλας. Porro cum vocem tenuis omiſerit, nonnullos hoc mouit, vt ſuſpicarentur eam in Dioſcoride redundare. Qui retinent, ſic legi ab Oribaſio aiunt, ideóque magna ratione adiectam, vt ex ea cum qua Myrto ſylueſtri compararetur Hypogloſsum, cognoſceremus. Eſt enim Myrtus ſylueſtris duplex, altera odorata in ora maritima prouinciæ noſtræ frequens, ad hominis proceritatem aſſurgens, craſsis ſtipitibus: altera inodora, humilis, tenuibus virgulis fruticoſa, Ruſcus à Latinis appellata. Poſterioris folia craſsiora, ſuperioris tenuiora, cum quibus Hypogloſsi folia comparata ſunt. Hypogloſsum in ſyluis, & montoſis locis naſcitur. Capitis dolorem corona ex huius coma impoſita minuit, inquit Dioſcorides. Malagmatis radix, ſuccúſque admiſcetur. Galenus. Radix & ſuccus mollendi vim habent.

Lib. 1. c. 18.

Li. 8. ſimpl.

In li. ſimpl.

Lib. 7.

Lib. 27. c. 11.

Locus.

Ibidem.

Ibidem.

LAVRVS ALEXANDRINA, CAP. XLVI.

Nomina

HOLIORVM, fructus, & nominis similitudo in tribus fruticibus effecit, vt à diuersis auctoribus aliter atque aliter nominarentur, atque vsurparentur. Quam enim Bislinguam vocant, alij Hypogloſſum, alij Laurum Alexandrinam, vt diximus, nuncupant. Cordo Bislingua, & Hypogloſſum cum Lauro Alexandrina idem esse videtur. Matthiolo, & Cornario, Hypogloſſum, à Lauro Alexandrina diuersum censetur. Dalechampius aliter, & aptius, vt arbitror, distinxit, vt quæ Bislingua, Bonifacia, & Vuularia dicitur, sit Laurus Taxa Plinij: Hypogloſſum vero Dioſcoridis & Galeni, & Hypogloſſa Plinij, sit frutex præcedenti capite descriptus. Laurus autem Alexandrina ea de qua nunc agitur, hîc depicta, etiam si Hypoglotton, & Hypogloſsidion etiam quidam appellent. Δάφνη ἀλεξάνδρεια, & ἰδαία à Græcis dicitur, à Latinis Laurus Alexandrina & Idæa, ab Alexandria Troadis, vbi mons est Ida, circa quam nascitur, non vt scribit Marcel. quod Alexander victor ea vsus fuerit. Alij Hypoglottion, alij Daphnitin, alij Carpophyllon, alij Hypelaten vocant, inquit Plinius. Eam esse quam hîc exhibemus apertissimè declarat eius historia à Dioſcoride & Theophrasto tradita. Δάφνη ἀλεξάνδρεια, inquit Dioſcorides, φύλλα ὀξυμυρσίνῃ ὅμοια ἔχει, μείζονα δὲ, καὶ μαλακώτερα, καὶ λευκότερα. Καρπὸν δὲ ἐν μέσοις, ἐρυθρὸν, ἐρεβίνθου τὸ μέγεθος. Κλῶνας ἐπὶ γῆς, σπιθαμαίους, ἢ καὶ μείζονας. ῥίζαν παραπλησίαν τῇ ὀξυμυρσίνῃ, μείζονα δὲ καὶ εὐώδη, καὶ μαλακώτεραν. φύεται ἐν τόποις ὀρεινοῖς. Id est, Laurus Alexandrina foliis est Ruſci (Myrti Plinius habet) maioribus, mollioribus, candidioribus (Plinius addit acutioribus) fructum habet in mediis foliis (non vt Plinius, & Ruellius, semen inter folia) rubrum, Ciceris magnitudine, ramos humi iacentes, dodrantales, vel etiam longiores: radicem Ruſco (non syluestri Myrto, vt Ruellius) similem, maiorem, molliorem, odoratam. Inuenitur in montosis. Theophrastus. ἔνια δὲ τῶν φύλλων καρποφόρα ἐστὶ, μεταξὺ περιειλημμένα τὸν καρπὸν, ὥσπερ ἡ ἀλεξάνδρεια δάφνη ἐπιφυλλόκαρπος. Id est, Stirpium quædam fructiferæ sunt, fructum mediis foliis amplectentes, vt Laurus Alexandrina, fructum super folia gignens. ac rursum: τῆς δάφνης ἐν τούτῳ τὸ ἴδιον, ὅτι ἐπιφυλλόκαρπός ἐστι, ὥσπερ καὶ ἡ κεντρομυρσίνη. ἀμφότεροι γὰρ τὸν καρπὸν ἔχουσιν ἐπὶ τῆς ῥαχεώς τοῦ φύλλου. Id est, Lauri hoc proprium, quòd fructum super folia ferat, quemadmodum Ruſcus: fructus enim vtrique dorso ipsius folij insidet, quæ nota cum in ea stirpe quam exhibemus sit euidentissima, omnibus aliis consentientibus, Laurum Alexandrinam esse planè conuincit. Laurus quidem Taxa in medio folio paruulum habet, pediculi qui fructum fert exortum tegens: Hypogloſſum ex foliis ligulas exeuntes, quæ fructus sustinent: Laurus hæc Alexandrina ipsimet foliis fructus gignit nullo foliolo tectos: quibus notis tam

LAVRVS. ALEXANdrina vera.

Li 4. Dioſ. cap. 32.

Lib. 4. Dioſc. r. c. 142.

Embl. 127.

li. 4. Dioſc.

In lib. 4. Dioſ. c. 148.

Lib. 15. c. 30.

Forma.

Li. 4. c. 142.

Lib. 1. Hiſt. cap. 16.

Li. 3. c. Hiſt. cap. 17.

tam perſpicuis cum hi tres frutices à ſeſe ſecernantur, cum Dioſcor. Galenus, alij eos ſecuti ſeorſum tanquam de diuerſis tractarint, tamen Cordus, vt diximus, pro vna eadémque planta his rationibus adductus accepit. Hypogloſſum, inquit, ſiue Hypogloſsidion, ſiue Hypoglotton, etiam Laurus Alexandrina à Dioſcoride, & aliis omnibus vocatur. Vtrúmque folio Ruſci deſcribitur, tamen in Lauro Alexandrina paruorum foliorum ex foliis naſcentium Dioſcorides non meminit, contra in Hypogloſsi hiſtoria foliis adnati fructus mentionem non feçit. Sed quod vtriúſque deſcriptioni deeſt, id etiam ex vtriuſque hiſtoria ſarciri poteſt. Quòd Hypogloſsi, & Lauri Alexandrinæ deſcriptio cum hiſtoria Vuulariæ optimè conuenit, quod ex eius foliis minora alia naſcantur folia, quæ omnia Ruſci modo aculeata ſunt, quòd iuxta parua folia rubentem ferat fructum, Ciceris magnitudine, hinc vnam tantum plantam eſſe Hypogloſſum & Laurum Alexandrinam colligit, eam ſcilicet quæ Vuularia vulgo dicitur. Nec me mouet, inquit, quod Galenus, & Æginera diuerſis locis de Hypogloſſo, & Lauro Alexandrina agant. Æginera enim ex Galeno, Galenus ex Dioſcoride earum vires transſcripſit. At Galenus Hypogloſsi nomine ab Alexandrina Lauro diuerſam herbam non nouit. Potuit itaque hæc vna planta ab alio Hypogloſſum, ab alio Daphne Alexandrina appellari. Nam Theophr. Alexandrinæ Lauri tantum meminit, ſub hac etiam Hypogloſſum intelligens, cuius alibi nuſquam meminit. Vnde Dioſcorides etiam, & qui Dioſcoridem ſecuti ſunt ſcriptores, occaſionem nacti ſunt credendi Hypogloſſum ab Alexandrina Lauro differre. Talis quoque error ipſi Dioſcoridi in Phyllo & Mercuriali accidit. Similes etiam innumeros in Plinio inuenias. Alexandrina Laurus etiam Idæa dicitur, quod ſi aliquis ignorauerit, & nomen illud ſolum apud auctorem aliquem inuenerit, ſtatim opinabitur, eam ſui generis eſſe herbam, ſed falsò. Conſtat etiam, inquit, certiſsimis vulgi experimentis Vuulariæ radicem etiam ſiccam bubones in peſte maturare. Hinc eſt, quod malacticam vim Hypogloſsi radici auctores tribuunt. Quinetiam Vuularia difficile parientes epota adiuuat, menſes, & calculos pellit, quæ licet omnia vulgi experimenta ſint, tamen eaſdem etiam facultates Lauro Alexandrinæ auctores adſcribunt. Quare cum Vuularia vtriúſque deſcriptioni reſpondeat, & vtrique etiam attributis viribus, polleat, ac Alexandrina Laurus, & Hypogloſſum etiam eandem hiſtoriam, & idem nomen habeant, proculdubio Vuularia eadem eſt cum Lauro Alexandrina, & Alexandrina Laurus eadem cum Hypogloſſo. Hæc Cordus, quæ etſi ex iis quæ de tribus fruticibus modò à me dicta ſunt, facile refelli poſſunt, tamen hic monebo ſæpiſsimè diuerſis plantis idem poſitum eſſe nomen, eámque ob cauſam falli multos & errare, qui diuerſas pro vna habeant. Præterea eandem non eſſe Lauri Alexandrinæ & Hypogloſsi deſcriptionem Dioſcorides docet, qui Hypogloſsi folia μυρσίνῃ ἀγρίᾳ, ideſt Myrto ſylueſtri ſimilia eſſe ſcribit, & in iis veluti ligulas, Lauri vero Alexandrinæ folia ὀξυμυρσίνῃ, ideſt Ruſco, & in ipſorum medio fructum, &c. Poſtremò ſi vulgi experimenta vera certáque ſint, ac eædem ſunt Vuulariæ vires quæ Hypogloſsi, & Lauri Alexandrinæ, eas tamen vnicam eſſe plantam non rectè concluſeris: quoniam plurimæ ſunt & forma, & genere differentes, quæ iiſdem pollent viribus. Sed de noſtra Lauro Alexandrina dicamus. Naſcitur plurima in Ida, & circa Heracleam Ponti, inquit Plinius, nec niſi montoſis. Lauri herbæ, quam & Laurum Alexandrinam appellant, inquit Galenus, temperatura euidenter eſt calida, ſapore guſtantibus acri ſimul & ſubamaro: ideóque pota tum vrinas, tum menſes prolicit. Difficiles partus accelerare, Dioſcorides ait,

Ibidem.

Locus. Lib. 15. c. 30. Libr. 6. ſim. Tempera. & Vires. lib. 4. c. 142.

radice pota ſex drachmarum pondere in vino dulci, & ſtillicidio vrinæ
Lacu. auxiliari, ſed ſanguinem extrahere. Additur in veteri codice, μετὰ ὄινου γλυκέως κυάθου ἑνὸς, id eſt, in vini dulcis cyatho vno. Plinius maiorem modum habet.
Lib. 23 c.8. Scribit enim. Laurus Alexandrina partus celeres facit, radice pota trium denariorum pondere in vini dulcis cyathis tribus. Secundas etiam pellit, menſéſque eodem modo pota.

DAPHNOIDES, CAP. XLVII.

NOn minùs obſcura eſt Daphnoidis, & Chamædaphnes, quàm Hypogloſsi & Lauri Alexandrinæ hiſtoria, tum ob nominum varietatem, tum ob diuerſas auctorum de his plantis ſententias.
Nomina Id quoque quod Daphnoides vocatur genus, inquit Plinius, in
Lib. 15. c.30. nominum ambitu eſt. Alij enim Pelaſgum, alij Eupetalon, alij Stephanon
Lib. 23. c.8. Alexandri vocant. Alio in loco ſylueſtrem Laurum, idem appellat. Officinis & Herbariorum vulgo Græcæ vocis imitatione Laureola dicitur. Sed cum Laureolæ duplex ſit genus, mas, & fœmina, alij Daphnoidem Laureolam fœminam eſſe contendunt, Chamædaphnen marem, alij contra, alij Chamæ-
Li. 4. Dioſ. cap. 143. daphnen eſſe à Laureola diuerſam arbitrantur. Quam Chamædaphnen, ſiue Laureolam marem, Matthiolus: (alij fœminam, ſiue albam), Dodon.
Lib. 4. c. 36. Daphnoiden & Laureolam marem vocat: quam Matthiolus & Fuſchius
Ibid. ca. 18. Lib. 3. ca. 6. & 7. Daphnoiden & Laureolam, Dodon. Chamæleam Germanicam, & Mezereon vulgare. Hanc Tragus etiam pro Thymelæa, & Chamælæa deſcribere ac depingere videtur, & in eum errorem incidiſſe cuius alios inſimulat, qui Chamæleam cum Daphnoide, ſeu Laureola confundunt. Nam illas minimè Thymelæam & Chamælæam eſſe ſuis locis demonſtrabitur. Germanorum autem *Zeilaud*, quam ille Thymelæam, & *Zeidelpaſt*, quam Chamæleam vocat, Fuſchio auctore eadem eſt planta, ſcilicet Daphnoides, ſeu Laureola. Quare figuras duas, & deſcriptiones duas vnius plantæ exhibet, & Thymelæam, Chamæleámque cum Daphnoide confundit, ſi Fuſ-
Ibidem. chium ſequamur: ſi Dodonæum Thymelæam ſimiliter cum Daphnoide
Ibidem. quam Germanicè *Zeilaud*, vocari etiam ſcripſit. Quam autem ille Chamælæam Germanicè *Zeidelpaſt* vocat, Dodon. veram Chamæleam eſſe negat. Dicet aliquis Tragum his duabus figuris Chamædaphnen, & Daphnoiden expreſsiſſe. At Daphnoides noſtra, vt dicemus, folia magna in ſummo caule habet, quibus Tragi pictura caret: neque flores in caule habet ſine foliis, quales in vtraque figura pinguntur. Dalechampius cum Dodonæo Laureolam Officinarum, ſiue Laureolam marem Dioſcoridis Daphnoiden eſſe rectè cenſet, quæ Matthiolo eſt Chamædaphne, vt dictum eſt, à Germanis *Zeilaud*, nuncupata, à Gallis *Laureole*, ab Italis *Oliuella*, vel *Oreola*, ab Hiſpanis, *Loreola*. Eſt autem frutex paruus, cubitalis, ramos multos habens Lauri modo flexiles, à medio ſurſum: verſus folia ferentes, cortex eſt circa ramos admodum viſcidus, folia Lauro ſimilia, ſed molliora, graciliora, (ἰσχνότερα legimus, in vulgatis Codicibus vetus ἰσχυρότερα habet, id eſt validiora, ſic etiam Plinius legiſſe videtur, craſsiore, inquiens & molliore quàm Laurus folio: quale reuera eſt Laureolæ folium) & quæ non facilè franguntur, quorum guſtatu os & fauces incenduntur: flores edit multos denſos, oblongis quibuſdam, gracilibus ſtellatíſque veluti calathis, ex herbaceo albos, vel luteolos: ſemen initio viride, cum maturuerit, nigrum, baccis Lauri ſimile, ſed minus: radicem lignoſiorem & duriorem. Daphnoiden

ſiue

DAPHNOIDES,
seu Laureola.

DAPHNOIDES,
siue Laureola cum flore

siue Laureolam cum flore: item Laureolam cum fructu Lobellius exhibuit. Theophrastus Daphnoidis crocei meminit, quod de fructu interpretantur. Sunt qui Laureolam fœminam, intelligant. Daphnoides inquit Plinius, frutex est ramosus, crassiore ac molliore quam Laurus folio, cuius gustatu accenditur os atque guttur, baccis è nigro rufis. Laureola in mõtibus asperis, & siluis prouenit, Germaniæ, Galliæ, Angliæ. Citò floret, Februario scilicet mense, semen Maio maturescit. Dodonæus Laureolam calidam siccámque esse tertio gradu, & ferè ad quartum vsque scripsit. Pituitam, inquit Dioscori. extrahit folium recens, vel aridum in potu: menses ciet, & vomitum: caput inanit cõmãducatũ: sternutamẽta mouet. Baccæ quindecim potæ aluum resoluunt, Quæ cum Græcè sic legantur, Ἄγει δὲ καὶ τὸ φύλλον αὐτῆς ξηρὸν, ἢ νεαρὸν πιθὲν, κατὰ κοιλίαν φλεγμαίνοντα, sic etiam perspicuè verti possunt: folium eius aridũ recénsve potum humores pituitosos per aluum ducit: ac rursum διαμασηθὲν ἀποφλεγμαίνει, Pituitam à capite extrahit commanducatum. Daphnoides Plinio, siue his nominibus quæ diximus syluestris Laurus, aluum soluit, vel recenti folio, vel arido, drachmis tribus, cum sale, in hydromelite. Manducata pituitas extrahit: folium: & vomitus, stomacho inutile. Sic & baccæ quinæ denæ purgationis causa sumuntur. Sic enim ex veteri codice emendandus & distinguẽdus locus iste. Galenus eodẽ loco Daphnoidis id est, Clematidis prioris, seu Vincæ peruincæ, quã etiam Chamædaphnen Plinius vocat cap. 11. lib. 21. & Chamædaphnes, ideſt, Lauri Taxæ, meminit his verbis. Chamædaphnes germina tenera edi quoque assolent. Est autem persimilis viribus Lauro Alexandrinæ, sicut sanè & quæ Daphnoides, ideſt, Clematis, vocatur. Folia Laureolæ sumpta hydropicis multũ prosunt, quia vacuãt aquas: similiter & baccæ: sed ventriculum euertũt, eúmque ac cæteras partes internas inflãmãt, quę noxa corrigitur, si in aceto macerentur, cui iniectum sit nonnihil Mali Cotonei, & granorum Berberis.

Li. 9. Hist. cap. 15.

Li. 17. c. 30.

Locus.

Lib. 3. c. 36. *Temper. & vires*

Li. 4. c. 143.

Li. 23. ca. 8.

Lib. 6. sim.

Ibi. Dodo.

LAVREOLA FOEMINA, CHAMÆDAPHNE MVLTORVM, CAP. XLVIII.

Nomina Lib.3.ca.38.

LAVRI quoque ſiue Laureolæ effigiem vendicat hæc planta, herbariis & Officinis Laureola, fœmina, ſeu alba nuncupata, Dodonæo Chamælæa Germanica, ſiue Mezereon vulgare, Germanis, *Zeidelphaſt*, Sequanis *Bois Gentil*, Eandem periti etiam herbarij Dioſcoridis Chamædaphnen eſſe cenſuerunt, ideſt humilem pumilámve Laurum, tum quod illi effigie ſit affinis, tum quod probabile ſit Dioſcoridem tractare incipientem de Catharticis validis, Daphnoidi, ideſt, Laureolæ mari, Chamædaphnen, ideſt Laureolam fœminam ſtatim ſubieciſſe, congenerem plantam, & iiſdem præditam facultatibus, purgãdi aquas bilem, pituitam. At cum Dalechampius deſcriptiones propius inſpexiſſet, & accuratius expendiſſet Chamædaphnes effectus ac facultates, mulcendi ardores ſtomachi, ſedandi capitis dolores, & quod addit Serapio, diſcutiendi inflationem ſtomachi, mitigandi tormina, menſes & vrinas ciendi, quæ omnia cum viribus Alexandrinæ Lauri conueniunt, & ab albæ Laureolæ natura plantæ acerrimæ & feruidiſsimæ plurimum, remota ſunt, præterea cùm animaduertiſſet Chamædaphnes fructum foliis adnecti, qui albæ Laureolæ ramis & non foliis inhæret, ab aliorum ſententia deſciſcere coactus eſt, & ſtatuere Chamædaphnem Dioſcoridis, minimè habendam pro Laureolæ genere. Cùm autem ex his tribus ſuprà memoratis, quæ ob foliorum cum Lauro ſimilitudinem Lauri vocantur, duæ, nempe Laurus Taxa Plinij, & Laurus Alexandrina fructum rubrum adnexum foliis ædant, tertia verò Hypogloſſum ligulis ſiue gracilibus pediculis affixum, & Lauri Alexandrinæ tradita hiſtoria Dioſcorides Lauri Taxæ nullam mentionem fecerit, inſignis herbæ, nec ſilentio prætereundæ, Laurum Taxam Plinij ab eo Chamædaphnẽ vocatam fuiſſe prorſus arbitratur, optimè congruente tota narrationis ſerie, ſi folioli laciniam fructum contegentem Dioſcorides addidiſſet, quod etiam nõnulli putant in eius hiſtoria memoratum, ſed deletum & inductum fuiſſe: quoniam virgas emittit cubitales, ſingulari ramo conſtantes (quæ præter Dioſcoridis literam ex Plinio Ruellius adiecit) rectas, tenues, læues: folia Lauri, læuiora multo, pallidiora: ſemen rotundum, rubrum, annexum foliis. Quibus adde ex Galeno Chamædaphnen Alexandrinæ Lauro viribus eſſe ſimilem, quemadmodum Vuulariam, Dalechampij Chamædaphnen, viribus iiſdem preditam eſſe, quibus Laurus Alexandrina, Cordus quotidianis vulgi experimentis conſtare affirmat, vt diximus. At hic duo valdè refragantur, & ambiguos nos reddunt. Primum, ſi Laureola alba Chamædaphne non fuerit, quænam planta ſit apud Dioſcoridem pro hac Laureola habenda? Alterũ quidnam ſignificet Galenus, cum ſcribit Daphnoides ſimilem Chamædaphne vim habere, cum acerrima & feruidiſsima planta ſit Daphnoides, Chamædaphne verò

Forma

LAVREOLA fœmina.

Dioſcorid. li.4. c.144. Camit. 334. ſimpl.

Lib.6. ſim.

Ca.de Lau. Taxa.

Lib.6. ſim.

non

non solùm non vrat, sed ardores stomachi leniat: Ad id quod priore loco proponitur, respondet Dalechampius, albam seu fœminam Laureolam nostram ignotam fuisse Dioscoridi, vt quæ in nostris montibus gelidissimis, & à Græciæ Asiæque montium cælo, statu, temperie diuersissimis gignatur, saltem nullum apud Dioscoridem locum extare vnde notam illi fuisse coniectemur, aut veterum scriptorum cuiuis, nisi fortè Plinium eam indicasse putemus, cum scribit Daphnoiden fruticem esse ramosum, folio crassiore & molliore quàm Lauri, os atque, guttur accendente, baccis nigris vel rufis, sic enim quidam legũt, non è nigro rufis. Sed hanc Daphnoidem, Laureolam marem esse diximus. Li. 15. c. 30.

Quod quæritur secundo loco, apud Galenum sic legitur, τῆς ὁ χαμαιδάφνης, καὶ ἐλαΐου, οἱ ἁπαλοὶ χλῶνες: παραπλησία ὁ καὶ ἥδε τὴν δύναμιν ἐστὶ τῇ ἀλεξανδρείᾳ δάφνῃ καθάπτει, καὶ δαφνοειδὴς ὀνομαζόμενον. Paulus qui ad verbum Galeni orationem transscribere solet, presius hæc ita retulit, Καὶ τὸ γε δαφνοειδὲς τῆς αὐτῆς ἐστὶ δυνάμεως, καὶ ἡ χαμαιδάφνη, ἀυλὴ ὁ ἐλαΐου. Ætius qui Galenum vbique sequitur, non aliter quàm Paulus, cum de Lauro strictim verba fecisset, de Chamædaphne, Daphnoide, atque adeo Clematide tacuit. Serapio ex Galeno & Dioscoride colligere solitus omnia quæ ad historiam & vires explicandas pertinet, cum recitasset quæ de arbore Lauro, Chamædaphne, & Lauro Alexandrina vterque auctor prodidit, eandem post historiam Daphnoidis petitam ex Dioscoride, scripsit ex Galeno, Ortus. (Alij, & rectius, virtus) eius est sicut Chamædaphnes. Oribasius pro suo more tradita ex Dioscoride nuda historia Lauri arboris, Chamædaphnes, Daphnoidis, Lauri Alexandrinæ, de hac facultatis similitudine inter Chamædaphnen & Daphnoides prorsus silet. Ex quibus intelligitur Galenum eam similitudinem primum ostendisse absque Dioscoridis testimonio, sic tamen vt ei fides constet, si vel δαφνοειδὲς, accipiamus non quidem vlcerantem & vrentem fruticem Laureolam nostram, sed Clematidem Galeni secundã quam paulo post δαφνοειδὲς, μυρσινοειδὲς, πολυγονοειδὲς etiam vocari testatur. Ambabus enim vis est adstringens & siccans. Vel si parem vtriusque vim, Chamædaphnes, inquam, & Daphnoidis catharticæ, in prouocandis tãtum mensibus intelligas: menses enim & hæc & illa ciet. Hæc est Dalechampij de Chamædaphne sententia. Nunc quæ de Laureola fœmina dicenda sunt persequamur. Frutex est paruus, binûm, ternûmve pedum, ad summũ quaternum altitudine, ramulis breuib⁹, fractu contumacibus, cortice & foliis pallidè virentibus Laureolæ, vel Ligustri, vel Oleæ: secundum ramulos flores oriuntur odorati, subpurpurei, deinde bacculæ initio virides maturæ rubent, aridæ & iam vietæ maturitatis, nigræ, & rugosæ: piper rusticum eis vocant, & perperam Granũ Cnidium. Cortex exemptus detegit granum medullosum, Canabino aut Lithospermo maiori simile, gustu feruidissimo, & fauces gulam adurente, diu multúmque durãte impressione similiter vrunt folia, cortex & radix. Nascitur in montosis & syluestribus locis Sequanorum, Germaniæ, & Heluetiæ, tum in Allobrogum, Ligurum & Delphinatus mõtibus

Lib. 6. sim.

Forma.

Locus.

Tempus.

LAVREOLA
cum fructa.

Tempus. tibus ac collibus ſyluoſis, opacis. Flos puniceus, aſpectus venuſtiſsimi, prodit Martio, antequam folia erumpant: ſemen cum maturuit rubrum viſitur Auguſto. Non minus hæc per aluum deiicit craſſam viſcidámque pituitam, & inteſtina abradit, quàm Laureala mas, cui non diſsimilis, ſed vehementior facultas ineſt, eadémque in aceto maceratio ad corrigendum debetur. Huius ramulum præciſum à Matthiolo pictum hîc poſuimus. Quod monuimus, Sequani Lignum nobile vocant, ob floris elegantiam, ſua lingua, *Bois gentil*, & initio veris ante aliorum ferè omnium florum prouentum, hunc decerptum & in vaſa coniectum voluptatis gratia domi ſeruant. Daphnœiden alteram eſſe plantam hanc ignoraremus ſi Theophraſtus in his enarrandis alioqui breuis, & conciſus apertè non docuiſſet, Daphnœidis eſſe genera duo, fructu præcipuè diſtincta, qui niger in altera eſt, in altera croci colore, nempe ſtaminum quæ à flore croci auulſa reconduntur, non autem Croci liquore diluti, vt merito hæc Daphnœides, crocea nominari poſsit.

Vires.

COLVTEA VESICARIA, CAP. XLIX.

Lib. 1. Hiſt. cap 16. *Nomina* Lib. 3. Hiſt. cap. 17. *Forma.*

ARBOR quæ à Theophraſto κολυτέα dicitur, niſi mendoſi ſint codices, & κολυτέα, à quibuſdam κολωτέα, Latinè etiam Colutea dicitur, à Gallis *Baguenaudier*, Locis incultis frutex eſt, cultis arbor, in multos ſeſe ramos diffundens, ligno Sambucino ferè ſimili, ſatis duro, cortice exteriore cinereo, interiore viridi, in cuius medio cauitas parua ineſt, medullæ loco. Folia ſunt Fœnogræco ſimilia, Sennæ foliis rotundiora, nec in acutum deſinentia, ſuperne glabra & viridia, inferne candidiora & hirſuta, guſtu amara: flores multi ex longis pediculis propendent, vt in Piſo & Cicercula coloris crocei, horum & Geniſtæ floribus forma ſimiles, non quadripartiti, quales à Matthiolo pinguntur. His ſuccedunt membranoſi folliculi, pellucentes, interdũ rubentes, prætumidi, ac veluti quodam ſpiritu diſtẽdẽte tur-

Lib. 3. Dioſ. cap. 70.

COLVTEA VESICARIA, ſeu Liparea Theophraſti.

COLVTEA veſicaria. Matth.

gidi

gidi, ita vt si digitis præmantur, crepitantes disiliant. In his semina multa, quæ immatura renis formam habent, lutea, gustu Pisi vel fabæ: matura lentis ferè forma sunt nigra, dura, in medio compressa. Colutea Liparæ peculiaris inquit Theophrastus, arbor procera, fructum fert in siliquis, magnitudine Lentis, qui mirum in modum oues saginat. Nascitur semine, fimo stercorata, præcipuè ouillo. Serendi tempus cum Arcturus occidit. Mandari solo debet præmaceratum, cum iam in aqua tumet, siue flatu distenditur (legendum enim Græcè ὅταν ἤδη διαφυσᾶται, vel διαφυσῶνται ἐντὸς ὕδατι, non διαφύσται, vt legit Gaza, & vt habent vulgata exemplaria) folium mittit fœnogræco non absimile. Germinat primùm singulari caudice, triennio maximè, quo concidendis scipionibus melioribus idonea. Si quis decurtauerit, emoritur: stolonibus enim non regerminat (ἡ γὰρ ἀπαρά βλαστόν ἐστι. Gaza, haud enim latere plantigera constat) Spargitur deinde in ramos, quadrima prorsus arboreſcit. Hæc Theophrasti Colutea, quæ non temerè alibi quàm in Lipara nascebatur, nunc in Gallia, quo nomine diximus cognita est, notis omnibus maximè adstipulantibus, & Matthiolo, Dodonæo, Ruellio consentientibus. Sed Ruellius istam Coluteam, Gallorum *Baguenaudier*, Mauritanorum Sennam esse scripsit, quod fortasse vt apud Theophr. legerat coluteæ fructu oues mirè pingueſcere, ita apud Serapionem in Sennæ historia, caducas eius siliquas ab opilionibus legi, saginandis ouibus perquam vtiles, demiraríque se ait hanc arborem Theophrasto celebratã, à Plinio, Dioscoride, Galeno, Paulo prætermissam: cuius & siliquarum & foliorum, surculorúmque tantus inualuerit vsus, vt apud posteros nullam ferè sit purgantis medicamẽnti confectio, quæ eiuś mixturam non admittat. Hunc Ruellij errorem facilè refellit Matthiolus, quod Senna herba sit paucis mensibus superstes, Colutea verò arbor multis perdurans annis: hæc siliquas proferat primùm purpuraſcentes, deinde albicantes, flatu turgentes, semine intus paruo, rotundo, Lentis effigie, illa folliculos falcatos, compressos, in quibus includitur semen vinaceorum figura. Fuchsius, κολυτέαν, Græcis Colyteam, & Coluteam Latinis dici scripsit, duóque eius genera esse. Vnum quod priuatim colytea vocatur, officinis incognitum, à Germanis *Vuelchlinſen*, appellatum (Gallorum id est *Baguenaudier*,) Alterum officinis cognitum, & frequenti vsu à medicis vsurpatum, quod Mauritano sermone *Sena*, nominatur. Altera, opinor, editione, de Colutea & Sena tractans ait se Græco Theophrasti codice destitutum putasse Latinè hanc plantam Colyteam & Coluteam dici, sed cum Græcum Theophrastum nactus esset, facile se κολυτέαν & κολυτέαν, diuersas esse deprehendisse: & rectè quidem. Theophrastus enim cum Coluteam Liparæ propriam descripsisset, statim subiicit. Aliud genus est Colytea circa Idam proueniens, fruticosa, nodosa, alis multis concaua, non admodum rara (σπάνιον ὃ οὐ πολύ. Gaza legit σπάνιον ὃ καὶ οὐ πολύ. inuentu rarum, non crebrum) folio Lauri latifoliæ, sed rotundiore, amplioréque, Vlneo simile vt videatur, oblongiore, superne viridi, inferne cano, fibris tenuibus ac rotundis neruoso, inter eas positis, quæ à media, costarum instar ducuntur: legendum enim, πολύινον, ταῖς λεπίσιν ἴσοι, μεταξὺ τῶν πλευροειδῶς ἀπὸ μέσης κατατεινόντων. deletis superuacuis his dictionib⁹, ἐκ τῶν ὄπιοθεν, & καὶ τοῖς ῥίζαις. Gaza, tum ibidem neruulis prætenuibus, fibríque inter eas propagines quæ de medio callo in costarum speciem adducuntur, cortice non læui, sed quasi vitigineo, materia dura spissáque, radicibus per summa gracilibus, fungosis, crispis, & mirum in modum flauis. Fructu floréque carere aiunt. Cachryn autem in thyrsum fastigiatam (τὴν ὃ κορυφώδη κάχρυν) gemmásque circum folia id est, quæ globum nascentium foliorum nondum explicatum ac reclusum obuoluunt, & operiunt, valde læues, pingues, candidas, cachryi similes gignit. Præcisa vel

Lib. 3 Hist. cap. 17.

Lib. 1. c. 70.

Li. 4 Dioſc. cap. 70.

In Hist. pl. ca. 168.

Capit. 170.

Lib. 4 Hist. cap. 17.

igne

Lib.4.Hist. cap.14. igne exusta ab imis rediuiua iterum surgit. Secundam Colyteam, Idæam, Theophrasti, Berberim nostram quidam esse volunt, vt ita credant adducti præcipuè fungosæ radicis gracilitate, coloréque valde flauo. Cæterum nec videtur conuenire spissæ materiæ durities, nec foliorum delineatio. Quod ad fructum & florem spectat, eum statim scrupulum eximam. Quidam potius eam plantam esse arbitrantur Sambucum montanam, non reiicienda opinione, si esset dura spissáque materia, & radicis color admodum flauus. Nam quod hanc Colyteam flore ac fructu lignatores & incolæ montis Idæ carere aiebant, non affirmat Theophrastus, & idipsum de Corno mascula Idæi prædicabant, asserentibus contra Macedonibus eam esse fructuosam, quod vbiuis esse verissimum nemo nescit. Sambuci quidem montanæ cachrys, id est foliorum primus conceptus, siue, vt Plinius loquitur, excrescentium cacuminum articulatio geniculata, flos, fructus, sunt prorsus κορωώδη, id est, in thyrsum fastigiata, quam notam in eius plantæ τῇ κάχρυϊ Theophrastus insignem proponit. Sambuci profecto vulgaris folium à qua parum montana disidet, Capitul. 13. 3. Histor. Theophrasti, simile est folio Lauri Latifoliæ, maius, latius, infernè ad sui exortum, & in medio rotundius, in extremo acutius. Eiusdem, veris initio, aut extima hyeme, germinantis conspicuæ tanquam clauatæ cachryes, (κορωὼδεις.) Materia, recens, fungosa: siccata, valida, nec senescens, etiam delibrata, & vel in aquis demersat radices per summos cespites fusæ: quæ omnia à Theophrasto prodita de hac Idæa Colytea, agnoscuntur in montana Sambuco. In Colyteæ tertiæ historia sub finem Capit. 14. libr. 3. literam Theophrasti sic lego: ἡ ὃ κερκὶς, ὥσπερ κολυτέα ἔλλοδος, ἔχει τὸ μὲν φύλλον ἐγγύθεν τῷ ιτέᾳ: πολύοζον καὶ πολλύφυλλον τὸ δένδρον, ὅλον μέγα. τὸν ὃ καρπὸν καθάπερ κεδροπὰ, ἐν λοδοῖς ἔχει πλατέσι, καὶ τὸ σπερμάτιον τὸ ἐνὸν, μικρὸν, σκληρὸν ὃ μετρίως, ὀλίγα ὃ τοιαῦτα τῶν δένδρων: deletis aliis vocabulis, quæ ineptam & ridiculam stultitiæ imitationem præse ferunt, indignam oratione tersissima Philosophi tam diserti. Sonant autem hæc verba: siliquata est Cercis, vt & Colytea. Arbor tota nodosa, foliosa, magna. Fructus, vt leguminum in siliquis latis Semẽ exiguum paucum pro magnitudinis ratione inclusum siliquis, modicè durum. Tales verò paucæ arbores: &c. qua oratione dilucidius & apertius nihil est. Si probetur hæc lectio arborem Iudæ hanc stirpem esse omnino arbitror, præsertim si turbatis his & confusis historiis, ex descriptione secundæ Coluteæ huic assignes, folium esse ἐπὶ θάτερα χλωρόν, ὄπιοθεν ὃ ἐπιλευκαῖνον, καὶ πολλὰς ταῖς λεπίσι ἰσὶ, μεταξὺ τῶν πλευροειδῶς ἀπὸ μέσης κατατεινουσῶν: id autem est, altera parte virere, inferiore & auersa candicare folium, tenuibus multis fibris neruosum, inter eas sitis, quæ costarum instar à media protenduntur. Folij nãque huius figura tametsi à folio montanæ Sambuci aliena non sit, tamen in huius plantæ foliis euidentior ac manifestior est. Theophrastus sane cap. 18. lib. 1. historiæ, Colyteam & Cercida tamquam congeneree affinésve plantas inter siliquatas recensuit. Colyteam istam tertiam, seu rectius Cercidem, nonnullis senam esse placet, vt Amato Lusitano, quem non iniuria Matthiolus reprehendit, quod Sena herba sit, aut humilis frutex, Colytea arbor magna, foliis Salicis, vt habent nostri codices, à quibus Senæ folia multum discrepant. Sed iustiore de causa miratur Constantinus, cuius auctoritate contendat Amatus Lusit. Coluteam arborem Theophrasti, Latinorum esse alburnum: cum sciamus Plinium alburnum vocasse partem illam in arboribus, quam adipis loco natura tribuit. Ipsius hæc verba sunt. Atqui in toto corpore arborum, vt reliquorum animalium cutis, sanguis, caro, nerui, venæ, ossa, medulla. Pro cute cortex: proximi pleríque adipes: ij vocantur à colore alburnum, mollis ac pessima pars ligni, etiam in Robore putrescẽs, teredini obnoxia, quare semper

In Amat. Enar. 83. li. 3. Dioscor.

Li.16.ca.8.

ampu

amputabitur. Et alio in loco Robur exalburnatum vocauit, cui alburnum detractum. Coluteam primam Theophrasti quo Liparę peculiarem multis locis sponte natam vidimus, inquit Matthiolus, pręsertim in Tridentino agro apud Ananios. Iam nouit & Gallia, vt dictum est. Maio mense floret, semen Augusto maturum est. Folia seminaque temperatè calida & humida sunt, auctore Dodonęo. Fuchsius scripsit Sennam & Coluteam facultate inter se minimè differre, non sine errore, inquit Matthiolus, quod certò sciam Coluteę non minus quàm Genistę semen vomitiones ciere.

Lib.6.c.40. *Locus.* Lib.3.Dios. cap.70. *Tempus.* *Temper. & Vires.* Lib.6. 61. In histo.pl. cap.168. Ibidem.

COLVTEA SCORPIOIDES. CAP. L.

COLVTEÆ secundum hoc genus videtur, Scorpioides à scorpionis caudę figura nominatum. Frutex est ex radice crassa, brachiata in caules multos assurgens, lentos & flexiles, angulosos, ruuido cortice vestitos, ex viridi rufescente: ramis multis, quotannis ex stipitum duriorum veluti nodis prodeuntibus, virgatis, angulosis, ex quibus virgulta nascuntur, septenis plerumque foliis pinnata, Lenti similibus, senis, ex aduerso collocatis, septeno in vertice, foliorum Trifolij, situm, & figuram, cum binis proximis plane referente: flore Pisi, copioso, luteo. Siliquas fert ferè semper geminas, longas, tenues, longo tenuique pediculo hærentes, rotundas, tanquam articulis sine nodis discretas, hîc graciles, qua semen includunt, crassiores, caudæ scorpionis, aut Scorpioidis à Matthiolo descripti effigie. Semen fere rotundum est, fœnogræco vtcumque simile, sed oblongius, angulosum, nigrum, sapore fœnigræci. Nascitur in asperis locis, & saxosis, sæpe ex rupium fissuris. Eædem vires huic plantæ tribuuntur, quæ & Coluteæ.

Nomen *Forma.* *Locus.*

COLVTEA
Scorpioides.

SENNA, CAP. LI.

SENNA Hermolao, Serapioni Sene, Officinis & Gallis *Sene*, Italis *Sena*, Hispanis *Sene d'Alexandria*, Arabis *Sene*, Germanis *Senet*, dicitur. Hanc quidam Dioscoridis Delphinium, alij Pelecynum, alij peplium, alij Empetron, alij Alypon, alij Theophrasti cercidem, siue Coluteam, tertiam, alij Colyteam primam esse putant, quæ falsò credi videbit, qui eam cum horum picturis & facie conferet. Res autem noua potius videtur, veteribus Græcis, & Latinis scriptoribus indicta. Constat Senna foliis Glycyrrhizę, crassis, subpinguibus, fabarum sapore, caule cubitali, à quo ramuli exeunt, lori modo flexiles. Flores aurei, velut Brassicę, purpureis intercursantibus venulis. Post hos nascũtur folliculi falcati, adeóque natura compressi, vt superior membrana inferiori hęreat: in quibus semen includitur ex nigro subuirescens, vinaceis adeo simile, vt non facilè primo aspectu alterum ab altero secernatur. Folliculi ex ramusculis tenui pediculo pendent. Quamobrem matureścentes paruo ventorum flatu decutiuntur. Planta est frigoris impatiens: quare serenda Maio, nec vltra Autumnum perdurat. Prius sata frigore facilè perit: seriùs verò hyemem nõ to-

Nomina *Forma.* Matth. li.3. Dios.c.70

SENNA.

Capit. 58.

Lib. 2. sim. purga.

Locus.

Ibidem.

Tempus. Ibidem.

tempera. & Vires. Lib. 3. c. 43. Lib. 5. meth. cap. 8.

lerat. Huius meminit Serapio his verbis. Sena asseruatur sicca. Siliquas lunatas & oblongas profert, in quibus semina in ordinem digesta clauduntur. Siliquę tenui pediculo pendent: ob id facile ventorum impetu deturbantur. Caducas opiliones colligunt. Senna, inquit Mesues, est folliculus plãtæ dictæ Persis Abalzemer, Orobi modo nascentis. Satiua est, & agrestis. In Syria & Ægypto nascitur, vnde Alexandrina dicta. Nunc in Hetruria passim seritur, inquit Matthiolus, præsertim in. Florentino agro, in Apulia, Liguria, & Prouincia Galliæ. Ægyptia siue Alexandrina, & Syriaca præstantissima est. Vere seritur, media æstate flores & siliquas profert. Folliculus sennæ auctore Mesue, calfacit initio secundi ordinis, siccat primo. Folia etiam primo calfaciunt. Dodonæo folia calfaciunt secundo ordine, siccant primo. Actuarius solus ex Græcis qui extant Sennæ meminit, & eam citra noxam purgare ait, pituitámque ac bilem educere, id quod experientia comprobat, quamuis neget Auerrois Sennam purgare posse pituitam. Contra eius sententiam Manardus purgare pituitam, & in morbo Hispanico valere se expertum tradit. Aquas etiam purgare sæpe visa est Siluio. Mesuæ Senna terget, expurgat, digerit, purgat clementer melancholiam, & bilem vstam à cerebro, sensuum organis, pulmone, corde, hepate, liene. Proinde morbis harum partium ab humore huiuscemodi proficiscentibus succurrit, vt melancholicis febribus, & antiquis. Gaudium gignit sublato humore siue causa interna quæ tristitiam affert, & floridum corpus efficit, obstructiones viscerum aperit. Foliorum huius & Chamæmeli decoctum lotione cerebrũ, & neruos roborat. Eadem quouis modo vsurpata visum & auditum firmat. Eius purgationem tardam & imbecillam celerãt, & intendunt mixta acria, vt Zimgiber, Sal Possilis, Sal Indus: ne verò stomachũ lædat, cardiaca, vel stomachica sunt miscenda. Ob id Galeni decreto coquenda largo pondere ex iure galli, gallinæ, vel aliarum carnium, vt citra molestiam purget, vel sero lactis infusa cum Spica, deinde parum diu feruefacta, vel puluis eius ex lacte dulci sumendus est. Vino musteo albo miscebat quidam vim magnam Sennæ, post tres menses potandum vinum dabat, sicque purgabat cerebrum, sensuum organa, & gaudium augebat. Sunt qui decocto eius cum prunis & Spica fœliciter purgant. Mediocrem autem coctionem sustinet. Infunditur ab aureis tribus ad vnciam vnam. Hæc Mesues, qui in Sennæ præparatione declaranda male Galenum citat, cum illi Senna prorsus ignota fuerit. Sena, inquit Serapio mirificè prodest delirio, amentiæ, scissuris totius corporis, resolutioni neruorum, phthiriasi, cephalalgiæ, scabiei, pustulis, pruritui, & epilepsiæ. Cor etiam roborat, potissimum si iis misceatur quæ ipsum maximè confirmãt vt Violæ. Is tritæ drach. vnam quod parum esse videtur, coctæ drach. quinque dat, vnciam ex aqua cocta mediocriter purgare affirmat Manardus. Mesues Sennam folliculo quàm foliis esse efficaciorem tradit, præsertim si is ex viridi nigricat, & modicè amarus est. Subastringit absolutus, & recens, nam vetustate exanimatur, in quo semen amplum, & compressum: subalbidus & imperfectus

improba

Lib. 15. coll.

Senna an foliis, an folliculis magis purget.

improbatur. Folia viridia præstantiora sunt subalbidis & tenuibus: surculi verò inutiles. Actuarius de Sennæ tantum fructu purgandi vi prædito loqui videtur. Ibidem. Contra folia valentius purgare folliculis affirmat Manardus, ei subscribente longa medicorum experientia, & si Brasauolus dissentiat, Mesuénque tueri velit. Ad quam controuersiam dirimendam cum certam longámque experientiã Lib. Dioscor. cap. 70. Matthiolus adhibuisset, sic decreuit. Sennæ folliculos duûm esse generũ. Vnum in planta arefactum, & per se caducum, à quo semen eximunt nigrum, prorsus euanidum. Alterum ante perfectam maturitatem decerptum, succo prægnans, crassum, ponderosum, quod tegetibus expansum in vmbra siccatur, raróque venditur: huic non minor quàm foliis purgandi vis inest: illi quo omnes officinæ abundant, non modo minor, sed prope nulla. Mesuen autem de secũdo folliculorum genere loqui aperte declarant ipsius verba quæ supra citaui, non de caducis illis, & euanidis folliculis, quibus tantum vtuntur ij qui ipsi reclamant. Præterea scribenti Mesuæ Sennam obesse ventriculo, ob id cardiaca, & stomachica admiscenda, iisque qui torminosum esse medicamentum conqueruntur, non assentiuntur Manardus, & Matthiolus. Cum enim Senna subamara sit, adstrictionis & siccitatis particeps, roborare potius ventriculum, quàm perturbare, & debilitare iudicandum. Quod si quibusdam, præsertim mulieribus, accidat vt epoto Sennæ diluto torminibus vexentur, id non medicamento, sed variæ sumentium naturæ, & pituitosis, crassis, viscidísque humoribus adscribendum, qui cum à medicamento impelluntur, intestina distendunt, & ex solutione continui dolores pariunt: at vix quempiam inuenias, qui sumpta Sena ventriculi dolore se vexari queratur: vt rectè Actuarius Sennam citra noxam purgare scripserit. Recte tamen Mesues scripsit Sennam stomachicis & cardiacis esse corrigendam. Nam si siccitate & adstrictione ventriculum iuuaret, sic brassicæ marinæ, Thymelææ & chamælææ siccitas stomachum iuuaret, quem tamen lædunt viroso illo odore, & purgatrice qualitate, à qua non longe absunt folia Sennæ, vt dum virent adhuc, aut macerantur, odoramur. Sennæ dilutum, quod nulla ex parte exhalet, decocto præstat, cuius vnciæ quinque vel sex aluum sine molestia soluunt, tutóque dari potest id medicamentũ prægnantibus, pueris, & cuiusuis ætatis hominibus. Redditur in deiicienda aluo præstantius atque valentius, si Cassia cathartica aut Manna, aut Rhabarbarum, aut Rhodopharmacum, quod officinæ syrupum Rosatum solutiuum vocant commisceatur, aut caprino sero Senna maceretur. Ex Senna etiam adhuc virente & Rosarum diluto paratur syrupus tuto & abunde omnes purgans humores. Præstantissimum quoque dilutum hoc modo conficitur. Selectissimæ Sennę drachmæ sex, Zingiberis, aut Cinnamomi triti drachma vna, florum Bugłosi drachmæ duæ, miscentur simul, & fictili vitro circumlito, aut stanneo vase oris angusti excipiuntur, & affusis feruentis aquæ, aut seri caprini vnciis decem, vas ita obturatur, vt nullus omnino vapori pateat exitus. Id puluinari plumis anserinis farcto, igníque calfacto inuoluitur, & totam noctem in arca reponitur. Sic enim conseruato calore dilutum omnem Senæ virtutem in sese recipit. Miratur Ruellius Senæ esu oues pingueſcere & sagina quadam exhilarari, quod ante hac diximus Theophrastum de Liparæa Colutea prodidisse homines macrescere, & inaniri. Lib. 1. c. 70.

ARBOR IVDÆ, CAP. LII.

Gesne. in Gor. ger. Nomina

VENVSTA hæc arbor Monspelienſibus arbor Iudæ dicitur, Gallis *Gainier*, à ſiliquarum cum vaginis, quas *Gaines*, vocant, ſimilitudine, quibuſdam hodie Ceratonia ſylueſtris, *Carrobaria*, Italis quanquam id nomen, Ceratoniç aptius tribuunt. Folio eſt prorſus rotundo, Afari aut Cyclamini, neruoſo, & venoſo, craſſo, nitido: flore copioſo ex ſtipitis capitato globoſóque vertice, non ex ramis ſurculísve prodeunte, cõfertim pullulantibus aut nondum exortis foliis, purpureo, punicante, hilari, Cicerculæ aut Piſi. Siliquæ per Auguſtum maturantur: ſemen Lentis effigie compreſſum, Geniſtæve. Ipſæ ſiliquæ foris xerampelino aut ſpadiceo fulgore micant compreſſæ, digito latiores, & longiores, quadantenus Sennæ, ſed rectæ, Naſcitur prope riuos aut lætiorum agrorum margines, interdum & in collibus Veronæ, amœnis, & Narbonæ, Hetruriæ etiam non procul Senis & prope Tinum oppidulum, Turnoni ex aduerſo ſitum, in altera ripa Rhodani, videtur quibuſdam eſſe vel Laburnum, vel eius ſpecies. Sunt qui ſentiant Theophraſti Colyteam tertiam eſſe. Sed quamuis ſiliquata hæc ſit arbor, à Laburno tamen colyteáque plurimùm differre. Geſnerus cenſet, quoniam Laburnum, autore Plinio, Alpina eſt arbor, flore cubitali, quæ huic minimè conueniunt: Colytea verò ſiliquata, Theophraſto, folio eſt ſalicis vel Coluteæ, vt in publicis codicibus legitur, ſiliqua lata, vt Senna, non anguſta. Sed de hac tota quæſtione dum coluteurum hiſtoriam excute remus, paulo ante iudicium noſtrum expoſuimus. Eſſe porro eo non poteſt, de qua Ruellius ſcripſit his verbis. Oſtenditur apud nos in cortibus, arbor, Sycomori, vt aiunt, nomine, frondoſa, Moro non diſsimilis conſpectu, folio, magnitudine. Sed neque germinibus, neque ramis quicquam prouenire deprehendimus, niſi quippiam ineunte vere cum parturit, veluti nucamentum prælongum: fructum foliacea ſiliqua, inflexu fere falcato gerit. Sed ſcalptu vulnerata nihil remittit lactis, cum vera ſycomorus æſtate multo humore lacteo ſcateat. Hæc Ruellius, At hæc arbor florem non nucamentum vere parit, nec foliaceas & falcatas ſiliquas fert, ſed rectas, & leguminum ſiliquis ſimiles, vt pictura oſtendit. Sed hîc intelligat Lector arborem quam Ruellius ſycomori nomine deſcribit, Acer album eſſe, Gallorum *Plane*, ante hac deſcriptum, & depictum, illúmque falli, cum Moro foliis ſimilem eſſe ſcribit. Sunt quibus Cercis ſiliquata Theophraſti videatur eſſe. Quædam etiam arbores, inquit, ſemen in ſiliquis incluſum habent, vt Ceræna quam Ægyptiam ficum vocant, Cercis, & Colutea Liparæ. Alio tamen loco cercida, quàm Alpinam Populum Gaza interpretatur, particulatim deſcribens ſiliquarum non meminit. Cercis populo albæ ſimilis, tum magnitudine, tum ramorum candore, folio Hederæ, ſed parte altera non anguloſo, altera oblongo in acutum coacto, colore parte ſupina pronáque fere ſimili, pediculo longo, tenuíque adnexo,

Forma.

ARBOR IVDÆ.

Cap. 14. lib. 3. hiſtor.

In Hort. Germ. In Sil. c. 56. Cap. 49.

Li. 1. ca. 79.

Lib. 1. Hiſt. cap. 18.

Lib. 3. Hiſt. cap. 14.

adnexo, ob id non recto, ſed inclinato: cortice aſperiore quàm Populus alba, ſcabrioréque velut Pirus ſylueſtris. Hæc Cercis populus eſt Lybica, à Matthiolo depicta libr. 1. Dioſcorid. cap. 93. de qua fuſe ſuo loco tractauimus. Hic Lector, meminerit Matthiolũ ſecunda commentariorum in Dioſcoridem editione, arborem hanc pro vera Acacia depinxiſſe atque deſcripſiſſe. Acaciæ imaginem, inquit, detulit ad me Conſtantinopoli Augerius de busbech, Cæſaris ad Turcarum Imperatorem Orator, quæ omnibus ſuis partibus, notíſque veram, legitimámque Acaciam imitatur. Nam plantæ integræ imago caudicem habet non in rectum, ſed in obliquum ſe attolentem, nigro omnino libro, ramos ſurculóſque vbique ſpinis rigentes. Foliis eſt rotundis, Piri magnitudine, venoſis, parte prona fuliginoſis, ſupina ex viridi ſubalbicantibus, minimè ſerratis, ſubnigricante pediculo: floribus ex albo purpuraſcentibus: ſiliquis & ſemine Lupino ſimilibus. Hæc Matthiolus. Cuius pictura vna duntaxat re ab hac noſtra differt, quod hæc ſpinis careat, illa ſpinis horrida ſit, quas commentitias eſſe ſuſpicantur multi. Lib. 1. c. 117.

XYLON, CAP. LIII.

VT Græcè ξύλον & γοσσίπιον hæc planta, ita Latinè Xylon & Goſsipiũ nominatur, Officinis Bombax, Gallis *Cotton*, Germanis *Baummol*, Italis *Bambagia*, & *Cotone*, Hiſpanis, *Algodon*: frutex eſt humilis, foliis latis, altius inciſis, Viti aut Alceæ quadantenus ſimilibus, ſed minoribus: incanis floribus luteis, in medio nonnihil purpureis, per oras crenatis: fructu Nucibus Ponticis compreſsis & latis ferè ſimili, aut Malis exiguis, pullo colore candidiſsimo vellere pleno, quo ſemen occulitur, Terebinthi aut Cubebæ, oblongum, copioſum, medulla plenum, alba, oleaginoſa, non inſuaui guſtu, Pineæ aut Amygdalarum, præſertim dum recens eſt. Superior pars Ægypti in Arabiam vergens inquit Plinius, gignit fruticem, quem aliqui Goſsipion vocant, plures Xylon, & ideo lina inde facta Xylina. Paruulus eſt, ſimilémque barbatæ Nuci fert fructum, cuius ex interiore bombyce lanugo netur. Nec vlla ſunt ei in candore, mollitiáue præferenda. Veſtes inde ſacerdotibus Ægypti gratiſsimæ. Id Goſsipium priſcis rarum, & ferme ignotum, adeo frequens eſt noſtro æuo, vt ex tractibus & inſulis Arabicis non opus ſit petere. Multis enim Mediterraneis in litoribus alitur, & venum inde aduehitur. Plantam iſtam veteribus Græcis incognitam fuiſſe multi arbitrantur. Sed illi errant. Eſt enim ad lanigeras Theophr. vites planè referenda. In Tylo inſula quæ in ſinu Arabico eſt, inquit Theophraſtus, parte adoriẽte ſpectante tanta eſt arborum multitudo, vbi æſtus receſſerit, vt Locus incultus deſeratur: earum autem multæ lanigeræ. Folia vitis habent, verum minora, fructum nullum (fortaſſe veſcum intelligit) quo lana continetur, Mali magnitudine, vere naſcitur, occluſum: at tem- *Nomina* *Forma.* Lib. 19. ca. 1. Li. 4. Hiſt. cap. 9.

GOSSIPIVM
ſiue Xylon Matth.

Locus. pestiua maturitate aperitur, lanáque eximitur, ex qua telas texunt, alias viles, alias pretiosas. Hoc idem in India, & in Arabia fit. Xylon non soùlm sponte in Ægypto & India, sed etiam hodie in Cypro, Creta, Melita, Sicilia insulis satum copiosissimum prouenit, atque etiam in Apulia aliisque regionibus. Huius lanugo sine dubio excalfacit, & siccat, & combusta mirum in modum sanguinem ex vulneribus manantem sistit. Semen auctore Serapione calidum est, & humidum. Eius medulla tussi, & difficile spirantibus auxiliatur, genitale semen procreat, quare Venerem stimulat. Oleum ex ea exprimitur, quo tum lentigines in facie, tum aliæ etiam corporis maculæ optimè delentur.

Temper. & vires

Matt. ibi d.

CISTVS, CAP. LIIII.

Nomina ΚΙΣΤΟΣ & κίσθος, κίθαρον & κιστάρον Græcis, Latinis similiter Cistus, & Cisthus dicitur. Arabibus *Ramet*, Hispanis, *Cerguacos*, & Italis, *Cisto*, fortasse quod κίσσου ideſt, hederæ foliis, sit rotundis. Duo eius *Genera.* genera. Cistus non Ladanifer, & Cistus Ladanifer. Illius duo etiam *Forma* genera: mas, & fœmina. Quibus marinum addidimus. Cistus non Ladanifer, frutex est stipitibus rotundis, hirsutis, geniculatis, ramosis: foliis mas rotundis, crispis, hirsutis, albicantibus, acerbis: fœmina oblongis, Saluiæ æmulis. quam ob causam rustici Patauini hanc Saluiam agrestem vocant. Flos emicat in summis stipitibus, vt Mali Punicæ, vel vt Rosæ syluestris, in mare rubescens, in fœmina albus, deinde in triquetro & tricocco, fructus inuolucro pusillũ semen Hyposcyami, quale & reliquis Cistis. Cistus inquit Dioscorides, ramosus frutex est, non altus, folioſus, saxosis locis nascens: foliis rotundis, acerbis, hirsutis: flos masculo ὥσπερ ῥοιᾶς, ideſt, vt Mali punicæ, alias ὥσπερ ῥόδῳ, ideſt, vt Rosæ: fœminæ albet. Græci, ait Plinius, vicino Hederæ vocabulo, Cisthon appellant fruticem maiorem Thymo, foliis Ocimi. Duo eius genera, flos masculo rosacens, fœminæ albus. Quæ de Dioscoridis Cisto à Plinio dicta esse dubiũ non est, & si non omnia prorsus similia sint. Id verò cuius recte nos admonet, hederæ nomen Cisson, Cisto vicinum esse, si memoria retinuisset, Hederam ideſt Cisson, penitus cum Cisto nominum vicinitate deceptus non confudisset, cùm scribit. Duo genera eius (loquitur de Hedera) prima vt reliquorum mas, & fœmina Maior traditur mas corpore, & folio duriore etiã & pinguiore, & flore ad purpurã accedente. Vtriusque autem flos similis est Rosæ syluestri, nisi quod caret odore. Quæ Cisti propria ad Hederam à Plinio translata esse, eúmque plantas has natura diuersas cõfudisse, iamdudũ à Leoniceno demonstratũ est, quamuis frigidi, argumentis Plinium defenderit Collinutius. Leoniceno assentiuntur Marcel. Matthiolus, Cordus, Ruellius Verũ Pliniani erroris originem manasse credimus ex Theophrasti

Matt. lib. 1. Dioscorid. cap. 109.

CISTVS MAS
Matthioli.

Li. 1. c. 109.

Li. 24. c. 10.

Lib 16. c. 34

phrasti in emendata lectione. Καὶ ἓξ κίστου δύο γένη διαιροῦσι, τὸ μὲν ἄῤῥεν τὸ δὲ θῆλυ. τῷ τὸ μὲν μεῖζον & σκληρότερον, καὶ λιπαρότερον ἔχειν τὸ φύλλον, & τὸ ἄνθος ἐπιπορφυρίζον. Libs. Hist. cap. 2.

CISTVS MAS FOLIO rotundiore Matthioli.

CISTVS FOEMINA Matthioli.

CISTVS CVM Hypocistide Matth.

ἄμφω δὲ ὅμοια ῥοδοῖς τοῖς ἀγρίοις. Quæ verba cum apertè Plinius verterit, exẽplaria verò Theophrast. etiam hodie κίστου pro κίστυ habeant, ita vt Theodorus quoque Hederam pro Cisto reddiderit, verisimile est etiam Plinium falsa lectione deceptum, Hederam pro Cisto legisse, ac expressisse. Nam & alioqui in breui hoc loco vox φύλλον post ἔχειν, & vox ῥοδοῖς ante voces τοῖς ἀγρίοις in impressis Theophr. Codicibus desiderantur. Κίστυ autem pro κίστυ legi ex ipso Theophrasto facilè confirmatur, qui alio loco Hederam multiplicem esse tradit, alteram humi nascentem, alteram in altum sese attollentem. Huius tria esse summa genera, cãdidam, nigram, & Helicem. Parum igitur sibi constitisset Theophrastus, qui tot Hederæ genera prodidisset, & aliquanto post duo tantùm, solo sexu discreta retulisset. Hypocistis iuxta vtriusq; Cisti, etiã Ladani radices nascitur, floris Mali punici figura, vel potius Orobãches. Dioscor. Hypocistis Orobethron, aut Cytinus à nonnullis cognominata, iuxta Cisti radices nascitur, floris Mali Punicæ similitudine. Quædã rufa, altera

Cor. Emb. 105. lib. 1. Dioscor.

Hypocistis

herbacea,tertia candida.Liquatur Acaciæ modo. Aliqui tamen exſiccant, fractámque macerant, & incoquunt, reliquáque, vt in Lycio, proſequuntur. Sub Ciſtis maximè naſcitur Hypociſtis, inquit Plinius, ac rurſum: Hypo-
Li.24. c.10. Lib.26.c.8. ciſtis Orobethron quibuſdam dicta, Malo granato immaturo ſimilis. Naſcitur, vt diximus ſub Ciſto, vnde nomen. Hæc arefacta in vmbra ſiſtit aluum
Hipociſti. Vires. Lib.11. ex vino auſtero, nigróque, vtraque: duo enim genera eius, candida, & rufa. Eadem duo genera tantùm poſuit Oribaſius, prætermiſſo eo quod χλωρὸν, id eſt, herbaceum Dioſcorides habet. Fuſchius Paſtillos ex Succino exa-
Lib.2.com. med. minans, Hypociſtida fungum eſſe falsò prodidit. Hypociſtis enim, vt ſcribit
Lib.1.Dioſ. cap.109. Matthiolus,fungus non eſt,ſed veluti germen è Ciſti radicibus pullulans, effigie ferè Punicorum Cytinos referens,vt ſciunt ij qui Ciſtum ſæpe viderunt, & in eius radicibus Hypociſtida, quam colligere ex eáque ſuccum elicere ſeplaſiarios oporteret.Hypociſtis enim qua paſsim omnes vtuntur, adulterina eſt, ex Barbæ hirci radicibus ſucco ab impoſtoribus expreſſo atque inſolato, cui
Matth.ibi. impoſturæ cauſam dederunt Arabes, quod Ciſtum Hirci Barbulam appellent. Ciſtum enim eam eſſe ſtirpem rati, quam Græci τραγοπώγωνα, id eſt, Hirci barbam dicunt,ex eius radicibus adulterinam,vt diximus,Hypociſtida conficiunt.

Locus. Ciſtus in Cypro, Creta,Sicilia, Italia, vt in Hetruria, præſertim in Apennino monte,Gallia Narbonenſi,locis incultis,aſperis,& ſaxoſis prouenit. Ciſti flores
Tempera. & Vires. Dodo.li.6. cap.3. & folia ordine ſecundo deſiccant, & modicè adſtringunt. Hypociſtis eodem prædita eſt temperamento,ſed magis adſtringit. Ciſto, inquit Dioſcor.vis adſtringens ineſt: vnde flores in vino auſtero bis in die poti proſunt dyſenteri-
Li.7.ſimpl. cis, & nomas per ſe illiti cohibent:vetuſtati vlcerum, & igni ambuſtis cum cerato medentur.Hypociſtis vires Acaciæ habet, verùm aliquanto magis ſiccat, & adſtringit. Proinde dyſentericis,cœliacis, ſanguinem excreantibus, fœminarum profluuio & pota, & indita prodeſt. Ciſtus frutex Galeno,eſt guſtu adſtringens,omnibúſque particulatim operibus.Attamen folia,& parua germina trita adeo deſiccant,adſtringúntque,vt vlcera glutinare poſsint. At flores magis ſunt efficaces:itaque cum vino poti dyſenterias, ventris imbecillitates fluxúſque ac humiditates ſanant: cataplaſmatis modo illita vlcerum putredinoſa iuuant. Eſt enim facultas eorum non inſtrenuè deſiccans, feréque ſecundi exceſſus abſoluti. Sic verò frutex hic frigidus eſt, vt tepidi caloris ſit particeps. Porrò Hypociſtis multo magis adſtringit quàm folia, admodum efficax remedium ad omnes fluxionum affectus,puta,ſanguinis reiectiones,muliebria profluuia,cœliacos,dyſentericóſque.Quin ſi quam partem roborare conſilium ſit, quæ ſcilicet pluſculo humore exoluta fuerit, robur ac ſiccitatem illi non ſegniter addit. Sic ſanè ſtomachicis epithematis, hepaticáſque commiſcetur, & ex viperis confecto antidoto inditur, nimirum quia corpora confirmet ac robo-
Li.24. c.10. ret. Ambo(Ciſti genera) diſenterias prodeſſe tradit Plinius,& ſolutionibus ventris,in vino auſtero ternis digitis carpto flore, & ſimiliter bis die poto: vlceribus veteribus & ambuſtis cum cera, & per ſe oris vlceribus. His ſubiungimus longe plures Ciſti ſpecies à Cluſio obſeruatas & traditas, ac primùm Ciſti maris quinque,inter ſe foliorum forma,aut colore differentes. Primus Ciſtus, cuius hic Iconem cum ſua Hypociſtide vides,hominis altitudine,plerúmque fruticat,ligno ſatis fragili,cortice candicante tecto, frequentibus ramis alternatim ſemper ex aduerſo reſpondentibus, eandem etiam ſeriem ſeruantibus foliis,quæ omnino ſunt incana,molliora & longiora in nouellis plantis in adultis verò contractiora,duriora,& aſpera,foliorum Saluiæ modo, mucronata,guſtu adſtringente:Flos eius Cynorhodi,aut Roſæ ſylueſtris magnitudine, quinque foliis conſtans,colore rubro dilutiore, multis ſtaminibus croceis medium florem,

CISTVS MAS
I. Cluſij.

florem, vt in Roſa ſimplici occupantibus. Flori ſuccedunt capitula quædam pentagona, dura, hirſuta & incana, mucronata, in quibus eſt ſemen exiguum, ex rufo nigricans, ſeminis Hyaſcyami, aut Papaueris magnitudine. Ad huius Ciſti radices quæ ſummis ceſpitibus vagantur copioſè naſcitur elegantiſsima omnium Hypociſtis primo vere, cũ Ciſtus iam ad florendum ſe præparat: cum primum è terra emergit, purpureum, ſiue Kermeſinum ſericum eſſe diceres: deinde paulatim aſſurgens, & ſeſe explicans, multum de priſtini coloris elegantia remittit, cum Cytinos ſuos profert, candicantes, turgidoſq; & lento ſucco plenos, qui à Peritis Pharmacopœis in Hypociſtidis ſuccũ denſatur. Frequens eſt hic Ciſtus cum in Hiſpania præſertim Bætica, tum in Luſitania, & Gallia Narbonenſi. Secundus hic quoque depictus eadem altitudine qua ſuperior aſſurgit, interdum etiam maiore, non minus fruticoſo ſtipite, neque minore ramorum frequentia, minùs tamen candicat: folia eodem ordine diſpoſita, molliora, longiora, anguſtiora, & magis acuminata: Flos ſuperiori ſimilis, ex albo purpuraſcens: capitulis & ſemine parum differt. Naſcitur etiam hic in Hiſpania, & diutius reliquis maris generibus florer: illius etiam ramuli teneriores ſub Autumnum, rarulentum quiddam pingue & odorum contrahunt. Tertius ſuperioribus breuior eſt, non minus fruticoſus, ſed tenuioribus ramis, folia ſuperiore breuiora, & dilutioris viroris, rugoſiora, pinguiora, odoratiora, flos aliis ſimilis, dilute rubens, & aliquantulum odoratus: capitula ſuperioribus paulo minora, & ſuis inuolucris (quæ florum calyces ſunt) diutius occultantur: ſemen in capitulis cęteris æquale. In Luſitania ſponte naſcitur ſupra Vlyſsiponem. Quartus hominis altitudine plerumque attollitur, vt reliqui fruticoſus, ramulis aliquantum in canis, folia reliquis maiora, & quaſi orbiculata, hirſuta nonnihil & rugoſa: flores reliquis forma ſimiles, paulo maiores, & colore ſaturatius rubente: capitula hirſuta, dura, pentagona, ſuperioribus maiora, in quibus ſemen rufum maius, quàm aliorum continetur. Reperitur in regno Valentino, atque Arragonia. Quintus humilis eſt, & ſupinus vt plurimùm, pedalibus ramis aut paulo amplioribus, multis ex eadem radice prodeuntibus: folia criſpa, & quodammodo ſinuoſa, candicantia, hirſuta, guſtu

CISTVS MAS
II. Cluſij.

acerbo,

CISTVS MAS
V. Cluſij.

CISTVS FOEMINA
Cluſij.

acerbo,& adſtringente: flores ramulorum ſummitatibus æquali altitudine & quaſi vmbellatim naſcuntur,ſuperioribus paulo minores, ſed eleganti & purpureo colore: capitula reliquis minora, ſuis inuolucris plerúmque contecta ſemen continent reliquis ſimile, ſed atrius. Hunc in Luſitania tantum naſcentem vidit Cluſius, qui Ciſtum fœminam etiam in ſuas ſpecies diſtribuit. Nam aut elatior eſt,& rectis virgis fruticans ſicuti mas, aut ſupina,& humi ſe diffundens. Vtriuſque generis color in flore variat: nam vel candidus eſt magna ex parte, vel luteus, ſeu Ochræ colore. Eſt igitur Ciſtus fœmina frutex ramoſus, cubitum interdum altus, nonnunquam humi ſtratus, gracilibus ramis, nigricantibus, folio non minore quàm in maris quarto genere, ferè rotundo, rudi & aſpero, viridi, ſapore, vt maris adſtringente, & acerbo: flos paulo minor quàm in mare, quinti generis flori ferè ſimilis, albus nonnunquam, interdum luteus, fibris luteis, vt in Roſa ſylueſtri, medium floré obtinentibus: capitula minora & nigriora ſunt quàm in mare, nō acuminata, ſed compreſſa nonnihil ſuperiore parte, ſemen paulo nigrius & ſatis magnum continentia. Eius qui albo eſt flore tum recti tum ſupini magna eſt copia in Hiſpaniis, Luſitania, Gallia Narbonenſi & Aquitania. Qui verò luteum profert, nonnullis duntaxat Hiſpaniæ locis,& extrema Aquitania, Cantabris finitima, circa Baionam viſitur. Aliquot alia Ciſti genera per Hiſpanias & Luſitaniam Cluſius ſe obſeruaſſe ait, quæ ad fœminam potius referenda eſſe putat, quàm ad marem, aut Ledon, quoniam nullo pingui lentore ſint prædita, neque florem Roſeum, ſiue purpureum habeant, niſi fortè quis eam ſpeciem quæ Thymi foliis eſt, inter Ledi genera recenſeat. Horum primus Ciſtus eſt Halimi folio: Is cubitales, aut ampliores profert ramos, graciles, ſatis fruticoſos, in quibus folia Portulacæ marinæ ſimilia, ſed omnino incana vt Halimi, mucrone obtuſiore, ſub acido & adſtringente guſtu. Summi rami multos proferunt flores, quinque foliis conſtantes, colore luteo, cum ſuis in medio fibris, minores quā in ſuperiōribus. Semen in capitulis

Lib. ſtirp. Hiſp. c. 35.

longiuſcu

CISTVS FOLIO
Halimi I. Cluſij.

CISTVS FOLIO
Halimi I I. Cluſij.

longiuſculis, & triangulis exiguum, & ſubrutum. Ad huius radices Hypociſtis naſcitur, lutea omnino, ſiue Ochræ colore, quæ plantæ ipſius florem colore æmulatur. Ciſtus alter folio Hálimi procerior eſt priore, ramis firmioribus, incanis vt priori folia ſuperiore paulo longiora, anguſtiora & magis mucronata, dorſo elatiore, incana tamen tota, & ſicca, guſtu etiam ſubacido, & adſtringente. Vterque frequens eſt in Luſitaniæ ſolo arenoſo, & aura marina afflato, inter Ericas, non procul Vlyſsipone, nuſquam alibi à Cluſio viſus. Ciſtus folio Lauandulæ plerumque cubitali eſt altitudine, admodum ramoſus, ſed breuibus ramis, foliis confertim naſcentibus, anguſtis, incanis, ſapore adſtringenti: Floribus paruis non multum à ſuperiore differentibus, albis. Eſt hic frutex Lauándulæ adeò ſimĩlis, vt niſi ſapor & odor prohiberent pro Lauandula ſumi poſſet. Flores etiam perſpicuè diſtingũt. Hunc ſolummodo in regno Valentino vidit, aridis & petroſis locis, quarto à Valentia miliari, Aprilis initio. Ciſtus folio Sampſuchi planta fruticoſa eſt, multos tenues ramulos proferens: Folia in his parua, pene rotunda, incana, Sampſucho ſimilia, minora paulo, & dorſo eminente, cum quadam aciditate & ſalſedine adſtringentia: Flos in ſummis ramis candidus, copioſus, villis & ſtaminibus luteis, vt in reliquis Ciſti generibus extantibus in medio flore, quinis foliis conſtante

CISTVS LAVANdula Cluſij.

CISTVS FOLIO
Sampſuchi Cluſij.

CISTVS FOLIO
Thymi Cluſij.

conſtante, quorum medium macula ex purpura nigricans occupat: capitula exigua Lini fere, trigona, in quibus ſemen minutum Hyoſcyami, ex nigro candicans, ſiue cinereum continetur: totus ille oblongus ramulus, qui florem & fructum ſuſtinuit, areſcit eo maturo, vt in ſingulis Ciſti generibus. Primus hic repertus eſt in Caſtella veteri, deinde copioſum in Caſtella noua, & toto Bætico agro, inter Tagum & Anam flumina. Ciſtus folio Thymi pedali fruticat altitudine, ramulis ex purpura nigricantibus, duris, lignoſis, qui magna ex parte ſine foliis conſpiciuntur, præterquam circa ſummitates, in quibus confertim naſcuntur, exilia admodum, viridia, Thymi æmula, guſtu adſtringente: Florem ſummis ramis ſuperiori ſimilem, minorem, nullis maculis notatum fert. Viſus hic eſt in extrema Bæticæ parte, qua Caſtellam & Luſitaniam ſpectat. Superioribus plantas duas adiungit Cluſius, quarum priorem Helianthemi albi, alteram Helianthes lutheæ nomine oſtendunt Herbarij. Poſtrema Cluſio eſt ea quæ in vinetorum Salmanticenſium marginibus & Granatenſi regno gignitur, rectis, longioribus, & rarioribus virgultis, foliis amplioribus Helianthemo, & virentioribus,

CISTVS ANNVVS
1. Cluſij.

guſtu

CISTVS ANNVVS alter Lobel.

gustu adstringente: flore pallido, aut albicante, semine minuto, rubescente, in capitulis trigonis. Inuenitur & eodem autore, alia in sylua Madriciana, secundo ab vrbe Lutetia miliari, ad Cisti genus referenda, pedali altitudine, exilibus cauliculis, rectis, tenellis, non admodum ramosis: foliis oblongis, angustis, hirsutis, viresccntibus, quæ cum ramulis per caniculæ æstus, humore quodam pingui & lento obsita sunt: flore pusillo, quinque foliis constante, pallidi coloris, & macula punicante insignibus: capitulis tenellis admodum, triquetris semen pusillum & cinereum continentibus. Hanc Lobellius pictam monstrat. Annua est vtraque hæc postremo descripta planta: vel altero à satu anno floret, deinde perit. Florent Cisti omnes eodem quo mas tempore, & semen etiam ad maturitatem perducunt. Omnibus perpetuum folium, sed eorum flos admodum caducus, statímque senescens: radices duræ, lignosæ, diuisæ, in diuersa tendentes.

LEDVM, CAP. LV.

CIsti Ladaniferi genus λῆδον (sic fortasse dictum, quia folia eius, neque læuia, neque nitida sunt, sed scabra & pannosa: λῆδος enim vestis est ex panno raro & detrito) & λάδον, similiter Ledum & Ladum appellatur, Arabicè *Chasus*. Frutex est, inquit Dioscorides, Cisti modo nascens, longioribus foliis, & nigrioribus, quæ verno tempore quiddam contrahunt pingue. Hunc à superiore, velut diuersum Galenus non distinguit, sed de illo ita tradit. Cistus Ledõ in calidis regionibus prouenies, tametsi haud alius sit genere, quam qui apud nos nascitur, eximiam tamen à regione, ac peculiarem digerentémque caliditatem nactus est, atque vtroque à nostrate differt, tum quia frigiditatem deposuit, tum quia calorem assumpsit. Pingue illud, quod ex eo colligitur λάδανον, Latinis etiam Ladanum dicitur, Officinis Lapdanum, Mauritanis Leden, & Laden dictum, Italis Ladani colligendo modi. *Lodano*, & *Odano*, Hispanis *Xara*. Huius colligendi modos duos prodidit Dioscorides. Cum Cisti frondes pascuntur capræ hircíq;, pinguitudinem ait ille, conspicuè barba carpunt, & suo lentore villosis cruribus adhærescentem reportant: quam depectentes incolæ, colantésque cogunt in offas, & ita recondunt. Alij attractis funiculis, insidentem fruticibus liquorem abstergunt, conglomerántque in Ladanum. Arabia etiámnum & Ladano gloriatur, inquit Plinius. Forte, casuq; & iniuria fieri hoc odoris genus plures tradidêre, Capras maleficum aliàs frondibus animal, odoratorum verò fruticum appetentius tanquam intelligant pretia, carpere germina caulium prædulci liquore turgentia, distillantémque ab his, quasi cæsura succum improbo barbarum villo abstergere. Hunc glomerari puluere, incoqui sole. Et ideo in Ladano caprarum pilos esse. Sed hoc non alibi fieri quam in Nabatæis, qui sunt ex Arabia contermini Syriæ. Recentiores ex auctoribus Strobon hoc vocant: traduntq; sylvas Arabum

Nomina Forma.

Lib. 1. c. 110.

Li. 7. simpl.

Lib. 12. c. 17.

LEDUM

Matthioli.

Lib.26.c.8.

paſtu caprarum infringi, atque ita ſuccum villis inhæreſcere: verum autem Ladanum Cypri inſulæ eſſe: vt obiter quoque genera odorum dicantur, quamuis non terrarum ordine. Similiter hoc & ibi fieri tradunt, & eſſe œſypum hircorum barbis genibúſque villoſis inhærens, ſed Ciſti flore deroſo, paſtibus matutinis, cum eſt rorulenta Cypros. Deinde nebula ſole diſcuſſa, puluerem madentibus villis adhæreſcere, atque ita Ladanum depecti. Sunt qui herbam in Cypro, ex qua id fiat Ladam appellant: etenim illi Ladanum vocant. Huius foliis pingue inſidere: itaque attractis funiculis ſuper herbam eam conuolui, vel, vt alij legunt attractos funiculos ei herbæ aduolui, atque ita offas fieri. Idem Plinius tertium quendam modum Ladani colligendi docet. Lada appellatur herba, ex qua Ladanum fit in Cypro barbis caprarum adhæreſcens. Nobilius in Arabia. Fit iam & in Syria, atque Africa, quod Toxicon vocant. Neruos enim in arcu circundatos lanis trahunt, adhæreſcente roſcida la-

Lib.1. Obſ. cap.7.

nugine. Toxicon à modo colligendi Ladanum hoc dictum eſt: quia Toxon Græcis arcum ſignificat. Et aliam quandam legendi Ladani rationem hodie in Creta vſitatam Bellonius declarat his verbis. Inter ea quæ memoratu digna in Creta ſpectantur, numeranda eſt Ladani conficiendi ratio, inter odoramenta noſtra maximè celebris. Id ex Ledo planta non fit, vt veteres exiſtimauerunt, ſed ex arbuſcula quæ Ciſtus nominatur (quaſi verò Ledon ſpecies Ciſti non ſit) tam copioſa, vt ea Cretæ montes ſint referti. Hæc natura ſua perpetuò virens folia hiberna, floréſque vernos exuit, æſtate noua induit, ferè lanuginoſa, ad ſolis calorem ex vliginoſo quodam rore in ſuperiore parte pinguitudinem quandam contrahunt, quóue maior eſt æſtatis ardor, eo maior huiuſmodi roris copia foliis inſidet. Qui eum colligunt inſtrumento ad id comparato vtuntur, quod vernacula lingua Ergaſtiri appellant, Id raſtello non dentato ſimile eſt, loris multis ex corio non depſato aptatis, & ex eo pendentibus. His loris leniter ea foliis affricando, ros ille adhæreſcit, qui deinde cultello deraditur, loris iis ardentiſsimo ſoli expoſitis. Maior Ladani copia ad radices Idæ montis conficitur in vico qui Cigualinus vocatur, & prope Milipotamum. Hæc Bellonius. Ex ſuprà citatis Plinij locis alia duo licet cognoſcere: nimirum Plinij ipſius errorem, & quibus in regionibus Ladanum proueniret. Quod aperto errore Ciſſon pro Ciſto vſurpauerit, iam oſtendimus. Quid verò apertius quam cum Ladanum Cyprium dicit hircorum barbis genibuſq; villoſis in hærere Hederæ flore deroſo, paſtibus matutinis, rorulenta Cypro. Quin ipſemet indicat Ciſſon, id eſt, Hederam pro Ciſto ſe dixiſſe, cùm ſubiungit, eſſe qui herbam in Cypro ex qua Ladanum fiat, Ledam appellarent? Minimè verò ex Ciſſo, id eſt, Hedera cuiuſuis generis, ſed ex Ciſto Ledo tantum Ladanum legi Dioſcorides, Galenus, cæteríque omnes teſtantur. Quare Hermolao non aſſentior, temerè reprehendi Plinium ſcribenti, quod Hederam vocet herbam, ex qua Ladanum fiat, quòd Paulus Ciſton

In caſt. Pli. lib.12. c.17. & lib.24. c.10. lib.1. Diſc.

hanc

hanc etiam vocet Hederam quandoque, & Dioſcorides herbam vnde Ladanum conficitur, Ciſſarion à quibuſdam vocari tradat, id eſt, Hederulam. Nam ex Ciſſari, ſiue Ciſſarij appellatione Ladanum alia ex planta, quàm ex Ledo fieri, nemo rectè colligat: neque id prætermiſiſſent Dioſcorides & Galenus. Quod ſi alicubi apud Paulum Ciſſos, id eſt, Hedera pro Ciſtos legatur, id ſcribentium errori imputandum, in quem ob nominum. Ciſsi & Ciſti affinitatem facilis eſt lapſus: neque is, Dioſcoridem & Galenum ſecutus ex alia ſtirpe quàm ex Ciſto Ledo fieri Ladanum intellexit. Idem error in Galeni Codices etiam irrepſit, quo loco verſus Rufi Epheſij recitat, de Ladano hæc ſcribentis. Lib.1. c.109. Lib.1. m.p. cap.1.

Ἄλλο δὲ τοῦ κατὰ γαῖαν ἐρέμβων λάδανον εὕροις
Αἰγῶν ἀμφὶ γένυσι, τὸ γὰρ καταθύμιον αἰξὶ
Κίστου ἀνθήενθος ἐπιδμενα ἄκρα πέτηλα.

Quæ ſic vertit Cornarius:

Inuenias in Eremborum quoque Ladanon orbe
Caprarum circamentum: gratiſſimus illis
Succus is è Ciſti folio decerptus amico.

Tertio igitur verſu mendoſe κιστοῦ pro κίστου legitur. Nunc de locis in quibus Ladanum proueniebat, dicamus. Dioſcorides in Cypro optimum naſci ſcripſit, in Arabia Libyáque vilius. Galenus in calidis regionibus gigni, & in Aſia. Plinius. apud Nabatæos Arabas hoc fieri, atque mox verum Ladanum Cypro inſulæ attribuit. Nobilius in Arabia: fieri etiam in Syria, atque Africa: Rufus apud Erembos populos prouenire. Sunt autem Erembi Æthiopiæ populi, qui & Troglodytæ, vtrique ſimili nominis etymo appellati. Siquidem ἐρέμβους ἀπὸ τοῦ ὑπὸ τὴν ἔραν ἐμβαίνειν, id eſt, quod terram ſubeant, & ſub terra habitent dictos volunt: ſicut τρωγλοδύτας ἀπὸ τοῦ τρώγλας δύνειν, id eſt, quod in cauernis condantur. Poſsidonius apud Strabonem ἐρέμβους, & ἄραβας eoſdem eſſe dicit, facta leui nominum commutatione & corruptela, ἐρέμβων nimirum ἀντὶ ἀράβων λεγομένων. Hodie Ladanum in Creta fit, vt diximus. Ledum planta in Gallia Narbonenſi naſcitur, cuius ſpecies à Bauhino reperta hic expreſſa eſt, candicantibus foliis longis, acuminatis, cortice rubente, foliis circa florem luteum multis. Ladanum maximè probatur, inquit Dioſcor. odoratum, ſubuiride, facilè molleſcens, quod arenas non collegit, nec ſquallore obſitum eſt, reſinoſum. Plinius. Probatur maximè purum odoratum, molle, viride, reſinoſum, cui cum diſſimile ſit Ladanum Officinarum, facile intellectu eſt, id minimè ſincerum eſſe, ſed omnino adulteratum, nullarúmque virium. Natura ei ſpiſſandi, vt docet Dioſcorides, calfaciendi, molliendi: ora venarum patefacit: capillum fluentem continet, addito vino, myrrha, & Myrteo oleo: cicatricibus decorem reddit cum vino illitum: medetur aurium doloribus cum hydromelile, aut roſaceo infuſum: ſuffitu ſecundas eiicit:

Lib.1. c.110. Lib.7. ſim. Lib.12. c.17. Lib.16. c.8. Lib.16.

Locus.

Electio. Ibidem. Lib.16. c.8. Ibidem.

Vires.

LEDI SPECIES
Bauhini.

pessis immistum vuluæ duritiam sanat. In medicamenta quæ aurium dolorem tussimque finiunt, & malagmata vtiliter inseritur: aluum sistit cum vino vetere potum, & vrinam ciet. Foliorum vis adstringens, ac eosdem quos Cistus effectus præbens. Ladanum Galeno primo excessu quodammodo completo calidum, vt videlicet & secundum attingat, habet etiam adstrictionis paululum. Adhæc substantia est tenui, ac proinde emolliens, paritérque moderatè digerens, atque etiam concoquens. Itaque mirandum non est, si peculiariter ad vteri vitia conueniat: quandoquidem ad dicta paulum quidam adstrictionis obtinet: quocirca defluentes capillos continet. Nam quicquid ad radices eorum praui humoris insederit, id omne absumit, tum meatus quibus infixi sunt contrahit. Cæterum alopecias & ophthalmias sanare non potest, vtpote maiores & efficaciores vires, quam quæ Ladano insunt, poscentes. Quippe proueniunt istæ ex prauis succis, lentis crassísque, quos siccantia ac digerentia medicamenta potissimum euocant, atque euacuant. Sed tenuium partium sint oportet, non tamen vsque adeo tenuium partium, & desiccatoria, vt nimio plus desiccent, vnáq; cum collectis ibi succis præter naturam, naturalem quoque humiditatem incrementa pilis suppeditantem absumant. Nam sic non tantum alopecia liberarent, sed & caluitiem afferrent. Natura Ladano molliendi, Plinioteste, siccandi concoquendi, somnum alliniendi. Capillum fluentem cohibet, nigritiamq; custodit. Auribus cum Hydromelite, aut rosaceo infunditur. Furfures cutis, & manãtia vlcera sale addito sanat. Tussim veterem cũ styrace sumptum. Efficacissimum ad ructus. Ladanum Cyprium potũ interaneorum vitiis occurrit: cicatrices cum elegantia ad colorem reducit, suffitu corrigit vuluas: dolori earum exulceratísque imponitur. Præter hasce Cistos semper virentes rarior alia species quædam Ladanifera depicta est, à Pena & descripta, virgis,

Li.7. simp. Tempera. & Vires.

Lib.26.c.7.

Lib.26.c.8. Li.26.c.14.

CISTVS LEDON aliud latifolium Pena.

CISTI LEDI ARbor peregrina Pena.

surculis

ſurculis,foliis multò craſsioribus,latioribus,lõgioribus,Rhois Plinij, aut Ruſci modo fruticans,ſemine tricocco:multa laſciuit in mõte quopiá celſiſsimi agri ſterilis Seuenæ,cui nomen S.Columbæ,alioqui guſtu Ciſti Ledi, & odore nonnihil graui. Idem arboris peregrinæ ramulum pingendum curauit, Ciſti Ledi folio, extremis virgultis lignoſis,Ciſto ſimilibus, & eiuſdẽ coloris, folio rugoſo, oblongo,Saluiæ, aũt Menthæ : in ſummis ramulis villoſos prorſus ſphæricos globos oſtentantibus,ſiue lanoſa capitula Platani. Hæc Pena. Cluſius multò plures Ciſti Ledi ſpecies deſcripſit. Primum Ledon, inquit, fruticat ad hominis altitudinem, quam etiam interdum ſuperat,ramis frequentibus, lignoſis, duris, nigris.Folia,vti rami, ex aduerſo ſita, oblonga, tranſuerſum digitum quandoque lata, nonnunquam etiam latiora, ſuperne nigra, inferne candicantia, quæ cum tenellis ramulis pingui quodam,odorato, calidoq; & pellucido liquore adeò copioſo aſperſa ſunt, vt procul etiam conſpici poſsit, & octaua miliaris parte odor naribus percipi.Flore eſt inter reliqua Ciſti genera pulchertimo & latiſſimo, magnæ Roſæ amplitudine, ſimplici quoque foliorum textura,omnino interdum candido,ſed cuius maxima ex parte folia ſingula, circa vnguem purpurea nigricantéue macula,rhomboide, nunc maiore & latiore, nunc minore & anguſtiore inſignita ſunt: floris vmbilicus multis fibris croceis plenus, vti reliquorum Ciſti generum : capitula in longis pediculis, foliorum delapſum omnium maxima viſuntur rotunda ferè, & plana,non mucronata, ſæpenumero decagona, dura, intus flaueſcentia, quibus dehiſcentibus ſemen decidit copioſum,ſubrufum, omnium minutiſsimum. Creſcit in multis Hiſpaniæ & Luſitaniæ locis frequentiſsima.Alterum genus vbi Sponte naſcitur non tam alte fruticat,ſed bicubitalibus duntaxat aſſurgit ſtolonibus,ramis multis,fragilibus, foliis omnium maximis, virentibus ſuperne, nonnihil inferne candicantibus, Hederæ foliorũ ſpeciem interdum, & Populi nigræ plerumque æmulantibus, ſatis carnoſis & rudibus, hyeme nonnihil rubentibus, guſtu ſubacido, & adſtringente:Flos Ciſti fœminæ, cum forma, tum magnitudine, candidus:capitula pentagona,acuminata,ſemine exili & nigricante referta.Huius generis alia ſpecies reperitur per omnia ferè ſimilis, ſed humilior,

CISTVS LEDVM
I. Cluſij.

LEDVM II.
Cluſij.

neque cubitum excedens, foliis etiam minoribus: alioqui neque facie, neque flore, neque semine, neque sapore dissimilis. Vtraque nascitur in Mariano monte, per quem transeunt qui Vlysipone Hispalim proficiscuntur. Reperitur etiam in collibus Granatæ vicinis. Tertium semine ex Italia missō Ledi Cyprij nomine in Belgio natum est, cubitali, interdum maiore amplitudine, fruticosum, ramis nigricantibus, foliis carnosis, in viridi nigricantibus, mediæ inter primi & secundi generis folia magnitudinis, breuioribus tamen quàm vtriusque, & rhomboide quodammodo figura, quæ cum nouellis ramis lento & viscida humore obsita sunt, non adeò tamen copioso & denso, neque etiam adeo odorato, vt in primo genere: flos albus secundo generi similis, semen etiam exile, nigricans in capitulis rotundis. Cistus Ledō populnea fronde à Lobellio depictu est, & secundo modo descriptum cultu fortasse, duntaxat diuersum. In Belgij horto viret: odore grato Ledi Gallici, folio latiore quàm superioris. Flos non dissimilis, sed fruticat ad hominis, sæpè proceritatem, quam & interdum superat. Hęc Lobellius. Quartum genus multis ramis fruticat, cubito longioribus, lentis & flexilibus, hirsutis, albicantibus: folia reliquis Ledi generibus molliora, ad Cisti fœminę folia accedentia, verum angustiora, hirsuta, nigriora, & pingui lentóque succo conspersa, non modò verno tempore, sed etiam per totam æstatem: flos candidus, Cisti fœminæ flore non minor, nec absimilis: capitula exigua membranosis, quibusdam & laxis inuolucris tecta semen continent omnium, maximum, nigrum. Nusquam hoc genus quam in Castella veteri inuentum Clusio, vicinis pago S. Martini del Castannal locis, vbi Ardiuieja nuncupatur. Quintum genus eodem quo quartū assurgit modo, verū ramis duris, lignosis, nigricātibus, foliis longis Oleæ angustioribus, nigricantibus, pinguibus, & cū nouellis ramulis lento humore cōsperſis: flos albus, omnium ferè minimus: capitula oblongiuscula, anguloſa, in quibus semen ex rufo nigricans, exiguum. Nihil isto Ledi genere vulgatius toto regno Valentino, & Gallia Narbonensi: in pleríſque etiam aliis Hispaniæ & Lusitaniæ locis reperitur. Sextum ferè simile est quinto breuius paulo, minoribus angustioribúsque foliis, lento etiam humore aspersis: flos maior:

CISTVS LEDON
III. populnea fronde.

LEDVM IIII.
Clusij.

quinque

LEDVM V. Cluſij.

LEDVM VII. Cluſij.

quinque foliis conſtans, candidus: ſemen etiam ſimile. Septimum cubitale eſt, multis & frequentibus ramis fruticans, colore cinereo, frequentiſsimis foliis ramos ſepientibus, Roriſmarini coronariæ, ſed omnino caneſcentibus, & hiſpidis, non tamen minus pinguibus & glutina illitis cum ſuis tenellis ramulis quàm quintum genus: flos in ſummis ramis copioſus, candidus, ſuperiori ſimilis: ſemen etiam non diſsimile. In Valentiæ regno hæc duo poſtrema gignuntur. Octauum genus eadem qua ſuperius magnitudine creſcit, ramis tamen magis expanſis: & foliis tenuioribus, ſuperna parte ex atro virentibus, inferna verò candicantibus, Roriſmarini coronariæ ferè æmulis, ſed guſtu adſtringentibus tametſi lento quodam humore & pingui ſint cum tenellis ramis obducta: flores numeroſi ſecundum ramorum longitudinem, quinque foliis conſtantes, exigui, lutei: ſemen in exiguis capitulis ex cinereo nigricans. Reperitur hoc frequens in incultis illis locis citra Tagum, ſupra Vlyſsiponem, cum Ciſto foliis Halimi, & aliis nonnullis Bæticæ locis. Nonum minus eſt ſuperiore: folia paullo maiora, neque ſubtus incana vt in octauo, rariora item, & magis glutinoſo ſucco madida: ramuli quibus flos inhæret tenues, & ex ſucci, planéque retorridi, in quibus capitula. Decimum attollitur pedali duntaxat altitudine: ramulis exilibus, lignoſis, & ſatis fragilibus, nigricantibus, pinguibus, & lentore quodam ſaliuoſis: folia

LEDVM VIII. Cluſij.

LEDVM IX. Cluſij.

LEDVM X. Cluſij.

longe minora quàm in nono, non multum à Thymi foliis diſsidentia: in oblõgis ramulis flores, deinde capitula exigua quaſi vmbellæ ſpecie prodeunt. Naſcuntur hæc duo poſtrema in extrema Bæticæ parte qua Caſtellam ſpectat. Non minus perpetuo folio ſunt iſta Ciſti genera quam mas & fœmina.

MYRTVS, CAP. LVI.

Nomina

MYRTVS & Murtus Latinis, Græcis μυρσίνη, & μυρρίνη nominatur à Myrſine Athenienſi puella pulchritudine & robore inſigni, amica Palladi, quam iuuenis ab ea curſu & paleſtra ſuperatus interemit, inuidia ductus, quod elegantia, cæteriſque naturæ dotibus reliquis virginibus præſtaret. Arbuſcula in demortuæ vicem ſucceſsit, ſemper, vt olea, Mineruæ chara. Quidam ſic vocatam volunt, auctore Pena, propter æmulam Myrrhæ quandam odoris gratiam, in eius baccis recentibus. Dicitur etiam, inquit Hermolaus, Myrſinos, item Phibaleos ab Antiphane ſed & Myrton ab Archilocho. Ab Arabibus, *Aes, Alas, As,* à Gallis *Myrte,* & *Meurte,* ab Italis *Myrto,* ab Hiſpanis *Murta,* aut *Raiam.* Myrti genera ſunt multa. Eſt enim Myrtus ſylueſtris, & Myrtus ſatiua: Hæc vero, nigra, & candida. Sylueſtris itidem alia nigra, alia candida. Sed hic Lectores monitos eſſe volumus, cum de ſylueſtri Myrto loquimur, non de Ruſco, qui ſylueſtris & acutã Myrtus Dioſcoridi & Plinio dicitur, nos intelligere, ſed de vera Myrto ſylueſtri, quæ ſatiuæ opponitur. Hæc duo Myrti genera quamuis Dioſcor. non expreſſerit, tamen cùm dicit, Myrtus ſatiua nigra vtilior eſt, &c. atque rurſum, è Myrto nigra ſylueſtri, aut ſatiua, &c. ſylueſtrem etiam eiuſdem generis eſſe indicat. Sylueſtri quidem Myrto Tyrrheni maris litora vireſcunt. In toto Liguſtico, Neapolitano, & Romano tractu Myrti ſponte proueniunt. Naſcuntur etiam copioſè in Gallia Narbonenſi, maximè qui in parte eius maritima, quam Prouinciam vocant. Seruntur etiam in hortis à plurimis in Italia. Myrtus frutex

Corol. 157. li. 1. Dioſc.

Genera.

Li. 1. ca. 118.

Lib. 1. ca. 57.

Forma

Pœtarum

MYRTVS.

Pœtarũ carminibus celebris, ſed viribus quas in medendo præſtat multo clarior. Quæ ſatiua eſt, in aliquam proceritatem, ſi ſtudioſè colatur, adoleſcit, atque etiam arboreſcit, ramis flexilibus, rubro cortice: foliis longiuſculis, perpetuò virentibus, Punicæ æmulis, aut lentiſco vel buxo ſimilibus, acuminarioribus tantùm, guſtu aromatis aliquid præſe ferentibus, & odoratis, quæ in nigra Myrto nigriora, in candida candidiora ſpectantur. Flores omnibus ſunt candidi, & odorati. Baccas fert vtraque Myrtus ſatiua oblongas, agreſtes Oleas quadantenus referẽtes, multo ſanè ſylueſtribus maiores, & ſi aliter ſentiat Marcel. hac in re experientiæ repugnans, quæ docet Myrta ſatiuarum, aliarum ſtirpium more, cultu manſueſcere, atque grandiores vegetiorés que baccas à Myrtis ſatiuis edi. Sylueſtris Myrtus forma haud multùm ſuperiori diſsimilis minor eſt frutex, foliis Buxo ſimilibus, minoribus, anguſtioribus, nec tam ſaturatæ viriditatis: floribus candidis. Baccas candidas, vel in purpura albicantes candida, nigra nigras parit. Vnde & Ouid.

Matth. li. 1. Dioſc. c. 128.

Myrtea ſylua ſubeſt bicoloribus, obſita baccis.

Hæ μύρτα Græcis dicuntur, Latinis Myrta & Murta, Officinis Myrtilli. Sunt veteribus plura Myrti genera, de quibus fuſe Plinius, ſed hæc imprimis ſcripſit. Fuit (Myrtus) vbi nunc Roma eſt, inquit, iam tum cum conderetur. Quippe ita traditur Myrtea verbena Romanos Sabinóſque, cum propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos in eo loco qui nunc ſigna Veneris Cluacinę habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant. In ea quoque arbore ſuffimenti genus habetur, ideo tũ electa, quoniam coniunctioni, & huic arbori Venus præeſt. Cato tria genera Myrti prodidit, nigram, candidam, coniugulam (in noſtris Catonis exemplaribus Myrtum, nigrum, candidum, coniugulum legimus maſculino genere) fortaſſe à coniugiis ex illo Cluacinæ genere. (Alij coniugulam dictam volunt, quod opere topiario cum pergulis & parietibus hortorum elegantiſsimo ſpectaculo aptiſsimè coniũgatur.) Nunc & alia diſtinctio, ſatiuæ & ſylueſtris. Satiuarum genera. Topiarij faciunt. Tarentinum folio minuto, noſtratem patulo, exoticam denſiſsimo, ſenis foliorum verſibus. Hæc non eſt in vſu: ramoſa vtraque alia. Coniugulam exiſtimo nũc noſtratem dici. Hæc Plinius: Huius Myrtum Tarentinam & Exoticam ſibi notas Matthio. his

Li. 15. c. 29.

MYRTVS Tarentina.

Capitu. 133.

Li. 1. Dioſc. cap. 128.

MYRTVS MINIMA
Angustifolia.

MYRTVS
Exotica.

his picturis repræsentauit, ac descripsit. Tarentina Myrtus, inquit, à Tarento Apuliæ ciuitate dicta, folio est nostrate longè minutiore robustioréque: fructu minore, copiosiore, in summitate pluribus apicibus coronato, colore ex nigro purpurascente, minutis, crebris, albicantibúsque intus osiculis. floribus vulgari Myrto similibus. Myrtus minor, Gallis *Myrte petit*, Italis *Myrto mortella* dicitur. Eius differentias aliquot facit Lobellius: harum vna est Myrtus minima, foliolis angustis Thymi Cretensis, longioribus. Exotica Myrtus Plinij pluribus foliorum versibus, nunc in Italiæ hortis & viridariis colitur, folio nostrati non absimili, dilutione tamen, acuminatiore, copiosioréque, & adeo denso, vt eo rami vndique stipentur, fructum fert oblongum vulgari Myrto haud absimilem. Vtraque topiariis operibus peridonea est, viréque eadem quas nostras habet. Clusius cum in Hispaniis, tum aliis locis multo plura Myrti genera obseruauit. Vnum ramis satis crassis, foliis duplici serie rarius dispositis, magnis, vt interdum ad Lauri tenuifoliæ aut Arbuti foliorum amplitudinem fere accedant, colore dilutius paulo virente, odoratis. Rarius hoc floret aut fructum fert, quoniam eo sepibus texendis, quas tondere solent, plerúmque vtantur. Nusquam id genus visum Clusio, nisi in cœnobio quodam Hispali, & in lætissimis

Forma tarẽtina.

MYRTVS BAETICA
Latifolia domestica II. Clusij.

Exoticæ,

Libr. stirp. Hisp. ca. 33.

Maurita

MYRTVS BÆTICA
sylueſtris Cluſij.

Mauritanorum Grauatæ viridariis, omnibus ſepibus ex illo Myrti genere confectis, & ex alio quodam huic non multum diſsimili, minoribus tamen foliis, & paulo denſioribus, hîc depicto, & quod Myrtum Bæticam, Latifoliam, domeſticam, ſecundam vocauit. Idem aliam quoque pinxit Myrtum Bæticam ſilueſtrem non adeo denſe fruticantem, neque admodum ſeſe attollentem ramis tenuibus, & fragilibus: foliis mucronatis, duplici ſerie rarius circa ramos naſcẽtibus, nigricantibus, odoratis, flore aliis ſimili, candido: fructu rotundo, oblongis pediculis ex foliorum alis prodeunte, inhærente tenacius, copioſa, primùm viridi, deinde candicante, per maturitatem verò nigro, vinoſo, grati admodum cũ adſtrictione quadam ſaporis. Sponte prouenit in pleriſque agris & collibus Bæticæ, ad Anam flumen ſitæ, & Luſitaniæ, adeo copioſè, vt per aliquot miliaria nulli ferè alij frutices conſpiciantur. Octobri interdum florent, ſed maxima ex parte fructu tum onuſta eſt. Myrtus celerrimè à frigore vritur, auctore Theophraſto. quamobrem nulla in Olympo, nulla in Ponto gignitur, etiam ſi ſummo ſtudio, adhibitáque omni ſolertia etiam religionis cauſa conſeuerint. Circa Boſphorum Cimmerium, inquit Plinius in Panticapæo vrbe omni modo laborauit Mithridates Rex, & cæteri incolæ ſacrorum certè cauſa Laurum, Myrtúmque habere, quod non contigit. Montes igitur, & frigidos tractus odit. Tamen partim in mediterraneis, ſcilicet hortis, viridariis, vinetis diligenti cultu maximè prouenit, partim in amænis ſtagnorum & lacuum ripis, ſine vllo cultu edita mirè proficit, ſed maximè in litoribus marinis. Quamobrem Veneri ſacra eſt, quæ & è mari orta dicitur: hinc & arbor ſacra coniugio. Circæum promontorium excelſum refert Theophraſtus Myrtis abundare, quod Circen incoluiſſe tradunt indigenæ, & tumulum Elpenoris monſtrant, ex quo Myrti enaſcuntur humiles, ac veluti coronariæ, cum cæteræ magnæ ſint. In hoc tumulo ex omnibus Europæ locis primùm viſam fuiſſe Myrtum tradit Plinius. Græcúmque ei nomen remanſiſſe, quo peregrinam eſſe apparet. Myrtus etiam vmbras amat, vt ſcribit Theophraſtus. Præter baccas Myrtus Myrtidanum producit tanquam appendicem quandam Dioſcoridi, ſeu adnatum tuber inæquabile, verrucoſum, intumeſcens, & concolor, quod perinde quaſi manus Myrti caudicem amplectitur. Id, inquit Matthiolus, notiſsimum eſt, vbi Myrtus frequens naſcitur. Galenus Myrtada appellat, Paulus Myrtida. Sed in Gloſsis Hippocraticis idem Galenus Myrtidanum à pleriſque piper appellari ſcribit, & citato hoc Dioſcoridis loco, in quo appendicem circa Myrti truncum eſſe ait, ſubiungit. Hippocrates tamen fructum ex planta ſic nominat, quem ipſe à Perſis Piper appellatum eſſe dicit. Eſt autem id aliquot locis apud Hippocratem, ex quibus hi duo ſunt inſigniores. Προσεθὲν ἢ κάκκυς ἐκλέψαντα, ὅσον τριάκοντα, ἰνδικῦ φαρμάκου τοῦ τῶν ὀφθαλμῶν, ὁ καλέεται πέπερι, καὶ τῦ σμυρνίνης, ἑκάτερα τρία. Τἄυτα λεῖα τρίβειν, καὶ ὄινῳ παλαιῷ χλιηρῷ δλύειν, βαλάνιον περὶ πλερὸν ὄρνιθος τιθέναι, καὶ ὧδε προσάγειν: quæ ſic reddi poſſunt. Subditicium. Aut graua Cnidia triginta detracto cortice, &

Locus.
Li. 4. Hiſt. ca. 6. & li. 5. auſc. 18.
Lib. 16. c. 32.
Lib. 5. Hiſt. cap. 9.
Li. 15. ca. 29.
Lib. 3. cauſ. cap. 8.
Myrtidanum.
L. 1. ca. 128.
Ibidem.
Lib. 7. ſim.
Libr. 7.
Lib 1. mor. mul.

Indici

Indici pharmaci oculorum, quod vocatur piper, & rotundi, vtriusque grana tria. Hæc autem terito, & vino veteris diluta, instar glandis circa gallinæ pennam formato, & sic adhibeto: acrursum: προσεθὲν ἐκλέψας κόκκους τριάκοντα, τὸ ἰνδικὸν, ὃ καλέουσιν οἱ πέρσαι πέπερι, καὶ ἐν τετάρῳ ἴσῳ τρογγύλον, ὃ καλέουσι μυρτίδανον ξὺν, γάλακτι γυναικείῳ ὁμοῦ τρίβειν, καὶ μέλιτι δλύναι: ἔπειτα ἔριον μαλθακὸν καὶ καθαρὸν ἀναφυρήσας περὶ πλερὸν πτερυλίξας προσθεῖναι. Hoc est, Grana Cnidia decorticata triginta, Indicum quod piper Persæ vocant, & in hoc inest rotundum, quod appellant Myrtidanum, cum lacte muliebri simul terito, & melle diluito: Deinde lana molli ac pura excepta, & pennæ aduoluta subdito. Græca hæc quidam sic legunt: priore loco: ἰνδικοῦ φαρμάκου ὃ καλεῖται τῶν ὀφθαλμῶν, Indici medicamenti quod oculare vocatur, nempe Lycij, καὶ τοῦ πεπέρεος τοῦ τρογγύλου: posteriore verò: τριάκοντα, καὶ ὃ καλέουσι πέρσαι τὸ ἰνδικὸν: πεπερὶ, καὶ τοῦτο μὲν τρόγγυλον, καὶ ὃ καλέουσι μυρτίδανον: &c. At Plinius Myrtidanũ vinum esse scribit, ex siluestris Myrti baccis factum. Attamen alio libro, Myrtidanum, inquit, diximus quomodo fieret: Et mox subiicit eius vsum, eadem tradens de Myrtidano vino, quæ Dioscorides scripsit de suo Myrtidano trunci Myrti appendice. Vuluæ, inquit, prodest appositu, potu, & illitu. Multo efficacius & cortice, & folio, & semine. Galeno Myrtus ex contrariis substantiis constat: vincit tamen in ea frigidum terrenum. Habet verò etiam tenue quiddam calidum. Itaque valenter desiccat. Porrò ramis & trunco adnascens tuber, quod quidam Myrtada nuncupant, quanto dictis siccius est, tanto & desiccat, & adstringit vehementius. Quidam id tundentes reponunt, postea vino subigentes in pastillos formant, folia item arida viridibus plus desiccant: miscetur enim virentibus humiditas quædam. Porrò succus non tantùm ex virentibus foliis exprimitur, sed & fructu. Adstringendi vim hæc omnia habent, tum foris imposita, tum intro sumpta, quod scilicet nullam deleteriam, aut purgatoriam substantiam habeant admixtam. De iisdem hæc. Vis & Myrti & fructus adstringit Dioscoridi, fructus viridis aut aridus in cibo datur sanguinem excreantibus, & vesicæ erosionibus. Succus ex virentibus baccis expressus eosdem effectus exhibet: stomacho vtilis: vrinam ciet: prodest contra phalangij morsum, & scorpionis ictus in mero. Seminis decoctum capillum tingit. Ius decocti in vino vlcera in extremis membris nata sanat: oculorum inflammationes illitum cum polentæ polline lenit: contra ægilopas illinitur: crapulam arcet præsumptum vinum, quod feruefacto aliquantum eius fructu exprimitur, alias enim acorem contraheret. Præstat eundem semen effectum: vtile procidentiæ vuluarum in desessionibus, sedis vitiis, & fœminis fluxione vuluæ laborantibus: purgat furfures, vlcera capitis manantia, atque eruptiones papularum: fluentes capillos continet. Additur quoque in medicamenta quas Liparas vocant, vti oleum, quod ex foliis eius fit. Decoctum foliorum ad desessiones balnearum conuenit, & contra laxatos artus, & male solidescentes. Eo fracta ferruminationi repugnantia vtilissimè fouentur: vitiligines emendat, purulentis auribus infunditur, & capillos denigrat. Succus eorum eadem efficit. Trita folia, & ex aqua illita humidis vlceribus, & partibus omnibus fluxione laborantibus, cœliacísque prosunt: & admisto omphacino oleo, aut exiguo rosaceo, cum vino, ad vlcera serpentia, ignem sacrum, testium inflammationes, epinyctidas, & condylomata. Arentium foliorum farina vtiliter inspargitur paronychijs, pterygijs, & contra alarum fœminúmque madores: cardiacorum sudores cohibet. Folia cruda seu cremata cum cerato, ambustis, paronychijs, pterygijsque medentur. Exprimitur folijs succus affuso vetere vino, aut aqua cælesti, cuius recentis vsus est: nam exiccatus planè cariem sentit, & vires amittit. Myrtidanum magis quàm

Li. 2. mor. mul.

Lib. 14. c. 16.

Li. 23. ca. 8.

Cor. Emb. 125. lib. 2.

Li. 1. ca. 128.

Lib. 7. fin. *tempera.* & *Vires.*

Lib. 1. c. 128.

Myrtus

Myrtus adſtringit. Tuſum addito auſtero vino reponitur, coactúmque in paſtillos ſiccatur in vmbra: multò efficacius & folio, & ſemine, cerato, peſsis, inſeſsionibus, cataplaſmatis admixtum, vbi adſtringendum aliquid eſt. Eadem etiam de Myrto, & quædam alia Plinius tradidit, ſed multùm confuſa, quædam etiam repetita. Semen Myrti, inquit, medetur ſanguinem excreantibus. Item contra fungos in vino potum. Odorem oris commendat, vel pridie commanducatum. Item apud Menandrum Synariſtuſæ hoc edunt. Datur & dyſentericis denarij pondere in vino. Vlcera difficilia in extremitatibus corporis ſanat cum vinó ſubferuefactum. Imponitur lippitudini cum polenta, & cardiacis in mamma ſiniſtra, & contra ſcorpionis ictus in mero, & ad veſicæ vitia, capitis dolores, & Ægylopas, antequam ſuppurent. Item tumoribus, exemptiſque nucleis in vino vetere tritum eruptionibus pituitæ. Succus ſeminis aluum ſiſtit, vrinam ciet. Ad eruptiones puſtularum, pituitæque cum cerato illinitur, & contra phalangia. Capillum denigrat. Lenius ſucco oleum eſt ex eadem Myrto. Lenius & vinum quod nũquam inebriat. Inueteratum ſiſtit aluum & ſtomachum, tormina ſanat, faſtidium abigit. Foliorum arentium farina ſudores cohibet inſperſa, vel in febri: vtilis & cœliacis, & procidentiæ vuluarum, ſedis vitiis, vlceribus manantibus, igni ſacro fotu, capillis fluentibus, furfuribus: item aliis eruptionibus, ambuſtis. Additur quoque in medicamenta, quæ Liparas vocant, eadem de cauſa, qua oleum ex his, efficaciſſimum ad ea quæ in humore ſunt, tanquam in ore, & vulua. Folia ipſa fungis aduerſantur trita ex vino, cum cera verò articularibus morbis, & collectionibus. Eadem in vino decocta dyſentericis, & hydropicis potui dantur. Siccantur in farinam, quæ inſpargitur vlceribus, aut hæmorrhagiæ. Purgant & lentigines, pterygia, & paronychias, & epinyctidas, condylomata, teſtes, tetra vlcera: item ambuſta cum cerato. Ad aures purulentas & foliis crematis vtuntur, & ſucco, & decocto. Comburuntur & in antidota: item cauliculi florentes decerpti, in nouo fictili operto cremantur in furno, dein teruntur ex vino. Et ambuſtis foliorum cinis medetur ex vino. Inguen ne intumeſcat ex vlcere, ſatis eſt ſurculum tantum Myrti habere ſecum, non ferro, nec terra contactum. Exprimitur & ſuccus è foliis molliſsimis in pila tuſis, affuſo paulatim vino auſtero, aliàs aqua cæleſti: atque ita expreſſo vtuntur ad oris ſedíſque vlcera, vuluæ, & ventris, capillorum nigritiam, alarum perfuſiones, purgationes lentiginum, & vbi conſtringendum aliquid eſt. Sic enim legendum pro malarum perfuſiones, vt vulgati codices habent. Eſt enim id quod Dioſcorides dixit: χρίεται καὶ χαθύγροις μαχάλοις, καὶ μυρσῖς. Eſt etiam ibidem legendum, Additur quoque in medicamenta, quę Liparas vocant. Intelliguntur enim medicamenta, ſiue ἔμπλαστρα λιπαρά, quæ Celſus Lenia emplaſtra appellare maluit quàm pinguia, Plinius Græcam appellationem hîc retinuit, & alio in loco: Additur in medicamenta quæ vocant Liparas. Dicuntur autem λιπαρὰ ἔμπλαστρα, ob adipis ſuilli, aliarúmque pinguitudinum, & oleorum admixtionem, & contrà, quæ hæc non habent, aut omnino parum ἀλίπαντα dicantur. Celſus de emplaſttis quæ protinus vulneribus iniiciuntur. Conſtant autem ex medicamentis non pinguibus, ideóque ἀλίπαντα nominantur, quanquam alipenæ corruptè eo in loco legitur. Succorum natura præcipuam admirationem in Myrto habet, inquit rurſum Plinius, quando ex vna omnium, olei viníque bina genera fiunt item Myrtidanum, vt diximus. Et alius vſus baccæ apud antiquos fuit, antequam Piper reperiretur, illius obtinens vicem, quondam etiam generoſi obſonij nomine inde tracto, quod etiam nunc Myrtatum vocant. Eadémque origine aprorum ſapor commendatur, plerúmque ad

Lib. 24. c. 9.

Corn. Embl. 124. libr. 1. Dioſcor.

Corn. libr. 1. in p.

Lib. 5. ca. 19.

Lib. 33. c. 6.

Ibidem.

Li. 15. c. 29.

Myrteum condim. intinctus additis Myrtis. Veterum exemplo Hetruſcæ mulieres, inquit Matthiolus, ex Myrti baccis bene maturis ciborum intinctus parant, qui cum aſſatis carnibus eſitati maximam cum palato ineunt gratiam. Myrteum hoc condimentum languidos ventriculos roborat. Quare & cœliacis, & dyſentericis vtile eſt, & fœminarum fluxiones quaſcunque cohibet. Fiebat & olim tum Myrtites vinum, tum oleum Myrteum. Illud obſoleuit, hoc hodie quoque in vſu eſt. Quod per expreſsionem baccarum Myrti conficitur, adſtringit, & ſiccat: quod ex oleo & Myrtis, aut Myrti ſucco compoſitum eſt, aſtringit ſolum à Myrtis, digerit ab oleo. Myrti folia, Matthiolo, baccarúmque ſemen tritum, contra fungorum ſtrangulationes mirificè valent: foliorum autem baccarúmve decoctum calidis collectionibus ſuccurrunt, ſcilicet eryſi pelatibus & herpetibus. baccæ quoquomodo hauſtæ aut deuoratæ corroborant, & eius tremori valde conferunt: folia ſicca vruntur in fictili crudo, quouſque in cinerem albiſsimum redigantur, deinde lauantur, ac pro ſpodio, & pompholyge ſupponuntur. Ex Myrti floribus deſtillata aqua odoris ſuauitate præſtat, myropolis multum expetita. Ea tamen longe ſit odoratior, ſi ex Myrti Ægyptiæ floribus eliciatur: quia Myrtus odoratiſsima eſt in Ægypto, vt ex Theophraſto ſcripſit Plinius. Myrto in Hetruria pelles perficiuntur, denſantur, criſpantur, atque craſſeſcunt. Bellicis quoque ſe rebus Myrtus inſeruit, vt prodidit Plinius, triumphánſque de Sabinis Poſthumius Tubertus in conſulatu (qui primus omnium ouans ingreſſus vrbem eſt, quoniam rem leniter ſine cruore geſſerat) Myrto Veneris victricis coronatus inceſsit, optabilémque arborem etiam hoſtibus fecit. Hæc ouantium poſtea fuit corona, excepto M. Craſſo, qui de fugitiuis & Spartaco Laurea coronatus inceſsit. Maſſurius auctor eſt curru quoque triumphantes Myrtea corona vſos L. Piſo tradit Papyrium Maſſonem, qui primus in monte Albano triumphauit de Corſis, Myrto coronatum ludos Circenſes ſpectare ſolitum. Ma. Valerius duabus coronis vtebatur Laurea, & Myrtea.

Plin. li. 14. cap 16. Dioſc li. 5. Myrtites vinum. Oleũ myr. Solu. in lib. 3. Antid. Meſu.

Ibidem.

Theophr. lib. 6. Hiſt. cap. 7. & li. 2. cauſ. ca. 15. Plin. lib. 15. cap. 29.

Lib. 15. c. 29.

RVSCVS, CAP. LVII.

Nomina VT Latinis Ruſcus & Ruſcum, officinis addita litera, licet corruptè, Bruſcum vocatur, Græcis μυρσίνη ἀγρία, ideſt Myrtus ſylueſtris, & ὀξυμυρσίνη, ideſt acuta Myrtus, & μυρτάκανθα. Alij, inquit Plinius. Chamæmyrſinen vocant, alij Acaron à ſimilitudine: eſt enim breuis, & fruticoſa. A Theophraſto χειλομυρρίνη nominatur, ab Arabibus qui Cubebas cum Ruſco confundunt, Cubebæ, ab Italis *Ruſco*, & *Pongitopi*, quod arcendis muribus à ſalſa carne appenſa circum ligetur, à Germanis *Bruoſch*, ab Hiſpanis *Insbarba*, à Gallis quibuſdã *Bouys piquant*, ab Anglis *Kuchull*, & *Kuchulme*.

Lib. 3. Hiſt. cap. 17.

Forma. Humilis eſt frutex, lignoſus, radice alba, ramoſus, ſtipitibus rotũdis, cortice fuſco, tectis, & ſpiſſo: foliis dẽſis, nigricãtibus, ſpiſsis, Myrto, aut Buxo haud multũ diſsimilibus, ſed duris, mucrone aculeatis, rigentibúſque. Quare horridum Ruſcũ Virgilius dixit, & aſpera Ruſci vimina. Fructus in foliis ipſis creſcit, ruber, duro intus ſemine. Dioſcorides, Ruſcus Dioſcoridi folium fert Myrti, latius, in formam lanceæ mucronatum. Baccæ per maturitatem rubeſcunt, rotundæ, à medio folio pendentes, oſſeo intus nucleo: cubitales ramuli ab radice exeunt, vitilium modo lenti, fractu contumaces, folioſi: radix gramini ſimilis, acerba, & ſubamara: in qua Ruellij verſione baccæ à medio folio pendentes haud rectè dicuntur, cum Græcè legamus, καρπὸν ἔχει ἐν μέσῳ τῷ φύλλῳ περιφερῆ. Ideſt, Baccas habet in medio folio rotundas: non enim ex foliis illæ quidem

E. lo. 7. & Geor. 2.

Li. 4. c. 141.

RVSCVS.

quidem pendent, sed ipsi hærent, id ipsa experientia docente & approbante, his verbis Theophrasto. Τῆς δλάφνης ἀλεξανδρείας τοῦτο τὸ ἴδιον, ὅτι ἐπιφυλλόκαρπόν ἐστι, ὥσπερ καὶ ἡ κεντρομυρρίνη: ἀμφοτέρας γὰρ τὸν καρπὸν ἔχουσι ἐπὶ τῆς ῥάχεως τοῦ φύλλου. Lauri Alexandrinæ hoc proprium est, quod in folio fructum habeat, veluti & Ruscus. Vtrique enim fructus ex foliis ipsius dorso enascitur. Hic Ruscifructus plurimùm differt à Cubebis aromaticis granis. Serapio verò duos hos fructus eosdem esse credidit: errore iamdudum deprehenso, & scriptis mandato à doctissimo viro Leoniceno. Prouenit Ruscus in asperis & præcipitibus locis. Ab herbarijs in hortis seritur: folia nunquam amittit. Germinat vere Asparagi modo, turionibus tamen breuioribus, crassioribus, hirsutis qui elixi eduntur ex oleo, sale, & aceto. Sed quum non obscurè eorum amaror gustatu percipiatur, in medicamentis potius, quàm in cibis sunt habendi: ad ciendam enim vrinam, aperiendásque obstructiones plurimum valent. Plinius quoque inter herbas sponte nascentes, & in cibos expetitas, quæ in Italia pauciſsimæ sunt Ruscum recensetLib. 3. Hist. cap. 17. *Locus.* *Tempus.* Lib. 21. c. 15.

. Fructus Augusto menſe maturus est. Radix & folia secundo gradu calfaciunt, siccant primo. Galenus, Paulus, Ætius ruscum in simplicium censu silentio præterierunt. Eius igitur virtutes ex Dioscoride hæ sunt. Folia & baccæ in vino potæ vrinam cient, menses pellunt, vesicæ calculos frangunt, stillicidio vrinæ medentur, dolores capitis sanant, & regium morbum. Decoctum radicis in vino potum eosdem præbet effectus. Cauliculi recentes asparagorum vice in cibo sumuntur: amari tamen sunt, sed vrinam mouent. His admodum consentanea sunt quæ scribit Plinius. Myrtus syluestris, inquit, siue Oxymyrsine, siue Chamæmyrsine baccis rubentibus & breuitate à satiua distat. Radix eius in honore est, decocta vino ad renum dolores pota, & difficili vrinæ, præcipuéque crassæ, & graue olenti: morbo regio, & vuluarum purgationi trita cum vino: Cauliculi quoque incipientes asparagorum modo in cibo sumpti, & in cinere cocti: semen cum vino potum, aut oleo, aut aceto calculos frangit. Idem in aceto & rosaceo tritum capitis dolores sedat, & potum morbum regium. Castor Oxymyrsinem hanc Myrti foliis acutis, ex qua fiunt ruri scopæ, Ruscum vocauit, & ad eosdem commendauit. Idem vsus alio in loco. Ruscidem radix inquit, decocta bibitur alternis diebus incalculorum valetudine, & tortuosiore vrina, vel cruenta. Radicem pridie erui oportet, postero mane decoqui: ex ea sextarium, vini cyathis duobus miscerDodo. li. 6. cap. 13. *Temper. & vires* Lib. 4. c. 14 Li. 13. ca. 8. Li. 21. ca. 17.

i. Sunt qui crudam radicem tritam ex aqua bibant: & in totum ad virilia, vel, vt quidam legunt, vrinam difficilem, cauliculis eius in vino & aceto tritis nihil vtilius putant, aut, quomodo in vetere codice legitur, cauliculis eius aceto tritis, &c. In quibus Plinij verbis vrinam tortuosam intelligimus, exitu flexuoso prodeuntem, ac procursu veluti diuiso, ob crassum humorem impactum vri-

nario meatui, aut extumescentem carunculam, quam Græci vocant Hypersarcosin, in vrinæ via, lotij meatum impedientem. Porro hic animaduertendum Plinium proculdubio Ruscum cum Myrto syluestri confudisse, de qua suprà tractauimus, maximè cum de oleis factitiis loquitur. Simile est (oleum) è Myrto nigra: & hæc latifolia melior. Tunduntur baccæ aspersæ calida aqua, mox decoquuntur. Alij foliorum mollissima decoquunt in oleo, & exprimunt. Alij deiecta ea in oleum, prius sole macerant. Eadem ratio & in satiua Myrto, sed præfertur syluestris, minore semine, quam quidam Oxymyrsinen vocant, alij Chamæmyrsinen, &c. Syluestrem Myrtum pro Rusco à Plinio hîc vsurpari ex iis quæ ex ipso iam citauimus perspicuum est. At ex Rusco Myrteum oleum non fieri, sed ex Myrto siluestri satiuæ opposita, de qua præcedenti capite egimus, Dioscorides à quo modo recitata Plinius mutuatus est, apertè demonstrat his verbis. Myrtei faciundi ratio hæc est è Myrto nigra syluestri, aut satiua, foliorum mollissima quæque tusa premuntur: succo pares olei omphacini portiones adiiciuntur, subiectísque carbonibus inferuescunt, donec concoquantur: innatans oleum deraditur. Sed longè facilior hæc compositio. Tenera folia contusa coquuntur in oleo & aqua, & quod innatat eximitur. Priuatim alij deiecta in oleum folia in sole macerant. Præterea cum Myrtei olei vires ex Dioscoride persequitur, nempe, quod adstringit, indurat, medetur gingiuis, dentium dolori, dysenteriæ, vuluæ exulceratæ, vesicæ, vlceribus vetustis, vel manantibus, cum squama æris, & cera: item eruptionibus, ambustionibus: attrita sanat, rhagadas, condylomata, articulos luxatos, odorem grauem, Denique quod ad omnia valet, adstrictionem spissationémque desiderantia, vt ait Dioscorides, subiicítque Chamæmyrsinæ, siue Oxymyrsinæ eandem esse naturam, perspicuum est Oxymyrsinen, id est Ruscum, vt ipse interpretatur, cum vera Myrto siluestri confundere. Est autem Ruscus ad ea præstanda plane inepta, ad quæ Myrteum oleum Plinius ipse, atque Dioscorides commendarunt, vt ex ipsius Ruscí viribus suprà ex vtroque auctore narratis liquet. Ruscilentis ramulis ad colligendas vites vtebantur antiqui. Virgil.

Leonicen.

Li. 15. ca. 7.

Lib. 1. c. 37.

Li. 23. ca. 4.

Georg. 2.

Nec non etiam aspera Ruscí,
Vimina per syluam, & ripis fluuialis arundo
Cædatur.

NERIVM SIVE RHODODENDRVM,
CAP. LVIII.

Nomina

In Theri.

Lib. 24. c. 11.

GRÆCI νήριον, & ῥοδόδενδρον vocant hanc plantam, alij ῥοδοδάφνην, à flore Rosæ simili, & foliis laurinis: Nicander Nerin. Nos quia ne nomen quidem Latinum inuenit, vt ait Plinius, Nerium etiam vocamus, & Rhododendrum, & Rhododaphnem, Apuleius Rotam Lauream, Galli *Rosage*, & *Rosagine*, Itali *Rosalauro*, & *Oleandro*, Hispani *Adelfa*: Germani *Olander*. Frutex est vulgaris notitiæ, inquit Dioscorides, longioribus quàm Amygdala foliis, crassioribúsque: flore in Rosam conformato: fructu Amygdalæ simili, corniculato, qui patefactus quandam lanosam naturam ostendit, spinarum nimirum Carduorum pappos representantem: radice longa, acuta, lignosa, gustanti salsa. Hæc Dioscorides interprete Ruellio: qui vbi vertit, longioribus quàm Amygdala foliis, legitur in vetere codice, ἀμυγδαλῇ φύλλα ἔχον ὅμοια, μακρότερα τε, καὶ παχύτερα, καὶ

Forma

Lacu.

NERIVM SIVE *Rhododendron.*

μα, καὶ πλατύτερα, καὶ τραχύτερα: Hoc est, Habens folia similia Amygdalę, longiora tamen, crassiora, latiora, & asperiora. Rectè verò fructum intus lana quadam refertum dixit, spinarum, seu carduorum pappis simili, quæ in quibusdam Dioscoridis exemplaribus falsò ὑακινθίνοις πάπποις similis esse legitur, cum hyacinthus nullos prorsus pappos habeat. Quare legendum ἀκανθίνοις πάπποις, idest spinarum, seu carduorum pappis, vt meliores codices, & ipsa experientia testantur. Similitudo fructus Nerij cum Amygdala intelligenda prorsus est, vel adhuc exigua siliqua, & adolescente, vel ob corticis viriditatem, Li.16.c.20. & crassitiem, alioquin haud rectè adulta siliqua, angusta, oblonga, nullo subiecto duro & lignoso nucleo, lanuginosis tantum villis farcta cum Amygdala comparetur. Et quamuis herba dicatur Sabina, Rhododendrō, inquit Plinius vt nomine apparet à Grecis venit. Alij Neriō vocarūt, alij Rhododaphnē, sempiterno frōdis honore, Rosę similitudine, caulibus fruticosum: qui locus falsi suspectus In cast.Pli. est. Sunt qui legant Sabinè, hoc est lingua Sabinorum, quibus non accedit Hermolaus, húncque eius loci sensum esse ait, Rhododendron Sabinam herbam dici, cum tamen in Sabinis primùm orta non videatur, ex ipso nomine quod Græcum est: Sciendum enim aliud fruticis genus Sabinam vocari, Græcè brathy. Ne- *Locus.* rion nascitur in amænis, maritinis & secus amnes, inquit Dioscorides. In Ibidem. hortis etiam colitur ab herbariis. Copiosissimum prouenit in tractu maritimo In libr. 4. alpino & montoso Liguriæ, inter Nicæam, & Genuam, cum Siliquis. Vidit Dioſc.c.77. hoc primum Matthiolus ad Benaci ripas, & in Argentario promontorio in maritimis Senensibus. Planta est Laurifacie, non iniucunda spectatu, præsertim suis floribus ornata, quorum similitudine deceptus quondam L. Apuleius in asinum mutatus, dum Rosas quæreret, quarum pastu in pristinam formam restitueretur, parum ab fuit, quin imprudens eos deuoraret. Verùm qui in plantarum historia, & viribus cognoscendis diligentissimus fuerat, recordatus Nerij flores asinis venenum esse præsentaneum, statim labra substraxit, demissis que auribus abiit. Idem Lucianus sibi in asinum quoque transforma- In Lucio. tonarrat accidisse. Sed Nerium δάφνην ἀγρίαν, idest Laurum siluestrem vocat, pernicioſum asino & equo cibum, cum asserant id comedentes eueſtigio Ibidem. mori. Dioscorides etiam tradit flores & folia mulis, asinis, canibus, & qua- *Vires.* drupedum plurimis venena esse, hominibus verò contra serpentium morsus conferre, è vino pota, eoque magis ruta addita. Imbecillas etiam animantes, vt pecus & capras, si aquam bibant in qua folia ea maduerint, mori. Eadem planè tradit Plinius. Nerium iumentis, capríque & ouibus venenum est. Idem Li.16.c.20. homini contra serpentium venena remedio: quæ iterum alio loco repetit. Lib.24.c.11. Mirum folia Nerij quadrupedum venenum esse, homini verò contra serpentes præsidium, Ruta addita, è vino pota. Pecus etiam & capræ, si aquā biberint, Lib.8. fin.

in qua folia ea maduerint, mori dicuntur. His maximè refragatur Galenus, ita
Ibidem. ſcribens. Neriion aut Rhododaphne notus omnibus frutex, foris quidem illitus digerendi vim obtinet: intro verò in corpus aſſumptus, pernicioſus ac venenoſus, non ſolùm hominibus, ſed pleriſque etiam pecudibus eſt. At dicendum, inquit Matthiolus, Nerium ſumptum hominibus à ſerpentibus non demorſis pernicioſum eſſe, Dioſcoridis verò ſententia idem iis remedio eſſe quos ſerpentes momorderint, qua ratione Cantharides auctore Auicenna, à cane rabido demorſis medentur, & Euphorbium à ſcorpione ictis, alia deni-
Li. 4. Dioſ. cap. 82. que letalia medicamenta aliis venenis aduerſantur. Cordus alio modo conciliari poſſe hos auctores ſcripſit. Si intra corpus ſumatur Nerium venenum eſſe, ſi foris imponatur, contra venenatorum morſum auxiliari. Sed reuera Nerium intro ſumptum contra ſerpentium morſus opitulari Dioſcorides intellexit: fideliora enim exemplaria habent σὺν οἴνῳ πινόμενα, cum vino pota, videlicet flores, & folia. Sic etiam in Plinio perſpicuè legitur, qui proculdubio videtur hæc ex Dioſcoride tranſcripſiſſe. Præterea in Eſdræ antidotum, cuius contra venenata animalia præcipuus eſt vſus, flores Nerij recipiuntur, ceu medicamentum contra venena efficax. In hac verò apud Ætium, & Paulum compoſitione Eſdræ, malè legimus flores Nerij, deindę paulo poſt, Roſæ Rhododaphnes. Nerion enim & Rhododaphne idem eſt frutex, & Roſæ Rhododaphnes nihil aliud ſunt, quàm flores Nerij. Videtur itaque flos Nerij, interpretatio eſſe Roſarum Rhododaphnes, quæ in margine notata, ab aliquo indocto in contextum inſerta eſt. Id tamen verum eſſe tradit Cordus florem Nerij inſaniam parere, ſed non ſemper: accidere enim id quibuſdam locis, & quibuſdam temporibus, arborémque quibuſdam temporibus venenatam eſſe, ex cuius & Aconiti floribus in Ponto venenatum melapes colligunt. Scribit etiam Galenus athletarum dorſum Rhodododaphnis vellicari, Καὶ ῥοδοδάφναις ἐνίοτε τὰ νῶτα διαχαλῶσιν. Nerium aliud pinxit Lobellius, flore albo quale ſe vidiſſe ait Pena, tum in hortis Italicis, tum in maritimis.

NERION
albis floribus.

Li. 11. c. 100. Lib. 7. ca. 11.

Ibidem.

In Exhort. ad art.

GLYCYR

GLYCYRRHIZA. CAP. LIX.

VT à Græcis γλυκύῤῥιζα, ita à Latinis Glycyrrhiza, & Glycyrrhizon appellatur, & dulcis radix, à Seplasiariis corrupto, aut potius barbaro nomine Liquiritia, ab Arabibus *Sus*, Italis *Rigolitia*, Gallis *Reclusse*, & *Regalisse*, à Germanis *Lechkritz*, & *Sueszholtz*, ab Hispanis *Regaliza*, Boemis *Lekorice*, Polonis *Lackrycya*. Fruticosa est planta, inquit Dioscorides, ramis binûm cubitorum altitudine assurgentibus: foliis Lentisci, densis, pinguibus tactúque gummosis: flore Hyacinthi: fructu pilularum Platani magnitudinis, asperiore, in siliquis Lentium modo, ruſis, paruis: radicibus longis, vt Gentianæ, coloris buxei, sub acerbis, & dulcibus, quarum succus densatur Lycij modo. Vel vt in vetere Codice legitur, χυλιζόμενα ὥσπερ τὸ γλαύκιον, ἢ λύκιον. Id est, ex quibus elicitur succus, veluti ex Glaucio, au Lycio. Ea est planta quam hic primo loco proposuimus, ramis ternos, quaternósue cubitos altis, in quibus folia bina ex aduerso sita, Lentisco similia. Flores breuibus pediculis hærent, *Nomina*

GLYCYRRHIZA echinata Matthioli.

GLYCYRRHIZA echinata Dodonæi.

Hyacinthi purpureo colore, in globulos veluti congesti, post quos fructus oriuntur, quorum globosum aceruum cum Platani pilulis comparat Dioscorides. Sunt enim rotunda capitula, echinata, magnitudine pilularum Platani, aut maiora, composita ex Siliquis paruis, multis, Lenti similibus, coaceruatis, hirsutis, & tenuiorum aculeorum stipatu velut armata, vt pictura monstrat, colore in atrum rufescente, in quibus semen compressum clauditur. Radix longa vt Gentianæ, foris nigricans, intus lutea, dulcis. Est & altera Glycyrrhiza priori addita, à Matthiolo priore editione commentariorum in Dioscoridem pro Glycyrrhiza Dioscor. depicta, qua abundat Apulia, inquit, præsertim in Gargano monte, ex qua quotannis succus in pastillos densatus conuehitur, & magna radicum copia. Visitur etiam in multis Italiæ hortis, non modo ad spectaculum sata, sed & ad medicamentorum vsum. Nam recens effossa radix sicca præstan- Lib. 1. Dioscor. cap. 5. *Locus.*

GLYCYRRHIZA NON echinata: Scythica herba.

Ibidem.

Lib.6.c.18.

In Hist.pl. cap.70.

Ruel. lib.3. cap.5.

Lib.2.pl. cap.156.

tior est, & ori gratior. Sed cum altera editione diligentiùs, opinor, hanc Glycyrrhizę speciem considerasset, nullúmque in ea fructum, aut magnitudine, aut asperitate cum fructu Platani conferendum animaduertisset, adiecit Glycyrrhizam duûm esse generum, alteram non echinatam, de qua modo tractamus, alteram echinatam, de qua supra verba fecimus à Dioscoride descripta, quæ copiosa in Germania nascitur in Bambergensi agro, non longè à Norimberga, à Ioãne Hesso medico Norimbergensi ad se missa. Illam etiam echinatam Glycyrrhizam Dodonæus pro vera, siue Dioscoridis Glycyrrhiza descripsit, ac depinxit: alteram verò, non echinatam, (cui Siliquas quasdam paruas, vt & Cordus, attribuit, quod dicemus) nequaquam asperas, aut hirsutas, sed leues & Lẽtium valuulis similes, in quibus semina parua. Germanicã, siue vulgarem Glycyrrhizam appellat, vt in Italia, ita in Germania quoque nascentẽ. Eadem à Fuschio depingitur, multáque, vt inquit, nec ignana aliquot Germaniæ locis, Pabẽbergensi præsertim agro producitur. Hodie nusquam ferè non seritur in hortis, eáque vt semel comprehenderit, tam pertinaci fertilitate cohæret, vt vix vnquam possit radicitus extirpari, vsqueadeo restibili fœcunditate regerminans. A Cordo verò prolixè admodum & curiosè describitur, his ferè verbis. Glycyrrhiza ab vno radicis capite caules emittit, virgis Althææ similes, binûm ternúmue cubitorum altitudine, prope terram minimi ferè digiti crassitudine, teretes, solidos, lignosos, in viridi subflauos, intus fungosa medulla plenos, inferne tactu asperos, ex interuallis inæquali ordine surculos proferentes, in quibus folia alatam figuram referunt, vtrinque quina, sena, & nonnunquam septena, pari ferè interuallo distantia, ea ratione vt bina semper in vno exortu coniungantur, atque breuibus admodum pediculis ex aduerso opponantur, prominente in summitate surculi recto folio in reliquo surculo, foliorum pari numero, imparem autem vno hoc efficiente. Singula folia sesquiuncialem longitudinem habent, latitudinem vncia minorem, aut vncialem, quædam etiam nonnunquam maiora. Eadem sub crassa, pinguia, glutinosáque sunt vtraque parte, ideóque tactu digitis adhærentia. Inest præterea iis peculiaris quædam natura, & cum paucis communis. Oriente sole singula folia in latitudinem primum æqualiter explicantur, mox vna cum ascendente sole eriguntur, atque interdiu sursum omnino rigent, & vna cum surculo cymbam, aut nauium carinam forma referunt. Occidente sole rursum se demittunt, demissáque pendent. Quinetiam aëris constitutionibus reguntur. Nam si dies sereni fuerint, interdiu eo modo quo dictum est, erecta sunt, pluuiosis verò, nubilis, tristibus, & frigidioribus diebus, etiam æstate, atque ipso meridie se demittunt: quæ de foliis tantum intellige, non de eorum pediculis, quorum positus neque à sole, neque ab aëris constitutione mutatur. E summis caulium alis oblonga quædam, dissecta, & veluti aculeata prodeũt capitula. (Hæc Dioscoridem pilulis Platani comparare, fructus impropriè appellando, perperam scripsit Cordus, non enim huiusce,

huiuſce,ſed ſuperioris Glycyrrhizæ fructus cum Platani fructibus confert.) ea ſe paulatim in quadrantalem, & nonnunquam in quincuncialem pediculum extendunt, vndique vſque ad ſummitatem paruis floribus, oblongis, papilionum alis ſimilibus, & colore in candido, cæruleóque purpuraſcentibus, circundatum, ex quibus vncialis, gracilis, ſubrubens, atque in latitudinem compreſſa prodit exigua ſiliqua, tribus, aut quatuor oblongis ſeminibus grauida, vel, vt Dodonæus ait, circa graciles pediculos flores & paruæ ſiliquæ proue- Ibidem. niunt, ſpicarum effigie, vt in Galega, & Vicia ſylueſtri, non vt rotunda capitula, hirſuta, quæ ex pluribus paruis ſiliquis echinatis conſtant, Platani pilulis ſimilia, quemadmodū in ſuperiore Glycyrrhiza. Diu frutex hic viret, antequam folia amittat, quæ poſtea cum florum defluuij tempus aduenerit, non ſingillatim, ſed vniuerſa ſimul vna cum pediculo decidunt, & illi etiam poſtquam deciderint, adhærēt. Radice nititur ſuperne trunco ſimili, quo vetuſtior fuerit, eo craſsiore, plerumque craſsitudine pollicari, inferne in multas longiſsimas radices quaquauerſum in obliquum exeuntes diſtracta, quæ arenoſum ſolum, aut arenam tantùm nactæ, duarum orgyarum longitudinem excedūt. Subſtantia eis eſt neruoſa, flexilis, diſtractu difficilis. Ideo cum inter effodiendum extrahuntur, raro abrumpuntur, maximè ſolo arenoſo. Colorem habent foris in ſpadiceo, aut ſubruffo pallentem, intus buxeum. Superior radicis pars, à qua modo dictæ exeunt, & quæ veluti truncus, ſeu caput earum eſt, peculiares, & à prioribus diuerſas emittit radices, minimi digiti craſsitudine omnino trāſuerſas, Aſparagis ſimiles, ſub terræ ſuperficie quoquo verſus ſerpentes, quæ cum in cubitale, bicubitale, & interdum longius ſpatium progreſſæ fuerint, acuminato germine è terra emicāt, & caules producunt, qui ſequenti anno deorſum obliquas demittant radices, quales deſcripſimus, flacceſcentibus poſtea, & pereuntibus iis à quibus ortæ ſunt, tranſuerſis radicibus, quibus veris tempore in candido pallidus eſt color, ſubſtantia autem tenera, ſuccoſa, fragilis: ab æſtate deinde in Autumnum ſuperficies earum in fungoſum corpus mutatur, interior verò pars obliquarum radicum modo in neruoſam, minùs tamen firmam, aut lentam, & colore buxeam ſubſtantiam tranſit. Saporem radices habent valde dulcem, imo etiam Saccharo dulciorem, modicè aſtringentem, & ſubacrem, cui etiam iuncta eſt minima quædam amaritudo: Colitur in Germania lucri cauſa, *Locus.* præſertim Bambergij in Franconia, vbi maximus eſt eius prouentus. Ex his Glycyrrhizam Dioſcoridis, eiúſque aliud à Matthiolo, & Dodonæo proditum genus omnibus fore notiſsimum arbitror. Plinus in deſcribenda Glycyrrhiza Lib.22.c.9. Dioſcoridem ſecutus eſt, niſi quod eam inter aculeatas plantas falsò retulit. Et ipſa, inquit, ſine dubio inter aculeatas eſt, foliis echinatis, pinguibus, tactúque gummoſis, fruticoſa, binûm cubitorum altitudine: flore Hyacinthi: fructu pilularum Platani magnitudinis. Et alio in loco. Quædam ſpinoſa foliata ſunt, vt Carduus, Eryngium, Glycyrrhizon, Vrtica. Horū enim in omnibus foliis ineſt Lib.21.c.15. aculeata mordacitas, Cuius erroris cauſam Matthiolus, Cordus, Cornarius Lib.3.Dioſcor.cap.5. mendoſo, quo Plinius vſus eſt, Codici imputant, quod φύλλα ἐοικότα ἐχίνῳ facili In Dioſco. lubricóque non aduertentium lapſu, falsò legerit, cum Dioſcorides rectè ha- lib.3.cap.7. beat ἐοικότα χίνῳ, id eſt ſimilia Lentiſco. Nec ſunt audiendi qui ne deſciſcant à Embl.5.lib. Plinij ſententia, credunt Glycyrrhizā ſpinis olim fuiſſe præditam, verùm man- 3.Dioſcor. gonio longi cultus edomito rigore tandem mitigatam. Nam diligentia, opinor, minores innocentioréſque ſpinas reddere poteſt, in totum abolere minimè. Scythica planta Theophraſti nihil aliud eſt quàm Glycyrrhiza Germani- Scythica ca, ſecundo loco deſcripta, frigidas etiam regiones, qualis eſt Scythia, minimè planta. reſpuens, ſic dicta, quòd eius vſu aliquot dies ſitim famémque tolerare Scythas poſſe

posse auctores tradant, de qua tamen & de Hippice Plinius tanquam diuersis seorsum à Glycyrrhiza tractat. Sed quæ de ea scripsit cum à Theophrasto sumpserit, omnésque quas Scythicæ Theophr. vires tribuit, ipse Glycyrrhizæ assignauerit, vt dicemus, hinc perspicere potuit, eandem esse Theophrasti Scythicam, cum aliorũ Glycyrrhiza: Γλυκεῖα δὲ καὶ ἡ σκυθικὴ, inquit Theophr. καὶ ἔνιοί γε καλοῦσιν γλυκυρρίζαν αὐτὴν (sic enim ex vetusti Codicis fide legendum) γίνεται δὲ παρὰ τὴν μαιῶτιν, χρησίμη πρὸς τὰ ἀσθματα, & βῆχα ξηρὰν, & ὅλως τοὺς περὶ τὸν θώρακα πόνους, ἔτι δὲ πρὸς τὰ ἕλκη ἐν μέλιτι. διώσασθαι δὲ τὴν δίψαν πάνυ, ἐάντις ἐντῷ στόματι ἔχῃ· διὸ καὶ τοὺς σκύθας ἡμέρας καὶ ἕνδεκα, καὶ δώδεκα. Id est, Dulcis quidẽ & Scythica est, quam nonnulli Glycyrrhizã appellant. Ad Mæotim nascitur. Vtilis est asthmati, tussi siccæ: denique thoracis malis. Præterea vlceribus cum melle prodest. Sitim sedat, si in ore habeatur. Quapropter Scythas contentos ea & Hippace vndecim, aut duodecim dies vitam sustinere aiunt: quem locum permirum est quam supinè atque peruersè Plinius vertisse, & intellexisse videatur. Inuenere herbas & vniuersæ gentes, inquit Plinius. Scythia primũ eam quæ Scythice vocatur, circa Bæotiã nascens, prædulcem alias, vtilissimamq; ad ea quæ asthmata vocant (nam ex vetere Codice, & Theophrasto sic legendum, non vt in vulgatis exemplaribus, prædulcis. Aliam vtilissimam ad ea quæ spasmata vocant) Magna & ea commendatio, quod eam in ore habentes famem sitímque non sentiunt. Idem præstat apud eos Hippice dicta, quod in equis quoque eundem effectum habeat. Tradúntque his duabus herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame sitíque. Hæc Plinius, qui circa Bæotiam nasci Scythicam scripsit, Theophr. ad Mæotim: at huius erroris minimè Plinius est accusandus, sed mendosa exemplaria quibus ille vtebatur. Ipsemet enim alibi Scythicam herbam à Mæotidis paludibus portari scripsit. Ad hæc Hippacen, id est caseum equinum in ciborum necessitate pro alimento Scythis esse, sicut delinitam Glycyrrhizæ radicem pro potu in aquarum penuria, vagantibus per aridas vastásque solitudines iis populis. Plinius verò ex Hippace, id est caseo equino Hippicen herbam confinxit, addita perinde absurda etymologia, quod scilicet equorum famem sitímque sedaret. Hippacen alibi de hac eadem re scribens rectè vsurpasse videtur. Quædam inquit, rursus exiguo gustu famem ac sitim sedant, cõseruántque vires, vt Butyrum, Hippace, Glycyrrhizon. Idem ipse Hippacen caseum equinum esse dixit. Sestius eosdem effectus equino, quos bubulo tradit. Hunc vocant Hippacen. Alibi coagulum equi sic vocari idem scribit. Equi coagulum, inquit, quod aliqui Hippacen vocant. Gazæ errandi occasionem præbuit Plinius, vterque Hermolao. Ille enim Hippacen equestrem herbam interpretatus est: hic differre Hippacen ab Hippice scribit, quod Hippace caseus, & coagulum sit, Hippice verò herba Scythica, equestris à Theodoro dicta. Glycyrrhiza plurima, inquit Dioscor. gignitur in Cappadocia & Ponto. Præstantissima in Cilicia, auctore Plinio, secunda in Ponto, radice dulci, & hæc tantum in vsu. Capitur ea Vergiliarum occasu, longa ceu vitis, coloris buxei. Melior, quæ nigra, quæq; lenta, quámque fragilis. Prouenit in Italia, & Germania, vt dictum est. Est & alia Glycyrrhizæ syluestris species, Lobellio Glaux vulgaris, Cordo Polygalon, Gesnero, Glycyrrhiza syluestris à consimili radicis sapore: radice crassa, longa, ramosa, nigra, lignosa, caulibus multis, ima parte rubentibus, rotundis, per terram sparsis, gustu dulcibus, odore, saporéque Glycyrrhizæ, quæ in hortis nostris alitur, similibus. Quam ob causam Glycyrrhizam syluestrem vocant: flore Lentis, copioso, in luteo pallescente: siliquis angulosis, curuis, & falcatis, semine Lenticulæ. Tragus pro Fænogræco syluestri descripsisse ac depinxisse videtur. In vmbrosis sæpius subaltis sæpibus gignitur nonnunquam

Lib. 12. c. 9.
Lib. 9. Hist. cap. 13.
Lib. 25. c. 8.
Lib. 27. c. 1
Lib. 12. c. 54
Lib. 28. c. 9.
Li. 28. c. 14.
Corol. 80. lib. 1. Dios.
Locus.
Ibidem.
Lib. 22. c. 9.
Lib. 2. ca. 5.
Locus.

nunquam & in apricis. Glycyrrhizæ ſuccus, auctore Dioſcoride, in arteriæ ſcabritia efficax habetur: verum oportet, vt linguæ ſubditus eliqueſcat: æſtuanti ſtomacho, thoraci, ac iocinori conuenit: ſanat veſicæ ſcabiem, & renum dolores cum paſſo potus: idem eliquatus ſitim ſedat: vulneribus illitus accòmmodatur: commanducatus ſtomacho prodeſt: recentis radicis decoctum ad eadem conuenit. Eiuſdem farina pterygiis commodè inſpargitur. *Vires.* Lib.3. ca 5.

GLYCYRRHIZA ſylueſtris.

Plinius ſimilia ferè omnia habet, quibuſdam additis. Vſus in linguæ ſubditis: ſic enim legendum, Plinio Hypoglottidas ita appellante, decoctæ ad tertias, cætero ad mellis craſsitudinem, aliquando & tuſæ: quo genere & vulneribus imponitur, & faucium vitiis omnibus. Item voci vtiliſsimo ſucco, ſic vt ſpiſſatus eſt, linguæ ſubdito. Item thoraci, iocinori. Hac diximus ſitim famémque ſedari. Ob id quidam adipſon appellauere eam, & hydropicis dedere ne ſitirēt. Ideo & cōmanducata ſtomatice eſt, & vlceribus oris inſpergitur ſæpe, & pterygiis. Sanat & veſicæ ſcabiem, renum dolores, condylomata, vlcera genitalium. Dedere eam quidam potui in quartanis, drachmarum duarum pondere, & Piperis vna, hemina aquæ. Commanducata ſanguinem ex vulnere ſiſtit. Sunt qui & calculos ea pelli tradiderunt. Hactenus Plinius, qui ſicut errore deceptus ἰχίνῳ pro χίνῳ in Dioſcoride legit, ſic in eodem Dioſcor. falſo nunc legitur ſuccum Glycyrrhizæ eſſe στομαχικὸν διαμασώμενον, vt recte mihi annotaſſe videtur Cornarius, contra rectè in Plinio, Ideo & commanducata ſtomatice eſt, Nam qui ſuprà dixit, ad ardorem ſtomachi facere, nunc ait ſtomaticum eſſe medicamentum, tum ipſam, tum eius ſuccum. Cæterum quod idem ſcribit Glycyrrhizæ radicem capi, vel carpi, Vergiliarum occaſu, longam, ceu Vitis, coloris buxei, Dioſcorides longam eſſe inquit, & coloris, ſicut Gentianæ, buxei. Huius fruticis radicum ſuccus, Galeno imprimis vtilis eſt, perinde vt radix, dulcis, ſimúlque leniter adſtringens. Proinde aſperitates lenire poteſt, nec modo in arteria, verum etiam in veſicæ ſcabie, ídque temperaturæ mediocritate. Quocirca fuerit ſanè natura eius familiaris noſtræ temperaturæ: nam tale monſtratum eſt eſſe dulce. Sed cum adſtrictio quædam adiuncta ſit, vniuerſum eius temperamentum, quantum ex caliditate & adſtrictione eſt, tepidæ potiſsimum caliditatis fuerit, quam proximè accedens ad temperatum. Porro quoniam temperie quoque eſt humidum id quod modice eſt dulce, iure etiam ſiti congruens medicamentum eſt, nimirum modicè humidum, ſimúlque humana natura frigidius. Refert Dioſcorides radicem ſiccam ad læuorem redactam oculorum Pterygij idoneum eſſe illitu medicamentum. Lib.22. c.9. Lib.21.c.54. Emb.5. li.4. Dioſcor. Li.6.ſimpl.

LIGVSTRVM, CAP. LX.

Nomina LIGVSTRVM Latinis, Græcis λύπρος appellatur hic frutex, Arabibus *Kenne, Henne*, Officinis Alcanna, Italis *Guistrico*, *Oliuella*, *Oliuetta*, & *Crambrossena*, Patauinis *Conastello*, Gallis *Troesne*, Germanis *Rheinweiden*, *Beynholtzlin*, & *Mundholtz*, Hispanis *Alsena*, seu *Alhena*, Boemis *Ptacij Zob*, Anglis *Pryuet*, Belgis *Keeleruyt*, & *Mondthoudt*. Liguſtrum fru-

Forma. tex est, seu arbuscula, virgas producens multas, graciles, lentas, flexilésque. Circa has folia Oleæ similia, latiora, molliora, & colore viridiora. In harum cacumine flores proueniunt candidi, muscosi, vel vt Oribasius legit, racemosi, odorati, sed qui decerpti statim flaccescant. Oriuntur ex eis baccæ racematim cohærentes, Pyramidis figura, Sambucinis similes, nigræ, Hederę baccis minores, læuiores, nigriores, sapore amaro ac iniucundo, purpureo intus succo. Tale est Matthioli, & permultorum Herbariorum Liguſtrum, siue Cyprus, quibus assentitur Cordus. Liguſtrum, inquit, sine dubio arbuscula est, quæ Græcis Cyprus vocatur: propterea Plinium idem scripsisse nunquā pœniteat. Ruellius, Liguſtrum apud nos eandem arborem esse ait, quæ in Oriente & Græcia Cyprus, Gallis *Troesne*, Officinis tum Alcanna, tum Henne. His Tragus, & Amatus Lusit. consentiunt, quia Liguſtrum omnibus suis notis Cyprum Dioscoridis refert, foliis circum ramos Oleæ similibus, latioribus tamen, mollioribus, ac viridioribus, gustu adstringentis: flore candido, muscoso, odorato: fructu nigro, Sambucini æmulo. Præterea, inquit Matthiolus, nullus est medicus qui nesciat Liguſtrum iis omnibus præditum esse virtutibus, quibus Cyprū pollere Dioscorides & Galenus prodiderunt. Alij Liguſtrum & Cyprum diuersas esse stirpes censent. Fuschius quo nomine Liguſtrum Græcis appellatum sit, certò nobis constare negat: neque enim vt ferè omnes hodie putant, Cyprum esse, quæ Plinio teste semen habet Coriandri, & arbor peregrina est. Liguſtrum enim semen non Coriandro simile, quod rotundum ac subflauum est, sed potius atrum, & altera parte latum, modicéque concauum in racemis profert. Præterea arbor peregrina non est, sed sponte in sepibus & senticetis vbique prouenit: Phillyream, itaque Dioscoridis potius esse Liguſtrum is arbitratur. Dodonæus eandem plantam quam Fuschius ostendens, Phillyream Dioscoridis vocat, Plinijq;, Virgilij, Columellæ Liguſtrum. Anguillara quoque eam, Liguſtrum Latinorum esse non negat, sed Cyprum non esse contendit, Liguſtrum autem Phillyream Græcorum esse. Lonicerus quoque Liguſtrum Latinorum Dioscoridis Phillyream esse ait, & Phillyreæ apud Dioscoridem descriptionem Liguſtro nostro pulchrè conuenire. Horum igitur sententia Liguſtrum ea stirps erit, quàm hîc pinximus, Cyprus autem minimè. Constantinus idem esse Liguſtrum & Cyprum existimat, sed quid sit ignotum esse his nostris temporibus, à Plinio quidem Cyprum Liguſtrum dici his duobus locis. Prior est. Liguſtrum eadem arbor est, quæ in Oriente Cypros. Suos in Europa vsus habet. Succus eius neruis, &c. Alter est, Cyprus

LIGVSTRVM.

Lib. 1. Dios. cap. 107. In li. 1. Dioscor. ca. 25.

Lib. 1. c. 94.

Lib. 1. c. 27. Enar. 114. li. 1. Dioscor.

In Hist. pl. cap. 181.

Li. 12. c. 24.

Lib. 6. Hist. cap. 25.

In Enar. Amat. 114. li. 1. Dioscor.

Li. 24. c. 10.

Li. 12. c. 24.

in Ægy

in Ægypto eſt arbor Ziziphi foliis, ſemine Coriandri, flore candido, odorato. Coquitur hic in Oleo, premitúrque poſtea quod Cyprinum vocatur. Pretium ei in libras x. (id eſt, denarij) quinque. Optimum habetur è Canopica in ripis Nili nata: ſecundum Aſcalone Iudeæ: tertium Cypro inſula odoris ſuauitate præcipuum. Quidam hanc eſſe dicunt arborem, quæ in Italia Liguſtrum vocatur. Sed Dioſcor. Cyprus folia habet Oleæ, Liguſtrum Plinij Ziziphi, & ſemen Coriandri, Dioſcoridis verò Sambuci. In flore etiam vix conueniunt, cùm Dioſcoridi muſcoſus ſit, Plinio tantùm albus & odoratus. Quare Cyprus Dioſcoridis à Cypro, ſiue Liguſtro Plinij diſſidet. In hoc ſolùm hi duo auctores conſentiunt, quod vterque dicat eſſe arborem: qua vel ſola nota ab huius conſortio excluditur vulgaris hæc planta, quam cum multis aliis pro Cypro & Liguſtro oſtendimus, quod hic frutex ſit tantùm in ſæpibus frequens, vix vnquam arboreſcens. Non erit igitur Cyprus Dioſcoridis, aut Plinij, Liguſtrum, imo nec Columellæ, qui dixit. Et nigro permiſta Liguſtro. Balſama, Cyprum ſiue Liguſtrum, id eſt Arabum Alcannam, arborem raram eſſe, & inter pretioſa ſimplicia ſemper adnumeratam probatur teſtimonio Ioſephi, cuius hæc verba ſunt, cum de valle Hierichuntina loquitur: φέρει δὲ ὀποβάλσαμον, ὕδη τημιώταλον τῶν τῆ δι ἐκαρπῶν, κύπρόν τε, καὶ μυροβάλανον. Et ſubiungit, εἶναι ατανιώτα δὲ καὶ κάλλιστα. Cyprus, inquit diuus Hieronymus, cum Nardo, Nardus & Crocus, fiſtula & Cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani. Hæc Conſtantinus. Quia verò Alcannam Arabum Cyprum illam raram, & nobis ignotam eſſe ait, quid de ea alij ſentiant exponamus. Qui Arabas ſcriptores Latinè interpretati ſunt, Henne, ſiue Alcannam Cyprum verterunt, Serapionis, opinor, auctoritate freti, qui Henne, ſiue Alcannam nihil aliud eſſe vult quàm Cyprum. Henne, id eſt Alcanna, inquit, Iſaac Ebenamram, flos Alcannæ eſt, ſimilis floribus Myrti, niſi quia eſt velut in racemis, & flos eius eſt albus, decliuis ad glaucedinem, acuti odoris. Dioſcorides. Eſt arbuſtum habens folia ſuper ramos ſuos, & cætera, quæ hic citare ſuperuacaneum foret, cum ſint ea omnino quæ Dioſcorides & Galenus de Cypro ſcripſerunt. Auicennæ interpres Alcannam etiam Liguſtrum vocat, cui Auicennas eaſdem virtutes tribuit, quas Dioſcorides & Galenus Cypro ineſſe tradiderunt. Bellonius Henne, ſiue Alcannam arborem in Ægypto naſci prodidit, eóque à Liguſtro diuerſam, quòd huius folia hyeme decidant, illius verò minimè. Alio in loco fruticem, ſiue arbuſculam eſſe ait, quam Latini Arabum interpretes Liguſtrum falſò vocant, quod ab illa Liguſtrum differat. Henne igitur ad Mali Punicæ proceritatem aſſurgere: ſed quia crebro ab Ægyptiis cæditur, & diligenter colitur, virgas ſæpius tenues, vt vimina producere. Folia eius ſiccari in farinam, luteo colore tingentem, quo cum valde delectentur omnes qui Turcarum imperio parent, atque aliæ etiam gentes, adeo vt mulieres eo colore manus, pedes, crura obſcœnas partes ad vmbilicum vſque inficí pulchrum, ac decorum exiſtiment, maximum ex hoc puluere vectigal colligere Turcarum Imperatorem. Quænam igitur tandem hæc erit ſtirps quam pro Liguſtro proponimus? fortaſſe, inquit Conſtantinus, Liguſtrum Virgilij. Qua de re minimè ambigunt citati iam à me auctores, qui hoc noſtrum Liguſtrum Dioſcoridis Cyprum eſſe autumant, in eóque Seruium Grammaticum reprehendunt, qui illo Virgilij verſu,

Lib. 10.

Li. 4. ἀλώσ.

In Cantic.

Eclog. 2.

Alba Liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur.

Liguſtrum eam Cauioluuli ſpeciem eſſe ſcribit, flore candido, Lilij, ſeu Calathi effigie, quæ vicinis ſeſe circumuoluit. Sunt etiam qui Liguſtri baccas à Virgilio Vaccinia nigra vocari putent. Sed non rectè illi quidem ſentiunt, inquit Matthiolus, nec etiã Fuſchius qui Rubi mora, quæ Græcis βάτια, & βατίνια dicuntur,

Lib. 1. Dioſ. cap. 107.

In Hist.pl. cap.55. à Virgilio vnius literæ immutatione Vacinia vocari scripsit. Vaccinium enim pro flore non pro fructu vsurpari constat, inquit Matthiolus. At cum in nothis Dioscoridis stirpium nomenclaturis legamus Hyacinthum Romanis Vaciniũ dici, credendum Vacinium Virgilij Hyacinthum esse, flore cum Violis purpureo colore certante, qui cum ab aliis, tum ab ipso Virgilio niger appellatur, Vacinia cum floribus, non cum fructibus numerante, his versibus:

Eclo.2. *Alba Ligustra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.*
Mollia luteola pingit Vaccinia caltha.

Eclo.10. *Et nigræ Violæ sunt, & Vaccinia nigra.*

Quidam Vaccinium aliam ab Hyacintho plantam, arbusculam nimirum baccis nigris à Virgilio intelligi credunt, de qua proximo capite dicetur Matthioli sententiæ accedit Vvilichius, & Vaccinium in Virgilio Hyacinthum interpretatur, flore purpureo, quem vulgo brunum appellant, Græci φαιὸν, cum nigro aliquid ruboris admiscetur. Plautus morulum appellare videtur. Nec placet Marcelli opinio, Vaccinium Irim esse putantis. Nam neque Iris in coronas veniebat, neque color respondet, quod varius sit, adeo vt à colorum cælestis arcus varietate nomen inuenerit. Adhæc cum Iridis flos maximè fragilis, caducúsque sit, Poëta Ligustro non prætulisset. Sed ad Ligustrum nostrum redeat oratio. Id optimum nasci in Canopo & Ascalone scribit Dioscorides. Plinius optimum haberi è Canopica in ripis Nili nata, secundum Ascalone Iudeæ, tertium Cypro insula. Nihil frequentius Ligustro nostro in Dumetis occurrit, ita vt hoc nomine contemnatur. Qua propter Virgilius eius flores negligi à pastoribus, & inutiliter perire cecinit. Maio mense floret, Autumno maturæ baccæ nigrescunt. Folia adstrictoriam vim habent, inquit Dioscor. Quare commanducata oris vlceribus medentur: illita feruidis inflammationibus, carbunculisque prosunt: decocto eorumdem igni ambusta fouentur: capillum rufant trita folia, quæ in radiculæ succo maduerint. Flos ex aceto fronti illitus capitis dolorem sedat. Cyprinum Oleum quod ex eo fit odoratũ est, excalfacit, emollítque neruos, si quæ feruenti natura sunt assumat. Quas sex postremas voces Græci Codices, neque Cornarius in translatione sua habent. Quare has ex Olei Cyprini compositione, quæ ex quibusdam natura calfacientibus constat, adiectas fuisse credibile est. Ligustrum eadem arbor est, quæ in Oriente Cypros, inquit Plinius. Suos in Europa vsus habet. Succus eius neruis, articulis, algoribus: folia vtique veteri vlceri cum salis mica, & oris exulcerationibus prosunt. Acini contra phthiriasim, item contra intertrigines, foliáue. Sanant & gallinaceorum pituitas acini. Cornarius annotat hoc loco in vetusto Pliniano exemplari coniunctionem, si, haberi, quæ in vulgatis deest: perinde ac si ambigat, an Ligustrum sit Cyprus, quemadmodum alio loco Cyprum in Ægypto dictam, à quibusdam in Italia Ligustrum vocari tradit. Deinde acinos hic dici quos alio loco semen Coriandri dixit, Dioscor. verè, semen nigrum, Sambuci fructui simile. Plinius alio loco de Cypri viribus hæc scribit. Cypri natura excalfacit, mollit neruos. Folia stomacho illinuntur, & vuluæ concitatæ: succus quoque eorum apponitur. folia recentia commanducata vlceribus in capite manantibus, item oris medentur, collectionibus & condylomatis. Decoctum foliorum ambustis & luxatis prodest. Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei Mali succo. Flos capitis dolores sedat cum aceto illitus. Idem combustus in cruda olla nomas sanat, & putrescentia vlcera per se, & cum melle. Odor floris suauis, & qui somnũ faciat. In quibus de foliis Cypri dicit, Ipsa rufant capillum tusa, adiecto Struthei Mali succo, quod Dioscorides, ξανθίζει δὲ τὰς τρίχας τρυθίου χυλῷ τὰ φύλλα λεῖα βραχέντα, καὶ ἐγχεόμενα. Ex quibus perspicuè apparet deceptum fuisse Plinium

Embl.103. lib.2. Dios.

Li.12. c.24. *Locus.*

Li.1.ca.107. Li.12. c.24.

Tempus.

Lib.1.c.107.

Oleum Cyprinum.

Li.24. c.10.

Ibidem.

Lib.23. c.4.

nium, qui pro τρυθίς χυλῷ, id est pro Radiculæ, siue Herbæ lanariæ succo, Struthei Mali Cotoneorum generis succum accipit. Neque Constantino assentior, meritò reprehendi ad Amaro Marcellum & Ruellium scribenti, quod cũ succo Lanariæ herbæ, non cum succo Struthei Mali & foliis Cypri rufari capillos interpretati sunt. Cypri arboris folia, summáque germina, inquit Galen. in vsum veniunt, facultatis & qualitatis mixtæ. Habent enim quiddam digerens cum aquea substantia modice calida, habéntque etiam qniddam adstringens ex terrea substanria frigida. Itaque eorum decocto quidam ambusta fouent. Vtuntur etiam aduersus igneas phlegmonas, & carbunculos: nam absque molestia & morsu desiccant. Quinetiam sponte prouenientibus in ore vlceribus aphthis cognaris, & ipsis aphthis mansa commoda sunt. Fit ex Ligustri floribus oleum, inquit Matthiolus, cum oleo insolatis, quod ad vulnerũ inflammationes plurimùm valet, & ad capitis dolorem à bile ortum. Destillatur ex iisdem floribus aqua non inodora, ad ea vtilis quæ refrigerationem adstrictionemq; postulant. Eadem pota, cœliacis, dysentericis, & cæteris alui fluxionibus affectis auxiliatur. Vteri fluxiones inhibet, tum pota, tum suppositа. Datur vtiliter potanda sanguinem reiicientibus. Oculorum fluxionibus per se, aut cum Pompholyge medetur.

Ibidem. Enar. 114. li. 1. Dioscor.

Li. 7. simpl. Tempera. & Vires.

Lib. 1. Dioscor. c. 107.

VACCINIVM PLINII, CAP. LXI.

SVNT qui plantam, cuius figuram hic proponimus, Vacciniũ Plinij, Theophrasti verò Lacatham arborem in Macedoniæ planis nascentem esse suspicantur. In sæpibus gignitur, sæpius humilis frutex, nonnunquam arboreſcens, ad magnitudinem Mali Punicæ crescit, ramosa, & surculosa arbuscula, minimè spinosa, radicibus crassis, multis, brachiatis: caudice cum arboreſcit plerúmque intorto, cortice, rimoso, scabro, subcinereo, ramorum verò cortice ex cæruleo nigricante, ac læui, colore oculis non ingrato: folio Pruni syluestris, lætiùs & pallidiùs virente, venoso: flore albo, suauissimè olente ex quatuor foliolis composito, filis intus candidis, apice rubro coronatis: baccis nigris, rotundis, gustu subamaro, non tamen insuaui, succo plenis purpureo, qui expressus lintea, coriáque munda, & candida, floridissima purpura tingit, colore nec fugaci, nec caduco, sed diutissimè permanente, nucleis, Cerasorum nucleo odore & sapore similibus, osiculo similiter Lacunato inclusis, ex quibus oleum conficitur iucundi odoris, quo ad illinendas, manicas vtuntur. Baccis istis maturis turdi, merulæ aliæq; auiculæ auidissimè vescuntur. Quamobrem Italia ad eas alliciendas sæpes ac Dumeta Vacciniis conserebat. Plinius. Item Vaccinia Italiæ in aucupiis sata: Galliæ verò etiam purpurea, tingendi causa, ad seruitiorum vestes. Nonnulli hunc fruticem Chamæcerasum, siue syluestrem Cerasum esse

Nomina
Lib. 16. c. 18. Lib. 3. Hist. cap. 4. & 7.
Locus.
Forma.

VACCINIVM PLINII,
Lacatha Theophrasti.

Lib. 16. c. 18.

existimarunt. Verùm à quouis Ceraſorum genere differt, floreſcendi celeritate paruulis foliis, fructus amarore, apicibus in flore rubris, in Ceraſo luteis. Fructus quidem Ceraſi ſylueſtris eſſet, niſi breuiore pediculo niteretur, ac minor foret, quippe qui Piſi magnitudinem non excedat. Hyacinthum Romani Vaccinium vocant, rura noſtra hodie *Vaciet*, in quo nomine, quia priſtini vocabuli quædam rudimenta relucent, quaſi Vacinium & Vaccinium innuant, Ruellius Vaccinium Hyacinthũ eſſe arbitratus eſt, à quo planè diſſentio. Nam hæc Hyacinthi appellatio in iis habetur, quæ Dioſcoridi falſò ſunt adſcriptæ, & incerta eſt, falláxque coniectura ex ſola nominum affinitate ſumpta: neque etiam Hyacinthi vllus ad aucupia vſus eſſe excogitaríue poteſt, neque Hyacinthi flores, quatumuis eos manibus teras, purpureo ſucco digitos inficiunt. Præterea Vaccinium à Plinio inter arbores, non inter herbas numeratur. Quod ſi quis Hyacinthum ideo Vaccinium appellatum fuiſſe contendat, quod eius flos veluti Vaccinij ſucco imbutus purpureo colore niteat, huic non valde repugnauerim. Sed ab hoc, Plinij Vaccinium, quo de hîc agitur, longè diuerſum eſſe dico. Non deſunt etiam qui Vaccinij nucleos ex Oriente aduectos pro nucleis Mahaleb oſtendant, & vendant. Tamen Mahaleb de qua nos antea tractauimus, longè alia eſt arbor. Vaccinium in ſæpibus ferè ſemper, vt dictum eſt, prouenit cum Liguſtris. Quam ob cauſam Virgilius fortaſſe eodẽ verſu coniunxit:

Li. 3. c. 104.

Alba Liguſtra cadunt, Vaccinia nigra leguntur.

VIBVRNVM, SPIRÆA THEOPHR.
CAP. LXII.

Lib. 1. Dioſcor. c. 124.

Nomina

E lo. 1.

Forma.

RVTEX hic qui ab Italis *Lantana*, & *Viburno*, appellatur, Germanis *Schlingbaum*, maximè lentus eſt, obſequioſus, flexuq; inuictus, quale eſſe Viburnum Virgilius cecinit hoc carmine:

Quantum lenta ſolent inter Viburna Cupreſſi.

Ramos edit digitali craſsitudine, bicubitales, folia Vlmea, incana, & hirſuta, paribus internodiis & aduerſis pediculis coniugatim adhærentia, per ambitum tenuiſsimè ſerrata: florem album, velut in vmbellam coaceruatum, à quo acini prodeũt lentium modo compreſsi, primum virides, deinde rubri, poſtremò nigri: radices per ſumma ceſpitum vagantur. Virgæ adeo flexiles, lentéſque ſunt, vt ad faſciculos colligandos iis vtantur ruſtici. Naſcitur in ſepibus & frutetis, incultóque ſolo. Fruticem hunc Spiræam eſſe Theophr. primus animaduertit Dalechampius, cuius ſententiam probauit Conſtantinus his ferè verbis. Spiræa frutex eſt lentus, & vitilis, ita vt in Spiram torqueri poſsit, vnde & nomen ἀπὸ τῆς σπείρας. Fructum fert in ſummitate racematim rubrũ, & maturitate nigreſcentẽ. Theophr. τῶν θαμνωδῶν (ἀκροκάρπων) ἐρείκη, σπειραῖα, ἄγνος, id eſt, fruticũ qui in cacumine fructũ ferunt, Erica, Spiræa, Vitex. Alio loco corruptè ſcribitur σμηρία, pro σπειραῖα, nec alij rectè σπειραῖα emendarunt: οἷον χιοστὸς, μηλωθρὸν, ἐρεβίνθινον, σπειραῖα, χνέωρον

Locus.

In Lexi.

Lib. 1. Hiſt. cap. 23. Lib. 6. Hiſt. cap. 1.

VIBVRNVM, Spiræa Theophr.

χνέωρον, ὀξύγανον, &c. Sic etiam Plinius legit. Ergo in coronamenta folio venere Melothron, Spiræon, Trigonon, Cneorum, &c. Ruellius cum de Rhoe ex Dioscoride & Theophrasto scriberet, vt Rhoen quam non nouerat, in Lutetiæ suburbanis reperiret, fruticem depinxit, quem antea citra Historiam solo nomine Halini indicauerat, & à Gallis *Blancheputain* vocari dixerat. Idem apertissimè capite de Vite sylvestri eam *Vierne*, & *Hardeau*, (à Gallica voce *Hard*, quæ vinculum & funẽ significat) nominari tradit: vt necesse sit aut Ruellium hæc obliuioscẽ & incogitanter confudisse, aut duas illas plantas æquè vocari à Gallis *Vierne*: quo nomine appellari iure possunt aliæ quæuis lentæ, flexiles, vietæ. Nam ruborem tantùm etiamnũ rustici ex baculis contortis & simul implicatis, spiras factas quibus clatros aditui suorum hortorum obiectos ligant, vocant nunc *Vierne*, nunc *Rierte*. An verò spirea Viburnum sit Virgilij, an potius Vitis sylvestris, parum refert, cum vtraque planta, si cum Cupresso comparetur, humilis sit, & altitudine longe inferior. Flexilis tamen lentor Viti sylvestri magis quàm Spirææ conuenit. Præterea obseruandum: quod Ruellius non animaduertit, Rhoen & Vitem sylvestrem coriarias esse plantas, sed à Vite sylvestri coria depsari, à Rhoe perfici. Nam plantarum id genus aliæ feruidæ & acres, vt Vitis sylvestris, calcis modo: qua nostro sæculo vtuntur coriarij, tanquam Psilothro, pelles aqua maceratas, pilis nudant, & sic molliunt, vt subigi, radiolísque purgari ac exteri possint, quod depsarè est. Aliæ deglabratas pelles, maceratas, emollitas, derasas sic rursum spissant, densant, durant, vt ad vsum calceorum, solearum, ocrearum, thoracum firmæ solidæq; sint, quod perficere est. Eiusmodi sunt Rhus, cortex Quercus, & Galla. Hoc quidem modo. Rhus sanè Coriaria est, altero, Vitis sylvestris, & aliæ multæ plantæ, id quod Theophrastus scripsit his verbis: θερμαντικὸν δὲ καὶ δεσμὼ καὶ τῆς ἀμπέλου τῆς ἀγρίας ἡ ῥίζα. διὸ καὶ εἰς ψίλωθρον χρήσιμον, καὶ ἐφηλίδας ἀπαγῇ (non ἐπάγῃ) τῷ δὲ καρπῷ ψιλῶσι τὰ δέρματα (non δένδρα) τέμνεται δὲ πᾶζαν ὥραν, ὁ πώρας δὲ μάλιστα. Ideſt, Vitis sylvestris radix acris est, & calfactoria, ideoq; ad psilothrum vtilis: maculas in facie sole contractas delet: fructu coria depsantur. Cæditur quouis tempore, sed Autumno præcipuè. Absurdum est quod scribit Ruellius, acinorum & radicis huius plantæ naturam esse gelidissimam, cum feruidissima sit. Viburni folia aspera sunt, & adstringentia, auctore Matthiolo. Quare ad vacillantes dentes confirmandos valent, & ad gingiuarum rheumatismos, si eorum decocto cum Oleę foliis in aqua & aceto dentes sæpè colluantur. Gargarizatur ad columellæ prolapsum, & ad faucium fluxiones. Vuarum acini ante maturitatem arefacti, in puluerem redacti, & poti alui profluuia sistunt. Ex radicibus sub terra maceratis, deinde decoctis, diúque tusis fit viscum ad aucupia. Folia in lixiuio decocta pilos denigrant, & fluentes inhibent.

Lib. 21. c. 9.
Lib. 1. c. 125.
Lib. 1. c. 85.
Lib. 3. c. 163.
Ibidem.
Lib. 9. Hist. cap. 22.
Lib. 3. c. 152.
Vires.
Ibidem.

PHILYCA CAP. LXIII.

PHILYCA Græcis dicta, arbor hæc Dalecampio esse videtur, Illyrici gentibus, Comoricha. Galli oppido S. Spiritus nuncupato, ad Rhodanum sito vicini, in quorum sepibus frequens hæc stirps gignitur *Alardens* vocant: Monspelienses seplasiæ Phillyream, vt & Pena, Clusius tertium & quartum Phillyreæ genus has duas plantas esse putat. De qua Theophrastus: ἐντονώτατον δὲ φιλύκη, καὶ ἡ λεύκοτης ὥσπερ τοῦ κηλάστρου. Quæ sic Gaza vertit. Obedientissima

Nomina
Lib. 1. Obs. cap. 16.

PHILLYREA PENÆ maior, III. Cluſij, Alaternus maior Dalechampij.

PHILLYREA MINOR Pena, & IIII. Cluſij, Alaternus minor Dalechampij.

PHILYCA Dalechamp.

Forma.

Philyca eſt, candórque ei Celaſtri modo: rectius firmiſsima, ſed legiſſe videtur ἰυκαμπὲς, ſiue ὄεργον, vel quid ſimile. Philyca Liguſtri eſt magnitudine, multum fruticoſa, coma perpetua, caudicis cortice cinereo, rugoſo: foliis Lentiſco fere ſimilibus, amplioribus, longioribus, carnoſis, obſcurè virentibus, guſtu adſtringentibus: fructu racematim congeſto, antequam matureſcat anguloſo, cum maturuit, rotundo, nigro. Is conſtat pulpa tenera, ſuccoſa, guſtu principio dulci, mox amaro, cum acrimoniæ tantillo, ac dum manditur ſuaue quiddam olente, quod cum baccarum Iuniperi odore comparari poſsit: Pulpæ ſubiectum eſt lignoſum, ſed valde tenerum ac fragile putamen, nucleum contegens rotundum, guſtu amarum. Huiuſmodi eſt hîc depicta à nobis arbor. In Grammontio luco haud procul à Monſpelio, ac in eius tractus ſaxoſi glareoſiq; ſæpibus creſcit.

CVTI

CYTISVS, CAP. LXIIII.

FRVTEX, non herba est, qui κύτισος Græcis dicitur, Latinis Cytisus à Cythno insula, in qua inuentus est, auctore Plinio, vnde translatus in omnes Cycladas, mox in vrbes Græcas magno caſei prouentu: propter quod maximè miratur idem Plinius rarum esse in Italia. Est autem Cytisus, Dioscoridi, frutex albus in totum, vt Rhamnus, ramos spargens cubitales, sæpe maiores, in quibus folia fœnigræci aut Loti trifoliæ sæpe minora, dorso medio prominente. Ea digitis trita Erucam olent, gustatáque Cicer recens sapiunt, quæ descriptio tam accurata non est, vt ex ea verus Cytisus cunctis innotuerit: diuersi enim auctores diuersos Cytisos exhibent. Ac primum Matthiolus credidit aliquãdo Cytisum eam esse Trifolij odorati speciem, quam Itali Trifolium equinum, quod equis gratissimum sit pabulum, vocant. Sed cum postea trifolium illud Loton vrbanam esse deprehendisset, & Cytisum non herbam sed fruticem esse Myrti magnitudine apud Galenum legisset, imo inter arbores recenseri à Plinio, & Strabone, ipse sententiam suam retractans, aliam Cytisi plantam à Cortuso missam pingendam curauit, quam legitimũ Cytisum notis omnibus referre putat, non solum foliis & totius plantæ colore, sed etiam ipsius ligni materie, quæ nigra est, & Ebeni modo firmissima, quod de Cytiso Theophrastus & Plinius tradidere. Hanc nasci copiosam audiit in Regno Neapolitano, ac etiam alibi fortasse gigni in Italis suspicatur, nusquam tamen ante à se visam. At hanc non Cytisum, sed Medicæ speciem esse autumant periti herbarij. Trago Cytisus pes milui pandectario, trifolij genus, nihil aliud est quam procerus & nodosus caulis, multis adnatis iisque geniculatis brachiatus, foliis vestitus Trifolij, fœnogræco quadãtenus similibus at maioribus, firmioribus, acutioribus & prolixioribus, per ambitum leuiter serratis, incanis, gustu Trifolium referentibus in agris sponte nascitur. Marcellus Empiricus Cytisum etiam sua sponte prouenientem describit his verbis. Herba vel frutetum, quod maximè circa sepes vinearum nascitur, Latinè Cytisus dicitur. Virgultis est sub tortis vel curuis, foliis oblongis, bene virentibus: floribus concluſis, oblongis, albis vel galbineis, bene olentibus, ideſt mellito odore frutetum ipsum semper virens æstate atque hie-

Nomina.

Libr. 13. ca. 24.

Lib. 4. c. 108

In cap. 108. libr. 4.

Lib. 2. ca. 6.

CYTISVS MATTH.

CYTISVS TRAGI.

me: quæ descriptio fortasse Tragi Cytisum exprimit. Constantinus Scholiis in Dioscoridem Cytisum verã se vidisse affirmat in hortis monasterij D. Germani Lutetiæ Parisiorum, omnibus Dioscoridis notis congruentem, vidimus ac rursum in hortis Franciscanorum Lugduni. Hunc eadem qua plurimas alias stirpes diligentia & fidelitate delineauit Dalechampius his verbis. Cytisus in hortis Franciscanorum Lugduni multos annos viguit, iniuria mortuus cum æstate feruidissima transferre coactus fuisset olitor, ob metum imminentium hostium subrutis eius sodalitij hortis. Frutex est hominis fere altitudine, ramis multis, canis, folio fœnigræci, perpetuo, flore Pisi luteo, nigris maculis compũcto, semine Genistæ, siliquis abdito: radice pro fruticis proceritate, crassissima, alba, in profundum obliquè acta, carnosa Raphani modo, tenera, gustu subdulci. Floret hyeme tota vsque ad vernum æquinoctium, æstate siliquatur, fructum Autumno perficit. Folia trita prorsus Erucam olent, & gustata Cicer recẽs sapiunt. Quod florem edat hyeme, anni tempestate ad euocandos flores incõmodissima, hæc esse potest causa, quam Constantinus Scholiis in Dioscoridem reddidit, nempe quod vegetali calore adaucto externi frigoris repercussu, fructuosa alioqui planta, & ob radicis teneritatem maximè obediens, cum minimè sit alsiosa (neque enim æstuum, neque frigorum, inquit Plinius, neque grandinum aut niuis iniuriam expauescit) vberius alimentum ad fruticandum proliciat. Cytisum cuius imago hîc appicta est, Conradus Gesnerus ad Dalechampium misit. Est autem, vt eius verbis vtar, frutex τρίφυλλος, sapore glutinoso maluæ, id quod in eo Galenus requirit. Alius Cytisi effigies sequitur, quem à natalibus Alpinum vocant. In Appennino crescit, frutex ad hominis proceritatem assurgens, interdum humilior, stipitibus multis, ramosis, foliis fœnigræci, aut Loti trifoliæ, trigeminis, ex ramorum quibusdam velut extantibus tuberculis prodeuntibus, gracili pediculo appensis, vno ex loco nonnunquam binis pediculis, nonnunquam ternis enascentibus, qui singuli terna folia sustinent. Flos in summis ramis est copiosus, luteus, vel pallidus, Piso similis. Folia, surculi, denique totus frutex candicant. Pena cum diu auxius in Cytisi veri historia hæsitasset, subductis hinc inde rationum momentis, ac

collatis

CYTISVS GESNERI.

Lib.13.c.24

CYTISVS ALPINVS
Dalechampij.

CYTISVS
prior Pena.

collatis variis plantis, tandem eum probatū iri credit candidis arbitris, quem vidit in via regia quaRoma Florentiam itur, in oppidulo. cui nomen Aquæ pendulæ, decliui & depreſſa planitie feraciſsima nempe fruticem, quinque ſéxve cubitis proceriorem, Geniſtæ ſarmentis pluribus, gracilibus, præduris, ſtriatis, ſtatim ab imo ſeſe attollentibus, aut paullo ſupra lignoſām radicem foliis ternis, pediculo ſubnixis, non ita numeroſis, ſimili fœnogræco, anguſtioribus, habitioribus, rutaceis: flore Geniſtæ, vel Spartij, aut Piſi, luteo, ſed minore: ſiliquis Geniſtæ paribus, cinericiis, gracilioribus, compreſsioribus, ſemine Geniſtæ, intus loculis diſcreto, ex atro virenti. Tota planta incana eſt, vt Rhamnus Mompelienſis. Sapor Ciceris aut ſimilis leguminis. Alteram idem notiorem frequentiorémque, Italiæ & Galloprouinciæ exhibet, in ſquallidis ſaxoſiſque collibus inter Ilices cocciferas, & maiores Ericas virentem, florúmque amœniſsima copia oculos oblectātem, & capras paſcentem æſtatis initio. Seſquicubitales ſpargit is frutex virgas, tenues, lignoſas, ramoſas, è quibus folia terna oriuntur, (ea pictor omiſit, binis tantum pictis,) maiora quam in priore Cytiſo, rotundiora, ex atro virentia: flores Geniſtæ ſimiles in ſummis cauliculis copioſi puſilli, lutei, denſius ſtipati, quā pro magni-

CYTISVS
alter Pena.

CYTISVS
Hiſpanus Cluſij.

tudine

tudine fruticis, quo aduolant apum mellificantium examina: odor illi gratus: ſapor alterius: ſiliqua, & ſemen minora. Hos frutices pro Cytiſis periti herbarij proponunt. Poſt eos Cluſius aliquot alios frutices recenſuit, ad Cytiſi genera referendos, vt putat. Primus ad arbuſculæ magnitudinem creſcit, interdum, ſtipite duro, materia flaueſcente, medulla nigricante, maioribus ramis, & virgultis cortice candicãte obductis Tenelli ramuli toti hirſuti ſunt: folia numeroſa ramos ambiunt, terna ſingulis pediculis hærentia Medicę modo, dilutiore virore, ſapore leguminum viridium, amaro tamen. Aliquot flores extremis ramulis ferè ſpicæ modo inſident, Geniſtæ ſimiles, lutei, nonnihil odorati: deinde ſiliquæ Geniſtæ figura, oblongæ, aſperæ tamen, & hirſutæ, in quibus ſemen exiguum, tumidiuſculum, nigricans, Geniſta minus: radix lignoſa, in diuerſa tendens. Secundus eſt duorum cubitorum duntaxat altitudine, fruticoſus, virgas ferens prorſus candidas, tenues, ramoſas, folia ſuperiori ſimilia, terna ſemper, ex ſingulis pediculis pendentia, ſed minora, omnino incana, & nunquam expanſa, ſed ferè ſemper complicata, dorſo prominẽte, impenſe amara: flores vt in ſuperiore extremis ramis inſident, eidem forma ſimiles, ſed colore nitidiori & plane aureo: ſiliqua itidem oblõga, aſpera, mucrone deorſum inflexo ex nigro purpuraſcente: ſemine quàm in ſuperiore paullo maiore, & ſubnigro: radix ſuperiori ſimilis. Vterque prouenit in Salmanticenſi agro, & aliis vtriuſque Caſtellæ locis, ſecus vias: florẽt Iunio, ſemen edunt Iulio, & Auguſto. Tertius pedalibus, & raro cubitalibus, aſſurgit ramulis, tenuibus, prorſus incanis, quos exornant folia terna, breui pediculo nixa, quorum medium folium dupla lõgitudine reliqua folia ſuperat, colore cinereo, & incano, ſapore adſtringente, & linguam exſiccante. Ramuſculi fere ab imo ad ſummum per ſingulorum foliorum exortus floribus onuſti exeunt, binis, aut ternis, ſimul naſcentibus ex vaginula quadam molli, & candida lanugine hirſuta, aureo colore fulgentibus, odore iucundo, ſimili cum ſuperioribus forma, ſed minoribus. Inuenitur in variis Hiſpaniæ locis, præſertim Bætica, ſed nuſquam copioſior quàm in regno Valentino, vbi plurimus eius vſus. Nam qui bombyces alunt, eius ramos ſupra tegetes ſpargunt, quibus iam Mori foliis ſaturi bombyces ſtamina ſua aduoluant, quæ deinde

CYTISVS II.
Cluſij Hiſpan.

CYTISVS III.
Cluſij Hiſpan.

CYTISVS IIII.
Cluſij Hiſpanus.

deinde à mulierculis & pueris explicantur. Quartus, hominis eſt altitudine, oblongis virgis, non admodum fruticoſis, neque obſequioſis, cortice nigreſcente obductis: folia ei ſunt Trifolij aut Medicæ, terna ſimul ex ſingulis pediculis, ſuperna parte virentia, prona verò ſubrufa, lanugine hirſuta, ſapore leguminum, amariuſculo: flores ex alarum ſinu quam in reliquis maiores, Geniſtæ ſimiles, luteo auri colore. Solummodo ad montium radices circa Calpen, & Bæticæ maritima, Februario florentem Cluſius vidit. Cytiſi folia auctore Dioſcoride, refrigerant, tumores initio diſcutiunt, ſi cum pane trita illinantur. Decoctum potu vrinam ciet. Nonnulli quod apes alliciat prope aluearia ſerunt. Quod inquit Galenus, Cytiſi folia digerendi facultatem obtinent aqueæ temperatæ miſtam, ſicut & Maluæ folia. Eius vero longe maximus fuit apud veteres vſus ad pecoris paſtiones, & ad lactis fœtuúmque prouentum, vt diligenter tradidit Columella his verbis Cytiſum, in agro eſſe quam plurimũ maximè refert, quod gallinis, apibus, capris, bubus quoque, & omni generi pecudum vtiliſsimus eſt, quod ex eo cito pingueſcit, & lactis plurimum præbet ouibus: tum etiam quod octo menſibus viridi eo pabulo vti, & poſtea arido poſsis. Præterea in quolibet agro, quamuis macerrimo, celeriter comprehendit: omnem iniuriam ſine noxa patitur. Mulieres quidem ſi lactis inopia premuntur, Cytiſum aridum aqua macerari oportet, & cum tota nocte permaduerit, poſtero die expreſsi ſucci ternas heminas permiſceri modico vino, atque ita potandum dari: ſic & ipſæ valebunt, & pueri abundantia lactis confirmabuntur: &c. Eadem declarat Plinius, frutex eſt & Cytiſus, inquit, ab Ariſtomacho Athenienſi miris laudibus prædicatus pabulo ouium, aridus verò etiam Suum: ſpondétque iugero eius annua H-S. M M. vel mediocri ſolo reditus (alias mediocri ſoli reditu) vtilitas quæ Eruo, ſed ocyor ſatietas, per quam modico pingueſcente quadrupede, ita vt iumenta hordeum ſpernant. Non ex alio pabulo lactis maior copia aut melior, ſuper omnia pecorum medicina à morbis omni vſu præſtante (alij legunt medicinæ in omni morbo. Alij medicinæ & morbis ouium.) Quin & nutricibus in defectu lactis aridum, atque in aqua decoctum potui cum vino (dari iubet, & firmiores celſioréſque infantes fore. Viridem etiam gallinis, aut ſi aruerit, madefactum. Apes

Li. 4. c. 108. *Vires.*

Lib. 7. ſim.

Libr. 5. cap. vlt.

CYTISI FACIE
Alyſſan quorumdam Lobell.

Li. 13. ca. 24.

quoque

quoque nunquam defore Cytiſi pabulo contingente, promittunt Democritus, & Ariſtomachus. Nec aliud minoris impendij eſt. Seritur cum hordeo, aut vere, ſemine, vt porrum: vel caule autumno, ante brumam. Si ſemine, madidum: & ſi deſint imbres, ſatum ſpargitur (Alij ſatum aqua ſpargitur) Plantæ cubitales ſeruntur ſcrobe pedali. Seritur per æquinoctia tenero frutice. Perficitur triennio. Demetitur verno æquinoctio cùm florere deſiit, vel pueri vel anus viliſsima opera. Canus aſpectu, breuiterque ſi quis exprimere ſimilitudinem velit, anguſtioris Trifolij frutex (verius amplioris) Datur animalibus poſt biduum ſemper. Hyeme vero quod inaruit, madidum. Satiant equos denæ libræ, & portione minora animalia, &c. In hac Cytiſi hiſtoria inſcite Plinius vertit, (vt Porrum) ex aurore Græco, apud quem fuit, ἐις πρασίας φυτεύω, id eſt, in areolis ſeri, quemadmodum &. Columella reddidit. Cytiſis ſubiungi poteſt Cytiſi facie Alyſſon fruticans quorumdam, auctore Lobellio, Parum admodum notus, perelegans frutex, exoticus rarus, niſi cultioribus Belgij viretis, vbi floribus luteis, Leucoij, minoribus æſtate nitet, è ſparſis numeroſis, anfractuoſis, Polemonij, iſtriatis cauliculis. Folia Cytiſi, habitiora, albida, hiſpida, ſetaceis pilis villoſa. Radix lignoſa, durior & in folliculis ſemen.

HALIMVS, CAP. LXV.

Nomina VARIÆ ſunt plantæ à rei herbariæ ſcriptoribus Halimi nomine deſcriptæ, & picturis expreſſæ. Nos de vero, vt arbitramur, Dioſcoridis Halimo hîc dicemus ex Dalechampij ſententia. Reperitur modo aſpirata, modò nude ſcripta litera. Placet aſpiratio, quoniam à ſalſo humore nomen inuenit, vnde Ætius Halimum Halmyrida à ſalſugine appellari dixit. Solinus Alimon in Creta naſci tradidit, mirabili, ſi credatur, effectu, quod admorſa ea interdiu fames nulla ſentiatur, vt nomen inde impoſitum ſit ei quod famem arceat, proptereáque nec aſpirationem prima litera recipiat. Halimon Latini, vt Plinius, Anreonem vocant, Toloſates *L'herbe du maſclou*, id eſt, herbam colicis doloribus vtilem. Multa alia Halimi nomina, in iis quæ falſò Dioſcoridi ſunt adſcripta, legere quiuis poteſt, quæ ſciens omitto. Eſt Halimon non parui erroris inter auctores, ait Plinius. Alij fruticem eſſe dicunt denſum, candidum, & cætera ferè omnia quæ Dioſcorides habet: alij olus maritimum eſſe dixere ſalſum, & inde nomen. Duorum præterea generum, ſilueſtre, & mitius. Cratenas tertium genus addidit. Sunt & aliæ plantæ, vt diximus, Halimi nomine appellatæ. De primo genere, ideſt, de Dioſc. & vero Halimo hîc tractamus. Halimus frutex paruus radicem habet altam, inflexam, longius euagantem, craſſam, duram: caules multos, latius in orbem terram opacantes, cubito altiores, anguloſos, ramoſos: folia multa in ſurculis, per caules, cauliúmque ramulos imparib⁹ interuallis diſpoſitis aceruatim cumulata, craſſa, candida, Oleæ ſimilia, breuiora, quamuis Rhamno longitudine paria interdum ſint, qualia in ſecundo genere Halimi ſui deſcribit Cluſius, latiora Dioſcoridi, molliora Plinio, vtrumque enim verum eſt, etiam hyeme virentia, ſaporis primum quidem ſalſi, ac ſubaſtringentis, qualis in permultis maritimis plantis percipitur, deinde ſubdulcis. Ab hoc ſalſo ſapore Halimo vt diximus, nomen poſitum eſt, nequis à maritimis ſolum natalibus dictum exiſtimans alibi prouenire neget. Semen producit latum, candicans, in ſummis ramis copioſum.

Locus. Tertiũ Halimi genus in maritimis frequens à Cluſio deſcriptum, Crithmum eſt Dioſcoridis, Italorum *Bidone*, quod ſuo loco declarabimus. Halimus Dioſcoridi frutex eſt ſepimentis idoneus, ſimilis Rhamno, ſine ſpinis, foliis Oleæ, ſed latioribus, Naſcitur in ſepibus, & maritimis. Eadem planè Oribaſius habet.

Herm.cor. 122. libr. 1. Dioſcor.

Corn.Embl. 99.lib.1. Dioſcor.

Li.22.c.22.

Lib.1.c.103.

Li.1.ca.105.

Libr 11. Li. 4. Hiſt. ca.vi.10 & libr.5.cauſ. cap.22.

Theophra

HALIMVS verus Dalech.

Theophraſto, Halimus autore vicinas plantas enecat, valentius quàm Hedera aut Cityſus, nam & Cityſum ipſum interimit, eóque pernicioſius quò plus habet ſalſuginis. Scribit Ruellius in viuis Galliæ ſæpibus frequentem eſſe fruticem quem *Blancheputain*, rura vocant, guſtu ſubacerbo in ſalſuginem vergente, quare menſis folia cum tenereſcunt non eſſe ingrata. Eum fruticem ſi Halimon eſſe exiſtimat, vehementer errat, vt capite de Spiræa diximus. Bellonius multis locis Halimi meminit, ſed ita vt ex illius verbis quænam planta ſit Halimus intelligi non liceat: Frutex Halimus, inquit, in Creta Halimatia vocatur, adeo frequẽs, vt magna pars ſepium ex eo conſtet. Cimæ ſunt dulces. Idem alibi: Recenſetur Halimus inter plantas perpetuò virentes. Idem in prato quodam plano ſe Halimum vidiſſe affirmat, qui licet natura ſe attollat in fruticem ramoſum, ſine ſpinis, vt in Creta, illic tamen per terram ſpargebatur inſtar Capparum ſpinoſarum. Idem alibi. In Ægypto aggeres Nili muniuntur faſcibus ex Halimo: ac rurſum. Sepes in Ægypto fiunt ex Halimo. Amatus Luſ. etiam de Halimo ſatis multa, ſed ita vt ex iis Halimum non internoſcas. Nec magis in hac hiſtoria ſibi conſtat Anguillara, qui aliquot locis prouinciæ Samnitum mari vicinis, Halimum propriè à Dioſcoride deſcriptum reperiri tradit, qui eſtur, ſepimentíſque eſt idoneus: Aliud etiam genus ei non ſimile conſpici aliis in locis maritimis: poſtremo eſſe plantam iis cõgruentem, quæ de Halimo ſcripſit Dioſcor. in Creta edulem ibi vocatam Sandalida, ex qua & ſepes fiunt in Sicilia. Cordus Halimum ſibi incognitum eſſe fatetur, conſiderandúmque in hac planta cenſet, ait quomodo concilientur Dioſcorides, & Serapio. Ille enim ſcribit Rhamno ſimilem eſſe Halimum, ſed ſpinas non habere, hunc autem plures illi quàm Rhamno ſpinas tribuere. Serapionis hæc verba ſunt. Dioſcorides. Quæ ex hac planta naſcitur in campis, aſsimilatur Rhamno, ideſt Nauſegi, niſi quia multas habet ſpinas, & folia eius ſimilia ſunt foliis Olearum. Ex quibus nihil aliud colligas, quàm Halimum ſimilem eſſe Nauſegi, ideſt Rhamno, niſi Rhamnus ſpinas multas haberet, quo ſenſu Serapio Halimo, quam Molochiam vocat, ſpinas non tribuit: quamobrem eum cum Dioſcoride conciliare nihil opus eſt. Halimus Toloſæ in hortis colitur, ſponte verò naſcitur in ſepibus, vt etiam auctor eſt Dioſcorides, præſertim ad vicum tribus miliaribus ab vrbe diſtantem, quem *Saint Hourens* vocant, loco macro, ſquallido, alto: vt rectè dixerit, Oribaſius naſci in maritimis locis, & præruptis, itémque in ſepibus. Plurimum in Cilicia prouenire, Galenus ſcribit, vbi & germina eius recentia eſitant, & reponũt, in poſterum futura vſui. Semen pariter, & planta ipſa lac generat, guſtus ſalſi & ſub adſtringentis. Ex quibus omnibus perſpicuum eſt ipſam diſsimilium eſſe partium. Maior autem pars eius calida eſt temperatè, cum humiditate incocta, & leuiter flatuoſa, folia inquit Dioſcorides, decoquuntur ciborum gratia. Radix conuulſa, rupta, torminaque mitigat, drachmæ pondere in aqua mulſa pota. Eadem lactis vbertatem facit. Quod autem radici tribuit Dioſcorides, Toloſates in foliis quotidie

Lib. 1. c. 85.

Lib. 1. obſ. cap. 18.

Ibid. ca. 44.

Ibid. ca. 60.

Lib. 2. Obſ. cap. 31.

Ibid. ca. 78.

In li. 1. Dio. cap. 121.

Ca. 85. fim.

Locus.

Lib. 1. c. 103.

Libr. 11.

Lib. 6. fim.

Vires.

Li. 1. ca. 103.

experiuntur. Horum enim manipulum terunt,& ex vino albo propinant, maximo doloris colici, torminúmque leuamento. Quam ob causam *L'herbe du masclou*, vulgo vocant. Quod lac attrahat, ipsúmque ac semen augeat, rationi valde consentaneum est. Salsa etenim nitrosáque substantia crassiorem sanguinem extenuat, vt in mammas fluat, & penetret facilius, sub adstringente partes glanduloſas roborat, ad lactis materiam melius concoquendam, dulci sanguinem copiosiorem gignit: quoniam dulcia in sanguinem facilè commutantur. Rustici pabulo sale condito, in pecudibus etiam lac magis affluere credũt.

SAMBVCVS, CAP. LXVI.

Nomina

SAMBVCVS à Græcis ἀκτὴ dicitur, ab Arabibus *Insacti*, ab Italis *Sambuco*, à Gallis *Sureau*, & *Suyer*, ab Hispanis *Sabugo*, & *Caninero*, à Germanis *Holder*, à cauitate, siue *Holler*. Sambucum arborem dictam putat Hermolaus à Sambuca, musico instrumento, quod alij pectida vocant, alij Magadin. Sambuca porrò ab auctore videtur appellata, cui nomen Sambyx fuerit. Vsam ea primam omnium Sibyllam perhibent. Dicitur & Sabucus arbor à Quinto Sereno. Sambuci duo genera sunt Dioscoridi. Vnum, Sambucus vulgo cognita in arborem assurgens: alterum humilius, Ebulus nomine, de quo sequenti capite. Prioris & si vnũ tantum genus descripserit Dioscorides, id nimirum quod notum omnibus est, hîcque depictum, tamen à posterioribus duo alia obseruata sunt genera, syluestre scilicet, siue montanum, de quo in Silua egimus, & quibus notis à superiore differat ostendimus. Alterum palustre, siue aquaticum, de quo etiam infrà dicemus. Sambucus vulgaris frutex est, sæpe in arborem accrescens, trunco crasso, lignoso ex quo rami multi prodeunt, harundinũ modo rotundi, longi, recti, geniculati, caui, medulla alba, dulcíque pleni, cortice cinereo obducti, cui subest alius viridis, medianus Officinis dictus. Ex geniculis prodeunt surculi, circa quos folia saturæ viriditatis, in ambitu parum crenata, grauis odoris. In ramorum summitatibus flores sunt candidi, in vmbellis. Deinde baccæ rotundæ, initio virides, tãdem ex nigro purpureæ, copioso succo vinoso, in quibus semen est minutulum, & cõpressum. Sambucus Dioscoridi, surculos spargit arundinaceos, teretes, cauos, candicantes, proceros: folia iuglandis terna, quaternáue ex interuallis circa ramos exeunt, grauia odore, minutim in ambitu secta: in ramulorum cacuminibus cauliculísque circinatæ vmbellæ, quæ florem candidum pariunt, mox acinum Terebintho similem, in nigredine sub purpureum, racemosum, succo madentem, vinosúmque. Quos hîc surculos cauos vertit Ruellius, Græcè legimus ὑποκοίλους, ideſt aliquantum cauos: neque enim Sambuci surculi omnino sunt caui, sed laxa medulla pleni. Vbi verò folia dixit grauia odore, minutim in ambitu secta, legitur in vetere codice, βαρύοσμα ὃ καὶ πικρότερα, ideſt, odore graui, amarioráque. Oribasius

Genera.

SAMBVCVS.

Forma.

Corol. 184. lib. 4. Dios.

Lib. 4. c. 168

Capit. 31.

Li. 4. c. 163.

Andr. Lac.

Lib. 11.

basius legit μικρότερα, ideſt lõgiora, alij μικρότερα, minora. Theophr. diffuſius Sambucum expreſsit his fere verbis quæ ideo refero, quia Theodori interpretatio non placet. Sambucus maximè iuxta aquas naſcitur, & in vmbroſis locis, in aliis tamen etiam prouenit (legendum enim, ἐν μὴ τοῖς τοιούτοις) fruticoſa eſt, virgis anniculis vſque ad foliorum defluuium in longitudinem creſcentibus, poſtea in craſsitudinem. Virgarum proceritas non valde magna, ſed ſenũm cum maximè cubitorũ. (Τῶν δὲ τελέχων πάχος τῶν γερανδρύων ὅσον περικεφαλαίας,) caudicum veterum craſsitudo, quæ trabis in nauium prora ſuper carinã poſitæ (nam περικεφαλαία polluci τόλος, lignũ mediũ ſuper carinã erectũ vnde pẽdet anchora, & cui vtrinque affiguntur conti lignei, ἀπροεμβολίδες, excipiendis roſtris æreis, vel ferreis ſubrecti, & prominentes, ἔμβολα vocant, quibus ad cõfringendã hoſtilẽ claſſem impetus fit. Cũ ea trabe vetuſti Sambuci caudicem Theoph. cõfert, non cũ galea. Vocabulũ id nauticũ Athenienſibus & Lesbiis notiſsimũ & vſitatiſsimũ fuit) cortex læuis, tenuis, rufus: materies fungoſa, ſi reſiccetur, leuis, medullã mollẽ habens, vt totæ virgæ concauentur. Ex hac baculos leues faciũt. Siccata valida eſt, & in aquis minimè ſeneſcens, etiam ſi delibrata fuerit. Delibratur autem ſua ſponte cum aruerit. Radices per ſummã terram ſpargit, non multas, neque magnas. Folium ſigillatim exit molle, oblongum, veluti Lauri latifoliæ, ſed maius, latius, rotundiúſque à medio & inferiore parte, ſuprema autem in acutum contractius, in ambitu ſerratũ: totũ autem circa vnũ pediculũ craſſum neruoſúmque, veluti ramulũ pendet. Foliorũ alia hinc, alia inde geniculatim coniugatímque adhærent, à ſeſe diſtantia, vno ex pediculi faſtigio exeunte, ſubruffa leuiter, raráque. Defluit totum ſimul. Quare id totum vnũ folium eſſe merito putaueris. Rami quoque nouelli quædã geniculorũ ſpecie habent. Flos albus ex multis paruis candidis conſtans, ſpecie faui, pediculi diuiſi ſurculis inſidet. Huic odor validus, qualis eſt Lirij, nonnihil grauis Similiter fructum edit, racematim, pediculo craſſo ſubuectum. Matureſcens nigreſcit, immaturus ὀμφακώδης, ideſt acerbus eſt, vel vuæ acerbæ colore, magnitudine Erui, paulo maior. Quæ ſequuntur adeo ſunt deprauata, & mutila, vt vix vllus ex iis ſenſus elici poſsit. Sic in vulgatis exemplaribus leguntur. Τὴν ὑγρασίαν ἡ οἰνώδη τῇ ὄψει, καὶ τὰς * χεῖρας ἡ τελείως, ἀναβλάστει ἡ καὶ τὰς κεφαλὰς, ἔχει ἡ, &c. Quę Theodorus ſic interpretatus eſt. Humore aſpectu vinaceus, & interna viſu Seſamacea continet. Sed ſic corrigi, reſtituíque poſſunt ex Dioſc. & Plinio. Τὴν ὑγρασίαν ἡ οἰνώδη τῇ ὄψει χυμὸς τελείως ἀνίησι, τὰς χεῖρας ἀναβάπτουσαν, καὶ τὰς κεφαλὰς ἔχειδε, &c. Ideſt, humorem ſpecie vinoſum maturus fructus reddit, manus & capillum tingentem. Quæ intus continentur Seſamo ſimilia ſunt. Sambucus in ſepibus noſtris frequentiſsima, locis humidis & vmbroſis gaudet. Maio mẽſe floret, aut paulò ſerius. Septembri fructus maturus eſt. Sambucũ aliam Lobellius oſtendit, foliis Laciniatis & minutim diſſectis, in Belgij hortis virentẽ, quę alioqui fructu, flore & ligno, à vulgari nõ differt. Sãbuci & Ebuli vis eadem, inquit Dioſc. & vſus exſiccans, aluo detrahens aquã, ſtomacho inutilis. Folia Olerũ more coquũtur ad pituitam bilémque detrahendam. Caules teneri in patinis cocti eadẽ efficiũt. Radix in vino decocta, & in cibis data hydropicos adiuuat: prodeſt viperarum morſibus eodem modo, vuluas emollit inſidentiũ decocto, patefacit earũ ſpiracula, & vitia corrigit. Acinij in vino poti eodem funguntur munere: denigrãt capillos illiti. Folia prætenera ac mollia ſi ex polenta illinantur, inflãmationem mitigant: ambuſtis, & canum morſibus illita proſunt: vlcera quæ dehiſcunt in fiſtulam, agglutinant. Iis qui podagra tentantur, cum ſeuo taurino aut hircino proſunt illita folia. Plinius partim eadem, partim etiam ampliora quam Dioſc. tradit. Sambuci & Ebuli decoctum inquit, in vino vetere foliorũ, vel ſeminis,

Lib. 3. Hiſt. cap. 13.

Locus.

Tempus.

Li. 4. c. 168.

Vires.

Li. 24. c. 8.

SAMBVCVS foliis, Laciniatis Lobell.

vel radicis ad cyathos duos potum ſtomacho inutile eſt, aluo detrahens aquam. Refrigerat etiam inflãmationem, maximè recentis ambuſti, & canis morſum, cum polenta, molliſſimis foliorum illitis. Succus cerebri collectiones, priuatímque membranæ, quæ circa cerebrũ eſt, lenit infuſus. Acini eius infirmiores quàm reliqua, tingunt capillum. Poti acetabuli menſura vrinam mouent. Foliorũ molliſsima ex oleo & ſale eduntur ad pituitã, bilémque detrahendam. Ad omnia efficacior quæ minor. Radicis eius in vino decoctę duo cyathi poti hydropicos exinaniunt: vuluas emolliunt: has & foliorũ decoctũ inſidentiũ. Caules teneri minoris Sambuci in patinis cocti aluũ ſoluunt. Reſiſtunt folia & ſerpentium ictibus in vino pota. Podagricis cum ſeuo hircino vehementer proſunt cauliculi illiti. Iidẽque in aqua macerãtur, vt ea ſparſa pulices necentur. Foliorũ decocto, ſi locus ſpargatur, muſcæ necantur. Boa, appellatur morbus papularum cùm rubent corpora, Sambuci ramo verberatur. Cortex interior tritus, & ex vino albo potus, aluum ſoluit. Idem alibi: Sambuci

Lib. 16. c. 37. [2]cinos habent nigros, atque paruos, humoris lenti, inficiendo maximè capillo,

Lib. 6. ſim. qui & ipſi aqua decocti manduntur. Vtraque Sambucus, Galeno, tũ magna illa, & arboreſcens: tum herbacea, quam & Chamæacten vocant, deſiccandi, conglutinandi, modicéque digerendi facultatem obtinet, quibus verbis Paulus adiicit, potam & manducatam aquam per aluum educere. Aqua ex Sambuci floribus, auctore Matth. fronti & ſincipiti admota capitis dolores mulcet à calido humore ortos. Succus ex radicis cortice vomitum valentiſsimè ciet, & aquã inter cutem pellit. Ex Sambuco vnguentum præſtantiſsimum ad igni ambuſta fit hoc modo. Corticis viridis qui libro & ligno intercedit librã vnã, olei ex aqua ſtillatitia florũ Sãbuci ſæpius loti libras duas ſimul feruere aliquãdiu ſinito, percolato, exprimito: deinde additis ceræ nouæ odoratæ, ſucci ſurculorũ Sãbuci, ſingulorũ, vnciis quatuor rurſus ferueant ſimul, quoúſque ſuccus euaneſcat. Ab igne ſublata hęc rudicula agitato: poſt, ſub coctura finẽ Verniçis liquidę vncias duas, Thuris in tenuem pollinẽ triti vncias quatuor, albumen ouorũ duorũ diu pri⁹ cochleari agitatũ addito, permiſcetóq; omnia diligẽter, & mũdo vaſe aſſeruato. Fungi ad imũ Sãbuci caudicẽ nati, aqua roſacea prius macerati, capitis dolores & inflãmationes mulcent. Stillatitia tũ Sãbuci, tũ Ebuli radicũ aqua hydrope tympanite laborãtes mirificè iuuat, ſi huius binas, illius quaternas vncias ſimul miſtas hauriãt ægri diebus triginta cõtinuis, vſta Sãbuci folia, & in puluerẽ trita manãtẽ ex naribus ſanguinẽ ſiſtũt. Baccarũ Sãbuci ſuccus à recremento purgatus, & cũ melle optimo coctus ad zulapij craſsitudinem, aurium dolores ſedat, ſi calidus inſtilletur. Sãbuci tenerrima folia, quę prima ſtatim germinatione prodeũt, cũ pari põdere radicũ plãtaginis, ſuillæque axũgiæ veteris cõtrita, ſubactáq; podagricos dolores pręſentaneo auxilio mulcẽt. Quod in baccis ſemẽ

Dodo. li. 3. cap. 44. cõtinetur minutulũ & cõpreſſum hydropicis pdeſt, & nimiũ obeſis qui maciléti fieri volunt, ſi quotidie drachmã vnam in vino biberint. Sed id diu faciendum.

EBVLVS

EBVLVS, CAP. LXVII.

QVAMVIS Ebulus herba sit potius quàm arbor, aut frutex, tamẽ veterum omniũ exemplo Sãbuco nos coniunximus. Dicitur hæc etiam Latinis Ebulum, Græce χαμαιάκτη, ideſt humilis Sambucus, aliis Helion, inquit Plinius, Arabicè *Kameactis*, Gallicè *Hieble*, Italicè *Ebulo*, Anglicè, *Maluourt*: & *Bloedtuourt*: Belgicè *Hadick*, Germanicè *Attich*, & *Niderer holder*, Hiſpanicè *Hiez guos*, & *Sabugo pequenno*. Ebulus caules producit longos, rectos, craſſos, anguloſos, geniculis diſtinctos, ramulorũ Sãbuci modo, in quibus folia obſcuræ viriditatis, foliis Sãbuci, tũ odore, tũ figura ſimilia. In cauliũ ſummitate muſcaria flores, deinde baccas Sãbuci ferunt. Ebulum Sambuco longe humilius eſt, inquit Dioſc. magiſque herbaceo generi aſſignandũ, caule quadrangulo, geniculato: foliis Amygdalę, ex interuallis, longioribus, geniculatim expanſis, pinnatiſque, graueolentibus, in ambitu ſerratis: muſcario Sãbuci, flore, & acino eiuſdẽ. Radice nititur longa, craſsitudine digitali. Ebulus locis incultis, & ſecus vias, nonnunquã & in agris prouenit. Tardius floret, Iunio videlicet, & Iulio mẽſibus, Auguſto baccas profert. Sambucus & Ebulus adeò inter ſeſe ſunt affines, vt earũ vires ab auctoribus, atque etiam à nobis ſuperiori capite ſimul ſint explicatæ. Quædã tamen alia hîc exponentur. Ebuli quoque, quem nemo ignorat, fumo fugantur ſerpẽtes, inquit Plinius: ac rurſum Ebulũ tenerũ cũ foliis tritũ, ex vino potũ calculos pellit: impoſitũ teſtes ſanat. Et aliquãto poſt: inter ea quæ hydropicos ſanant numeratur Ebuli recẽtis radix excuſſa tantũ, nec colluta, quantũ duo digiti cõprehẽdãt, ex vini veteris calidi hemina: ac mox, Acte quã quidã Ebulũ eſſe putant, radice cõtrita in vini cyathis tribus, ſi febris abſit, vel ſemine ex vino nigro. Præcipuè tamen chamę actæ ſuccus aptiſsimus creditur, ac rurſus, Ebuli folia contrita, & è vetere vino impoſita Boã ſanãt, ideſt rubẽtes papulas. Scribit Cornarius Plinii alio loco videri Ebulũ Actæã appellaſſe. Actæa graui foliorũ odore, caulibus anguloſis (non aſperis, neque aniſi, vt vulgata exẽplaria falſò habẽt) geniculatis, ſemine nigro vt Hederæ, baccis mollibus. Naſcitur in opacis & aſperis, & aquoſis. Datur acetabulo pleno interioribus fœminarũ morbis. Paulus quoque Actęę radicẽ in vino coctã hydropicis bibẽdã exhibet quo loco ipſemet Cornarius, & Andernacus Actæã Sãbucũ interpretati ſunt, etiãſi mox corticis radicis Sãbuci ſuccũ cũ cõdito iiſdẽ hydropicis Paul° propinet. Alij Plinij Actæã lõge diuerſam ab Ebulo eſſe ſtatuũt, de qua ſuo loco dicemus. Reliquas ebuli vires perſequamur. Ex radicibus Ebuli extractus ſucc° magnopere vomit° ciet, & aquas detrahit, craſſámque pituitã ad articulos fluentẽ. Ebuli ſemẽ permultis in aqua lotionibus à nigro ſucco expurgatũ datur vtiliter ex Chamæpityos decocto drachmæ pondere podagricis, iſchiadicis, & hiſpanico morbo laborãtibus: dolores enim eorum mulcet, humores cõfluentes tum reuocãdo, tũ deiiciẽdo. Sunt qui ex Ebuli radicibus ſuccum eliciant, & inſolatum in paſtillos redigant. Hic clyſtere infuſus inteſtinorum & coxendicum dolores à frigiditate & flatu genitos mitigat.

Nomina

Lib. 24. c. 8.

Forma

Locus.

Lib. 25. c. 10.

Vires.

Lib. 26. c. 8. Capitu. 11.

Emb. 163. li. 4. Dioſcor.

Lib. 27. c. 7. Actęa non eſt Ebulus.

Li. 3. ca. 48.

Matth. lib. 4. Dioſcor. cap. 168.

Lana exceptus inditur fœminarũ locis ad menſes euocandos. Illitus Ebuli radicum ſuccus procidentem ſedem reprimit,& anginam tollit, ſi circa gulam calidus illinatur.

SAMBVCVS AQVATICA, THRAVPALVS THEOPHR. CAP. LXVIII.

Nomina

Lib.1.c.105. Lib.4.Hiſt. cap. 1.

ALIAM Sambuci ſpeciem diximus eſſe Sambucum paluſtrem, ſiue aquaticam. Galli *Obier*, vel *Opier*, Germani *Bachhoder*, vocant. Belgi, *Gelders Rooſen:* Opulus tamen non eſt, vt Ruellius exiſtimauit. Theophraſtus multorum iudicio θραύπαλον appellat. Arbuſcula eſt vliginoſis & paluſtribus locis naſcens, virgis Sambuci æmulis, geniculatis, alba intus medulla, ſed fragili, & caduca materie: folio vitigineo, ſed minore: flore in muſcariis albo Sambuci modo, odore non prorſus iniucundo: qui in multis Germaniæ locis cultu & crebro ſatu dẽſiſsimus fit ac ſpiſsiſsimus, ſertísque additur, aſpectu valde formoſus. Ab eo baccæ prodeunt rubentes, baccarum Oxyacanthæ magnitudine, vinoſo ſucco plenæ, quæ deuoratæ vomitiones cient. Floret Maio menſe, baccæ Septembri ſunt maturæ.

Forma

SAMBVCVS aquatica, Thraupalus Theophraſti.

Tempus.

EVONYMVS, CAP. LXIX.

Nomina

Li. 1 ca. 77. Lib.27.c.4. Lib.3. Hiſt. cap.18.

EVONYMVM (quam aliqui Anonymum vocant, quaſi à non habendo nomine nomen inuenerit inquit Ruellius: quanquam Anonymos alia planta, herba Plinio ſit,) arbuſculam eſſe hîc depictam,& à Theophraſt. deſcriptam herbarij non pauci credunt, multis ſanè notis eorum ſententiæ adſtipulantibus: aliis Chamænerion dicitur, ideſt humile Nerium, ſiue Rhododendron, ſiue Nerium Alpinũ, quod foliis, flore, fructu ſiliquato, quamuis ſiliquis diuerſis Nerium vtcumque referat. Balſamum Alpinum Geſnero, & Roſa Alpina: Matthiol. vero libr. primo in Diſcor. Cneoron vocat quamuis idem alterum Cneoron Theophra. pinxerit libr. quarto in Dioſcor. qui hanc Euonymum eſſe putat, arborem pro Euonymo hactenus receptam, Fuſoriam, & Fuſanum appellatam, Euonymum eſſe negant, ſed Theophraſti Tetragoniã eſſe volunt, Plinij virgam ſanguineam à Sanguineis eiuſdem fruticibus diuerſam. Euonymus auctore Theophraſto, cum alibi, tum in Ordymno Lesbi monte naſcitur (ſic enim ex Plinio legendum, non ὀρυκνίῳ ὀρδύνῳ κεκαυμένῳ, vt Theophraſti exemplaria habent) magnitudine folióque Punicæ, pariter molli, maiore quam Chamædaphnes. Circa Septembrem germinare incipit, floret vere, floris color qualis in Leucoio, odore graui, & qualis ſentitur trucidato cadauere in tabum putreſcente, vel quaſi cæſum animal referat (ſic enim hæc vertenda videntur, ὄζει ὃ δλεινὸν, ὥσπερ φόνῳ, Plinius tranſtulit ſtatim peſtem denuntians, ſed non ſatis rectè alioqui cum floreat quotannis, peſtem quotannis ſæuire neceſſum quoque foret,) fructu cum ſuo putamine loculóue Seſami ſiliquis

Lib.3.Hiſt. cap.6. Li.24.c.10. Lib.3.Hiſt. cap.18.

Locus.

Lib.5.ca.3.

Forma

Li.13.ca.22.

quis non abſimili, intus ſolido, ſed in quatuor verſus diſtincto. Eſu letalis eſt arbor tam fructu, quàm foliis pecori, & ouium gregibus, ſed præcipuè capris, niſi purgentur. Purgantur autem inedia & cibj abſtinentia. Quæ poſtrema ſic fidelius opinor, traducta ſunt, quàm à Theodoro, qui ſic reddidit. Hic pecus enecat guſtatus: quinetiam folium idem facit, & potiſsimum capras, niſi purgentur, interimit, purgantur autem anocho. Nuſquam certe legi quid ſit ἄνοχον. Quare ἀνοχῇ legi poteſt, id eſt inedia, & cibi abſtinentia. Alij ἄνοχον interpretantur vomitionem, & per ſuperna purgationem, vt vox ſit ἄπὸ τῆ ἄνω. Sic interprætatur Dodonæus, cùm ſcribit eſu foliorum capras interire, niſi ſuperne & inferne purgentur. Plinius vertit. Succurrit aliquando præcipuè alui inanitio. Noſtras hæc Euonymus in Allobrogum ſaxoſis & aſperis montibus naſcitur, prope Muram oppidum, decem miliaribus à Gratianopoli diſtans, Punica non altior, ſæpius breuior, & fruticoſa, ramis virgultiſq; multis: folio carnoſo, oblongo, Punicæ vel Laureolæ albæ ſimili, ni minus eſſet, Rhododendron emulante, quam ob cauſam Chamænerium vocãt, tactu molli, ſuperne viridi, infernè rufo, flore in ramorum faſtigio copioſo, Leucoio ſimili, purpureo, aſpectu pulcherrimo, graueolente, tanquam virus cruores effuſi, & corrupti naribus afflante, fructu ſiliquæ ſpecie. Hanc & capras & oues refugere opiliones aſſerunt. Dalechampius quidem cum attentius contemplaretur caprarum greges, vicina fruteta depaſcentes, nullam vidit quæ hanc attingeret, atque adeo cum decerptam obiiceret, auerſari deprehendit. Allobroges apud quos naſcitur, vocant *Des ourles*. Huic de Euonymo opinioni qui refragabitur, primum obiiciet Euonymum Theophraſti folio eſſe maiori quàm Chamædaphne, cum hæc noſtra folio ſit minori. Deinde florem illius ſimilem eſſe colore τῷ λευκῷ ἴῳ, id eſt albæ Violæ: at huius flos purpureus eſt. Poſtremo eiuſdem florem non tam abominandi eſſe odoris: quibus reſpondere perfacile eſt. Nam quo loco folium maius Chamædaphnes folio eſſe dicitur, mendum ſubeſſe aſteriſcus indicat, & Gaza non Chamædaphnen, ſed Clematidem legiſſe videtur, qui vincamperuincam verterit: florem vero non λευκῷ ἴῳ ſimilem eſſe lego, ſed λευκοΐῳ, præſertim puniceo. Multa enim ſunt genera τῶ λευκοΐυ præter album, & luteum, figura & colore diſtantia. Adhæc floris tam grauem & deteſtandum odorem poteſt non ſignificare vox φόνος. Nam præter eum quem diximus, ſignificat odorem etiam Atractylidis, quàm φόνον à quibuſdam appellatam fuiſſe auctor eſt ipſemet Theophraſtus: quo loco, pro ἔχει δὲ τὴν ὀσμὴν δριμὺν καὶ φονώδη, vel δυσώδη, legunt alij ῥητινώδη, quem odorem Atractylidi conuenire optimè ſciunt, qui plantam nouerunt. His adde huius noſtræ Euonymi fructus quatuor folliculis conſtare, (Theophraſtus τὰ κελύφη vocat) oblongis, ex quibus coniunctis vnica videtur componi ſiliqua, Seſamo verò à Matthiolo picto ſimilis, grano intus ſolido.

EVONYMVS
Theophraſti.

Lib. 6. c. 79.
Ibidem.

Lib. 6. Hiſt. cap. 4.

TETRAGONIA, CAP. LXX.

Nomina Lib 3. Hist. cap. 6. In Dioscor. lib. 1. ca. 114.

VONYMVM falsò creditam ab omnibus fere herbariis, Theophr. Tetragoniam multorum Herbariorum sententia esse diximus. In Tuschia, inquit Matthiolus, *Silio* dicitur, ab aliis *Fusaro*, quod ex ea optimi fusi fiant, Fusoria, & Fusanum à recentioribus, à Gallis *Fusain*, *Couillon de Prestre*, & *Bois à faire lardoires*, quod ex ea culinæ transfigendis lardo carnibus verucula faciant, à Germanis *Spindelbaum*. Frutex est in arborem non assurgens, ramis multis, cortice in vetustis, & trunco, candicante, in nouellis virente rectis, qui ob linearum quatuor rufarum, serratarum, dorsi modo extantium, recta per viridem corticem porrectarum discursum quadranguli apparent, id quod huic arbori non solùm peculiare est, sed etiam, quod in fructu quadrangula siliqua sit. Quam ob causam τετραγωνία dicta est. Gaza Quadratoriam interpretatur. Ligno est duro, flauo: foliis longis, latiusculis, teneris: floscúlis candicantibus, quinis, seníue simul: folliculis paruis, rotundis, quaternis simul coniunctis, qui maturo intus semine dehiscunt, membranula lutea contecto, quæ si in aqua maduerit, luteo colore inficit. In sepibus nascitur, & in agrorum syluarúmque limitibus. Floret Aprili mense, Septembri fructum perficit. Tragus pro Theophrasti ξυγίᾳ, id est Carpino non sine errore descripsit.

Forma.

TETRAGONIA
Theophrastus.

Locus.

Lib. 3. c. 17.

PERICLYMENVM TERTIVM, CAP. LXXI.

Lib. 6. fine.

HIc frutex in plerísque Sabaudiæ, & Heluetiæ locis crescit, quem Dodonæus pro tertio Periclymeni genere depinxit. A reliquis Periclymeni generibus hoc differt, quod nullis viticulis vicinis fruticibus sese alliget, & circũuoluat, sed sine adminiculis stat, & per sese erigitur. Foliis est longis, mollibus: floribus item longiusculis, cãdidis, multis intus capillamentis, binis floribus semper in singulis pediculis: binis similiter baccis, roèundis, in rubro nigricantibus cùm maturæ sunt. Has ab Heluetiis appellari scribit Dodonæus *Hundskirsen*, id est Cerasa canina. Huius fruticis meminit etiam Gesnerus. Periclymeno, inquit, cognatus est syluestris frutex, qui locis saxosis nascitur apud nos passim, in sepibus, muris, syluis, acinis rubicundis, gemellis. Non circumuoluitur. *Brinthunlgen* vocant Heluetij, à duritie ligni tanquam ossea, vnde Xyloστei, id est ligni ossei nomen ei dedit Dodonæus, qui luculentius eam stirpem alio in loco descripsit. Caudice est, inquit, mediocris crassitudinis, materia ligni candida, ramulis rotundis, albicante cortice contectis, initio tamen & cum primùm erumpunt subrubentibus, foliis alterius Periclymeni oblongis, mollibus, ex albido virentibus, prona parte candidioribus, ac leniter hirsutis: Flores minores sunt quàm alterius Periclymeni candidi, bini in vno pediculo: succedunt fructus gemelli, instar exiguorum Cerasorum, rubentes,

Forma.

Li. 3. purg. cap. 22.

PERICLYMENVM tertium Dodon.

PERICLYMENVM rectum secundum Clusij.

rubentes, altero eorum sæpe minore. Aprili, aut Maio floret: fructus Autumno maturus est. Clusius alia duo genera Periclymeni erecti, quodq; nullo adminiculo egeat, descripsit. Periclymenum erectum secundum, inquit, superiore multò humilius est, ramis multò gracilioribus & rarioribus, cortice albicante obtectis: folia quàm prioris teneriora, longiora, per ambitum nonnihil serrata, superiore parte virentia, inferiore parum lanuginosa, non adeò tamen vt superioris. E tenellis germinibus inter folia nascuntur exiles pediculi, vnum & plerumque binos flores sustinentes, superiore minores & teneriores, neque vt alterius pallescentes, sed purpurascentes, quibus succedunt fructus gemelli non minores quàm in superiore, sed nigri, succulenti, gustu ingrato: radix dura, lignosa. Tertium genus est prorsus humile, & quod raro ad cubitalem accedat magnitudinem, ramis secũdo crassioribus, candidioribus, lentis, & fractu contumacibus, contrà quàm in duobus superioribus: folia omnium maxima, Laurinis non minora, in extremo mucronata, superne virentia, inferne candidiora, sed nulla lanugine obducta, neque in ambitu serrata, duriora etiam quàm superiorum: flores in oblongo crassiusculoq; pediculo gemelli, superiori forma similes, candidi: fructus plerumq; vnicus, raro geminus, etiam si gemino flori succedat, omnium crassissimus, exigui Cerasi magnitudine, ruber, succulentus, pellucidus, duobus in summo, vbi flores inhæserũt vestigiis insignitus, vnicum granum continens. Floret vterque cum aliis Periclymenis. Semen secundi Iulio, tertij Augusto maturescit. Secundus rarus est inuentu: vnicum fruticem se inuenisse Clusius ait, in Pyrenæis, duos aut tres in montibus Sabaudicis, & totidem in Pannonicis alpibus. Tertius in Pyrenæis, & in Sabaudicis montibus frequentior, copiosissimus est in Pannonicis.

Lib. 1. stirp. Hispa. c. 25.

Tempus.

Locus.

SALI

quidam legunt:Finditur Græca rubens, Amerina, vt & candida, haud paulo flexilior:ideo ſolido ligans nexu:nam fragilioris ſolidus eſſe nexus non poteſt. Theophraſtus viminalis albæ & nigræ quoddam genus tradit, vt in Cedris, & Palmis, in altum nunquam creſcere,(ſiue naturæ proprietate id contingat, ſiue ariditate ſoli, ſiue opificibus viminum crebrius tondentibus:)idq; vocari ab Arcadibus Helicem, vel quod Hederæ modo, quam Helicem vocant, humi repentis, humilis ſemper ſit, vel quòd εἰς τὰ πλεκτὰ ἕλκεται, ad viminum textus plicatilis eſt. Putant, inquit Columella, tria eſſe genera præcipua Salicis, Græcæ, Gallicæ, Sabinæ, quam plurimi vocant Amerinam. Græca flaui coloris eſt, Gallica obſoleti purpurei, & tenuiſsimi viminis. Amerina Salix gracilem virgam & rutilam gerit, quæ omnia intelligenda eſſe de Viminali ex ſuperioribus liquet, ac eius auctoris teſtimonio, qui illic de viminea Salice verba ſe facere apertè loquitur. Matthiolo, Salicis quatuor ſunt genera. Nam quædam in tantam proceritatem aſſurgunt, vt ex eis in Liguria fiant perticæ & pali maximi vſus ad vitium pedamenta. Aliæ non tam proceræ colore rufeſcentes, ſequacis Lentitiæ, quæ ligandis cadorum vinariorum circulis commodè finduntur. Hanc Salicem Græcam vocat Cato: Aliæ firmiores, corbibus, & ruſticæ ſupellectili admodum expetitæ. Aliæ minores ac mira tenuitate texendis caniſtris, ciſtellis, calathis aptiſsime. Tragus quatuor quoque Salicis genera conſtituit: Fuſchius tria, Dodonæus duo. Vnam quæ cæterarum arborum modo in proceritatem magnam aſſurgit: alteram quæ ſemper humilis eſt, & vimina profert. Huius cortex interdum rubeſcit, aliquando candicat, nonnunquam flaueſcit. Salicum differentias à locis in quibus naſcuntur, vſu, & corticis colore potiſsimum hic ſumemus ex Dalechampio. Salices igitur aliæ ſunt ὑδρυδροι, id eſt aquaticæ: aliæ ſicca loca non dedignantur, vt Amerina, quæ in vinetis quantumuis aridis, & ſiccaneis paſsim proſilit. Aquaticarum aliæ pigris & ſtagnantibus aquis gaudẽt, & ad riuorum fluuiorúmque margines, vel leni lapſu fluentium, vel pingue craſſumq; ſolum rigantium proueniunt: aliæ glareoſis, lapidoſis, arenoſiſq; torrentium & rapidorum amnium ripis. Ex corticis colore, candido, nigro, phœniceo, luteo differentiæ aliæ ſumuntur. Primum genus ex eiuſdem Dalechampij ſententia dicimus eſſe vulgarem Salicem, in magnam arborem creſcentem, cortice candido, quæ Theophraſto, ac Plinio eſt Salix alba, prior, arboreſcens, & perticalis. Nec Fuſchij placet opinio, qui Salicem Theophraſti candidam Plinij Vitellinam, id eſt flauam, eſſe putat, quoniam in flaua Salice virgas πυκνοτέρας ſpiſsiores, quàm in nigra non videmus, vel, vt quidam legunt, καπυρωτέρας, id eſt, fragiliores: quas tamen habet candida, Theophraſto auctore, ſed tenuiores Plinij ſententia, vel, vt legendum ſupra monuimus, firmiores. Cæterum folia habet Salix arboreſcens oblonga, anguſta, Oleæ ſimilia, ſuperne virentia, inferne candicantia. In locis madidis creſcit, circum prata rigua maxime. Secundum genus Salix eſt Platyphyllos, ſiue Leucophlœos, id eſt latifolia, & candido cortice: huie

Lib.17.c.20
Lib.4.c.30.

Lib.1. Dioſcor. c.117.

Lib.3.c.60.
In Hiſt.pl. cap.25.
Lib.6.c.67.

SALIX ALBA,
Perticalis vulgaris.

1. Salix vulgar. candida.

Forma.
Lib.3. Hiſt. cap.13.
Lib.16.c.37.
Li.17. c.20.
Ibidem.

Ibidem.
Ibidem.

Locus.
2. Latifol. cand.

Forma.

SALIX PLATY-phyllos Leucophlæos.

SALIX PLATYPHYL-los Leucophlæos Dalechampij.

huic enim etiam candicat cortex, ſed vergente in cinereum candore, folio breuiore, latiore, aduerſa parte incano, aduerſa pallidius virente, in ambitu ſerrato: interiore cortice rubro, quod huic generi proprium eſt, exteriore ad ligandum apto, vt & ligno contuſo, ac intorto. Quamobrem eo ruſtici Allobroges lignorum faſciculos quos venales in oppida comportant, vinciunt: ligno fragiliore quàm in priore. Hanc quidam pro Elæagno depinxerunt. Gignitur in ſolo macro arenoſo, lapidoſo, ſed vdo, ad torrentium margines, & in ſyluis vmbroſis, præſertim qua collectis in lacunas aquis terra humeſcit, aut qua fontium ſcaturigines proſiliunt. Huius carbo citiſsimè ignem concipit, quapropter ad puluerem excutiendis bellicis tormentis neceſſarium vritur. Præſtat etiam delineandis iis quæ pictores ante accuratam operam imitanda ſibi proponunt. In cõuallibus altiſsimorũ mõtium & frigidiſsimorũ Seguſiam tractus, ad fontium ſcaturigines, & ſtagnantes in pratis riuulorum aquas, huius generis arbuſcula naſcitur, velut abortiua, foliis tam exiguis, vt terũcio ampliora non ſint rotundis, cõfertim ſtipatis, ſuperne, ac infernè candicantibus, & lanuginoſis, toto frutice nõ altiore palmo, quem ob breuitatem, & ita compreſſam ramuſculorum ac frondis congeriem pro Salice vix agnoſcas. Tertium genus Salix purpurea, cortice obſcurè purpuraſcente, quam μελανόφλοιον, id eſt cortice nigro amictam,

Locus.

SALIX PVRPVREA nigra, viminalis.

2. Salix purpur. *Forma.*

amictam Theophraſtus,& Aſiani vocant,Plinius purpureã,viminibus texendis virgas tenues præbentem,quibus corbes,ſportas,quallos,caniſtra, fiſcinas,& id genus alia vtenſilia vaſaq; conficiunt ſpectabili ſubtilitate. In fluuiorum ſabuloſis ripis,qui præcipiti curſu vorticoſi ruunt,Rhodani, & Iſaræ hæc prouenit, hominis altitudine,fruticoſa, cortice qualem diximus:foliis venoſis, obſcurè virentibus,in ambitu ſerratis, ad folij cuiuſq; petiolum geminis ſemper foliolis, ſubrotundis,quod peculiare nacta eſt. Iiſdem in locis proueniunt reliqua ttia Salicum genera, Salix Phœnicea,Helice,Elæagnus.Salix Phœnicophlœos, ſiue phœnicea, quòd eius cortex palmularum colorem referat, vnde & nomẽ, folio proximè dictæ ſimilis eſt,minus ſerrato, ad cuius exortum nullæ foliorum appendices emergunt,qua nota à ſuperiore facilè diſtinguitur,viminum & virgarum pari gracilitate. Omnium breuiſsima Helice fructifera, à nigra certè & alba diuerſa, quamuis pumilam in eo vtroque genere, vt diximus Theophraſtus eſſe tradat:virgas tenuiſsimas, maximéque exiles profert, cortice ſubluteo veſtitas. Huic folia paribus ſemper interuallis gemina, cum in aliis generibus temerè, nullóque ordine diſpoſita ſint, candicantia, ſed non lanuginoſa,breuiſsima,conferta, in ambitu minimè crenata, protuberante ſemper ad foliorum radicem velut nouo aliorum foliorum conceptu, quod huic proprium eſt. Porro ſæpe foliis inſident veſicæ, quales in Vlmi foliis reperiuntur, ſubrubentes: ramorum autem,vertici folioſa capitula, ſquamatim compacta, echinis carduorum ſimilia, ſed minimè pungentia, & delapſis iam foliis in arbore manentia, quare hanc Salicem, vt auctor eſt Theophraſtus, fœcundam eſſe Arcades exiſtimarunt.At cum idem ſcribat Helicem, pumilam eſſe Salicem, ſiue candida ſit,ſiue nigra,hæc autem de qua nunc agitur, omnium ſit humillima, & iis quas diximus notis à cæteris differat, Helicem appellare hoc Salicis genus libuit. Elæagnum etiam Salicis genus eſſe Dalechampius arbitratur, in ſabuloſis naſcẽtis prope rapidos amnes duntaxat, vt ad Rhodani ripas, quæ huius ſunt feraciſsimæ, cum in Araris propinqui amnis marginibus nuſquam reperiatur. Cortice eſt luteo: foliis inter omnia Salicis genera longiſsimis,anguſtiſsimis,minimè venoſis, neruo medio diſcriminatis, in ambitu minime ſerratis,vtrobique albicantibus, auerſa parte

Lib.3.Hiſt. cap.13.
Lib.16.c.37.
Locus.
Ibidem.
4. Salix Phœnic.
Forma.
5. Helice Salix.
Forma.
Lib.6.c.37.
Lib.3.Hiſt. cap.13.
6.Elæagn.
Locus.
Forma.
Lib.16.c.37.

SALIX PHOENICOphlœos,ſiue Phœnicea.



SALIX HELICE Theophraſti.

ELÆAGNVS
Dalechampij.



Lib.4.Hist. cap.11.

lanuginosis, vnde Elæagnus nominatur, ἐλαίαγνος enim ἐξ ἐλαίας καὶ ἄγνου, id est ex Olea & Vitice nomen componitur, quod folio Agno simile sit, & Oleæ modo candicet. Elæagnus, inquit Theophrastus, fruticosa planta est, Agno similis, folio figura eidem simili, molli & lanuginoso, vt Mali Cydoniæ: flore albæ Populi, minore, fructu nullo. Sic enim Theophrasti locus & legendus & vertendus est. Maximè nascitur, inquit in insulis fluitantibus, siue natantibus, scilicet aut ventorum, aut contorum impulsu, quales sunt in lacu Orchomenio, & in Ægypto circa paludes, & in Thesprotide, & in aliis stagnis, de quibus multa Plinius libro secundo, cap. 95. Sunt qui foliorum squamatim cumulatorum congeriem carduorum echinis haud absimilem, sed non pungentem, quæ in Elæagno, & quibusdam aliis Salicum generibus reperitur, earum fructum esse credant, alij minimè. Amerinæ duplicis meminit Plinius, nigræ, Amerinæ nigræ semen, &c. & rubentis.

7. Salix Amerina.

Genera.

Lib.24 c.9. lib.16. c.37.

Forma.

Finditur, inquit Græca rubens Amerina, vt & candida, haud paulo flexilior, &c. Sic & Amerinæ duo nobis nota sunt genera. Alteri enim cortex magis rubet, quã Græcã Amerinam, & rubentẽ vocauit Plinius, Galli *Franc oſier*, nominant: alteri nigricat. Vtriusque virgæ cuneis triplici canaliculorum ordine striatis finduntur ad vincula, quibus in aqua maceratis vites, & doliorum circuli vinciuntur, & ligantur. Trunci capitaue ex quibus virgæ prodeunt, humilia sunt,

SALIX HVMILIS
repens angusti folia.



Lib.1.c.141.

nec altius eriguntur, putantúrque ac cæduntur quotannis. Ruellius farragine nomenclaturarum quæ spuriæ in Dioscoridem irrepserunt deceptus, tradit Viticem auctore Dioscoride Salicem Amerinam à Latinis appellari, cum inter has duas stirpes multum intersit, vt dicemus. Lugdunẽses & Allobroges Amerinam, vt diximus seruato prisco vocabulo *des Amarines* vocant, Parisienses *Osier*, Normanni *des Ambres*. Theophrastus in Salicũ historia Amerinæ non meminit, nisi eam, quod quidam arbitrantur τῆ ὄισῳ nomine designauerit, hoc maximè loco: διὸ καὶ χρῶνται πρὸς τὸ καλαδεῖν, καὶ πρὸς λαμβάνειν ὥσπερ τῷ ὄισῳ. Id est, quamobrem hisce vtuntur (de Cneori radicibus loquitur) ad colligandum & comprehendendum Amerinæ Salicis modo. Gaza vertit. Quamobrem hisce ad colligandum lunci modo vtuntur. Hic igitur ὄισον Salycem Amerinam & vitilem à Theophrasto significari putant, ad quam vocem alludentes Galli *Osier* vocant. Repugnat tamen horum sententiæ in Oeso altero flos cœruleus, fructus niger, in altero

Lib.6.ca.2.

altero, flos & fructus candidus, qui in Amerina Salice nullus eſt. Sed de hac quæſtione ſupra nos, cum groſſulariarum naturam explicaremus, fuſius diſceptauimus. Eſt præter has Salices alia, humilis, repens, anguſti folia, in Ericetis Antuerpiani agri: palmaribus & ſequipalmaribus cauliculis: folio Rhamni primi, & floribus muſcoſis Salicis, guſtus amari.

SALIX MARINA,

His Salicem marinam addimus, quæ tamen inter marinas plantas reponi poſſet. Ea teſtis oſtreorum, & ſaxis quæ ſub aqua marina ſunt, innaſcitur, & ſic adhæret, vt iis agglutinata, non radice defixa videatur. Rami multi ex glauco nonnihil rubentes in aqua natant, foliis comantes longis, Salici ſimilibus, maxima ex parte per oras non inciſis, quibuſdam, veluti inciſuras nonnullas oſtendentibus, guſtu ſalſis. Inter ramos virgulæ ſubriguntur, florem Salicis ſuſtinenti ſurculo haud abſimiles, apicibus plurimis, veluti ſquamatim compactis, non alia forma, quàm quæ ſpectatur in Salice, dum herbaceo iulo florem parturit. Hactenus de Salicum generibus. Salix initio veris florem mittit, ſeu nucamentum ſquamatim compactile, lanuginoſum, propendentem, demittítque veluti panos ſpicatim confertos, & lanitium quoddam, inquit Scaliger. Ἀλλὰ τὴν ἰτέαν ταχὺ προκαλαβάλλειν, inquit Theophraſtus, πρὸ τῆς τελείας ἀδρώσεως καὶ πέψεως τὸν καρπόν. διὸ καὶ τὸν ποιητὴν ἐοικότως προσαγορεύειν ἀγλῆνα ὠλεσίκαρπον. Quæ ſic Plinius interpretatus eſt. Ocyſſimè autem Salix amittit ſemen, antequam omnino maturitatem ſentiat, ob id dicta Homero frugiperda. Hæc Theophraſtus, quibus addit Plinius. Secutáque ætas ſcelere ſuo interpretata eſt hanc ſententiam, quando ſemen Salicis mulieri ſterilitatis medicamentum eſſe conſtat, id eſt ſterilitatem inducere: quod de foliis Dioſcorides dixit, ἀσυλληψίαν καὶ ἐργάζεσθαι, ita vt Salicem ὠλεσίκαρπον dictam, quia cito ſemen amittat, interpretati ſint, vel quia ſemen hominis infœcundum reddat & ἄγονον, id eſt ineptum generationi, efficiat, vt à fœminis non concipiatur. Quod autem καρπὸν & ſemen dicunt, id Galenus, ipſumq; ſecuti Aetius, & Paulus, florem ſolum videntur appellaſſe, quòd nunquam ad perfectam ſeminis maturitatẽ perueniat. Huius arboris paſsim obuiæ permultæ ſunt & magnæ vires. Semen, folia, cortex, & ſuccus, inquit Dioſcor. ſpiſſandi vim habent. Tritafolia cum exiguo pipere, & ex vino pota ileoſis ſubueniunt: ſumpta per ſe, & cum aqua, præſtant mulieribus, ne concipiant. Saligni ſemen in potu ſanguinem expuentibus prod eſt. Cortex eoſdem præbet effectus. Corticis cinis admiſto aceto maceratus illitu clauos & callos tollit. Ex foliis & cortice ſuccus cum roſaceo in calice Punici, ſiue malicorio calfactus auriũ doloribus auxiliatur. Decocto eorum podagras foueri vtiliſsimum: furfures purgat in corpore. Excipitur ſuccus qui manat ex eo cum floret, exciſo cortice, in plaga enim concretus humor inuenitur, qui ad purganda quæ pupillas obtenebrant ſuam vim præbet. Plinius eadem ſcribit, ſed triplicem colligendi ſucci modum docet, cùm Dioſcorides vnum tantum tradat. Salicis fructus, inquit, ante maturitatem in araneam abit, ſed ſi prius colligatur, ſanguinem eiicientibus prodeſt. Corticis è ramis primis cinis clauum &

8. Salix marina.

Tempus.

In lib. 1. pl. Lib. 3. Hiſt. cap. 2.

Lib. 16. c. 26

Odyſ. κ.

Vires ſeminis Salic.

Vires.

Lib. 1. c. 117.

Succus Sal.

Lib. 24. c. 9.

callum aqua miſtus ſanat. Vitia cutis in facie emendat, magis admiſto ſucco ſuo. Eſt autem hic trium generum. Vnum arbor ipſa exudat Gummi modo: alterum manat è plaga, cùm floret, exciſo cortice trium digitorum magnitudine. Valet hic ad expurganda quæ obſtant oculis, item ad ſpiſſanda ea quæ opus ſunt, ciendámque vrinam, & ad collectiones omnes interiorum, vel, vt quidam legunt, illitus extrahendas. Tertius ſuccus eſt detruncatione ramorum, à falce diſtillans, nempe illa remota, poſt cæſuram. Ex his ergo aliquis cum roſaceo in calyce Punici calfactus auribus infunditur: vel folia cocta, & cum cera trita imponuntur: item podagricis. Cortice & foliis in vino decoctis foueri neruos vtiliſsimum. Flos tritus cum foliis furfures purgat in facie. Folia contrita & pota intemperantiam libidinis coërcent, atque in totum auferunt vſum, ſæpius ſumpta. Amerinæ nigræ ſemen cum ſpuma argenti pari pondere, à balneo illitum pſilothrum eſt. Salicis foliis, auctore Galeno, ad cruenti vulneris glutinationem vti poſsis: verùm floribus eius maximè propè omnes vtuntur medici ad exſiccantis emplaſtri præparationem, (quod propterea διὰ τρίων nominant.) Eſt enim vis eorum ita deſiccatoria, vt mordax non ſit: habet verò etiam quandam adſtrictionem. Sunt verò etiam qui ſuccum ex ea expreſſum, ſeruent, vt medicamentum mordacitatis expers, & exſiccatorium, ad multas res vtile. Arboris cortex ſimilem facultatem obtinet, tum floribus, tum foliis, niſi quod temperaturæ ſit ſiccioris, velut omnes cortices. Sed hunc quidam comburunt, eiúſque cinere vtuntur ad ea omnia quæ valenter deſiccare oportet, Nam clauos, callos, & myrmecias tollunt, aceto ipſum macerantes. Nonnulli autem dum floret Salix, corticem eius incidunt, & ſuccum quendam colligunt, vtuntúrque ad ea quæ pupillas obtenebrant, extergente videlicet, ſimúlque tenuium partium medicamento: Cæduæ Salici fertilitas, inquit Plinius, denſior tonſura, & breui ligno verius (non pugno, vt mendoſi Codices habent) quam ramo, non vt remur, in nouiſſimis curanda arbore. Nullus quippe tutior eſt reditus, minoríſue impendij, ant tempeſtatum ſecurior. Tertium locum ei in æſtimatione ruris Cato attribuit, priorémque quàm oliuetis, quámque frumento, aut pratis, nec quia deſunt alia vincula. Aliquanto poſt idem etiam ſcribit in iis quæ propter alias ſeruntur, maximè propter vineas, Cæduo ligno, principatum obtinere Salices.

Li.7.ſimpl.

Lib.16.c.17.

Li.17.c.10.

VITEX, CAP. LXXIII.

Nomina
Li.6.ſimpl.
Lib.1.c.116.

VITEX Græcis dicitur ἄγνος, ideſt Caſtus, quòd, auctore Galeno, ocaſtitatem conſeruet iis à quibus aut eſtur, aut bibitur, aut ſubſternitur, vel vt Dioſcorides tradit, quoniam matronæ in Theſmophoriis Athenienſium caſtitatem cuſtodientes, foliis huius cubitus ſibi ſternebant. Dicitur & λύγος, quaſi vimen, propter inuictam ferè ramorum flexilitatem. Officinæ Græca & Latina voce coniuncta Agnum Caſtum appellant. Arabes *Famancheſt*, *Samacheſt*, & *Bengiecheſt*, Itali *Vitice*, & *Agno Caſto*, Galli *Agnus Caſtus*, Hiſpani *Gatillo Caſto*, Germani *Schaffs mullem*, & *Keuſchlamp*, Boemi *Drimek*. Vitex frutex eſt, ramos plurimos emittens, flexiles, fractúque contumaces, in quibus folia ſæpius quina, aliquando ſeptena, vt in cānabe, longa, anguſta, Salicis foliis haud abſimilia, ſed minora. In ramulorum cacumine flores emergunt ſpicati, aliquando purpurei, aliquando ſubpurpurei candido permiſto. Semen ob ſimilitudinem cum Pipere, à quibuſdam Piper vocatur. Vitex

Ibidem.

frutex eſt Dioſcoridi in arborem aſſurgens. Naſcitur in fluminum ripis, aſperíſque locis, ac torrentium alueis. Ramos gerit longos, fractu peruicaces: folia

Oliuæ,

VITEX
Matthioli.



VITEX LATIORE,
& serrato folio Lobellij.

Oliuæ, sed molliora. Duo genera eius. Altera florem ex albo subpurpureũ mittit. Altera tantùm purpureũ: vtriusq; semen, vt Piper. Non multũ à Salice vitilium vsu distat Vitex, inquit Plinius, foliorũ quoq; aspectu, nisi odore gratior esset. Græci Lygon vocant, alij Agnon: quoniam matronæ Thesmophoriis Athenienſium castitatem custodientes, his foliis cubitus sibi sternunt. Duo genera eius. Maior in arborem assurgit, Salicis modo. Minor ramosa, foliis candidioribus, lanuginosis. Prima album florem mittit cum purpureo, quæ & candida vocatur: nigra, quæ tantum purpureum. Nascuntur in palustribus campis. Vitex Dioscoridi, excalfactorias vires habet, & adstrictorias. Semen eius potum venenatis ictibus, aquæq; cutem subiit, lienosisq; auxiliatur: lac euocat: menses ciet drachmæ pondere in vino potum: genituram exoluit, caput tentat, & soporem adfert. Decoctum herbæ & seminis in desessione mulieribus vuluæ malo oportunis opitulatur: item inflammationibus. Purgationes mouet semen cum Pulegio potum, etiam suffitu, vel appositu: capitis dolorem dissoluit illitum: instillatur cum aceto & oleo in lethargo, & phrenitide: folia suffitu, aut substratu fugant venenata: illita quoque serpentium morsibus auxiliantur: testium duritias cum butyro, & foliis vitium emolliunt. Rimas sedis semen cum aqua illitum mitigat: cum foliis medetur luxatis, vulneribúsque. Virgam qui manu teneat cum iter facit, negatur intertriginem sentire. Semen potum, auctore Plinio, vini quendam saporem habet, & dicitur febres soluere, & cum vnguntur, oleo admistum sudorem facere, sic & lassitudines dissoluere. Vrinam Agni cient & menses. Caput tentant vini modo: nam & odor vtraque similis est. Inflationes pellunt in inferiora, aluum sistunt, hydropicis & lienosis perquam vtiles. Lactis vbertatem faciunt. Aduersantur venenis serpentium, maximè quæ frigus inferunt. Minor efficacior ad serpentes. Bibitur seminis drachma in vino, vel posca, aut duæ foliorum tenerrimorum. Illinitur vtraque

Lib. 24. c. 9.

Lib. 1. c. 116. Tempera, & Vires.

Lib. 24. c. 9.

aduerſus aranearum morſus, vel peruncti is tantum vtili remedio: ſuffitu quoque aut ſubſtratu fugant venenata. Ad Venerem impetus inhibent: eóque maximè phalangiis aduerſantur, quorum morſus genitale excitat. Capitis dolorem ex ebrietate ſedant cum roſaceo, flos, teneríque cauliculi. Seminis decoctum vehementiorem capitis dolorem diſſoluit fotu: & vuluam etiam ſuffitu vel appoſitu purgat: aluum, cum Pulegio & melle potum. Vomicas panóſque difficiles concoquit cum farina hordeacea, & mollit, Lichenas, & Lentigines cum aphronitro & aceto ſemen ſanat, & oris vlcera, & eruptiones cum melle: teſtium duritias cum butyro, & foliis Vitium: rhagadas ſedis cũ aqua illitum: luxata cum ſale, nitro & cera. Et ſemen & folium additur in malagmata neruorum, & podagras. Semen inſtillatur in oleo & aceto decoctum capiti, in lethargo, & phreneſi. Virgam qui in manu habeant, aut cinctu, negantur intertrigi-
Li.6.ſimpl. nem ſentire. Vitex calidus & ſiccus eſt tertio ordine. Galeno, verùm multum tenuis ſubſtantiæ, tum guſtu, acris ſimul, & adſtringens. Ipſas tamen Vitices ad medicinam habet inutiles. Cæterùm folia ſeménque calida ſiccáque facultate ſunt, ſubſtantia verò tenui. Nam & vtentibus ita apparet, & guſtantibus acre ſimul, & ſubaſtringens percipitur tum folium, tum flos, tum ſemen. Edendo tamen etiam ſemen eſt, verum tam perſpicuè calfacit, vt hoc nomine capiti dolorem pariat. At ſi frigatur, minùs caput tentat. Porro flatus ventris diſcutit etiam non frictum, & multo magis cum frictum fuerit. Cohibet etiam impetus in venerem, ſiue frigatur, ſiue non frigatur. Folia, floréſque idem præſtare
Lib.7.lib.1. poſſunt. Galenum ſecuti Paulus, & Aetius Viticem tertio ordine calfacere ſiccaréque, & tenuis eſſe ſubſtantiæ tradiderunt. At Galenus duobus aliis locis valde à ſeſe diſsidet, quod in tanto ſcriptore permirum videri debet. Scribit
Li.1.Alim. Cornar. Embl.114. li.1.Dioſ. enim. Non quemadmodum planta ipſa Cannabis Vitici quodammodo ſimilis eſt, ita ſemen ſemini facultate eſt ſimile, ſed plurimum ab eo differt, vt quod concoctu ſit difficile, ſtomacho ac capiti noceat, prauíque ſit ſucci. Sunt tamen qui eo quoque frixo cum aliis tragematibus veſcuntur. Multum autem calefacit: ideóque ſumptum paulò largius caput ferit, vaporem ſurſum ad ipſum mittens, calidum ſimul ac medicamentoſum. Viticis ſemen etiã per ſe crudum, ac frixum manditur, creditúrque appetitus venereos inhibere: alimentum autem corporpori præbet exiguum, ídque ſiccans, ac refrigerans: flatus autem valdè diſsipat, quorum omnium occaſione, iis qui à ve-
Lib.2.m.p. nere puros ſeſe ſeruare volunt, eſt accommodum: quam ſententiam alio in loco approbat, medicamenta ad capitis dolorem ab Archigene conſcripta expendens, inter quæ hoc refert. Lauri folia, & Populi albæ, & Viticis cum oleo & aceto. Hoc Pharmacum, inquit Galenus, ex ſimplicibus facultatibus differentibus compoſuit. Lauri enim folia calidiſsima Viticis verò moderatè refrigerantia ſunt, in medio vtrorúmque Populi albæ folia ſunt. Vides igitur hîc Viticem à Galeno frigidum, ſiccúmque ſtatui, cum primo loco calidum ſiccúmque eſſe, idq; non moderatè, ſed tertio exceſſu poſuerit. Nos tamen in medendi ratione vt calido ſiccóque vtimur ad ea quæ præſcripſit Dioſcorides. Cæterum vt ab ea ſecum diſſenſio ne Galenus vindicetur, acuti homines iudicij legendum putant: Lauri enim folia calidiſsima: Populi verò albæ moderatè refrigerant: in vtrorúmque medio ſunt Viticis folia: quod eſt veriſsimum.

ASPA

ASPALATHVS I. MONSPESSVLANVS, CAP. LXXIIII.

ASPALATHI duas ſpecies Dioſcorides memorat. Priorem quidem ſat luculenter deſcriptam: ſecundam inodoram, lignoſam, candidam, deteriorem. Hanc Plantam eſſe poſteriorem Dioſcoridis Aſpalathum Monſpeſſulanorum Officinæ crediderunt, ac iactarunt, & vt arbitror, haud probabiliter. Tota Planta cubitum non excedit, fruticoſa admodum & ramoſa, multis horrens ſpinis deorſum inflexis, firmis, acutis, in quibus enaſcuntur puſilla folia Lentis magnitudine, viridia, qualia etiam (ſed teneriora) fert in nouellis ramulis, quibus ſubſunt rerens-nati aculei: flores in firmioribus & rigidioribus ſpinis, terni, quaterni, aut plures ſimul naſcuntur, Geniſtæ ſimiles, ſed minores, colore nunc luteo, nunc palleſcente, ſemen in ſiliquis exiguum, Creſcit in Cantabris ſuperata Pyrene, variiſque Hiſpaniæ locis: atque etiam in Gallia Narbonenſi. Ab herbariæ rei ſtudioſis, cùm Salmanticæ, tùm Monſpeſſuli Aſpalathus altera dicitur vulgo *Eulalia*. Huius floribus tritis & Saccharo conditis ad firmandas & reſtaurandas vires collapſas Salmãticenſes vtuntur.

Forma.

Locus.

Vires.

ASPALATHVS II. HISPANVS, QVIBVSDAM, ALTER SCORPIVS, CAP. LXXV.

RVTEX hic rarò pedis altitudinem ſuperat, totum denſiſsimis ſpinis horrens, quæ non inordinatim vt in alio naſcũtur, ſed ſeriem quandam ſeruant, & ſemper contrario inter ſe exortu binæ naſcuntur, virentes quidem, ſed languidiore colore quàm ſuperiores, neque aliæ ex aliis: ſummis ramulis inhærent bini aut terni flores ſuperiori ſimiles, colore Luteo, menſe Martio: quo tempore exiguas breuéſque ſiliquas, vel potius ſemina Erui magnitudine, multa incanáque Lanugine hirſuta deprehenduntur, denſiſsimis ſpinis occultata vt ex ſuperiore æſtate deciderant: adeo verò caneſcebant, vt initio aranearum telas exiſtimarem: radix ſingularis, ſed in plures deinde propagines ſparſa, dura, lignoſa. Naſcitur in collibus Granatæ vicinis.

Forma.

Locus.

AD LECTOREM.

ABſoluto iam Dumeto nactus imagines Ericæ primæ & quartæ Cluſij, quarum hiſtoriam antea tradidi cap. xxxj. dum eius plantæ genera perſequerer, illas potius voluiſpectandas hîc præbere, quàm lectorem, cuius ſtudio & voluptati inſeruiendū precipuè duxi, angi eorum deſiderio, ſecundam editionem expectantem, in qua cognatis addantur, & ſuus reſtituatur eis locus.

ERICA I. Cluſij.

ERICA IIII. Cluſij.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER TERTIVS,

Quo describuntur, atque picta ostenduntur arbores, quæ in Viridariis & Pomariis coluntur.

MALVS CAP. I.

ILVIS egressi, densisque fruticibus & dumis extricati in Viridario paulisper spatiemur, Pomiferásque arbores in eo contemplemur, atque alias quæ mitioribus succis voluptatem primæ cibis attulerunt, & necessario alimento delicias immiscere docuerunt, vt ait Plinius, siue illæ vltro, siue ab homine didicere blandos sapores adoptione & conubio: à quibus etiam salutares petuntur medicinæ. Nam si ne syluæ quidem, horridiórque naturæ facies medicinis carent, quanto magis his Viridarium abundabit, cuiusuis generis stirpibus diligenti cultu atque industria educatis, quæque arte & humanis ingeniis fiunt verius quam nascuntur, consitum. Scire autem licet quemadmodum in syluis quasdam esse arborescentes stirpes quæ in dumetis & frutetis humiles nascuntur, & fruticosas quæ non solùm in frutetis & dumetis, sed etiam alibi proueniunt, ita in syluis quasdam sponte, & in dumetis frutetísque nonnullas citra cultum prodire, quæ in Viridaria transfatæ diligenter coluntur atque aluntur, quarum historia vtrobique explicari potest. A Malis quę pueris etiã & mulierculis notissimę sunt, Viridariũ exordiemur. Dicitur Malus Græcis μηλέα, & Malũ μῆλον, Arabibus *Tufa*, *Tufaha*, Italis *Mele*, & *Pomi*, Hispanis *Mansanas*, Germanis *Oepffel*, *Apffel*, Angl. & Belg. *Appel*: Gallis à pomis ferẽdis nomẽ retinet, vocatur enim *Põmier*, & fructus *Pome*, Sed Pomi nomẽ apud Latinos multò latius patet. Verùm obtinuit vsus, vt quemadmodum caulium appellatio deflecteret à generis significatione ad Brassicam priuatim designandam, ita pomus pro Malo, & Pomum pro fructu caperetur. Tamen Plinius genere neutro ipsam quoque arborem Pomum appellauit, vbi Poma putanda esse docet sicut & vites. Pomum inquit Hermol. cõplectitur quicquid apud Græcos ὀπώρα continet, in quo significatu est, cùm dicitur à Medicis omne Pomum refrigerandi & humectandi vim habere, &c. Scaliger fructum omnem in Pomum & Nucem perridiculè secari à Grammaticis scripsit, vt Nuci extra sit cortex, intus caro, Pomo contrà. Nam etiam quæ carnem foris, os intus habent, nihilo

Li. 16. præf.

Nomina

Li. 15. ca. 17. Cor. 161. li. 1. Dioscor.

In lib. 2. de pl.

nihilominus habent φλοιὸν extrà. Nemo enim vidit fructum cortice carentem, aut corio, aut cute. Simplicior in Malo ratio est. Caro intus, foris cutis multiplicior in Pruno: cutis extima, os intimum, caro media. Operosum æquè in Armeniaco cutis extima, nucleus intimus, os circũ nucleũ, caro sub corio, nucleus sub cuticula, duo esculenta, caro, nucleus, os inutile ad cibum, cutes indifferentes. Plinius Nuces Poma vocauit. Solum hoc Pomum, inquit, natura compactili operimento clausit: & Mora, minimè in hac arbore (Moro) ingenia profecerunt, nec nominibus, nec insitis, nec alio modo quàm Pomi magnitudine. Neque Varroni assentitur Scaliger, scribenti quod indigent potu Poma dici potuisse: imo Pomum dictum esse ille arbitratur, quia etiam sitim tollant eorum plurima, simul vt sint cibo & potui. Malorum genera Dioscoridi sunt, Vulgaria, Cotonea, Persica, Armeniaca, Medica, siue Citria. Vulgaria, Verna, Melimela, Epirotica, silvestria. Posteritas multo plura addidit genera. Ac primùm vulgariũ quidem prope infinita, & plura quàm vt hîc explicari possint, sapore, forma, inuentoribus, regionibus, atque pluribus alijs differentiis distincta. Malorum multa genera Plinius etiã numerat, Citrea, Zizypha, vulgo (Iuiubes) Tuberes, & vulgo *Peschenoix*, in agro Veronensi nascentia lanata, à lanugine obducente nuncupata: ac rursum, Reliqua cur pigeat nominatim indicare, cũ conditoribus suis æternam propagauerint memoriam, tanquam ob egregium aliquod in vita factum? Ni fallor apparebit ex eo ingenium inserendi: nihilque tam paruum esse, quod non gloriam parere possit. Ergo habent originem à Matio, Cestióque (vnde Cestiana quibusdã *Pommes de Capandu*,) & Manlio, item Claudio. Quin & (non quibus, vt vulgo legitur) Cotoneo insito ab Appio è Claudia gente, Appiana sunt cognominata. Odor est his quæ Cotoneorum, magnitudo quæ Claudianis, color rubens. Ac ne quis id ambitu valuisse claritatis & familiæ putet, sunt & Sceptiana, ab inuentore Libertino, insigni rotunditate. Cato adiicit Quiriana, & quæ tradit in doliis condi, Scantiana. Omniũ autem nuperrimè adoptata sunt parua, gratissimi saporis, quæ Petisia vulgo *Apioles*, nominantur. Patrias nobilitauêre Camerina, & Græcula. Cætera è causis traxere nomen: germanitatis, cohærentia & gemella, nunquam singula in fœtu: coloris, Serica: (vulgo *Suzine*,) cognationis, Melapia (neque enim accipiẽdum est Melappia, vt in omnibus fere exemplaribus legitur, cognationis nomen è gente, vel familia accepisse, sed à cognatione quam Mala ipsa cum Piris habeant (vulgo *Giraudete*, *Pommepoire*:) Mustea à celeritate matureſcẽdi quæ nunc Melimela dicuntur, à sapore melleo, (vulgo *Pomme de Sainct Iean*,) Orbiculata à figura orbis in rotũditatem circumacti (vulgo *Pomme Rose*.) Hæc in Epiro primũ proueniſſe, argumento sunt Græci qui Epirotica vocant. Mammarum effigie Orthomastica, (vulgo *Pomme Taponne*) A conditione castrali seminis, quæ spadonia appellant Belgæ (vulgo *Pomme Grillote*, & *Pomme de passepomme*) Melofoliis, vel, vt alij legunt, Melophyllis, folium vnum, aliquando & geminum erumpit è latere medio. Celerrimè in rugas marcescũt Pannucea (*Panettes*.) Stolidè tument Pulmonea (*Pommes follanes*.) Sunt quibus sanguineus est color, origine ex Mori insitu tracta. (*Grosses Pommes rouges*, vulgo.) Cunctis verò quæ fuerunt à sole partes rubent. Sunt & paruâ gratiâ saporis, atque etiam acutiora odore, sylvestria. Iis peculiare improbitatis & acerbitatis conuiciũ, & vis tanta, vt aciem gladij perstringat. Dacis fermè vilissimis nomen, quanquam primis aduentu, decerpique properantibus. Hæc Plinius. Nunc singulæ regiones plurimas habent malorum differentias. In Gallia sunt propemodum innumeræ. Sed hæc principatum obtinent. Capendula, siue Curtipendula, vulgo dicta, sui saporis, verùm adeò grati, vt & trans maria vẽneant. Gestatum plus quam alicui credibile sit tolerant, in

Lib. 15. c. 22.
Li. 15. c. 24.
Li. 1. cap. 31.
In li. 1. caus. cap. 21.
Genera.
Lib. 1. c. 131.
Lib. 15. c. 14.
Lib. 14. c. 14 Corna. li. 8. ca. ph. par. cap. 4.
Ruell. libr. 1. cap. 96.

tanta

tanta ſuauitate minimè fugacia, magnitudine media, colore cum maturuerunt luteo, ſuaui odore, ſed anguſto, quo tamen animus exhilaretur: cartilagine corporis dura, vt quæ poſsint in annum cuſtodiri. Sæpe & bina viſa ſunt. Secundas partes ſibi vendicant quæ in Ambianenſi municipio Rambura vulgus nominat, prægrandia, rotunda, callo fragili, tenero, vt quę ventorum flatu deturbata in partes deſiliant, mira & ſuauitate guſtus, & teneritudine, ita vt in ore fruſta liqueſcant. Sed vt fugientia diu ſeruari non poſſunt, neque ferè ad exitũ Autumni prorogantur. Proxima ſunt, neque eis ſuauitate cedentia, quæ vulgus Paſsipoma nominantur, quod cum reliquis omnibus de primatu certarent, niſi tam fugacia naſcerentur: inde vernaculum nomẽ ductum eſt: mediocri magnitudine, turbinatiore figura, carne ſuaui, prætenera, guſtu perquam iucundo, ſemine per maturitatem in vtero ſonante. Sed vt mirè placent, ita cito fugiunt. Accedunt quæ Paradiſiana, quaſi cælitus miſſa nominantur, præparua, mellea dulcedine, præcoci celeritate, quaſi verna, concretu pauco, Daca Plinij, vt quidam opinantur. Ea malaciis prægnantium expetuntur, omnium ferè Pomorũ fugaciſsima. Alia dulcia ſunt callo corporis duriore, rotunda, quæ ob ſui nimiam dulcedinem à palato moroſiore faſtidiuntur, fortaſſe Melimela dicta à melleo ſapore, vt à matureſcendi celeritate, Muſtea. Melimela tamen non ſolùm natura prouenire, ſed etiam mellis conditura fieri, ac dici alia Mala poſſe indicat Martialis hoc diſticho.

Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle,
Ponentur, dicas hæc Melimela licet. In Xen.

Quam cuſtodiendorum & condiendorũ Cydoniorum rationem expoſuit Columella, eiúſque condituræ liquorem Melimeli appellari ſcripſit. Acida vulgus noſtrum Malacria à ſaporis acrimonia nuncupat, oblongiora, dura carne, ex acerbo leuiter aceſcente. Annum hæc ſæpius durant, ægris ad inuitandam elangueſcentem appetentiam nonnunquam conceſſa. Alia Caſtinia auſteriore guſtu, dura, velut Caſtaneæ cartilagine, mediocri magnitudine, oblonga. Alia vulgo francetura, rotundo habitu, & amplo, duriore callo, grata acerbitate, quæ tandem in dulcedinem abeat. Ea diu ſeruari poſſunt, & annicula ſæpe reperiuntur. Sunt & Rubelliana ſanguineo cortice, carne intus friabili, ſapore non ingrato, ex auſtero ſubdulci, nec cito fugientia. Apud Allobroges celebrantur quę vulgo Girodeta nominantur, parua, in latitudinem rotunda, & in rubrum rufa, multum ſerotina. Reliqua non pigeret nominatim perſequi, atque alia plura à Cordo deſcripta, quædam etiam ab Athenæo breuiter explicata, vbi & Dionyſius primus Pomorum inuentor fuiſſe legitur, niſi prolixior de iis oratio ab vtilioribus nos diutius reuocaret. Præterea in tanta Malorum nomenclatura, feréque nationibus omnibus varia, in tantíſque inſitionum adulteriis perfacilè nos fallimur. Porro genera quæ quotidie nouo inſitionis ingenio prodeunt, nec ſcribit, nec in tanta gentilium vocabulorum diſcordia pernotari planè queunt, ea tamen obiter quæ Gallico vulgo peculiaria naſcuntur, retulimus. Malus in proceram & craſſam ſatis arborem acreſcit tempore, vnico caudice, ramos ex eo ſtatim emittens, in latum longúmque ſeſe diffundentes, craſſo ſatis libro contectos, foris cinereo, intus flauo, læui potius quàm aſpero. Folia huic virent oblonga, mucronata, inquit Plinius, carnoſa, per ambitum tenuiter ſerrata, inſtante hieme decidua, Maio menſe renaſcentia. Flores edit verè foliatos, ſæpius albos, nonnumquam ex candido rubentes, ex quibus oriuntur Mala innumeris differentiis, vt diximus, diſcreta. Radicibus nititur paucis, non inprofundũ actis, ſed ſumma tellure vagantibus. In viridariis & hortis colitur, ſolóque pingui & fœcundo gaudet. Floret menſis Aprilis fine, aut Maij initio. Li. 12. ca. 45. Libr. 3. *Forma.* Li. 16. c. 24. *Locus.* *Tempus.*

fructus

MALVS.

Lib.1.Dios. cap. 131.

fructus in quibusdam Iulio mẽse maturus est, in aliis Augusto, in aliis Septembri. Seminis nigredo maturitatem ostendit. Matthiolus ea Mala principatum obtinere in Hetruria scribit, quę Appiole, & Meleroſe vulgo vocantur quoniam hæc duo genera tum suauiter olent, tum gustui sunt gratissima. Quare is, inquit, non aberrarit, qui Appia esse dixerit Dioscoridis Melimela, Rosea verò quæ eidem Epirotica, & Latinis orbiculata dicuntur Cornarius Cestiana mala, quæ Sestiana Columella vocat, Arantia, siue Aurantia esse putat, quæ in citreorum genere ab omnibus recensita, hoc maximè persuasus, quod ea frequenter cum Malis punicis Galenus coniunxit. Eum sententia reuocare debuit Plinius apertissimè scribens à Cestio Cestiana, sicut à Matio Matiana, & alia ab inuentoribus à Romanis fuisse cognominata. Quare Galenus cum ex auctoritate Apollonij tradit in capitis dolore ex ebrietate Cestiana mala Romæ sic appellata in cibis cocta conferre, Aurantia intelligere non potuit, tum quòd Apollonio & Galeno incognita fuisse censentur, tum quòd ea nunquam cocta exhibentur. Galenus in tanta malorum varietate, quomodo de eorum temperamento, viribus, vsu recte iudicare possimus, docet his ferè verbis. Quędam Mala saporem habent austerum, alia acidum aut dulcem, nonnulla etiam ex iis mistum, apparéntque & dulcia simul & adstringentia. Præterea alia quædam cum dulcedine manifestum habent acorem. Adhæc alia cum acore acerbitatem. Inuenias autem interdum & quæ hos tres sapores simul habeant euidentes, adeo vt acida appareant & dulcia, acerbitatísque habeant nonnihil: Et mox. Quæ quidem astringunt, succum habent frigidum & terreum. Quæ acida apparent, frigidum quidem, verùm tenuium partium. Mediæ autem temperaturæ sunt dulcia, quæ tamen ad calidius vergunt, quemadmodum quæ omnis qualitatis sunt expertia ac veluti aquosa, ad frigidum inclinãt. Malis igitur vtimur pro vincente in saporibus facultate austeris quidem cum ventriculus vel propter calidam intemperiem, vel multam humiditatem fuerit imbecillior. Acerbis autem cum duo hæc aucta admodum fuerint. Acidis quãdo succum crassum, qui non magnopere frigidus fuerit, suspicaberis, in ipso esse collectum. Siquidem succus frigidus non acida, sed acria postulat. Vtraque certe & acida & acria succos crassos incidunt, in eo tamen differunt, quod hæc quidem cum calefactione, illa autem cum refrigeratione hoc præstent. Porrò dulcis Malorum succus cum sine acrimonia & crasitie, hoc est cum solus ex quisitè fuerit, celerius quantum in ipso est distribuitur: Sin acrimoniam, aut crasitiem habuerit, citius subducitur. Cæterùm optima etiam genere Mala vitanda sunt, antequam in arboribus maturuerint, quoniam concoctu sunt difficilia, & frigida, prauíq; succi, & tardè permeant. Adhæc succum habent frigidũ & leuiter crassum. Quæ verò bellè matura in hiemem, & ver proximũ asseruãt, morbis sæpe numero per quam vtilia sunt, aut farina aqua subacta circumlita, aut calidis cineribus mediocriter assata, aut pulchrè in aquæ bullientis vaporibus percocta. Dare autem ipsa conueniet statim post cibum, aliquando etiam

Lib.2.c.m. pa.
Li.12. c.45.
Li.15.ca.14.

Ibidem.

Temper. & vires
Li.2. Alim.

cum

cuni pane, ad ventrem & stomachum roborandum, iis qui cibum fastidiunt, tardéque concoquunt, quíque vomitu, diarthœa, ac dysenteria infestantur. In hunc quoque vsum apta sunt acerba. Nam parata vt modò dixi, mediocrem retinent adstrictionem. Idem Galenus alibi. Malus non omnis eiusdem naturæ est, velut nec eiusdem fructus. Quædam enim dulcia sunt, quædam austera, nonnulla acida, alia summoperè exoluta, & aquea. In ipsis sanè aqueum exuperat, vt temperies eorum sit tum humilior, tum frigidior, in acerbis autem terrenum frigidum, in austeris tum istud, tum aqueum frigidum, sicut in dulcibus aqueum temperatum: Sic quoque succi, cortices, & arborum folia inter sese dissident. Itaque si austeriora sint, atque acidiora, vulnera illis glutinare possis, tum in phlegmonarum principio fluxionem repellere, ac stomachum ventrémque exolutum & languidum roborare: aquosioribus autem mediocres phlegmonas incipientes & glisentes lenire. Porrò quod plurima Malis omnibus recrementitia frigidáque insit humiditas, vel hinc liquet, quod eorum omnium nullus omnino succus durare, ac vetustatem ferre possit, verũ acescunt corrumpuntúrque vniuersi. Folia, inquit Dioscorides, flores, & germina cùm omnis Mali, tum maximè Cotoneæ adstringunt. Pomis acerbis adstringendi vis inest, maturis verò longè secus. Ex iis verna bilem gignunt, neruos omnes lædunt, inflationes pariunt. Melimela ventrem molliunt, & ab eo animalia expellunt: stomacho negotium exhibent: æstuationem faciunt. Ea multis dulcia Mala vocantur. Epirotica mala, quæ Latinè orbiculata dicuntur, stomacho vtilia, sistunt aluum, vrinas euocant, Malis tamen Cotoneis inualidiora. Syluestria mala similia sunt vernis, & adstringunt. Sanè in hunc vsum immatura omnia opus sunt. Mala verna inquit Plinius, acerba, stomacho inutilia sunt: aluum & vesicam cogunt: sic enim legendum: neruos lædunt. Cocta meliora. Melimela & reliqua dulcia, stomachum & ventrem soluunt, siticulosa, æstuosa, sed neruos non lædunt. Orbiculata sistunt aluum & vomitiones, vrinas cient.

Lib. 7. sim.

Lib. 1. c. 131.

Li. 23. ca. 6.

Sylueſtria mala ſimilia ſunt vernis acerbis, aluúmque ſiſtũt. Sanè in hunc vſum immatura opus ſunt. Mala dulcia, inquit Matthiolus, ad melancholicos affectus valent, atque etiam ad pleuritidem, ſi in calidis cineribus cocta, & Glycyrrhizæ ſucco, Amylo, & Saccharo albiſsimo conſperſa pleuriticis edenda præbeantur, tam manequam veſperi horis duabus ante cibum. Acetum ſic è Malis fit acerbis, aut ſylueſtribus, quæ in cumulo per triduum reſeruantur, deinde mittuntur in cadum, cui fontana, aut pluuialis aqua miſcetur, & opertum vas per triginta dies ſinitur, ac ſubinde quantum fuerit aceti ſublatum ad vſus, reddita pari aquæ copia ad reparatur. Fieri vinum è Malis teſtatur Plinius. Noſtri etiam è Malis vinum primarium factitant, quod vulgo *Cidre*, vocatur, prelo, vel truſatilibus molis expreſſo, tortino ſucco. Deinde rurſus ſecundarium, fracibus & retrimentis in aqua maceratis, ita vt è Malis lora dici poſsit, non parui ad reſtinguendam ruſticorum ſitim momenti. Vino è Malis vtuntur Septentrionales gentes, apud quos cæli iniuria prouenire vites minimè ſinit. Malis omnibus caducis ſuillum pecus optimè paſcitur, ſed ea geſtantibus dorſuariis iumentis tam grauia, vt oneri alioqui viribus non impari ſuccumbant. Siquidem vires (quod Apuleius in Aſino aureo tradit,) odore illorum offenſæ ita fatiſcũt, vt oneri pares non ſint, quod paulo aliter tradidit Plinius, nempe Pomorum onera à iumentis ſtatim ſentiri, ac niſi prius oſtendantur his, quamuis pauca portent, ſudare illico. In vniuerſum de Pomis ſeruandis præcipitur, inquit Plinius, vt Pomaria in loco frigido ac ſicco contabulentur, Septentrionales feneſtræ ſereno die pateant: Auſtri ſpecularibus arceãtur, Aquilonis quoque afflatu Poma detur pante rugis; colligantur Mala poſt æquinoctium autumnale,

Li. 1. Dioſ. cap. 131.

Ruell. l. 1. br. 1. c. ap. 96.

Li. 14. c. 16. Ruel. Ibid.

Li. 24. præf.

Li. 15. ca. 16.

neque ante xv. lunam, neque ante primam horam: cadiua separarentur stramentis, storeis, paleisve substratis: rara componantur, vt limites peruij spiritum æqualem accipiant.

MALVS CYDONIA, CAP. II.

Nomina MALA μηλέα κυδωνία, Latinè Malus Cydonia à Cydone Cretæ oppido dicitur, vnde primùm aduecta. Cotoneam Malum primus Cato nominauit, Officinæ Citoniam, Galli *Coingnier*, & *Coignacier*, Germanis *Quitten*, & *Kuttum*: *Kuttenbaum*, & *Quittenbaum*. Fructus μῆλον κυδώνιον Græcis nuncupatur, Latinis Malum Cydonium, & Cotoneum, Officinis Citonium, Arabibus *Saffargel*, Gallis *Coing*, & *Pomme de coing*, Germanis *Kuttenopffel*, & *Quittenopffel*, Italis *Melo Cotogno*, Hispanis *Membrilho*, & *Marmello*, Anglis *Quintetre* Belgis *Que perreboem*: Cotoneę arboris mala, Dioscor. & Galeno auctoribus, duûmsunt generum. Vera, inquit Dioscorides, rotunda, parua, & odorata: quæ verò Struthia dicuntur, magna quidem sunt, sed minus vtilia. Malorum Cotoneorum quædam dulciora, maiora, ac minus acerba esse Galenus scribit, quæ in Asia Struthia vocantur, alio in loco Cydonia à Struthiis, quæ etiam Struthiomela nominat, apertè distinguens, Cydoniorúmque succum minùs esse suauem, & maximè adstringentem. Columella tria ipsorum genera facit. Struthia, Chrysomela (legitur tamen corruptè Chrysomeliana) Mustea. Idem tradit & Plinius, pluribus sed adiectis. Chrysomela, incisuris distincta, inquit colore ad aurum inclinante. Quæ candidiora, nostratia cognominata, odoris præstantissimi. Est & Neapolitanis suus honos. Minora ex eodem genere Struthea, odoratius vibrant, serotino prouentu, præcoci verò Mustea. Strutheis autem Cotonea insita suum genus fecêre Muluianum (aliàs Miluianum) quæ sola ex his vel cruda manduntur. Sunt præterea parua syluestria, à Strutheis odoratissima, in sepibus nascentia. Hæc Plinius. Chrysomela syluestribus arboribus Malorum generis attribuit Vergilius, cum dixit.

Li. 1. ca. 131.
Li. 6. fa. tu.
Li. 2. Alim.
Lib. 5. ca. 10.
Lib. 15. c. 11.

Quod potui puero, syluestri ex arbore lecta,
Aurea mala decem misi, cras altera mittam.

Eclo. 3.

Struthia verò vel aperto errore Plinius minora esse dixit, vel in eo lectio vitiosa est, leguntur, cum Dioscorides & Galenus palam Struthia magna esse dicant, vera & genuina Cydonia, parua & rotunda. Ætius quoque ad medicamenti ex Malis Cydoniis compositionem, ex ipsis maiora iucundioráque, & minùs acerba, quæ videlicet Struthia appellantur, eligere præcipit. Quare maiora etiam in Plinio legendum esse apparet. Malorum Cydoniorum tria in Italia inueniuntur genera, inquit Matthiolus. Palma illis quæ peculiariter Mala Cotonea nominantur, pressa, incisuris intersecta, colore ad aurum inclinante, lanuginosa, & longè cæteris odoratiora. Proximo loco sunt quibus multo maior corporis moles, Dioscoridis, & Galeni Struthia. Hetrusci hæc, Pira Cotonea vocant, quod forma magis Pira, quàm Mala referant. Pulpa ac succo cæteris præualent: colore, suaui odore, ac viribus cedunt. Postrema sunt Plinij Miliuana: ea quidam Notha vocant, quoniam ex Cotoneis quæ Strutheis, vel ex Strutheis quæ Cotoneis insitæ fuerant, proueniant. Totidem apud Gallos sunt genera. Quædam minora, rotunditatis in orbem circinatæ, odoratius spirantia, quæ peculiariter *Coings*, vocamus: Alia grandiora amplitudine pinearum nucum, pauciori lanugine operta, colore tam intus, quàm foris aureo, odorem non tam latè iactantia, quæ *Coignasses*, quasi Cotonacea vulgus

In libr. 1. Dioscor. c. 131.

Ruell. lib. 1. cap. 72.

nostrum

noſtrum appellat. Alia medio habitu inter ea viſuntur, ſibi priuatim Cotoneorum nomen vendicantia. Malus Cotonea vulgari Malo ferè ſimilis eſt, foliis anguſtioribus, læuioribus, carnoſioribus, durioribus, à tergo albicantibus, altera parte viridibus: flore albo, vel ex albo rubente, ſylueſtris Roſæ figura, quinque per ambitū foliolis diſtincto. Haud procera eſt arbor, fructu incuruatos trahente ramos, prohibentéque creſcere parentem, tenui lanugine pubeſcente. In cultis, & hortis prouenit. Locum autem peculiariter frigidū & humidum deſiderat. Si in calido ſtatuatur, aſsidua rigatione illi ſuccari opus eſt: fert tamen mediocris ſitus inter vim frigoris & caloris ſtatum. Planis & decliuibus gaudet. Septembri & Octobri menſibus Poma eius matureſcunt. Ea frigido & terreſtri temperamēto prædita ſunt, ac propter vincentem adſtrictionem minus cæteris Malis humectant. Frigida itaque ſunt primo ordine, & ſicca ſecundo. Stomacho ſunt vtilia, auctore Dioſcoride, vrinam cient: verùm toſta nitiora ſunt. Proſunt cœliacis, dyſentericis, purulenta extuſsientibus, cholericis, præſertim cruda. Maceratorum liquor commodè in ſtomachi aut ventris fluxionibus potui datur. Succus crudorum aſſumptus orthopnoicis ſalutaris eſt. Decocto fouentur vuluæ, & ſedes ſi procidant. Quæ melle condiuntur, vrinam mouent: mel autem ſibi conſtringentem illorum vim, & ſpiſſantem adſciſit. Quæ cum melle coquuntur, ſtomacho atque ori gratiora ſunt, ſed minùs ſpiſſant. Cruda cataplaſmatis adiiciuntur ad cohibendam aluum, aut ſi ſtomachus æſtuet, aut in vomitiones effundatur, ad mammarum inflammationes, præduros lienes, & condylomata. Fit vinum ex ipſis tuſis, expreſsiſque: ſed quo perduret, quindecim ſextariis ſucci vnus mellis adiungitur, alioqui in acorem degenerat. Fit oleum ex iis, id Melinum vocant, quo vtimur quoties adſtringente oleo eſt opus. Flos & viridis & ſiccus cataplaſmatis additur, & iis conuenit quæ adſtrictionem deſiderant, inflammationibus oculorum, reiectionibúſque ſanguinis: contra citam aluum, & menſium impetus in vino bibitur. Cotonea, inquit Galen. eximium quiddam, quod in aliis non inuenitur, habent. Nam præterquam quod adſtrictionem ſortita ſunt copioſiorem, ſuccus etiam eorum diu durat, ſi quis ipſum cum melle coctum aſſeruet: cum aliorum pomorum ſuccus, ſi reponatur, aceſcat, quia multam habet humiditatem. Permanet & Struthiorum ſuccus, quando paratus rectè fuerit, quemadmodum & Cydoniorum. Verùm hic minus eſt ſuauis, & ſummoperè adſtringens. Quare ad ventriculi maximè exoluti robur vti eo aliquando poſsis. Cotonea Plinio, cocta ſuauiora. Cruda tamen, duntaxat matura, proſunt ſanguinem excreantibus, ac dyſentericis, cholericis, cœliacis. Non idem poſſunt decocta, quoniam amittunt conſtringentem illam vim ſucci. Imponuntur & pectori in Febris ardoribus: & tamen decoquuntur in aqua cæleſti ad eadem quæ ſupra ſcripta ſunt. Ad ſtomachi autem dolores cruda decoctáue cerati modo imponuntur. Lanugo eorum carbunculos ſanat cocta

Forma.

Locus.

Tempus.

Temper. & vires

Lib. 1. c. 131.

Li. 2. Alim.

Lib 24. c. 6.

MALVS Cydonia.

in vino, & illita cum cera alopeciis, capillum reddit. Quæ ex iis cruda in melle condiuntur, aluum mouent. Mellis autem ſuauitati multum adiiciunt, ſtomachóque vtilius id faciunt. Quæ verò in melle condiuntur cocta, quidam ad ſtomachi vitia trita cum Roſæ foliis decoctis dant pro cibo. Succus crudorum lienibus, orthopnoicis, hydropicis prodeſt: Item mammis, condylomatis, varicibus: flos & viridis & ſiccus inflammationibus oculorum, excreationibus ſanguinis, menſibus mulierum. Fit & ſuccus ex iis mitis cum vino dulci tuſis, vtilis cœliacis, & iocinori. Decocto quoque eorum fouentur, ſi procidant vuluæ, & interanea. Fit & oleum ex his, quod melinum vocauimus, quoties non
Athen. li. 3. fuerint in humidis nata. Ideo vtiliſsima quæ ex Sicilia veniunt. Minus vtilia Struthia, quamuis cognata. Phylarchus memoriæ prodidit lætalium medicamentorum vim Cydoniorum Malorum odore iucundo hebetari, Phariacùm que venenum iniectum caniſtro, quod adhuc olebat Mala Cydonia in eo repoſita, euanidum factum, maleficam vim ſuam amiſiſſe: itaque mixtum & in potu datum, iis nihil attulliſſe noxæ quibus inſidiæ ſtruebantur: cauſsámque poſtea eius rei cognitam fuiſſe illius inquiſitione ac inueſtigatione qui vendiderat. Compertum enim hoc accidiſſe, propterea quod condita in eo calatho Mala fuiſſent. Celtiberi Veratri albi ſuccum, quo ſagittis illitis feras immedicabili vulnere conficiunt, ſi vbi Cydonia Mala fuerint, reponatur, elangueſcere, & maleficam vim ſuam exuere vſu deprehenderunt, eámque recuperari, ſi venenum per aliquot dies in foriis ſuſpenſum maneat, vbi alui excrementa egeruntur. Eſt & id animaduerſum Cotonea cruda per hiemem aſſeruata, acerrimo ſuo ſapore vuas penſiles adeo vitiare, vt ex ſtatim marceſcant, quare ſeorſum ab iis reponenda eſſe. Multa hodie ex Cydoniis Malis parata in Officinis conſeruantur. Ex iis enim ſectis, diutius in aqua elixis donec tabeſcant, poſtea per linteum colatis ſine compreſsione, deinde cum Saccharo percoctis in cerati conſiſtentiam, fit quæ vulgo vocatur Galatina Cydoniorum (*Gelee de Coing*, Gallicè nominatur) res perlucida, pulcherrima, & gratiſsima. Ex eo quod reliquum eſt Valentius compreſſu cochleariis excreto, & cum Saccharo percocto, ad emplaſtri ferè conſiſtentiam, Cydoniatũ craſsius & vilius fit. Si tam pellucidum illud quàm craſſum ſimul cernantur, & cum Saccharo vt prius percoquantur, Cydoniatum fit (*Codignat* vulgus noſtrum vocat) quod omnibus in vſu eſt, quódque ante epulas ad vnciam vnam ſumptum, aluum ſiſtit, poſt epulas verò ſoluit, & vapores ad caput ex ventriculo attolli prohibet: Eſtque id ſimplex. Aliud verò compoſitum, ex carne Cydoniorum in vino cocta, & melle deſpumato igne lento percoctis, iniectis Cinnamomo, Caryophyllis, Galanga, & variis aliis aromatibus, pro vario vtentium ſcopo, ad ventriculum firmandum, coctionem iuuandam, vomitum bilioſum & pituitoſum ſiſtendum, ad priſtinum calorem corpori reſtituendum, diſsipandos flatus, & id genus cætera, ſi affectus ſit frigidus: Si verò calidus, Cydonia cum aceto coquunt, adiectis quæ refrigerent. Sunt qui cholagogum vt parent, Scãmonium admiſcent, vt phlegmagogum, Turpetum cum Cnico. Paratur etiam
Meſu. lib. 5. Antid. Cydoniatum, ſiue Diacydonium, ex ſucco Cydoniorum variis immixtis aromatibus, ad languentem appetentiam excitandam, ventriculum & hepar roborandum, coctionem iuuandam, & confirmandam vtriuſque vim retentricem. His accedit Conditum Cydoniorum, quod Miua officinis dicitur. Eaquæ nũc ſimplex, ex ſucco Cydoniorũ fit cũ vino cocto, addito melle optimo, & deſpumato: nunc compoſita, & aromatica, ex ſucco eodem ſimiliter cocto, & in eo ſuſpenſis linteolo exceptis aromatibus diuerſis. Ventriculum, hepar, & cætera viſcera hoc medicamentũ roborat, appetentiã excitat, coctionẽ iuuat,

vomitum

vomitum & lienteriam ſedat. Galenus in Syria edulium componi tradit, quod μηλοπλακοῦς, ideſt placenta ex Malis Cotoneis appellatur:id adeo durare, vt patinæ recentes ipſo plenæ Romam adferrentur. Componebatur autem ex melle, & carne Cydoniorum læuigata ſimul coctis. Meminit & Galenus medicamenti quod non ex Melle ſolo & Malorũ ſucco conſtat, ſed & piperis albi habet quidpiam,& Zingiberis,& Aceti. Id diacydonion aliis locis etiam fuſius idem deſcribit, item Ætius, quod tum ad appetentiam excitandam his quibus ea languet, tum ad concoctionem iis qui parum fœliciter cibos concoquunt, valet, quod denique ventri robur conciliat, nec non id quod ex Cydoniorum carne, & iiſdem ferè conſtat. Hæc Diacydonio Meſues ex ſucco, & Diacydonio ex carne, viribus affinia ſunt. Illud Diacydonium ex ſucco. Galeno διὰ μήλων,& διαμήλου, ideſt ex Malis, ſcilicet Cydoniis dicitur, quæ abſolutè μῆλα dicuntur totius generis appellatione, ſicut & oleum priuatim μήλινον, ideſt Cydoniorum,atque emplaſtra μήλινα, quę colorem Mali Cydonij referunt ex ærugine vſta. Pauli ὑδρόμηλον ex ſucci Cydoniorum ſextariis duobus, Mellis ſextariis tribus,aquæ ſextariis ſex, omnibus ſimul coctis, iiſdem viribus pollet quibus Miua ſimplex Cydoniorum. Eſt etiam in Officinis frequens ſyrupus de Cydonijs ex eorum ſucco & Saccharo confectus qui dyſenteriam hepaticam mirè ſanat,valẽtior ex Cydoniorum paruorum, quàm ex Struthiorum ſucco.Oleum Melinum refrigerat,& aſtringit. Ob id ventrem totum inferiorem & neruos laxiores cogendo roborat,ſudores immodicos ſiſtit.Mirum eſt quod multi aiũt mulierẽ grauidã, ſi crebrius Mala Cydonia eſitauerit, pariturã infantẽ tũ ingenioſum, tũ induſtriũ. Semina eorũ decocta in aqua, quouſque in mucũ liqueſcant,proſunt illita omnibus inflãmationibus, linguæque ſcabritiẽ mirificè læuigant. Eorũdẽ ſuccus libræ pondere, in quo Corallorũ rubrorũ,ſeminis Roſarũ rubrarum,& Rhabarbari,cuiuſque drachma,cũ Hypociſtidis & Acacię binis ſcrupulis ad tertias bullierint,magno eſt ad bilioſas vomitiones, & ad dyſenteriã auxilio. Datur bis quotidie potandus,mane & veſperi, horis duabus ante cibum, ſed ægris iam purgatis.

Li.2.Alim.

Lib.6.ſan. tu. & libr. 2.ph.par. cap.4. Lib.9.c.24.

Lib.6. cap. ph.par.

Lib.2. cap. ph.gen. Libr.7.

Matt. Ibid.

MALVS PERSICA, CAP. III.

GRÆCIS περσικὴ μηλέα, Latinis Perſica malus dicitur,& Perſicus Palladio, Gallis *Peſchier*, Germanis *Pferſichbaum*, fructus περσικὸν μῆλον, Perſicũ malũ,Arabibus *Sauch*,*Chauch*,Gallis *Peſche*,Italis *Perſiche*,Germanis *Pferſing*, Hiſpanis *Pexegos*. In totum quidẽ Perſica peregrina etiã Aſiæ, Græciæ que eſſe,ex nomine ipſo apparet,inquit Plinius,atque ex Perſide aduecta:ac rurſum Perſicæ arbores ſerò,& cũ difficultate tanſiere,vt quę in Rhodo nihil ferant,quod primũ ab Ægypto earũ fuerat hoſpitiũ, tũ etiã Perſicæ arbores in Rhodo florent tantũ. Quibus accedere videtur Theophra. teſtimoniũ ſcribentis Perſicã in Ægypto,& in vicinis locis ferre, in Rhodo ad florẽ tantũ peruenire. Hoc tamen loco Græci codices mendoſi ſunt,quo pro Perſica quidã Perſeã legunt. Rhodacenã non aliã eſſe,quàm Malũ Perſicã,& ipſa Mala Perſica Rhodacena eſſe contendit Cornarius, atque in omnibus Plinij, Pauli Palladij,Conſtãtini de Agric. locis,quibus hac de re agitur,δωράκια,& duracina falſo legi pro ῥοδάκινα, & Rhodacena,ita vt ex Latinis Duracinis Græci nomen non ſumpſerint,ſed contrà,vt apud Latinos Rhodacenorũ nomen in Duracinorũ appellationẽ corruptũ ſit. Rhodacineæ arboris meminit etiã Ætius, inquit, & fructus Rhodacenorũ de Perſica Malo agens, vbi apertè Rhodace non appellari eius fructũ teſtatur, quod tamen in codice meo non lego. Videtur autem Cornario appellatio ea à Rhodo deducta eſſe, quod primũ ab Ægypto Per-

Nomina Lib.12.c.7.

Li.15.ca.14.

Li.16.c.26.

Lib.4.Hiſt. cap.5.

In lib.3. ca. ph.par. & lib.3.Pauli.

Li.15.c.108. Libr.1.

ſicarũ arborũ fuit hoſpitiũ, vt ex Plinio diximus: quomodo Damaſcena à Damaſco ſunt appellata. Ab hac Cornarij ſententia valde diſſentit Matthiolus, negátque eum quid Plinio & Palladio Duracina, quid Paulo δωράκια, quid Ætio, Conſtantino, aliiſque Græcis auctoribus ῥοδάκινα ſignificant, intellexiſſe, quod hæc tria & nominibus, & reipſa differant. Rhodacenẽ enim non aliã eſſe quàm Malũ perſicã, & Rhodacena ipſa nihil aliud quàm Mala Perſica cũ Cornario cẽſet: at Pauli δωράκια genus eſſe præcocis ſeu Armeniaci Mali φ ipſe declarat his verbis, τὰ ὁ πρωικόκιά τε, καὶ δωράκια, καὶ ἀρμένια κρεῖττονα τῶν περσικῶν· ὅτε μὲν ὀξύνε), ὡσαύτως διαφθείρε). Ideſt Præcocia, Doracia, & Armenia Perſicis præſtãt: neque enim aceſcunt, neq; ſimiliter corrũpuntur. Hic igitur δωράκια, rectè legi Matth. putat, non ῥοδάκινα, quod ῥοδάκινα Mala Perſica ſint duntaxat, non præcocia, δωράκια, Armenia, quæ & ſi inter Perſica numerentur à quibuſdam, nõ tamen ſunt ſimpliciter Perſica. Neque tam ineptè dixiſſet Paulus, Rhodacena Perſicis præſtare, cum Rhodacena ſint ipſamet Perſica. Iam verò Duracina Perſica Plinio Perſicorũ ſpecies ſunt, non genus, quẽadmodũ Duracina Ceraſa, & Duracinæ vuæ eidẽ, & Palladio Ceraſorũ vuarúmque ſpecies. Quare alia iis erunt Duracina, alia Græcis Rhodacena, quæ vniuerſè quidem Perſicũ omne ſignificant, non autẽ aliquã eius ſpeciem. Neque, vt Cornarius ait, vocat noſtra ætas quædã Perſica Mala Duracina, quod ſint oſſe cæteris duriore, ſed antiquos ſecuta, quod pulpa, carnéque guſtui gratiora ſint, longioríque tempore perdurent, quod de Duracina vua Plinius apertè ſcripſit. Duracina vua ſine vllis vaſis in vite ſeruabilis eſt: tanta eſt contra frigus, æſtus, tempeſtatéſque firmitas. Hæc ex Matthio. Plinius aliquot Perſici genera recenſet. Perſicorum palma Duracinis. Nationũ habent cognomen Gallica, & Aſiatica. Poſt autumnum matureſcũt, æſtate præcocia, intra xxx annos reperta, & primo denariis ſingula venundata. Supernatia è Sabinis veniunt, popularia vndique. Pomum innocuum expetitur ægris: pretiúmque ſingulis tricenis nũmi fuêre, nullius maiore, quod miremur, quia non aliud fugacius. Longiſsima nãque decerpto bidui mora eſt, cogítque ſe venundari. Perſicorũ multæ ſpecies, inquit Matthio. Quedã rubent, quædam aureo colore fulgent, alia vireſcunt, alia candida ſunt, alia ſanguinea, alia Duracina, alia Cotonea vocantur. Præterea nonnulla dulcia, nonnulla acida, quædam vinoſa, quædam amariuſcula, quędam etiam auſtera. Prima laus in cibis Duracinis ſic dictis, quod caro tam pertinaciter oſsi hæreat, vt auelli non queat. Duracinis adhæret corpus, inquit Plinius, è lignóque auelli nequit, cũ in cæteris facilè ſeparetur. Inter hæc primas tenent quæ ab aureo colore, & odore periucũdo Cotonea cognominantur. Secundas quæ cortice detracto ſanguineum ſuccum fundunt, non quod guſtu reliquis ſint ſuauiora, ſed quia magnitudine excellunt, & pulchro ſunt colore. His fortaſſe non cedunt, quæ à Nucis ſimilitudine Nuciperſica nominantur, & colore, ſaporéque Perſica Cotonea referũt, tũ nõ ingrata dẽtibus duritie guſtũ mira afficiũt voluptate. Eſt & aliud in Hetruria, & aliis Italiæ locis Perſicorũ genus, agricolarũ mãgonio factũ, quæ Perſica Amygdala vocãt, quoniã pro amaro Perſici nucleo dulcẽ Amygdalarũ modo includũt. Perſicorum in genere multiplex differentia eſt. Prima ἐντελεστάτη καὶ φαυλοτάτη, vulgare eſt Perſicum, carne ſuccoſa quidem, ſed flaccida, molli, tenera inodora, quæ à nucleo tota recedit, vulgo *Peſche qui laiſſe le noiau*. In hac ſpecie, Perſica quædã parua ſunt, quædam magna & ampla, quædam viridia prorſus, quædã rubris maculis picta, quædã carne vſq; adeo rubra, vt ſanguinolẽta videãtur, & hęc nucleo etiã foris rubẽte, alia nigro, lanata omnia. Altera ſpecies eſt eorũ quę Duracina Latini vocarũt, Græci quidã Rhodacena. Duracina quidẽ, non quod ſeruari poſsint diuti⁹, ſed ob carnis duriorẽ ac ſolidiorẽ callũ: Rhodacena verò

Lib. 1. Dioſc. cap. 131.

Libr. 1.

Lib. 14. c. 3.

Genera.

Li. 15. c. 12.

In libr. 1. Dioſco. 131.

Li. 15. ca. 28.

verò, aut quod odoris ſuauitate Roſam imitẽtur, aut quod plerũque roſeo colore, id eſt rubro altera ſui parte niteant. Gallorum alij *Preſſes*, & *Perſes*, vocant, alij *Auberges*, præſertim ſi candida eorum pulpa fuerit, alij *Myrecotons*, ſi lutea, veluti Cydoniorum. Omnibus compacta, dura, ſolida, firma caro nucleo tenaciſsimè adhæret, & mandentium dentibus non alter reſiſtit, quàm Mali aut Pirii: ideoq; poſtrema menſa vtiliter ſumitur, nec ventriculum cõturbat, aut in eo corrumpitur, cum alia Perſica prima ſtatim menſa præbenda ſint, alioqui putredini corruptioníque obnoxia. Duracinorum varietas in pulpæ colore ſita eſt, nunc cãdidæ, nunc luteæ, quod genus frequentius reperitur, nunc ex albo ſubrubentis. Mira in omnibus & ſaporis, & odoris iucunditas, vinum etiam commendantis, ſi detracto cortice immergantur. Proueniunt inſitione & nucleorum ſatu: quod ſic fit. Duracinorum præſtantiorum nuclei defodiuntur, exacto biennio tenella arbor tranſplantatur, & cum abierit tertius annus, ea quæ bene comprehenderit, vno ſupra terram pede ſecatur: cicatrice obducta plaga, qui poſtea naſcuntur rami fructus gignunt, & ampliores, & ſapidiores, quàm ſi arbor inſita fuiſſet: adde quod adulta ſic arbor, viuacior eſt quàm inſita, & ætatem melius fert. Apud Paulũ qui Latinas voces vſurpauit pro δωράκια legẽdum eſt δωράκινα. In Perſicorum genere quidam Nuciperſica recenſent. Armeniaca & præcocia an Perſicorum generi adnumeranda ſint, pleríque dubitant, & iure quidem. Arboris certè tota facies à Perſico diſcrepat, ſi proceritatem, vaſtitatem, ac foliorum figuram ſpectes. In fructu cognatio quædam intercedere videtur, ſed quæ hoc nomen ſibi vendicare non debeat. Malus Perſica arbor eſt inter cæteras Malos humilis, folio Amygdalæ, maiuſculo, in ambitu leuiter ſerrato: flore ſubpuniceo, Amygdalæ ſimili: Pomo carnoſo, ſuccu-

MALVS PERSICA.

lento, extrinſecus lanuginoſo, cute modò candida, modò rubente, modò lutea, in cuius altera parte profunda inciſura, ſeu rima in longum porrigitur: dura intus & ſcabra nuce, in qua nucleus qualis Amygdalis, minor tamen, & amarior. Radicibus nititur debilibus, minimè in altum actis. Quamobrẽ citò conſeneſcit, cadítque hæc arbor, materia fungoſa & imbecilli. Nuciperſica arbor eſt humilis, præcocis Perſici proceritate, folio Amygdalæ, ſed maiore: flore Puniceo. Pomum emicat viride, carnoſum, ſucculentum, nulla exteriùs lanugine pubeſcens, dura intus & ſcabra nuce, in qua nucleis, qualis Perſicæ Pomis. Paſſim in viridariis, hortis, & vineis naſcitur Malus Perſica. Gaudet etiam aquoſis & apricis. Floret vere: fructus Autumno matureſcit, celerrimè marceſcens. Nuciperſicæ fructus Autumni exitu matureſcit, diutiuſq; Perſicis ætatem prærogat: τὰ περσικὰ μῆλα, auctore Dioſcoride, ἰυσθμαχα, ἰυκοίλια τὰ πέπερα. Id eſt, Perſica Mala ſtomacho grata ſunt, matura facilem reddunt aluum (ſic enim meliùs quàm Ruellius, Perſica Poma matuia, tam ſtomacho, quàm ventri vtilia) acerba eam cohibent, ſed ſicca vehementius. Decoctum è ſiccis alui, ſtomachíque fluxiones ſiſtit. Galenus verò ſcribit arborem ipſam in germinibus & foliis vincẽtem habere amarã qualitatem:

Locus.
Tempus.
Temper. & Vires.
Lib. 1. c. 131.
Li. 7. ſimpl.

ideóque folia eius trita,& vmbilico impoſita,lumbricos necare, & alioqui ſane etiam diſcutiens eſſe medicamentum.Fructum eius eſculentum, ſcilicet Perſicum humidius eſſe,& frigidius temperie. Idem alibi auctor eſt, Pomorum Perſicorum ſuccum,& veluti carnem,facilè corrumpi, omninoq; noxam inferre. Quamobrem non poſt alios cibos,vltimaq;, ſicut nonnulli ſolent, illa offerri oportere, quod in ſummo natantia corrumpantur. Hoc verò, quod omnibus commune eſt,memoria tenendum,quæcunque vitioſi ſucci, humidáque & lubrica ſunt,facileq; deſcendunt,ac ſe cedunt,præ aliis comedenda eſſe: ſic enim & ipſa celeriter ſubeunt,& aliis præeunt, ac quaſi iter muniunt:Poſtrema verò ſumpta,vnà ſecum alia quoque corruptioni reddunt obnoxia. De iiſdem Perſicis hæc Plinius Valerianus.Perſicum in cibo eſt quidem ſtomacho inutile, eo quòd cito ſuccus eius marceſcit, & caro æque per concoctionem vitiatur, verùm minimè graue,dum modo,non diu in inteſtinis moretur, & ad ima ſemper exitu celeri feſtinet.Perſica in cibo negant medici membra nutrire: ſed & Galenus ſuadet nunquam omnino poſt cibum ſumere,quoniam corrũpuntur, ſi cibis cæteris innatent. Perſicorum folia trita, & impoſita, ventris animalia perimunt,& expellunt.Eadem ſicca,& in puluerem tuſa,recentes plagas vulnerum cruentorum claudunt.Nucleus Perſicorum capitis dolori cũ oleo & aceto tritus illinitur,quamuis quidam cum ſolo roſaceo terere malint. Gummi, ſeu gutta quam Perſicorum truncus illacrymat,fluenti aluo medetur.Eadem mixta cum vino,etiam in veſica lapillos frangit. Trita cũ aceto impetigines reprimit. Decocta cum croco tumores fauciũ mitigat. Aſperum arteriæ canalem læuiorẽ facit. Excreantibus ſanguinem miro modo ſubuenit.Thoracis obſtructos ſinus reſerat,vitia pulmonis expurgat.Non rectè igitur Plinius ſcripſit Poma Perſica innocua expeti ægris,vtilioraq; Prunis Perſica, ſuccumq; eorum etiámnum in vino,aut in aceto expreſſum,vel,vt alij legunt, ſuccumq; eorum etiam expreſſum,cũ vino,aut aceto.Nec eſſe alium eis Pomis innocentiorẽ cibum. Nuſquã minus odoris,ſucci plus,qui tamen ſitim ſtimulèt. Folia eius trita & illita hæmorrhagiã ſiſtere.Nucleos Perſicorũ in aceto & oleo, capitis doloribus illini. Flores Perſicæ,inquit Fuſchius,Saccharo cõditi inſtar Roſarũ,aut Violarũ,aluũ haud leuiter mouẽt,atq; ſubducũt. Eſu etiã idẽ præſtãt,auctore Matthiolo, vomitioneſq; cient,Hydropicorũ aquas pellũt, ſi recentes in acetariis edãtur, ſed nõ abſq; labore. Arboris lacryma datur ex aqua plãtaginis, aut portulacæ vtiliter ad cruẽtas reiectiones,tuſsiẽtibus verò,& anheloſis ex mulſa,aut tuſsilaginis decocto,addito croci momẽto:facit ad raucedines,& aſperę arteriæ impedimẽta.Datur calculoſis cũ ſucco Rhaphani, aut Limonũ, aut ex vino duarũ drachmarũ põdere.Folia cõtuſa illinũtur vtiliter vẽtri,ex aceto, ad interaneorũ vermes.Eorundẽ ſuccus purulẽtis,vermiculoſiſq; auribus inſtillatur.Nuclei tormina vẽtris tollũt,ſi deuorẽtur:ebrietatẽ mirũ quantam arceant,ſi ſeni, ſepteníue præſumãtur. Tundũtur,& decoquũtur in aceto, quouſque liqueſcãt, pulticulæ modo,ad alopecias:nã illiti mirũ in modũ capillos euocant. Contuſorũ cremor ex aqua Verbenacæ vtiliter frõti ac tẽporibus illinitur in capitis dolore. Ad idẽ valet oleũ ex iiſdẽ expreſſum,cõuenit enim peculiariter hemicranię, ſomnumq; cõciliat,id quod & cremor facit.Inſtillatur idẽ oleũ ad auriũ dolores.Tam potũ, quã clyſteribus infuſum,coli dolores à flatu genitos,ac etiã à fæcibus exſiccatis valde mulcet.Datur quoq; potãdũ iliacis,ac calculoſis quatuor vnciarũ põdere. Maximè verò nuclei Perſici calculoſis auxiliãtur, ſi quinquaginta cũ centũ ceraſorũ nucleis, florũ Sãbuci manipulo,vini Cretici libris tribus excipias fictili nouo,& in fimo ſepelias dieb⁹ decẽ,deinde vitreis organis deſtilles.Aqua enim, quæ inde fluxerit ante cibũ hauſta 4.vnc.põdere mirificè renũ calculos expellit.

Li.2. Alim.

Lib.15. c.12.
Lib.23. c.7.

In Hiſt.pl. cap.28.
Lib.1. Dioſcor. ca.131.

MALVS

MALVS ARMENIA. CAP. IIII.

MHAEA ἀρμενιακὴ, Latinis Malus Armenia, fructus μῆλα ἀρμενιακὰ, Mala Armeniaca, seu Armenia, Latinis Præcocia, auctoribus Dioscoride, & Galeno. Dicuntur & Præcoqua: Græci Bericoca ferè pronunciant, Galli *Abricots*, Mauritani *Mermex*, seu *Mirmix*, *Mex*, *Mesmes*, *Mismis*, Itali *Armeniache*, *Bacoche*, *Moniache*, & *Grisomele*, Hispani *Albiricoques*, *Albarchigas*, & *Aluaricoques*, Germani *S. Iohans Pferfich*. Armeniaca peregrina quoque fuisse ex nemine cognoscitur. Ex genere Persicorum esse Galenus scribit. Aliquot eorum distinguntur genera, sapore & præcipuè magnitudine differentia, quod non solùm cœli solíque clemẽtia euenire credendum, sed etiam agricolarum arte: frequenti enim insitione maximè proficiunt, & augescunt, Sed duo præcipuè Gallis nota, magnitudine tantum paruitatéque fructus distantia. Maiora & mole corporis, & suauitate præcellentia, Præcocia, Galli vocant *Gros Abricots*, quod insita fuerint, minora Armenia, quæ in Gallia Narbonensi *Armegnes* vocantur: Gallis cæteris *Petits Abricots*, quod sponte gignantur. Malus Armenia rarò procera est arbor, Persicæ ferè similis, nisi quod folia fert Populi nigræ æmula, in summo acuminata, per ambitum serrata, quaterna, quináue simul emergẽtia: flores albos, Cerasi florum figura, ex quibus fructus proueniunt Persicorum quadãtenus specie, aureo colore cũ purpura mixto, propter quem *Grisomele* à Romanis vocantur, quasi Crysomela, id est, aurea Mala, eáque præcipuè quæ eo in tractu Persicorum magnitudinem æquant. Os intus cõcluditur, non, vt in Persicis, scabrum, vtraque parte turgens, in quo nucleus eadem figura, in quibusdam amarus, vt in Persico, in aliis dulcis, vt in Amygdala. In viridariis & hortis coluntur. Maturescunt ineunte æstate, mense Iunio, ante alios fugaces fructus, vnde Præcocia dicta. Bonitate Persica superant, inquit Galenus: neque enim in ventriculo, vt illa corrumpuntur, neque in ventriculo acescunt. Vulgo autem

Nomina Lib. 1. c. 131. Li. 7. simpl.

Li. 2. Alim. *Genera*

Forma.

Locus. *Tempus.* *Vires & Temper.*

MALVS ARMENIA
maior.

MALVS ARMENIA
minor.

autem ſuauiora apparent, vnde etiam ſtomacho ſunt gratiora. Idem alibi fru-
Li.7.ſimpl. Lib.1. c.131. ctus, inquit, Mali Armeniæ frigidior, humidiorq; eſt ſecundo quodammodo ordine. Armeniaca, inquit Dioſcorides, minora ſunt Perſicis, & ſtomacho vtiliora. Quidam tamen recentiores medici refragantur, & ea magis quàm Perſi-
Lib.1. Dioſcor. ca.131. ca corrumpi affirmant. Oleum ex nucleis expreſſum, Matthiolo teſte, mirificè valet inunctum ad inflammatas hæmorrhoidas, ad vlcerum tumores, linguæ impedimenta, & aurium dolores.

MALVS CITRIA, LIMONIA, AVRANTIA, POMA ADAMI. CAP. V.

Nomina Lib.1. c.131. Lib.& cap. 4. Hiſtor. MHAE'A μηδικὴ, Malus Medica, & Aſſyria dicitur, vtroque nomine à regionibus ducto, præterea Citria, ſeu Citrea. Fructus, Mala Medica, & Cedromela, & Perſica, auctore Dioſcoride, ac Theophraſto: ἡ δὲ μηδία χώρα, καὶ πέρσις ἄλλά τε ἔχει πλείω, καὶ τὸ μῆλον τὸ μηδικὸν, καὶ περσικὸν καλούμενον. Id eſt, Media regio & Perſis alia plura profert, & quod Malum Medicum & Perſicum vocant. Citria Latini appellant Citrea, & Citromela, Galli *Citrons*, Itali *Cedri*, & *Citroni*, Hiſpani *Cidras*, Germani *Citrinoepffel*, *Iudenoepffel*, & *Citronaten*. Angli *Citron tre*, Belgi *Citrotuen*. Malus Medica Aurantiis, & Limoniis arboribus magnitudine par eſt: folia fert Laurina, vel Aurantiorum foliis ſimilia, foraminibus viſum fere effugientibus vndíque punctim traiecta. Quare valde deprauatos eſſe Theophraſti Codices, falſámque Theodori interpretationem, in quibus Mali Medicæ folia Portulacæ foliis comparantur, Matthiolus, doctíque alij viri rectè videntur exiſtimaſſe. Sic enim Theophraſtus: ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον, καὶ χεδὸν ἴσον τῷ τῆς ἀνδράχνης, ἀκάνθας δὲ ὄιας ἄπιος, ἢ ὀξυάκανθος, λείας δὲ καὶ ὀξείας σφοδρὰ, καὶ ἰσχυράς. Theodorus. Habet hæc arbor foliũ ſimile, & penè æquale atque Portulaca, aculeos quales Pirus, aut Spina acuta, ſed leues, acutóſque vehementer, & validos. A quibuſdam ſcribit Matthiolus pro ἀνδράχνης legi ἀράχνης, id eſt, araneorum telæ, quòd iis videantur Mali Medicæ folia tota valde exilibus foraminibus peruia, vt per ea, velũti per linteum ſpiſſius, tranſpici poſsit, facilè telis aranearum comparari poſſe: à quibus tamen diſſentit, ex Plinio pro ἀνδράχνης reponens ἀδράχνης, quæ

Forma.

MALVS CITRIA.

In li.1. Dioſcor. ca.131.

Lib.13.c.22. Lib.12.ca.3. Lib.3. Adrachne Plinio ſylueſtris eſt arbor, neque in planis naſcens, ſimilis Vnedoni, cuius folio, idem Plinius Medicæ Mali folium ſimile facit. His addo Athenæi teſtimoniũ indicatum Theophraſti locum citantis: ἔχει δὲ τὸ δένδρον τοῦτο φύλλον μὲν ὅμοιον, καὶ χεδὸν ἴσον τῷ τῆς δάφνης, ἀδράχνης καὶ καρύας. Id eſt, folio eſt hæc arbor ſimili, & ferè pari Lauri folio, Adrachnes, & Nucis iuglandis. Non diſsimulandũ tamen in Codicibus vulgaribus, ἀνδράχνης reperiri, id eſt, Portulacæ. Sed duæ voces δάφνης, & καρύας legendù eſſe ἀδράχνης neceſſario conuincunt. Quæ enim foliorum Lauri, & Iuglandis cum Portulacæ foliis affinitas? Eſt & hîc pro Theodoro dicẽdum, videri eum in Theophraſto ἀδράχνης legiſſe, non ἀνδράχνης, quoniam

quoniam in eius versione lego. Habet hæc arbor folium simile, & penè æquale atque Portulaca: sic enim ἀνδράχνην vertit, ad ἀνδράχνης discrimen, quæ Portulaca est. Malus Medica igitur folia edit Lauri, siue Adrachnes, quæ folio, vt ait Theophrastus, & fructu omnino similis est Arbuto, nisi vtrumque id minus esset, quod etiámnũ Græci narrãt, præcipuè Cretẽses, apud quos Adrachne frequens, antiquo vocabulo vtcumq; seruato Andracle nominatur. Arbutus autem folio inter Ilicem & Laurum medio, cuius Arbuti folio, Mali Medicæ folium confert Plinius, vt diximus. Ramos habet flexiles, viridi libro vestitos, atque spinosos: flores candicantes, Calathi effigie, capillamentis quibusdam in medio extantibus. Arbor hæc omnibus horis pomifera est, inquit Plinius, aliis cadentibus, aliis matureſcentibus, aliis verò subnascẽtibus. Quibus verbis hæc Theophr. interpretatus est: φέρει δὲ τὰ μῆλα πᾶσαν ὥραν. τὰ μὲν ἄφηρη, (ἀφήρυτα Ath.) τὰ δὲ ἀνθεῖ, τὰ δὲ ἐκπέπλεκ. Pomorum aliqua est diuersitas tum magnitudinis, tum saporis. Quædam in molem excrescunt Melopeponibus parem, cuiusmodi sunt quæ ex Liguria, & Adriatici, Ægæique maris insulis afferuntur, *Pomaires* ea nos vocamus, quasi Poma Citria. Alia his minora. Alia Limonum magnitudine, aut paulo maiora, qualia sunt quæ à lacu Benaco comportantur. Hæc principem in cibis locum obtinent, oríque suauiora habentur, etsi cæteris minora. Illa verò grandia, & speciosa magnitudine præstantia, cum insipida ferè gustui non multum placeant, non æquè recentia, atque hæc in cibis probantur. Sed quia pulpæ multo plus habeant Officinis expetuntur Saccharo, vel melle asseruanda. Color omnibus aureus, facies oblonga, vt Limonum, sed crassior corticis pulpa. Cortex tuberculis, seu rugis asperatus, odore præstat, valde grato. Intus medulla succo acido plena, in qua semen hordei figura, grandius, sapore amaro, duro obtectum cortice. Apud Athenæum magna est inter Diphnosophistas quæstio, an mali Citrij apud antiquos facta fuerit mentio. Inter cæteros Æmilianus refert Iubam Mauritanorum Regem, in iis quos de Libya edidit commentariis Citrij meminisse, & apud Lybes Hesperidum Malum fructum eum dici, ab Herculéque translatum, id in Græciam, dictumq; ibi à quadam auri similitudine aureum Malum, quod edidisse tellurem nunciato Iouis & Iunonis connubio fabulantur: Vnde nuptiale Pomum hoc intelligi volunt. Democritus verò apud veteres Citrij nomen reperiri negat. Eresij tamen Theophrasti verba cogunt, inquit, fateri de Citriis audienda, quæ quarto de Plantar. Historia Philosophus scribit: ἡ δὲ μηδία χάρα, &c. quę partim recitauimus, partim referemus post hac. Plinij ætate non erant in Italia, vt ipse testatur his verbis: Tentauêre gentes transferre ad sese propter remedij præstantiam fictilibus in vasis, dato per cauernas radicibus spiramento. Mox subiicit. Sed nisi apud Medos & in Perside nasci voluit. Theophrastus: ἀπείρεται δὲ καὶ εἰς ὄστρακα διαλελημμένα, καθάπερ οἱ φοίνικες. Seritur etiam fictilibus in vasis perforatis, quemadmodum Palmæ. Nunc contra vernæ factæ sunt istæ arbores, atque Italo solo tam familiares, vt non modò in maritimis, sed in mediterraneis etiam tum hortis, tum viridariis, tum etiam insignium lacuum ripis frequentissimæ sint: postea quam Palladij diligentia, industriáque (is enim primus proditur artem hanc inuenisse) factum est, vt ex Media in Italiam translatæ prouenerint, ac propagatæ fuerint, quem solers imitata posteritas ea Galliæ, Hispaniæq; communicauit. Matureſcunt integro anno, decerpunturq; aureo colore fulueſcentia. Theophrasti sæculo nondum Citria, Mala in ciborum vsum venerant, id quod testatur his verbis: τὸ δὲ μῆλον οὐκ ἐσθέται μὲν, ἔυοσμον δὲ πάνυ, καὶ τὸ φύλλον τῷ δένδρου καὶ εἰς ἱμάτια τεθῆ τὸ μῆλον, ἄσηπτα διατηρεῖ. χρήσιμον δὲ ἐπῳδὰν τύχῃ πεπωκώς τις φάρμακον, ἢ πρὸς τὸ ὁμαλὸς ἀμμδίαν. ἐὰν γάρ τις ἐμφυσᾷ ἐν τῷ ζωμῷ, ἢ ἐν ἄλλῳ τινὶ, τὸ ἔσοθεν

Lib. 3. Hist. cap. 16.

Lib. 12. ca. 3.

Ibidem.

Lib. & cap. 4. Hist.

Matth. ibi.

Locus.

Tempus.

Lib. 4. Hist. cap. 4.

Lib. 3.

Cap. 4. Lib. 12. ca. 3.

Matth. ibi.

ἔσωθεν τῆς μήλης ἐκτιέσῃ εἰς τὸ σῶμα, καὶ καταῤῥοφήσῃ, ποιεῖ τὴν ὀσμὴν ἡδεῖαν. Athe-
Lib.3. næus verò sic legit. χρήσιμον δὲ, ἐπιδὰν καὶ τύχῃ τις πεπωκὼς θανάσιμον φάρμακον.
δοθὲν γὰρ ἐν οἴνῳ δυσκόλῳ τὴν κοιλίαν, καὶ ἐξάγῳ τὸ φάρμακον, καὶ πρὸς στόματος, &c.
Id est, Pomum eius non estur, sed ipsum odore pollet, & arboris folium, ac si vestibus interseratur Malum, eas ab offensis vindicabit. Vtile etiam cum letale venenum quis hauserit: quippe in vino datum ciet aluum, & venenum exigit. Oris quoque suauitatem commendat, & si quis in iure cocti, vel in quodã alio liquore, expressi Pomi interaneis succum sorpserit, suauem halitum cõciliabit.
Lib.12.ca.3. Malus Assyria quam alij vocant Medicam, inquit Plinius, venenis medetur. Folium eius est Vnedonis, inter currentibus spinis. Pomum ipsum aliàs non manditur: odore præcellit foliorum quoque, qui transit in vestes vnà conditus, arcétque animalium noxia, Et paulo post. Hæc est autem cuius grana Parthorum proceres incoquere diximus esculentis, commendandi halitus gratia. Refert
Lib.3. apud eundem Athenæum Democritus Citrium Malum veneni cuiuslibet remedium esse, quod à ciue suo Ægypti gubernatore, didicerat, qui cum deprehensos in maleficio quosdam ad serpentum morsus damnasset, quos omnibus eiusmodi bestiis lacerandos obiicerent, productis illis, & ad theatrum euntibus latronum supplicio destinatum, in via fortè caupona quædam mulier eorum miserta, quod in manibus tum habebat, & arrodebat, Citrium Malum dedit, acceptum verò illi comedere, & paulò post ferocissimis maximísque anguibus oblati, & ab aspidibus commorsi, nihil læsi sunt, hæsitabundo & attonito iudice, qui tandem custodem eorum militē cùm interrogasset, nunquid bibissent, aut edissent, vt id comperit quod acciderat, nimirum absque dolo Citrium illis traditum fuisse, postridie alteri rursum dari iussit, alteri minimè. Percussus hic confestim periit, incolumi altero qui Citrium prægustauerat: indéque cognitum est, multis expertis, Citrium aduersari venenis omnibus. Quod si quis Citrium integrum, quale natura est, cum semine, in Attico melle coquat, donec liquatum tabescat, & eius liquoris, matutino, ttes quatuórue digitos sumat, tutus erit à venenatis omnibus medicamentis.
Georg.2. Easdem Mali Medici vires Vergilius quoque celebrauit, & faciem arboris depinxit his versibus:

Media fert tristes succos, tardúmque saporem
Felicis Mali: quo non præstantius vllum,
Pocula si quando saua infecêre nouerca,
Miscuerúntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciémque simillima Lauro:
Et si non alium latè iactaret odorem,
Laurus erat: folia haud vllis labentia ventis
Flos apprimè tenax: animas & olentia Medi
Ora fouent illo: & senibus medicantur anhelis.

Lib.1.c.131. Malum Medicum Dioscoridi oblongum est, rugosum, colore aurum imitans, cum grauitate odoratum: semen habet Piri. Id in vino potum venenis resistit, aluum mouet, oris suauitatem commendat, decocto eius colluto, aut succo estur in malacia mulieribus: vestiariis impositum ab erosionis vitio vestes vin-
Lib.23.c.6. dicare existimatur. Citrea contra venenum in vino bibuntur, inquit Plinius, vel ipsa, vel semen. Faciunt oris suauitatem decocto eorum colluto, aut succo expresso. Horum semen edendum præcipiunt in malacia prægnantibus: ipsa verò contra infirmitatem stomachi, sed non nisi ex aceto facilè eduntur. Mali
Li.7.simpl. Medicæ fructus, quod ait Galenus, non iam Malum Medicum, sed ab omnibus

Citrium

Citrium nuncupari ſolet. In fructu vincentem is habet qualitatem acidã & ſiccam, vt tertij ſit ordinis reſiccantium, refrigerantiúmque. In cortice verò deſiccantem etiam temperiem eſt ſortitus, non parum habentẽ acrimoniæ. Quare hic deſiccat ſecundo exceſſu, non tamen frigidus eſt, ſed aut temperatus, aut paulò infra: Cæterum caro eius craſsi pariter ſucci eſt, & pituitoſa, frigidáque: nam & ipſa editur, ſicut & cortex. Fructus totus edulis nõ eſt, nempe nec humidum illud & acidum, de quo primùm diſſerui, nec granum quod in illo inuenitur, & reuera ſemen eſt. Amarum hoc eſt, & digerendi videlicet, ſiccandíque facultatem obtinet, ſecundo propemodum ordine à temperatis recedens: folia verò exſiccandi, ac digerendi vim habent. Hæc Galenus. In quibus animaduertendum eſſe annotat Matthiolus, hæc Galeni verba, In fructu, ἐν τῷ καρπῷ, quidem vincentem habere qualitatem acidam, & cætera, non de nucleis, ſeu vero ſemine accipienda eſſe, ſed de acido Citrij ſucco, cuius in medio ſemẽ includitur. Eam Galeni mentem eſſe declarant ipſius verba in fine capitis adiecta, Fructus totus eſui ineptus eſt, nẽpe tum humidũ illud & acidũ, de quo primùm diſſerui, tum nucleus qui in illo inuenitur, & reuera ſemen eſt, & cætera: quam Galeni ſententiam non rectè aſſecutus Auicenna, inquit Matthiolus, ſemen Citrij ſecundo ordine calidum ſiccúmque eſſe ſcripſit: at libro de viribus cordis frigidum ſiccúmque tertio, nulla acidi ſucci Citrij mentione facta, quem Galenum ſeminis Citrij nomine comprehendiſſe diximus. Ego verò in Codice Auicennæ Venetiis excuſo, & ab Andræa Bellunenſi correcto, lego corticem Citri calidum eſſe primo ordine, ſiccum in fine ſecundi: carnem eius calidam humidámq; primo: ſuccum ipſius acidum, frigidũ ſiccúmq; tertio: ſemen calidũ primo, ſiccum ſecundo. Libro verò de viribus cordis, ſemen eſſe ſiccũ tertio exceſſu, in quibuſdam exemplaribus frigidũ, ſiccúmq; eſſe ſecundo. Citria ſi cruda manduntur, inquit Matth. non facilè cõcoquuntur, & craſſum generant ſuccũ: quare iis melle, aut Saccharo conditis veſci ſatius eſt: ventriculũ enim calfaciũt, & roborãt. Noſtra tamen ætas gulę nimiũ indulgẽs in cibis Citria cruda præfert cum aſſatis carnibus eſitata. Citria aduerſus atrã bilẽ, & triſtitias quas illa excitat, opitulantur. Semen priuatim ſcorpionum ictibus & potum, & appoſitũ medetur. Acidus eorum ſuccus flauam reprimit bilem, arcetq; peſtis contagia. Quare recentiores medici ad febres peſtilentes, Serapiis ex eo confectis fœliciter vtuntur. Hominũ induſtria tranſlatione, inſitione, omni denique cultus mãgonio Citria in plures digeſsit formas, vt remiſſiore ſapore & vehementiore, item dilutiore ſaturatioréque colore differrẽt: non multum tamen natura, & viribus, veluti Limonia, Aurantia, atque Poma Adami vulgo nominantur. Limonia quæ Galli *Limons* vocant, Angli *Limontree*, Itali *Limon*, tum facie, tum facultate Citria magis referũt: ſunt tamen illis minora, oblonga, cute minùs craſſa, pallida, copioſiore ſucco prægnantia, & acidiore: ſemine ferè ſimili, minore. Arantia Poma, ſiue Aurantia, quod colore auri reluceant, ab auro meritò dicta eſſe videtur, vt aurea Mala verè nominari poſsint, Gallice *Aurenges*, Germani

Temper.

In li. 1. Dioſcor. c. 131.

Lib. 2. Can. ibidem.

Lib. 2. Can. cap. 319.

Tract. 2. c. 3

Ibidem.

LIMONIA MALVS.

Matth. ibi.

Forma Limo.

Nomina

Nomina

AVRANTIA MALVS.

Forma Aurant.

Pomerantzen, Angli *Orenge tree*, Belgæ *Arangie oppel*: Hiſpa. *Naranzas*. Rotundiora Limonibus, ſunt cortice ſpiſsiore, amarioreq;, primùm viridi, per maturitatem aureo prorſus colore nitente, minutiſsimis punctis notato. Intus alba caro intercurſantibus membranis concluſa, ſucco multo abundans, qui in quodam genere acidus, in alio dulcis, in alio vinoſus eſt: ſemen paruum amarum. Horum & Limonum arbores, vt & Citriorum, coma perpetua virent, foliis Lauro latifoliæ proximis, craſsis, læuibus, odoratis, in acutum deſinentibus. Sed Aurãtiorum foliis hoc propriũ eſt, vt ad petiolorum omnium exortum, foliolum præcedat cordis figura, cui adnectitur foliũ maius quod ſequitur. Rami perinde ac in illis ſunt flexiles, lenti, aculeati, cortice ex viridi ſubalbicãte: flores albi, odoris præſtantiſsimi. Quibus in locis copioſe proueniunt, ſedulò ab vnguentariis ij decerpuntur ad varia odoramenta conficienda: maximè verò ex iis aqua elicitur non ſolùm odore præcellens, ſed etiam ad medendum perutilis, præſertim ad peſtilentes febres cũ exanthematibus corpus obſidentibus. Nam ſex vnciarum pondere hauſta putreos humores ab internis ad exteriora attrahit per ſudores, quos valenter euocat, cordiq; plurimùm confert. Arbores iſtæ, vt & Mali Citriæ, ſemper fructu onuſtæ ſunt. Aurantia calidiore ſunt cortice quã Limonia & Citria. Ille enim reliquis acrior & amarior guſtu deprehenditur. Dulcia omnibus partibus excalfaciunt, cæterorum ſuccus refrigerat, & putredini aduerſatur: quare febricitantibus conueniunt, dulcia verò contra. Ex Limoniorum ſicuti & Citriorum ſucco fit Serapium ad extinguendum bilis feruorem non inutile, item ad peſtilentes febres, & eas quæ contagionis vitio inficiunt. Aqua quæ ex Limonũ ſucco vitreis metis extillauit, præterquam quod à mulieribus expetitur ad ornandam fucandamq; faciem, vitiligines & totius corporis maculas emendat, varos delet, acaros interimit: Serapiis admixta febribus acutis & cõtagioſis mirè ſuccurrit. Epota ventris tineas necat, id quod etiam præſtat ſuccus recens expreſſus vnciæ pondere potus. Ex vino Cretico hauſtus mirificè calculos pellit. A Limonibus nõ multũ natura & viribus differunt Poma Aſſyria, quæ dicuntur vulgo Poma Adami, Gallis *Pommes d'Adam*. Plãta etenim quę hæc gignit, folio eſt Limonij arboris, maiore, latiore: ramis ſimilibus, floribus Citrei Mali: fructu Aurantiis duplo triplóue maiore, rotũdo, cortice non

POMA ADAMI.

Forma Arbo. Adam.

non admodum crasso, pallido, crispo rimis quibusdam aspero & inæquali, perinde ac si dentibus demorsus esset: quare putat ignarum vulgus hoc illud esse Pomum, quod in Paradiso delitiarum Adamus ederit. Succosa & acida madet pulpa, sapore Limonibus haud absimili, sed non tam palato grata, in qua latent semina Citreis, aut Limoniis similia. Valet horum Pomorum succus ad ea omnia, ad quæ Limonia, sed minore efficacia. Peculiariter autem valent hæc Poma ad scabiem, si per medium secta, & tenuissimo sulfuris puluere aspersa, deinde cinere feruente calfacta, corpori scabioso affricentur. *Vires.*

MALVS PVNICA, CAP. VI.

MALVS Punica Græcis ῥοιὰ & ῥοὰ dicitur, quo nomine fructus etiam nuncupatur, Latinis Malum Punicum, Africa circa Carthaginem Punicum Malum cognomine sibi vendicat, inquit Plinius, aliqui granatum appellant. Hippocrates σίδας appellat ῥοὰς, id est Mala Punica, σίδας οἰνώδης ἐκχυλώσας, ἄλφιτα φυρήσας τῷ χυλῷ ξήρανον, &c. Ibidem tamen mox etiam ῥοιὴν γλυκείην habet: Et alio in loco: ῥοφέειν σίδης οἰνώδεος τὸν χυλὸν, id est, Mali Punici vinosi succum sorbendum præcipit. Arabes *kuman*, *Ruman*, seu *Roman* vocant, Itali *Melagrano*, & *Pomo granato*, Germani *Granatoepffel*, Hispani *Granadas*, & *Romanas*, Galli arborem *Grenadier*, fructum *Pome de Grenade*, & *Migraine*, Anglis *Pomaranat tree*, ab interiorum granorum multitudine. Sunt tamen qui ita dici velint à Granata Hispaniæ regione, quod in ea valde multa proueniant. Plura Mali Punici genera sunt. Plinius. Diuisit & in genera, Apyrenon vocando, cui lignosus nucleus abest. Sed candidior ei natura, & blandiores sunt acini, minúsque amaris distincti membranis. Mox addit. Nucleos habentium quinq; species, dulcia, acria, mista, acida, vinosa. Quum itaque genera quinque hoc loco tradiderit, superuacua vox legitur alio in loco, in quo legitur: Punici Mali nouem genera nunc iterare superuacuum. Dioscor. tria tantùm agnoscit, dulcia, acida, vinosa, quæ vinosa mediam, inquit, sortiuntur naturam. Alij μέσα vocant, id est, nec dulcia, nec acida, sed inter hæc media, Arabes *Muza*, quia μέσον in Muzum corruperunt. Monspelienses *Mezanas* appellant, seruato quidem τῶν μέσων nomine, quamuis non integro, Dioscor. igitur vno genere dulcia, altero acria & acida, tertio mista & vinosa comprehẽdit. Præterea alia sunt syluestria, alia mitia, & in cultis nascentia. Punica Malus arbor est haud adeo procera, folio angusto, nitidíque viroris, Oleæ, aut Myrti æmulo, crasciusculo, rubris intercursantibus venulis, è rubro pediculo pendulo. Rami multi, flexiles, spinosi: flores phœnicei, oblongi, calathi modo patuli, ore stellatim dissecto, è quo folia emergunt tenuia, colore coccineo, agrestis Papaueris æmula, cum granulis quibusdam, mediis capillamentis appensis, vt in Rosa. Fructus Pomum est, corio & membrana tectum, extra rufescente, intra flauescente, innumeris granis farctum, angulosis, rubentibus, vinoso succo refertis osiculis in eis latentibus, quæ grana intercursanti-

Nomina

Lib. 13. c. 19. Li. de mul. nat.

Lib. 1. de mor. mu.

Genera.

Lib. 13. c. 19.

Lib. 23. c. 6.

Lib. 1. c. 127.

PVNICA MALVS.

Forma.

Matth. lib. 1. c. 127.

bus flauis tenuibúſque membranis miro naturæ artificio diſtinguũtur. Ligni
Li.16.c.26. materies flaua, cinereo cortice veſtita. Punica in iis numerat Plinius quæ fructũ perdunt facillimè ante maturitatem, & quæ roribus etiam nimiis, & pruinis florem amittunt. Qua de cauſa inflectunt ramos eius, ne ſubrecti humorem infeſtum excipiant, atque contineant. Si florem non continet, vrinam veterẽ cum aquæ menſura pari temperabis, & ter per annum radicibus infundes, vel arboris florentis truncum plumbeo concludes circulo. Quidam Punicis Malis ſubPlin.lib.17. ſtrato lapide non rumpi Pomum in arboribus tradunt. Punicæ ſatiuæ florem
cap.11. Cytinum Dioſcorides vocat, Balauſtium ſylueſtris. Plinius ſine diſcrimine Pu-
Lib.1.c.127. nicæ florem Balauſtium nominat, & medicinis idoneum, & tingendis veſtibus,
Lib.13.c.19. quarum color inde nomen accepit, nimirum Punicæus. Et alio in loco, primus,
Lib.23.c.6. inquit, Pomi huius partus florere incipientis, Cytinus vocatur Græcis. In hoc ipſo Cytino floſculi ſunt, antequam ſcilicet malum ipſum prodeat, erumpentes, quos Balauſtium vocari diximus. Sic & Officinæ citra diſtinctionem Balauſtia nominant & vſurpant, vt quibus Cytinorum appellatio de ſatiuorũ flore penitus ignota ſit. Præſtãtiſsimi Cytini, & valde rubri ex Creta, & Cypro hodie Venetias importantur, aſpectu quidem pulcherrimi, & cæteris efficaciores, quibus ſimiles fiunt in Italia mangonio, ſed non adeo præſtantes. Aſperũ Mali Punici putamen Græci Sidion appellant, Officinæ corrupta voce pſidion, Latini Malicorium, quòd Plinio auctore, vulgus coria maximè perficere illo nouit.
Lib.23.c.6.
Locus. Punicæ genera omnia non ſolùm in Africa, ſed etiam in Italia, Hiſpania, Gallia Narbonenſi, in Viridariis, hortis, & vinetis copioſa náſcuntur. Amat ſolum cretoſum, macilentum, ſed in pingui quoque prouenit. Regio ei apta, quæ calida
Vires. eſt. Malum Punicum omne boni ſucci eſt, auctore Dioſcoride, ſtomacho vtile,
Lib.1.c.127. perexiguum præbens alimentũ. Dulcia ſtomacho vtiliora habẽtur, ſed ali quantulum in eo calorem gignunt, inflationes pariunt, vnde in febre abdicantur. Acida adſtringunt, æſtuanti ſtomacho auxiliantur, & multo magis contrahunt, ac vrinã cient. Vinoſa verò mediam ſortiuntur naturã. Nuclei acinorum acidi Punici in ſole ſiccati, & obſoniis inſparſi, concoctíue, fluentem aluum ſtomachúmque ſiſtunt: iidem cæleſti aqua madeſcunt, bibunturq; cõmodè ſanguinem exçreantibus: ad deſeſſus dyſentericorum, fœminarumq; fluxione vuluæ laborantium vtiles ſunt. Expreſſus nucleorum ſuccus coquitur cum melle, ad oris, virilitatis, & ſedis vlcera, nomas, reduuias, & ea quæ in corpore extuberant, aurium dolores, & narium vitia, præſertim acidorum. Huius flores, Cytini vocati, adſtringunt, ſiccant, cohibent: ſanguinolenta glutinant: quas & Malum Punicũ prẹſtat vtilitates. Humida gingiuarũ vitia, mobiléſque dentes decocto colluuntur: herniam prolapſu inteſtini erumpentem cataplaſmate repellunt. Memoriæ tradunt, qui tres quàm minimos Cytinos deuorauerit, nullam eo anno lippitudinem paſſurum. Eliquatur Hypociſtidis modo. Malicorium aſperũ eſt Mali Punici putamen, quod aliqui Sidion appellant. Id ſpiſſandi vim habet, & quos Cytini præbet vſus. Decoctũ radicis potu latas ventris tænias pellit, & eaſdem euocat. Balauſtium ſylueſtris Punicæ flos eſt, Cytino ſimilis. Eius complura ſunt genera, candidum, fuluum, colore roſaceo. Succus ex eo exprimitur Hypociſtidis modo: cui adſtrictoria vis ineſt, eadem efficiensq; Hypociſtis & Cytinus. Hæc Dioſcorides, in quibus quæ Græcè leguntur, ἰὸς ἐγκαθίσματα δυσεντερικῶν, καὶ ῥοϊκῶν ἁρμόζει, & vertit Ruellius ad deſeſſus dyſentericorum, & fœminarum fluxione vuluæ laborantium vtiles ſunt, Cornarius aliter interpretatus eſt, Iis ad inſeſſus dyſentericorum, & fluxione alui laborantium nucleus commodus eſt: vt ſint ῥοϊκοὶ, qui ῥοϊκὰ γαστρὸς πάθη habent, neque ῥοϊκὴ γυναῖκες hîc intelligendæ
Lib.23.c.6. ſint. Punica dulcia, quæ Apyrena alio nomine appellauimus, inquit Plinius,

ſtoma

ſtomacho inutilia habentur, inflationes pariunt, dentes gingiuáſque lædunt. Quæ verò ab his ſapore proxima vinoſa diximus, paruum nucleum habentia, vtiliora paulo intelliguntur. Aluum ſiſtunt, & ſtomacho proſunt, duntaxat pauca, citráque ſatietatem. Sed alimenti dulcia minimum dant, atque omnino nulla in febri, nec carne acinorum vtilia, nec ſucco. Medentur æquè in vomitionibus, ac bilem reiicientibus. Vuam in his, ac ne muſtum quidem ſed protinus vinum aperuit natura. Vtrúmq; aſperiore cortice. Hic ex acerbis in magno vſu. Vulgus coria maximè perficere illo nouit: ob id malicorium appellant Medici. Vrinam cieri eodem monſtrant: immiſtáque Galla in aceto decocto, mobiles dentes ſtabiliri. Expetitur grauidarum malaciæ, quoniam guſtatu moueat famem. Diuiditur malum, cæleſtíque aqua madeſcit ternis fere diebus. Hæc bibitur frigida cæliacis, & ſanguinem excreantibus. Ex acerbo (Punico) fit medicamentum quod ſtomatice vocatur, vtiliſsimum oris vitiis, narium, aurium, oculorum caligini, pterygiis, genitalibus, & iis quas nomas vocant, & iis quæ in vlceribus excreſcunt. Contra leporem marinum hoc modo. Acinis detracto cortice tuſis, ſuccóque decocto ad tertias cum Croci, & Aluminis ſciſsi, Myrrhæ, Mellis attici, ſelibris. Alij & hoc modo faciunt. Punica acida multa tunduntur, ſuccus in cacabo nouo coquitur Mellis craſsitudine, ad virilitatis & ſedis vitia, & omnia quæ Lycio curantur, aures purulentas, epiphoras incipientes, rubras maculas. In manibus rami Punicorum ſerpentes fugant. Cortice Punici ex vino decocti & impoſiti perniones ſanantur. Contuſum Malum ex tribus heminis vini, decoctum ad heminam, tormina ſedat, & tænias pellit. Punicum in olla noua, operculo indito, in furno toſtum & contritum, potúmque in vino ſiſtit aluum, & diſcutit tormina. Primus Pomi huius partus florere incipientis, Cytinus vocatur Græcis, miræ obſeruationis multorum experimento, (id Dioſcorides & ſine ſuperſtitione tradidit.) Si quis vnum ex his, ſolutus vinculo omni cinctus, & calceatus, atque etiam annuli, decerpſerit duobus digitis, pollice & quarto ſiniſtræ manus, atque ita luſtratis leui tactu oculis, mox in os inditum deuorauerit, ne dente contingat, affirmatur nullam oculorum imbecillitatem paſſurum eo anno. Iidem Cytini ſiccati tritíque, carnes excreſcentes cohibent: gingiuis & dentibus medentur, vel ſi mobiles ſint decocto, vel ſucco. Ipſa capitula trita, vlceribus quæ ſerpunt, putreſcúntue illinuntur. Item oculorũ inflammationi inteſtinorúmque, & ferè ad omnia quæ cortices Malorum aduerſantur ſcorpionibus. Non eſt ſatis mirari curam diligentiámque priſcorum, qui omnia ſcrutati nihil intentatũ reliquêre. In hoc ipſo igitur floſculi ſunt, antequam ſcilicet Malum ipſum prodeat, erumpentes, quos Balauſtium vocari diximus. Hos quoque ergo experti inuenerunt ſcorpionibus aduerſari. Siſtunt potu menſes fœminarum: ſanant oris vlcera, tonſillas, vuam, ſanguinis excreationes, ventris & ſtomachi ſolutiones, genitalia, vlcera quacumque in parte manantia. Siccauêre etiam, vt ſic quoque experirentur, inuenerúntque tuſorum farina dyſentericos à morte reuocari, & aluum ſiſti. Quin & nucleos ipſos acidorum experiri non piguit. Toſti tuſíq; ſtomachum iuuant, cibo aut potioni inſparſi. Bibuntur ex aqua cæleſti ad ſiſtendam aluum. Radix decocta ſuccum remittit, qui tænias necat victoriati pondere. Eadem diſcocta in aqua, (id eſt tam diu cocta, quoad coctura tabeſcat,) quas Lycium præſtat vtilitates. Eſt & ſylueſtre Punicum à ſimilitudine appellatum. Eius radices rubro cortice denarij pondere ex vino potæ ſomnos faciunt. Semine poto aqua quæ ſubierit cutem, ſiccatur. Mali Punici corticis fumo culices fugantur. Hactenus Plinius. Li. 8. ſimpl.
Malum granatum omne Galeno teſte adſtringentem qualitatem habet, non tamen in omnibus ea exuperat: ſunt enim inter ea quædam acida, quædam

magis dulcia quàm auſtera, & ſane quæ ab vnoquoque eorum procedit vtilitas, ſecundum vincentem eueniat qualitatem neceſſe eſt. Porrò acini magis quàm ſuccus, tum adſtringunt, tum exſiccant: his etiam magis putamina, quæ vocantur Sidia. Similem illis vim habent Cytini. Paratur, inquit Matthiolus ex floribus Punicæ, hoc eſt, ex internis Cytinorum Puniceis, ac tenuibus foliis, & Saccharo conditum, quemadmodum ex Puniceis Roſis, admirabilis facultatis ad vtraſque veteri fluxiones, ſi ſemiunciæ pondere ſumatur ex vino rubro auſteriuſculo, aut ex Punicorum acidorum ſucco, aut ex aqua in qua ſtomonia extinctum fuerit, vel etiam ex carnium iure, ſi alia defuerint. Cæliacis quoque & dyſentericis, & gonorrhæa laborantibus valde confert. Malicorum exſiccatum cum ſicca ſimiliter marina ſpõgia, & Aloe tritum, æquali omniũ pondere, addito Aluminis vſti momento penis & vuluæ vlcera breui ſanat. Punicæ folia diligenter contrita, aut eorum ſuccus Roſaceo permiſtus, inueteratos capitis dolores valdè mulcet, fronti frequenter illita. Punicum Malum fictili vaſe concluſum, operculo argilla circumlito, in furno combuſtum, dyſentericos ac torminoſos præſentaneo remedio iuuat, pulueris ipſius ſeſquidrachma hauſta. Oſſiculorum Punicorum acidorum vncia cum thuris drachma in tenuiſsimum puluerem trita, auxiliatur fœminis albo vteri profluuio laborantibus, ſi quotidie ex aqua roſacea binas huius pulueris drachmas hauſerint. Fit ex Punicis maturis vinum, quod Rhoëtes nominatur, ſucco expreſſo ab acinis eorum, quibus lignoſus nucleus abeſt, Apyrena vocant, ac decocto ad tertias, & ita repoſito. Efficax eſt contra fluxiones internas, & febrim cum alui profluuio exortam: ſtomacho vtile aſtringit aluum, & vrinam mouet. Hodie acini maturi diligenter à coriis & membranis purgati. Prælo committuntur, ac exprimuntur: mox vinum ſaccis ad id accommodatis percolatur, & in vaſculis id excipientibus reſidere ſinitur, defæcatum reponitur affuſo oleo, ne corrumpatur, vel aceſcat.

Dioſcor. li. 5. cap. 34.

PIRVS, CAP. VII.

Nomina GRÆCIS ἄπιος, Latinis Pirus dicitur, multis Pyrus à fructus figura, quod ad Pyramidis ſimilitudinem è lato in acutum ſpectet, & in mucronem turbinetur, Gallis *Poirier*, Germanis *Byrbaum*. Fructus vocantur Pira, Græcis ἄπια, Arabibus *Humecthe*, *Cirmetre*, ſeu *Kemetri*, Italis *Pere*, Germanis *Pyren*, & *Byren*, & *Byr*, Hiſpanis *Pyras*, Gallis *Poires*, Anglis *Pear*, Boemis *Hruſßky*, Belgis *Perre*. Vt Malorũ, ita Pirorũ plurima fuêre apud antiquos genera, quæ à primis auctoribus, regionibus, colore, ſapore, notis quibuſdam, tempore quo decerpuntur, nomina inuenerunt. Sunt ſuperba, inquit Plinius, parua, ſed ocyſsima, (vulgo *Poires muſcadelles*,) cunctis autem Cruſtumina gratiſſima, (vulgo *Poire perle*.) Proxima iis Falerna à potu, quoniã tanta vis ſucci abundat, (vulgo *Poire Bergamote*.) Lactea à candore vocantur, vulgo *Poire Blanchete*: alia colore nigro donauit Syria. Reliquorum nomina aliter in aliis, atque aliis locis appellantur. Sed confeſsis vrbis vocabulis auctores ſuos nobilitauêre Decimiana, & ex eo tractum quod Pſeudodecimianum vocant. Dolabelliana longiſsimi pediculi, (vulgo *Poire muſſet*.) Pompeiana cognomine mãmoſa, (vulgo *Poire de Bon chreſtien*,) Liceriana, (vulgo *Poire d'argent*,) Seueriana, & quæ ex his nata ſunt Tyranniana, longitudine pediculi diſtãtia, Fauoniana rubra, (vulgo *Groſſe Muſcadelle*,) paulo ſuperbis maiora. Lateriana, (à colore laterum, vulgo *Poire preuoſt*,) Anitiana, poſt Autumnalia, acidulo ſapore iucũda. Tiberiana appellantur, quæ maximè Tiberio principi placuêre, (vulgo *Poire foreſt*,) Colorantur magis ſole, grandeſ

Genera.

Lib. & cap.

grandeſcúntque, alioqui eadem eſſentq; Liceriana, Patriæ nomina habent, ſereniſsima omnium Amerina, (vulgo *Poires de ſainct Martin.*) Picentina, Numantina, Alexandrina, Numidiana, Græca, ex Achrade Spinoſa arbore, quam Græci maxima diligentia coluerunt, & adhuc colunt, *Poire d'Eſpine*: & in iis, Tarẽtina Siguina, quæ alij à colore Teſtacea appellant, vulgo, *Poirechat* ſicut onychina à colore gemmæ onychis, vulgo *Poire de cuiſſe madame*: purpurea. Ab odore Myrapia, qualis eſt vnguentorum fragrantiuum, vulgo *Caluău roſat*, Laurea: Nardina. A tempore, Hordearia, quæ cum hordeo matureſcunt, vulgo, *Poire de S. Ian*, à collo, Ampullacea, vulgo, *Poire d'Angoiſſe*, à corio, nimirum cortice depſato ſimili, vulgo, *Poire de ialouſie*, Brutæ gentilitatis Cucurbitina, (vulgo, *Poire Courle*,) Acidula, ſucci, vulgo, *Poire pomme*. Incerta nominum cauſſa eſt, Barbaricis, Venereiſque, quæ Colorata dicunt, *Poire Acciole*, Regiis, quæ minimo pediculo ſeſſilia, vulgo *Poire Carmagnole*, Patritiis, Voconiis, Viridib⁹, vulgo *Poires d'hyuer*, oblõgiſque, vulgo, *Poires Certeau*, Prætera dixit volema Virgilius, à Catone ſumpta, (quod volam impleant, vulgo libralia. *Poire de liure*,) qui & Sementiua, & Muſtea nominat. Scripſit & paulo ante idem Plinius, nec non & quædam è Piris libralia appellata, amplitudinem ſibi ponderis nomine aſſerunt. Multo plura ſunt hodie, imo infinita in tota Europa Pirorũ genera, quæ propterea ſigillatim explicari non poſſunt. Ex quibus hæc apud Gallos magno habentur in honore. Omnium gratiſsima ſunt *Bon Chreſtien*, cognomine, non ob hoc ſolùm quod in eximia ſuauitate librale pondus æquent, ſed quia teneritudine tanta, vt à guſtatu, vel in ipſo ore ſtatim eliqueſcant, & perennent, geſtatúmque tolerent, ad Neapolim vſque delata Carolo octauo ibi res gerẽte, & à fœlici illa Campania, iis dotibus adoptata. Proxima magnitudine iis Mariana, vulgo Diuæ Mariæ Pira dicta, *Poires de noſtre Dame*, aquoſa dulcedine ſuauia, mira teneritudine placent, ſed fugaciora multò. Minima omnium ſunt Moſchata, *Poires Muſcadelles*, quæ nomine alio Chia dicuntur, *Poires de Chio*, baccas corporis mole non excedentia, quina, ſenáue, ſæpe plura ab vna origine longis pendula pediculis, odorata, moſchi iucunditate & ob id nomen hoc adepta erunt. Condiuntur ſaccharo à Salgamariis, vt in ſequentem annum durent. Media magnitudine ſunt Calliona, *Poires de Cailloiau*, carne iucunda, dulci, odorata, friabili. A præſtantia Piri Græcum nomen vulgus emendicauit, quaſi dixeris meliora. Roſatis odor nomen dedit, quod Roſas oleant, *Poires d'eau Roſe*. Bicipitia, quod gemino capite viſuntur, *Poires à deux Teſtes*, ſingulari ſunt commendatione, corpore ſuaui, non lapidoſo, ſucci grati, palatum etiam moroſum recreantis. Turbinatiora cæteris Certoliana, quæ Campanica alio nomine dicuntur. Ea in metæ ſpeciem faſtigiantur, hiemem tolerant, duriore corporis callo, mira ſuauitate, ſucco pauco. Prunis toſta fugacium ad veris exitum ſupplent inopiam. Condiuntur & ſaccharo, adiecto Cinnamomi tantulo, vt cœnas claudant. Alia item Martiniana, *Poires de S. Martin*, quæ ad hiemem vſque in parente propendent, ſuaui guſtu, firmiuſcula carne, quæ non niſi cocta ferè manduntur. Vbi gelicidia ſenſere teneriora multò: ea etiam hibernas menſas finiunt. Quæ ſinora Gallicè vocantur, *Poires de fin or*, quod auri puti colorem referant, aſperiore ſunt carne, acduriore, nec priuſquam gelu experiantur, edomita duritie miteſcunt. Ea diutiſsime durant, quamuis in eo genere æſtiua inueniantur, & præcocia. Magnopere commendantur Bergamota, *Poires Bergamotes*, haud ita pridem ſeri cępta in Gallia, & ſapore, & ſucco præſtantia. Non ſunt omittenda Pira quæ tametſi pulchritudine, rubróque colore, aut luteo, quaſi maturitatis indice, prætereuntes inuitent ad carptum, manſa tamen tanta diſplicent acerbitate, vt deuorari nequeant, ſed demorſa protinus reſpuantur. Ob id ſtrangulanea vulgo dicun-

Li. ıſ. ca. ıı.

Ruel. lib. ı. cap. ııſ.

tur, *Poires d'eſtranguillon.* Ex his, quamuis ſapore adeo ingratis potus ſit, paucis menſibus ſic miteſcens vt à neſciis pro albo vino bibatur, euaneſcente illa ſumma acerbitate breui tẽporis ſpatio, feróque & indomito ſucco in vini guſtum dulceſcente, quod certè mirum eſt. Singula quotidie nouis inſitionum adulteriis emergentia proſequi neminem poſſe iam diximus. Hetruſci quoque, inquit Matthio. antiquos ſecuti variis nominibus à diuerſis cauſis inditis ſua Pira vulgo appellant, *Moſchatelle, Giugnole, Ciampoline, Roggie, Ghiaciuole, Spinoſe, Quadrane, Carouelle, Papali, S. Nicolo, Durelle, Zuccaie, Cãpane, Vernareccie, Gentili, Porcine, Sementine.* Plura iidem alia habent ſuis nomen claturis appellata. Sunt etiam duo in vniuerſum quidem Piri genera. Eſt enim Pirus ſatiua, & pirus ſylueſtris, quæ ἀχράς vocatur, & ὄχνη, ideſt Piraſter. Dioſcorides tamen cum ſcribit, ἡ ὃ ἀχράς εἶδός ἐστιν ἀπίου ἀγρίου, βραδέως πεπαινομένη. Ideſt, Achras Piri ſylueſtris genus eſt, quod tardè matureſcit, Achradem Piri ſpeciem quandam facit. At Theophraſtus cæteríque omnes Achradem ſimpliciter Piraſtrum quamcúmque accipiunt, cuius variæ ſunt differentiæ. Quod per tranſennam ſupra nos diximus, Achras lirus eſt ſpinis quidem horrida, agreſtis modo, ſed pulcherrimo & optimo fructu, quod inſitione factum arbitror: ὄχνη verò, ſpinis quoque armata, ſylueſtris omnino eſt, ac inculta, aliquando mediocris altitudinis, ſæpius humilis arbuſcula, puſillo fructu, inſuauiſsimo, nec homini eduli, Pirus arbor eſt Mali magnitudine, imo maior & procerior. Simplici craſſóque caudice aſſurgit, plurimis ramis brachiato, rutila, criſpáque materie trũci: foliis orbiculatis, ſuperne

Lib. 1. Dioſ. cap. 132.

Ibidem.

Forma.

PYRVS.

læuibus, & bene viridibus, inferne ſæpe nonnihil albicantibus: floribus foliatis: turbinata fructus figura, magnitudine, ſpecie, colore, guſtu valde diuerſo. Semina in medio tunica concluduntur. Perdit facillime ante maturitatem fructum ſuum Pirus, etiam ſi non pluat ſed auſtrinum tantum cælum ſit atque nubilum. Amittit florem & primos fructus, ſi cum defloruerit tales dies fuerint: ſi blandiantur etiam auſtri cũ florem parit, ſi ſequantur protinus imbres, in totũ Poma depereunt, & vel ſi nubibus ſpiret auſtrinúſq; flatus, amittitur fœtus. Piraſter ramoſa, ſurculoſáque eſt arbor, caudice rimoſo, & hiulco ferè cortice, folio circinato: floribus quoque foliatis, fructu turbinato, ſed imprimis acerbo, & guſtu adſtringente. Materies apprime dura. Pirus menſibus Aprili & Maio floret, æſtate & autumno fructus matureſcit. Piraſter hieme fructificat ferè, tardéque ſua perficit Poma. Pirorum genera omnia adſtringunt, autore Dioſcor. Quare adduntur conuenienter in repellentia cataplaſmata Decoctum è ſiccis, & cruda ipſa aluum ſiſtunt: ieiunos eſitata lædunt. Achras nempe ſylueſtre Pyrum vim Piro vrbano adſtringentiorem habet, & ad eadem conuenit. Stringunt etiam eius folia. Ligni Pirorum cinis efficaciter his auxiliatur, quos fungi ſtrangulant. Aiunt fungos, ſi ſylueſtria Pira cum eis coquantur, innoxios fieri. Pirorum omnium cibus, teſte Plinio, etiam valentibus oneroſus, ægris quoque vini modo negatur. Decocta eadem mirè ſalubria, & grata, præcipuè Cruſtamina. Quæcumque verò, cum melle decocta, ſtoma

Tempus.

Li. 1. ca. 132.

Vires.

Lib. 23. c. 7.

ſtomachum adiuuant: fiunt cataplaſmata è Piris, ad diſcutienda corporum vitia & decocto eorum ad duritias vtuntur. Ipſa aduerſantur Boletis, atque fungis, pellúntque pondere, & pugnante ſucco. Pirum ſylueſtre tardiſsimè matureſcit. Conciditur, ſuſpenſúmque ſiccatur ad ſiſtendam aluum: quod & decoctum eius præſtat. Decoquuntur & folia cum pomo ad eoſdem vſus. Pirorum ligni cinis contra fungos etiamnum efficacius proficit. Hæc Plinius. Cæterùm pirorum facultates ex ſaporibus, & guſtu dignoſcuntur, cũ dulcia natura diſtent ab acerbis, auſteris, acidis, & contrà. Rectè igitur Galenus, Quæ de Malis diximus, inquit, ſi omnia ad Pira transferantur, nihil nouo alio de his ſermone opus erit. Li. 2. Alim. Nam in his quoque alia auſtera tantùm, vel acerba apparent, veluti quædã acida quædam dulcia, quædam ex horum miſtione compoſita, quæ nullam penitus qualitatem exuperantem habeant. Quare cum aquea ſint, nulla roborandi vi pollent. Talis igitur omnino Pirorum eſus, qualis Malorum. Piri folia quod alio Lib. 6. ſim. loco idem ait, pariter ac turiones, auſtera ſunt: fructus dulcedinis quiddam obtinet aqueæ, ex quibus clara quoque temperies eſt, inæqualis ſecundum partes. Nam pars vna terrea eſt, alia aquea, cæterùm vtraque frigida, tum alia temperata. Proinde Pira eſu ſtomacho grata ſunt, & ſitim prohibent. Illita autem deſiccant, & modicè refrigerant. Nam ego iis illitis vulnus glutinaſſe memini, cum aliud ad manum non eſſet. Achrades magis quam Pira reliqua adſtringunt, & deſiccant, & proinde ſanè maiora vulnera glutinãt, fluxúſque repellunt. Piris; inquit Matthiolus, præſertim grandibus, quæ in Hetruria Menate vocantur, Li. 1. Dioſc. cap. 132. aliqua nutriendi facultas ineſt. Quare ea ſecta in tenues orbiculos, & ſiccata reponunt, quibus coctis per hiemem & ver, in aliorum ciborum penuria veſcuntur. In furno ſiccata Pira Galli ſeruant, & vel ita dura, liquore nullo macerata edunt, vel cum Saccharo aquæ incoxa & emollita, in cibo ſumunt, & ægris præbent, excitandæ appetentiæ.

CERASVS, CAP. VIII.

ΚΕΡΑΣΟΣ Græcis, *Ceraſus* Latinis, Gallis *Ceriſier*, Germanis *Kirſchenbaum*, dicitur, fructus κεράσια, Latinis Ceraſia, & Ceraſa, Arabibus *Saraſie*, Italis *Ciregie* Germanis *Kirſen*, & *Chirſchen*, Hiſpanis *Cerezas*, Gallis *Ceriſes*, & *Guines*. Angl. *Cheriſſ*: Belg. *Kricken*: Bœmis, *Vuiſſnè*: Athenæus memoriæ prodidit Lucullum Romanorum Imperatorem, poſteaquam debellato Mithridate victoria potitus eſſet, primum arborem hanc à Ceraſunte Pontico municipio in Italiam detuliſſe, fructúmque gentilitio nomine Ceraſium appellaſſe. Quibus ſubſcribit Plinius. Ceraſi, inquit, ante victoriam Mithridaticam L. Luculli non fuêre in Italia. Ad vrbis annum Domin. LXXX. is primùm vexit è Ponto, anníſque, CXX. trans Oceanum in Britanniam peruenêre. Genera eorum nominat Plinius Aproniana quæ maximè rubent: nigerrima ſunt Actia, vt & Cæciliana, rotunda. Iulianis gratus ſapor, ſed penè tantùm ſub arbore ſua, adeo teneris, vt geſtatum non tolerent. Principatus Duracinis, quæ Pliniana Campania appellat: in Belgica verò Luſitanis, in ripis etiam Rheni. Tertius iis color, è nigro ac rubente, viridíque ſimilis matureſcentibus ſemper. Minus quinquennio eſt quod prodiêre quæ vocant Laurea, non ingratæ amaritudinis, inſitæ in Lauro. Sunt & Macedonica paruæ arboris raróque tria cubita excedentis: & minore etiam frutice Chamæceraſi. Gallis horum pomorum varia notantur diſcrimina. Quædam mediocri arbore, interdum pumila, & quaſi frutice, pendent, pediculo breui, pomo rotundo, rubente, carne multa, molli, ſuccoſa, oſſe intus duro, nucleo dulci: quod genus maximè grato placet

Nomina

Libr. 2.

Li. 15. ca. 25.

Ibidem. *Genera.*

acore

igitur Ceraſorum ex ſapore, colore, lociſque ſumptæ differentiæ. Alterius Chamæceraſi meminit Aſclepiades Myrleanus apud Athenæum, quæ in Bithynia naſcitur, radice parua: neque arboreſt, neque arbuſculis ceraſorum impar: baccis cætera omnia conſimilibus quæ copioſè veſcentibus caput vini modo grauãt, & dolores cient. Sed hæc Athenæus putat de Memæcylis intelligi, quod huiuſmodi fructum eæ arbores edant. Ceraſus, tradente Athenæo ex ſententia Theophraſti, arbor eſt folio Meſpili, præduro, latiore, cortice Tiliæ ſimili: flore albo, Piri, vel Meſpili, pluribus floſculis racematim congeſto, fauorũ odore, fructu rubro, Dioſpyri figura, magnitudine fabæ: quamquam acinus Dioſpyro, mollis, Ceraſo durus. Huic deſcriptioni multa alia addit Theophraſtus, Ceraſum ſcilicet ad viginti quatuor cubita proceritatis erigi, valde rectam eſſe, & à radice craſſam, bicubitali craſſamento. Plinius ramoſam eſſe Ceraſum prodit, & in quadraginta cubitorum trabes, æquali per totum duorum cubitorũ craſsitudine reperiri. Hæc de Ceraſo potiſſimum paruula ceraſa ferente, quæ Gallis, *Guines*, vocantur, intelligenda eſſe putat Dodon. Reliquæ enim Ceraſi maiora Ceraſia, ſiue acida, ſiue dulcia gignentes, humiliores ſunt in Gallia, & in tantam proceritatem nõ acereſcunt. Apud Theophraſtũ multo plura ſunt, quæ hîc referre ſuperuacuũ foret. Ceraſus cuius Paulo ante meminim⁹ procera eſt, craſſáque arbor, cortice læui, ſpiſſo, colore Caſtaneæ: foliis magnis, longis, crenatis: floribus albis, in quinque foliola diuiſis: fructu paruo, dulci, modò rubro, modò in nigrum vergente, ãcino intus concluſo, in quo nucleus. Ceraſus quæ Maiora Ceraſia fert, mediocris eſt arbor, ſuperiori foliis floribúſque ſimilis: fructu longiuſculo, rotundo, dulci, modò ex rubro albicante, modò nigricante. Quæ acida Ceraſia profert, humilis eſt arbor, tenera, nec diu durans: folia ſuperioribus ſimilia habet, minora: flores item ſimiles: fructum rotundum, acidum, modò rubentem, modò nigricantem, intus nucleum minorem, & rotundiorem. Ex omnibus his, velut ex Perſico Prunóque manat gummi ſiue lacryma, præſertim vulnerato cortice, vt etiam teſtatur Theophr. Quæ maiora Ceraſia & acida edunt, in viridariis coluntur: reliqua ferè in planis campis, montibus, & ſyluis proueniunt. Septentrione frigidíſque gaudent

Libr. 2.

Libr. 2. Lib. 3. Hiſt. cap. 13. *Forma.*

Ibidem.

Li. 16. c. 30.

Li. 6. ca. 50.

Lib. 9. Hiſt. cap. 1. *Locus.* Pli. libr. 15. cap. 25. *Tempus.*

CERASVS.

CERASA EX uno pediculo plura.

CERASA AVSTERA Matthioli.

CERASA Racemosa.

Forma Padi.

gaudent. Martio & Aprili menſibus florent, & inter prima è Pomis colono gratiam annuam referunt. Syluestris Ceraſi ſpeciem quidam eſſe volunt plantam hîc depictam, quæ Theophraſti Padus Dalechampio eſſe videtur. Eſt ea ſæpe humilis frutex, interdum iuſtæ magnitudinis arbor, cortice trunci cinereo, ramorum purpuraſcente: folio Ceraſi acidi, venoſo, in ambitu tenuiſsimè inciſo: flore albo, promiſſo, Laburníque inſtar Palmum ferè longo, qui ex floſculis albis conſtat, ſuauiſsimè redolentibus, nec minus olfacienti gratis, quàm Mali Citriæ flores, odoris ſuauitate alioqui præcellentes. Fructum fert rotundum, nigrum, magnitudine Piſi, guſtanti acerbum, Meſpilaceíque ſaporis, graue quidpiam cum manditur, naribus afflãtem. Qua de cauſa Allobroges *Putier*, vocant, ideſt putidam arborem: Id quod magnam mihi admirationem mouet, Rarò enim accidere ſolet, vt ſuauiſsimum floris odorem fructuum moleſtus fœtor excipiat. Sequani vocant *Pudis*, quaſi *Padis*, voce Pado corrupta. Quidam Ceraſum ſyluestrem eſſe putant, vt diximus, in eam ſententiam foliorum fructúmque inducti ſimilitudine. Verùm à Ceraſorum natura flos diſtat maximè, mea quidem ſententia & formoſus, & odoratus, adeo vt florem iſtum Laburnorúmque, & ſtructuræ elegantia, & odoris præ

PADVS Theophr.

ris præstantia, floribus aliis anteponere non dubitem. In glareosis & arenosis locis prodit circa sepes, & dumeta. Nunc de Cerasorum facultatibus differamus. Cerasia, inquit Dioscorides, aluo vtilia sunt, si viridia sumantur: eadem siccata aluum sistunt. Gummi quod Cerasi resudarunt, cum vino diluto tussi vetustæ medetur: colorem commendat, visum exacuit, appetentiam inuitat: idem ex vino potum calculosis auxilio est. Cerasa Plinio aluum molliunt, stomacho inutilia. Eadem siccata aluum sistunt, vrinam cient. Inuenio apud auctores, si quis matutino roscida cum suis nucleis deuoret, in tantum leuari aluum, vt pedes morbo liberentur. Cerasus arbor fructum fert, inquit Galenus, non paris adstrictionis in omnibus priuatim participem. Nam & in horum sicut in Malorum granatorum, & Malorum quibusdam, austera qualitas, in quibusdam dulcis, in nonnullis acida exuperat. Quinetiam ex dulcibus ea quæ nondum cocta sunt, ac matura, quædam admodum acerba sunt, quædam acida, similiter ac Mora. Sed in Moris immaturis acida qualitas acerbam exuperat, in Cerasiis non semper. Ergo quæ dulciora sunt, magis quæ in intestinis sunt, subducunt, sed minus vtilia stomacho sunt: contrà austera. Quæcumque verò acida sunt, ea pituitosis, excrementosisque stomachis conueniunt: siquidem magis quàm austera desiccant, & nonnihil etiam incidunt. Porro arboris ipsius gummi cõmunem omnibus viscosis, & mordacitate carentibus medicamentis facultatem obtinet, quæ & ad arterias exasperatas commoda est. Propriè autem (si verum est quod quidam scribunt) calculis vexatos cum vino potum adiuuat.

Locus.

Li. 1. ca. 129. *Vires & Temper.*

Lib. 23. c. 7.

Lib. 7. fin.

PRVNVS, CAP. IX.

Nomina

Κοκκυμηλέα Græcè, Latinè Prunus dicitur, Gallis *Prunier*, Germanicè *Pflaumenbaum*. Fructus κοκκύμηλα, Latinè Pruna, Arabicè *Anas*, *Auas*, seu *Hagias*, Italicè *Prune*, & *Succine*, Germanicè *Praumen*, & *Pflaumen*, & *Pflaumenboen*, Hispanicè *Prunas*, *Andrinas*, & *Amexeas*, Gallicè *Prunes*, Belg. *Pruymboon*: Angl. *Plumtree*. Ingens turba Prunorum, inquit Plinius, versicolor, nigra, candicans. Hordearia appellata à comitatu frugis eius. Alia eodem colore, seriora, maioráque, Asinina cognominata à vilitate. Sunt & nigra, & laudatiora Cerina, atque purpurea. Nec non ab externa gente Armeniaca, quæ sola & odore commendantur. Peculiaris impudentia est nucibus insitorum, quæ faciem parentis, succúmque adoptionis exhibent, appellata ab vtroque Nucipruna. Nuper in Belgica Melina appellari cæperunt Malis insita, & Amygdalina Amygdalis. His intus in ligno nucleus Amygdalæ est: nec aliud Pomum ingeniosius geminatum est. In peregrinis arboribus dicta sunt Damascena, à Syriæ Damasco cognominata, iampridem in Italia nascentia, quamquam grandiore ligno, & exiliore carne, nec vnquam in rugas siccata, quoniam soles sui desunt. Sed Pruna omnia post Catonem cœpisse manifestum est. Hæc Plinius. Est & sua Prunus Ægypto, vt Theophr. placet. Ἄλλο δέ τι δένδρον, inquit, ἡ κοκκυμηλέα μέγα δὲ τῷ μεγέθει: κάρπον φέρει ὅμοιον τοῖς μεσπίλοις, καὶ τὸ μέγεθος παραπλήσιον, πλὴν ἔχον τὸν πυρῆνα τροχῶλον. Ἄρχεται δ' ἀυθεῖν μηνὸς πυανεψιῶνος, τὸν δὲ καρπὸν πεπαίνει περὶ τροπὰς χειμερινὰς, ἀείφυλλον δ' ἐστὶ (sic enim legendum esse confirmant Plinius & Gaza, non φύλλον ὂν ἐστὶν, vt in vulgatis exemplaribus legitur) οἱ δὲ περὶ τὴν Θηβαΐδα κατοικοῦντες διὰ τὴν ἀφθονίαν τοῦ δένδρου ξηραίνουσι τὸν καρπὸν, καὶ τὸν πυρῆνα ἐξαιρῶντες κόπτουσι, καὶ ποιοῦσι παλάθας. Quæ Plinius interpretatus ea aliter quàm in exemplaribus nostris exarata sint, legisse videtur, aliter etiam Gaza. Sic enim Plinius. Ibi & Prunus Ægyptia non dissimilis Spinæ proximè dictæ, Pomo Mespili, matureſcens bruma, nec folia dimittens. Lignum in Pomo

Li. 4. Hist. cap. 3.

Lib. 15. c. 13.

Genera.

Li. 13. ca. 5.

Lib. 13. c. 10.

grande, ſed corpus ipſum natura copiáque meſsium inſtar incolis: purgatum enim tundunt, ſeruántque eius offas. Sic Gaza. Alia quædam arbor Prunus habetur inſignis magnitudine, fructum ferens natura & magnitudine Meſpilis proximum, niſi quod rotundum nucleum habet. Florere incipit menſe Iulio, fructum circa brumam perficit, nec folia dimittit. Qui circa agrum Thebanum colunt, propter arboris copiam fructum ſiccant, lignóque exempto tundunt, offáſque faciunt. Huic Pruno Ægyptiæ nullam ſimiliorem eſſe arborem cenſet Cornarius ea quæ Pruna ſylueſtria profert. Alij verò arborem eſſe putãt, quæ Myxa gignit. Prunorum apud Gallos innumeræ ferè differentiæ. Prima laus Damaſcenis tribuitur, nigra cute, carne ſuaui, rotundo ligno, exili nucleo. Secundas partes ſibi vendicant Perdigona cognomine, Iberica, vt credit Ruellius, vocata, quoniam primum ex Hiſpania venerunt, vt inquit Ætius, ſucci dulcioris, durioríſque carnis, ſuaui guſtu. Ea qua parte ſolem ſpectant, purpureo nitent colore, aduerſa parte candicant, vel leuiter rubẽt. Vtraque preſſa digitis internum os dimittũt. Alia coloris ceræ ex candido in luteum palleſcentia, quæ Cereola, vel Cerea apud nos etiam vocitantur. Alia maiuſcula, mollia, purpurea, pedicularia vulgò à vilitate dicta: iis ſues rura ſaginant, Aſinina non ab re fortaſſe dicenda. Commendantur maximè quoque quæ Pruni dactyla à longitudine digiti, vt Putat Ruellius, dicta, purpurea, ſuaui colore, ouata Pomi ſpecie, inſitionis mangonio nuſquam non naſcentia. Alia Noberdiana, item Iuliana, aliquanto ſeriora, cæruleo colore, cumulatim in parente intorto ſurculo pendent, dum paſſa contrahantur in rugas. Cæteras differentias minimè perſequi libet, à colore, ſucci ſapore, magnitudine, figura, duritia, mollitie ſumptas. Palma datur Damaſcenis, inquit Matthiolus, quæ ſiccæ ex Syria Venetias importantur. Secundas tenent in Germania quæ ex Pãnonia, & Tranſſyluania conuehuntur, in quorum genere quæ minuſcula ſunt, maiorem cum palato ineunt gratiam in vino decocta, & ſaccharo aſperſa: hoc enim modo parata, primíſque menſis ſumpta, & ori grata ſunt, & aluum commodiſsimè citant: nam dulcia ſunt, & ſine adſtrictione. Prunus procera fit arbor, ſi ſtudioſè colatur, radicibus ſummo ceſpite latè vagantibus, paucis caudice ſubrecto, ſcabro, multis brachiato ramis: folio ex oblongo ferè rotundo, per oras minutim ſerrato: flore candido, foliato, nempe in quina, ſenáue foliola diuiſo, ſuper fructum inſidente: Pomo cute carnéque veſtito, ligno intus duro, longiuſculo, in quo nucleus includitur amarus. Prunus ſatiua in omnibus ſeritur viridariis. Gaudet ſolo læto & humido: cælo tepido meliùs adoleſcit, cùm tamen frigidum poſsit ſuſtinere. Locis glareoſis, & arenoſis niſi viuatur lætamine, caduca Poma, & vermiculoſa non grandeſcunt. Aprili menſe floret, aut citius. Æſtate, maximè Auguſto menſe, fructus ſunt maturi. Pruni Pomum eſtur, inquit Dioſcorides, ſed ſtomachum male habet, aluum mollit. Syriaca pruna, & præcipuè quæ Damaſci gignuntur, exſiccata ſtomacho vtilia ſunt

Emble.134. Lib.1.Dioſ.

Li.1.ca.111.

Ibidem.

Lib.1.Dioſ. cap.137.

PRVNVS.

Forma.

Locus.

Tempus.

Vires.

Li.1.ca.137.

lia ſunt: aluum aſtringunt. Folia Pruni in vino decocta, & gargarizata vuam, gingiuas, & tonſillas fluxione laborantes reprimunt. Gummi Prunorum agglutinat, potum in vino calculos comminuit: ex aceto quoque illitum lichenas infantium ſanat. Pruni folia decocta, inquit Plinius, tonſillis, gingiuis, vuæ proſunt in vino decocta, & ſubinde ore colluto. Ipſa Pruna aluum molliunt, ſtomacho verò vtiliſsima, ſed breui momento. Apollonius apud Galenum foliorum Pruni contuſorum, decoctum lacte permiſto ad aphthas colluere præcipit, pueris nimirum lactis vſum cum foliis contuſis præſcribens, ſicut Dioſcorid. & Plinius vini cum foliorum decocto, adultis, & in grauioribus affectionibus. Pruni fructus, ait Galenus, ventrem ſubducit, recens quidem plus, aridus verò minùs. Cæterùm Dioſcorides, haud ſcio cur, Pruna Damaſcena ſiccata ventrem ſiſtere ait, quum tamen & ipſa palam etiam ſubducant, minus tamen iis quæ importantur ex Iberia. Damaſcena quidem magis adſtringunt, atquæ Iberia mittit, dulciora ſunt. Quin & ipſæ arbores fructibus proportione reſpondent: minus enim adſtringunt quæ in Iberia naſcuntur, magis verò quæ Damaſci. Porrò vt in ſumma dicam, quarum in foliis aut germinibus adſtrictio quædam ineſſe apparet manifeſta, eorum decocto phlegmonæ in columella, aut tonſillis genitæ colluuntur. Gummi autem arboris ſunt qui dicant cum vino potum lapides confringere, cum aceto verò, puerorum ſanare impetigines. At ſi id præſtat, clarum eſt incidendi, tenuandíque illi facultatem ineſſe. Dioſcoridi Damaſcena ſicca aluum adſtringere ſcribenti refragatur Galenus, Galeno Braſauolus, quod non animaduerterit Dioſcoridem de Prunis Damaſcenis ſiccis loqui, quæ præterquam quod ſicca ſunt, guſtu etiam acida, & adſtringentia percipiuntur. Qua quidem in re Braſauolus ſanè hallucinatur, inquit Matthiolus, non ſolùm enim pruna Damaſcena ſicca, ſed plurima alia medicamenta ſimplicia & adſtringendi, & deiiciendæ alui viribus prædita ſunt, vt puta Tamarindi, Myrobalanorum genera, Rhabarbarum, quæ primùm aluum laxant, deinde adſtrictam relinquũt, quam Prunorum facultatem Galenus etiam agnouit. Quare cum loco citato Pruna Damaſcena ſicca aluum ciere tradiderit, eiſdem etiam adſtringendi vim ineſſe alio in loco teſtatur his verbis. Prunis æquè ac ficubus conceſſum eſt, vt vel exſiccata vtilia permaneant. Damaſcenis prima laus bonitatis magna hominum opinione defertur. Proxima iis quę in Iberia proueniunt. Probatiſsima in Damaſcenis ſunt, quæ cum mediocri adſtrictione magna laxáque ſunt. At parua, dura, acerbáque, & in cibo permoleſta, & ventri ſubducendo minùs idonea, cui rei Iberica maximè conueniunt. In melicrato plus mellis habente, abunde ventrem molliunt, etiamſi ſola comedantur, & multo magis ſi melicratum ipſum ſorbeatur. Ex his conſtat Braſauolum ſine ratione à Galeno diſſentire. Quibus accedit quotidiana medicorum experientia. Eſt enim compertiſsimum Pruna Damaſcena laudatiſsima ventrem ſoluere non inefficaciter. Quod ſi Dioſcoridem quoque tueri oporteat, nihil aliud dicendum, inquit Matthiolus, quàm Pruna Damaſcena ſiccata adſtringere, ſi cum aliis humidis conferantur, quæ minus adſtringunt, non tamen illa eſſe deiectoriæ facultatis expertia. Porro Pruna, auctore Meſue, aluum ſubducunt, & alterant: ſed alba, flaua, rubra minus ſunt medicamentoſa quàm nigra: quorum quæ μέσα, ideſt acido dulcia ſunt, alterant magis, dulcia verò ſoluunt largius: tamen vtraque alterant, & ſoluunt magis ſcilicet, & minus. Damaſcena verò & Armenia vtrumque præter cætera præſtant, humida tamen potius quàm ſicca, quæ etiam in ventriculo potius quam ſicca corrumpuntur. Dulcia in calido & frigido temperata, aut paulo frigidiora, humida ordine ſecundo; τὰ μέσα, ideſt acidodulcia frigida principio ſecundi.

Lib. 23. c. 7.

Lib. 6. cap. phar. par.

Lib. 7. ſim.

Ibidem.

Lib. 2. ſim. pur. ca. 19.

Li. 1. Dioſc. cap. 137.

Li. 2. Alim.

Omnia tamen lauant, leniunt, refrigerant, bilem educunt, propter quæ duo bilioſis, tum febribus, tum morbis aliis ſunt ſalubria: ſtomacho nocent, pauci ſunt alimenti. Quia imbecilliter Pruna ſoluunt, eis adduntur præſertim in infuſione, Tamarindi, Caſsia fiſtula, Manna, Violæ conditæ. Ex horum ſucco fit ſyrupus, & ex carnibus electarium ad eadem ſalubre. Armenij truncum Pruni arboris locis duobus vel tribus, palmæ vnius interuallo tenuiter perforant, immiſſóque Scammonio lutant: Pruna ea ratione valentius purgant. Datur eorum ſuccus ſeu decoctum cum Saccharo ad libram vnam.

AMYGDALVS, CAP. X.

Nomina

AMygdalvs arbor Græcis ἀμυγδάλη vocatur, Gallis *Amandrier*, Germanis *Mandelbaum*. Fructus ἀμυγδάλη & ἀμυγδάλον, Latinis Amygdala & Amygdalium, Arabibus *Iauz*, *Kauz*, *Lauzi*, Italis *Mandole*, Germanis *Mandelkern*, Gallis *Amandes*, Hiſpanis *Almendras*, Anglis *Almonatree*: Amygdalam ideo Græcis nominari teſtis eſt Herodianus Alexandrinus, quod poſt viride putamen multos ſcarificatus oſtendat, & in rimulas dehiſcat, quas τὰρ ἀμυχὰρ vocant. Amygdalas nucibus adnumerarunt antiqui, quas & Cato Nuces Græcas vocauit. Plinius, cum de nuce Iuglande, & nuce Pōtica dixiſſet, ſubiicit. Tertia ab his natura Amygdalis, tenuiore, ſed ſimili Iuglandium operimento: item ſecundo putaminis. Nucleus diſsimilis latitudine, & acriore callo. Hæc arbor, an fuerit in Italia Catonis ætate, dubitatur: Græcas enim quas nominat, quidam reponunt in Iuglandium genere. Cloatius Amygdalas eaſdem eſſe cum illis putabat quas Græcas, & Thaſias vocabant. Nuces vocabant etiam Amygdalas inquit Athenæus. Columella videtur diuerſa ſtatuiſſe genera Nucis Græcæ, Iuglandis, & Amygdalæ, niſi Nucis Græcę nomine tantùm amaram intellexerit. Naxia Amygdala à Naxo inſula veteribus Græcis maximè commendabatur. Secundas partes ſibi vendicauerat Cypria, quæ præter morem cæterorum, alibi genitorum repando cacumine prodit. Amygdalarum duo ſunt genera: aliæ enim amaræ, aliæ dulces, hæ ſuauores, illæ ſalubriores creduntur. Ex amaris dulces, fiunt, ſi circum foſſo ſtipite, & ab ima parte circum forato defluens pituita abſtergatur, vt ſcribit Plinius ex Theophraſto, cuius hæ ſunt verba. τῆς δ' ἀμυγδαλῆς ἐάν τις ἐκκόψας τὸν πάτταλον, ἐπιχαράξῃ τὴν ἐπιῤῥοὴν τῆς ὑγρότητος, ἐπὶ ἔτη δύο, ἢ τρία, καὶ γλυκεῖαν ἐκ πικρᾶς γίνεσθαι φασί. Amygdalus ſingulari plurimùm robuſtáque radice firmatur, prægrandi altè defixa, caudice procero, craſſo, inſummo compluribus ramis brachiato, recto, cortice aſpero: foliis Salicis, prælongis Perſico, prorſus ſimilibus, cui tota quoque hæc arbor ſimilis eſt: flore foliato, candido, in quibuſdam ſubrufo. Fructus ſiue nuces edit cordis figura, gemino protectas operimento, quemadmodum nuces Iuglandes, puluinati primum calicis, mox lignei putaminis, cui ſolidus ſubeſt nucleus, acriore etiamnum obductus callo. Arbor ſucco pingui turget, lacrymamque rimoſa plorat, ſtatim concreſcentem in gummi. Verùm ad nulla remedia vt pote inutilis, expetitur. Amygdalus cælo calidiore gaudet: quapropter in Apulia, Sicilia, & inſulis vberior adoleſcit. Huic tamen terra tenuis & aprica commodior eſt, teſte Theophraſto, ad caſtigandam eius attrahendi alimenti auiditatem, & frondeſcendi, luxuriam, quæ tanta eſt in hac arbore, vt cum de ea loquitur Theophr. verbum ἐξυβρίζειν, vſurpet quod iniuriam petulanter facere ſignificat: quippe quæ ob fructum ſata, fructui faciat iniuriam. Cum enim largius attrahat, & abſumat in frondes, intercipitur pars neceſſaria fructibus. Eandem, opinor, ob cauſam tam præcoci partu germinat. Ex his, inquit

Athen. li. 2.

Li. 15. ca. 22.

Herm. cor. 178. lib. 1.

Libr. 2. Li. de arb.

Athe. ibid.

Genera.

Li. 17. c. 27.

Lib. 1. cau. cap. 21.

Forma

Locus.

Lib. 3. cauſ. cap. 7.

Ibidem.

Li. 16. ca. 25.

Tempus.

AMYGDALVS.

inquit Plinius, quæ hieme aquila exoriente concipiunt, floret prima omnium Amygdala mẽſe Ianuario: Martio verò Pomum maturat. Perdit etiam fructum facillimè ante maturitatem eodem teſte. Locis frigidioribus Iunio & Iulio fructus perficit, qui antequam obdureſcant, integri cum putamine comeduntur à grauidis: ſunt enim guſtui non ingrati. Leguntur Auguſto menſe, cum extima eorum tunica dehiſcit. Amygdalæ amaræ radicum tritarum decoctum vitia cutis in facie corrigit, auctore Dioſcoride. Illitæ nuces idem præſtant: menſes admotæ cient: capitis dolori auxiliantur, illitæ fronti aut temporibus cum aceto, vel roſaceo: epinyctidas ſanãt ex vino: item putreſcentia vlcera, & quæ ſerpunt, & morſus canum cum melle. Earum autem eſu dolores finiuntur: aluum molliunt ſomnum faciunt, vrinam cient: contra ſanguinis reiectiones cum amylo & mentha aſſumuntur: renum vitiis, & pulmonum inflammationibus ex aqua in potu, aut eclegmate cum reſina terebinthina dantur: calculoſis difficilíque vrinæ in paſſo auxiliantur, & in linctu cum melle, ac lacte, hepaticis, & tuſsi inflationibus coli, nucis auellanæ magnitudine. Quinis ſeptenísue præſumptis, ebrietatem non ſentiunt potores. Vulpes ſi cum quadam eſca eas vorauerint, moriuntur. Gummi eius excalfacit, & adſtringit: reiicientibus ſanguinem potum auxilio eſt: impetigines quę ſummum corpus occupauerunt, illitum cum aceto tollit: tuſsi vetuſtæ cum diluto vino medetur: calculoſis cum paſſo bibere prodeſt. Amygdalæ gummi vt & Pruni ad renum calculos minuẽdos & pellendos valet, ſed præterea in vſu multo eſt ad pannos ſericeos, ob linendos (vulgo artifices id aiunt *donner l'eau*) firmiores vt ſint, ac minus corrugati laciniatíque minus obterantur. Dulces Amygdalæ & cibo idoneæ multo minus valent in remediis quàm amaræ, attamen extenuant, & vrinam cient. Quæ cum ſuo putamine eduntur virides Amygdalæ, humida ſtomachi vitia emendant. Vſus & effectus iidem habentur etiam apud Plinium, niſi quod diuerſa quædam habet, quæ vel de ſuo, vel ex aliis auctoribus attexuit. Amygdalæ amaræ radicum decoctum, inquit, cutem in facie corrigit, colorémque hilariorem facit. Nuces ipſæ ſomnum faciunt, & auiditatem. Vrinam & menſes cient. Capitis dolori illinuntur, maximéque in Febri: ſi ab ebrietate, ex aceto cum roſaceo, & aquæ ſextario. Sanguinem ſiſtunt cum amylo, & mentha lethargicis comitialibúſque proſunt capite peruncto: epinyctidas ſanant è vino vetere vlcera putreſcentia & canum morſus cum melle: & furfures in facie ante fotu præparata. Item iocinoris, & renum dolores ex aqua potæ: & tuſsim ex ecligmate cum reſina terebinthina. Calculoſis & difficili vrinæ in paſſo, & ad purgandam cutem in aqua mulſa tritæ, ſunt efficaces. Proſunt ecligmate iocinori, tuſsi, & colo, cum Eleliſphaco modicè addito. In melle ſumitur nucis auellanæ magnitudo. Aiunt quinis fere præſumptis ebrietatem non ſentire potores: vulpéſque, ſi ederint eas, nec contingat è vicino aquam lambere, mori. Minùs valent in remediis dulces, & hæ tamen purgant, & vrinam cient. Recen-

Li. 16. c. 26.

Vires & tempera.

Lib. 1. c. 193.

Li. 23. ca. 8.

tes ſtomachum implent: quarum rerum cauſas Galenus declarat de iiſdem hæc
Li.2.Alim. ſcribens. Amygdalæ nihil prorſus habent facultatis adſtringentis: ſola enim tenuandi facultas, ac detergendi in eis præpollet, qua tum viſcera purgant, tum humores è pulmonibus ac thoracis ſpatiis educunt. Quædam autem ipſarum facultatem habent ſuccos craſſos ac lentos incidendi adeo exuperantem, vt mandi præ amarore nequeant. Oleoſæ tamen ac pinguis qualitatis, vt nuces, ſunt participes: cuius cauſa & ipſæ, procedente tempore fiunt, vt illæ, oleoſæ minor tamen eis ineſt hæc qualitas quàm in Nucibus: quò fit vt tardiùs quàm nuces, oleoſæ fieri cernantur. Ex iis ſanè intelligi poteſt, quod neque ventri ſubducendo conferunt, neque corpus multum nutriunt. Quæ verò qualitatem amaram habent præpollentem, eæ ad pus, & ad ſuccos craſſos ac lentos ex tho-
Lib.6.ſim. race & pulmonibus expuẽdos plurimũ idẽ alibi cõferũt: Amygdalæ quæ palã amarę ſunt, omnino extenuandi vim habent, quod & qualitas ipſa indicat, & experientia comprobat: ſiquidem ephelin expurgant, & excreationibus ex pectore pulmonéque craſſorum lentorúmque humorum plurimùm conferunt. Quin & quod per accidens facultatem habeãt ab obſtructione liberandi, id ſuprà demonſtratum eſt. Nam in iecore craſſorum viſcoſorúmque humorum extremis vaſis impactorum obſtructiones abũde expurgant, expediúntque. Quin & laterum dolores ab huiuſmodi cauſa natos, & lienis, & coli, & renum ſanant. Porrò & ipſa arbor ſimilem vim ſortita eſt. Nam huius radices coctæ atque illitæ ephellidas purgant. Quot Amygdalæ vero dulces leuiculam & ipſæ amaritudinem habent, quæ tamen dulcedine ſuperante occultatur: cæterùm temporis ſpatio id clarum fit. Demonſtratum eſt autem qualitatem dulcem modicè eſſe calidam. Hæc Galenus. Quod autem præſumptæ Amygdalæ ebrietatem prohibeant, meminit etiam Plutarchus, qui apud Druſum Tiberij Cæſaris filium, quemdam medicum comeſſari ſolitum retulit, omnes bibendi certamine prouocantem, neminíque cedentem, vini potu: is tandẽ deprehenſus eſt antequã biberet, quina, ſenáue amara comeſſe Amygdala, quominus temulẽtia tẽtaretur. Porrò cũ deuorare vetuiſſent, ne pauxillũ quidẽ potũ huiuſmodi tolerare potuit. Hoc idẽ Athenęus retulit: Plutarch. hãc vim amaritudini adſcripſit,
Lib.2. Meſu.lib.3. Antid. quę perſiccat, & humores abſumit. Oleũ ex Amygdalis aſperitatẽ gutturis, pulmonis, & partium cæterarum, etiam exteriorum, lenit: duritiémque omnem & ſiccitatem articulorum, & partium aliarum emendat: ob id pingues facit, hecticis confert, ſemen quoque auget, ardori vuluæ & vrinæ iniectum commodat. Oleum ex amygdalis amaris obſtructa aperit, flatus reſoluit & diſsipat, etiã in aurium tinnitu, & ſono auditum afficiente obtuſum: aſperitates lenit, neruorum dolorem mulcet, duritiem mollit, ephelidas & macullas faciei delet. Fit autem vtrúmque hoc modo. Amygdalæ cortice ligneſo, & cute membranoſa purgatæ, plurimum teruntur, in offas coguntur: horis circiter quinque loco calido continentur, vel in vaſe duplici hora vna coquuntur. Poſtea rurſus teruntur, & ſacculo concluſæ torculari premuntur: vel delibratæ tuſæq;, & poſitæ in vitreo vaſe vel ſtanneo merguntur in balneo calentis aquæ: tribus peractis horis eximuntur, & ſtatim prælo calentes ſubiiciuntur.

CORYLVS SATIVA.

CAP. XII.

DE Corylo ſylueſtri diximus in Sylua. Satiua de qua hîc agimus, etiam καρύα ποντικὴ, & λεπτοκαρύα, id eſt, Nux Pontica dicitur, & Nux tenuis, ſiue parua, & Auellana, & Preneſtina, & Heracleotica. Fructus iiſdem nominibus appellatur, Arabicè *Agileuz*, ſeu *Bundurh*, Italicè *Nociuole*, *Auellane*, & *Nocelle*, Germanicè *Haſelnuſz*, Hiſpanicè *Auellanas*, Gallicè *Noiſettes*, *Noiſilles*, & *Auellaines*, Boemicè *Vuoredi Lijs kouwy*, Anglicè *Haſel tree*. Plinius Auellanas Nuces, quas antea Abellinas patrio nomine vocabant, in Aſiam, Græciámque è Ponto veniſſe tradit, & ideo Ponticas Nuces vocatas. Tenues eædem ſeu paruæ Nuces dictæ ſunt ad Regias videlicet collatæ: Heracleoticæ Theophr. quod ex Heraclea Ponti tranſlatæ ſint. Satiuarum alias oblongas, alias rotundas eſſe tradit Matthiolus. Oblongæ præſtantiores, & guſtui gratiores ſunt, illæ præſertim quæ nuclei cortice vehemẽter rubent, & fractu minimè ſunt contumaces, quales ſunt Vincentinæ, tam ſuaues, vt Piſtaciis vix cedant. Neque enim omnibus Auellanis idem ſapor, eadem pulpæ gratia. Oblongæ ſeriùs matureſcunt, celeriùs rotundæ: quapropter vegetiore ſunt nucleo, diúque perdurant Auellana Nux, ſeu Corylus radice eſt tenui, altiſsima', viuaci, & robuſta, caudice multis infernè ſtolonibus fruteſcente, ſuperne ramis brachiato, virgis breuibus, ſine alarum ſinu enodibus, craſsiſq; nonnullis: foliis Alui, ſed latioribus, per ambitum ſerratis materiæ admodum lenta, cortice extimo tenui, pingui, maculis albis vario: medulla tenui & flaua, quæ demi poſsit. Satiua differt à ſylueſtri, quod ſatiuæ folium maius ſit, caudex procerior, melior fructus, rubra in altero genere membrana incluſus. Seritur in hortis, & viridariis, locis vliginoſis. Eius iuli hyeme emergunt, vere dehiſcunt, & cùm deciderint folia ſeſe oſtentant. Nuces Auguſto menſe ſunt maturæ, quas mollis protegit barba, inquit Plinius, ſed putamini nucleíſque ſolida rotunditas ineſt. Vmbilicus illis intus in ventre medio. Nuces Auellanæ, vt idem ſcripſit, capitis dolorem faciunt, inflationem ſtomachi: & pinguedini corporis conferunt pluſquã ſit veriſimile. Toſtæ & deſtillationi medentur. Tuſsi quoque veteri tritæ, & in aqua mulſa potæ. Quidam adiiciunt grana Piperis, alij è paſſo bibunt. Corylus nuptialibus facibus olim familiariſsima fuit. Diocles apud Athenæum, inquit, Auellanã Nucem minus Amygdalis alere, cibis ſupernatare, ſi largius eſtur, caput tentare innocentiorem eſſe viridem arida. Addidit vero Diphilus, Nucem Ponticam ciere capitis dolores, minus verò iuglande cibis innatare, ſi tamen ignem experiatur, innocentiorem reddi, quoniam in toſta quæ noxia eſt pinguitudo, tollitur. De earum virtutibus & temperamento plura diximus in Corylo ſylueſtri.

Cap. 34. *Nomina*

Lib. 15. c. 22.

Genera Lib. 1. Dioſcor. c. 142.

CORILVS SATIVA, ſiue Nux Auellana.

Forma.

Locus.

Tempus.

Lib. 15. c. 22. Lib. 23. c. 8. *Vires.*

Plin. lib. 16. cap. 18. Lib. 1.

In Syl. c. 34.

NVX IVGLANS, CAP. XIII.

Nomina QVEMADMODVM τῆς βαλάνου, id est Glandis, ita τοῦ καρύου, id est, Nucis nomine permulta fructuum genera comprehenduntur. Ac primùm Attici, vt refert Athenæus, atque alij auctores in vniuersum quidem fructus omnes cortice lignoso conclusos κάρυα nominant. Quare Nux Amygdala dicitur, & Castanea Nux Euboica, Nux Heracleotica Auellana, Nux Myrepsica, Nux Indica, Nux Syriaca, Nux Moschata, Nux Pinea, Nux Cupressi, atque aliæ huiusmodi. Hîc de Nuce agitur quę Persica, atque Basilica nuncupatur, quod è Perside à Regibus sit translata, & Iuglans: sunt enim, inquit Plinius qui honoris nomen interpretentur, & Iouis Glandem esse dicunt. Cloatius referente Macrobio, Diuglādem primo vocatam scribit, quasi διὸς βάλανον, postea detractione primæ literæ, Iuglandem. Nux simpliciter vulgo & Officinis dicitur tam arbor, quàm fructus. Καρύα arbor Græcis, fructus κάρυον, quod caput, nempe τὸ ἄκρα, id est, τὴν κεφαλὴν, offendat propter odoris grauitatem, vt Plinius ait. Idem alibi. Nuces Iuglandes Græci à capitis grauedine sub vocarunt. Etenim arborū ipsarū foliorumq; virus in cerebrū penetrat. Idē rursum Iuglandis vmbra grauis & noxia etiā humano capiti, omnibusq; iuxta satis. Plutarchus sic dictam censet, quod spiritu graui quem exhalat capiti noxia sit, ac soporem sub ea recumbentibus conciliet. Arabibus *Ieuz*, *Leuz*, aut *Gianzi*, Italis *Noci*, Germanis *Nussen*, *Nuß*, *Vuolschnusz*, & *Vuelschnußbaum*, Hispanis *Nuezes*, Belgis *Noeten*, *Ockernoetenboon*, & *Nottelaere*, Anglis *Vualnut tre*, Gallis *Noix*, arbor *Noyer* Sola differentia generum, inquit Plinius, in putamine duro, fragiliue, & tenui, crasso, loculoso, ac simplici. Quæ tenero fragiliq; est putamine, Molluscа dicitur, & Persica à Sueuio Poëta vetere, ac doctissimo apud Macrobium, Iuglandis omnino genus, inquit Scaliger, aut cum Tarentino idem, aut proxima & congenere natura, testa fragili, ac liberali. Nostri námque populares durius illud, quod inuitum amittit à se nucleum, Auaras nuncupant. Hermolaus à quibusdam à frangendi mora Moracias, & Moracillas appellari tradit. Macrobius Moluscam & Persicam. Malum Persicum interpretatus apertè hallucinatus est: diuersa enim sunt Malum Persicum, Nux Persica, Persea: Tarentina autem hæc Nux, vocatur, quod Tarentum Iuglandes Nuces, & Pineas molles habeat, ac similiter oues, vnde etiam quidam Tarentum appellatum putant, quod Sabinorum lingua molle significat, ad quod alludens Horatius Tarentum molle vocauit. Qua verò arte cultúque Nux Tarentina fieri possit docet Columella. Huiusmodi Nuces in Germania nasci, ait Gesnerus, tum saporis præstantissimi, tum corticis adeo tenuis, vt leuissimo digitorum compressu frangantur. Eadem ferè de hac re literis mandauit Matthiolus. Genera Iuglandium plura, quæ tum forma, tum putaminis duritia, fragilitatéque dignoscuntur. Præstant oblonga, putamine albicante ac fragili, albo intus nucleo, putamini haud hærente, & gustu dulci. Nam & aliud Nucum genus est earum quæ à magnitudine Caballinæ nominātur. Hæ Malis sunt æquales, ex quarum cuppis marsupia pueris gestanda fiunt. In Heduorum oppidulo quod Solis Lucum vocant, vulgo *Solieu*, manicarij opifices manicas ex aluta sic tenui conficiunt, vt eiusmodi Nucis lacunato putamine integro duas vtrámque manum vestituras, adstrictas, & conuolutas ingeniosa plicatura, mirabili subtilitate includant, & recondant. His biferarum Iuglandium genus addit Hermolaus, quas in Syluaciano Patauini agri viculo prouenire satis constat, vt ait, & ante ipsum Plinius, Nuper consularem virum audiui, inquit, biferas Iuglandes Nuces habere se profitentē. His addam Tragum prodidisse Vasoniæ, qui locus ad Rhenum situs est, Iuglandem repertam

Nomina Genera.

Plin. lib. 15. cap. 22. & Dios. lib. 1.

Lib. 15. c. 22. Lib. 23. c. 8.

Lib. 17. c. 12.

In Sympo.

Lib. 15 c. 22. Lib 3. c. 28.

In lib. 1. de pla.

Corol. 180. lib. 1. Dios.

Li. 1. Serm. sat. 4.

Li. de arb. cap. 22.

In Hort. Germ.

In li. 1. Dioscor. c. 141.

Corol. 180. li. 1. Dioscor.

Lib. 15. c. 22.

Lib. 3. c. 66.

tam esse,quæ ante diem D.Ioanni sacrum,neque folia, neque Nuces ostenderet:cum vero id tempus adesset, par reliquis nucibus erat, quod ad fructum & folia attinebat:id quod singulari naturæ miraculo fieri credit, addita margini sui voluminis hac scriptura, eiusmodi arbores Gengẽbachi binas hodie etiamnum extare.Eiusmodi Iuglandes Io.Bauhinus Medicus perdoctus,& rei herbariæ peritissimus circa Tigurum etiam se vidisse affirmat. Dalechampius Nuces quæ antea velut aridæ,ac mortuæ, pridie D.Ioannis festum diem repente germinant,& folia mittunt,in agro Lugdunensi per quam multas reperiri asserit. Eas vulgus appellat, *Noix de la Sainct Iean.* Sero fructum illæ perficiunt, nempe Octobri mense,& cum aliæ defecerunt,recentes mensis adhibentur. Earum putamen admodum durum est,nucleus verò tenacius affixus vix eximitur, gustu quàm in reliquis Nucibus magis fatuo & diluto.Indubitatum est sideris vi adeo celeriter germinationem elici,sole à statione sua iam ad æquinoctium descendente,quo tempore,vt ait Columella ingens calor fit, æstuosiúsque cælum frigidiorem, & tardiorem naturam arboris stimulat: Nux arbor est prægrandis, multis prælongísque nixa radicibus,procero caudice, multis in summo ramis ingentibus brachiato, ad binûm ternúmue cubitorũ amplexus sæpius crassescente: cortice hiulco,cinereo, & senescente arbore in rimas altas dehiscente:materia ampla,nigricante,vndatim crispa:foliis primùm teneris, rubescentibus,odoratis,cum adoleuerint,latis oblongísque, vtrinque ab eodem petiolo emergentibus, iucundè, sed grauiusculè subolentibus, patulam iactantibns vmbram, & insalubrem,Autumno deciduis.Veris initio veluti quodam gestiente foliorum conceptu iulos seu paniculas edit, Salignis ferè similes,longiores, callo squamatim compactili protractos,ordine Nucis Pineæ, qui dehiscunt flauescentésque, ac flaccescentes,statim atque oriri cæperint folia decidũt. Tum super horum iulorum petiolis flores erumpunt, totidémque caliculata tegumenta occlusa petiolis nixa gignuntur, quot flores, singulísque his singulæ Nuces includuntur, gemino protectæ operimento, puluinati primùm & calloси calycis, mox lignei putaminis.Quæ causa,vt scribit Plinius, eas nuptiis fecit religiosas, tot modis fœtu munito,quod est verisimilius, quam quòd cadendo tripudium sonúmue, aut, quemadmodum alij legunt,tripudium soniuium faciant.Sic igitur Nuces inter folia proueniunt,multis occultæ inuolucris:calloso primùm herbaceóque cortice,quam Guliocã dicunt,Festus,culeolũ, hinc compactili carinarum loculo, mox tenui tunica, quæ nauci,vt quidã volunt, nominatur. Crispi intus nuclei quadri partito digerũtur,lignea intercedente membrana.Sed Scaliger testarum fructuum multiplicem rationem explicans Plinium erroris insimulat, quòd scripserit solam hanc Nucem à natura compactili operimento clausam fuisse, esseq; bifidas putaminum carinas,quæ quamuis manifestæ sint Iuglandæ,& faciles aperiri,tamen in Persico altera tantum ex parte manifestissimæ, sed difficiliores ad separationem:in Pineis obscuriores:obscurissimæ in Auellanis:mediocres

NVX IVGLANS.

Lib.15.c.22.

In lib.1.de plan. lib.15. c.22.

diocrès in Amygdalo: in Pistaciis, quæ per se ipsa hiant aliquando vetustate,
Locus. earum tanquam vestigia. Aquas odere Iuglandes, frigoris sunt cupidæ, monti-
Cap. 16. Ianu. bus quoque lætantur. Nux Iuglans, vt scribit Palladius, amat loca montana, humida ac frigida, plerúmque lapidosa. Potest tamen & locis temperatis iuuante humore nutriri. In Gallia & Italia frequentissima, & notissima secus vias, & in viridariis. Passim in omnibus ferè Germaniæ hortis prouenit. Nuces in agro
Gesne. in Hort. Ger. Tigurino abundant, hortis inutiles, tum quod sua magnitudine inumbrant cætera, tum quod profundissimæ radices exhauriunt, & emaciant solum,
Tempus. omni pinguiore succo ad se attracto. Germinat post afflatum Fauonij, non cacumine, vt maxima pars arborum, sed lateribus, impulso priore pullulo. Qua forma & caudex totus, & prægrandes rami crescunt. Fructificat Autumno. Paniculæ proueniunt mense Martio, tardissimè Aprili. Nuces maturæ sunt fine Augusti. Arborem, si bene defloruerit, rustici putant vinearum fœcunditatem pol-
Ibidem. liceri, nucum semper & vuarum pari ferè prouentu. Legũtur Iuglandes, inquit Matthiolus, inchoante Autumno, pectícis excussæ, & siccantur in vmbra exuto
Temper. & Vires. exteriore operimento. Virides Nuces Fuschio, primo ordine siccæ, secũdo verò calidæ censentur: Dodonæo verò, Nux viridis, & recens adhuc, frigida est & humida. Nux sicca calida est & sicca, partésque tenues habet. Cortex multum desiccat adstringítque. Folia eiusdam fere sunt temperamenti. Curtio recentes primo ordine excalfaciunt, aridæ secundo ordine, tenuiúmque sunt partium, & exsiccantium. Nuces Iuglandes, inquit Dioscor. difficiles sunt concoctu, stomacho inutiles, bilioſæ, capitis dolorem inferentes, tussientibus inimicæ: vomituris tamen ieiunis in cibo aptæ. Cum ruta & caricis præsumptæ, summo cibo, venenis resistunt, nec minus si à veneni hausta comedantur: largius esitatæ tænias latas pellunt: illinũtur mãmarum inflammationi, abscessibus, luxatisq;, cũ mellis exiguo & ruta: cum cepa autẽ, sale, & melle, canis hominísque morsui proficiũt: tormina cum calyce suo perustæ, & vmbilico admotæ sedant. Pictamẽ combustum tritúmque in oleo, & vino, infantium capite peruncto, nutrit capillum, & alopecias replet. Sistũt menses nuclei vsti, si triti ex vino admoueantur, iidem è nucibus veteribus illiti, carbunculis, gangrænis, & ægilopiis medentur: alopeciis commanducati & impositi præsenti sunt remedio. Nucibus tusis oleum exprimitur. Recentes stomacho innocentiores sunt, vtpote suauiores: itaque allio mixtæ eximunt acrimoniam. Liuores in corpore illitu tollunt.
In Annot. in Dioſco. Quorum postrema paulo aliter vertenda esse censet Andr. Lacu. Recentes stomacho innocentiores sunt, dulciores quum sint: quapropter etiam alliis miscentur, vt eorum acrimoniam exoluant. Sic enim habent Græca: γλυκύτερα ὄντα, διὸ καὶ τοῖς σκορόδοις μίγνυται πρὸς τὸ τὴν δριμύτητα μεταιρεῖν. Eadem Plinius cum
Lib. 23. c. 8. perscripsisset, hæc post addidit: Nuces Iuglandes vomituris ieiunis aptæ in tenesmo solo: trahunt enim pituitam: anginam cum ruta & oleo hebetant. Item aduersantur cæpis, leniúntque eorum saporem. Aurium inflammationi imponuntur cum mellis exiguo. Putamine dens cauus inuritur. Cortex lichenum vitio, & disenthericis prodest. Folia trita cum aceto aurium dolori. In sanctuariis Mithridatis maximi Regis deuicti, Cn. Pompeius inuenit in peculiari cõmentario ipsius manu compositionem antidoti è duabus Nucibus siccis, item Ficis totidem, & rutæ foliis viginti simul tritis, addito salis grano: qui hoc ieiunus sumat, nullum venenum nociturũ illo die. Contra rabiosi quoque canis morsus, nuclei à ieiuno homine commanducati, illitíque præsenti remedio esse di-
Lib. 2. Antid. cuntur. Hæc antidotus cum verè sit Mithridatis Regis, tamen Galenus Apollonio Muri attribuit, & Aetius eandem penitus ex Struthone describit. Quod
Lib. 15. c. 22. idem auctor alibi docet, tingũtur cortice earũ lanæ, & rufatur capillus primum

prodeunt

prodeuntibus nuculis.Id compertum infectis tractatu manibus.Pingueſcũt vetuſtate.Nux arbor,inquit Galenus,tum in foliis, tum in germinibus adſtrictionem quandam habet, cæterùm euidentem , multamq; in Nucis putamine, recenti pariter,& ſicco.Proinde eo tinctores quoque vtuntur. At nos eius expreſſi ſucco, ſimiliter vt Mororum & Ruborum in melle decocto vice ſtomatici medicaminis vtimur,& ad omnia reliqua adhibemus,ad quæ modo dicti ſucci conuenire cenſentur.Porrò Nucis ipſius,id quod edendo eſt,oleoſum eſt,ac tenue:itaque ob id etiam facile exprimitur,& quo diutius recõditum fuerit, magis tale efficitur. Quamobrem ſi oleum ex eo inueterato exprimere liceat, id ſanè admodum potenter per halitum euaporat.Itaque quidam eo gangrænas, & carbunculos, & ægilopas ſanant, & nonnulli ad neruorum vulnera vtuntur. Habet Iuglans, quod idem alibi tradit , & adſtringentis qualitatis non parum, quæ temporis proceſſu marceſcit, degenerante tota eius ſubſtãtia in pinguem ſuccum,adeò vt cibo prorſus fiat parum idonea,quia veteri oleo ſua pinguidine ſimilis apparet.Viridis autem,atque etiámnum humida, neque adſtringentis qualitatis,neque oleoſæ cõſpicuè eſt particeps, ſed magis quodammodo eſt ἄποια, id eſt qualitatis expers. Iuglans faciliùs quam Auellana concoquitur , & ſtomacho vtilior eſt,ac multo magis,ſi vnà cum caricis edatur.Proditum autem eſt à pleriſque medicis, ſi ambo hæc cum ruta ante alios cibos ſumantur,hominem non magnopere à lętalibus pharmacis ledi poſſe. Conſtat præterea humidas deiectioni magis , aridas verò minùs conuenire. Non pauci quoque cum garo Iuglandes præſumunt ventris ſubdurendi gratia. Ad hoc autem virides aptiores ſunt, vt pote adſtringentis facultatis minus participes. Quin & aridadarum quoque vbi priùs in aqua fuerint maceratæ (vt nonnulli faciunt)ſimilis ac viridium facultas cenſetur. Idem alibi fuſius explicat medicamentum ſtomaticum,ſumma cum ratione à ſe inuentum, & experientia longa comprobatum, id eſt medicamentum ex corticum exteriorum Iuglandium virentium ac vigentium ſucco & melle ad oris phlegmonas efficaciſsimum ob eſſentiæ tenuitatem,ſuaue,paratu facillimum.Diphilus ita apud Athenæum proditum reliquit Nuces Iuglandes capitis dolorem ciere , & reliquis cibis emergentes innatare:recentes ſic ſuis membranis exutas,vt candicent, ſuauioris eſſe ſucci, & meliores:furno torrefactas parum ſuppeditare alimẽti. Nux viridis Plinio Valeriano,vt pote aquatioris humoris, ſtyptica & frigida virtute cenſetur. Poteſt tamen ſtomacho aliquid vigoris aquirere,& ventrem cum garo ſumpta mollire.Inter calendas & Idus Iulij centum numero Nuces ſtatim,vt arbori demptæ ſunt, corticeadhęrente quaſſantur: his admiſcentur Aluminis ſciſsi libræ tres, & in nouo fictili vaſe ponuntur:ſuper hæc infunduntur olei boni libræ tres , & diligenter in loco,neque humido,neque nimium ſicco obruuntur: poſt nonaginta dies dabunt oleum, quod fluentium capillorum damna reſtituit. Virides Nuces Simeoni Sethi ventrem mouent, quamobrem quidam ante cibum cum ſapa comedunt.Faciliùs etiam quàm Amygdalæ concoquuntur. Aridæ in ore inflãmationes & plagas efficiunt.Stomacho meliores fiunt,ſi cum caricis edantur.Concoquuntur facilè Nuces in frigidis ventriculis, calidis verò in bilem magis mutant.Ad dentium pruritum vtiles ſunt. Expertum tradunt, ſi virides Nuces tantùm putaminibus ſuis, id eſt carnoſo & calloſo exteriore cortice , liberæ demergantur melle, poſt annum virides inueniri: ipſumq; mel ita medicabile fieri,vt ex eo facta potio faucibus & arteriis medeatur, inſeríque Iuglandem, vt pleriq; aſſerunt, menſe Februario in Arbuto , ſed melius in trunco , & ſuo,& alieno,vt Pruni:ſic enim legendum. Iuglandes virides decerptæ menſe Máio,vel Iunio appetente,antequam earum putamina obduruerint Saccharo vel

Li.7.ſimpl.

Li.1. Alim.

Li.6. c.ph. par.c.1.

Athen.li.2.

Pallad. Ianu. cap.16.

Matthi.ibi.

vel melle asseruatæ, stomacho sunt vtiles, & ori non ingratæ. Iuglandium iuli qui prima germinatione Martio erumpunt, sicci & in puluerem contriti, ac in vino albo poti drachmæ pondere, fœminis strangulatu vuluæ affectis mirificè
Trag. lib. 3. cap. 66. prosunt. Quidam guliocam arefaciunt, atque in puluerem redactam Piperis loco in condiendis cibis vsurpant. Quod si huic pulueri folia Saluiæ siccata, ac tusa admisceas, sanè non contemnendi saporis condimentum habebis. Pari ratione prima ac tenera rubraq; foliola siccata, ac tusa vsurpari possunt. Iuglans,
Li. 16. c. 42. quod scribit Plinius, facilè pandatur, fiunt enim, & ex ea trabes: frangiq; se prænuntiat strepitu, quod in Antandro accidit, cum è balneis, territi sono profu-
Lib. 5. Hist. cap. 7. Li. 16. 4. 40. Pl.. gerunt. Tamen hæc postrema Theophrastus: τῇ ἐνδοικῇ καρύᾳ, id est Castano attribuit. Plinio Iuglans cariem vetustatémque tardissimè sentit. Quare mensis & vtensilibus lautis dicatur, vsúsque ad tecta. Hic non omittam quod & in Quercuum Historia explicari poterat, quid scilicet sit in Nuce arbore. Isca. Quã rem
Lib. 6. c. 49. sic declarat Paul. Ægin. Sunt ἴσκαι, Iscæ, spongiosa quædam corpora in Quercubus & Nucum regiarum arboribus nascentia, quæ Barbari magis in vsu habent. His inter cætera cauteriorum genera vsos fuisse antiquos, idem Paul. testatur de stomachi vstione hæc scribens. In longis stomachi defluxionibus recentiores vsi sunt vstione. Alij ferramentis candentibus mucronatis tres crustas inurunt, vnam iuxta cartilaginem, quæ xiphoides vocatur, alias duas inferius, trianguli figura, tam altas vt cutem totam penetrent. Alij vnam duntaxat adhibent ampliorem supra os ventriculi. Sunt qui ne ferro quidem vrunt, sed
Lib. 6. c. 50. Iscis appellatis. Idem de hydropicorum adustione, Iam verò, inquit, vstione super stomachum, iecur, lienem, imum ventrem, & vmbilicum vsi sunt, quinque crustas adhibentes. Alij ferro tenui candente, alij Iscis nuncupatis. Quomodo autem Iscis ad vstionem vterentur sic demonstrat Cæl. Aurelianus. Alij fungos
Lib. 5. mor. cutur. c. 1. ligneos inferius ac superius angustos formantes, patientibus apponunt locis, quos summitate accensos sinunt concremari, donec cinerescant, atque sponte decidant. Id hodie imitantes Turcæ sarmentum vitis bene aridum parti malè affectæ applicant, & summitatē eius accendunt. Cornarius Iscas medullam Nucis arboris non satis recte videtur vertisse, verba tamen hæc Aetij expresisse,
Lib. 2. sect. 2. ca. 89. τῇ ἐντερῴῃ τῶν καρυΐνων ξύλων, ἃ καλοῦσιν ἴσκας, quæ sic Cornarius interpretatus est, medulla lignorum Nucis Iuglandis, quam Iscas appellant. Hermolaus quoque
Coroll. ca. 180. lib. 1. Dioscor. Iscam medullam esse ait, scribit enim: medulla Nucis quæ in ligno ipso continetur, Isca dicitur Aetio. Forte, vt alia quoque multa, deprauatè à Latinis id acceptum, quasi esca, quoniam igniario & cauterio quoque sit medicis. Iscas Hippocrates, vel auctor lib. de internarum part. affectib. fungos fortè appellat: κἄυξει αὐτὸν, τὰ μὲν ὀστώδεα μυκῆσι, τὰ δὲ σαρκώδεα σιδηρίοισι, πολλὰς ἐχάρας καὶ βαθείας. Ipsum vrito. Osseas quidem partes fungis, carnosas verò ferramentis, & cętera. Sic verò vetus interpres. Fungulis cantharidibúsue ossea, carnea verò ferramentis multis ligneis altè perurito, hæsitans opinor in τῶν μυκήτων vocabulo, quod pro Cantharidibus vsurpatum nusquam legi, sed pro terræ arborúmque fungis, ac lucernarum. Item pro vermiculo, seu animalculo, quod ita depingit Aristo-
In Vespis. phanis Scholiastes. Minutissimum est, inquit, Vespæ simillimum, quod ob minimam exilitatem cum à frigore facilè afficiatur, circa lucernas ignis appetens, volitat, & in eas impingens scintillas excitat, futuræ pluuiæ signum. Fit ex Nucibus Iuglandibus tusis, & expressis, aut post contusionem feruefactis, oleum
Lib. 1. c. 35. quod Carynum vocatur. Eandem vim habet quam Balaninum, inquit Dioscorides, de quo hæc Matthiolus. Oleum quod è Iuglandibus Nucibus elicitur nul-
In comm. cap. 35. lib. 1. Dioscor. lius in medicina vsus esse reperio, etsi lucernis qui parsimoniæ studeant, maximè expetant, quòd ignis funiculo non tam cito consumatur, quam id quod ex

oliuis

oliuis paratur. Præfertur etiam à pictoribus ei quod è lini semine exprimitur. Siquidem hoc cerussæ admixtum tempore colorem mutat, illud verò incorruptum perpetuò seruat. Horum velut immemor comment.in cap.de Nuce Iuglande hæc tradit:Fit è Nucibus oleum quo ad lucernas vtuntur Insubres, præterea pictores & fabri lignarij, cum splendorem operibus suis addere volunt. Haustum hoc quinque, aut sex vnciarum pondere flatus potenter dissipat: quare in coli affectibus à flatu genitis plurimùm confert. Illitũ tumores discutit,& contractos neruos emollit,addita præsertim calce lota:antiquam scabiem sanat,quæ doctè ex Galeni & Mesues sententia scripta sunt. Id autem peculiare habet hoc oleum auctore Aetio,quod inaurantibus, & inurentibus conducit: siccat enim,& ad multum tempus inaurationes, & inustiones continet, & adseruat. Nucum Iuglandium immaturarum aqua, circa diem D.Ioanni sacrum parata,& foris imposita vulneribus,& vlceribus calidis prodest,& anthraci pestilenti.Pota etiam ad duas aut tres vncias refrigerat,& pestilentiæ resistit. Ex corticibus exterioribus Iuglandium(siue maturis,vt iam à Nuce soluantur, siue nondum omnino) mense Septembri aqua destillatur, nec refert nigra fuerint, nec ne,modo ne putredinem senserint,imo nigra præferũtur. Huius aquæ mediocris potio, cum tertia parte aceti, si cum calore morbus inuadat, vena priùs secta aduersus pestem tanquam certum experimentum propinatur. Laudatur & ad aurium tinnitus,& audiendi difficultatem, & ad anginas gargarizata.Foliorum Iuglandis aqua circa finem Maij destillata, mirè commendatur ad siccanda & adstringenda vlcera, & inducendam eis cicatricem, si ea mane & vesperi lauentur,madidúmque inde linteolum imponatur. Æstate feruidissima quod Æromeli ruffum è cælo stillat, foliis & frõdibus Nucis Iuglandis magis insidere, quam vicinarum arborum,obseruauit Dalechampius,eóque melle irrorata Iuglandis folia,ori indita sitim sedare, foliis propinquarum arborum exuccis, & aridis, quasi maior sit huius arboris cum cælo concordia, & cognatio.

Lib.1.Dios. cap.14.

Enuony. Thes.

Brunsuicens.

MORVS, CAP. XIIII.

QVÆ arbor μορέα, & συκάμινος Græcis, Latinis Morus dicitur, Italis *Moro*,Gallis *Meurier*, Germanis *Maulberbaum*. Fructus μόρον & συκάμινον, Latinis Morum, Arabibus *Tut*, siue *Thut*, Italis *Moro*, Gallis *Meure*,Germanis *Maulbeer*,& *Maulberbaum*,Hispanis *Moras del Moral*,Anglis *Mulbery tree*,Belgis *Moerbesienboom*.Mori duo sunt genera, nigra, & alba, à fructuũ colore,ita nuncupata. Sunt enim & alba & nigra Mora, quæ non solùm colore & magnitudine,sed etiam sapore differunt. Minimùm in hac arbore ingenia profecerunt,inquit Plinius,nec nominibus, nec insitis. Nec alio modo quam Pomi magnitudine differunt Mora Ostiensia, & Tusculana. Morus nigra,procera est arbor,ramos crassos in latum & longum protendens,caudice sæpius contorto,gibberóque,ac nodoso,cortice crasso,lento,& flexili, cui materia subest robusta,& medullitus flaua.Radicibus nititur magnis, ac robustis,non tamen altè descendentibus,sed summo cespite longissimè diuagantibus. Eæ flauescunt,præsertim cortices, qui & gustu sunt amaro. Folia rotunda forent, nisi in summo essent acuminata, in ambitu serrata, latiora, crassioráque: nonnulla vitiginea quandoque spectantur. Flos paruus, lanuginosus: fructus,veluti ex granulis congestus, Mororum Rubi modo,sed maior & longior. Ei trini colores,candidus primò,mox rubens, maturis niger: tunc succus in carne vinosus,qui ex acerbo,inquit Theophr.fit acidus,ex acido dulcis. Tingunt manus succo matura,eluunt acerba.Albæ minora sunt folia,imbecilliora,

Nomina

Genera.

Li.15.ca.24.

Forma.

Plin.lib.15. cap.24. Li.6. causs. cap.7.

MORVS.

MORVS CANDIDA.

Plin.ibid. tenuiora, sinuata, albæ Populi, aut Sambuci montanæ, albida, flaccida, fructus minores, ante maturitatem subuirides, austeriusculo sapore, perfectè maturi mellea prorsus sunt dulcedine, ad nauseam potius quàm ad alendum nati, tota arbore minore, quam pluris faciunt ad velleris sericei opus. Morus in hortis & *Locus.* viridariis crescit. Abundat albis Italia ad alendos bombyces sericeos. Amat imprimis loca plana, culta, amœna, calida, & sabulosa. Gaudet fossione & stercore. *Tempus.* Nouissimè germinat, Plinio cum primis folia dimittit. Morus, vt idem ait, noLi.16. c.22. uissima vrbanarum germinat, nec nisi exacto frigore, ob id dicta sapientissima Ibid. c.25. arborum. Sed cum cœpit, in tantum vniuersa germinatio erumpit, vt nocte peragat, etiam cum strepitu. Idem alibi: Cùm germinare videris Morum, iniuriam Lib.18.c.27. postea frigoris timere nolito. Diuersarum Mori partium, eiúsque maturæ & Lib.1. c. 14. immaturæ has virtutes refert Dioscorides. Fructus aluum soluit, stomacho inu*Vires & Temper.* tilis est, & facilè corrumpitur. Hoc idem præstat eius succus: decoctus autem æreo vase, atque insolatus, adstringentior redditur. Facit ad fluxiones, nomas, & tonsillarum inflammationes, addito mellis exiguo. Sed augetur vis eius addito scissilli Alumine, Galla, Croco, & Myrrha: item Myricæ semine, Iri, & Thure. Immatura Mori Poma siccantur, tusáque acinorum Rhois vice, obsoniis miscentur, vt cœliacos iuuent. Radicis cortex decoctus in aqua, & potus aluum resoluit: latas ventris tænias excutit: his quoque auxiliatur qui Aconitum hauserunt. Folia trita ex aceto illita, ambustis igni medentur: tingúntque capillum, Vitis, & Fici nigræ frondibus simul coctis in aqua cælesti. Succus foliorum cyathi mensura potus, contra phalangiorum morsus auxilio est. Feruefacti corticis & foliorum iure dentes aptissimè in dolore colluuntur. Radix circiter messem incisa, facto in ambitu scrobe, succum emittit, qui postridie concretus inueniri solet. Is in dolore dentium efficax est: tubercula discutit, & aluum purgat. Pli-Lib.23. c.7. nius cum de Ægyptia Moro dixisset, subiungit. Nec apud nos succo vsus minor. Aduersatur Aconito & Araneis in vino potus. Aluum soluit, pituitásque, ac tænias, & similia ventris animalia extrahit. Hoc idem præstat & cortex tritus.

Folia

Folia tingunt capillum cum Fici nigræ,& Vitis corticibus,ſimul coctis in aqua cæleſti. Pomi ipſius ſuccus aluum ſoluit protinus.Ipſa Poma ad præſens ſtomacho vtilia,refrigerant,ſitim faciunt.Si non ſuperueniat alius cibus,intumeſcũt. Ex immaturis ſuccus ſiſtit aluum corticis,qui veluti animalium cutis eſt,in hac arbore obſeruandis miraculis,quę in natura eius diximus.Fit è Pomo panchreſtos ſtomatice, aut arteriace appellata,hoc modo. Sextarij tres ſucci ex Pomo, leni vapore ad craſsitudinem mellis rediguntur. Poſt additur Omphacij aridi pondus x.duorum,aut Myrrhæ x.vnius,Croci x.vnius. Hæc ſimul trita miſcentur decocto.Neque eſt aliud oris,arteriæ,vuæ, ſtomachi iucundius remedium, quem locum apertè corruptum Cornarius ex vetuſtiſsimo exemplari ſic emendauit. Poſt Omphacij aridi pondus denariorum duorũ,Myrrhæ denarij vnius, Croci vnius, ſimul trita, &c. Huic apud Galenum Heræ ſimilis eſt ex Moris compoſitio.Succi Mororum heminas ſex ad ſtrigmentitiam ſpiſsitudinem coquito.Deinde tritas Croci drach.j.Myrrhæ drach.ij.Omphacij drach.j.Aluminis ſciſsi obolos iij.Mellis heminam vnam addito. Hæc ad vuas, tonſillas, ac omnes quæ repente oriuntur in ore inflãmationes conueniunt. Aliam ex Moro ſtomaticem Galenus ex Andromacho recenſet.Mira ſunt præterea quæ produntur,inquit Plinius.Mori germinatione,priuſquam folia exeant, ſiniſtra decerpi iubentur futura Poma, Ricinos Græci vocant (Hermolaus Cytinos legit: quamuis enim Cytini propriè ſint Mali Punici flores, ſolet tamen appellatio hæc in alia quoque competere: nam Dioſcorides Hyoſcyami flores Cytinos vocat.) Hi terram ſi non attigêre, ſanguinem ſiſtunt adalligati,ſiue ex vulnere fluat,ſiue ore,ſiue naribus,ſiue hæmorrhoidibus. Idem præſtare & ramus dicitur,Luna plena defractus,incipiens fructum habere,ſi terram non attigerit:priuatim mulieribus,adalligatus lacerto, cõtra abundantiam menſium. Folia Mori trita, aut arida decocta, ſerpentium ictibus imponuntur. Ad idémque potu proficitur. Scorpionibus aduerſatur è radice corticis ſuccus ex vino, aut poſca potus.Succum expreſſum maturi pomi immaturiq; miſtum,coquebant antiqui in vaſe æreo ad mellis craſsitudinem.Aliqui Myrrha adiecta & Cupreſſo,vel,vt alij legunt,Paſſo,prædurantes,vas ſole torrebant, permiſcentes ſpatha ter die. Hæc erat ſtomatice,qua & vulnera ad cicatricem perducebant. Alia ratio: immaturi ſuccum exprimebant,ſiccato Pomo multum ſapori obſoniorum conferente.In medicina verò contra nomas,& pectoris pituitas, & vbicunque opus eſſet adſtringi viſcera.Dentes quoque colluebant eo. Tertium genus ſucci, foliis & radice decoctis,ad ambuſta ex oleo illinenda: imponuntur & per ſe folia.Radix per meſſes inciſa ſuccum dat aptiſsimum dentium dolori, collectionibúſque & ſuppurationibus. Aluum purgat. Folia Mori in vrina madefacta, pilum coriis detrahunt.In his Plinius quædam à Dioſcoride diuerſa refert,quędam etiam ſuperſtitioſa. Cætera ſi quis cum Dioſcoride conferat, eadem eſſe cõperiet,maximè id verò, quod de radicis per meſſes inciſæ ſucco rectè ſcribitur, quod cum aliis in locis repeteret Plinius, oſcitanter de Mori ſucco ſcripſit, quod de Sycomori ſucco ſcribere debuiſſet. Procute in animalibus, inquit, in arboribus cortex eſt. Mirum, hic in Moro medicis ſuccum quærentibus, fere (alij, vere,)hora diei ſecũda, lapide incuſſo manat:altiùs fractus ſiccus videtur. Alibi non de noſtratibus Moris,ſed de Ægyptiis idem dixit. Mora in Ægypto & Cypro ſui generis.Largo ſucco abundant, ſummo cortice deſquamato:altiore plaga ſiccantur mirabili natura.At de Sycomoro hæc accipiẽda eſſe, idoneo loco dicemus ex Dioſcoride. Eundem radicis circumfoſſæ & inciſæ liquorem, Galenus γάλα,id eſt,lac vocat. ἢ συκαμίνου τετάρτου μορίας γάλα εἰς οἶνον ἐγχέας ὁμοῦ ὀίσυ πυρὰ ἓξ ἐμπεπόθυδε χλιαίνων, καὶ δι' ἐρίων ῥυπηρῶν ἔγχει τῇ μύλῃ ἀναστομοῦ τὸ φλέγμα, καὶ

In lib.6.ca. ph.par.

Ibidem.

Ibidem. Lib.23 c.7.

Lib.16.c.38.

Lib.14. c.7.

Lib.5. c.ph. par. ca. de dent.dolo.

ἀπόνυς ποιεῖ. Id est, aut Sycamini, id est, Mori arboris lac in vinum infunde, simúlque lanas succidas in ipsum exprime, tepefac, & per lanas sordidas denti molari infunde. Extrahit pituitam, & dolorem tollit. Sycomori verò arboris succum, etsi συκάμινον etiam vocari testetur Dioscorides, hic non debere intelligi ex eo declaratur, quod συκαμίνυς, τοτέστι μορέας ipse Galenus exponit. Celsus hunc Mori succum, quem lacrymam vocat, ignorasse videtur: sic enim de somno in phrenetide cõciliando loquitur. Si nihilominus vigilant phrenitici, quidam somnũ moliuntur potui dando aquam, in qua Papauer, vel Hyoscyamus decocta sit: alij Mandragoræ Mala puluino subiiciunt, alij vel Amomum, vel Sycamini lacrymam fronti inducunt. Hoc nomen apud medicos reperio. Sed cum Græci Morum Sycaminum appellent, Mori nulla lacryma est. Sic verò significatur lacryma arboris in Ægypto nascentis, quã ibi Morosycon appellãt, quæ postrema verba suppositicia vidẽtur, ex cuiusdam glossemate qui Celsum vellet liberare, ab ea dubitatione, qua hæsitabat, incerta contextui. Mori fructus Galeno maturus quidem ventrem subducit, immaturus verò vbi aruerit, admodum restringit. Itaque ad dysenterias accommodus est, & affectiones cæliacas, & quascunque alias fluxiones. Contunditur autem & obsoniis commiscetur, veluti Rhois fructus, aut si cui ita videatur, ex aqua, aut vino bibat. Porrò quod maturorũ succus ad stomatica multùm sit vtilis, propter eam quæ illi inest adstrictionem, neminem latet. Præterea ad plura alia quæ mediocrem poscũt adstrictionem competit. At immatura Mora præter acerbitatẽ, etiam aciditatem sortita sunt, & tota adeo arbor in omnibus suis partibus mistam aliquam vim obtinere videtur ex adstringente & purgante compositam. Attamen in radicis cortice purgatoria cum quadam amaritudine exuperat, adeo vt & latum lumbricum interficiat. In aliis autem partibus adstringens vincit: in foliis tamen & germinibus quodammodo media vtriusque temperies est. Idem alibi, Mora celerrimè pertranseunt, inquit, cibísque aliis præeunt, si in ventriculũ purũ inciderint, & sumpta primis epulis fuerint. At sumpta post alios cibos, vel si etiã prauum succum in ventriculo offenderint, celerrimè vna cum aliis cibis corrumpuntur, nouo quodam corruptionis genere, & quod verbis explicari nequeat, vt in cucurbitis accidit. Tempus eis vtendi vt Peponibus, cum corpus ventriculi squalore æstuat, quo tempore necesse quodammodo est, hepati quoque idem accidere. Cucurbitæ quidem, & Cucumeri tum maturo, tum ante maturitatem, adhæc & Melopeponi nulla adstringens qualitas inest, Moris verò, & potissimùm cum nondum admodum maturuerint, qualitas eiusmodi conspicuè inest, immaturioribus autem, simul & acida. Proinde nonnulli ab arbore ipsa detrahentes ac siccantes reponunt, medicamentum ad dysenteriæ ac diuturnæ diarrhææ curationem vtile futurum. Quod celeriter subducantur accidit propter solam substantiæ lubricantem humiditatem, fortè etiam propter admistam qualitatem quandam acriorem, quæ deiectioni excitandæ satis esse possit: quia qualitas adstringens non modò ad subductionem nihil confert, verùm etiam suapte natura ventrem moratur. Coniecto igitur mora exiguam in seipsis habere facultatem eiusmodi, qualis magna medicamentis purgantibus inest, cuius beneficio non modò facilè secedunt, sed corrumpuntur etiam, si diu in ventre manserint. Quod si corrupta non fuerint, omnino quidem humectant, non tamen omnino refrigerant, nisi sumpta fuerint frigida. Alimentum autem corpori præbent minimum, quomodo Pepones, non tamen vt ij vomitum excitant, neque stomachum lædunt.

Lib. 3. ca. 18.

Li. 7. simpl.

Li. 2. Alim.

COR

CORNVS MAS, CAP. XV.

VÆ Latinis Cornus, Græcis κρανία vocatur, Gallis *Cornouillier*, Italis *Corniolo*, Germanis *Cornelbaum*, *Kurberbaum*, *Thierlinbaum*, & *Dierlem*, Belgis *Cornoeliebaon*, Hiſpanis *Cerezo ſilueſtre*, Anglis *Cornel tree*, Boemis *Drinkowwy*. Fructus Corna, Gallis *Cornouilles*, Italis *Corniole*, Germanis *Vuelſchkirſen*, & *Cornelein*, Hiſpanis *Cornizolos*. Eius duo genera Theophraſto: alia enim mas, alia fœmina. De Corno fœmina iam diximus, nunc de mare, ſiue ſatiua. Cornus mas arbor eſt ſæpe procera ſatis, vulgarium arborum modo, interdum humilis & fruticoſa, virgis numeroſis, ex breui caudice naſcentibns, nodoſis, firmis, robuſtíſque. Tota arbor ſcabro contegitur cortice, adſtringenti admodum guſtu: folia illi ſunt virgæ ſanguineæ, læuia, mediocriter craſſa, ac venoſa. Flores edit muſcoſos, aurei coloris, ex quibus baccæ oriuntur, rubentes, oblongæ, oliuæ figura, præduro intus oſsiculo. Cornus, inquit Dioſcor. dura arbor eſt, baccas ferens oliuæ modo oblongas, quæ primùm virent, dein per maturitatem rubeſcũt, aut ceræ colorem referunt, interprete Ruellio vulgares Codices ſecuto. Vetus autem Codex ſic habet, κρανία δένδρον ἐστιν ἄδρον, καρπὸν φέρον ὡς ἐλαίας, ἐπιμήκη, χλωρὸν μὲν πρῶτον, ἔπφτα δὲ κηροφδῆ, καὶ τελευταίως ὑπερυθρόμενον ἐρυθρόν. Id eſt, Cornus arbor grandis & valida eſt, fructum ferens oblongum inſtar oliuæ, primò quidem viridem, deinde verò cęreo colore ſuffuſum: denique cum perfectè maturus fuerit, rubentem. Cornus alia mas eſt Theophraſto, alia fœmina. Vtrique folium Malo (aut vulgari, aut Cydoniæ,) ſimile, niſi pinguius, craſsiúſque eſſet, cortex neruoſus, tenuis, caudex, non valde craſſus. Virgas vtraq;, vt vitex profert: fœmina quamuis fruticoſior, minores. Nodos habet vtraque Viticis modo geminos, ex aduerſo collocatos. Materies maris excors, totáque ſolida, cornibus ſpiſsitate firmitatéque ſimilis: fœminæ verò materies medullam continet, molliórque eſt, & cauatur, ad iacula ob id inutilis. Maris longitudo duodecim maxima cubitorum eſt, quanta ſariſſarum longiſsimarum. Nunquam enim totus caudex altius aſſurgit. Qui Idam Troianam incolunt, marem ſterilem dicunt, fœminam fructiferam. Nucleum fructus habet ſimilem Oliuæ, guſtu dulcis, & gratus odoratu: flos Oleæ ſimilis eſt. Floret fructúmque fert ſimili modo, ex vno pediculo multa Corna præbens, & eodem ſæpe tempore quo Oleæ. At Macedones fructiferas ambas affirmant, ſed fœminæ fructum eſculentum non eſſe. Radices, Viticis modo, validæ & incorruptæ. Naſcitur in locis humidis, & non in ſiccis. Prouenit ſemine, atque auulſione. Hæc Theophraſtus, in quibus non ab re miratur Matthiolus, Theophraſtum Corni folia cum Amygdalæ foliis, vt vulgo legitur, multum diuerſis conferre. Quapropter mendoſos hoc loco Theophraſti Codices eſſe ſuſpicatur. Cornus circa ſolſtitia reddit fructum primo candidum, poſtea ſanguineum, inquit Plinius. Ex eo genere fœmina poſt Autũnum fert baccas acerbas, & inguſtabiles cunctis animantibus: ligno quoque fungoſa & inutilis, cum mas è fortiſsimis quoque ſit: tanta differentia ab eodem genere

Nomina

Lib 3. Hiſt. cap. 12. In Dumet cap. 34. Matth. lib. Dioſc. c. 35.

CORNVS MAS.

Lib. 1. Hiſt. cap. 12.

Locus.

Tempus. Li. 16. c. 26.

fit. Cornus satiua in hortis & viridariis colitur, cito floret: primo enim fauonio
Locus. germinat, vel teste Plinio, mense Augusto fructus maturus est. Corna in cibo
Lib.16.c.25. valde adstringunt, vt rectè scribit Dioscorides, pro fluuio alui, atque dysente-
Tempus. riæ salutaria, siue in edulo, siue in defruto exhibeantur. Muria vt diuæ condiun-
Vires & Temper. tur. Sanies quam virentia folia torrendo desudarunt, impetigini conuenienter
Lib.1. c.135. illinitur. Sudor virgæ Corni arboris lamina ferrea candente exceptus, inquit
Lib.23. c.8. Plinius, non contingente ligno, illitáque inde ferrugo incipientes lichenas sanat, in quo certè medicamento maior vis ferruginis videri potest, quam vel saniei ex foliis, vel sudoris ex virgis, & ligno. Corni arboris fructus, inquit Gale-
Li.7.simpl. nus, admodum acerbus est, esui aptus. Itaque mirum videri non debet, ipsum valenter ventrem adstringere, sicut & Mespila. Folia quoque & germina gustu acerba sunt, valentérque desiccant. Itaque maxima vulnera glutinare possunt, potissimum durorum corporum. At paruis vulneribus, & mollioribus corporibus magis contraria sunt: nam nimium ea contendunt, ac plus satis desiccant.
Matthi.ibi. Fit ex Cornorum pulpa conditum diacydoniti non absimile. Ex eorundem decocto & Saccharo liquor igne concrescit, qui præter quam quod gustui gratissimus sit, etiam datur vtiliter dysentericis, ac fœminis profluuio mensium laborantibus. Corni arbores prope aluearia non conserendæ: nam Apes flore eius
Plin.lib.21. cap.12. degustato aluo concita moriuntur, cum contrarium in homine effectum præstet. Corni masculæ nulla medulla, inquit Plinius: ac rursum: omnibus quæ di-
Lib.16.c.25. ximus spissa firmitas. Ab his proxima est Cornus: quanquam non potest videri materies propter exilitatem, sed lignum non alio pene quàm ad radios rotarũ vtile: aut si quid cuneandum sit in ligno, clauísque figendum, ceu ferreis.

SORBVS. CAP. XVI.

Nomina ARBOR Sorbus ὀῆ, & ὄυη Græcis nuncupatur, Gallis *Cormier*, & *Sorbier*, Germanis *Speruuerbaum*. Fructus ὄυα, & ὀα, Latinis Sorba, Italis *Sorbe*, Gallis *Cormes*, & *Sorbes*, Germanis *Spererling*, *Sporoepffel*, & *Sperbieren*, Hispanis *Sorbas*, Boemis *Kzerbiny*. Sorborum differentias aliquot nouit
Genera. Lib.3. Hist. cap.12. Theophrastus, qui scripserit, Sorborum duo esse genera, fœminam fructiferam, marem sterilem. Cæterum fructu differunt, quod aliæ orbiculatum, aliæ oblongum, aliæ ouatum ferunt. Distant etiã succis. Nam magna ex parte orbiculati odoratiores sunt & dulciores: ouati sæpe acidi, & minùs odorati. In vtraque folij totius pediculus longus, ac neruosus est: singula verò foliola ordine digesta pinnis similia, è lateribus exeunt, perinde ac si id vnicum folium sit, ad neruosum vsque pediculũ, tanquam in lacinias diuisum. Cæterum ea, quamuis densa, à sese tamen inuicem distant, deciduntq; non singillatim, sed simul tota illa pinnata congeries, minor, quidem in arbore vetustiore, & asperiore. (Gaza tamen pro περὶ τὰ μὴ ἐπιπολαιότερα legit περὶ τὰ μὴ παλαιότερα, id est, in vetustioribus) omnibus in summo petiolo folium est impar, vt etiam omnia sint imparia, figura Lauro tenuifoliæ similia, verũ serrata, quamuis haud multum, nec in extremo tam acutè mucronata, sed rotundiora.

SORBVS.

Forma

Florem

Florem habet racemosum ex vna veluti claua, (id est, fastigiato in thyrsum cacumine,) ex multis paruis, & albis constantem. Fructus quoque, cum magnus est eius prouectus, racematim coit: multis Sorbis eodem vertice pendulis, ita vt faui quodammodo speciem gerat. Eroditur à vermibus in arbore fructus immaturus adhuc, magis quam Mespila, pira, & Piraștri fructus, quamuis sit omnium acerbissimus (nam sic emendandi vulgati codices, σκωλικόβρωτος ἐπὶ τῷ δλένδρῳ ὁ καρπὸς ἄπεπτος ὢν ἔτι, γινόμεν μᾶλλον τῶν μεσπίλων, καὶ ἀπίων, καὶ ἀχράδων & cætera.) Ipsa quoque arbor vermibus infestatur, atque ita senescens aresçit. Vermis ei peculiaris rubor est, & pilosus. Noua mediocriter fructificat: nam trima cõtinuo parit. Autumno cum folia deciderint protinus cachryos figuram ostẽdit, pinguis, ac turgidæ quasi iam parturiat, & hieme perdurantis: Caret aculeis Sorbus, nec vt Mespilus spinosa est: cortice leui & subpingui nouæ vestiuntur, colore in flauum albicante (reponendum enim, ἅπερ μὴ τὰ γερόνδρυα, pro ὥσπερ τὰ γερόνδρυα) in annosis scabro & nigro. Arbor ipsa procera est, recta, decora coma: quæ magna ex parte Nucis pineæ figuram propemodum æmulatur, si nihil impediat: materies solida, spissa, colorata, robusta. Radices non multas habet, neque altè descendentes, validas tamẽ, crassas & incorruptas Nascitur radice, auulsione, semine. Solum frigidum amat & humectum, in quo etsi viuacior sit, & difficile corrumpatur tamen etiam in montibus nascitur. Hactenus Theophrastus de Sorborum generibus, & forma. Sorbis Plinio quadruplex differentia. Alijs enim eorum rotunditas Mali, alijs turbinatio Piri, alijs ouata species, ceu malorum aliquibus. Hæc obnoxia acori. Odore, & suauitate, rotunda præcellunt: cæteris vini sapor. Generosissima quibus circa pediculos tenera folia. Quartum genus torminale appellant. Matthiolus Sorba alia satiua esse tradit, alia siluestria. Satiuorum duo esse genera, marem, & fœminam. Vtraque, inquit, caudice est longo, recto, ramis in altum assurgentibus: folio Fraxini, sed angustiore, auersa parte albicante, per ambitum serrato. Album edit florem, racematim prodeuntem, è quo fructus exeunt in racemi modum, ab vno tantum exortu pediculos ducentes, in altera quidem orbiculati, & succo odoratiore, ac mitiore, in altera verò ouati Piri faciem referentes, & gustu aspériores, insuauioréſque, ac minùs odorati, colore sub pallido, & in iatere rufescente. Decerpuntur immatura Autumno, & in manipulos colligata suspendun tur, vel reponuntur substratis straminibus, vt miteſcant, aliter præ nimia austeritate nec mandi, nec deglutiri possunt. Ligni materies solidissima, & valdè compacta. Cortice vestitur satis scabro, colore ex flauo albicante. Radix illi rara, crassa, solida. Siluestris sorbus, siue Torminalis à satiua facie ferè non differt, præterquam fructu, qui vmbellatim vt in Sambuco prodit, crocantibus in rufum baccis, Oxyacanthæ similibus, magnitudine ferè paribus, sapore tamen à satiuis non parum diuerso, quæ per hiemem à rusticis ad aucupia asseruantur sunt enim turdis gratissimæ. Huius descriptionem in Silua tradidimus, simul & Cratægi capitibus 32. & 33. cui folium Viti aut Platano simile, læue, firmũ, baccę oblongæ, teretes, asperiusculæ, racematim cohærentes, longo pediculo subnixæ, coloris ferruginei, acidæ, & austeræ: arboris satis proceræ, cortice læui, materia dura, & minimè fragili: libuit tamen hac narratiuncula velut: refricare memoriam lectoris, & vtriusque figuram accuratius expressam, ac venustius, hîc addere. Sorbus satiua in hortis & viridariis colitur. Martio mense floret, Septembri fructum maturat. Sorba, inquit Dioscorides, dum luteus color est, priusquam matureſcant dissecta, & sole siccata manduntur, vt aluum sistant. Eadem est vis farinæ molitorum, si polentæ loco sumatur, quod & decoctum eorum in potu præstat. Sistũt aluum Sorba sicca, Plinio: nam recentia

Locus. Lib. 15. c. 21. Li. 1. Dioſc. cap. 136. *Forma fatiu. Sor.* In syl. c. 32. Ibidem. *Locus. Tempus. Vires & Temper.* Lib. 23. c. 7.

SORBVS SYLVESTRIS Matthioli, Torminalis vera.

CRATÆGVS THEOPH. Sorbus Torminalis Matthioli.

Lib.8. fim. ſtomacho, & aluo citæ proſunt. Sorbi fructus, autore Galeno adſtringentem obtinet qualitatem, ſed multo imbecilliorem quàm Meſpilus, quare etiam eſui iucundus eſt, minúſque quàm Meſpilus ventrem conſtringit.

MESPILVS, CAP. XVII.

Nomina

ARBOR quæ Græcis μέσπιλος & μεσπίλη dicitur, Latinis *Meſpilus*, Gallis *Neſſlier*, *Meſplier*, *Meſlier*, Arabibus *Zarar*, ſeu *Zarur*, & *Alzarur*, Italis *Neſpoli*, Germanis *Neſpelbaum*, Boëmis, *Nyſſpule*: Angl. *Mederre*: & *Medeler*, fructus μέσπιλον, Latinis ſimiliter Meſpilum, Gallis *Neſſle*, *Meſple*, *Meſle*, Germanis *Neſpel*, Hiſpanis *Neſperas*. Meſpili genera hæc ſunt ex Theophraſto, Anthedon, Satanios (Plinius Setanios legit) Anthedenœides, vt diuidunt Idæi. Satanios fructum fert maiorem, candidiorem, laxiorem, & qui nucleos habet molliores. Reliquis minor eſt fructus, odoratior, ac & acerbior, vt diutius aſſeruari poſsit. Spiſsior etiam his materies, & flauior, cætera ſimilis. Flos omnibus Amygdalæ, ſed non rubens, vt illi, ſed vtcumque pallidus. Anthedon haud procera eſt arbor (legendum enim videtur, μεγέθει ὑ μέγα τὸ δένδρον, quamuis ſcripſerit Plinius, vt mox dicemus, arborem de ampliſſimis eſſe, & Gaza verterit, magnitudine arbor iſta excellit) in orbem comoſa: folio valde fiſſo (Gaza perperam legit ἄχιστον, & vertit infiſſum: exemplaria noſtra habent ἐπίλυχνιδὲς, legendum verò πολυχνιδὲς) Apio in extrema parte ſimili, maioribus inciſuris (non vt Gaza cum vulgatis exemplaribus legit, μείζοσι χήμασι, ideſt ampliore figura, cum legendum ſit μείζοσι χίσμασι) rigido, neruoſo, Apij foliis aſperiore, longiore (τέλανον, ἰνῶδες, λεπρότερον σελίνου. Gaza, promiſſum

Lib.2. Hiſt. cap.12.

Li.5.ca.20.

missum, neruosum, Apio tenuius, quia λεπτότερον σελίνου legit) atque vndique fissuris laciniato: fructu ex longo ac tenui pediculo pendulo, qui antequam folia decidant, vehementer rubet (quæ enim in libris excusis habentur, καὶ τὸ ὅλον καὶ κλάσματα περικεχαρμένον ἢ ὅλον. μίσχον δὲ ἔχει λεπτόν, μακρὸν, videntur sic emendanda, καὶ τὸ ὅλον κατὰ σχίσματα, vel καλαχίμασι περικεχαραγμένον, μίσχον ἢ ὁ καρπὸς ἔχει λεπτόν, & cætera, quæ Gaza interpretatus est, totúmque circumtunsum est, & pediculo tenui ac longo dependet, antequam decidat vehementer rubet, & Plinius, folia antequam decidant rubescunt) Arbor hæc radice numerosa & alta nititur, ideóque longæua, & mori contumax. Ligno est denso, solido, putredini minimè obnoxio. Seritur semine & auulsione. Morbus earum arborum in senecta, vt à vermibus erodantur, qui prægrandes eis & diuersi quàm in cæteris arboribus cernòtur. Hæc Theophrastus, ex quo Plinius sua mutuatus Mespilis inquit, tria genera, Anthedon, Setania: tertium degenerat, tametsi Anthedoni similius est, quod Gallicum vocant. Setaniæ Maius Pomum, candidiúsque, acini molliore ligno: cæteris minus Pomum, sed odore præstantiùs, & quod diutius seruetur. Arbor ipsa de ampliſsimis. Folia antequam decidant, rubescunt: radices multæ, atque altæ, & ideo inextirpabiles. Non fuit hæc arbor in Italia Catonis quo. Dioscorides duo tantum constituit genera. Μέσπιλον τὸ δλένδρον, inquit, ὁ παρ' ἐνίοις ἀρωνία καλεῖται, & cætera, Mespilus arbor quæ à nõnullis, Aronia vocatur: ac rursum, Μεσπίλου δὲ καὶ ἕτερόν ἐστιν εἶδος, ἐν ἰταλίᾳ γεννώμενον, ὃ ἔνιοι ἐπιμηλίδα καλοῦσι, οἱ δὲ σιτάνιον ὀνομάζουσι. Alterum Mespili genus in Italia nascitur quod aliqui Epimelida, alij Setanion vocant. Quamquam in quibusdam manuscriptis exemplaribus legatur. Μεσπίλου ἢ ἕτερόν ἐστιν εἶδος ἐν ἰταλίᾳ γεννώμενον, ὃ ἔνιοι ἐπιμηλίδα καλοῦσι, καὶ ἕτερον δὲ σιτάνιον ὀνομάζουσιν, idest, Alterum genus Mespili in Italia nascitur, quod nonnulli Epimelida vocant, atque alterũ quod Sitanion, vt tria sint etiam Dioscoridi Mespili genera. Aronia quæ Anthedon est Theophrasti, Epimelis quę Anthenoides, & Setanios. At Mespilum Italicam

Li. 15. c. 20.

Lib. 15. c. 20.

Li. 1 ca. 133.

MESPILVS
Aronia.

à Dioscoride Epimelida nuncupatam omnes fere herbarij Mespilum nostratem esse autumant, id quod etiam Matthiolus existimat, sed Galenum Epimelidis appellatione aliam arborem à Mespilo nostrate diuersam intellexisse. Quibus refragatur Dalechampius, ex cuius sententia Epimelidem lõge aliam, siue Anthedonoeidem Theophra. iam descripsimus. Mespilus Aronia siue Tricoccos, siue Anthedon Theophrasti, plurimùm etiam à Mespilo nostrate differt, estque arbor Dodon. Cordi, Matthioli sententia quæ *Azarolo*, à Neapolitanis Arabes secutis vocatur, qui Mespilum *Zaror*, & *Zarur*, & *Alzarur*, nuncupant. Est enim arbor mediocris, proceritatis corticeque materia Pruno non absimili, spinis horrida, non tamen admodum acutis: foliis laciniatis, Apij æmulis, floribus albicantibus, racematim cohærentibus: fructu rotundo, rubente, vulgaribus Mespilis æquali, sed minore vmbilico, tribus tantum intus osiculis, adeo graphicè depicta à Theophrasto, vt fusius explicare nihil sit opus. Eius quoque præcipuas notas sic Dioscori

Lib. 1. Dios. cap. 133.

In Dume. cap. 35.

Nomina

Forma.

Aronia.

Lib. 2. c. 133. Dioscorides literis mandauit. Mespilus Aronia spinosa arbor, foliis Oxyacanthæ (sic enim legendum, non Pyracanthæ, nec Pyxacanthæ) fert Pomum suaue, exiguo Malo non dissimile, tribus intus ossiculis: qua ex causa id nonnulli Tricoccum appellauêre. Mespilus Setania, siue Setanios nostras est vulgaris Mespilus, quæ in syluis, dumetis, sepibus nata spinosa est, Malo inferior: folio Lauri, longiore, per ambitum nonnihil serrato: flore Amygdalę, pallido, Pomo non exquisitè rotundo, sed ferè turbinato, incano, initio tam acerbo, vt edendo non sit priusquam hiemis frigoribus mollescat, superiore parte cristato, & circumextantibus herbaceis apicibus vmbilicato, grandiore quã in aliis Mespilorum generibus vmbilico, laxiore, candidiore, quinis intus ossiculis. Arbor hęc frequenti insitione in viridariis & hortis mitescens, feritate deposita Pomũ edit magnitudine par cęteris Malis, nec spinis horret. Mespilus Aronia Neapoli copiosa seritur in viridariis, hortis, & vineis. Fructus Septembri tantum mense matureścit: Setania Aprili & Maio mensibus floret, fructum Septembri etiam perficit. Mespilus Aronia, inquit Dioscor. tardè matureścit, esu adstringit, stomacho grata est, aluúmque supprimit. Mespila Plinio, exceptis Setaniis, quę Malo propiorem vim habent, reliqua adstringunt stomachũ, sistúntque aluũ. Mespilorũ nostrarũ inquit Dodonęus, fructus & folia refrigerãt, siccant, & astringunt. Mespili fructus, Galeno teste, admodũ acerbus est, vixque edi potest, strennuè ventrem coercens. Quin & in germinibus, & foliis acerba hęc qualitas non pauca reperitur. Idem alibi, Ambo adstringunt, inquit, sed multo fortiùs Mespila quàm Sorba. Quamobrem aluo fluenti in cibo accommodatissimè exhibentur: Sorba tamen ipsis sunt suauiora. Prorsus namque nihil acerbi, vt Mespila obtinent, sed succus eorum citra acerbitatem austerus est. Illud porrò neminem puto latere hæc omnia parcè nõ affatim, vt ficus, vuásque esse comedenda: nequaquam enim eis vt cibis, sed vt medicamentis potius indigemus. Mespila Aronia siue Azarola gustui placent, & Neapoli pro delitiis non solùm cruda expetuntur in cibis teste Matthiolo, sed etiam saccharo melléque condita eduntur, grauidis mulieribus gratissima, non solùm quod sapore placeant, sed earum etiam malaciæ subueniant. Vulgaria nostra Mespila eodem auctore deuorata cœliacos, & diarrhæa laborantes iuuant: sistunt faucium, gutturis, dentium, & gingiuarum fluxiones, si eorum decocto os colluatur. In eo si insideant fœminæ, mensium abundantia sistitur, fit è siccis Mespilis Rosarum succo exceptis, additis Caryophyllis, & Coralli rubri, & Nucis muscatæ tantillo cataplasma ori ventriculi admouendum, ad compescendas vomitiones, in quibus præsertim cibus reiicitur. Sicca folia in puluillum trita, & aspersa, recentia vulnera glutinant, & sanguinis profluuium sistunt. Dantur quoque vtiliter ad cruentas reiectiones, denique ad ea quæ adstrictionem corroborationémque desiderant, tum folia, tum fructus plurimùm valent. Mespilorum ossicula in puluillum redacta, calculos ex renibus pellunt, si cochlea

Forma Setaniæ.

MESPILVS Setaniæ.

Locus.

Tempus.

Ibidem.

Vires.

Lib. 23. c. 7.

Lib. 6. c. 43.

Lib. 7. fin.

Li. 2. Alim.

Li. 1. Dioscor. cap. 133.

ſi cochlearis menſura ex vino in quo vulgaris Petroſelini radices decoctæ fuerint, bibantur.

FICVS, CAP. XVIII.

FIcvs arbor, συκὴ Græcis eſt, Gallis *Figuier*, Germanis *Feighenbaum*, Belg. *Friguenbaum*, Angl. *Figge tree*, Boemis *Fukſtepei*. Fici fructus σῦκα, Latinis Fici, & Ficus, appellantur, Arabibus *Sin*, *ſin*, ſeu *Tin*, Italis *Fichi*, Germanis *Feighen*, Hiſpanis *Higos*, Gallis *Figues*. Fici genera duo: eſt enim Ficus ſylueſtris, & ſatiua ſylueſtris συκὴ ἀγρία, & ἐρινεὸς à Galeno appellatur, à Latinis Capri ficus. Caprificus vocatur è ſylueſtris genere Ficus inquit Plinius, numquam matureſcēs. Fructus eius σῦκον ἐρινεοῦ: Satiua συκὴ, ἥμερος. Fructus σῦκον, vt dictum eſt. Tam ſylueſtris fructus nunquam matureſcens, quàm ſatiuæ nondum maturus ὄλυνθος, nominatur, Latinè Groſſus. Dioſcorides olynthos etiam erineos vocari ſcripſit, Macrobius, Groſſos, Ficos quæ numquam matureſcunt. Sed Groſſi propriè Olynthi ſunt, hoc eſt primitiuæ Ficus vtriuſque generis. Siccæ ἰσχάδες, Latinè Caricæ, non autem καρικὴ Græcè, vt quidam putant, quòd Carica peculiaris ſit Ficus in Syria prouenientis ſpecies. Syria peculiares habet arbores inquit Plinius. In Nucum genere Piſtacia nota, in Ficorum autem, Caricas, & minores eius generis, quæ cottana vocant. Paulus tamē καρίκιον pro Ficu arida videtur vſurpaſſe, cum ſcribit, aut καρίκης drachmo octo, Sampſuchi drachma, tritis cum oleo, donec cerati fiat ſpiſsitudo vtitor. Hic καρίκη nihil aliud eſſe videtur, quàm quæ ἰσχὰς quoque Græcis dicitur. In auctione vitarum Luciani, de Epicuro quærit licitator, quibus eduliis delectetur, reſpondet Mercurius, dulcibus veſcitur, & mellitis, καὶ μάλιστα, inquit, τὰς ἰσχάδας. Subiicit licitator, χαλεπὸν μὴν ὄδεν, ὠνήσομαι δὲ αὐτῷ παλάθας τῶν καρικῶν. Siue itaque à loco, ſiue aliunde nomen habet Carica, Græcis & Latinis vſurpatur. Habetur etiam apud Hippocratem Caricum medicamentum duplex, aridum, & liquidū, ſed neutrū Caricas recipit, neque à Caricis nomen habet, ſed à Carum gente, quibus erat in multo vſu, appellatum fuiſſe videtur. Ficus noſtræ ſatiuæ fructum figura coloréque differunt. Alij enim Piri ſpeciem referunt, alij ſeſiles ſunt, alij inter hos medij. Aliæ Ficus albæ, aliæ nigræ, aliæ purpureæ, aliæ virides, aliæ ſubrufæ, aliæ pallidæ, aliæ vario colore ſpectantur. Ad nos, inquit Plinius, ex aliis tranſiere gentibus, Chalcide, Chio, quarum plura genera. Siquidem & Lydiæ quæ ſunt purpureæ, & Mamillanæ ſimilitudinem earum habent: & Calliſtruthiæ parum ſapore præſtantiores, Ficorum omnium frigidiſſimæ. Alexandrina è nigris eſt, candicante, rima, cognomine delicatæ, vel vt in vetuſto codice Parmenſi legitur, Candicat Therina cognomine delicata. Nigra & Rhodia eſt, & Tiburtina de præcocibus. Sunt & auctorum nomina iis, Liuię, Pompeię. Siccandę hæ ſole, in annuos vſus aptiſsimę, cum mariſcis, quas harundinum folij macula variat. Eſt & Herculanea, & Albicerata, & Aratia vel Aritia, alba, pediculo minimo, latiſsima. Primo autem prouentu Porphyritis, longiſsimo pediculo. Comitatur eam è minimis, & viliſsimis popularis dicta. Cōtra nouiſsima ſub hieme maturatur Chelidonia. Sunt præterea eędem, quæ tamen dictio in manuſcripto non extat, ſerotinæ & præcoces, biferæ, alba & nigra, cum meſſe vindemiáque matureſcentes. Serotinæ, & Duracinæ à corio appellatæ duro: ex Chalcidicis quarundam trifero prouentu. Tarenti tantum prædulces naſcuntur, quas vocant Omas (in manuſcripto Oenas, quidam Oenas à vini ſapore.) Præterea Ficus Cypriæ meminit Theophraſtus, item Indicæ, cuius etiam hiſtoria eſt apud Strabonem, & Plinium, quæ à noſtratibus ficis diuerſiſsimæ ſunt. De ficu Ægyptia Plinij ſuo loco dicemus. De Ficu Idæa, iam diximus. Nūc de noſtrate Fico ſatiua dicemus. Ficus arbor eſt caudice

Nomina

Genera.
Lib. 8. ſim. Li. 15. ca. 19.

Li. 1. c. 145.

Hermol. cero. cap. 185. libr. 1. Dodo. libr. 6. cap. 46. Li. 15. ca. 5.

Lib. 4. c. 13.

Lib. de vlc.

Genera.
Matth lib. 1. Dioſcor. cap. 145. Li. 15. ca. 18.

Li. 4. Hiſt. cap. 2. & 5. Li 15. Geot. Lib. 12. c. 5. In Du. c. 37. In Sil. . 43. Matt. lib. 4.

ſæpius

FICVS.

Forma.

Lib.15. ca.19.

ſæpius contorto & breui, ſubalbicante libro, lacteóque ſucco madente, guſtu adſtringente, acri & amaro, ita vt vlcerare poſsit. Ramos quos priuatim Cradas vocant plurimos emittit, medulla plenos, ramulorũ Sambuci modo, læui cortice contectos: folia vitiginea, ampla, nigricantia, aſpera, firma, rotundis ac robuſtis pediculis nixa. Hæc arbor non floret, à foliorum exortu extremis tantùm ramis fructus edit turbinatos, & varios, vt dictum eſt. Materies illi alba, & fungoſa, vt viti, tenax tamen, & ad ſcuta paranda peridonea. Radices multæ, ſed ſumma tellure vagantes, quam ob cauſam frigoris eſt impatiens. Fructibus immaturis ſuccus lacteus, maturis & percoctis melleus eſt. Molli præterea iis pulpa eſt, cibo gratiſsima, granis multis referta, quæ ficaria grana, Græci κεγχρομίδας vocant, Plinius frumenta. Ficis mollis omnibus tactus, maturis frumenta intus. Cæteris præferuntur qui maturi rimoſa ſunt cute, & qui pulpæ pinguedine, dulcedine, atque ſapore alios antecellunt. Matureſcunt autumno, Auguſto, & Septembri menſe. Sed Groſsi æſtate perficiuntur. Decerpuntur maturi, & in ſole ſiccantur cratibus, non ſolùm ad ciborũ, ſed etiam ad medicamentorum vſum. Sicci in cadis ligneis aſſeruantur. Ficus arbor in Hiſpania, Italia, & Gallia Narbonenſi copioſè prouenit: in frigidioribus regionibus, non niſi in hortis & viridariis, locis apricis, & à Septentrione auerſis. Ficum ſic inuerſo ramo ſerere, vt quod cœlum aſpicit in arbore ſua humi defigatur, nuper excogitarunt ſolertium hominũ curioſa ingenia: qua ratione factum eſt, vt in vaſis fictilibus depacta planta huc illuc transferri queat, & ſemper humilis atque pumila ſit, cubito vix vnquam maior, nec tamen fructuum minus præbens, quàm ſi arboreſceret: ſpectaculo quidem in viridariis & hortis iucũdiſsimo, cũ eo modo conſitæ multæ virent in ambulationũ marginib⁹, quarum pomũ inclinato corpore legatur, aut in cœnaculorum feneſtris, veſtibuliſque palatiorum diſpoſitis vrceis nitent, & per aſperam hyemem in ſubterraneis tepidiſque locis abditę, citius reliquis germinant, & fructũ edunt. Ficus maturæ recentes, inquit Dioſcor. ſtomachum lædunt, aluum ſoluunt, ſed facilè contracta ab eis fluxio ſiſtitur: ſudorem euocant, papuláſque, ſitim ſedant, calorem reſtingunt. Siccis natura excalfaciendi, vires alunt, ſed ſitim magis ſtimulant, aluo vtiles, rheumatiſmis ventris, & ſtomachi contrariæ: gutturi autem, arterię, renibus,

Locus.

CHAMAESYCE
Arbor.

Lib.1.c.145. *Vires & Temper.*

renibus, vesicæ, & iis quos longa valetudo decolorauit, anthelatoribus, hydropicis, comitialibus aptissimæ. Feruefactæ cum hyssopo, & potæ, thoracem purgant: tussi veteri, diuturnisque pulmonum vitiis conueniunt: aluum molliunt tusæ cum Nitro, & Gnico, deinde manducatæ. Decoctum arteriæ, & tonsillarum inflammationibus gargarizatu prodest. Cum Hordeacea farina cataplasmatis miscentur, & in mulierbres forus cum fœnogræco, & ptisana. Cæterùm cum Ruta coctæ torminibus infunduntur: coctæ illitæque duritias discutiunt: parotidas & furunculos emolliunt: panos ad maturitatem perducunt, maximè Nitro, Iri, aut Calce addita. Crudæ si cum antedictis tundantur, eadem efficiunt: cum Malicorio pterygia purgant: cum Atramento sutorio, deploratis ferè tibiarum fluxionibus, & cacoethicis vlceribus medentur: quin & cum vino decoctæ addito Absinthio, & Hordeacea farina, vtilissimè hydropicis illinuntur. Crematæ cum cerato sanant perniones: prurigines, sonitúsque, si crudæ terantur, & Sinapi, liquoréque aliquo exceptæ auribus instillentur. Tam syluestris quàm satiuæ Fici lacteus succus coaguli modo lac contrahit, concretúmque dissoluit, vt acetum: exulcerat corpora, meatus aperit, soluit aluum, vuluam recludit cum trito Amygdalo potus: menstrua ciet cum luteo oui appositus, aut Tyrrhenica cera: podagricorum cataplasmatis cum farina fœnigræci & aceto vtilis: lepras, lichenas, vitiligines, vitia cutis in facie, psoras, vlcera in capite manantia, cum polenta ex purgat: instillatus plagæ percussis à scorpione, venenatorum ictibus, & rabiosi canis morsibus auxiliatur: prodest dentium dolori lana exceptus, & cauis eorum inditus: verrucarum formicationes tollit cum adipe, circumlita in ambitu carne. Hoc idem præstat succus è teneris ramis syluestris Fici, qui lacte prægnantes, silente adhuc oculo, tusi exprimuntur. Is siccatus in vmbra reponitur. Et lac & succus adduntur exulceratoriis medicamentis. Decocti cum bubulis carnibus ramuli ficulnei facilem afferunt decoctionem. Lac efficiunt quod magis soluat, si inter coquendum ficulneo furculo, spathæ loco moueatur. Grossi, quæ Erinei à nonnullis vocantur, coctæ, & illitæ, strumas nodósque omnes emolliunt. Crudæ formicas, verrucas, & thymia, nitro, farináque additis tollunt. Folia eadem possunt. Illita cum sale & aceto, vlcera in capite manantia, epinyctidas, & furfures sanant: iis ficosæ extuberationes, & palpebrarum scabritię, perfricantur. Nigræ Ficus foliis, cauliculísque candidæ vitiligines perungũtur, faciunt ad canum morsus, & vlcera quæ Ceria, ideſt fauos vocant. Grossi cum syluestris papaueris foliis, ossa extrahunt: furunculos cum cera discutiunt: contra muris aranei morsus, & scolopendræ venena, cum Eruo & vino illitæ auxiliantur. Fit ex cinere Ficus ram syluestris quàm satiuæ lixiuium, crematis ramorum cauliculis, quod subinde macerari opus est, & inueterascere: siquidem inter causticа intelligitur. Gangręnis prodest: expurgat, & consumit quę excrescunt: eo verò sic vtendum. Spongia hoc lixiuio assiduè imbuta superponitur. Interdum dysentericis, & in fluxiones vetustas, & sinus cuniculatim exedentes, magnósque, instillari conuenier. Et enim purgat, conglutinat, carne replet: & oras committit non secus atque emplastra quę cruentis vulneribus admouentur. Bibitur ad discutiendum sanguinem concretum, & contra prępipitationes, rupta, conuulsa cum Cyatho aquę recenter colatum, addito olei exiguo: cœliacis, dysentericis per se Cyathus prodest: neruorum vitiis, conuulsionibus commodè illinitur ex oleo, vt pote quod sudores moueat: aduersus gypsi potum, & phalangiorum morsus bibitur. Hæc eadem præstant reliqua lixiuia, præsertim quernum: omnia tamen adstringunt. Fici succus lacteus aceti naturam habet, inquit Plinius, itaque coaguli modo lac contrahit. Dioscorides id aliter scribit, ni- Ibidem.

mirũ Fici tam ſylueſtris quàm ſatiuæ ſuccũ lac coagulare, quemadmodum coagulum, & diſſoluere coagulatum, quemadmodum acetum. Redeamus ad Plinium. Excipitur ante maturitatem Pomi, & ſiccatur in vmbra ad aperienda vlcera, cienda menſtrua appoſitus cum luteo oui, aut potus cum amylo. Dioſcorides. Exulcerat corpora, meatus aperit, aluum ſoluit, vuluam recludit cum amygdalo potus: menſtrua ciet cum luteo oui, & cætera. Quod Dioſcorides dixit, panos ad maturationem perducunt, maximè Nitro, Iri, aut Calce addita, vulgata Plinij exemplaria habent, efficacius Calce, aut Nitro addito. Vetus Cornarij manuſcriptum, efficacius Calce, aut Nitro, aut Sinapi addito. Quod in Plinio legitur, Tibiarum vlceribus cum æris flore, pterygiis cum punico malo, vetus codex habet, Tibiarum vlceribus cum æris flore, & parotidi, ac pterygiis cum Punico malo. Quod igitur cum malicorio à Dioſcoride dictum, cum malo punico Plinius legit, & quod Dioſcorides ait μελὰ χαλκάνθυ, ideſt cum Atramento ſutorio, Plinius videtur legiſſe μελὰ χάλκυ ἄνθυς, ideſt cum æris flore, vicinitate vocum deceptus. Quod autem ſequitur in Plinio, aluum ſiſtunt manducatæ, legendum, cient. Quod verò Dioſcorides dixit, prurigines, ſonitúſque, ſi crudæ terantur; & ſinapi, liquoréque aliquo exceptæ auribus inſtillentur, id Plinius non habet, & interpres Ruellius legit σὺν νάπυι καὶ ὑ γρῶ τινὶ, non item Cornarius, qui ſic conuertit: At crudæ tritę ſinapi liquido exceptę, & auribus inditę, ſonitus, & pruritus curant: rectè enim dici cenſet, σὺν νάπυι ὑγρῷ excipiendas eſſe ficus, nec alio opus eſſe humore, quaſi σὺν νάπυι καὶ ὑγρῷ τινὶ legendum minimè ſit, aut etiam pro voce ὑγρῷ ſupponenda vox νίτρῳ, veluti quibuſdam viſum eſt. Quod deinde Plinius ſcripſit, cinis non ex alia arbore acrior, vlcera purgat, & cętera, cinerem hîc lixiuum intelligit, quod Dioſcorides χονίαν appellat. Poſtremo quod omnia lixiuiorum genera adſtringendi vim habere Dioſcorides dixit, hoc reprehendit Galenus. Omne enim lixiuium eius cineris per quem excolatur, naturam adipiſcitur. Quum autem non idem temperamentum omnes cineres habeant, neque etiam lixiuium quod per illos perſtillauit, habebit. Ficus tametſi minus praui ſucci gignant, Galeno teſte, quàm cęteri omnes non modò fugaces, ſed etiam autumnales fructus, non tamen id vitium prorſus effugere potuerunt. Cęterùm hęc ipſis inſunt bona, nempe quod permeabiles ſunt, & facilè in totum corpus peruadunt, penetrántque. Nam & abſtergendi vi pollent haud obſcura, cuius gratia poſt ipſarum eſum nephritici multas arenulas excernunt. Cum porrò autumnales fructus exiguum corpori alimentum præbeant, minimè omnium ficubus id vſu venit. Carnem tamen non compactam, neque firmam generant ceu panis, & ſuilla caro, ſed turgidulam, & ſubinanem, veluti fabæ. Quin ventrem flatibus implent & ipſæ, & non mediocrem huic profecto moleſtiam inferrent, ni etiam celerem deſcenſum eſſent adeptæ, cuius beneficio cum celeriter peruadant, flatus quem excitant, non diu manet, atque ob id minùs cæteris fructibus autumnalibus lædere conſueuerunt. Cæterùm maturæ ficus immaturas non mediocriter antecellunt, quod & in aliis quidem omnibus cernitur fructibus: quamquam non tantum in illis diſcrimen eſt. Siquidem perfectè maturæ ficus paulo minus omni prorſus noxa vacant. Idem ſequenti capite Vuarum facultates recenſens, ſic ſcribit. Ficus & Vuæ quemadmodum inter fructus autumnales principatum obtinent, ita fugacibus omnibus magis nutriunt, minimúmque praui ſucci habent, præſertim cum perfectam maturitatem fuerint adeptę. Quod autem ipſæ nutriant, maximo argumento ſunt ij qui vinearum fructum cuſtodiunt: ſiquidem cum duos menſes ſolis Vuis ac ficubus, quarum cuſtodiæ

Embl. 142. Li. 1. Dioſ.

Lib. 8. ſim. de ſine. Li. 2. Alim.

ſtodię pręſunt, veſcantur (niſi fortè panis quidpiam cum illis edant) obeſi ac pingues fiunt. At caro quæ ex ipſis gignitur, haud quaquam eſt firma ac denſa, quemadmodum ea quæ ex carnibus fit, ſed laxa, ac præhumida. Ob id celeriter etiam, cum veſci iis deſierint, contrahitur, ac conſidet. Idem etiam de ficubus ſiccis diſſerens ſic ſcripſit. Caricæ multiplicem quidem habent vtilitatem, ſi quis tamen largius eſitauerit, ab eis offendetur: non admodum enim probum ſanguinem gignunt: quapropter pediculorum quoque agmen eas comitatur. Incidendi, extenuandíque vim habent, qua & ventrem ad excretionem irritant, & renes expurgant. Iecori autem lienique inflammatione obſeſsis ſunt noxiæ, quemadmodum & ficus, non peculiari quadam eximia facultate, ſed communi dulcium omnium ciborum, ac potuum. Obſtructis autem illis, aut ſcirrho tentatis, ipſæ ex ſeſe nihil proſunt, aut obſunt, ſed medicamentis incidentibus, ac extenuantibus, & abſtergentibus miſtæ non mediocriter auxiliantur. Itaque nonnulli medicorum in his hiemis ac hepatis affectibus exhibent ipſas longe ante cibum cum Thymo, aut Pipere, aut Zingibere, aut Pulegio, aut Satureia, aut Calamintha, aut Origano, aut Hyſſopo. Ad eundem etiam modum ſi Caricæ cum alio quopiam eorum quæ facultatem habent acrem, aut omnino incidendi, ac extenuandi aſſumantur, non ſolùm ſic affectis, ſed ſanis quoque vtiles erunt. Siquidem iecoris meatus per quos fertur alimentum, apertos eſſe non ægrotantibus modo, ſed beneualentibus etiam tutiſsimum eſt. Proinde hoc pacto Ficus cum ſale extenuante, aceto, & Garo præparatas vulgo comedunt, quod id vtile eſſe experientia didicerint. Qui verò cum cibo aliquo incraſſante Ficus ac Caricas edunt, non mediocriter offenduntur. Earumdem temperamenta & vires, idem alibi ſic tradit. Ficus aridæ vim habent excalfaciendi ordine primo, etiam completo, aut ſecundo incipiente. Habent verò etiam partium tenuitatem quandam. Ex iſtis duobus idoneæ ſunt, quæ tumores duros concoquant: ſtatim verò etiam diſcutiunt. Atque ipſæ per ſe illitæ eiuſmodi vim obtinent. Verùm vbi magis concoquere conſilium eſt, miſcenda eſt farina triticea: vbi verò plus diſcutere hordeacea. Panis horum in medio eſt. Porrò ſcire oportet, quæ pinguiores ſunt, eas magis poſſe concoquere: quæ verò guſtu acriores, magis tum extergere, tum diſcutere. Cæterùm quod ex iis plurimùm in aqua coctis efficitur, ſimile eſt melli, non ſolùm conſiſtentia, ſed & facultate. Præterea Ficus virides comeſæ propter admiſtam humiditatem facultatis ſunt imbecillioris: ſubducunt tamen aluum vtræque tum humidæ, tum ſiccæ. Ficus arbor calidæ tenuiúmque partium temperaturæ eſt, vt indicant, tum liquor eius, tum foliorum ſuccus: valenter enim eorum vterque calidus eſt. Itaque non mordet tantùm, aut abſtergit vehementer, ſed & vlcerat, & ora vaſorum reſerat, & Myrmecias eiicit: quinetiam purgare poteſt. Porrò Ficus agreſtis, quam Erineum Græci, Latini Caprificum vocant, tum liquor, tum ſuccus ad omnia valentior quàm ſatiuæ. Sed & Cradæ, hoc eſt rami earum, adeo ſunt calido temperamento, tenuiúmque partium, vt carnes bubulas duras, ſi coquendis adiiciantur, teneras, & laxas efficiant. Caricæ duæ aut tres nocte vna in aqua vitæ maceratæ, Matthiolus ſcribit aſthmaticos iuuare, qui mane eas deuorauerint. Ficulneo lacte vermiculoſæ ſanantur aures. Ficulneorum foliorum affrictu facilè citantur hæmorrhoides. Pani optimè maturantur illitis Caricis decoctis, additis Lilij, aut Iridis, aut Althææ radicibus. Democritus præcoces fieri pollicetur, ſi oleo & columbino fimo arbor il-

Libr. 8. ſim.

Ibidem.

linatur: contrà ſerotinas, ſi primæ Groſsi cùm fabæ magnitudinem exceſſere detrahantur. Ficus, vt paruæ admodum ſint, & in vaſculis ſuper feneſtris ſpectentur, ita docuêre Mangones. Vere Fici ſurculum abſcindito, paulo ante germinationem, prominente iam oculo, & manibus contorto cacumine in vaſe terra pleno ipſum ſerito, cacumine inuerſo: circa Hordei Miliique nonnihil aſpergito, terráque obruito, extra eam relicta reſecta parte, fit hac arte, vt ramuli enaſcantur paruuli, qui circum vas ſeſe fundentes breui Ficus edunt, pumila perpetuò manente arbore. Ficum arborem vt laurum è cælo fulminibus non ici compertum eſt.

SYCOMORVS, CAP. XIX.

Nomina Lib.4.Hiſt. cap.2. Lib.23.c.7. & 13.cap.7.

ARBOR Græcis συκόμορος, Latinis Sycomorus, & Ficus Ægyptia nominatur, & Morus Ægyptia Theoph. & Plinio. Arabibus *Mumeiz*, *Aliumeiz*, ſeu *Giumeizi*, Italis *Sycomoro*, & *Fico d'Egitto*, Gallis *Sycomore*, Boëmis *Moruſe*. Aliqui, teſte Dioſcoride, συκάμινον, etiam appellãt. Vocatur & fructus ipſius Sycomorum. Sycomorum eam eſſe arborem quam hîc depinximus, iudicant peritiſsimi herbarij, notis eius inſignibus à vereribus auctoribus traditis huic prorſus conſentientibus. Eſt enim arbor magna, inquit Dioſcorides, Fico ſimilis, frõdoſa, multo lacte abundans, foliis Mori. Pomum ter aut quater anno fert, non ramis, vt Ficus, ſed caudice ipſo, Caprifico non diſsimile, dulcius Groſsis, ſine granis interioribus, quod non matureſcit, niſi vngue, aut ferro ſcalpatur. Gignitur & in Cypro, quod idem ſcriptor tradit, arbor genere diſtans, quæ cum ſit Vlmus: folium tamen habet Sycomori, fructu Pruni magnitudine, multò dulciore, ſupradictis cætera ſimilis. Theophraſtus Morũ Ægyptiã vocat. Ἐν αἰγύπτῳ ἐστὶν ἔνια δένδρα τοιάδε (ἴδια δένδρα ex Plinio,) ἥ τε συκάμινος, καὶ περσέα, & cætera. Ἔστι δὲ ἡ μὲν συκάμινος παραπλησίως τῇ ἐν ταῦθα συκαμίνῳ, καὶ τὸ φύλλον ὅμοιον ἔχει, καὶ τὸ μέγεθος, καὶ τὴν ὅλην πρόσοψιν. τὸν δὲ καρπὸν ἰδίως φέρει παρὰ τὰ ἄλλα, καθάπερ ἐλέχθη καὶ ἐν τοῖς ἐξ ἀρχῆς, ὃ δὲ ἀπὸ τῶν βλαστῶν, οὐδ' ἀπὸ τῶν ἀκρεμόνων, ἀλλ' ἐκ τοῦ στελέχους, μέγεθος μὲν ἡλίκον σῦκον, καὶ τῇ ὄψει δὲ παραπλήσιον: τοῖς χυλοῖς δὲ καὶ τῇ γλυκύτητι τοῖς ἀληθοις, πολὺν γλυκύτερον πολύ, καὶ κεγχρα μίδας ὅλως σὺκ ἔχοντα, πλήθει δὲ πολύ. Καὶ πέπτειν δὲ δύναται, ἂν μὴ ἐπικνισθῇ. ἀλλ' ἔχοντες ὄνυχας σιδηρᾶς ἐπικνίζουσιν. ἂν δ' ἂν ἐπικνισθῇ, τελαρίαια πέπτεται. τούτων δὲ ἀφαιρεθέντων, πάλιν ἄλλα φύεται, καὶ ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου, μυδὲν παραλλάσοντα, καὶ τοῦθ' ἅμα τρὶς, οὐδὲ πλεονάκις φασὶ γίνεσθαι. πολύοπον δὲ τὸ δένδρον σφόδρα ἐστὶ, καὶ τὸ ξύλον ἀνῆκες εἰς πολλὰ χρήσιμον. ἴδιον δὲ ἔχειν δοκεῖ παρὰ τὰ ἄλλα. μηθὲν δὲ ἔτι χλωρὸν, sic enim legendũ, εὐθὺς καταβαίνει εἰς βυθὸν, εἰς βοθρύους δὲ ἐμβάλλουσι, καὶ εἰς τὰς λίμνας ἐντὸς, καὶ ταριχεύουσι. βρεχόμενον δὲ ἐν τῷ βυθῷ, ξηραίνεται. Καὶ ὅταν τελέως ξηρὸν γένηται, τότε ἀναφέρεται, καὶ ἐπινέει, καὶ δοκεῖ καλῶς τότε τεταρίχευται γίνεται δὲ χοῦφον, καὶ μανὸν, ἡ μὲν οὖν συκάμινος ἔχει ταύ-

Forma. Li.1.ca.144.

SYCOMORVS.

Lib.4.Hiſt. cap.2.

τας

τας τὰς ἰδιότητας. ἔοικε ἡ παραπλησία τῆς ἡ φύσις εἶναι καὶ τῆς ἐν κρήτῃ καλουμένης κυπρίας συκῆς. Καὶ ἡ μὲν ἐκείνη φέρει τὸν καρπὸν ἐκ τοῦ στελέχους, καὶ ἐκ τῶν παχυλάτων ἀπερειμένων, πλὴν ὅτι βλαστόν τινα ἀφίησι, μικρὸν, ἄφυλλον, ὥσπερ ῥίζιον, πρὸς ᾧ, vel πρὸς ὃν ὁ καρπὸς: (non πρόσωδε ὁ καρπὸς, vt in vulgatis legitur) τὸ δὲ στέλεχος μέγα, καὶ παρόμοιον τῇ λευκῇ, φύλλον δὲ τῇ πτελέᾳ. πεπαίνει δὲ τέτταρας καρποὺς, ὅσαι πὲρ αὐτοῦ καὶ αἱ βλαστήσεις. ὑδένα δὲ πεπαίνει, μὴ ἐπιτμηθέντος τοῦ ἐρινοῦ, καὶ ἐκρυέντος τοῦ ὀπὸς. ἡ δὲ γλυκύτης καὶ τὰ ἔσωθεν προσεμφερῆ τοῖς συκῆς ἐρινοῖς, μέγεθος δὲ ἡλίκον ὄης μῆλον. Sic enim legendum è Plinio: μέγεθος ἡλίκον κοκκυμήλου: Quę omnia ad verbum transtulit Plinius. Et in Ægypto multa genera quæ non alibi. Ante omnia Ficus, ob id Ægyptia cognominata. Arbor Moro similis folio, magnitudine, aspectu. Pomum fert non ramis, sed caudice ipso. Idque ipsum Ficus est prædulcis, sine granis interioribus, per quam fœcundo prouentu, scalpendo tantum ferreis vnguibus: aliter non matureścit. Id cum factum est, quarto die demetitur, alio subnascente: septeno ita numerosa partu, per singulas æstates multo lacte abundat. Subnascitur, etiam si non scalpatur, fœtus quater æstate, priorémque expellit immaturum. Materies proprij generis inter vtilisimas. Cæsa statim stagnis mergitur, hoc est ei siccari: & primo sidit, postea fluitare incipit, certóque fugit eam alienus humor, qui aliam omnem rigat. Cum innatare cæpit, tempestiuæ habet signum. Huic similis quadantenus quæ vocatur Cypria Ficus in Creta. Nam & illa in caudice ipso fert Pomum, & ramis, cum in crassitudinem adoleuere. Sed hæc germina emittit sine vllis foliis radicis (nempe exilis radiculæ,) similia. Caudex arboris similis Populo, folium Vlmo. Fructus quaternos fundit: toties & germinat. Sed grossus eius non matureścit, nisi incisura emisso lacte. Suauitas, & interiora Fici, magnitudo Sorbi. Hæc Plinius. In eo verò quod Dioscorides dixit Sycomori fructum, Sycomorum etiam διὰ τὸ ἄτονον τῆς γέυσεως appellari, ideśt, propter fatuum gustum, siue ob saporis ignauiam, in quo nulla acrimonia est, perspicuum est à Galeno notari, scribente ridiculos esse eos qui Sycomora aiunt nominata, quod τοῖς μωροῖς σύκοις, ideśt fatuis ficubus similia sint, cum à similitudine quam cum Moro & Ficu habent, nomen eis sit inditum. Quod idem de Sycomoro ait, πολύκομον σφόδρα, ideśt admodum frondosam esse, dubitandi occasionem multis præbuit, sit ne legendum, vt Theophrastus habet, πολύσπον δὲ τὸ δένδρον σφόδρα ἐστί, vt multo liquore ac lacte abundare accipiamus. Ruellius in conuersione sua vtrumque posuit, frondosa, multo lacte abundans, etiam si illud postremum in omnibus exemplaribus desit. Præterea quod Dioscorides scripsit fructum Sycomori non matureścere διχα τοῦ ἐπανιοξῆναι ὄνυχι, ἢ σιδήρῳ, nisi vngue aut ferro scalpatur, hoc Theophrastus, & Plinius vnguibus ferreis fieri aiunt. Causam reddit idem Theopraśtus. Morus Ægyptia fructum caudice fert, quia vegeta est, & fœcunda. Cuius rei argumentum illud est, quod sæpius ex eodem loco ferat, fructu priore dempto. Rectè autem non percoquit, nisi scalpatur, perungatúrque oleo, propter alimoniæ, & influentis succi copiam. Scalptu enim aliquid detrahitur, & oleum vna cum sole calefaciens apertum pomum celeriter coquit. Idem alibi. Morus Ægyptia propter alimenti vbertatem, & humoris copiam fructus concoquere non potest, nisi iis scalptis, & oleo delibutis. Iam verò in hoc etiam à Theophrasto disidet Dioscorides, cum scribit, γίνεται δὲ καὶ ἐν κύπρῳ εἶδος διάφορον, πτελέᾳ δὲ ὅσα, συκαμίνῳ τὰ φύλλα ἔοικε, & cætera. Theophrastus verò, Huic similis quæ vocatur Cypria Ficus in Creta, &c. Deinde: caudex arboris similis Populo, folium Vlmo: at Sorbi magnitudinem Plinius

Lib. 13. c. 7.

Li. 2. Alim.

Lib. 5. caus. cap. 2.

Lib. 1. caus. cap. 22.

Ibidem.

tribuit. Est & apud Theophrastum μέγεθος ἡλίκον κοκκύμηλον, & apud Dioscoridem, fructus pruni magnitudine. Ex tam grauium scriptorum testimoniis perspicuum est, errare eos, qui Sycomorum putant esse arborem, quæ plerumque visitur in cœnobiis, templorum plateis, & Sepulchretis, ex cuius baccis monachi spherulas factitant, quibus mulierculæ suas numerant preces. Eius historia post hac fusè tradetur cap. 24. nomine Zizyphi albæ. Sycomorus *Locus.* Ægypti peculiaris est arbor, teste Theophrasto. Nascitur etiam plurima in Caria & Rhodo, locisque nonnullis tritici multi non feracibus: vbi prouentu fœcundo restibilique iuuamentum adfert, cùm annonæ caritas premit. Perpetuò viret, & sæpius æstate fructus fert. Sycomori pomum, auctore Dioscoride, aluo vtile est, sed per quam exilem præbet alimoniam: stomacho aduersatur. Succus primo vere tenera arbore, antequam fructum ferat eximitur, lapidis ictu summo cortice desquamato: si enim altiore plaga violetur cortex, nihil effluit. Spongia aut vellere lacryma excipitur, quæ siccata, & in pastillos coacta fictili vase reponitur. Vis succi emollit, vulnera conglutinat, discutit collectiones coctioni repugnantes: bibitur etiam, aut illinitur contra serpentium morsus, duratos lienes stomachi, dolores, & perfrictiones, celerrimè teredinem sentit. Plinius. Mora in Ægypto & Cypro quod ait Plinius sui generis sunt, largo succo abundant summo cortice desquamato, altiore plaga siccantur, mirabili natura. Succus aduersatur venenis serpentium, prodest dysentericis, discutit panos, omnésque collectiones, vulnera conglutinat, capitis dolores sedat, item aurium: spleneticis bibitur. Illinitur & contra perfrictiones. Celerrime teredinem sentit. Hæc eadem Plinius alio in loco non de Sycomoro, sed de Moro nostrate perperam scripsit, vt iam annotauimus. Galenus plantam Sycomori vidisse se ait in Alexandria vnà cum fructu, paruæ ficui albæ adsimili. Is fructus, inquit, nullam habet acrimoniam, exiguæ tamen dulcedinis est particeps, estque facultate, vt Mora, humidior quodammodo ac frigidior. Quin potius in medio Mororum ac Ficuum iure quis ipsum collocarit, indéque nomen ipsi arbitror esse positum, ridiculi enim sunt, qui fructum hunc ob id aiunt Sycomora fuisse nominatum, quod fatuis Ficubus sit adsimilis. Ipsius autem generatio ab aliis arborum fructibus quodammodo est diuersa: non enim ex surculis ac germinibus, sed ex ipsis ramis magnis, ac caudice nascitur. Hoc enim loco ad finem ἀκρεμόνων vox pro πρέμνων falsò legitur.

Tempus. Li. 1. c. 144. *Vires & temperam.*

Li. 23. ca. 7.

Li. 16. c. 28 Cap. de Moro. Li 2. Alim.

OLEA SATIVA, CAP. XX.

Nomina

OLEA satiua ἐλαία ἥμερος Græcis est, Arabicè *Zaiton*, seu *Caiton*, Italicè *Oliuo domestico*, Germanicè *Oelbaum*, & *Oliuebaum*: Hispanicè *Oliuo*, & *Azeytuno*, Gallicè *Oliuier*, Belg. *Olieboom*: Anglicè *Oliuetre*, De syluestri Olea iam diximus, nunc de satiua. Olea satiua arbor est magna, procera, ramosa: foliis longis, ferè saligneis, sed angustioribus, & minoribus, in acutum desinentibus, crassis, pinguibus, breui admodum pediculo subnixis, supernè virentibus, infernè albicantibus, nunquam decidentibus, sapore amaro, & acriusculo: floribus albis, racematim congestis, ex quibus baccæ prodeunt, primùm virides, deinde pallescentes, tum purpureæ, postremò saturatæ nigredinis. Arboris nomine ἐλαῖαι vocantur, Latinè Oliuæ, Gallicè *Olives*, cum incipiunt nigrescere, nostri vocant Drupas, inquit Plinius. Græci verò Drypetas. Idem alibi. Druppa vocatur priusquam cibo matura sit, iam tamen colorem mutans. Ligni materies pulchra, solida, venosa, crispa, quę ardet viridis perinde ac sicca. Genera Oliuarum tria recenset Virgilius, Orchites, Rhadios, & Pausias.

In Dume. cap. 12.

Forma.

Lib. 15. c. 1. Li. 12. c. 27.

Genera.

Nec

Nec pingues vnam in faciem vertuntur Oliuæ, Georg.2.
Orchites,& Radij,& amara Pausia bacca.

Præterea,non desiderare rastros,aut falcem, vllámue curam.

Non vlla est Oleis cultura, neque illa
Procuruam expectant falcem, rastrósque tenaces,
Cùm semel hæserunt aruis,auráque tulerunt.

OLEA SATIVA.

Nec plura genera hodie agnoscit Hetruria, inquit Matthiolus. Primum genus est earum, quas minores quidem Oleæ proferunt, sed spectatæ formæ,& Bononiẽsibus magnitudine non inferiores. His muria conditis in cibis vtuntur tantum:fundendo enim oleo minùs aptæ sunt, quod multo plus amurcæ quã olei contineant. Proximæ, tum calore, tum magnitudine præstantes,superioribus tamen minores ad conficiendum Oleum optimæ, quod non modò flauum, dulce, pellucidum, ac cæteris præstantius, sed etiam copiosum ex iis exprimitur. Has ferunt valde proceræ, & prægrandes Iuglandium Nucum modo arbores, quas Oliuastræ rura Senensia vocant. Tertij generis eæ sunt, quæ passim nascuntur, & omnium sunt maximè vulgares. Hodie omnium laudatissimæ, & crassissimæ Muria conditæ ex Hispania afferuntur. Plinius multò plura recenset genera, Licinianam, siue Liciniam (hæc optimum fundit Oleum, maximè agri Venafrani parte. Est autẽ Venafrum Minturnis,& Fregellis, & Liri fluuio vicinum, in Campaniæ litore situm: ὅθεν, inquit Strabo, κάλλιστον ἔλαιον) Cominiam,Contiam,Sergiam. Sunt & purpureæ, & Superbæ,Regiæ,quæ & Maiorinæ,& Phanliæ,Picenæ,Sidicinæ. Sunt & prędulces per se tantùm siccatæ, vuisq; passis dulciores, admodum rarę in Africa, & circa Emeritam Lusitaniç.Non alia maior in Betica arbor quàm Olea, vt scribit idẽ Plinius. In Africa verò(fides penes auctores erit) Miliarias vocatas multas narrant à pondere olei, quòd ferant annuo prouentu. Olearũ sicut Vitium, inquit Columella, plura genera esse arbitror,sed in meam notitiam decem modo peruenerũt.Pausia,Algiana,Liciniana,Sergia,Neuia, Culminia,Orchis, Regia,Circites, Murtea : ex quibus bacca iucundissima est Pausiæ, speciosissima Regiæ, quæ potius escę, quàm oleo est idonea. Pausiæ tamen oleum saporis egregij dum viride est,vetustate corrumpitur.Orchis quoque & Radius melius ad escam quàm in liquorem stringitur.Oleum optimũ Licinia dat, plurimum Sergia:omnísque Olea maior fere ad escam, minor oleo est aptior. Hactenus Columella.Orchites & Radij à figura nomen habent. Orchites quidem à testiculis quasi testiculares Oliuę. Radij à longitudine radiorum metaphoricè dicuntur. Pausiæ quorundam sententia à sapore appellantur, quod fiat παύσῃ: sunt enim baccæ amaræ,ideo eas comedere cessant : Aliorum sententia, inter quos est Seruius,à pauiendo dicuntur, id est tontendo, quod nisi tundantur, oleum non reddunt.Priori etymo repugnat Columella, qui Pausiæ iucundissimam esse baccam,& eius oleum egregii esse saporis dum viride est, contra Virgilium scribit:posterius omnibus oliuis competit.Nulla Olea ex tot generibus,

In li.1.Dioscor.c.118.

Lib.15.ca.3.

Lib.17.c.12.

Lib.5. ca.8.

Ibidem.

Locus. auctore eodem Columella, aut per frigidum, aut gelidum ſtatum cæli patitur.
Ibidem. Itaque æſtuoſis locis Septentrionali colle, frigidis Meridiano gaudet. Sed neq; depreſsis locis gaudet, magiſq; mediocres cliuos amat. In iis enim excellens ſolis ardor ventorum perflatu refrigeratur, quare optimum exhibent oleum. Planis verò & campeſtribus locis Oleæ minùs impetu ventorum agitatæ, atque torrentis æſtu ſolis ambuſtæ craſsius oleum mittunt. Amat, inquit Matthiol. apricos tractus, & colles, calidáſque regiones, nec in frigidis prouenit, quare oleis Hiſpania, Italia, Gallia Narbonenſis abundant. Oleam Theophraſtus è ce-
Lib.15. ca.1. leberrimis Græcorum auctoribus, inquit Plinius, Vrbis Romæ anno circiter quadringenteſimo quadrageſimo, negauit niſi intra XL. millia paſſuum à mari
Lib.21.c.10. naſci. Idem alibi: Tunc Oleam non putabant gigni niſi intra CCC. ſtadia à ma-
Lib.5. ca.8. ri. Hanc arborem pleríque exiſtimant, inquit Columella, vltra milliarium ſexageſimum à mari, aut non viuere, aut non eſſe feracem. Tradit idem, Quercu exciſa radices noxias Oliueto relinqui, quarum virus enecat Oleam:
Lib.24. c.1. Quercus & Olea tam pertinaci odio diſsident, auctore Plinio, vt altera
Lib.18.c.18. in alterius ſcrobe depactæ moriantur. Idē alibi: Olea vbi Quercus effoſa ſit malè ponitur, quoniam vermes qui Raucæ vocantur (Erucæ, apud Theophraſtum, κάρπαι pro κάμπαι) in radice Quercus naſcuntur, & tranſeunt. Florent omnes
Tempus. Oleæ menſe Iulio. Fructus menſe Nouembri & Decembri decerpuntur. Prima ergo, ſic enim legendum, ab Autumni colligitur initio, operæpretio, non natū-
Lib.15. ca.3. ra, Pauſia, (quoniam tum cōditur,) cui plurimum carnis: mox Orchites, cui olei: poſt Radius. Has enim ocyſsimè occupat æſtas, quia ſunt tenerrimæ, & amurca cogit decidere, ſic enim legendum. Differuntur verò etiam in Martium menſem calloſæ, contra humorem pugnaces, ob id que minimæ, Licinia, Cominia, Contia, Sergia, quam Sabini Regiam vocant, non ante Fauonij afflatum nigreſcentes, hoc eſt vſque ad VI. Idus Februarias. Omnino in vita error eſt publicus, tumore Oliuæ creſcere oleum exiſtimantium, preſertim cum magnitudine copiam olei non conſtare, indicio ſint quæ Regiæ vocantur, ab aliis Maiorinę, ab aliis Phaulię, grandiſsimę alioqui, minimo ſucco. Eſt & in Ægypto carnoſiſsimis olei exiguum. Decapoli verò Syriæ perquam paruę, nec cappari maiores carne, oleo tamen commendantur. Quam ob cauſam Italicis tranſmarinæ præferuntur in cibis, cum oleo vincantur. Fiunt & præcocès feruenti aqua per-
Plin. lib.15. cap.3. fuſæ, quamlibet immaturæ. Oliuæ conſtant nucleo, oleo, carne, amurca. Sanies hæc eſt eius amara. Fit ex aquis, ideo ſiccitatibus minima, riguis copioſa. Oliua
Vires & Temper. flaua & recens ſtomacho vtilior eſt, ventri difficilis: nigra autem & matura corruptioni oportuna eſt, ſtomacho aduerſatur, oculis non conuenit, capitis do-
Dioſc. lib.1. cap.118. lorem mouet, arefacta illitu depaſcentia vlcera ſiſtit, & carbunculos emarginat. Oliuæ ſale condiuntur, vnde Colymbades appellatæ, quaſi natatrices, eo quod
Lib.15. ca.3. Muriæ veluti innatant. A Muria verò eædem Halmades dictæ ſunt. Plinius. Sale illæ priuatim condiuntur, inquit Plinius, & vt reliquæ Muria, ſapáue (perperā in publicis libris legitur, amurca ſapáue.) Nec non aliquæ oleo ſuo, ſine accerſita commendatione, Muriæ innatant Colymbades. Franguntur eædem, herbārúmque viridum ſapore condiuntur. Quia verò etiam inciſæ in Muriā mittebantur, ſuccum ipſarum ex Muria collectum vtendum præſcribit his verbis
Lib.1.c.118. Dioſcorides. Colymbades tritę, & ambuſtæ, illitæ puſtulas gigni prohibent, ſordida vlcera purgant, ſuccus ipſarum ex Muria gingiuas cōtrahit, & motus dentium firmat. Nunc de Oliuæ partibus dicendum, ac primùm de Oleo. Suus quidem Oliuæ ſuccus oleum eſt, ex Oliuis primum in pauimēto relictis, quoad rugoſæ factæ fuerint, deinde molæ ſuppoſitis, poſtremo torculari expreſsis, vel immaturis, quod Omphacinum ob id, & Omotribes, id eſt acerbum & crudum

eſt

eſt appellatum, idémque refrigerans & adſtringens: vel maturis, quod oleum commune diciturac vtrúmque vel inſulſum, vel ſalſum, & illotum, vel lotum, ídque ad ſalem tollendum, vel vt fiat candidius, aut morſus expers. Vtrúmque rurſus, vel recens eſt, vel antiquatum, & ex hoc, vel illo agro, quæ olei communis differentię diligenter ſunt obſeruandę, vt medicamentorum ex iis iuſtior fiat compoſitio. Nam facultatibus ſecundum has differentias multum variant, ac compoſita quibus miſcentur plurimum immutant. Oleum Galeno ex oliuis confectum, quod ſane veriſsimo & maxime proprio nomine oleum appellatur, humectat, & modice calfacit, cuiuſmodi eſt dulciſsimum, factũ potiſsimũ ex oliuis, quas Græci δρυπεπεῖς vocant, nos Drupas. Omotribes & Omphacinũ, quantum in ſe habet adſtrictionis, tantũ etiã illi ineſt frigiditatis. Porrò oleum vetus, quod quidẽ ex dulci inueterato efficitur, calidius eſt, & potentioribus ad diſcutiendũ viribus. Quod verò crudum, inueteraſcit, id dum adſtrictionis reliquum quippiam ſeruat, miſtę permanet facultatis: vbi vero illam prorſus abiecerit, reliquo fit ſimile. Quinetiam quicunque in pręparando ramos iniiciunt, ij & ipſi Omphacino ſimile oleum efficiunt. Cęterùm rogandum non eſt quomodo ſit pręparatum, ſed guſtãdum potius, ac ſi prę ſe ferat adſtrictionis quippiam, eatenus etiam frigidum eſt exiſtimandum, ceu illud quod ex Hiſpania defertur. Quod ſi nequaquam guſtantibus adſtringere appareat, ſed perfectè videatur dulce, id modicè eſſe calidum putandum. Prętereа ſi tenue quoque cernatur (tale eſt quod purum eſt, quódque intuenti tranſlucidum videatur) modicum eius latiſsimè percutem extenſum ſibi maneat continuum, celeritérque à cute combibatur, id vtique pro optimo ducendum, ac virtute quam maximè pollere, quale eſt Sabinum. Porrò oleum lotum minimè omnium mordacitatem continet. Oleum Omphacinum ad multos vſus rectè valentibus accommodatiſsimum Dioſcoridi. Prętat recens, odoratũ) quod non mordeat: ſtomacho vtile eſt, quod adſtringat gingiuas contrahit, dentes firmat, ſi contineatur in ore: ſudores cohibet. Oleum cõmune quo vetuſtius ac pinguius, eo ad medicamenta magis eſt idoneũ. Omne oleum calfacit, emollit ventrem (alij legunt μαλακτικὸν τῆς σάρκος, id eſt mollit carnes) à perfrictionibus corpus tuetur, ipſumq; promptius ad munera obeunda reddit, aluum emollit vlcerantium venenorum vires permiſtum hebetat, contra venena datur aſsiduè potum, redditúmque vomitionibus, ſoluit aluũ heminæ menſura cum pari ptiſanæ ſucco, aut aqua potum: ad tormina calidum, ſimul decocta ruta, tribus ſextariis in potu datur: ventris animalia pellit: idem maximè ilei inteſtini morbo laborantibus infunditur. Vetus magis calfacit, & vehementius diſcutit, oculorũ claritati ſubditum confert. Si vetuſti non ſit copia, in vaſe decoquitur ad mellis craſsitudinem, & vetuſtatẽ repræſentet. Hæc ſicẽ Græcè cum legantur, εἰ δὲ μὴ παρείη παλαιὸν ἔλαιον οὕτω, καταχεράσας εἰς ἀγγεῖον τοῦ παρόντος τὸ χρεῖσσον, ἕψε, ἐὼς ἔχῃ μέλιτος πάχος, καὶ χρῷ. Τὴν δὲ αὐτὴν τῷ προφημένῳ εἰσφέρει δύναμιν, ita videntur Latinè reddenda. Si verò adeo antiquũ oleum non adſit, ex eo quod ſuppetit, præſtantiſsimum in vas coniicito, coquitóque ad mellis craſsitudinem, coq; vtere: nam eandem cum ſupradicto obtinet facultatẽ. Scribit & idẽ auctor foliorum ſatiuæ Oleæ vim adſtringentem eſſe, ſed aliquãto inferiorẽ quàm in Oleaſtro, ideóque ocularibus medicamentis ob ſuam mitiorẽ vim magis conuenire. Sudorem ligno viridi accẽſo manantẽ, illitu ſanare lichenas, furfures, & ſcabiem. Oleaginũ ſemẽ (Græca τὸν καρπὸν habent, id eſt fructũ ipſarũ Olearũ) illitũ mederi furfuribus, & vlceribus quę vorãt & depaſcunt: quod autem intra nucleũ eſt, ex adipe & farina ſcabros vngues excutere. Hippocrates nuclei quoque huius vſum ad ocularia medicamenta adhibere videtur, neque de alio nucleo intelligere

Li. 6. ſimpl

Lib. 1. c. 18.

Lib. 1. c. 118.

Li.2. Epid. Sect.5. gere, cum ſcribit: ὀφθαλμῶν. σποδίου δωδέκατον, χρόκου πέμπτον, πυρῆνος ἕν, ψιμυθίου ἕν, σμύρνης ἕν· τὸ ὕδωρ, κατὰ τῆς κεφαλῆς καταχεῖν, καὶ δι δόναι σκόρυδα σὺν μάζῃ. Quæ ſic interpretatur Cornarius. Ad oculos Spodij partem duodecimam, Croci quintam, Nuclei Oliuæ vnam, Ceruſſæ vnam, Myrrhæ vnam. Aquam frigidam ſuper caput fundito, & Allia cum Maxa edenda dato. Quidam tamen Punici Mali τὸν πυρῆνα, id eſt, nucleũ intelligi non abſurdè poſſe arbitrantur. De Oliua, ipſius

Lib.1.c.20. ſucco, & nucleo dictum eſt, nunc de amurca. Hæc, vt affirmat Dioſcorides, decocta in cupreo vaſe ad mellis craſsitudinem adſtringit, cæteros prębens Lycij effectus. Inſuper dentium dolori, & vulneribus cũ aceto, vino, aut mulſo commodè illinitur: additur in medicamenta ocularia, & meatus obſtruentia inducta ſuo. Vetuſtate meliorem fieri conſtat. Vtiliter infunditur ſedis, genitalium, ac vuluæ exulcerationi. Si verò cũ Omphacino recoquatur ad mellis craſsitudinem, carioſos dentes extrahit: iumẽtorum ſcabiem cũ decocto Lupini, & Chamæleone illitu ſanat. Cruda, & recente Amurca podagras, articulariósque dolores foueri vtiliſsimũ: perũcta in villoſa pelle, & hydropicis impoſita, tumoris molem reprimit. Eundem Amurcæ in medicina vſum Plinius ſimiliter fere

Lib.23.ca.3. tradidit, niſi quod vbi Græca exemplaria quæ habent ἐκβάλλει δὲ καὶ τοὺς ἐφθαρμένους ὀδόντας σὺν ὀμφακίνῳ, & cætera, ſecutus Ruellius vertit, ſi verò cũ Omphacino recoquatur, & cętera, Plinius legit, ſi verò cũ Omphacio decoquatur ad mellis craſsitudinem caſuros dentes extrahit, quam Plinij lectionẽ magis probans Cornarius, locum Dioſcoridis ſic interpretatus eſt. Eiicit etiam corruptas den-

Embl.113. lib.1. Dioſ. tes cum Omphacio ad mellis ſpiſsitudinẽ cocta, & oblita. Nam Omphacinum gingiuas conſtringit, & dentes corroborat, vt modò diximus, non eiicit. Sed & illum ipſum Plinij locum deprauatũ ex manuſcripto Codice ſic integritati reſtituit. Si vero decoquatur ad mellis craſsitudinem, cauſarios dentes extrahit, non caſuros, vt habent vulgata exemplaria: caſuri enim extractione nihil opus habent, inquit Cornarius. Cauſarij verò dentes ſunt ex cauſa aliqua affecti, & vt

Lib.25.ca.5. Dioſcorides ait, ἐφθαρμένοι, id eſt corrupti. Eadẽ voce vſus eſt Plinius, vbi veratrũ dari vetat cauſariis, vel latere, vel faucibus, id eſt iis qui locis iſtis male affecti ſunt. Super omnia celebrauit Amurcam laudibus Cato, quas apud eum, & Pli-

Lib.15.ca.8. nium legere potes. Illud tantum dicam eam Apothecarum, & Officinarum fabricis, in quibus lanei, ſericeíue panni reconduntur, per vtilem eſſe: ſi enim ex ea calci permiſta parietes incruſtentur, item laquearia, & pauimẽta, non modò parietes aliunde contractum humorem non reſudabunt, neque ſitum contrahent, ſed nec blattas, nec teredines, nec araneas, nec alia noxia animalia gignẽt.

LOTVS ARBOR, CAP. XXI.

Nomina LOTI nomen multis ſtirpibus commune eſt, ſed de Loto arbore hîc agimus, quæ vt λωτὸς δένδρον Græcis, ita Latinis Lotus arbor dicitur, Arabibus *Sadar*, *Sedar*, ſiue *Alſadar*, Italis *Loto albero*, In Tridentino & Goritienſi agro *Bagolaro*, in Veronenſi *Perlaro*, Hiſpanis *Almez*, Gallis *Micocoulier*, qui & fructum *Micocoules* appellant, nomine proculdubio ex Loto deflexo, quaſi μικρὸν λωτὸν καρπόν. Loti arboris genera tria apud auctores

Genera. reperiuntur. Eſt enim Lotus Celtis à Plinio appellata, in Africa, & Lotophagia inſula frequens, cuius hiſtoriam ille ex Theophraſto literis mandauit:

Lib.13.c.17. Lib.4.Hiſt. cap.4. eaq; duplex: altera nucleum habens, altera ſine nucleo interiore. Secunda Lotus eiuſdem Theophraſti, à Lotophagorum Loto differt. Tertia, Lotos etiam à Plinio dicta (etſi impropriè) à fructus ſuauitate ſuperioribus ſimili, & Faba Græca, quæ & διόσπυρος eſt Theophraſti. Primi generis Lotus Dioſcoridis, ſiue Cel-

Lib.3.Hiſt. cap.13. tis, ea eſt, quam primam hic depinximus, Gallorum *Micocoulier*, Italorũ *Bagolaro*,

Matthi

Matthioli, Dodonæi, Dalechampij, aliorúmque doctiſsimorum herbariorum ſententia. Loti apud Theophraſtum hiſtoria eſt eiuſmodi: ἔστι δὲ τῆ λωτοῦ τὸ μὲν ἴδιον γένος, καὶ μέγεθες, ἡλίκον ἄπιος, ἢ μικρὸν ἔλαττον. φύλλον δὲ ἐνλομὰς ἔχον, καὶ πρινώδες. Τὸ μὲν ξύλον μέλαν. γένη δὲ αὐτοῦ πλείω, διαφορὰς ἔχοντα τοῖς καρποῖς. ὁ δὲ καρπὸς ἡλίκος κύαμος. πεπαίνει δὲ ὥσπερ οἱ βότρυες, μεταβάλλων τὰς χροιάς. φύεται δὲ καθάπερ τὰ μύρτα, παρὰλληλα. πυκνὸς ἐστι τῶν βλαστῶν. ἐσθιόμενος δὲ ἐν τοῖς λωτοφάγοις καλουμένοις, γλυκὺς, ἡδὺς, καὶ ἀσινὴς, καὶ ἔτι πρὸς τὴν κοιλίαν ἀγαθὸν. ἡδίων δὲ ὁ ἀπύρηνος (sic enim ex Plinio legendum, non vt in vulgatis exemplaribus ſcriptum reperitur, ἡδίων δὲ ὁ πύρηνος.) ἔστι δὲ καὶ τοιοῦτον γένος. ποιοῦσι δὲ καὶ οἶνον ἐξ αὐτοῦ. πολὺ δὲ τὸ δένδρον, καὶ πολύκαρπον. τὸ οὖν ὠφέλιμον στρατόπεδον, ἡνίκα ἐξάδιζεν εἰς καρχηδόνα, καὶ τότω φασὶ πλείους ἡμέρας ἀπολιφθόντων τῶν ἐπιτηδείων χρῆσθαι. ἔστι μὲν οὖν ἐν τῆ νήσω τῆ λωτοφαγίτη, φαείδι καλουμένη πολίχνη. ἀντὶ δὲ ἀπόκρη καὶ ἀπέχθη μικρὸν. ὃ μὲν ἐν ταύθα μόνον, ἀλλὰ πολλῷ πλείων ἐν τῆ ἠπείρω: πλεῖστον δὲ ὅλως ἐν τῆ λιβύη, καθάπερ εἴρηται τοῦτο, καὶ ὁ παλίουρος ἔστιν. Id eſt, Eſt autem Loti proprium genus, procerum, magnitudine Piri, aut paulo minus: folio inciſo, Ilicis ſpecie (Cornarius non πριωνώδες, ſed πελωνώδες, id eſt, ſerrato legendum ſuſpicatur) ligno nigro. Genera eius plura, fructibus diſtincta. Fructui magnitudo Fabæ, qui velut vuarũ botri matureſcit, colores mutans. Naſcitur alternatim, exaduerſo, veluti Myrtorum baccæ, ſuper germinibus ſpiſſus. In cibo eſt Lotophagis dictis, dulcis, iucundus, & innoxius, atq; etiam aluo ciendæ vtilis. Suauior autem qui nucleo caret: ex quo etiam vinum conficiunt. Copioſa illic eſt hæc arbor, multúmq; fructifera. Quare Ophelli excercitum cum Carthaginem proficiſceretur, in commeatus penuria, eo fructu multos dies victitaſſe ferunt. Eſt igitur in Inſula Lotophagite, quam Pharidem vocant, (ea nunc Gerbi dicitur,) Lotus frequens. Ea verò à continente parum diſsita eſt, diſunctaque inſula. Cæterùm non illic tantùm, ſed etiam in continente multo copioſior prouenit. Nam in Africa, quod diximus, Loti, vt & Paliuri, maxima copia eſt. Hæc dum tranſcribit Plinius, quędam etiam de ſuo adiecit. Eadem Africa qua vergit ad nos, inſignem arborem Loton gignit, quam vocant Celtin, & ipſam Italiæ familiarem, ſed terra mutatam. Præcipua eſt circa Syrtes (vulgo hodie *Les Baxes, ou Secagnes de Barbarie,*) atque Naſanconas. Magnitudo quæ Piro: quamquam Nepos Cornelius breuem tradat. Inciſuræ folio crebriores: alioquin Ilicis viderentur. Differentiæ plures, eæq; maximè fructibus fiunt. Magnitudo huic Fabæ, color croci, ſed ante maturitatem alius, atque alius, ſicut in vuis. Naſcitur denſus in ramis, Myrti modo, non vt in Italia, Ceraſi: tam dulci ibi cibo, vt nomen etiam genti terræq; dederit, nimis hoſpitali aduenarum obliuione patriæ. Ferunt ventris non ſentire morbos, qui eum mandant. Melior ſine interiore nucleo, qui in altero genere oſſeus videtur. Vinum quoque exprimitur illo, ſimile muſto, quod vltra denos dies durare negat idem Nepos: baccáſque contuſas cum alica ad cibos doliis condi. Quin & exercitus paſtos eo accepimus, vltro

Lib. 4. Hiſt. cap. 4.

Embl. 111. li. 1. Dioſc.

Supra ca. 4.

Lib. 13. c. 17.

LOTVS CELTIS

Arbor.

vltro citróque commeantes per Africam. Ligno color niger. Ad tibiarum cantus expetitur. E radice cultellis capulos, breuésque alios vsus excogitant. Hæc ibi natura arboris. In his Plinius vinum ex Loto exosse expressum denos dies durare negat, Theophrastus ex quo totam historiam exscripsit, id omittit, sed vinum ex Loto secundi generis confectum post biduum, triduúmue corrumpi tradidit. Polybio verò apud Athenęum Plinius assentitur, ait enim Polybius ex Loto sua vinum simile esse mulso, nec vltra denos dies perdurare. Plinius eiusdem Loti lignum ad tibiarũ cantus expeti, è radice cultellis capullos, breuesq; alios vsus excogitari scripsit, quæ Theophrastus de ligno & radice Loti secundæ prodidit, vt dicetur. Eandem Loton Plinius arborem Syrticã rectè appellat, sed mox velut immemor eius historiæ à seipso descriptę, Fabam Gręcam vocat, eiq; vires eas tribuit, quas Loto suę Dioscorides, qui Loton arborem esse tradit, vastæ magnitudinis, bacca Pipere maiore, dulci, cibis grata, stomacho facili. Hęc Loto nostrę bellè conuenire facilè is recte iudicabit, qui eam diligenter contemplatus fuerit. Est enim procera, magnáque arbor, Piro quidem sępe magnitudine par, nõnunquam etiam procerior, caudice crassissimo, cortice lęui, colore in cęruleum nigrescente, ramis vastis, latè protensis: cui folia lata, aspera, crenata: fructus rotundi, Pipere maiores, ex longis petiolis penduli, primum virides, deinde flaui, postremò nigri, grati saporis. Apud Lotophagos fructus Loti si tanta fuit dulcedo, vt eo gustato socij Vlysis, narrante Homero, ad naues redire noluerint, nisi verberibus adacti, atque inde orto prouerbio Lotũ gustasse dicantur ij, qui delitiis quibusdam deliniti, diutius in iis hęrent, neque ab iis ad solita studia reuocari possunt, si, inquam, ob tantam fructus suauitatem, quæ in nostra Loto desideratur, neget quis nos veram Lotõ hîc representasse, meminerit Plinium dixisse, in Africa insignem arborem Loton gigni, & ipsam Italiæ familiarem, sed terra mutatam, quòd mutato solo, cæloq; à grata illa fructuum dulcedine degenerauerit. Lotus hæc nostra in multis etiam Galliæ Narbonensis locis nascitur, sed præcipuè in agro Monspeliensi, tam vasta & procera, vt alias quasuis arbores illic magnitudine superet, vel saltẽ æquet. Fructus eius Septembri mense sunt maturi: quo tempore folia decidere incipiunt, vêre vna cum floribus renascentia. Secundũ Loti speciem Theophrastus scribit esse.

Lib. 14.

Lib. 24. c. 2.

Lib. 13. c. 17.

Li. 1. Dioſc. cap. 134.

Forma Loti 1.

Li. 9. Odyſ.

Locus.

Tempus.

Ibidem. Δένδρον θαμνῶδες, καὶ πολύκλαδον, τῷ πελέχει δὲ δύσαθες. Τὸν δὲ καρπὸν μετὰ τὸ κάρυον ἔχειν, τὰ δὲ ὄπλοις ὑ σαρκώδες, ἀλλὰ δερματοειδέστερον. ἐσθιόμενον δὲ οὐχ οὕτω γλυκὺ, ὡς δύσομον, καὶ τὸν οἶνον ὃν ἐξ αὐτοῦ ποιοῦσιν, ὑ διαμένειν, ἀλλὰ ἢ δύο, ἢ τρεῖς ἡμέρας, εἶτ' ὀξοῦσθαι. ἡδίω μὲν οὖν τὸν καρπὸν ἐν τοῖς λωτοφάγοις, ξύλον δὲ κάλλιστον τῶν ἐν κυρηναίᾳ. θερμοτέραν δὲ εἶναι τὴν χώραν τῶν λωτοφάγων. τῶ δὲ ξύλω τὴν ῥίζαν εἶναι μελανωτέραν μὲν πολὺ, σύκινην δὲ ἧττον, καὶ εἰς ἐλάττω χρησίμην· εἰς γὰρ τὰ ἐγχειρίδια, καὶ τὰ ἐπικολλήματα χρῆσθαι τῷ ξύλω δὲ εἰς τετρὸς αὐλοὺς (non vt in excusis legitur, αὐτοὺς) καὶ εἰς ἄλλα πλείω. Id est, Lotus secunda, arbor est fruticosa, ramosa, caudice firmo, semine incluso nucleo, extrinsecus non carnoso operimento, sed veluti cute cõtecto, in cibo non tam dulci, quã ori grato, & suaui, ex quo vinum fit non perdurans, sed duos trésue dies tantum, dein acescens. Fructus apud Lotophagos iucundior est: materies optima in Cyrenæa regione, feruidiore Lotophagorum tractu. Radix arboris, multo ligno nigrior, minus densa, & ad pauca commoda, nimirum ad pugiones, & ad glutinandas assulas, ligno ad tibias, & ad alia pleráque vtili. Hanc secundam Loton Theophrasti eam esse iudicauit Dalechampius, cuius ramulus hic depictus exhibetur. Nonnulli docti Herbarij Lauroceraſum, à foliis Lauro, & nucleis Ceraso similibus nominant. In hortis Principis Doriæ Genuæ luxuriat, aduecta ex Africa, fruticosa, ramosa, caudice firmo; semine nucleo abdito, qui valde tener est: pulpa non carnosa extrinsecus, vt in Amygdala, sed

Forma Loti 2.

potius

LOTVS SECVNDA.

potius cutis instar molli, vt in Ceraso: fructu oblongo, è cæruleo rubescente, minùs dulci quam superioris, sed gratiore & suauiore gustu. Hæc Lotus Plinio, & Matthiolo incognita fuit. Sed quænam sit Lotus illa, quam apud Athenæum memorat Polybius, inter Herbarios controuersia est. Dalechampius primæ Loti Theophrasti secũdam speciem esse existimat, cuius fructus nucleo caret, aut quam minimum complectitur, vt fere nullus esse videri queat. Demõstrat id descriptio. Arbor est, inquit, haud procera, aspera, non spinosa (legendum enim οὐκ ἀκανθώδης) foliis virentibus, Ilici similibus (ex Theophrasto enim legendum παραπλήσιον τῇ πρίνῳ, non ῥάμνῳ) paulo spissioribus, & latioribus: fructu per initia colore & magnitudine Myrti baccis candidis simili, cum iam perfectæ sunt. Augescens colore phœniceus est, rotundus, Oliuæ magnitudine (Theophrastus Fabæ magnitudine) nucleo perquam exiguo. Maturus colligitur, & seruis alendis cum Alica in vasis stipatis reconditur. Ingenuis autem ac liberis domesticis exemptis nucleis asseruant, & in cibo dant. Gustus est Ficuum, & Palmularum, sed odor præstantior. Ex eo in aqua macerato & trito vinum fit, grati iucundíque saporis, optimo

Lib. 14.

DIOSPYROS, SIVE
Faba Græca, Latifolia, Pseudo Lotus Matthioli.

DIOSPYROS, SIVE
Faba Græca, angustifolia, seu Lotus Africana.

mulso simile, quod merum bibunt. Verum non longius quàm decem dies durat. Quamobrem ad vsum quotidianum paulatim conficitur: Acetum quoque ex eo conficitur. Hactenus Polybius. Aspera Loti folia sunt tangenti, aculeata esse nullus vnquam scripsit. Folium Ilici proximum esse, fructus colorem mutari dum maturescit, Myrtorum modo nasci, ex eo vinum exprimi, dixit Theophrastus, quæ in Loto supradicta comperiuntur: cætera omnia congruunt. Tertia Loti species hìc exhibetur, quæ etsi Lotus non esset, tamen in Loti generibus numerata est, eóque nomine celebrata, à Plinio Lotus, & Faba Græca dicta, quam Romæ, inquit, à suauitate fructus sylvestris quidem, sed Cerasorum pene natura, Loton appellant. In Italia frequens est arbor, & ab Hetruscis hodie vocatur *Vua d'India*, præsertim Florentiæ, vnde aduehendam curauit Dalechampius. In quibusdam etiam hortis Lugduni visitur, breui caudice, ramis plurimis, longissimis, validissimis, vt totidem arbores dicere liceat, petulanter vmbra latissima ex patiantibus, in vicinas domos sæpe transilientibus opacitate breuissima: foliis Corno ferè similibus, longioribus, angustioribus, pallidioribus, venosis: flore in medio purpurascente, quatuor foliolis distincto, herbaceis, ramis sic incumbente, vt petiolo carere videatur: fructu Cerasorum figura, antequam maturuerit cādido, cùm maturuit, rufo, prominente è medio tenui quodam velut aculeo, ramis & surculis sine pediculo adhærente, gustu dulci, palato non insuaui. Hanc esse quam dixi Fabam Græcam Plinij notæ omnes demonstrant. Nam, vt ille scribit, cacumine ramosa est, caudice breui, ramis pro arboris magnitudine prælongis, validis, multis, & cum hyeme folia deciderint, ob surculorum paucitatem solem non auferentibus: fructu Cerasis non absimili, nucleo duro, qui in Ceraso tener est, ac fragilis, quod Theophrastus adnotauit, cortice diluto, rubore iucūdo, blandissimè oculos excipiente, & quo verisimile est pelles tingi posse, radice lanas, vt mirum sit Matthiolum suæ Loti cortici tristissimo tribuisse, quod Plinius de huius cortice literis prodiderat, cuius tinctura colorem rufum fieri ipsemet alibi scripsit. Ramenta ligni decocta in vino prosunt dysentericis, & cęterā: deinde, Rufant & capillum, defluentémque cohibent. Sic enim locum hunc in nostris exemplaribus mutilum ope melioris Codicis integrum & restitutum citauit Ruellius. Sunt qui nec vana quidem ducti coniectura hanc arborem Theophrasti διόσπυρον esse censent, fructu Ceraso simili, duro intus & solido nucleo, non, vt in Ceraso fragili: maxime cum Plinius Theophrasti verba singula Latinè exprimere solitus, Faba Gręca descripta, nusquam alibi Diospyri meminerit. Guaiacum Patauinum Fallopius, Pena & Lobellius, vera Lotus Theophrasti, nominarunt. Hæc est Faba Græca quam Bellonius à Constantinopolitanis Cerasum Trapezuntiam vocari scribit. Ea etiam cuius figuram Augerius de Busbecke ad Matthiolum misit, cui subscriptum erat, Dactyli ex Trapesonda dulces, & gustu delectabiles. Huius Pseudo Loti, siue Fabæ Græcę, picturas duas Matthiolus exhibet, foliorum tantum longitudine breuitate, angustia, latitudine distantes, quæ pro ętate & proprietate loci in quo stirpes aluntur, varietas facilè contingit. Loti suę baccas aluum adstringère scripsit Dioscorides Ramentorum ligni decoctum siue potu, siue infusione dysentericis, ac fœminis fluxione vuluę laborantibus auxilio esse, rufare capillos, citam aluum cohibere. Plinius Fabam Gręcam cum Loto primi generis confundens, quod indicauimus, eadem & quę Dioscorides, Loto suę tribuit. Hęc Lotos, inquit, quę Faba Gręca appellatur à nostris, aluum baccis sistit. Ramenta ligni decocta in vino (hoc Dioscorides tacet) prosunt dysentericis, menstruis (γυναιξὶ ῥοικαῖς Dioscorides, id est mulieribus fluxione vuluę vexatis) vertigini, comitialibus (hęc Dioscorides non habet) Cohibent & capillum. Quæ verò

Li.16.ca.30.

Forma Loti 3.

Lib.4. Hist. cap.13.

Lib.1. Dios. cap.134.

Lib.24. c.2.

Lib.1. ca.95.

Lib.3. Hist. cap.13.

Lib.1. Dios. cap.134.

Vires.

Lib.1. c.134.

Lib.24. c.2.

verò ſequuntur, nec in Dioſcoride extant. Mirum his ramentis nihil eſſe amarius, fructuq; dulcius. Fit & è ſcobe eius medicamentũ, ex aqua Myrti decocta, ſubacta, & diuiſa in paſtillos, dyſentericis vtiliſimũ, pondere victoriati, cum aquę cyathis tribus. Galenus dilucidius Loti vires explicat his verbis. Lotus arbor non multæ adſtrictoriæ facultatis eſt particeps, ſed & tenuium eſt partium, & exſiccatoria. Itaque lignorum aſſulæ deraſæ muliebri accommodantur profluuio, & dyſenteriis, & cæliacis affectibus. Decoquuntur verò interdum in aqua, interdum in vino, nimirum prout vſus popoſcerit, nec infunduntur tantum, ſed & bibuntur. Quinetiam quod pilos defluentes cohibeat, non mediocre ſignum eſt ipſam adſtringentis eſſe cuiuſdam, ac mediocriter deſiccãtis facultatis. In his cum Plinius & Galenus ramentorum Loti decocto cohiberi capillos dicant, locus Dioſcoridis in quo legitur, ξανθίζει δὲ καὶ τὰς τρίχας, καὶ ἐπέχει γαστέρα ῥεύσαν, id eſt, flauos facit capillos, & citam aluum cohibet, corruptus eſſe videtur, & ita legendus. ξανθίζει δὲ καὶ τὰς τρίχας, καὶ ἐπέχει ῥεούσας, id eſt, flauos efficit capillos, & defluentes cohibet. Nam cum baccis ventrem ſiſti antea dixerit, & ramentorum decoctum dyſentericis prodeſſe, quid attinebat quod de ventre ſiſtendo dictum iam fuit, ſtatim repetere?

Li. 7. ſimpl.

LAVRVS, CAP. XXII.

QVÆ Latinè Laurus dicitur, Græcè δάφνη, Arabibus *Gaur*, vel *Gar*, Gallis *Laurier*, Italis *Lauro*, Germanis *Lorbeerbaum*, & *Loorbeeren*, Hiſpanis *Laurel*, ſeu *Laureiro*, Boemis *Bobek*, Anglis *Laurelorbay tree*, Belgis *Laurusboom*, Luſitanis *Laureizo*. Baccæ eius δαφνίδες. Laurus duûm eſt generum. Vna tenui folio conſtat, altera latiore. Vtraque odoratiſsima, omnibus, præſertim in Italia cognita, quod nõ ſolùm in hortis, viridariis, vineiſque ſata vireſcat, ſed etiam in ſyluis, maximè locis maritimis, ac etiam in montibus & collibus apricis, qui lacus & maria reſpiciunt, ſponte naſcatur. Folia habet oblonga, in exortu lata, in acutum deſinentia, craſſa, ſolida, odorata, in vno genere latiora, in altero anguſtiora & tenuiora, ex qua foliorum differentia alteram marem, alteram fœminam eſſe iudicant. Flores emittit paruos, muſcoſos, Oleæ fere ſimiles, in luteo albicantes, ex quibus baccæ prodeunt Oleis ſimiles, primum virides, cùm maturuerunt nigræ, craſſo intus nucleo, qualis eſt in Ruſci baccis. Laurus frequentiſsima in Italia, vt dictum eſt prouenit, in Hiſpania, in Gallia Narbonenſi, aliiſque calidioribus regionibus, in quibus in proceram arborem aſſurgit, cortice craſſo duróque. Frigidioribus locis in hortis ſerunt, & ſumma adhibita diligentia curáque à frigoris iniuria vix tuentur: Lauro enim inimicum frigus in Olympo tamen copioſiorem nullam eſſe tradit Plinius: quin & in Lexobiis, ac Bellocaſsiis Neuſtriæ, hortos maris afflatu tepentes non dedignatur. Folia Lauri perpetuò virent. Menſibus Martio &

Nomina

Genera.

Forma.

Locus.

Lib. 16. c. 32.

LAVRVS.

Aprili germinat. Baccæ Autumni fine decerpuntur, vel hyemis initio, vt Oliuæ, Laurus vtraque, vt docet Dioscorides, excalfactoriam naturam habet, & emollientem. Quamobrem decoctum earum in muliebres insessus additum vuluæ & vesicæ vitijs conuenit. Virentia folia (alij τὰ χλωρὰ τῶν ξύλων legunt, id est, virentia ligna) sensim substringunt: illita quoque ac trita vesparum, & apum ictibus auxiliantur: eadem cum polenta, & pane illita inflammationem omnem mitigant: sed pota stomachum effundunt, & vomitus mouent. Græcè habetur, ποθέντα δὲ πραύνει τὸν στόμαχον, καὶ ἐμέτους κινεῖ. Cornarius autem pro πραύνει, id est mitigant βαρύνει legit, id est, grauant. Plinius priore membro omisso, simpliciter dixit, folia pota vomitiones mouent. Lauri baccæ magis quàm folia calfaciunt. Ergo in eclegmate tritæ cum melle, vel passo, prosunt tabi, orthopnœæ, & omnibus thoracis rheumatismis: contra ictus scorpionum ex vino bibuntur: vitiligines emaculant. Succus baccarum vtilissimè aurium dolori & grauitati (δυσηκοίαις, sic etiam Plinius habet, Codex antiquus ἴσχοις, id est sonis) instillatur cum vino vetere & rosaceo. In medicamenta autem adiiciuntur, quæ neruorum lassitudines reficiunt, & ad vnguenta quæ calfaciunt & discutiunt. Cortex radicis calculos rumpit, partus necat, hepaticis prodest tribus obolis in vino odorato potus. Eadem Plinius tradidit. Hæc autem adiunxit. Prosunt folia fœminarum mensibus cum oleo cocta. Cum polenta, quæ tenera sunt trita, ad inflammationes, vel, vt in manuscripto legitur inflationes oculorum, cum rutâ, testium, cum rosaceo, ad capitis dolores, aut cum irino. Quin & commanducata, atque deuorata per triduum terna, liberant à tussi. Eadem prosunt suspiriis, trita cum melle. Cortex radicis cauendus grauidis. Ipsa radix calculos rumpit: iocinori prodest, tribus obolis in vino odorato pota. Baccæ menses trahunt appositæ, tritæ, vel potæ. Aduersus scorpiones quaternæ ex vino bibuntur. Perunctos succo baccarum fugiunt venenata omnia. Prodest contra ictus & potus, maximè autem eius Laurus quæ tenuia habet folia. Baccæ cum vino serpentibus, scorpionibus & araneis resistunt. Ex oleo & aceto illinuntur & lieni, & iocinori: gangrænis cum melle. Et in fatigatione etiam, aut perfrictione succo perungi, nitro adiecto, prodest. Sunt qui celeritati partus multum conferre putent radicem, acetabuli mensura in aqua potam: efficacius recentem, quam aridam. Item & in remedio vuæ iacentis, quadrantem pondo baccarum foliorúmque decoqui in aquæ sextariis tribus ad tertias, eámque calidam gargarizare: & in capitis dolore impari numero baccas cum oleo conterere, & calefacere. Lauri arboris, folia & cortex, Galeno teste, desiccant & calefaciunt vehementer, magis etiam fructús quàm folia. At radicis cortex minus quidem acris est, & calidus, magis tamen amarus: habet etiam adstrictionis nonnihil: quamobrem & calculos confringit, & iecori prodest. Bibitur ex vino fragrante trium obolorum pondere. Lauri tenerrimas summitates cum nardo in vino decoctas aurium grauitati & sonis mederi, scribit Matthiolus, si eius decocti calentis vapor infundibulo in aures recipiatur. Lauri baccis laxatam Columellam ad locum reduci, si cum æquali pondere Cymini, Hyssopi, Origani, Euphorbij, melle excipiantur, & summo capiti calidæ applicentur. Easdem cum tritici furfure, Iuniperi baccis & Allio contritas, & vino sæpius super calente tegula aspersas, pubíque admotas suppressam vrinam citare. Septem Lauri baccas à prægnantibus, quibus instat partus, cum dormitum eunt deuoratas, vt facilem fœlicémque partum edant efficerè. Tenerrimas Lauri cymas cum Calamintha & sale contritas, ex tepida aqua sumptas aluum ciere, pituitámque & lumbricos

Lib. 1. c. 90. *Vires.*

Cap. 8. 25.

Li. 6. simpl.

bricos celeriter expellere. Ex iisdem baccis cum maturæ sunt, in aqua decoctis fit oleum Laurinum Dioscoridi: siquidem ex obducto cortice quandam pinguitudinem reddunt, quæ manibus distracta concha excipitur. Mesuæ vero baccæ Lauri maturæ, & recentes teruntur in pila, ex aqua in lebete coquuntur, post torculari plano exprimuntur in vas subiectum, in quo aquæ supernatans oleum colligitur. Simplex vtilius, & quo recentius & viridius colore: amarissimum est & acre. Ex Gallia Narbonensi vtribus, vt commune, aduehitur, vnguento similius quàm oleo. Id calidum est, essentiæ tenuis, aperit, mollit, discutit. Ob hæc intemperantiam omnem frigidam solam, & cum pituita, vel flatibus sanat, & ab his colo dolenti clystere infusum mirè prodest, vt partibus omnibus cerebri illitum, articulis, ventriculo, spinæ dorsi, paralysi, horrori febrili: denique omnibus neruorum vitiis, algoribus, lassitudinibus, catarrhis, aurium doloribus, hepatis, lienis, renum, vteri frigidis affectibus. Ex iisdem conficitur emplastrum, quod de baccis Lauri cognominatur, Mesuę auctore. Recipit autem Thuris, Mastiches, Myrrhæ, singulorum vnciam vnam, baccarum Lauri vncias duas, Cyperi, Costi, singulorum semunciam: mellis colati quantum ad ea comprehendenda sufficit. Si autem Cyperi sescunciam misceas, & stercus capræ, aut vaccæ siccum ad pondus omnium, ad hydropem fit mirabile. Alioqui ventriculi, intestinorum, hepatis, renum, vesicæ, vteri, & partium aliarum dolorem, à flatibus, aut intemperie frigida ortum placat. Quare in colico dolore, à flatu & pituita salubriter calidum ventri imponitur, vacuata plenitudine: in clystere quoque iniicitur vncia vna, vel sescuncia, cum cæteris eodem pertinentibus. Inflationem quamuis, id est à flatu tensionem, & tumorem, eadem ratione iuuat. Diuersum ab hoc emplastro Malagma διὰ δαφνίδων apud Galenum, id est, ex baccis Lauri, Nitro rubro, Ammoniaco, Cera, Resina Picea, Pice Brutia. Quidam seniles, pulchros, & valde leues baculos ex Lauro parant. Fabulantur Poëtæ Daphnem formosissimam Ladonis filiam fuisse, quam cum deperiret Apollo, & vt potiretur, celeri cursu instaret fugienti, ab eo tandem capta matrem precatur tellurem, vt in sinum se suum reciperet. Votis ac precibus excitata tellus, confestim arborem edidit. Re conspecta deterritus Apollo, cum arborem gentili virginis nomine donasset, vulso ramo sese coronauit: quo verborum inuolucro nonnihil veri significatur: nempe Laurum vaticinij symbolum, Apollini sacram esse, vaticinij Deo. Puellam quidem sapientiam appellant: at vaticinandi facultas à sapientia proficiscitur. Tum etiam plena ignis arbor, Apollini, siue Soli qui ignis est, placet. Lemures & Larnas Sol odit, itaque si Laurus adest, statim abiguntur, & fugantur. Est igitur Laurus μαντικὸν φυτὸν, vt veteres dixerunt, id est diuinatrix arbor, Apollini sacra, vnde Delphica nominatur. Quin & vates responsa daturi Laurum edebant, eáque sese coronabant, vt Apollo cui gratissima est hæc arbor, eorum habitu aspectúque delectatus, libentius diuino afflatu moueret eorum animos. Tibullus.

Oleum Laurinum.

Vera cano. sic vsque sacras innoxia Lauros
Vescar, & aternum sit mihi virginitas. Claudianus. *Venturi præscia Laurus.*

Eandem ob causam vates à Lycophrone δαφνοφάγος dicitur. Musas Hesiodo Laurum gustandam dedisse ferunt, quod eius vis esset, vt qui eam manderent, vaticinarentur. Eadem victores Delphis coronabantur, vt triumphantes Romæ, inquit Plinius. Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratissima ianitrix Cæsarum, Pontificúmque: quæ sola & domos exornat, & ante limina excubat. Ipsa pacifera, vt quã prætendi etiam inter armatos hostes quietis sit indicium. Romanis præcipuè lætitiæ victoriarúmque nuntia, additur literis, & militum

Lib. 15. c. 30.

Laureis, pilíſque: faſces Imperatorum decorat. Hac corona gremio Iouis Optimi Max. deponitur, quoties lætitiam noua victoria attulit. Ouidius: Li. 1. Meta.

Arbos eris certe, dixit, mea, ſemper habebunt
Te Coma, te Cythara, te noſtra Laure pharetra.
Tu ducibus lætis aderis, cum læta triumphum
Vox canet, & longas viſent Capitolia pompas.
Poſtibus auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis, mediámque tuebere Quercum.
Vtque meum intonſis caput eſt iuuenile capillis,
Tu quoque perpetuæ ſemper gere frondis honorem.

Quia ſpectatiſsima in monte Parnaſſo Laurus eſſet, ideo grata fuit Apollini, magis quàm, vel quia eſſet pacifera, aut perpetuò vireret, aſſuetis iam eo dona mittere etiam Romanis regibus, teſte L. Bruto. Sunt & circa D. Auguſtum euenta Lauri digna memoratu. Námque Liuiæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſtæ matrimonij nomẽ accepit, cum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris, ſedenti Aquila ex alto abiecit in gremium illæſam: intrepidéque miranti acceſsit miraculum, quoniam teneret roſtro Laureum ramum onuſtum ſuis baccis. Conſeruari alitem & ſobolem iuſſere Aruſpices, ramúmque eum ſeri, ac ritè cuſtodiri. Quod factum eſt in Villa Cæſarum, fluuio Tiberi impoſita, iuxta nonum lapidem, Flaminia via, quæ ob id vocatur, Ad Gallinas, miréque ſylua prouenit. Ex ea triumphans poſtea Cæſar Laurum in manu tenuit, coronamq; capite geſsit: ac deinde Cæſares Imperatores cuncti. Traditúſque mos eſt ramos quos tenuerunt, ſerendi. Manu ſatarum arborum, receptarumq; in domos fulmine ſola Laurus nõ icitur, niſi futuræ calamitatis prodigio, ac ne domus quidem in quibus ſint eius rami, de cælo tanguntur. Quare Tiberium Principem, tonante cælo coronari ea ſolitum ferunt contra fulminum metus. Laurus, vt ait Plinius, manifeſto abdicat ignes crepitu: quapropter fortaſſe dixit Maro:

Et fragiles incende bitumine Lauros.

Id eſt, inter vrendum fragores & crepitũ edentes. Nihil enim æque magno ſonitu crematur, ac Laurus. In ea verò ſignificatione fragilis interdum vſurpatur, vt à Lucretio. *Et fragiles ſonitus chartarum commeditatur.*

Nam quoniam crepant quæ franguntur, fit vt fragor interdũ ſit ſonus, & fragilis, ſonans. Laurus ex ſeſe ignẽ emittit: nam ſi exſiccatæ ramus ramo frequentius confricetur, aſperſo ſulphuris puluere, ignis exiliet. Teritur lignũ ligno, inquit Plinius, excipiente materia aridi fomitis, fungi vel foliorũ facillimè cõcipientium, vel, vt legitur in manuſcripto, facillimo conceptu. Sed nihil Hedera præſtantius, quæ teratur, Lauro quæ terat, vel, vt eſt in manuſcripto, quę teratur Lauro, Laurumq; terat. Ex quibus hæc Theophr. de eadem re verba ſic explicãda & legenda videntur: Δεῖ ὑ τὴν ἐχάραν ἐκ τούτων ποιεῖν, τὸ ὑ τείβανον ἐκ δάφνης, non τρύπανον, vt habent exemplaria. Id eſt, materiam aridi ſonitus ex hac, id quod terit ex Lauro, facere oportet, vt τείβανον ſit à τείβω, id eſt à terendo. Eliditur enim ignis atterendo, & collidendo, non terebrando: ἐχάρα verò materia eſt aridi fomitis ex Plinio, non conceptaculũ, vt Gaza reddidit. Rubigo maxima ſegetum peſtis Lauri ramis in aruo defixis, tranſit in earũ folia ex aruis, vel, vt alij legũt, ex herbis, vt ſcribit Plinius, Palumbes, gracculi, merulæ, perdices Lauri folio annuum faſtidiũ purgãt eodẽ teſte. Coruus occiſo Chamæleonte, qui etiã victori nocet, Lauro infeſtum virus extinguit. Narret Theophraſtus in ſinu Heroo, ad quem deſcendunt Ægyptij, Laurum eſſe & Oleam, & Thymũ, non viridia, ſed lapidea, parte à mari eminente, ſimilia tamen viridibus, tum foliis, tum germinibus, longitudinémque earum arbuſcularum eſſe ternũm cubitorum.

Li. 16. c. 40.

Lib. 18. c. 17.

Lib. 4. Hiſt. cap. 8.

SYRIN

SYRINGA, CAP. XXIII.

MVltis nunc in hortis Italiæ, præsertim Florentiæ ac Pisarum, frequens hæc arbor, quæ vulgo *Syringa*, nuncupatur, Africo fortasse vocabulo. Mediocris est arbor magnitudinis, cortice ruffescente, surculosa, folio Tiliæ, acutiore & interdum angustiore, per ambitum valde dissecto, nisi admodum tenellum sit: flore candido, suauiter olente, cuius rei gratia in hortis colitur, pallidis intus apicibus, semine paruulo, nigro in loculis oblongis, Ordei grano similibus, superne dẽticulatis. Ostryn Theophrasti multi esse volunt, & reliqua historia cõsentiente, & ea nota præcipue quæ peculiaris est, nempe quod Ordei grano fructus similis sit. An veteribus cognita fuerit nec nec, nõdum statuere possumus, inquit Clusius: passim verò ab Herbariis & frutex coronarius, quoniam eius flos odoratus in coronas interdum addatur, & Syringa appellatur, fortasse à virgarum rectitudine longitudinéque, & fungosæ interioris medullæ copia. Est aliâs planta quam Belgæ etiam Syringam vocant, à superiori tamen dissimilem. Nam quamuis à radice virgas multas edat, nodosas, multo tamen breuiores sunt, & Fraxini tenellis virgis similiores, quàm Syringæ superioris: rariores in eis ramuli, in quibus bina ad singulos nodos aduerso situ nascuntur folia, latiora quàm in precedente, ex longiore pediculo prodeũtia, crassiora, duriora, nigriora, & ad Populi nigræ siue potius Hederæ foliorum formam accedentia. Summis ramis oblongos veluti surculos fert, ex quibus multi flores dependent, minores quàm in superiore, colore cæruleo obsoleto, odorati quidem, sed minùs quàm candidę. Subsequitur fructus oblõgus, duabus veluti valuis constans, quo bina oblonga, & compressa semina continentur, colore ex atro rufescẽte. Alitur etiam in hortis, florétque simul cum alia, tum etiam citius. Lilac nomine hunc fruticem monstrauit Matthiolus, & Glandem vnguentariam existimauit: verùm huius fructus à Pistaciis multum differt. Folio Tiliç, acutiore, & interdum angustiore, per ambitum valde dissecto, nisi admodum tenellum sit: flore candido, suauiter olente, cuius rei gratia in hortis & viridariis colitur, pallidis intus apicibus: semine paruulo, nigro, hordei grano simili, in siliquis oblongis, supernè denticulatis.

Nomen

Forma

SYRINGA flore albo Clusij.

SYRINGA CAERVLEO flore, Lilac Matthioli.

Sunt qui Oſtryam Theophraſti eſſe volunt, tum eius hiſtoria conſentiente, tum ea præſertim peculiari nota, quod ſcilicet hordei grano fructus eius ſimilis ſit. Theophraſtus. Eſt Oſtrys, quam nonnulli Oſtryam vocant, vnica ſpecies, Oxyæ (Plinius τῇ μελίᾳ, ideſt fraxino, legit,) tum ſatu, tum cortice ſimilis: folio Piri, non multo oblongiore, in acutum contractiore, & maiore, fibris multis & craſsis à medio dorſi in modum coſtarum recta ſecundum magnam fibram porrectis, in Fibris ipſis rugato, & in ambitu leuiter ſerrato: materie dura, decolore, albida: fructu paruo, oblongo, hordeo ſimili, flauo. Radices ſublimes habet. Amat aquoſa loca, & prærupta. Domos eam inferri infauſtum eſſe volunt: acerbas enim inuehere mortes, & partus, vbicumque fuerit difficiles reddere. Hæc Theophraſtus, quæ ſic exſcripſit Plinius. Gignit Græcia arborem Oſtryn, quam & Oſtryam vocant, ſolitariam circa ſaxa aquoſa, ſimilem Fraxino cortice & ramis, foliis Piri, paulo tamen longioribus, craſsioribúſque, ac rugoſis inciſuris, quæ per tota diſcurrunt: ſemine hordeo figura ſimili, & colore. Materies eſt dura atque firma. Hac ſub Oſtrya, in domum illata, difficiles partus fieri produnt, mortéſque miſeras.

Lib. 3. Hiſt. cap. 10.

Li. 13. ca. 21.

Lib. 13. c. 21.

ZIZYPHVS PVNICEA, CAP. XXIIII.

Lib. 9. c. 4.

Nomina

ARBOR Zizyphus Columellæ dicitur, Gallis *Iuiubier*. Fructus Græcis ζίζυφα, ζιζίφα, & ζίτζυφα, Latinis ſimiliter Zizypha, Arabibus *Hunen*, *Zufalzef*, ſeu *Hanab*, Officinis *Iuuubæ*, Gallis *Iuiubes*, Italis *Giuggiole*, Hiſpanis, *Azufeifa*, & *Acofeifo*, Germanis *Rotbuſtbeerle*, *Bruſtbeerlin*.

Genera.

Ibidem.

Zizyphi genera duo ſtatuit Columella, rutilam, & albam. Zizyphus rutila, ſiue phœnicea, ſiue punicea, arbor eſt, Pruno humilior, caudice contorto,

Forma.

Matth lib. 1. Dioſcor. cap. 137.

cortice ſcabro, vitis viniferæ fere ſimili: materie Oxyacanthæ proxima, radicibus firmis, ac ſolidis. Spinis tota fere riget, longis, firmis acutiſsimis, colore ex nigro rufeſcente. Ex ramis iuncei, & tenues quidam proceſſus exeunt, colore pallido, lenti, ſpithama longiores, ex quibus vtrinque per interualla folia exeunt, vt in Fraxino & Sorbo, impari tamen exortu oblonga, non magna, firma, vt in Vincaperuinca, leuiſsimè per ambitum ſerrata. Flores ex foliorum exortu prodeunt, pallidi, ac muſcoſi, ex quibus baccæ oriũtur Oliuarũ inſtar, primùm virides, deinde ſubalbicantes, poſtea, aureo colore, & cum ad perfectam maturitatem peruenerint rufeſcentes, ſiue phœniceæ, in quibus oſſeus eſt nucleus, Oliuæ nucleo ſimilis. Pulpa ante maturitatem viret, ſapore auſteriuſculo, poſt maturitatem dulcis, & guſtui non ingrata flaueſcit. Zizyphus in calidis regionibus, & in Italia, & Gallia Narbonenſi prouenit. Leguntur Zizypha Septembris fine vnà cum iunceis ramuſculis, & in manipulos colligata laquearibus ſuſpenduntur, priùs diebus aliquot inſolata. Poſtremo decerpuntur, & in capſulis aſſeruantur ad medicos vſus. Sũt etiam qui decerpta, & cratibus tegetibúſque inſtrata, tam diu inſolant, quouſque rugoſa ibidem fiant. Zizypha in humiditate & caliditate tem

ZIZYPHVS
Punicea.

Locus.

tate temperata habentur, inquit Matthiolus, de quibus hæc apud Auicennam leguntur. De Iuiubis, id est, Sericis. Iuiubæ meliores sunt quæ maiores. Frigidæ quidem hæ in siccitate & humiditate temperatæ sunt, parum ad humiditatem declinantes. Aduersus sanguinem acrem, & calidum conferunt, quia, vt opinor, ipsum incrassant, & viscidum reddunt. Qui verò ab ipsis sanguinem expurgari & detergeri aiunt, non rectè illi quidem sentiunt, nec illis assentior. Parum illa nutriunt, & difficilè concoquuntur. Serica quid ad tuendam sanitatem, morbósue profligandos valeant, testis esse non possum, inquit Galenus? Exiguum præbent alimentum, difficilè concoquuntur, ideo stomacho non sunt vtilia, conferunt pectori & pulmoni. Existimant quidam dolori renum, & vesicæ conferre. Actuarius meminit Zulapij è Zizyphis ad ardentem Febrem, quod purgat sanguinem, & tussi, ac ex calore destillationi succurrit. Simeon Sethi Zizypha, inquit, humido, calidóque esse temperata, iisque propriam vim inesse sanguinis acrimoniam reprimendi: bonum succum creare: & sanguinis serum vacuare. Horum decoctum tussi, & spirandi difficultati conferre, item pectori, renibus, & vesicæ. Præstantiora esse maiora, qualia Edessina. Vomitionem acri humore concitatam sedare. Verum ægrè concoqui, & lienem lædere. Quare eorum decoctum salubrius propinari. Hæ sunt variæ auctorum de Zizyphis sententiæ. Auicenna, frigida esse, sed in sicco humidóque temperata, Simeon in humido calidóque temperata esse tradit. Auicenna ab ipsis sanguinem purum reddi, & abstergeri negat, Actuarius Zulapio ex sericis scribit sanguinem expurgari, Simeon sanguinis serum euacuari, bonúmque succum gigni omnes difficile concoqui, ad tussim, pectoris, pulmonum vitia, valere, sanguinem acrem domare consentiunt. Galenus nonnullorum sententia Zizypha Serica vocat, nullámque in iis se inuenisse facultatem scripsit ad valetudinis conseruationem, aut ad morborum curationem, sed ab effrenatis tantùm pueris, & à mulierculis in cibo expeti: vnde capta occasione Fuchsius Auicennam, atque cæteros omnes Arabicæ familiæ auctores reprehendit, asserens omnia quæ de Zizyphorum viribus literis mandarunt, falsa esse, in quo non Arabas scriptores solùm, sed Græcos recentiores damnat. Nam Actuarius, vt dictum est, Zizypha ad pectoris morbos ex calidis humoribus natos, compositis medicamentis admiscuit: item iis quæ bilem deiiciunt, quibus adstipulantur ea quæ ex Simeone Sethi supra memorauimus. Eadem per sæpe in suis compositis medicamentis Nicolaus Alexandrinus vsurpat. Præterea hæc ita experientia comprobata sunt, vt iam rectè Auicennam scripsisse constet, à Zizyphis sanguinis feruorem, & acrimoniam reprimi, atque ideo pectoris & pulmonum vitiis prodesse, à calidis humoribus ortis, quod sanguinem incrassent. Quod si quis eos damnauerit, qui temerè & sine diorismo Zizyphi ad tussim, aliáque pectoris vitia, ex quauis causa etiam frigida, suborta, rectè ille quidem, & cum Mauritanis auctoribus senserit. Sed Galeni Serica an Zizypha sint dubitant etiam docti medici, cum Plinius diuersa esse statuere videatur. Æquè peregrina sunt, inquit, Zizypha & Tuberes, quæ & ipsa non pridem venere in Italiam. Hæc ex Africa, illa ex Syria. Sextus Papinius quem consulem vidimus, primus vtique attulit, Diui Augusti nouissimis temporibus, in castrorum aggeribus sata, baccis similiora quàm Malis: sed aggeribus præcipuè decora, quoniam & tecta iam syluæ scandunt. Tuberum duo genera, candidum, & à colore sericum dictum. Idem rursum: ab Amygdala proximè florent Armeniacæ, dein Tuberes, & præcoces: illę peregrinæ, hæ coactæ: Zizypha grano seruntur, mense Aprili. Tuberes melius inseruntur in Pruno syluestri, & Malo Cotonea, & in Calabrice. At Columella Tuberum nusquam meminit, sed Zizyphorum

Temper. & Vires Idem. Li. 2. c. 369.

Li. 2. Alim.

Serap. c. 77. Li. 5. meth.

Li. 2. Alim.

Matt. Ibid. Li. 15. ca. 14.

Li. 16. ca. 25. Li. 17. ca. 10.

rum

rum duo tradidit genera vt diximus. Quare Plinij codices deprauatos esse suspicatur Matthiolus, in quibus Zizyphis adscribendum esset, quod de tuberibus deprauatè legitur, maximè cum non solùm Columella, sed inter Arabas Auicenna, inter recentiores Græcos Simeon Sethi, duas Zizyphi species fecerint, Plinius vnam duntaxat. Denique cum Auicennæ & Serapioni Galeni Serica eadem sint quæ Zizypha, Matthiolus eadem quoque esse statuit. Cui sententiæ aduersatur Cornarius, qui Plinio referente tuberum duo genera esse credit, alterum candidum, alterum Serieum à colore dictum, ideſt, inquit, sub flauum qui serici natiui puri, & adhuc crudi color est. Ab hoc colore Serica non alia esse quàm quæ Galen. σήρικα dixit, quæ à Zizyphis perspicuè Plinius distinxit. Tuberum, quos Nuciperſica vulgus appellat, duo genera cunctis fere nota sunt: alterum, etiam cum maturuit, ex albo subuirescens, eodem in toto pomo colore: alterũ, toto fructu rubro, vel qua parte solẽ spectat, rubescente, altera sub flauo, quem esse credunt suauioris ac delicatioris gustus. Hoc videlicet esse putatur Sericũ Plinij. Tuberis huius meminit Petronius his lepidissimis versiculis:

In li. 2. Pau. cap. 81.

Infælix modo crinibus nitebas,
Phœbo pulchrior & sorore Phœbi,
At nunc leuior ære, vel rotundo
Horti Tubere, quam rigauit vnda,
Ridentes fugis, & times puellas.

ZIZYPHVS ALBA NOSTRA, CAP. XXV.

Nomina

ZIZYPHVS alba, ab Arabibus auctore Andrea Bellunensi in expositionibus nominum Arabicorum Auicennæ, nuncupatur *Azadaracht*, à Damascenis *Zaizalacht*, ab Italis quibusdam sine vlla ratione Sycomorus, à mulierculis *Albero da le patenostri*; à Turcis *Thespic.*

Forma.

Arbor est iustæ magnitudinis, foliis ferè Fraxini, minoribus, obscuriùs viren-

ZIZYPHVS
Alba Dalech.

ZIZYPHVS ALBA
Matth. siue Pseudosycomorus.

tibus:

tibus: flore cæruleo, quinque foliolis constante, è cuius medio eminet apex niger, purpurascens, Caryophyllis nostris valde similis. Fructum fert rotundum, Cerasi figura, gustanti initio dulcem, tandem amarissimi, ingratissimíque saporis, nucleis natura eleganter striatis, & quos adacta acicula facilè perfores. Quamobrem mulierculæ & monachi precarios globulos ex iis conficiunt. Reperitur, inquit Bellunensis, Venetiis, & Patauij in claustris monachorũ. Colitur in quibusdam etiam hortis ciuitatis Monspeliensis. Auicennas Sectione sexta, libr. 4. fructum ac lignum huius arboris occidere tradit ea ipsa animalia quæ Rhododendro necantur, remedióque esse tum quod in vniuersum traditur de venenis omnibus, tum etiam priuatim, quod Rhododendri maleficæ vi resistit.

MYXOS ARBOR. CAP. XXVI.

HVIVS arboris à Dioscoride & Galeno nulla, à posterioribus Græcis Paulo, Aetio, Psello, Actuario frequens fit mentio, quæ Plinij ætate nasci Romæ cœpta est, insita Sorbis. Μύξος nuncupatur, fructus μύξαι, μύξα, μυξάρια, Plinio Myxæ, ab aliis Myxa, & Myxaria, à muccoso pomi lentore: μύξον enim Græci muccum vocant, Officinis Arabas secutis *Sebesten*, qui etiam *Mocheica*, *Mukeita*, & *Mokaita* vocant, Galli *Sebestes*. Syros coniicit Ruellius ab Augusti honore Myxa Sebastas appellasse, vnde Arabum, & Officinarum *Sebesten*, nomen deductum. Myxos arbor est Pruno non dissimilis, sed minor. Caudici cortex candidus: ramos fundit viridi colore nitentes: folia in rotundum circinata, rotundioráque quàm Pruni, ac firmiora: flores albicant, racematim prodeuntes, ex quibus fructus oriuntur paruis Prunis similes, caliculo orbiculato, vt glandes, ima parte adnexi, nucleo intus triquetro, qui satis baccæ suæ proportione respondet. Ii fructus maturi in atrum vi-

Li. 15. ca. 13.

Nomina

Li. 1. ca. 111.

Forma.

Matth. li. 1. Dioscor. c. 137

PRVNVS
Sebestena Matth.

MYXOS ARBOR,
siue Sebestena nostra.

rescunt,

Li. 13. c. 5. & lib. 15. ca. 13.

reſcunt, guſtu prædulci, ac lenta, viſcidáque pulpa. Maturi leguntur inſolantúrque vt paſsi, & in rugas contracti recondantur. Myxa, Plinio auctore, in Damaſco Syriæ, & in Ægypto primùm naſcentia, deinde Italiæ familiaria fuere. Nunc in locis calidis, & in Italiæ viridariis quibuſdam virent. Temperaméto ſunt æquali, neque frigida, neque calida. Deiectoria vis ineſt, vt & Prunis, tam Græcorum ſcriptorum quam Arabum teſtimonio, tametſi aliter ſenſerit Fuchſius, qui ea potius adſtringendi vi prædita eſſe ait, à quo tum veteres, recentioréſque medici, tum quotidiana experientia diſſentiunt. Myxa Paulo, fructus arboris eſt, minor quidem Prunis, facultate verò conſimilis. Vẽtrem molliunt Myxa vt & Pruna, de quibus Galenus dixit, Pruni fructus ventrem ſubducit, recens quidem magis, aridus verò minùs. Actuarius Myxa medicamentis multis commiſcet quæ bilem deiiciunt. Myxorum pulpa drachmarum decem, aut ſummùm duodecim pondere ſumpta, eoſdem fere prebet effectus, quos Ægyptia Siliqua, improbanda Fuchſij ſententia, qui Electarium è Myxis, quod Officinæ Diaſebeſten vocant, non Myxorum, ſed aliorum medicamentorum deiectoria vi, quæ Myxis adduntur, aluum purgare arbitratur. Nam ſi id per ſe præſtant, vt oſtendimus, idem etiam aliis admiſta præſtabunt. Myxa etiam vtiliter dantur ex bile febricitantibus, atque Paulo, Aetio, Pſello, Actuario auctoribus, linguæ aſperitatem mirificè leniunt. Adhæc pectori & tuſsi opitulantur, ventris tænias pellunt: vrinæ ardoribus à bile ortis aut ſalſa pituita, maximam opem præſtant, deuorata triginta, aut quadraginta. Ex iure carnium macerata, prima ſtatim menſa ſumpta, aluum commodiſsimè citant. Præſtantiora ſunt plena, pinguia, carnoſa, quæque ſitum non redolent, teredine non arroſæ.

Libr. 7.

In parad.

Matt. ibid.

Temper. & vires

Locus.

Lib. 7. ſim.

PISTACIORVM ARBOR, CAP. XXVII.

Nomina

PISTACIORVM arboris fructus πιστάκια Græcis vocantur, Nicandro φιστάκια, Poſsidonio βιστάκια, Latinis etiam Piſtacia, & Piſtacea, & Piſtaciæ fœminino genere, Arabibus *Puſtech*, aut *Feſtuh*, Officinis & Barbaris *Fiſtia* dicuntur, Italis *Piſtacchi*, Hiſpanis *Albocigos*, Germanis *Vuelſch Tampernuſslin*, Gallis *Piſtaches*, Boëmis *Piſtacya*: Anglis *Piſtakes*, & *Fiſtikes*.

Forma

Tota arbor Terebintho ſimilis eſt, foliis ex viridi colore in luteum inclinantibus, vtrinque è ramuſculis, velut in Terebintho emergentibus. Nuces racematim prodeunt ex ramorum ſummitatibus Amygdalinis fructibus minores, Pineis nucleis paulo maiores, duplici cortice & nucleo conſtantes, figura oblongæ, acuminatæ ſupra, infra pediculi, cui adhæſerunt veſtigium ſeruantes, ab vna parte tumidiore, & in angulum deſinente ventre protuberantes, vna commiſſura per mediam anguli longitudinem tranſeunte, cum maturuerunt dehiſcente. Exterior cortex carnoſus, modicè rugoſus eſt, ſupremo Amygdalæ putamini ſubſtantia, & colore ſimilis, qui facilè à maturis fructibus recedens, interiorem oſtendit corticem, colore candidum, ſuperficie glabrum, ſubſtantia durum, lentum, fractu contumacem, & veluti oſſeum, qui intus barbatæ, rufæque Auellanæ nucleo, ſimilem, & æqualem nucleum continet, ſubſtantia tenerum, pinguem, colore in flauo vireſcentem, rubente cuticula velatum, guſtu dulcem, valde ſuauem, tenuem, oríſque halitum commendantem. Eligito maximas nuces, ponderoſiſsimas, candidiſsimas, ſponte ſua modicè dehiſcente commiſſura plenum, recentem, neque raucidum, neque rugoſum, neque ſitu obſitum nucleum oſtendentes. Quæ autem ab his notis, vel ab aliquibus earum recedunt & diſcrepant, inutiles ſunt, neque medicamentis intra corpus ſumendis miſcendæ: ſed Liuores ex ictu ſuggillatáue curantibus cõfectionibus

PISTACIORVM
Arbor.

nibus relinquendæ. Ex his tam perſpicuis notis colligit Matthiolus, Indicam Terebinthum Theophraſti proculdubio eſſe Piſtaciorũ arborem. Sic enim eam deſcripſit ille. Ferunt & in India Terebinthum eſſe, arborem alteri ſimilem Terebintho, cui folia & rami, & reliqua omnia Terebintho ſimilia, fructus autem diuerſus, ſimilis enim Amygdalis. Nam & in Bactris Terebinthum hanc eſſe, ferréque nuces Amygdalarum magnitudine, non enim magnas, ſed aſpectu ſimiles, & ſuauitate Amygdalis præſtantiores, ideóque loci illius homines his potiùs veſci. His accedit Athenæi teſtimonium. Poſsidonius Stoicus tertio hiſtoriarum libro ſic ſcripſit. Fert & Perſion Arabia, atque Syria, & quod Biſtacium vocatur, cui fructus racematim congeſtus albo cortice, longus, nucibus ſimilis, τοῖς ἀκροδρύοις non δαικρύοις, quæ Vuarum modo aliæ aliis incumbunt. Interior pulpa viret, & minùs boni ſucci eſt, quàm Strobili, ſed odoratior. Fratres qui Georgica conſcripſerunt, libro tertio ſic habent, & Fraxinum, & Terebinthum: Syri nunc Piſtacia vocant. Hæc ex Athenæo. Syria, inquit Plinius peculiares habet arbores. In Nucum genere Piſtacia nota. L. Vitellius qui cenſor fuit, & hæc in Italiam primus intulit ex Syria, cum legatus in ea prouincia fuiſſet, nouiſsimis Tiberij Cęſaris temporibus. Mox & in Hiſpaniam qui cum eo militauerat Flaccus Pompeius Eques Romanus. Venetiis hæc, inquit Hermolaus, Iudaico vico ſatu ſeminis enata vidi. Nunc etiam Caietæ, Neapoli, & in aliis Italiæ viridariis viſuntur. Iam in Pariſienſi agro in ædibus ſacris Diuæ Mariæ è ſemine nata vidit Ruellius. Adoleuit fructúmque tulit & hæc arbor Lugduni. Ea quorum communis eſt in Officinis vſus, ex Syria adferuntur. Piſtacia, quæ conſtat in Syria gigni autore Dioſcoride Pineis nucibus ſimilia ſunt, & ſtomacho amica. Trita cum vino contra ſerpentium morſus proſunt, ſiue edantur, ſiue bibãtur. Piſtacia prodeſſe aduerſus ſerpentium morſus tradit Plinius, & potu & cibo, eóſdemque vſus & effectus habere, quos Pinei nuclei, prætereáque ad ſerpentium ictus, ſiue edantur, ſiue bibantur. Galenus in magna Alexandrina naſci tradidit, ſed multo vberiùs in Berrhœa, vrbe Syriæ, parum quidem nutrientia, verum ad hepar roborandum, & ſuccos in ipſius viis infarctos purgandos, vtilia: qualitatem enim habent aromaticam, ſubamaram, & ſubadſtringentem. Porro an ſtomacho noxia ſint, an vtilia, an aluum molliant, an adſtringant, non auſim affirmare. Et alio in loco. Piſtacrum in Syria copioſe prouenire idem rurſum ſcribit, fructúmque eius eſſe quodammodo tenuioris eſſentiæ, & ſubamarum quidpiam ac odoratum habere; obſtructiones itaque liberare, ſed maximè iecoris, verumtamen etiam thoracis pulmoníſque. Auicennæ Piſtacium calidum eſt in fine ordinis ſecundi, & humidum. Qui frigidum eſſe putant, vehementer errant. Aperit obſtructiones hepatis qualitate amara & aromatica, ineſt & in eo vis adſtringens: parum admodum nutrit, ſtomacho vtile eſt, id propriè quod in Syria prouenit, Pineo nucleo ſimile, ob amaritudinem cum

In li. 1. Dioſc. ca. 140.

Libr. 4.

Lib. 13. ca. 5.

Cor. c. 179. libr. 1. *Locus.*

Lib. 1. c. 116.

Li. 1. c. 140. *Vires & Temper.*

Lib. 9. ca. 5.

Lib. 23 c. 8.

Li. 2. Alim.

Libr. 8. ſim.

Li. 2. c. 176.

quadam adstringendi facultate. Scribit quidam sese non comperisse, stomacho ne multum noceat, an prosit. Ego verò eo corroborari os ventriculi, prohiberíque nauseam ac vomitionem censeo. Neque lenit ventrem, neque adstringit. Decoctum eius cum vino optimo morsibus venenatorum vermium confert. In quibus Auicenna cum nominatim Galenum vellet reprehendere scribit quidam, inquit, & cætera: neque id sine ratione: nam ori ventriculi robur addi à subamara, sub adstringentéque facultate, quæ in pistaciis deprehenditur, nullus est qui negare possit. Qua ratione freti medicorum nonnulli non modo ad iocinoris infarctus Galenum secuti, sed ad iecur ipsum ventriculúmque roborandum, ea tam cibis quàm medicamentis commiscent. Quin & ad excitandam venerem, & ad restituendum bonum corporis habitum maciæ,& marcore affectis commendant.

PALMA, CAP. XXVIII.

Nomina ARBOR quæ φοίνιξ Græcis, Latinis Palma dicitur, Arabibus *Machla*, aut *Nachal*, Gallis *Palme* & *Palmier*, & *Dactier*, Italis *Palma*, Germanis *Dattelbaum*, Hispanis *Palmeira*, Anglis *Daets tre*, Belg. *Dayeboom*: Boëmis *Daktyle*: fructus δάκτυλοι, & φοίνικες Græcis, Latinis *Palmulæ*, & *Dactyli*, Arabibus *Tamar*, Italis *Dattoli*, Gallis *Dactes*, Hispanis *Tamaras*, & *Datiles*. Palma arbor aspectu pulchra, & procera, recto ac terete quidem trunco, verum densis gradatísque corticum pollicibus salebroso potius, quàm scabro, quibus, vt gradibus facilem se ad scandendum Orientis populis præbet. Ramos cacumine tantùm in orbem spargit, suo vertice terram spectantes, foliis longissimis, duplicibus, gladij figura, siue arundinaceis quæ, vt ait Plinius, vt primum nouellas ostendere gemmas, tunc ad funes, vitiliúmque nexus, & capitum leuia vmbracula finduntur. Sic enim legendum. Nascitur inter primos fere ramos ex ipso caudice corticosus loculus, duarum spithamarum longitudine, latiusculus, gladij videlicet latioris specie, quod palmam totius stirpis nomine, & Elaten, & Spathen appellari Dioscorides tradidit, inuolucrum floris & fructus Palmarum. Non enim solum fructus tegumentum, Elate nominatur à Græcis, sed etiam fructus qui sub ipsa continetur, inquit Dioscorides, ab aliquibus autem Borassus. Quare Galenus cum scripsit, ὃ δὴ χαλῶσιν ἐλάτην, τὸ ἀπαλὸν ἐκβλάστημα τῆς φοίνικος, τὴν αὐλὴν τοῦ καθ' αὐλὴν ἐγκεφάλῳ διαφάμιν ἔχει. τὸ δὲ οἷον ἀμφίεσμα αὐτῆς, συμπλοκὴν μοῦ ἔχει, & cætera, Elaten fructus Palmæ germen vocat, ipsum verò tegumentum quod Dioscorides περικάλυμμα dixit, ἀμφίεσμα, nominat, ita enim legendum, non vt exemplaria nostra habent ἀφέψημα. Ex Elate floris ac fructus inuolucro dehiscente, atque in longum sese pandente, flores prodeunt numerosi, tenuibus villis

Forma.

PALMA
Arbor.

Lib.1.c.126.

Ibidem.

Lib.8. fin.

PALMA

Elate.

villis appenſi, inſtar racemi magni coaceruati, facie Crocinis ſimiles, ſed multo minores,& candidi. Ex his enaſcuntur Dactyli, fructus teretes, & oblongi, nucleo intus duriſsimo, oblongo, & canaliculato. In trũci ſuperna parte cerebrum includitur, ἐγκέφαλον Theophraſt. Galenus, atque alij Græci vocãt, quod Dioſcorides ἐγκάρδιον τοῦ φοίνικος, ideſt medullam trunci appellat impropriè, cum ἐγκάρδιον Theophraſtus vbique pro medulla vſurpet, quam & καρδίαν, & μήτραν, & μύελον, appellari tradit, & quod medium eſt in ligno, tertium à cortice, exponit. At cerebrum Galenus etiam verticem & ſummitatem Palmæ dixit, καθάπερ ἔνιοι, inquit, ἐσθίουσι τὴν κορυφὴν τοῦ φοίνικος, ἣν ὀνομάζουσιν ἐγκέφαλον αὐλοί. Plinius idem & medullam & cerebrum vocauit. Dulcis medulla earum, inquit, in cacumine, quod cerebrum appellant, exemptáque ea viuunt, quod non aliæ. Palmarum multa ſunt genera Theophraſto. Aliæ enim fructiferæ, aliæ ſteriles: & fructiferarum aliæ mares, aliæ fœminæ. Sed hoc inter eas intereſt, quod mas primum florem in ſpatha profert, fœmina fructum ilico longum. Fructuum differentiæ multæ. Alij enim nucleo carent, alij nucleum habent: quidam durum, nonnulli mollem (ſic enim Gaza legit. οἱ μὲν δὴ ἀπύρηνοι, οἱ δ' πυρῆνα ἔχοντες, καὶ τινὲς σκληροπύρηνοι, οἱ δὲ μαλακοπύρηνοι. Plinius vero, οἱ μὲν δὴ βραχυπύρηνοι, οἱ δὲ μακροπύρηνοι, & cætera: ſic enim conuertiſſe videtur. Fructiferarum aliis breuius lignum in pomo, aliis longius, his mollius, illis durius) Præterea colore à ſeſe fructus differunt. Alij enim candidi ſunt, alij nigri, alij flaui. Denique non pauciores quàm in ficis traduntur eſſe colores, neque plura genera. Diſcrepant etiam magnitudine, figuráque. Quidam enim rotundi ſunt, veluti. Mala, & magnitudine tanti, vt quatuor in ſpica vna ſint, alij parui Cicerum magnitudine. Succis quoque à ſeſe diſtant, ſed optimum tam inter nigros, quàm inter candidos genus eſſe aiunt, quod Regium vocant, tum magnitudine, tum viribus, rarum autem id eſſe, fere enim in ſolo horto Bati (βάτυ habent noſtra exemplaria, Gaza βάτὸνυ, legit, Plinius Βαγώου, alij βήλυ) apud Babylonem reperiri. In Cypro peculiare eſt Palmarum genus, cuius fructus non matureſcit, crudus tamen valde ſuauis, dulcíſque eſt, peculiarémque dulcedinem ſortitur. Palmæ quædam non fructu tantum, ſed & arbore ipſa à ſeſe diſtant, nimirum proceritate, reliquáque forma. Sunt enim quædam nec magnæ, nec longæ, ſed breues, etiam fœcundiores aliis, & in trimatu ſtatim feraces. Cuiuſmodi multæ ſunt in Cypro. In Syria & Ægypto Palmæ proueniunt, hominis altitudine quæ quadrimæ, & quinquennes fructum edunt. Cuidam in Cypro generi folium latius eſt, & fructus multò maior, peculiariſque formæ, magnitudine Mali Punici figura oblongus, ſucco minus grato quàm in cæteris ſed Punico ſimili: ὁ μοίως τοῖς ῥοιοῖς, non ῥιζοῦς, itaque non deuoratur, ſed commanducatus expuitur. Palmæ genera vnde quinquaginta ſunt Plinio. Clariſsimæ omnium, quas Regias appellauêre ab honore, quoniam Regibus tantùm Perſidis ſeruabantur,

Genera.

Lib.1. Hiſt. cap. 4.

Li. 2. Alim.

Li. 13. ca. 4.

Lib.1. Hiſt. cap. 8.

Li. 13. ca. 4.

Li. 13. ca. 4.

Lib. 13. c. 4.

Babylone natæ, vno tantum in horto *Bagou*. Ita enim vocant Spadones: qui apud eos etiam regnauêre. Hortus ille nunquam nisi dominantis in aula fuit. At in meridiano orbe præcipuam obtinent nobilitatem Syagri, proximámque *Margarides*. Eæ breues, candidæ, rotundæ, acinis quàm balanis similiores. Quare & nomen à margaritis accepêre. Vna earum arbor in Chora esse traditur, vna & Syagrorum. Mirúmque de ea accepimus, inquit Plinius, eam cum Phœnice aue, quæ putatur ex huiusce Palmæ argumento nomen accepisse, emori, ac renasci ex seipsa: erátque cum hæc proderem, fertilis. Ipsum pomum grande, durum, horridum, & à cæteris generibus distans sapore ferino, quem fermè in apris nouimus, quæ euidentissima causa est nominis. Quarta auctoritas Sandalidum, à similitudine appellatarum. Iam in Æthiopiæ fine quinque earum, nec plures arbores tradunt, non raritate magis, quàm suauitate mirabiles. Ab his Caryotæ maximè celebrantur, & in cibo quidem, sed & succo vberrimæ, ex quibus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, vnde pomo nomen. Sed vt copia ibi atque fertilitas, ita nobilitas in Iudæa, nec in tota, sed in Hiericunthe maximè. Quamquam laudatæ, & ex Archelaide, & Phaselide, atque Liuiade, gentis eiusdem conuallibus. Dos his præcipua succo pingui lactentibus, quodámque vini sapore, vt in melle prædulci. Sicciores in hoc genere Nicolai, sed amplitudinis præcipuæ: quaterni cubitorum longitudinem efficiunt. (Quidam legunt quaternum cubitorum lõgitudinem efficiunt, ad miraculum vsque Nicolaos euehentes) Minus speciosæ, sed sapore Caryotarum Sorores, ob hoc Adelphides dictæ, proximam suauitatem habent, non tamen eandem. Tertium ex his genus Pateton, nimio liquore abundat: rumpítque se pomi ipsius, etiam in sua matre ebrietas, calcato simile (nempe ruptum & velut obritum calcatu.) Suum genus è sicciore turba Dactylis, prælonga graçilitate, curuatis interim. In totum arentes Thebaides, atque Arabicæ, macróque corpore exiles, & assiduo vapore torrente, crustam verius quàm cutem obducunt. In ipsa quidem Æthiopia friatur (tanta est siccitas) & farinæ modo spissatur in panem. Gignitur autem in frutice ramis cubitalibus, folio latiore, pomo rotundo, sed maiore quàm Mali, amplitudine, Cycas vocant. (Coicas Theophrastus, cap. 16. lib. 1. historiæ: hodie Coccos, qui in Æthiopiam nauigant: officinæ, Nucem Indicam, de qua post hac seorsim tractabimus.) Triennio matureſcunt. Sempérque frutici pomum est, subnascente alio. Thebaidis fructus ex templo in cados conditur, cum sui ardoris anima: ni ita fiat, celeriter expirat, marceſcítque non retostus furnis. Ex reliquo genere Plebeiæ videntur. Syri & Iuba tragemata appellant. Nam in aliqua parte Phœnices, Ciliciæque, populari etiam nomine à nobis appellantur Balani. Earum quoque plura genera. Differunt figura proceritate, ac fructus, rotunditate. Differunt & colore, nigriores ac rubentes. Nec pauciores ficu traduntur colores. Maxime tamen placent candidi. Distant & magnitudine, pro vt multi cubitum effecêre. Quidam sunt non ampliores Faba. Quas Plinius in Caryotorum genere Nicolaos vocat insigni amplitudinis, ab Augusto ita primùm nominatas fuisse, in honorem Nicolai, Peripatetici Philosophi, crebro eas ad illum misitantis auctor est Athenæus. Plutarchus Augustum tradit Nicolaum Peripateticæ familiæ Philosophũ amore singulari prosecutũ fuisse, claris moribus, & egregia indole præditũ quidẽ, sed strigosa corporis proceritate, rubicundo vultu, à quo maximas, pulcherrimásque Phœnico balanos siue Palmulas Nicolaos appellauit. Eorundem Paulus meminit, quo loco in epithema ex vinaceis φοίνικας νικολάους δλέκα coniicere iubet. Visuntur Palmæ arbores in multis Italiæ, & Galliæ Narbonensis hortis,

Cor. Emb. 122. libr. 1. Dioscor.

Lib. 14. in quæstio. Conuiual.

Libr. 7. *Locus.*

& viri

& viridariis, eximia magnitudine, ac ſpecioſa proceritate, ſed vel ſteriles, vel fructum non percoquentes. Non enim niſi in calida regione proueniunt, quæ vero fructum maturent, nuſquam niſi in feruida. Ferunt in Hiſpaniæ maritimis fructum, vt ait Plinius, verùm immitem: dulcem in Africa, ſed ſtatim euaneſcentem. Naſcuntur & in Creta, Cypro, Africa, Ægypto, Phœnice, Syria. Iudæa verò inclyta eſt Palmis. Venetias Palmarum fructus ex Syria, & Alexandria Ægypti aduehuntur, atque etiam ex Neapoli, illuc priùs ex Numidia importati. Arbor hæc, vt ſcribit Theophraſtus, ſolum arenoſum amat, & ſalſum (ἀλμυρὸν, vox deeſt in noſtris exemplaribus) Quare vbi tale non ſit agricolæ ſalem aſpergunt. Quod autem tali loco delectentur, illud argumento eſt, quod vbicumque Palmarum copia ſit, arenoſa eſt terra. Huiuſmodi enim in Babylone eſſe dicitur, in qua Palmæ proueniunt, in Libya, Ægypto, Phœnice, & Syria Caua, quáque regionis ſuæ parte Indi plurimas habent, in arenoſis tantum locis naſcuntur quæ conſeruari poſſunt, in aliis ſeruari non poſſunt, ſed putreſcunt (Nam ſic emendanda Græca exemplaria, ἢ φοινίκῃ ἢ τῇ συρίᾳ τῇ κοίλῃ, ἢ καθ' τὼ ἰνδοὶ πωλέουσας τυγχάνουσιν ἔχοντες, ἐν μόνοις τόποις ἀμμώδεσιν εἶναι, τὰς διαμένουσας θησαυρίζεσθαι τὰς δ' ἐν τοῖς ἄλλοις οὐ διαμένειν, ἀλλὰ σήπεσθαι: quorum nonnulla Gaza omiſit, qui ſic conuertit, Syriæ quoque Cauæ cognominatæ, tribus tantùm in locis arenaceis eas gigni, quæ condi reſeruaríque poſſunt: reliquas autem quæ cæteris in locis proueniunt, minimè durare, ſed protinus putreſcere) virides autem ſuaues eſſe, atque ita conſumi. Amant etiam maximè rigationem. Palma perpetuò viret, florétque vêre, autumno vnà cum Ficubus fructus matureſcit. Decerpitur maturus, & immaturus, Dioſcoride auctore. Medio, inquit, maturitatis vigore autumno decerpi ſolet, Arabicæ Myrobalani ſimilis, Pomatis cognomine, colore viridi, & odore Mali cotonei, quod ſi ad maturitatem peruenire ſinatur, Phœnicobalanus fiet. Sed quod Palmæ fructum medio maturitatis vigore decerpi Ruellius in ſua verſione dixit, in Græcis ita habetur. Τρυγᾶται ἡμέσης τῆς καλὰ τὴν ὀπώραν ἀκμῆς ſic enim legendum, & id vidit Lacuna, cum ſcriberet, iudicent eruditi, an ſic potius ſint vertenda, Decerpitur autem in medio vigore autumni. Cornarius ſic interpretatus eſt. Decerpitur ex Palma fructus in medio vigore, ſub, caniculæ. Eſt enim ὀπώρα, inquit, exortus Canis principium, ſecunda videlicet pars æſtatis, vt Galenus in Apho. Hippocratis ſcripſit, quo tempore immaturus adhuc ille Palmæ fructus decerpitur. De hoc immaturo & maturo Palmæ fructus, eadem quæ Dioſcorides, Plinius tradit his verbis. Myrobalano in vnguentis ſimilem proximúmque vſum habet Palma in Ægypto, quæ vocatur Adipſos, viridis, odore Mali Cotonei, nullo intus ligno. Nam quod idem alibi ſcripſit, in huius arboris fructu prima naſcitur Pomi caro, poſtea lignum intus, hoc eſt ſemen eius: Argumentum quod paruæ ſine hoc reperiuntur in eodem palmite.) Colligitur autem paulo antequam incipiat matureſcere. Quod relinquitur Phœnicobalanus vocatur, & nigreſcit, veſcentéſque inebriat. Dixit autem præcedenti capite Troglodytis, & Thebaidi, & Arabiæ, quæ Iudæam Ab Ægypto diſterminat, communis eſt, naſcens vnguento, vt ipſo nomine apparet. Quo item indicatur, & glandem eſſe arboris, Heliotropio, quam dicemus inter herbas, ſimili folio, fructus magnitudine Auellanæ nucis. Hæc cum de Myrobalano quæ Dioſcoridi eſt βάλανος μυρεψικὴ, ideſt glans vnguentaria, & μυροβάλανον ἀραβικὴν, Myrobalanum Arabicam, dici inter omnes conſtet, ipſam tamen Plinium vix nouiſſe ex eo perſpicuum eſſe poteſt, quod Myrobalano in vnguentis ſimilem proximúmque vſum habere Palmam quæ in Ægypto vocatur Adipſos, & cætera, ſcripſerit. Non

Li. 13. ca. 4.

Li. 2. Hiſt. cap. 8.

Tempus.

Lib. 1. c. 125.

Embl 122.

Li. 1. Dioſc.

Li. 3. aph. 14

Li. 12. ca. 22.

Li. 4. ca. 154.

enim ille Palmæ fructus Myrobalano ſimilem in vnguentis vſum habet, ſed ſimilis eſt, vt Dioſcorides ait, Arabicæ Myrobalano, figura videlicet, & magnitudine, quæ nucem Ponticam refert, velut etiam Plinius teſtatur, & Dioſcorides libro quarto aſſerit, vbi Balanum Myrepſicam vocat, quam hoc loco Arabicam Mirobalanum. Gulielmus tamen Rondeletius olim præceptor meus, in examinandis his rebus perſpicaciſsimus Arabicam Myrobalanum cum qua immaturum Palmæ fructum Dioſcorides comparat, vnguentariam eſſe non arbitrabatur, ſed flauam catharticam, citrinam officinarum, in iis Ægypti locis frequentem, in quibus gignuntur Phœnicobalani. Qui Plinium à calumnia defendere conantur aiunt, cum ſcripſit Ægyptiæ Palmæ ſimilem Myrobalano & proximum vſum eſſe in vnguentis, de Elate Palmarum hoc intellexiſſe, qua in ſpiſſamenta vtuntur vnguentarij. Niſi codex mendoſus eſſet, in quo pro Phœnicobalano Myrobalanum legimus, vehementer erraſſe Plinius videretur, libro vigeſimotertio cap. quinto, ac fructus illos confudiſſe, quo loco ſcribit, Palma, quæ fert Myrobalanum, probatiſsima in Ægypto. Oſſa non habet reliquarum modo in balanis (colliguntur enim immaturæ priuſquam nucleus intus gignatur.) Aluum & menſes ſiſtit in vino auſtero, & vulnera conglutinat. Non enim Palma fert Myrobalanum, ſed alia
Li.4.c.154. arbor quam Dioſcorides Myricæ ſimilem dixit, Theophraſtus Myrto, Plinius
Li.12.ca.21. folio ſimili. Heliotropio, & medicas vires hoc loco Myrobalano à Plinio attributas, Dioſcorides palam immaturo Palmæ fructui adſcribit, vt dicemus. Palmæ fructus immaturus, à Dioſcoride vocatur πῶμα, quæ vox potionem ſignificat, Plinio Adipſos dicitur, quod ſitim eximat. Quum autem ſint qui peculiare quoddam Palmæ genus Adipſon vocatum, à Plinio Myrobalanum officinarum eſſe volunt, hi perſpicuè refelluntur à Dioſcoride, qui eidem Palmæ & Poma immaturum, & Phœnicobalanum maturum fructum tribuit: & ab ipſo etiam Plinio, qui quæ Dioſcorides de Pomate immaturo, eadem apertè de Adipſo tranſſcripſit, idque quod Adipſo maturum ſuccedit Phœnicobala-
Li.12.c.22. num vocari ſcripſit. Quare in his Plinij verbis, Palma in Ægypto quæ vocatur Adipſos, & cætera. Palma pro fructu, non pro arbore vſurpatur. Palmæ
Libr.14. Ægyptiæ viridem ac immaturum fructum Plinius nullo intus ligno eſſe dicit, quod tamen de eodem ſcribens Dioſcorides omiſit. At Ariſtoteles etiam in libris de plantis, citante Athenæo φοίνικας ἀνόρχυς habet, quos quidem εὐνόχυς
Lib.2.Hiſt. cap.8. vocant, alij ἀπυρήνους. Meminit & ἀπυρήνων Theophraſtus, vt diximus, atque etiã Ætius, θηβαικὴ ὁ φοίνιξ, inquit, χαρυωτὸς, ὁ μὴ ἔχων ὀστέον, εἴτε φύσει τοιοῦτος ἐστὶ, εἴτε ἐπιτεχνήσει τινὶ γεγονώς. Quibus verbis indicat non omnes id genus Palmas natura oſſe carere, ſed arte ſic parari. Καρυωτὸν autem dixit, Caryotam Varro-
Vires & Temper. lib.1.ca.125. ni, itémque Plinio appellatam. Nondum maturus Palmæ fructus auctore Dioſcoride, acerbus eſt, & adſtringens: contra alui fœminarúmque profluuia in vino auſtero bibitur: hæmorrhoidas ſiſtit: vulnera glutinat illitu. Phœnicobalani recentes plus ſiccis adſtringunt: capitis dolorem afferunt: copioſiores in cibo inebriant. Sicciores ſanguinem excreantibus, ſtomachicis & dyſentericis vtiles in cibo: illinuntur cum cotoneo, & cerato œnanthino veſicæ vitiis. Caryotæ præſertim eſu, faucium aſperitati medentur. Thebaicarum decoctum potu æſtuationem ſedat (ſic Ruellius, ſed cum Græcè legatur πάυει κάυσωνα, rectiùs interpretari videtur Lacuna, Sedat febrem cauſonem, & Cornarius ſedat febrem ardentem) vires recreat cum hydromelite veteri ſumptum: cibo idem faciunt, fit ex eis vinum ad eadem conueniens. Decoctum per ſe potu, & gargarizatione magnopere adſtringit, & cohibet. Nuclei Palmarum

cætero

cæterorum more crémati in crudo fictili, & vino reſtincti, cinere loto ſpodij vicem efficiunt, miſcentúrque in Calliblephara. Vim adſtringendi habent, ſpiracula cutis obductu ſuo claudunt: contra oculorum vuam,& puſtulas, palpebrarúmque defluuia, cum nardo effectum præbent: corporis excreſcentias cum vino reprimunt: vlcera ad cicatricem perducunt. A vitibus oleíſque proxima nobilitas palmis, inquit Plinius, inebriant recentes: capitis dolorem afferunt, minùs ſiccæ, nec, quantum videtur, vtiles ſtomacho: tuſsim exaſperant: corpus augent. Succum decoctarum antiqui pro hydromelite dabant ægris ad vires recreandas, ſitim ſedandam, in quem vſum præferebant Thebaicas. Sanguinem quoque excreantibus vtiles, in cibo maximè. Illinuntur Caryotæ ſtomacho, veſicæ, ventri, inteſtinis. Cum cotoneis, cera, & croco ſuggillata emendant. Nuclei Palmarum crémati in fictili nouo, cinere loto, ſpodij vicem efficiunt, miſcenturq; collyriis, & Calliblephara faciunt addito Nardo. Idem mox de Palma Ægyptia. Aluũ & menſes (Dioſcorides ῥοωῦ γυναικεῖον habet, id eſt profluuium muliebre) ſiſtit in vino auſtero, & vulnera conglutinat. Elate ſiue Spatha, inquit Dioſcorides, in ſpiſſa menta vnguentarij vtuntur. Vis ei adſtrictoria, ſiſtit vlcera quæ depaſcunt: laxatos artus committit: tota miſcetur cataplaſmatis, & malagmatis: prodeſt præcordiis, imbecilli ſtomacho, & iocinori affecto, miſta conferentibus cataplaſmatis. Eius decoctum denigrat capillos, ſi aſsiduè affricetur: datur bibendum congruè renum, veſicæ, & viſcerum vitiis: vuluæ ac ventris fluxiones ſiſtit: ſcabiem cum Reſina & Cera ſanat, ſi viginti diebus recens apponatur. Inuolutus in Elate fructus Elate etiam appellatus, ab aliquibus Boraſſus, adſtringit, & Spathæ effectus præbet, non ſic vnguentis expetitus. Alba medulla caudicis recens in cibo, aut decocta, eadem facit quæ Boraſſus. Hac in re Plinius valde hallucinatus eſt. Cum enim Elaten, ſiue Spathen etiam Palmam totius arboris nomine appellatam legiſſet, ea re fortaſſe deceptus, peculiarem arborem Palmam Elaten, ſiue Spathen conſtituit, ipſamq; medicinæ conferre germina, folia, corticem ſcripſit: quum tamen omnem medicinam ab ipſo traditam vnica pars quæ fructus Palmarum inuolucrum eſt, præſtet, vt ex Dioſcoride diximus. Quidam tamen Plinij cauſſam tuentur, rectéque ab eo dictum volunt, Palmæ Elaten, ſiue Spathen, ſic enim legunt, conferre medicinæ, germina, nempe ſurculos quibus inhærent flores, & fructus: Folia, nimirum florum quos obtegit, & corticem ſuum, extimum, qui floris ac fructus inuolucrum eſt. Plinij hæc verba ſunt. Palma, ſiue Elate, ſiue Spathe medicinæ confert germina, folia, corticem. Folia imponuntur præcordiis, ſtomacho, iocinori, vlceribus quæ ſerpunt, cicatrici repugnantia: Pſoras cortex eius tener cum Reſina & Cera ſanat diebus viginti. Decoquitur & ad teſtium vitia. Capillum denigrat ſuffitu, partus extrahit. Datur bibendus renum vitiis & veſicæ, & præcordiorum, & capiti, & neruis inimicus. Vuluæ ac ventris fluxionem ſiſtit decoctum eius. Item cinis ad tormina potus in vino albo, in vuluarum vitiis, vel, vt aliqui legunt, in Vuarum vitiis, efficaciſsimus. Vuas enim iacentes, & laxiores inſigni vi ſiccandi quam habet, reprimit, & adſtringit. Idem antea de ipſa arbore longè grauiore errore dixit, Elaten cum Abiete, quæ etiam Elate Græcis dicitur, confundens. Eſt præterea arbor ad eadem vnguenta pertinens, quam alij Elaten vocant, quod nos Abietem, alij Palmæ Spathen: ſic enim legendum. Non parua eſt Galeno in Palmis differentia. Quædam enim ſunt ſiccæ, & adſtringentes, vt Ægyptiæ, aliæ molles, humidæ & dulces, vt quæ Caryote appellantur. Præſtantiſsimæ autem hæ in Syria & Paleſtina naſcuntur, in Hierichunte. Reliquæ omnes Palmulæ inter hæc duo

Lib.24.c.4.

Cap.5.

Lib.1.c.116.

Cornar. Embl.113. li.1.Dioſc.

Lib.23.c.5.

Cap.vlt.12.

Li.2. Alim.

genera ſunt mediæ. Difficiles autem ſunt concoctu, capitíque dolorem inferunt : verum ex his aliæ magis, aliæ minus ſunt humidæ ac dulces, ſiccæ atque adſtringentes. Verum conſtitutis extremis iam omne quod in medio eſt, facillimè cognoſces. Nulla certe ex ipſis eſt, quæ non dulcedinem quandam & adſtrictionem habeat. Siquidem Caryotæ exiguæ adſtrictionis, Thebaicæ obſcuræ dulcedinis ſunt participes. At ſuccum quidem dulcem nutrire, auſterum autem gratum eſſe ſtomacho, & ventrem ſiſtere oſtenſum eſt. Palmulæ ſi largiùs ſumantur, omnes concoctu ſunt difficiles, & capiti dolorem afferunt: quædam autem & morſus cuiuſdam ſenſum ori ventriculi inducunt. Succus autem qui ab ipſis in corpus diſtribuitur, craſſus quidem omnino eſt, habet autem & lentoris copiam, cum Palmula ipſa pinguis fuerit, ſicut Caryotæ. Quum autem dulcedo tali ſucco miſta fuerit, celerrimè quidem hepar ab ipſa obſtruitur. Læditur autem maximè ab ipſarum eſu, quod aut inflammetur, aut ſcirrho obſideatur: poſt hepar autem & lien obſtruitur, ac læditur. Multò autem maximè Palmulæ virides, ſi paulo largiùs ſumantur, ad omnia ſunt noxiæ, ac dulces quidem ſuccum habent calidiorem, adſtringentes frigidiorem. Quin & Palmulæ virides ſicut Ficus flatus gignunt. In regionibus autem non admodum calidis Palmulæ haud perfectè matureſcunt, adeo vt reponi queant: quo fit vt cum homines cogantur ipſis viridibus veſci, crudis ſuccis impleantur, & rigoribus qui ægrè calefiant, & hepatis obſtructionibus prehendantur. Declarat hoc Hiſtoria cuiuſdam Galeno Coætanei, qui Alexandriæ Palmulis immaturis per compluſculos dies ante & poſt balneum ſatiatus, abſque febre ſæpius horruit, ac riguit. Phœnix arbor, eodem auctore, adſtrictoriæ facultatibus omnibus ſuis partibus eſt particeps. Igitur ramorum ſuccus auſterus eſt, ex aquea ſubſtantia tepida, & terrea frigida conſtans. Similis facultatis eſt Encephalos, hoc eſt cerebrum eſui aptum. (Serapio Bdellij ſecundum genus id eſſe tradit.) At fructus eius & maximè dulcis non paucam habet caliditatem. Cæterum cum edendo ſit, multo eſt vſui, non tantùm foris impoſitus, vbi quid roborare & deſiccare, contrahere, ſtipare denſaréque conſilium eſt, ſed etiam tanquam cibus ſumptus & ſimul cum aliis, & per ſe. Porrò quod Elaten vocant, tenerum illud Palmæ germen, eandem cum cerebro eius facultatem obtinet. Quod verò velut integumentum eius eſt, adſtringentem etiam qualitatem habet. Verum plus quam dicta omnia exſiccat, vtpote quod eſſentiæ conſiſtentia illis ſiccius eſt, & minimum habet humiditatis. Itaque iure vtuntur illo ad vlcera putreſcentia, miſcéntque medicamentis articulos plus iuſtò laxatos contrahentibus, Ad hæc medicamentis hepaticis & ſtomachicis, ſeu intro ſumantur, ſeu foris admoueantur. Sed & radix plantæ deſiccatoriæ citra morſum facultatis eſt, adiunctum habens & ipſa adſtrictionis quippiam. Peruenerant iam ad eos vicos, inquit Xenophon, è quibus iuſſu ducum ſuorum commeatus capſandi erant. Plurimum illic & frumentum, & vinum è Palmulis erat, potu quidem ſuaue, ſed graue capiti, acetúmque ex elixis Palmulis paratum. Palmarum fructus quales in Græcia videre non licet, famulis apponebantur: Seligebantur, quas ſeruarent dominis, magnitudine & pulchritudine admirabiles, aſpectu prorſus electro ſimiles. Eas quidem arefactas in bellariorum vſum reponebant. Milites eo primum in loco Palmarum cerebrum eſitarunt, omnibus cui detractum id fuiſſet, exareſcentibus, admirantibus multis eius cibi ſpeciem, ac ſuauitatem quandam peculiarem, quæ tamen valde caput tentat. Nicander in Georgico. Pullulantes in Palma ſtolonas excindunt, Cerebrúmque afferunt expetitum cibum adoleſcenti

Li. 8. ſimpl.

Athenæus lib. 14.

ſcentibus. Diphilus Siphnius tradit Palmæ cerebrum implere, alimentiq; multum præbere, grauare, difficile in corpus diſtribui, ſiti excruſiare, ventrem ſiſtere. Alexandri milites, ait Plinius, Palmis viridibus ſtrangulati ſunt. In Gedroſis id factum eſt Pomi genere: alibi copia euenit. Eſt enim tanta muſteis ſuauitas, vt finis mandendi non niſi periculo fiat. Palma victoriæ ſymbolum eſt, quòd vt Ariſtoteles & Plutarchus explicant, non cedit oneri quamlibet ingenti, nec infra flectitur, pandatúrue, ſed contra pondus reſurgit. Ideóque ferè in coronariis certaminibus aliud præmium quàm Palma non dabatur, vt refert Pauſanias. In Oriente funes validos è Palmæ foliis fieri ſcripſit Plinius, eóſque in humore vtiliores eſſe. Inter permulta Palmarum genera idem Plinius Chamæropas recenſet, eas Theophraſtus χαμαιῤῥιφεῖς vocat, copioſas in Creta, ſed magis in Sicilia, folio latiore ac molli, ad vitilia vtiliſsimo, dulci medulla in cacumine, quod cerebrum vocant: exempta illa viuunt, quod non aliæ: cædua illarum ſylua, germinat rurſus, etiam ſi ab radice ſucciſæ ſint. Eius generis putat illam eſſe Dalechampius, quæ hîc appicta eſt. Naſcitur in maritimis, cubiti ferè altitudine, aliquando etiam grandior, in teneri germinis conceptu abdito, veluti cerebri globo, ſuauiſsimi guſtus, multis tunicarum inuolucris operto, quæ partim ſunt corticoſa & coriacea, partim capillacea, quædam rufa, alia aliis ſuperpoſita, & denſius ſtipata. Ex horum medio contextu folia erumpunt cubitum longa, anguſta, dura & coriacea. Cerebrum id Tuberibus, & Carduis, Cinaræq; echinis, & aliis id genus delitiis ſaporis ſuauitate præfertur. Cerebrum id Græci vocant ἐγκέφαλον, vt diximus, Serapio corrupta voce Ceſilionem, Itali *Ceſaglione*. Ex foliis colligatis ſcopæ fiunt, excutiendo pulueri qui menſis, & ſcamnis inſidet. Texuntur & ex iis ſportæ & caniſtra. Matthiolus etiam hoc

Athen. lib. 14.

Lib. 13. c. 4.

Li. 16. c. 24.

Lib. 12. c. 4.

Cap. 8. 2. Hiſt.

Forma

PALMA CHAmærops Plinij.

CHAMÆRIPHES, SEV Palma humilis Matthioli.

Palmæ

Palmæ genus humile pumilúmque depinxit, quod in Silicia copioſiſsimum prouenit, & in maritimis Senenſibus, cubiti altitudinem parum excedens, folio cæteris ſimili, ſed minore, breuioréque: flores edit ex obliquo, è capillacea quadam coma emergentes, è quibus baccæ racematim prodeunt. Pars radici propinquior in globoſum extuberat germen, quod cerebrum vocant, innumeris ferè inuolucris circumſeptum, tenerrimum, ſapidum, & ori gratiſsimum. Eſtur id ſecundis menſis cum pipere & ſalis momento Cinaræ modo, & maximè guſtui arridet.

Fiunt ex hoc Palmæ genere ſportulæ, tegetes, & ſcopæ.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER QVARTVS,

Quo describuntur, atque pictæ ostenduntur segetes, & legumina, ac quæ cum iis in Agris nascuntur.

TRITICVM, CAP. I.

PACA viridarij iam satis vmbra delectati, fructuumq; pulcherrimorum & suauissimorum aspectu gustúque satiati, & recreati, hinc in Agrum trãseamus, & in eo liberiùs diuagemur, nõ minora in eo quàm quouis alio in loco naturæ rerum miracula contemplaturi. Agrum quod in eo aliquid agatur Varro dictum putat, vel, vt Donatus, inquit, quòd in eo multa sint agenda. Contra Quintilianus ex Græco nomine ἀγρὸς deductum esse scribit. Lib.1.ca.12.
Agrum hîc intelligimus, qui hominũ opera, atque industria ad permagnas in vita vtilitates colitur, quíque plerúmque compendium, vt ait Columella, nunquam nisi si cæli maior vis, aut prędonis incesit, detrimentum adfert. In eo igitur potissimùm natura indicabitur frugum, quæ sunt Segetes & Legumina: de quorum vitiis quoque dicetur: sunt enim nimis multa, in quæ fruges degenerant. Sunt & quamplurimæ plantæ, quæ in agris sponte nascuntur, de quibus etiam hîc agetur: quibus nonnullas adiunximus, quæ etiam in incultis & cessantibus Agris proueniũt. Horum omnium, siue ad hominum cæterarúmque animantium alimenta, & voluptates, siue ad salutem & morborum remedia procreata sint, natura diligenter hîc explicabitur. Ac primùm de frumentaceis dicemus. Sunt autem frumentacea quæcunque geniculato culmo, & arundinaceis constant foliis, seménque panificio & panibus aptum in spicis, aut iubis producunt. A Tritico ordiemur omnibus notissimo atque vtilissimo. Græcis πυρὸς, Latinis Triticum dicitur, quod tritum ex spicis sit, auctore Varrone, Arabibus *Henta, Hencha, Hantha*, Italis *Fourmento*, & *Grano*, Germanis *Vueyssen*, Hispanis *Trigo*, Anglis *Vueet*, Belgis *Terwe*, Gallis *Froument*: voce ex frumento Latino deflexa. Sed frumentum apud Latinos Tritico, & frugis nomen frumento latiùs patet, quod his verbis docet Plinius. Sunt autem duo, prima earum (Frugum) genera, Frumẽta, vt Triticum, Hordeum, & Legumina, vt Faba, Cicer. Est enim Fruges quicquid ex fructu terræ sato in alimoniam nostram vertimus. Frumentum à fruendo, id est vescendo dictum, quod culmus

Nomina

Lib.18. c.7.

culmus extulit, inquit Varro, vel quicquid ex se aristas emittit, auctore Seruio, Græcè σῖτος. Theophrastus differentias multas à regionibus, viribus, satus temporibus, ex eo quod largiùs, aut parciùs fructificent, ex diuersarum partium varietate, & diuerso habitu, ex crescẽdi celeritate, & tarditate, atque ex aliis sumptas enumerat his verbis: Πολλὰ δὲ γένη καὶ τῶν πυρῶν αὐθύς ἐστιν, ἀπὸ τῶν χωρῶν ἔχοντα τὰς ἐπωνυμίας: οἷον λιβυκοὶ, πόντιοι, θρᾷκες, ἀσσύριοι, αἰγύπτιοι, σικελοὶ. διαφέρουσι δὲ καὶ ταῖς χροιαῖς, καὶ τοῖς μεγέθεσι, καὶ τοῖς εἴδεσι, καὶ ταῖς ἰδιότησιν. ἔχουσι δὲ ἐν ταῖς δυνάμεσι, ταῖς τε ἄλλαις, καὶ μάλιστα ταῖς πρὸς τὴν σίτησιν, τινες καὶ ἀπ' ἀλλοντὰς προσηγορίας, οἷον καγχρυδίας, στλεγγὶς, ἀλεξάνδρεως ὧν ἀπάντων ἐν τοῖς ἐρημικοῖς τὰς διαφορὰς λεπτέον. οὐχ ἥκιστα δὲ οἰκεῖον, εἴ τις λαμβάνοι τὰς τοιαύτας οἷον εἰσιν οἱ μὲν πρώιοι, οἱ δὲ ὄψιοι. Καὶ διαξείς, καὶ πολύοχοι. οἱ δὲ καὶ ὀλίγοχοι (qui locus, cum apertè mendosus sit & mutilus, ex ipso contextu, & Gazæ interpretatione sic planè restituendus est. Καὶ διαξείς καὶ πολύχοοι. οἱ δὲ ἀναυξεῖς καὶ ὀλιγόχοοι) καὶ μεγαλοστάχυες, οἱ δὲ μικροστάχυες. Καὶ οἱ μὲν ἐν κάλυκι πολλὴν χρόνον, οἱ δὲ ὀλίγον ἐχόμενοι, ὥσπερ ὁ λιβυκός. Καὶ κάλαμον οἱ μὲν λεπτὸν, οἱ δὲ παχύ. Καὶ λεπτὸν ὁ λιβυκὸς ἔχει, παχὺ δὲ ὁ καγχρυδίας. ἔτι δὲ, χιτῶνας οἱ μὲν ὀλίγους ἔχουσιν, οἱ δὲ πολλούς, ὥσπερ ὁ θρᾴκιος. Καὶ ὁ μὲν μονοκάλαμος, ὁ δὲ πολυκάλαμος, καὶ μᾶλλον δὲ καὶ ἧττον. ὁμοίως δὲ καὶ εἴ τι παραπλήσιον τούτοις, ἢ τοῖς πρότερον ἐρημικοῖς, καὶ τὰς διυάμεις. αἱ γὰρ τοιαῦται φυσικώτεραι δόξαιεν ἂν εἶναι τῶν διαφορῶν. ἐν αἷς καὶ τὸ τῶν τεμήνων, καὶ τῶν διμήνων, καὶ εἴ τι γένος ἐν ἐλάττοσιν ἡμέραις τελειοῦται, καθάπερ φασὶν εἶναι περὶ τὴν Εὔβοιαν, οἱ τεταράκοντα ἡμέραις ἀπὸ τῆς σπορᾶς ἀδρύνονται, καὶ τέλος ἴσχουσι. εἶναι δὲ ἰσχυρὸν τοῦτον καὶ βαρύ, οὐχ ὥσπερ τὸν τεμήνον κοῦφον. Διὸ καὶ τοῖς εἰτείαις παρέχειν. Καὶ γὰρ οὐδὲ πίτυρον ἔχειν πολύ. σπανιώτατος μὲν οὖν καὶ τάχιστος εἰς τελείωσιν οὗτος. εἰσὶ δὲ δίμηνοί τινες, ὅπερ, καὶ ἐκ σικελίας ὁμολογήθη εἰς ἀχαΐαν, ὀλιγόχοοι δὲ, καὶ ὀλιγόγονοι, καὶ κοῦφοι καλὰ τὴν προσφοράν, καὶ ἡδεῖς. Καὶ ἄλλοι δέ τινες οἱ περὶ εὔβοιαν εἰσὶ, καὶ μάλιστα ἐν τῇ καρυστίᾳ τεμήνοι δὲ πολλοὶ, καὶ παναχοῦ. κοῦφοι ὅλοι καὶ ὀλιγόχοοι, καὶ μονοκάλαμοι καὶ τὴν ἔκφυσιν, καὶ τὸ ὅλον ἀσθενεῖς. κουφόλαλος μὲν οὖν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, πυρὸς ὁ πολιτικός. Βαρύτερος δὲ τῶν εἰς τὴν ἑλλάδα παραγινομένων, ὁ σικελός. τόλυ δὲ ἔτι βαρύτερος ὁ βαιλός. σημεῖον δὲ λέγουσιν, ὅτι οἱ μὲν ἀθλητοὶ ἐν τῇ βοιωτίᾳ τεμημοινίκα μάλις ἀναλίσκουσιν: ἀθυμάζει δὲ ὅταν ἔλθωσι, πενθημοινίκα ῥαδίως. κοῦφος δὲ καὶ ἐν τῇ λακωνικῇ. τέλων μὲν οὖν ἔνιαι τῶν χωρῶν, καὶ τῷ ἄρρεν τὸ ἄλευρον. ἐπεὶ καὶ περὶ τὴν ἀσίαν πόρρω βάλτων, ἐν μέν τινι τόπῳ ὅλως ἀδρὸν εἶναι φασι τὸν σῖτον, ὥστε πυρῆνος ἐλαίας μέγεθος λαμβάνειν, ἐν ᾧ τοῖς πιστοῖς, καλυμένοις ὅλως ἰσχυρὸν, ὥστ' εἶναι πλεῖστον προσενέγκασθαι διαῤῥήγνυσθαι. Id est, Tritici quoque genera sunt multa quæ à regionibus cognominantur, vt Libycum, Ponticum, Thracium, Assyrium, Ægyptium, Siculum, quæ & colore, & magnitudine, & specie, & proprietate à sese differunt. Quibusdam etiam ex viribus tum aliis, tum iis maximè quæ ad cibum pertinent, quibusdam, & ab aliis differentiis nomina sunt indita: vt Cachrydiæ, Stlengydi, Alexandreo, quorum omnium differentiæ ex supradictis accipiendæ. Nec absurdum fuerit, si hinc differentiæ sumantur, vt aliud precox sit, aliud serum: & aliud quod multum augetur, largéque fructificat: aliud quod parum augetur, parcéque fructificat: aliud spicam magnam, aliud paruam emittat: aliud in folliculo diu, aliud breui maneat, vt Libycum: aliud Calamo tenui, vt Libycum, aliud crasso constet, vt Canchrydias. Præterea aliud tunicis paucis, aliud multis vestiatur, vt Thracium. Item aliud vnicalamum sit, aliud multi calamum, & hoc quod plures pauciorésue calamos edat. Similiter si quid aliud his, aut illis quæ prius diximus simile sit. Etenim eæ magis esse naturæ consentaneæ videntur, quàm vllæ aliæ. In quibus est & trimestrium & bimestrium genus, & si quod aliud paucioribus diebus perficitur: quemadmodũ genus quoddam esse aiunt in Eubœa, quod quadraginta diebus à satu augescit, & perficitur, esseq; id firmum ac graue, nec trimestris modo leue: quare seruis id præberi, & furfuris multum non habere. Id quidem rarissimum est, & celerrimè maturatur.

De re rust. cap. 48.

Genera Lib. 8. Hist. cap. 4.

Sunt

Sunt quædam bimeſtria, quæ ex Sicilia in Achaiam aduecta ſunt, quæ parum fructificant, parúmque fœcunda ſunt, ſed in cibo leuia & iucunda. Alia quædam ſunt in Eubœa,& maximè in Caryſto. Trimeſtria verò multa, & vbíque. Leuia hæc,& parum fœcunda, & vnicalama ſunt in ipſo exortu, atque in totum infirma.Leuiſsimum igitur,vt ſemel dicam,Triticum Ponticum. Grauiſsimum eorum quæ in Græciam tranſuehuntur,Siculum. Sed eo grauius eſt Bœoticum. Indicum eſſe aſſerunt, quod Athletæ, qui in Bœotia ternos ſemiſextarios vix conſumunt, cum Athenis fuerint, facile quinos conſumunt. Leue etiam eſt,quod in agro Laconico prouenit.Horum cauſſa,& regionibus,& aëri adſcribenda. Nam & in Aſia trans Bactra quodam in loco, adeò grande frumentum eſſe aiunt,vt nuclei Oliuæ magnitudine granum ſit. In Piſſotis adeo firmum,vt ſi quis plurimum comederit,diſrumpatur.Hæc Theophraſtus : quorum multa transſcripſit Plinius, rectéque dixit Tritici plura eſſe genera quæ fecere gentes : nullúmque Italico comparandum eſſe candore, ac pondere, citata etiam & ad verbum tranſlata Sophoclis Poëtæ ſententia in fabula Triptolemo,Frumentum Italicum ante cuncta laudante. Lib.18. c.7.

Et fortunatam Italiam Frumento canere candido.

Montanis modo, inquit Plinius, comparetur Italiæ Agris externum, in quo principatum tenuit Bœotia, deinde Sicilia, mox Africa. Tertium pondus erat Thracio,Syrióque, deinde Ægyptio. Græcia & Ponticum laudauit. Plurimis tunicis Thracium Triticum veſtitur, ob nimia frigora illi plagæ exquiſitum. Quod verò dixit, Eſt & bimeſtre circa Thracium ſinum, quod quadrageſimo die quàm ſatum eſt matureſcit: mirúmque nulli frumento plus eſſe ponderis, & furfuribus carere. Vtitur eo & Sicilia,& Achaia, montoſis vtráque partibus. Eubœa quoque circa Caryſtum, Theophraſtus aliter habet. Scribit enim,vt diximus,eſſe Tritici genus bimeſtri celeriùs matureſcens,vt in Eubœa, quod intra quadraginta dies perficitur. Eſſe & Bimeſtria, quæ ex Sicilia in Achaiam tranſportantur. Eſſe & eiuſmodi in Eubœa, maximè in Caryſto. Præterea à Theophraſto diſsidet, cum ait. Tradunt in Bactris grana tanta magnitudine fieri, vt ſingula ſpicas noſtras æquent, cum ſcribat Theophraſtus περὶ τὴν ἀσίαν πόρρα Βάκτρων ὅτως εἶναι ἀδρὸν τὸν σῖτον, ὥστε πυρῆνος ἐλαίας μέγεθος λαμβάνειν. Id eſt, in Aſia trans Bactra adeo grande gigni frumentum, vt nucleo Oliuæ par ſit magnitudine.Dioſcorides duo duntaxat Tritici genera proponit:alterum recens, perfectè maturum,& colore luteo : alterum τειμηνιαῖον,id eſt Trimeſtre,quod ab aliquibus σπλάνιον appellari dixit : hac voce etiam Trimeſtre ſignificante. Τῆλες enim ſignificat ἐν τῶδε τῷ ἔτει,id eſt,hoc ipſo anno,quod Dores σῆλες dicunt, vnde σπλάνιος πυρὸς eſt,vt exponit Galenus, ὁ ὄντα τῷ ἐνεστηκότος ἔτους, τοῦθ' ἔστιν, ὁ καλὰ τὸ ἔαρ ἐσπαρμένος,hoc eſt Triticum huius præſentis anni,nempe vêre ſatum. Plinius à Græcis Trimenon vocari ſcripſit.Hoc igitur vt vêre ſatum æſtate colligitur, ita prius illud ſuperiore anno in Autumno ſeminatum, ſequentis æſtate demetitur:quod quidà cæteris præfert Columella, cum ait. Si verò locorũ & cæli conditio patietur, quãto maturius ſeuerimus,tanto cõmodius proueniet. Neq; enim eſt vllum,ſicut multi crediderunt,natura Trimeſtre ſemen : quippe idem iactum Autumno meliùs reſpondet. Hoc autem reprehendit Plinius his verbis. Eſt & Bimeſtre circa Thracium ſinum,quod quadrageſimo die quàm ſatum eſt matureſcit, mirúmque nulli frumento plus eſſe ponderis, & furfuribus carere. Vtitur eo & Sicilia,& Achaia,montoſis vtraque partibus. Eubœa quoque circa Caryſtum. In tantum fallitur Columella, qui ne Trimeſtris quidem proprium genus exiſtimauerit eſſe,cum ſit antiquiſsimum. Verum non ſatis id videtur Plinius expendiſſe, quod mox ſubiungit Columella. Sed ſunt nihilominus Ibidem. Lib.2.c.78. In Gloſ. in Hipp. Lib.18. c.7. Lib.2. c.9. Lib.18. c.7.

quędam, inquit, aliis potiora, quę ſuſtinent veris tepores, vt Siligo, & Hordeum Galaticum, & Halicaſtrum, granúmque Fabæ Marſicæ. Nam cætera robuſta frumenta ſemper ante hyemem ſeri debent in regionibus temperatis, nec quod antea tertium Tritici genus Trimeſtre appellauit, & Siliginis genus eſſe dixit.

Cap. 6. lib. 1. Verba eius hæc ſunt. Tritici genera complura cognouimus. Verum ex his maximè ſerendum eſt, quod Robus dicitur, quoniam & pondere & nitore prędet. Secunda conditio eſt habenda Siliginis, cuius ſpecies in pane præcipua, pondere deficitur. Tertium erit Trimeſtre, cuius vſus agricolis gratiſsimus. Nam vbi propter aquas, aliámue cauſam matura ſatio eſt omiſſa, præſidium ab hoc petitur. Id genus eſt Siliginis. Triticum aliter ex Dalechampij ſententia diuidemus, vt eius duo ſumma ſint genera vſu frequentiora. Vnum candidum, vulgo noſtro *Blé blanc* nuncupatum, alterum rufum, veterum πυρὸς, quaſi πυῤῥὸς, vulgo *Blé rouge*, Columellæ Robus à flauo colore quem Rubeum prima ſyllaba producta & Robeum veteres appellarunt, Græci ξανθὸν, vnde Seruio Nitela, mus agreſtis, robeus, & in illud Vergilij, *Sanguineis frontem moris*, &c. Robeus color Diis attributus, & in veteri inſcriptione, Vt Prætor cui hæc regio ſorti obuenerit, litaturum ſe ſciat, aliúsue quis magiſtratus, Volcanalibus. x. Cal. Septemb. omnibus annis, vitulo robeo, & verre. Rurſus Tritici candidi rufiq; duæ ſunt nobis notæ ſpecies. Vna cuius ſpica ariſtas habet, altera cuius ſpica mutica eſt, id eſt ariſtis caret, auctore Varrone. Priorem nulla peculiari appellatione noſtri deſignarunt: poſteriorem *Blé motet* vocant, quaſi Triticum muticum. Quod autem ſpica ariſtis vallata ſit, vel iiſdem careat, quidam frugis & naturæ proprietati, quidam agri conditioni macri, pinguis, tenuis, craſsi, ſtercorati, minimè lætificati tribuunt. Triticum enim candidum aiunt in pingui, craſſo, & ſtercorato agro ſpicam muticam ferre, in macro, tenui, & non lætificato ariſtis horridam. Adiiciunt quidam cęli ſtatum quo ſeges adoleſcit: humidiore etenim ſpicam ariſtis carere, ſicciore ariſtis muniri. Addunt alij & ventorum flatus, quoniam ſi vehementiores irruant, ariſtas decutiunt: ſi leniores ſpirauerint, ariſtas ſpicarum colliſu non frangunt. Sunt & qui ſegetis denſitatem raritatemq; nonnihil ad id valere putant. Nam denſiore ſegete, ſpicas muticas, rariore, cum ariſtis prodire. Ex candido Tritico panem lautiorem, quàm ex rufo piſtores fieri aſſerunt, ſed leuiorem, & qui minùs alat: atque in hoc genere muticum ariſtato prędferunt, etiamſi mutici granum gracilius ſit, & minus: plus enim farinæ à mutico reddi, & furfuris parũ: farinę verò minus ab ariſtato, & furfuris plurimum. Præterea mutici farinam candidiſsimam eſſe, ac niueam, ariſtati nigriorem, acſordidiorem. Candidum Triticum. Latinorum Siliginem frugem eſſe, veterum ſcriptorum teſtimoniis confirmari poteſt, qui Siliginem Tritici genus faciunt, &, vt Triticum noſtrum candidum, candore ac leuitate cæteris generibus præſtare literis prodiderunt. Plinius frumenti genera eſſe tradit, non eadem vbique: neque vbi eadem ſunt iiſdem nominibus non appellari. Vulgariſsima, Far quod Adoreum veteres appellauere, Siligo, Triticum. Siliginem propriè dixerim, inquit, Tritici delicias: candor eſt, & ſine virtute, & ſine pondere, conueniens humidis tractibus, quales Italię ſunt, & Gallię comatæ. E Siligine laudatiſsimus panis, piſtinarumq; opera laudatiſsima: (quanquam hîc Siligo tam pro candidiſsima Tritici farina, quàm pro Tritici genere accipi poſsit.) Siligo nunquam matureſcit pariter, & cætera. Columella Tritici genera complura cognouimus. Verum ex his maximè ſerendum eſt quod Robus dicitur, quoniam & pondere & nitore præſtat. Secunda conditio eſt habenda Siliginis, cuius ſpecies in pane præcipua, pondere deficitur, &c. Sed ſunt nihilominus quædam aliis potiora, quæ ſuſtinent veris tepores, vt Siligo, & Hordeum,

Lib. 2. ca. 6.

De re ruſt. cap. 48.

Siligo Tritici ſpecies

Lib. 18. c. 8.

Ibidem.

Cap. 9.

Cap. 10.

Lib. 1. ca. 6. Cap. 9.

deum,& cætera.Cato è Siligine Amylum fieri docuit.Plinius Amylum ex omni Tritico, ac Siligine, sed optimum è Trimestri. Cæterum Siligo non solùm frugem Italicam, hoc est Triticum delicatissimum, & candidissimum, leuissimúmque, sed etiam medullam grani, id est farinam puriorem à furfure secretam, ac castratam significat. Iustum est, inquit Plinius, è grano Campanæ quam vocant castratam,è modio redire sextarios quatuor Siliginis, & mox: è Pisana autem Siliginis sextarios quinque.Clusina Aretináque etiámnum sextarios Siliginis assumunt.Idem fortasse Celsus his verbis significat.Ex Tritico firmissima Siligo,deinde Simila,deinde cui nihil ademptum est, quod ἀντόπυρον Græci vocant:infirmior est ex polline,infirmissimus cibarius panis. Iuuenalis.

De re rust. cap.73.
Lib.18. c.7.
Lib.18. c.9.
Lib.2.ca.18.
Satyr.5.

Sed tener & niueus, mollique Siligine factus
Seruatur domino.

Præterea Siligo pro Tritici vitio à veteribus videtur vsurpari, vt à Columella, cum scribit.Nec nos tanquam optabilis agricolis fallat Siligo. Nam hoc Tritici vitium est,& quamuis candore præstet, pondere tamen vincitur. Et mox. Nec tamen ea longè nobis,aut magna difficultate requirenda est. Nam omne Triticum solo vliginoso post tertiam sationem conuertitur in Siliginem. Olyram Græcorum Siliginem Latinorum esse,Plinio auctore, scripserunt Hermolaus, Budæus,Ruellius.Sed id apud Plinium non reperio:scribit enim.Vulgarissima Far, quod Adoreum veteres appellauêre,Siligo, Triticum. Hæc plurimis terris communia.Arinca Galliarum propria,copiosa, & Italis est. Ægypto autem ac Syriæ, Ciliciæq;& Asiæ, ac Græciæ peculiaris Zea, Olyra, Tiphe. Et paulo post.Ex Arinca dulcissimus panis,ipsa spissior quàm Far, & maiore spica, eadem & ponderosior. Raro modius grani non XVI. libras implet. Exteritur in Græcia difficulter:ob id iumentis dari ab Homero dicta. Hæc enim est quam Olyram vocat. Et satis multo post. Olyram Arincam diximus vocari. Ex quibus perspicuum est Plinio Arincam Gallorum, & Græcorum Olyram eandem esse,à quibus Siliginem semper disiunxit.Hæc de candido Tritico, ac Siligine. Nunc de Tritico rufo dicamus. Huius præter Aristatum & muticum multa alia sunt genera,pro diuersa locorum natura,sitúque.Haud procul Lugduno in pagis monti alto,siue Aureo propinquis,Tritici genus colitur, quod incolæ vocant *Blé rune*,& *Gros Blé*.Spicam fert muticam, granum maximum, & amplissimum,sed ad conficiendum panem minùs vtile. Ex eo decorticato puls fit cum lacte,in cibo rusticis gratissima: quamobrem illud ad eas delicias non segniter colunt.Sunt qui Far,siue Adoreum veterũ esse putant,ex cuius pulte Romanos diu victitasse Plinius literis sic prodidit. Ex omni genere durissimum Far, & contra hyemes firmissimum.Patitur frigidissimos locos,& minùs subactos,vel æstuosos,sitientésque.Primus antiquis Latio cibus,magno argumento in Adoreæ donis,sicuti diximus. Pulte autem, non pane vixisse longo tempore Romanos manifestum, quoniam inde & pulmentaria hodiéque dicuntur. Far Clusinum aduectum ex Italia,& in agro pingui satum, creuit ad hominis altitudinem,vel etiam procerius: caule sex geniculis distincto: foliis totidem radiculis quinque vel sex, fibrosis: spica palmum longa, prælongis aristis horrida,folliculis amplis,densis,multiplicibus,granum ambientibus longum, exile, profundius lacunatum, aridum,quod vix exculpitur,ac euoluitur, vt non immerito dixerit Plinius in Area non exteri,vt Triticum, Hordeum, Siliginem, sed tostum purgari vt Panicum, Milium,quæ cum folliculis cruda seruntur: ac ideo Far minimè tostum cum vaginulis ad satum seruari. Sed & Far pro omni Frumenti genere à veteribus vsupatum fuit. Hinc Far Triticeum pro Tritico, & Far Hordeaceum pro Hordeo,& Far Adoreum, Columellæ. Post hæc cauea

Lib.18. c.8.
Corol. 101. lib.2. Dios. Li.5.de Ass.
Lib.2. c.21.
Lib.18. c.8. Cap.10.
Li.11. ca.5.
Lib.8. ca.5.

FARCLVSINVM
Dalechampij.

cum matre claudendi sunt, inquit hic scriptor,& farre Hordeaceo cum aqua incocto, vel adoreo farre vino aspersо modicè alendi. Et paulo post. Vualabrusca de vepribus immatura lecta, cum farre Triticeo minuto cocto obiicitur esurientibus. Videtur & Plinius Far pro farris farina,siue pulte, siue grano decorticato accepisse, cum scribit. Populum Romanum farre tantum è Frumento ccc.annis vsum Verrius tradidit. Porrò decorticati farris grani crassior farina ex qua pultes fiunt,Græcis κέμμινον dicitur,Latinis Similà.Gallis *Froumentee*, quibusdam Italico nomine vsurpato *Semoule*, quasi Simila. Dioscorides tamẽ ex Zea, sicut ex Tritico Crimnon fieri testatur, atque etiam ex Olyra. Aliud Tritici rufi genus est ἑξάστιχον, Galli vocant, *Froument à six quarres*. Quidam, vt circa pagum Erium in Allobrogibus, *Blé rignet*, quasi rigidum Triticum, quòd rigidissima firmissimáque spica sit,sex ordinibus distincta, cum in aliis quatuor tantum reperiantur. Item aliud Tritici rufi genus est,quod Lugdunenses rustici appellant *Blé qui truche*, quoniam eius spica in alias finditur, & spicas minores adnatas veluti ramos spargit: *trucher* enim in ramos diuidi Lugdunenses Coloni dicunt.Plinius ramosum Triticum vocat. Fertilissima, inquit, Tritici genera,Ramosum,aut quod Centigranum vocant.Contrà circa Matisconem in humidissimis Sebusianorum tractibus deterrimum & strigosissimum.Tritici genus prouenit,grano longo,exili,subatro,multis glumis vestito.Rustici vocant *Long gran*, id est longum granum, faméque vel egestate compulsi panem ex eo conficiunt. Alij suibus & gallinis edendum obiiciunt. Ad Brizam Thraciam fruges hæc videtur accedere,de qua suo loco dicetur. Quare rectè scripsit Columella Triticum solo vliginoso conuerti in Siliginem:maximè si idem solum macrum sit & exile.Triticum enim candidum nostras idoneis locis genitum rufo præfertur:humida & macra terra satum granum reddit exile, ex quo panis sit niueus,ad delitias quàm ad corporis firmitatem aptior: quoniam parum admodum nutrit. Idem granum pinguioribus agris redditum pristinam naturam recuperat. Nec in hoc solum Tritico, sed etiam in rufo siue Robo, mutatio huiusmodi deprehenditur.Nam in humido,nebuloso, tenuíque solo, quale est in montibus Segusianorum, vulgo *De Forestz*, Robus nascitur deterior,subater,in panificio minùs gratus,adeo vt panem ex Secale ibidem genito, pani ex eo Tritico parato multi anteponant.Idem in Allobrogibus euenit,cum Robi præstantissimum genus,quod *Touselle* vocant,in montanis agris serunt. In Sebusianis,vulgo *Bugey*,(Allobrogum Sabaudianorum gens est, nunc Oeno ac Rhodano fluminibus clausa, olim longiùs patens) Tragus frequentissimus est: incolæ seruatis prisci nominis vestigiis *Blé Turguet* vocant. In montosis aridis, & ventosis locis nascitur, & absque noxa nebulas, pruinas, gelicidia, aliásque cæli iniurias in montosis locis frequentes tolerat, ventísque agitatus firmissimè granum retinet.Spica cùm maturuit, aristis densis horret, & cæruleo colore nitet, contrà quàm in aliis frugum generibus, quarum spicæ flaueſcunt.

Lib.18. c.7.

Lib.2. c.83 & 84.

Lib.18.c.10.

Lib.2. ca.9.

TRAGVS FRVMENTI
genus Spica cærulea.

TRITICVM.

ueſcunt. Haud multum alimenti præbet. Eſt apud varias gentes multiplex varietas frugum, quarum numerum, nominúmque ancipitem ſignificationem perſequi difficilimum foret. Triticum omne radicibus multis, ac prætenuibus exit. Ex his vireſcens herba elicitur, quæ ſuis nixa fibris ſenſim adoleſcit, culmóſque ex vna ſtirpe rotundos, ſæpe plures erigit, in quibuſdam generibus ternis, in aliis quaternis, in farre ſenis, vt ait Plinius, geniculis diſtinctos, qui primùm vaginis iam quaſi pubeſcentes includuntur, ex quibus cum emerſerint, fundunt frugem in ſpica, quæ ſi mutica non eſt, in Hordeo ac Tritico, tria habet continentia, granum, glumam, ariſtam. Spica quam ruſtici antiquitus vocabant Specam, à ſpe videtur nominata, auctore Varrone: eam enim quod ſperant, ferè ſerunt. Granum dictum, quod eſt intimum ſolidum à gerendo: id enim ſeritur, vt ſpica gerat Frumentum, non vt glumam, aut ariſtam. Gluma folliculus eſt grani, à glubendo, quod eo folliculo deglubitur granum. Ariſta, quæ vt acus tenuis, longa, eminet è gluma, quoniam areſcit prima, tanquam grani theca ſit gluma, & apex ariſta. Sed eſt Triticum tum candidum, tum rufum, quod ariſtas nullas habet. Candidum Triticum craſsiore, firmiore, ac ſolidiore culmo ſemper aſſurgit, ſpicámque rectam, nec pendulam gerit: quare rubigini minùs obnoxium eſt, quod & de Siligine tradit Plinius. Sed minùs Siligo quàm cætera Frumenta, in ſtipula periclitatur, quoniam ſemper rectam habet ſpicam: nec rorem continet qui rubiginem faciat. Candidum Triticum gaudet ſolo craſſo, pingui, humido, ſtagnis vicino, vt eorum nebuloſo vapore perpetuò humeſcat. Gaudet & conuallibus montium, in quas imbribus aucti torrentes pinguiorem terræ partem ex montibus deuehant: macrum, frigidum, & perflatum ſolum reſpuit. Triticum rufum, pingue, craſſum, non humidum ſolum deſiderat. Varro quindecim diebus Frumentum in vagina eſſe ſcribit, quindecim florere, quindecim areſcere. Poſt florem craſſeſcit, inquit Theophraſtus, maturatúrque intra quadrageſimum diem: cum tardidiſsimè octauo à ſatu menſe plurima parte metitur, Ægyptiis, vt ſcribunt, ſeptimo. Nobis hybernum Triticum Septembri, aut Octobri menſe

Forma.

Lib. 18. c. 7.

Lib. 1. c. 48.

Tempus.

TRITICVM SPICA Mutica.

Vſus. Lib.2.c.78.

Li.1. Alim.

ſeritur, trimeſtre Martio. Florent Maio & Iunio: Iulio demetuntur. Sed trimeſtre dictum, quod tertio fere à ſatu menſe matureſcit, noſtro in orbe, quinto tandem, hoc eſt Iulio menſe legitur. Quare illa citiùs, vel ſeriùs pro varia regionum temperie maturari neceſſe eſt. Nunc de frequentiſsimo Tritici, tum in alimentis, tum in medicina vſu diſſerendum. E Tritici generibus ad ſecundæ valetudinis vſum optima Dioſcoridi ſunt recentia, & perfectè matura, colore luteo, deinde trimeſtria. Galenus inter Trítica plurimum habere alimenti ſcripſit, quæ denſa ſunt, totámque ſubſtantiam habent adeo compactam, vt dentibus vix diuidi queant. Talia enim exigua mole, corpora plurimùm nutriunt. Quæ verò dentibus facilè franguntur, fractáque rara & laxa apparent, magna mole exiguum reddunt alimentum. Quod ſi vtrorumq; parem modum pendere libuerit, quæ denſa ſunt multo grauiora eſſe comperies. Hæc autem ſunt, colore etiam, laxis flauiora. Explorare autem horum naturam non ſimpliciter oportet, ſuperficiem externam duntaxat contemplando, ſed diuidendo quoque, vt dictum eſt, ac frangendo: multa enim quæ extrinſecus flaua ac denſa videntur, rara intus, laxa, albáque ſpectantur. Ex horum ſimilagine confectus panis, in-

Lib.2.c.78. quit Dioſcorides, plus alit quàm cibarius. E trimeſtrium farina panis leuiorem cibum præbet, & qui facilè in membra digeratur. In hac Dioſcoridis oratione Ruellius τὸν συγκομιστὸν panem non rectè cibarium conuertit. Eſt enim panis συγκομιστὸς, idem qui ἀυτόπυρος, cui nihil furfuris deceſsit, quem ex toto comportatum expreſsit ad verbum Cornarius. Id declarat

Li.1. Alim. Galenus cum ait. Eſt autem & alia panum ſpecies, inter has planè media, quos ἀυτοπύρους appellant, medici autem veteres ipſos nominabant συγκομιστὸς. Cæterùm quòd hi fiant ex farina à furfure non ſeparata, furfuréque à pura farina non ſeparato, omnibus eſt perſpicuum: hinc enim nomina ipſis indiderunt: ἀυτόπυρος quidem, quod ἀυτὸς ὁ πυρὸς, id eſt totum ipſum Triticum in panificium cedat: συγκομιστὸς autem, quòd ad ipſos cõficiendos tota farina nuſquam à furfure ſeiuncta συγκομίζεται, id eſt comportatur. Cibarium verò

Lib. 2.c.18. panem Celſus quaſi plebeium in quinto genere firmitudinis alimentorum ponit, ἀυλόπυρον autem in tertio, vt ex loco ante à nobis citato intelligere licet.

Lib.6. Apuleius ſordidum panem & cibarium pro eodem poſuit, de deſcenſu Pſyches

Li.1. Alim. ad inferos loquens. Panis puriſsimus Galeno ſilignites, ideſt ſiligineus dicitur. Huic proximus eſt ſemidalites, ideſt, ſimilaceus. Verùm σεμιδαλὶς Græcum nomen eſt, & antiquum, σιλίγνης verò, neque Græcum eſt, neque ipſum aliter poſſum exprimere. Inter panes igitur ſiligineus plurimum alimentum præſtat, poſt ipſum autem ſimilaceus. Tertio loco medius, qui & συγκομιστὸς, & ἀυλόπυρος dicitur. Quartum poſt hunc eſt ſordidorũ genus: in quibus furfuraceus eſt poſtremus: minimúmque omnium nutrit, & omnium maximè per aluum ſubſi-

der.

det. Quinque igitur panis genera Galenus facit. Primum Siligniten, ideſt Siligineum, ex ſiligine: Secundum ſemidalitem, ideſt Similagineum, ex ſimilagine tritici farina, expoſitiſque mox vocabulis, σεμίδαλιν quidem vocem eſſe Græcam aſſerit, ex qua ſimilago à Latinis accepta, quæ & ſimila dicitur, σιλίγνιν verò non item, ſed Romanam vt & ipſe alibi teſtatur. Tertium genus eſt medium ſyncomiſtum ſiue autopyrum. Quartũ ſordidum magna ex parte ex furfuribus conſtans. Quintũ furfuraceũ. Quantum autem ad alimenti rationem attinet, idem planè Celſus his verbis expoſuit. Ex tritico firmiſsima ſiligo, deinde ſimila, deinde cui nihil ademptum eſt, quod autopyrum Græci vocant. Infirmior eſt ex polline, velvt alij legunt, deinde, ſimila: infirmior eſt ex polline: deinde cui nihil ademptum eſt', quem Græci αὐτόπυρον vocant, infirmiſsimus cibarius panis. Celſus igitur, niſi mendoſus locus eſt, quartum panis genus infirmius in alimenti ratione eſſe tradit, ex polline confecti, quod Galenus τὸ τῶν πυπαρῶν εἶδος, appellat, craſsiorem, opinor, ſiue ſecundarium pollinem intelligens, ſiligine iam ab eo, tenuiſsimo cribro ſecreta. Heſychius γυρίτην ἄρτον, ideſt ex polline, quod γύρυς dicitur, ἀυλόπυρον interpretatus eſt. Sed quid ſit pollen tritici ſiue pollin ex Plinio intelligere licet ſic ſcribente. Similago ex Tritico fit laudatiſsima. Ex Africo iuſtum eſt ex modiis redire ſemodios, & pollinis (primarij) ſextarios quinque. Ita autem appellant in Tritico, quod florem in ſiligine. Præterea ſecundarii (ſub. pollinis,) ſextarios quatuor, furfurúmque tantundem. Panes verò è modio ſimilaginis CXXII. è floris (pollinis) modio CXVIII. Pretium huic (ſub. Africano Tritico,) annona media in modios farinæ (à furfure non purgatæ) XL. aſſes, ſimilaginis caſtratæ, (ab omni ſorde puræ) octonis aſsibus amplius, ſiliginis caſtratæ duplum. Eſt & alia diſtinctio. Similago Tritici XVII. pondo panis reddere viſa, (ſub. eius modius,) pollin autem XXX. cum triente, & ſecundarij panis quinas ſelibras, totidem cibarij, & furfurum ſextarios ſex. Ex quibus Plinij verbis colligit Budæus Africum Triticum præſtantiſsimum fuiſſe, ex cuius farina primùm ſimilago, quæ & ſimila dicitur, cribro tenuiſsimo à polline cernebatur, ita vt ex polline reſtante ſecundariam rurſum veluti ſimilam ſepararent, & craſsiorem rurſus pollinem à furfuribus laxiore incerniculo ſuccernerent, quem vt diximus, Celſus intellexit, quartum genus panis ex polline ſtatuens. Turnebus cap. 18. lib. 30. Animaduerſ. in exemplari manuſcripto illa Plinij verba ſic legi docet. Eſt & alia diſtinctio ſemel tempore L. Pauli nata, Pondo panis reddere viſa XVIII. tertia XIX. cum triente: quam lectionem & in meo codice manu exarato reperi, ſed, vt arbitror, vitioſam. Similam quidem, ſiue Similaginem, id eſſe ſi nos credimus, quod vulgus nuncupat *Simoule*, nimirum Triticum mola verſatili decorticatum, & in minutula grana confractum, vt fieri ſolet in æſtuoſis prouinciis, Aphrica, Sardinia, Balearibus inſulis, & eiuſmodi reliquis, non minus frequenter aut libenter eo cibo cum iuſculis parato quàm pane victitantibus regionum illarum populis, à farina certè differt Simila, rectéque Plinius expendit, quantum pollinis ſiue farinæ, quantum Similæ Triticum reddat, & quot primarij aut ſecundarij panes è Simila pollinéue fiant. Eſt autem pollen, ſiue pollin, interdum à furfure purgata farina, cuius tenuiorem partem pollinem primarium vocant: craſsiuſculam autem Pollinem ſecundarium, & cibarium. Aliquãdo vero pollen dicitur leuiſsima farina è piſtrinis ac moletrinis ob ſuam leuitatem tanquam euolans, & parietibus adhæreſcens, è qua fit tenaciſsimum gluten Galli vocant *Fole farine*, quaſi *vole*, à volando. Ex hoc polline fieri panem nuſquam meminime legiſſe. Harum dictionum τῶν πολυσήμων intellectus multiplex valde profecto moratur lectorem, vt & ſiliginis nomen, quod nunc

Libr. 7. ph. loca. ca. 1.

Lib. 2. ca. 8.

Li. 18. ca. 10.

Li. 5. de Af.

frumenti genus significat leuissimi, ac delicatissimi, nunc farinam purissimam, & tenuissimam, excussorio lineo spississimo transmissam. Similam siue similaginem cum siligine farina videtur confudisse Budæus, Galliæ nostræ decus, & clarissimum lumen, quod inter eas differentiam non didicisset, similaginis vsu fere Gallis Celtis ignoto. Nostri pistores panificium venale in tria fere genera diuidunt: in primarium panem, qui candidus dicitur, Gallicè *Pain blanc*, *& Pain de bouche*, Lugdunensibus *De la miche*, in secundæ notæ panem, qui Ciuilis dicitur, *Pain bourgeois*, *& Pain de mesnage*, Lugdunensibus *Pain farin*, fit is è farina, pura quidem, & quæ nihil furfuris habeat, sed crassiore quàm Primarius: Tertium genus panis cibarius est, nostris, postremæ notæ Græcis Syncomistos, vel Autopycos, Plinio militaris, Lugdunensibus *Pain à tout*, in quo nihil furfuris, nihil farinæ detractum est. Farina ad Panificium præstantissima ea est, quæ non nimis molita, neque recens, neque vetus, neque crassi furfuris fuerit. Nam, quæ nimis molita est, furfuraceos Panes facit: quæ recentior, adscititiam molæ caliditatem retinet: vetus puluere, situ, carie, aut viroso aliquo odore labefactatur. Hæc deinde optimæ aquæ permiscenda, quæ ex laudatissimo fonte fluxerit, quæ pellucida sit, quæ neque cœnum, neque limum redoleat. Præterrea fermentum triticeum addendum, non vetus, mediocris quantitatis, ne ex eius copia Panis acescat. Iniiciendum & salis albi parum, vt Panis gustui gratior reddatur. Concoctu inter Panes sunt facillimi, inquit Galenus, qui plurimum sunt fermentati, & pulcherrimè subacti, quíque in clibano igne moderato fuerint assati. Nam ignis ardentior primo statim occursu superficiem externam circumurens in testæ modum indurat: accidítque duplici nomine prauum panem fieri, priore quidem quod partem internam habeat crudam atque illaboratam, posteriore verò quod externam siccam habeat, ac præassatam, & testaceã. Porrò ignis moderato remissior panem minùs bene elaborat, sed ipsum crudiorem relinquit, & maximè partem omnem eius internam. Qui autem igne moderato longiore spatio per totos se ipsos æquabiliter assati fuerint, ij tũ bellissimè in ventriculo concoquuntur, tum ad cæteras actiones quæ coctionem consequuntur, erunt aptissimi. Pessimi autem ij Panes sunt habendi, quibus nihil adest ante memoratorum. Puri panes fermento copiosiore indigent, omniúmque maximè subigere eos oportet, nec statim post fermentum & subactum assare: diuturniorem iidem assationem postulant. Contrà furfuraceis paucum fermentum, leuis subactio, breue interuallum, breuiórque assatio sufficit. His adiiciendæ aliæ ex coquendi ratione panum differentiæ. Omnium optimi sunt, inquit Galenus, panes Clibanitæ, siue Cribanitæ, ad eum quem præscripsi modum, tum assati, tum ad assationem præparati. Cocturæ id genus Galli vocant *Cuire en la terrasse*, proximi ipsis sunt Ipnitæ, Furnacei, Gallis, *Cuicts au four*, eodem quo prædicti modo præparati. Sed quia in profundo panis hîc non æquabiliter assatur, ob id à Clibanite bonitate vincitur. At qui in craticula, aut sub cinere calido, aut in foci pauimento super pruna assantur, praui omnes sunt, quoniam inæqualiter cocti sunt, partibus ipsorum extimis supramodum assatis, intimis autem crudis. Cæterùm quoniam subcinericiis cineres prauitatem aliquam aspergunt, hos panum omnium (si ipsis etiam cætera omnia ante pariter adfuerint) quod ad cocturæ saltem modum attinet, propemodum dixerim esse deterrimos. Panes κλιβανῖται siue κριβανῖται dicuntur Galeno, & aliis veteribus, qui in clibano coquuntur. Est enim Græcis κλίβανος, vel Atticè κρίβανος, Latinis Clibanus & Testus, tegmen testaceum nobis hodie æneum, sub quocalidi panes, placentæ, spiræ, & huiusmodi cætera prunis suppositis coquuntur. Panes ἰπνῖται, furnacei, aut in furno cocti. Quare non recte Linacer

Li. 1. Alim.

Li. 1. Alim.

panem

panem clibaniten apud Galenum in furno coctum interpretatus est, qui ipnites est, & clibanite deterior. Ante omnia panis bene fermentatus, & probe coctus erit inquit rursum Galenus cribanites, non ipnites. Hanc differentiam Plinius obseruauit de scilla loquens. Coquitur pluribus modis in olla, quę coniiciatur in clibanum aut furnum. Qui in craticula assatur panis, ἐσχαρίτης Græcis nominatur nobis, seruata propemodum Græca voce, *Eschalete*, & *Gauffre*, Parisiensibus. Est autem Eschara ferreum instrumentum duabus veluti plagulis constans, craticulæ figura latius & altius incisis, quæ disparari, & rursum adduci proximè possunt, vt se contingant. Hæ cum igne propemodum candent, inferiori panis materia statim iniicitur, & admota appressáque superiore coquitur quod satis est, vtrámque sæpius ad ignem obuersando. Eo coctura modo fit & panis Obelias, quem vulgus eodem fere nomine vocat, *des Oblies*. Qui in foci pauimento super Prunis, ἐπάνθραξ, Athenęo. Qui sub cinêre calido ἐγκρυφίας siue ἔγκρυπτος. Triticum Galeno primi est ordinis excalfacientium, sed neque humectare, neque siccare euidenter potest: habet etiam quiddam lentoris obstruentísque naturæ. Quod ex pane fit cataplasma vim habet magis digerentem, quàm quod ex tritico: nimirum cum & salem & fermentum panis adiuncta habeat. Fermentum enim vim habet attrahendi & digerendi ea quæ in alto residen. Plinius tamen historia citata triticum siccare ostendit. Sextus Pompeius, inquit, Hispaniæ citerioris princeps, Prætorij viri pater, cum horreis suis ventilandis præsideret, correptus dolore podagræ, mersit in Triticum sese super genua: leuatúsque siccatis pedibus mirabilem in modum, hoc postea remedio vsus est. Vis tanta est, vt cados plenos siccet. Scribit idem Plinius grana tritici ferro combusta, iis quæ frigus vsserit præsentaneo esse remedio. Farinam ex aceto coctam neruorum contractionibus auxiliari: cum rosa verò & fico sicca, myxísque decoctos furfures tonsillis faucibúsque gargarizatione prodesse. Paleam quoque tritici vel hordei calidam imponi ramicum incommodis experti iubent, quaque decoctæ sunt aqua foueri. Refert Galenus Crispi ad recentes in mento, siue alia faciei parte lichenas ex tritico medicamentum his verbis. Tritici grana multa in incudem imponito, deinde laminam æris igne candefactam tritico super ponito, & resolutũ ab eo liquorem calidum adhuc auferto, ac super lichenas linito. Hoc solo multos curatos scimus. Fit & auctore Matthiolo è tritici granis inter ferri laminas igne calefacti compressis oleum, quod ad vlcerum sinus commendant. Sunt etiam qui eo vtantur ad pedum & manuum rimas, quas frigus excitauerit: item ad asperam cutim læuigandam. Sed de tritici viribus fusiùs hæc Dioscorides. Tritici genera cruda, inquit, in cibis teretes tineas gignunt: canum morsibus prosunt mansa & imposita. Farina eorum cum hyoscyami succo illinitur aduersus neruorum fluxiones. Item contra interaneorum inflationes: lentigines ex aceto mulso tollit. Furfures autem in acri aceto decocti, turgentes mammas sedant. Græcè legitur, Τὸ δὲ πίτυρον σὺν ὄξει δριμεῖ, λέπρας ἀφίστησι χλιαπλασσόμενον θερμὸν, καὶ πάσης φλεγμονῆς ἐν ἀρχῇ χλιάπλασμα σύμφορον. μετὰ τηγάνου ἀφεψήμενος ἕψηθὲν, μάστους σπαργῶντας πάνει. Idest, furfures autem cum acri aceto calidi admoti lepras eximunt. Incipientes etiam omnes inflammationes illiti leniunt. In rutæ verò decocto elixi, mammas turgentes sedant. Quo loco vetus codex habet non σπαργῶντας, vt omnes vulgares, quod significat turgentes & luxuriantes, sed χονδριῶντας, idest, instar cartilaginis induratas) viperarum ictibus auxilientur, & torminosis prosunt. Farinaceum fermentum calfaciendi extrahendíque vim habet. Priuatim callos pedum, clauósque extenuat, & cætera tubercula furunculósque ex sale concoquit, & aperit. Sitaniorum farina contra venenatos ictus cum aceto aut vino commodissi

Lib.4.sani. tuen. & Li.8.meth.
Li.1.Antid.
Lib.20.c.9.
Lib.8.sim. *Vires & tempera.*
Li.22.ca.25.
Ibidem.
Li.5.ph.lo.
In libr.2. c.78.Dios.
Li.2.ca.78.
Lacu.

modiſsimè illinitur: eadem ſi decocta in glutinis modum delingatur, cruentis excreationibus proderit: contra tuſsim & exaſperatas arterias cum mentha & butyro decocta, efficax eſt. Tritici pollen ſi ex aqua mulſa, aut hydrelæo decoquatur, omnem diſcutit inflammationem. Panis & crudus & coctus cum aqua mulſa inflammationes omnes illitu mulcet, quoniam emollit, & quadantenus refrigerat, ſed herbis ſuccíſue huic rei accommodatis admiſcendus. Vetus panis aridus per ſe, & adiectis conuenientibus, citam aluum cohibet. Recens muria maceratus illitu vetuſtas impetigines ſanat. Glutinum ex ſimilagine & polline, quo chartæ glutinantur, ſanguinem excreantibus prodeſt, ſi liquidum ac tepidum cochlearis menſura detur ſorbendum. Satis de tritico dixiſſe videri poteramus, niſi eius genera aliquot peregrina ſuperioribus adiungenda eſſent.

TRITICVM INDICVM, CAP. II.

TVRCICVM Triticum hodie appellatur perperam, quod Indicum appellari debet. Nam ex Occidentis Indiis primum ad nos tranſlatum eſt, non ex Turcia & Aſia, vt credidit Fuchſius. Huius Matthiolo quatuor ſunt genera, quæ granorum & ſpicarum duntaxat colore differunt. Aut enim rufeſcunt grana, aut nigricant, aut crocea ſunt, aut ſubalbicant. In quibus hoc permirum videri debet, quod alia parte florem, alia fructum proferunt, cum ſtirpes omnes ibi fructum producant, vnde flos emicat. Triticum hoc radicibus firmatur multis, duris ac neruoſis, ſed minimè craſsis, ex quibus calamus aſſurgit arundinaceus, inferiore parte craſſus, ac purpureus, ſuperiore paulatim extenuatus, rotundus, procerus, geniculatus, alba & fungoſa medulla farctus. Folia ſunt longa, lata, venoſa, arundinacea. In calami ſummitate ſpicas fundit dodrantales, iubę ferè modo multiplices, procumbentes, muticas, & granis vacuas, flores tantum gerentes ſecales modo, nunc

Hiſtor. plan. ca. 318.

In ca. 78. li. 2. Dioſcor.

Formæ Indici.

TRITICVM INDICVM,
Fuchſio Turcicum.

TRITICVM INDICVM
Matthioli.

luteo

luteo, nunc candido, nunc purpureo colore, vt fructus quem profert, siue frugiferæ spicæ coloratæ sunt. Culmi geniculis prægrandes veluti spicæ exeunt, multis foliaceis & membranosis tunicis velut vagina quadam obuolutæ, ex qua longi tenuésque capilli prominent. Spicæ iam adultæ Piceę arboris conum tum longitudine, tum crassitudine æquant, circa quas totas coaceruantur grana nuda, arctissimè sese stipantia, læuia, subrotunda, Pisi magnitudine, & in octonos aut denos versus ordine digesta. Hoc triticum Dodonæus Milium Indicum à Plinio appellari scribit. Indi hodie *Maliiz* vocant, serúntque hoc modo. In Agrum eunt aliquot simul recta linea dispositi, æqualitérque distantes, acuto palo terram perforant dextra manu, & quatuor quinquéue grana, sinistra manu in vnum quodque foramen iniiciunt, pede altero foramina occludentes, ne psittaci semen depascantur. Atque ita ordinum passu distantias metientes, Agrum totum serunt retrocedentes. Verum ante sationem semen biduo aqua macerant, nec serunt nisi priùs terra pluuia maduerit. Citò nascitur, & quarto in India mense demetitur. Est etiam huiusce frumenti peculiare genus, quod duobus tantum mensibus & seritur, & metitur. Quinetiam aliud est quod quadraginta tantum diebus à satione matureścit. Sed id minutius est, & infirmius, nec seritur nisi cum futuræ caritatis annonæ suspitio est. Triticum Indicum temperamento Tritico nostro simile esse videtur, nisi paulò calidius sit, id quod indicat panis ex ipso confecti dulcedo. Farinam reddit candidam, ex qua panes fiunt, crassiore tamen substantia ac magis viscida quàm nostri. Quare crassum succum gignunt, quique facilè obstruere possit. Eius farina iis cataplasmatis commodè miscetur, quibus pus mouendi facultas inest: nam suo lentore meatus obstruens apostematibus suppurandis peridonea est.

Li. 4. ca. 10. Li. 18. ca. 7.

Genera.

Usus & Temper.

FRVMENTVM SARACENICVM, Erysimum Theophr. & Irio Plinij, CAP. III.

ALIVD frumentum Saracenicum, vocatur, quoniam ex Africa primum delatum sit, à Gallis *Blé Sarrazin*, ab Italis quibusdam *Saracino*, ab aliis *Formentone*, quasi vile frumentum. Germani superiores *Heydenkorn*, inferiores *Bockwueydt*, siue *Buckwueydt*, idest hirci aut fagi triticum appellant, Græcè τραγόπυρον & φηγόπυρον dixeris, Latinè Hircotriticum, & fagotriticũ, quod faginam glãdem forma triquetra & colore sordido quodammodo referat, licet multo minus sit. Peritiores ac diligentiores herbarij frugem hanc Erysimũ esse volunt Theophrasti, Plinij vero, Latinorúmque, Irionem. Erisimi semen Theophrasto cap. 17. 2. histor. feraciśimum est, vt & Milij, Papaueris Cymini, quamuis minutum. Eodem libr. capit. 19. Erysimum & Sesamum, nullum animal, dum virent, attingit, propter amarorem, qui in siccis deponitur, & sic euanescit, vt tum vesca sint. Erysimo frugi, nam oleris genus est alterum Erysimum, ac Sesamo, calamus ferulaceus est Theophrasto, lib. 9. hist. Plinio vero cap. 7. 18. Sesamo tantum.

Matth. in cap. 78. lib. 2. Dios.

tum. Eodem loco Plinius Irionis & Sesami sanguineum esse folium tradit. Huius quidem plantæ caules & surculi rubent, non folia. Erysimum fruges folio primum est subrotundo, quod tempore hederaceum euadit, verùm acutius & mollius. Caulem edit fragilem, rotundum, inanem, bicubitalem, rubentem, folioſum. Florem edit paruum, candidum, racemoſum, è quo semen triangulum, sordido colore nigricans, alba intus medulla. Seritur Aprili mense, Iulio metitur in calidioribus locis, adeo vt in iis bis anno proueniat. Id quod in multis Italiæ locis euenit. Rustici ex eius farina non solùm panes conficiũt, sed etiam pulmenta, quibus hyeme victitant. Pinsunt quoque idem in pila, & ptisanam inde conficiunt, qua nonnulli vescuntur è carnium iure decocta: est enim cibus non ingratus, si rectè coquatur, nec adeo vt grana disiliant in pultem, sed integra remaneant. Rustici qui circa Italiæ & Germaniæ fines degunt, pultem ex eo quam vulgari idiomate appellant *Polenta*, conficiunt: deinde massam in latas & tenues portiones secant, & caseo butyróque conspersas in cibum sumunt. qui nec ingratus est, nec adeo ventriculum grauat, vt puls illa quæ ex Milij farina à siluicolis paratur, & quamuis flatus expers non sit, tamen non tam inflat quàm Phaselus, Faba, atque Pisum. Ex his perspicuum est eos valde hallucinari, qui id frumenti genus Ocymum vel Ocynum antiquorum esse putauerunt, pabulum iumentis purgandis aptissimum. In quibus est Tragus, qui non solùm id Ocymum esse credit, quod seri consueuit pabulis pecorum, quia eo ita nutriantur, vt breui tempore hoc pastu mirum in modum saginentur, sed etiam huic frumento omnes tribuat vires, quas in Ocymo odorato inesse veteres tradiderunt.

Libr. 2. c. 25.

ZEA, CAP. IIII.

ZEA & Ζέα Græcis, auctore Galeno, Zea & semen Latinis, vulgo & Italis *Spelta*, & *Pirra*, dicitur. Zea, inquit Plinius, est Zea Italiæ copioſa in Campania maximè Seménque appellatur. Hoc habet nomen res præclara, propter quam Homerus Ζείδωρος ἄρουρα, dixit, non vt arbitrantur aliqui, quoniam vitã donaret: quibus verbis Plin. vult Seminis appellationem ob excellentiam frugis datam esse, & Homerum Ζείδωρον ἄρουραν dixisse, quod Zeam ferret, non quod τὸ ζῆν donaret. Arabes *Hais*, Galli *Espeaute*, Hispani *Spelta*, Germani *Speltz*, nonnulli *Tinkel*, & *Dinckelkern*, nominant. Zea duûm est generum auctore Dioscoride. Vna simplex: altera δίκοκκος καλεῖται ἐν δυσὶν ἐλύτροις ἔχουσα συνεζευγμένον τὸ σπέρμα, idest, quæ dicoccos appellatur, quod in duobus folliculis coniunctum semen habeat, vel, vt vertit Ruellius, quæ in geminis putaminibus grana bina iuncta gerit, ob id dicoccos appellatur. Ex quo perspicuum est falli eos, qui dicoccon interpretantur, cuius grana in singulis tunicis seu glumis gemina sunt, simplicem quæ in singulis tunicis singula grana habet. Zea veterum, inquit Matthiolus, illud est frugis genus, quod vulgo Italis *Spelta*, & *Pirra* dicitur. Spelta enim quod de Zea traditur, duûm generum est: vna spicas profert simplicibus granorum versibus: altera duplicibus: Præterea quidam, vt Foroiulienses, Speltam *Pirra farra* vulgo appellant, quod ex ipsius deglubitis granis, vt veteres, ex Farre, halicam conficiant. Sunt & apud Insubres qui Speltam *Algam* nominant, quasi Alicam, sicut & veteres decorticatam Zeam alicam vocauerunt. Adhæc Plinius Zeam Italiæ esse copioſam tradit, in Campania maximè, & Semen vocari. Cuius tempore cùm fruges hæc copioſa in Italia fuerit, eius quoque prouentus ad hunc vsque diem perdurare potuit. Hetrusci, veteres imitati, Speltam vulgo *Biada*, appellant. Nam vt ab antiquis Semen omnibus est feminibus commune nomen,

Li. 1. Alim. *Nomina* Li. 18. ca. 8.

Lib. 2. c. 82. *Genera.*

Fuc. c. 108. Ruel. lib. 2. cap. 9. Dodo. libr. 4. cap. 2.

Lib. 18. c. 8.

men, ita apud Hetruſcos *Biada* ſegetum omnium nomen, Zeæ ob frugis præſtantiam inditum eſt. Zea itaque quæ vulgo Spelta dicitur, Tritico haud abſimilis prouenit, tenuiore tamen ſtipula, firmioréque. Verùm ſpica à Tritico differt, quod compreſſa planáque ſit, granis tantùm ex vtroque latere prodeuntibus, ariſtis longis, ac tenuibus vallata. Maior Zea ſiue dicoccos, firmiore grandioréque culmo, & altiore ſpica prouenit, gignítque bina duobus folliculis ſimul iũctis grana. Minor altera & monococcos, minore tum culmo, tum ſpica ſpectatur, in qua grana ſingula ſingulis includuntur folliculis. Zea in multis Italiæ, Galliæ, & Germaniæ locis prouenit. Naſcitur qualicumque ſolo, etiam humidiore, quoniam folliculum, vt ait Columella, quo continetur firmum ac durabilem, aduerſus longioris temporis humorem habet. Lęto tamen pinguíque melius proficit. Seritur, vt Triticum, Septembri vel Octobri menſe: Iulio demetitur. Tradunt Zeam, inquit Plinius, cum ſit degener, redire ad frumentum, nec protinus, ſed tertio anno. Zea, inquit Dioſcorides, plus quam hordeum alit, ori grata, digeritur in panificia, & minus quàm Triticum nutrit, in quibus verbis pro εὔστομος, ideſt ori grata, ex fide veteris & inculpatiſsimi codicis εὐστόμαχος, ideſt ſtomacho vtilis, ſiue commoda, legendum, ſicuti etiam legit Galenus hunc Dioſcoridis locum citans, qui & de Zea hæc ſcripſit. Zea vniuerſa ſua facultate quodammodo in medio eſt tritici, & hordei. Itaque ex illis cognoſci debet. Olim vt ex Tritico Crimnon, ita ex Zea Chõdrus ſiue Alica fiebat. Græcorum χόνδρον. Latinorum alicam eſſe declarant tum viri docti, qui conuertendis in Latinam linguam Græcis medicis χόνδρον Latinè alicam ſemper reddiderunt, tum poſteriores Græci qui Latina voce ἄλιξ vſurpata, ſæpe cõiũctim χόνδρον ἄλικος, dicũt. Aetius. τροφὴν ᾗ δι δόναι χόνδρον ἄλικος μετ' ὄξυς λευκοῦ, & cæt. ac rurſum: ἐνθρύπτειν ᾗ ἐν αὐλῷ ψίχας, ᾗ χόνδρον ἄλικος ἐν αὐλῷ ἐμβλητέον. Item alibi: ταχύνει ᾗ χόνδρον ἄλικος μεθ' ὕδατος θερμῶ ἐψημένον, & cætera. Sed id poſtea ex rei ipſius natura certius oſtẽdemus. Videtur autem alica Latinis ab alendo appellata eſſe, ſicut χόνδρος Græcis ob excellentiam, ideſt granum dicitur. Deinde χόνδρος & alica tum pro frugis ſpecie, tum pro re factita, ſiue cibo, Alica ex Zea, chondrus è tritico compoſito à veteribus vſurpatur. Paulus. Chondrus tritico perſimilis eſt, niſi quod glutinoſior. Suidas. χόνδρος: πυρῶ παραπλήσιος: γλίχρος ᾗ τι παλέον ἐκείνου. Galenus, χόνδρος ἔστι μὲν δίπυρος καὶ τροφὴ βελτίστη, καθάπερ καὶ πυρός. Et mox, καὶ διὰ τοῦτο τινὲς ἐκ τῶν ἰχνῶς ξηραινόντων ἐνόμισαν εἶναι καὶ τοῦτο τὸ σπέρμα. Plinius de frugum generibus. Aliqui verna, milium, panicum, lentem, cicer, alicam appellant. Et paullo poſt, Tunicæ frumento plures, hordeum maximè nudum & alica, arinca, vetuſtus codex habet, ſed præcipuè auena. Nunc ex quibus frugibus, & quomodo fieret chondrus ſiue alica explicandum. Alica fit ex Zea quæ dicoccos appellatur, inquit Dioſcorides. Plus alit quàm Oryza, aluum magis cohibet, ſtomacho longè vtilior. Alica ex genere eſt Tritici, inquit Galenus, valenter nutrit,

ZEA DVPLEX.

Forma. Matt. in c. 8. li. 2. Dioſ.

Locus.

Tempus. Li. 18. c. 10.

Lib. 2. c. 82. *Vires & Temper.*

Li. 1. Alim. Lib. 6. ſim. *Chõdrus & alica.*

Lib. 9. c. 10. Ibid. ca. 11. Ibid. ca. 29.

Libr. 7. Libr. 8. ſim. Li. 18. ca. 7.

Lib. 2. c. 89. Li. 1. Alim.

succúmque lentum habet, siue in aqua duntaxat coctam cum mulso, aut vino dulci, aut etiam adstringente (nam singulis horum suo proprio tempore vtimur) siue oleo saléque conditam sumas. Nonnumquam autem illi & acetum iniicitur. Præparatam eodem modo alicam medici chondroptissanæ cõfectionem appellant: quidam autem dicunt ex χόνδρου πτισάνης, ideſt ex alicæ ptissana ægrotum fuisse cibatum. Veterum nonnulli, vt Diocles & Philotimus, πτισάνην πυρίνην, ideſt ptissanam triticeam, alicam è Tritico confectam nominant. Qua propter eius nomen apud antiquos est rarum. Sunt autem & alia permulta semina prædictis quidem similia, non tamen eadem protinus specie, quæ partim in Hordei ac Zyphæ, partim in Zyphæ, olyræque, aut Olyræ & Tritici medio sunt loco: quædam vero ad Olyræ, alia ad Hordei aut Zyphæ, alia ad Tritici, ceu alia ad Panici, alia ad Milij naturam proximè accedunt, quæ nomina habent alia simplicia, ὥσπερ ἐν ἰταλίᾳ ἐξ οὗ τὸν χόνδρον ποιοῦσι, ideſt, vt in Italia ex quo Alicam faciunt. Quibus verbis nihil aliud quam simpliciter Zeam appellatam indicat, ex qua chondrum in Italia faciebant. Sed inter prima dicatur & alicæ ratio inquit Plinius, præstantissimæ saluberrimæque: quæ palma frugum indubitanter Italiam contingit vel, vt alij legunt, Italiæ contigit. Fit sine dubio & in Ægypto, sed admodum spernenda. In Italia verò pluribus locis, sicut Veronensi Pisanóque agro, in Campania tamen laudatissima, idem rursum. Alica fit ex Zea, quam Semen appellauimus. Et alibi. Alica res Romana est, non pridem excogitata. Ex his intelligere licet alicam latinorum, χονδρον, esse Græcorum, & eam non ex vno frugum genere paratam fuisse, sed quæ ex Zea & tritico fieret, peculiariter chondrum siue alicam appellatam. Cum enim chondrum, chondroptissanam, & ptissanam pyrinen, ideſt triticeam à veteribus dictam fuisse scribit Galenus, nihil aliud intelligit, quam quod chondrus instar ptissanæ decorticaretur, & comminueretur, atque postea eodem quo ptissana modo condiretur. Est autem ptissana propriè hordei decorticati appellatio, vt suo loco dicemus, qua cum aliis frugum generibus copulata, alia atque alia ptissanæ genera significantur: velut χονδροπτισάνη significat ex Zea decorticata ptissanam: πτισάνη πυρίνη, ptissanam ex tritico decorticato, ita vt tum chondrus, tum ptissana generalia nomina esse videantur frugum omnium siccatarum, & decorticatarum, quo sane modo alica quoque apud Plinium generale vocabulum videtur esse, quemadmodum apud Græcos chondrus, quo loco ille alicæ conficiendæ modum ostendit. Alica fit ex Zea, quam semen appellauimus, inquit. Tunditur granum eius in pila lignea: nam lapidis duritia conteritur. Nobilius, vt notum est, pilo vinctorum pœnali opera. Primori ineſt Pyxis ferrea: excusis inde tunicis, iterum iisdem armamentis nudata conciditur medulla. Ita fiunt alicæ tria genera, minimum, ac secundarium: grandissimum verò aphærema appellant. His Plinius alicæ parandæ modum docet, & tria eius ex Zea factæ genera ex contusionis magnitudine distinguit, minimum idque primarium, in minutissima grana tusum. Secundarium quod crassiusculè contusum est: grandissimum, maximæ inter ea molis, grano fere tantum exuto sua tunica, nec minutius trito, vnde etiam ἀφαίρεμα à cortice videlicet, siue tunicis ablatis est appellatum, vel quod tertium hoc genus sit tanquam reiectum purgamentum superiorum, quæ longe præstantiora sunt. Alia alicæ genera materiæ ex qua fit, diuersitate Plinius statuit his verbis. Alica adulterina maximè quidem fit ex Zea, quæ in Africa degenerat. Latiores eius spicæ nigrioréſque, & breuis stipula. Et paullo post: Alia ratio vbique adulterandi. Ex tritico candidissima & grandissima eligunt grana, ac

Li. 18. ca. 11.

Li. 22. c. 25.

Li. 18. ca. 11.

Ibidem

na, ac ſemicocta in ollis poſtea arefaciunt ſole ad initium, vel, vt alij legunt, ad indicium, rurſúſque leuiter aſperſa molis frangunt. Ex quibus apparet alicam ex Zea tum vera, tum degenerante itémque ex tritico fieri, ſicuti de chondron priùs diximus. Ex his etiam Paulum Aegin. cum cæteris Græcis ac Latinis ſcriptoribus conciliare licet, qui chondrum ab alica vt diuerſum apertè diſtinguit. Id quod nullam aliam ob cauſam fecit, opinor, quàm vt ex frugum diuerſitate, ex quibus frumentaceus hic cibus paratur, diuerſas eius ſpecies conſtitueret, ac eum quidem qui ex tritico, ab eo qui ex Zea fit, diuideret, chondrum ex tritico factum appellans, quem Galenus chondroptiſſanam, & ptiſſanam triticeam dixit, alicam verò ex Zea paratam, vſurpato nomine Latino, ſic enim ſcribit. Τῶν σιτωδῶν ὀνομαζομένων ὁ μὲν χόνδρος τρόφιμος τε, καὶ γλίσχρου χυμὸν γεννητικός. ἀλλ' ὁ μὲν πλυτὸς μοχθηρὸς, ἐπεὶπερ ἑλοίμως παχυνόμενος ἄνεφθος μένει. Κρείττων ὁ χυλὸς αὐτοῦ ὅλου καλῶς ἐψηθέντος παραπλησίως τῇ ἀλφίτου· ἡ δὲ ἄλιξ τὰ μὲν ἄλλα χόνδρῳ παρέοικεν, μᾶλλον δὲ γαστρὸς ἔστιν ἐφεκτικός. Lib.1.c.78.

Ideſt. Ex his quæ frumentacea nominantur, chondrus bene nutrit, & glutinoſum humorem parit. Verùm elotus prauus habetur, quoniam prompte craſſeſcens inconcoctus manet. Probatur magis cremor chondri, ſi totus probe ptiſſanæ modo fuerit decoctus. Alica cætera quidem chondro ſimilis eſt, ſed aluum magis adſtringit. Eadem de Chondro ſiue alica Galenus ſcripſit. Nempe bene nutrire, ſuccum lentum habere, chondrum lentum inſtar glutinis, concreſcere, ac denſari & incoctum manere: meliorem ſuccum eius eſſe, ſi probe coquatur ptiſſanæ modo. Veteres alicæ, vt tenerior & candidior eſſe, tum gypſum, tum cretam puteolanam miſcebant. Eam ob ſulphuris metalla illic pleriſque in locis conflagrantia, ſulphureæ qualitatis non expertem eſſe arbitrabãtur: quare eius miſtura alicæ candorem conciliare ſeſe putabant, (ſulphur enim vapore ſuo dealbat,) quod glutinoſum in ea extenuare, humorem ſuperuacaneum exhaurire, vt alica & ſapore iucundior, & reſiccata tenerior, coquibilior in ventriculo concoctu facilior, denique ad valetudinem commodior, vt quæ lentore detracto viſcera minus obſtrueret, Plinius cum alicæ ex Zea faciendæ rationem oſtendiſſet, vt iam diximus, ſubiicit. Nondum habent candorem ſuum quo præcellunt, iam tamen Alexandrinæ præferuntur. Poſtea (mirum dictu) admiſcetur creta, quæ tranſit in corpus, colorémque & teneritatem adfert. Inuenitur hæc inter Puteolos & Neapolim in colle Leucogæo appellato. Extátque D. Auguſti decretum, quo annua vicena millia Neapolitanis pro eo numerari iuſsit è fiſco ſuo, coloniam deducens Capuam. Adiecítque cauſam afferendi, vel vt alij legunt, præbendi, quoniam negaſſent Campani alicam confici ſine eo metallo poſſe. In eodem reperitur & ſulphur: emicántque fontes Oraxi, oculorum claritati, & vulnerum medicinæ, dentiúmque firmitati. Et mox de alica adulterina, de qua ſuprà diximus. Pinſunt cum arena, & ſic quoque difficulter deterunt vtriculos, fitque dimidia nudi menſura, (dimidio maior, quam ſi nudatum omnino granum eſſet,) Poſteáque gypſi quarta pars inſpargitur, atque vt cohæſit, farinario cribro ſubcernunt. Quæ in eo remanſit, exceptitia appellatur, & grandiſsima eſt. Rurſus quæ tranſit, arctiore cernitur, & ſecundaria vocatur. Item cribraria, quæ ſimili modo in tertio remanſit, cribro anguſtiſsimo, & tantùm arenas tranſmittente. In Geoponicis caſsiani Conſtantino attributis legimus alicæ arenam & gypſum miſcere ſolitos fuiſſe veteres: ſic enim illic ſcribitur. Lib.1.c.1. Li.1.Alim. Lib.8.c.11. Lib.3.c.7.

χόνδρου πόησις. ξέας τοῦ ἑστίου, καὶ ἐμβλητέον εἰς ξέστὸν ὕδωρ, καὶ σωεκπιεστέον. ἔπειτα γύψου λευκὸν κοπτέον, καὶ εἰς λεπτὸν σητέον, ἄμμου τε τῆς λευκοτάτης καὶ λεπτοτάτης τὸ τέταρτον, σωὶ γύψῳ

μέρει καὶ ὀλίγον μικλέου, ἐπιπλιοσομένη τῇ ξέᾳ ἄυθις. σκευαζέσθω ὃ ἐν ταῖς ὑπὸ κυνὸς ἡμέραις; ἵνα μὴ ὀξύσῃ. ἐπὰν ὃ ἅπας ἐπιπλιοθῇ, κοσκίνῳ κοσκινευέσθω ἀδρολέρῳ. κάλλιστος ὃ ὁ πρῶτος σηθεὶς γίνεται χόνδρος, δεύτερος ὃ ὁ ἐπὶ τούτῳ καὶ ἐλάττων ὁ τρίτος. Ideſt, Chondri confectio. Zea tundenda, & in feruentem aquam iniicienda, atque exprimenda. Deinde tundendum gypſum album, & in tenuem pollinem redigendum, atque arenæ albiſsimæ & tenuiſsimæ quarta pars cum gypſi portione paulatim miſcenda Zeæ, quæ iterum tunditur. Præparetur autem canicularibus diebus ne aceſcat. Tuſa autem tota Zea cribro incernatur denſiore. Chondrus is optimus qui primo ſuccretus fuerit, ſecundus qui poſt hunc, deterior tertius. Cum verò creta gypſúmque citra periculum ac noxam in corpus aſſumi non poſſent, vt ea ab alica ſepararent, diligentiſsimè priuſquam coquerent, lauabant, baculo variè in aqua agitantes, deinde quod in aqua ſupernatauerat reſidere ſinentes, coquebant, vt apertè declarat Galenus in lib.
Li. 1. Alim. Hippoc. De articulis, fracturæ narium curationem docentis. Idem innuit & Galenus, cum ait. Cæterum diligentiſsimè dum ex alica elota ſorbitiones parantur, animaduertere oportet, & cætera. De Alicæ verò vtilitate hæc Plinius
Li. 22. c. 25. tradidit. Alica res Romana eſt, & non pridem excogitata, alioqui non ptiſſanæ potius laudes ſcripſiſſent Græci. Nondum arbitror Pompeij Magni ætate in vſu fuiſſe, & ideo vix quicquam de ea re ſcriptum ab Aſclepiadis ſchola. Eſſe quidem eximiè vtilem nemo dubitat, ſiue eluta detur ex aqua mulſa, ſiue in ſorbitiones decocta, ſiue in pultem. Et paullo poſt. Ptiſſanæ quæ ex hordeo fit laudes vno volumine edidit Hippocrates, quæ nunc omnes in alicam tranſeũt. Nec ab iis diſcrepant, quæ ſuprà ex Galeno protulimus, vbi & variè ipſam per cocturam parari tradit, ex aqua ſola nonnunquam coqui, ac ex vino mulſo ſumi. Id quod etiam teſtatur Martialis his verſibus.

In Xen. *Nos alicam, mulſum poterit tibi mittere diues.*
Si tibi noluerit mittere diues, eme.

Aut vino dulci, ſiue adſtringente, aliquando oleo & ſale condiri, aceto inſu-
Lib. 8. ſim. per affuſo, quod etiam alio in loco declarat his verbis. Alica eſt alimentum optimum, quemadmodum etiam triticum. Sed non eſt huius loci de alimento diſtinguere. Verùm vt medicamentum, obſtruendi meatus vim habet. In temperamento verò ſimilis eſt tritico, plus viſcoſi quàm illud habens, quo etiam magis quam illud alit. Eſt & velut materia quædam idonea ad ſuſcipiendum acetum, aquam marinam, & muriam, & alia huiuſmodi quæ vehementer ſiccant. Qua propter quidam ex his quæ multùm ſiccant, ipſam eſ-
Vires & Temper. Alicæ. ſe putauerunt. Eſt autem ex his quæ magis concoquere poſſunt, & minus ſiccant, quemadmodum & triticum. Verum ob ſiccantium pharmacorum miſturam, id quod ex ipſis eſt compoſitum, ſiccandi vi præditum, multos medicos fallit, vt ad ipſam alicam referant ſiccandi cauſam, omiſsis iis quæ ſunt admixta. Scribit Dioſcorides decoctam in aceto alicam, illitámque lepras tol-
Lib. 2. c. 89. lere vnguium ſcabritias extricare: incipientibus ægilopiis mederi: decoctum dyſentericis, quos excruciat dolor, infuſum, idoneum eſſe. Fit hodie in Italia ac Sicilia alica ex Zea, quam tam ad ſanorum quam ægrorum vſus valde commendant, eámque non alicam, ſed farro, ideſt Far falſò appellant. Hac appellatione moti quidam Zeam nihil aliud quàm Far eſſe putauerunt. Farris nomine Zeam ab antiquiſsimis Latinorum nuncupatam fuiſſe teſtis eſt Dionyſ. Halicarnaſſ. Nominabant, inquit priſci Romani ſacras nuptias vo-
Libr. 9. ph loc. cap. 3. cabulo ſuo φαρρεικία, quia coniuges veſcerentur eodem φαρρῷ, quod nos Græci ζέαν dicimus. Item Aſclepiades apud Galenum, φάρρου, ὁ καλοῦσι ζέαν. Ideſt, Farris

quod

quod Zeam vocant. alibi nos fusius exposuimus, quæ matrimonia fierent vsu, coemptione, confarratione. Sed his refragatur Plinius, qui vt diximus, capite de tritico, Far aliud à Zea tritici genus esse perspicuè scribit, Adoreum dictum & eodem in loco, Qui Zea vtuntur, inquit, Far non habent. Ex eo frumenti genere factitiam rem Far etiam nuncupatam, diuersam esse à chondro siue alica idem Plinius apertè declarat, cum ait, Populum Romanum Farre tantùm è frumento trecentis annis vsum Verrius tradidit: quo tempore Romanis nullus fuit alicæ vsus, id quod ipse alio in loco testatur scribens Pompeij magni ætate alicam Romanis in vsu non fuisse. His subscribit Archigenes apud Aetium. Quod verò Latinè, inquit, in regionibus Romæ vicinis Far appellatur, hoc modo paratur. Frumentum modico tempore aqua madefacito, indéque extractum, ac in pilam coniectum veluti ptissanam à cortice expurgato. Vbi vero corticem exuerit, tollito, atque in sole siccato: deinde manibus tritum, donec penitus à cortice fuerit mundatum, crassissimè molito, ita vt granum vnum in quatuor aut quinque partes redigatur, & siccum asseruato. Vsus autem tempore alicæ modo coquitur, & à sanis in cibo sumitur. Pro ægris verò variè apparatur, & epithematis quoque admiscetur. Quidam spicas frumenti adhuc virides tollunt, ex ipsisque Far concinnant, quo modo, & suauius & iucundius redditur. Ex iis constat Far pro re factitia, siue pulte farracea, & ab antiquis pro alio atque alio frumento vsurpatum, quod etiam de Zea dicere possumus, vel auctore Galeno, apud quem Mnesitheus panem ex Zea neminem affatim comesse citra sanitatis dispendium posse tradit. Quod si quis, ait, ei pani non assueuerit, etiam si minimum sumpserit, ægrotabit. Est enim grauis, & concoctu difficilis. Qui verò regionem incolunt vehementer frigidam, eo semine coguntur nutriri, ipsúmque serere, quòd frigoribus perstrennuè resistat. Hæc Zeæ de qua ex Dioscoride & Plinio diximus, conuenire non possunt, neque Zeæ Theophrasti, qui eandem quam Dioscorides Zeam intellexisse videtur: sic enim scribit. Inter ea quæ Tritico hordeóque sunt similia, vt Zea, Olyra, Tipha, Auena, & Aegilops, Zea est firmissima, copiosissimé-que fructificat, multiplicem altámque radicem effundit, calamo multiplici crassóque assurgens. Fructus autem est leuissimus, & cunctis animalibus admodum iucundus. Deinde subiungit. Sunt autem hæc duo, Zea scilicet, & Tipha Tritico simillima. Herodotus verò, alius Zeæ meminisse videtur, cum scribit: Tritico hordeóque plerique victitant. Apud Aegyptios autem his in victu vti summum dedecus putatur. Vtuntur autem Olyris, quas alij Zeias cum, Z. nominant.

Lib.18. c.8.

Li.18.ca.7.

Lib.22.c.25.

Lib.9.c.45.

Li.1. Alim.

Li.8. Hist. cap.9.

Libr.2.

OLYRA. CAP. V.

VT Græcis ὀλύρα, ita Latinis Olyra dicitur, & Gallis *Arinca*, Plinio auctore, vt iam diximus. Olyra, inquit Dioscorides ἐκλοῦ ἀυλοῦ γένος ἐστὶ τῆς ζέας, ideſt, ex eodem est Zeæ genere: quod ita docti viri accipiendum esse censent, non vt Olyra Zeæ species sit, cuius duo tantum à veteribus posita sunt genera, nempe monococcos & dicoccos, sed eiusdem esse generis, ideſt naturæ, & facultatis cum Zea. Verum Olyra minus aliquanto nutrit: in panes tamen, vt Zea, cogitur. Fit quoque ex Olyra crassior farina quàm Græci crimnon vocant. Mnesitheus, auctore Galeno, vnoſemine duo nomina scribit contineri, his verbis. Ex seminibus ad

Nomina

Libr.18.ca. 10. & 22. cap.25.

Lib.2.c.84.

Li.1. Alim.

nutritionem ſunt appoſitiſsima Triticum, & Hordeum. Quod autem hæc deinceps ſequitur, duplici quidem nomine nuncupatur, eadem tamen res eſt: alij enim Tipham, alij Olyram nominant. Diocles autem apud eundem Galenum, Tiphas ab Olyris diſtinguit, vt & Theophraſtus. Quorum ſententiam approbat Galenus, Mneſitheum verò reprehendit his verbis. Mneſitheum iure quis demiretur, quod inter Olyram & Tipham diſcrimen non nouerit. Vtrumque enim in Aſia frequens eſt, & potiſsimùm in regione quæ eſt ſupra Pergamum, adeo vt ruſtici ipſi panibus ex ipſis factis ſemper vtantur: propterea quod triticum omne in oppida comportent. Olyrini quidem pans, ſi modo ex bona Olyra fiant, poſt triticeos ſunt præſtantiſsimi: ſecundi autem ab his ſunt Tiphini. Quod ſi Olyrini ex vitioſo ſemine ſint facti, Tiphini non erunt inferiores. Plinius Olyram inter frumenti genera recenſet, & à Tipha diſcernit. Arinca, inquit Galliarum propria, copioſa & Italiæ eſt. Aegypto autem, ac Syriæ, Ciliciæque, & Aſiæ, ac Græciæ peculiares Zea, Olyra, typhe. Et aliquando poſt: Ex Arinca dulciſsimus panis: ipſa ſpiſsior quàm Far, & maiore ſpica, eadem & ponderoſior. Raro modius grani non ſexdecim libras implet. Exteritur in Græcia difficulter, ob id iumentis dari ab Homero dicta. Hæc enim eſt quam Olyram vocat. Eadem in Aegypto facilis fertiliſque. Hanc Olyram non ſeri in Italia ſcripſit Matthiolus, in capitul. octuageſimo quarto libr. ſecũdo Dioſcorid. eámque nec deſcripſit, nec depinxit. Dodonæus pro Olyra exhibet frugis genus hîc appictum, quod vocari ait in Germania, *Amelkorn*, Zeæque eſſe ſpeciem, calamo, geniculis, magnitudine Tritico ſimilem, ſpica non mutica ſed ariſtis multis vallata, vt hordeum, grano folliculis concluſo, Zeæ modo quod ſpoliatum Tritici granis eſt ſimile. Multis Germaniæ locis prouenit, & ante æſtatem ſeritur, metiturque Iulio menſe. Vt Zeæ ſpeciem eſſe, ita temperamento viribúſque illi reſpondere ſcribit Dodonæus, & inter triticum & hordeum mediam, eadem omnia præſtare quæ Zea: panes ex eadem confectos quodammodo triticeis eſſe ſimiles. Quę Theophraſtus & Plinius de Olyra ſcripſerunt Marcelus, Virgilius, putat indicare frugem quam noſtra tempora Secale vocant, non tamen id pro comperto affirmat. At omnem dubitandi occaſionem ſuſtulit Plinius, qui multum diuerſam Olyram à Secale facit. Cum enim de Olyra quæ citauimus, ſcripſiſſet, alio loco de Secale hæc tradit. Id autem quod Secale, & farrago appellatur, occari tantum deſiderat. Secale Taurini ſub Alpibus Aſiam vocant, deterrimum, & tantum ad arcendam famem vtile, fœcunda, ſed gracili ſtipula, nigritia triſte, ſed ponderе præcipuum. Admiſcetur huic Far, vt mitiget amaritudinem eius, attamen ſic quoque ingratiſsimum ventri eſt: Contra ex Olyra dulciſsimus panis, vt ex eodem Plinio diximus. Præterea Galenus, quod nuper citauimus, olyrinos panes,

Ibidem. Liu.8.Hiſt. cap.9.

Li. 18. ca.8.

Lib. 10.

OLYRA DODON.



Li.b 4.ca.3.

Nomina

Forma

Locus.

Tempus.

Vſus & Temper.

Ibidem.

In ca.10.li. 2. Dioſcor.

Li.18.c.16.

Li. 1. Alim

panes, si ex bona Olyra fiant, post Triticeos esse præstantissimos scripsit. Quod verò Hermolaus, Manardus, Ruellius Olyram Latinorum Siliginem esse dixerunt Plinio auctore, id iam capite de Tritico falsum esse ex ipsomet Plinio demonstrauimus. Cæterùm quemadmodum chondrus, & chondroptissana, & ptissana Triticea ex Zea & Tritico fiebant, ita ex Olyra Tragus parabatur. Tragum quidem pro frumenti specie vsurpari diximus cap. de Tritico, sicut & vsurpare videtur Galenus, lib. 1. Aliment. Dioscoridem citans his verbis: ὁ δὲ τράγος τὸ σπέρμα μὴν παραπλήσιον χόνδρῳ, ἀτροφώτερος μὲν πολὺ ξεᾶς, διὰ τὸ πολὺ ἔχειν τὸ ἀχυρῶδες. διὸ δὲ δυσκατέργαστος ἐστὶ, καὶ χοιλίας μαλακτικώτερος. Id est, Tragi semen chondro est simile, nutrit tamen multo minus quàm Zea, quod multum aceris habeat: ob id concoctu est difficilior, & aluum magis mollit. In nostris tamen Dioscoridis exemplaribus hæc aliter leguntur: Τράγος τὸ σῶμα μὲν παραπλήσιον τῷ χόνδρῳ ἔοικεν. ἀτροφώτερος δὲ παρὰ πολὺ ξεᾶς, διὰ τὸ πολὺ ἔχειν τὸ ἀχυρῶδες, & cætera. Id est, Tragus figura quidem Alicæ similis est, sed multo minus nutrit quàm Zea, quod multum aceris habeat: quare ægriùs conficitur, & cætera, quibus verbis Tragi nomine rem facticiam Alicæ similem significari quidam malunt, quàm frugis speciem. Quod autem ex Olyra Tragus fieret, testis est Galenus, lib. 1. Alim. cum scribit. Ex nobilissima autem Olyra, cum, vt decet fuerit decorticata, Tragum conficiunt quo pleríque vtuntur, primùm in aqua decoquentes, deinde ea effusa sapam, aut vinum dulce, aut mulsum infundentes superiniiciunt, & pineas nuces aqua præmaceratas, donec plurimum intumuerint. Idem in libro primo Hipp. de rat. vict. in morb. acut. ex Zea Tragum fieri dixit. Ptissanam igitur rectè præferri ait Frumentaceis eduliis, pani scilicet, chondro, & Zeæ, ex qua fit Tragus. Ex Tritico ptissanæ conficiendæ, vulgata ratio est, inquit Plinius, lib. 18. cap. 7. Simili modo ex Tritici semine Tragus fit, in Campania duntaxat, & Ægypto. In Geoponicis Cassianus Bassus, cap. 13. lib. 3. Tragum ex frumento Alexandrino conficit: Τράγου ποίησις. τὸν ἀλεξάνδρειον λεγόμενον σῖτον βρεχέτω, & πλιστέον, καὶ ξηραινέτω ἐν ἡλίῳ θερμῷ. εἶτα ἄνθις τὰ αὐτὰ ποιητέον, ἄχρις ὅτε ὑμένες τοῦ σίτου, & τὸ ἰνῶδες ἀποπέσῃ. ὕστατον ξηραντέον, & ἀποθετέον τὸν τράγον ἐκ τῆς εὐγενοῦς ὀλύρας. Id est, Frumentum Alexandrinum maceratur, decorticatúrque & in sole calido siccatur. Deinde rursus eadem facienda, donec & folliculi, & quicquid fibrosum est delabatur. Sic & siccandus & reponendus Tragus ex probata Olyra. Ex quibus perspicitur omnia Frumentorum genera ptissanæ modo decorticari & præparari solita, eorúmque atque rerum quæ ex ipsis conficiuntur, ad alendum corpus nomina inter sese confundi.

TIPHA, CAP. VI.

Nomina

ΤΥΦΗ Latinè etiam Tiphe, seu Tipha dicitur à Ruellio Tipha cerealis: quoniam planta alia inter arundines locis humidis prouenit, quæ Tipha nominatur. Theophrastus inter ea quæ Tritico & Hordeo similia sunt numerat Zeam, Tipham, Olyram, &c. mox subiungit Tipham omnium leuissimam esse, simplici culmo assurgere, solo tenui contentam, nec, vt Zeam, pingue & lætum desiderare. Mnesitheus, auctore Galeno Tiphas tertio loco post Triticum & Hordeum numerat. Diocles post

TIPHA DODONÆI. *TIPHA FVSCHII.*

Hordeum, ac Triticum facultatibus sequi omnium maximè Olyras, ac Tiphas dixit. Sed Mnesitheus Olyram & Tipham eandem rem esse putat, quem ob id reprehendit Galenus, vt capite superiore declarauimus. Galeni hæc de Tiphinis panibus & Tipha oratio est, aliquoties repetita. Olyrini panes si modo ex bona Olyra fiant, post Triticeos saltem sunt præstantissimi. Secundi autem ab his sunt Tiphini. Quod si Olyrini ex vitioso semine sint facti, Tiphini non erunt eis inferiores. Calidi verò panes ex laudatissima Tipha facti, Olyrinis longe sunt præstantiores, asseruati verò deteriores seipsis euadunt. Cum enim massa illorum sit tenax, ac ductilis, densatur maiorem in modum, & maximè cum negligenter parati fuerint, adeo vt qui panem huiusmodi post vnum, aut duos dies, ac multo magis sequentes aliquot comederit, putaturus sit lutum ventriculo suo inesse: at cum verò calidus adhuc est, ab ipsis etiam vrbanis expetitur, ipsumq; cum caseo quodam mandunt, quem vernaculo nomine *Oxygalaoinon* vocant. Porrò hunc quoque tenerum esse oportet, & ipsum panem calorem clibani adhuc retinere. Qui certe in hunc modum est assatus, non rusticis modò, sed vrbanis quoq; hominibus in deliciis habetur. Qui verò trium quatuórue dierum est, vel ipsis rusticis qui mandunt, insuauis est. Ptęterea concoctu est difficilior, ac tardius per aluum subducitur, quæ calido minimè accidunt, qui tametsi Hordeaceo, quod ad deiectiones pertinet, multum vincitur,

Li. 1. Alim.

non

non tamen propter id, adeo vt miliaceus, eſt vituperandus. Quinetiam corpus admodum nutrit, dum calidus eſt, vt pene Triticeo ſyncomiſto par ſit. Habet autem Tiphæ ſemen extrinſecus corticem velut Olyra, & Hordeum: verum decorticatum in panes congeritur, vſuiq; omnino eſt accommodatum. Nam & ex aqua manditur elixum, haud aliter ac vocatus à ruſticis apothermus, ſapa iniecta: nonnunquam etiam cũ ſale eſitatur. Hæc de Tipha Galenus, quæ quámnam noſtrarum frugum ſpeciem referat, ignorant pleríque docti Herbarij. Dodonæus Tiphamappellat eam frugem quam Gallis *Meteil*, vocari putat, Germanis *Vvelſche vvyſſen*, & *Roomſcheteruue*, id eſt Triticum Italicum, aut Romanum. Fuſchius eam pro tertio Tritici genere depinxit. Sed fallitur Dodon. neq; enim Gallorum *Meteil*, non vbique noti, ſeu peregrini Tritici ſpecies eſt, ſed partim ex Tritico, partim ex ſecale miſcellanea ſeges, quam Lugdunenſes vocant *De la Meſcla*. Calamo, geniculis, ſpica ariſtis vallata Olyram ea refert, niſi quod Tipha ſpicas habet longiores & aſperiores, rotundioréſque & in vnum magis coactas. Semen folliculo vnico includitur, grano Tritici ſimile. Fruges hæc cortice & aceribus purgata Zeæ modo in triticum redit, quod & de Tipha Plinius his verbis ſcripſit. Tradunt Zeam, ac Tipham cum ſint degeneres redire ad Frumentum, ſi piſtæ ſerantur, nec protinus, ſed tertio anno. Seritur frequentius, inquit Tragus, in Alſatia, rariùs in aliis Germaniæ regionibus, idq; locis potiſsimum montoſis, præſertim vbi apri fruges depaſcuntur. Nam ab hoc vno ferè abſtinẽt, quòd durioribus eius ariſtis offendantur. Ad Olyræ temperamentum & vires Tipha accedit, ſed Olyra deterior eſt, vt ex Galeno diximus.

Lib. 4. ca. 4.

Nomina

In hiſt. Pli. cap. 150.

Forma.

Lib. 18. c. 10.

Locus.

Vires.

TRITICVM TIPHINVM,
CAP. VII.

TRITICVM TIPHINVM, Tritico noſtrati Calamis & grano vtcúmque ſimile, tenuiores ac breuiores ſtipulas habet, ſpicam horridam duris & longis ariſtis, inſtar Hordei, granum durum, denſum, fuluum, quod facile glumis ſuis exteritur. Reperitur huius frugis granum cum ſemine Phalaridis aduecti ex Hiſpania, & inſulis fortunatis. Huic Frumento cum Tipha conuenit, quod Calamo ſurgit tenui ac ſimplici: quod ſemen gignit leuiſsimum, exile, paruum, denſum tamen, & coactum, Tritico magis rufum: quòd ariſtæ duræ, ac longæ ſpicam muniant: differt autem, quod Tiphæ granum incluſum multiplici folliculo difficulter decorticetur, huius autem minus tectum ſemen eximatur facilius. Triticum in Tipham mutatum ſoli vitio, quidam eſſe putant.

ZEOPYRON, CAP. VIII.

J i.1. Alim. *Nomina*

ZEOPYRON in frugum generibus recenſet Galenus his verbis. Eſt in frigidiſsimis Bithyniæ locis ſemen quoddam, quod Zeopyrum nominant, prima ſyllaba, i. non habente, vt apud Homerum habet cùm ait, Et Zeia, & Triticum, cum fœcundo Hordeo & albo. Ex eo autem panis fit præſtantior, quam qui in Macedonia, aut Thracia ex Briza conficitur. Ac ferè quēadmodum nomen ipſum Zeopyrū ex vtroq; nomine, Zea ſcilicet & pyro, ideſt tritico componitur, ſic & ſubſtantia eadem inter vtrumque media quodammodo eſt, vt ſi ex vtraque eſſet commiſta. Proinde quando tritico eſt deterius, tanto Thracia Briza eſt præſtantius: Porrò vrbium nomina in quibus ſemen id prouenit, ſunt Nicea, Pruſa, Craſſopolis, Claudiopolis, Heliopolis, & Dorile, quod quidem extremum eſt Phrygiæ Aſiaticæ oppidum. Habet autem & Phrygia ipſa ſemen eiuſmodi in agro proueniens, quemadmodum & aliæ quædam vrbes finitimæ. Videre autem eſt panem qui ex hoc ſemine conficitur, tanto eo qui ex Briza in Thracia & Macedonia fit, eſſe meliorem, quanto triticeo eſt deterior.

Lib. 4. ca. 5. & Hiſt. frument. ca. 8.

Dodonæus Zeopyrum id eſſe putat, quod Germanis *Kern*, & *Drinkelkern*, & *Kernſamen*, vocatur. Zeæ culmo, geniculis, & ſpica proximum: ſemen eius naturæ

Forma.

Tritici non abſimile, ſed non tamen perinde ac Zeæ, glumis, ſiue folliculis inuolutum, in area facile exteritur, ſublutei coloris, vt Triticum. In quibuſdam

Locus.

Germaniæ locis ſeritur ad piſtrinarum & culinarum opera, in quibus Hordei vſum præbet. Huius frumenti figura Dodonæo eadem prorſus eſt quæ Zeæ, vt inde ſuſpicemur Dodoneum exiſtimaſſe à Zea, vel nihil, vel parum admodum differe. Huic congener eſſet, non ſolum cognatum, Frumentum quod Ruellius Scourgeon vocat, tanquam, vt interpretatur, Succurſum, vel Subſidiū gentium, grano triſti, & macro, Hordeo ſimili, quod premente annonæ penuria ſerunt agricolæ, cum aliis frumentaceis Autumno, ſi granum quod Zeæ modo vix deglubitur, folliculo ſuo facile abſolueretur, vt in Tritico.

ZEOPYRON GYMNOCRITHON, CAP. IX.



ZEOPYRON GYMNOCRITHON, nudum Hordeum vocat Lobellius, frugis ſpeciem nomine ſolo indicatam, non autem priuatim dicata hiſtoria explicatam. Exutum cortice Hordeum ſi ſeritur, tale prouenit, vt ad ptiſanam conficiendam non ſit præterea tundendum. Seminis guſtus non minus ſuauis eſt ad omnia cibariorum genera, quàm Hordei ſpoliati. Facies tota Hordei vulgaris: nihilque diuerſum aliud quam quod granum nullo cortice amictum in folliculis ariſtatæ ſpicæ naſcitur, quod ipſum & in aliis Frumentorum generibus fieri aiunt ſi detracto pariter cortice terræ mandentur. Ad auxilia cuncta medicinæ, vis eadem quæ Ptiſanæ Hordeaceæ.

BRIZA, CAP. X.

BRIZA Græcis, similiter Latinis Briza dicitur segetis species, de qua Galenus cum de Mnesithei Zea satis disseruisset, hæc subiunxit. Credere, inquit, possum, fieri potuisse, vt Græci semen id Zeiam appellarint, Barbari autem indiderint ipsi proprium nomen. Conspicatus autem in multis Thraciæ & Macedoniæ Agris non aristam modo, sed & plantam totam nostræ Tiphæ in Asia simillimam, interrogaui quodnam apud illos haberet nomen, qui mihi omnes responderunt plantam totam, & eius semen Brizã appellari. Ex hoc porrò semine panis fit grauis odoris, & ater, membranosa, vt inquit Mnesitheus, substantia. Quod si panem qui ex Zea fit, nigrum quoque esse adscripsisset, facilius crederem id esse semen, quod ab eo Zeia nominatur. Dodonæus pro Briza depinxit segetem quæ hodie à Germanis vocatur *Blicken*, *Santpeters Korn*, & *Einkorn*, id est simplex granum, vnde Monoccos nominatur. Culmos habet, quàm Zea breuiores, & tenuiores, spicas in ordines quosdam veluti Hordeum, digestas, aristas asperas, semina parua, Zeæ granis minora, singula singulis vtriculis concluſa. Nascitur in asperis, & montosis plerisque Germaniæ locis. Autũno cum reliquis frugibus seritur, verum tardius, Septẽbri, videlicet mense matureſcit. Totam plantam, culmis, scilicet, glumis, aristis, seminęq;, nigri ex rubore coloris esse Tragus prodidit. Hanc Frumentum rubrum, siue soculare Ruellij esse Dodonæus suspicatur, Gallicè *Froument rouge*, & *Froument Locar*, quod pluribus tunicis, perinde quasi loculis inuolutum condatur, appellatur & genus hoc frugis pullare, à pulligine, quia ex rubro in pullum degenerat colorem. At hic apertissimè fallitur Dodonæus: nam *Blé Locar* Gallis, Triticum est rubeus, siue ad Robns, quasi Loculare, quod multis tunicis tanquam loculis inuoluatur. Id barbati Frumenti genus Farris speciem Ruellius esse vult. In concauis, inquit tractibus Galli serunt, & qui facilè sentiunt rubiginem: nam, vt credunt, nec pruinas, nec æruginem extimescit. In perflatis & excelsis quamuis bene conualescat, sationem tamen ibi damnant. Farris speciem esse negat Dodonæus in stirpium Historia, quòd Farris spicas muticas esse putet. In Frumenti Historia similitudinem quandam fortasse habere ait, cum Farre venniculo rutilo. Verùm in tanta breuitate Columellæ difficile esse diuinare. Idem Zeæ genus esse negat in Historia stirpium, quod ex Zeæ generibus panis Triticeo valde similis & probatus conficitur, ex Briza ater, & ingrati saporis. At in Frumentorum historia scribit non temerè scriptores nostri temporis ad Zeam referre, neque perperam ἁπλῆν, id est, simplicem Zeam Dioscoridis existimare. Ruellius Brizam quoque non longe disidere credit ab ea fruge quæ Gallis *Secale* vocatur, ex quo panis fit ater quidem, sed recens non insuauis, ab eáque nomen Bizi panis in vulgus nostrum manasse putatur extrita litera: Bizum enim panem nigrum vocamus. Sed de Secale mox fusiùs disseremus.

Nomina Li. 1. Alim.

BRIZA DODONÆI.

Lib. 4. ca. 6.

Lib. 2. c. 17.

Locus.

Ibidem.

Lib. 2. c. 23

SECALE, CAP. XI.

Nomina

SECALE Gallis extrita vna tantum litera ad hoc vsque tempus *Secle*, vel potius *Segle* nominatur, Germanis *Rocken*, Belgis *Rogghe*, Italis *Segala*, Hispanis *Centeno*, nõnullis Asia, à Plinio etiam Farrago eadem ratione qua Far, Hordeum, Auena, Triticum Farragines nominantur, quando videlicet iumentorum pecudumq; pabulo seruntur, vt Farrago, quam Græci χόρτιν, & κρόστιν vocant, generale nomen sit, omnem viridem segetum herbam comprehendens, quæ pabuli causa seminatur. Plinius. Seritur ea ex recremento Farris prædensa, admixta aliquando & Vicia. Eadem in Africa fit ex Hordeo. Quòd Far ferro cæsum, Farrago dicta est, aut quod primum è Farris segete Farrago seri cepta, inquit Varro. Farraginem ex Hordeo facere docet Columella. Plinius ex Tritico Farraginem fieri testatur his verbis. Et in Tritici genere pars aliqua pabuli est, quadrupedum causa sati, vt Farrago. Absyrtus etiam πυρίνην χόρτιν, id est triticeam Farraginem equulis maximè probat, & ea si non adsit, κεθίνην, quam Eumelus iis refert post trimatum dari solitam. Sic Secale Farraginis genus est. quando videlicet pecudum iumentorúmque in herba pabulum est: quod & declarat Ruellius. Duobus modis, inquit, Secale apud nos seritur, nunc solum & simplex, nunc Tritico, aut Farre mixto, æquis fere partibus. Miscellaneam hanc segetem Galli *Meteil*, quasi Miscellam vocant: conditiuam eandem, excusis etiam granis, Farraginem rustici nostrates appellant, quemadmodum & fasces, & manipulos inde compositos Farreum, *Fouarre*. Ea per hyemem iumentorum, pecudúmque pabulo cedit, quibus etiam pro Stramine est. Id causæ fuit cur Secale Plinio Farraginis genus fuerit. Vt Triticum, ita Secale duplex est, vnum enim Autumno satum per hyemem in terra nutritur: alterum vêre seritur. Secale folio quum primum prodit rubescit, dein, vt reliqua Frumenta, viret: ex vna radice senos, septenósue, aliquando etiam plures calamos gignit, longos, graciles, quaternis aut quinis geniculis distinctos, Triticeis similes, graciliores tamen, & proceriores. In horum fastigiis spicæ, quum florent erectæ, semine grauidæ procumbunt, ac deorsum nutant, ideo rubigini, quoniam imbres retineant, oportunæ, breuibus & innocentioribus aristis cinctæ. Granum oblongum, triste, strigosius & nigrius Tritico, glumis non opertum, atq; ideo caducum, & sæpenumero sponte exili ens. Calami lenti, flexiles, quibus aqua madefactis vitilium vice vtuntur. Hybernum lætius, æstiuum gracilius, paucioribus culmis, spica breuiore ac tenuiore, granóque leuiore. Id est Plinij Secale de quo sic scribit. Rarum dictu esse aliquid cui profit negligentia. Id autem quod Secale, atque Farrago appellatur, occari tantum desiderat. Secale Taurini sub Alpibus Asiam vocant, deterrimum (alij aterrimum legunt) & tantum ad arcendam famem vtile, fœcunda, sed gracili stipula, nigritia triste, sed pondere præcipuum. Admiscetur huic Far, vt mitiget amaritudinem eius: & tamen sic quoque ingratissimum ventri est. Nascitur qualicunque solo cum centesi

Genera

Forma

Farrago.

Lib.18.c.16.

Lib.1. ca.31.
Lib.2. ca.11
Lib.18.c.16.

Lib.2. c.23.

SECALE.

Lib.18.c.16.

centesimo grano, ipsumq; pro lætamine est. Ex quibus illud etiam perspicuum est Secale à Siligine plurimùm differre. Nam vt ex Plinio diximus, E siligine lautissimus panis, pistorum opera lautissima: ac rursum Siligine propriè dixerim Tritici delitias. Candor est, &c. at Secale nigrum est, & ex eo panis ater, pauperúmque non lautiorum mensis, ac cibis dicatus. Præterea Siligo eodem Plinio auctore, semper rectam habet spicam, nec rorem continet qui rubiginem facit: contrà Secale inclinatam, & deorsum vergentem spicam habet, atque ob id rubigini obnoxiam, vt diximus. In Germaniæ & Galliæ, aliarumq; regionum locis plurimis, præsertim Septentrioni subiectis nascitur, qualicunque solo, etiam gracili, macro, & arido, in fœcundiore tamen, & lætiore melius, præstantiúsque. Secale proximum inter Frumenta à Tritico Triticeísque seminibus locum habet. Panis ex eo factus lentoris atque obstruentis naturæ nonnihil habet: difficile concoquitur: ventriculo grauis est, præsertim si furfurum expers fuerit. Nam Secalinus syncomistos, si probe coctus, benéque fermentatus fuerit, minùs lentus est, non admodum ægrè conficitur, citóque per aluum labitur, nondum tamen Triticeo syncomisto par, quia eo grauior, & cõcoctu difficilior est. Alimentum corpori solidum, ac firmum præbet, nec mali succi, si ex bono Frumento coctus fuerit: ex malo verò Frumento & corrupto paratus, prauos & corruptos succos generat. Admiscetur huic non rarò Triticum, vt leuiorem gratiorémque panem efficiat, qui Secalino puro minus grauis est, ac lentus, & teneritudinem suam Triticeo diutius seruat. Porrò Secale vt medicamentum, Tritico in calefaciendo ac digerendo potentius est. Panis ex hoc ac fermentum, promptiùs ac citiùs abscessus maturant ac rumpunt, quam ex Tritico facta. Farina illius confusanea diuturnos capitis dolores lenit, in linteo capiti circumligata. Secalis peregrini genera duo sunt Nachani, & Mugo. Nachani mentionem facit Garcias ab horto Capite de Lycio. Frumentaceum id granum est, Sinapi simile, nigrum, minutum, sapore Secalis. Conficiuntur ex huius farina rotundi panes, quibus vescuntur Æthiopes oræ maritimæ accolæ, quæ inter fluuios diui Christophori, & diuæ Luciæ sita est. Ex eadem farima permixtà cum ramis tusis Lycij, & scobe nigri cuiusdam Indici ligni, fortassis Ebeni, paratur medicamẽtum siccans & adstringens, vtile doloribus oculorum leniendis, confirmandis gingiuis laxioribus, & alui pro fluuio sistendo. Quidam Pollucis cap. 11. lib. 6. ὀείνδιον esse putant, vernaculum semen Æthiopibus, Sesamo simile, è quo factus panis, ὀείνδης nomine, iis cibus familiaris est. Mungo Frumentaceum quoque granum est, Coriandri magnitudine, ante maturitatem viride, nigrum postquam maturuit. Auicennas, cap. 489. lib. 2. & cap. 7. Sectionis 3. lib. 1. *Mex*, sic Arabes pronuntiant, vocat. Integrum, paululum siccat, cortice detracto in siccitate humiditateq; temperatũ, cætera proximũ naturæ Fabæ. Minus inflat & deterget quàm Faba: citius per aluũ descendit: minus refrigerat quã Lenticula: & addito Cardamo in cibo salubrius est. Bonum succum gignit, præcipuè decorticatum, & coctum cum oleo Amygdalarum dulcium. Abiecto priore decocto iterum elixum aluum cohibet, & valentius, adiecto Rhoe, cum acidi Punici succo. Iusculum ex eo paratum cum Oryza incolæ Guzarate & Decan regionum Indiæ, sorbendum ægris dant in febribus, post longam inediam, priusquam vsum Triticei panis concedant, quemadmodum nos Hordei ptisanam. Cum vino, aut Sapa & croco leuat cruciatus articulorum, & tusis vulsis ruptísque auxiliatur.

Lib. 18. c. 9. Cap. 8.

Lib. 18. c. 10.

Locus.

Vsus.

Vires & Temper.

HORDEVM, CAP. XII.

Nomina Genera Theoph. c. 4. li. 8 Hist.

KPIΘH Græcis, Latinis Hordeum dicitur, Arabibus *Xahaer*, aut *Shair*, Italis *Orzo*, Germanis *Gersten*, Hiſpanis *Cenada*, Gallis *Orge*. Hordei multa eſſe genera Theophraſtus prodidit. Ex Hordei generibus quoddam binos, quoddam ternos, aliud quaternos, aliud quinos, aliud etia cũ plurimùm ſenos habet verſus: eſt enim huiuſmodi quoddã genus. Quæ pluribus conſtant verſibus, omnino arctiora denſioráque poſitu ſunt. Magna eſt Indici ab aliis differentia, quod in ramos brachietur. Spicæ aliis magnæ & rariores, aliis minores & denſiores: & in quibuſdam à foliis diſtantes magis, in aliis minùs. Hordei ipſius aliud rotundius & minus, aliud oblongius maiúſque, & in ſpica rarius. Præterea aliud candicat, aliud vergit in purpuram, copioſius farina, & contra hyemem flatúſque, ac omnino aërem candido validius. Spicæ Hordei quædam binos ordines habent, inquit Plinius, quædam plures vſque ad ſenos. Grano ipſi aliquot differentiæ, longius, leuiúſque aut breuius, aut rotundius, candidius, nigrius, vel cui purpura eſt. Vltimo ad polentam, contra tempeſtates candido maxima infirmitas. Hordeum Columella ſcribit eſſe, quod ruſtici hexaſticum, quidam etiam Cantherinum appellant, quoniam & alia animalia, quæ ruri ſunt, melius quàm Triticum, & hominem ſalubrius quàm malum Triticum paſcit. Hoc nullum aliud in egenis rebus magis inopiam defendit. Alterum genus eſſe, idem ſcribit, quod alij diſtichum, Galaticum nonnulli vocant, ponderis & candoris eximij, adeo vt Tritico miſtum egregia cibaria familiæ præbeat. Duo nobis hodie nota ſunt Hordei genera. Polyſtichum quod ante hyemem ſeritur, *Gros Orge* Galli nominant, Germani *Groſz Gerſten*. Diſtichum quod vêre, nunc *Orge* ſimpliciter Galli vocant, nunc *Pomole*. Ruellius Cantherinum Hordeum dici putat, quod folliculo caſtratum enaſcitur. Galli qui ſerunt, mundum vocant Hordeum. Huius ſponte granum gluma excidit, in reliquis verò generibus non niſi ægrè deglubitur, alioquin hoc illis ſimile eſt. A Galeno Gymnocrithon hoc nuncupatum fuiſſe, id eſt nudum Hordeum, quidã arbitrantur. Prodit Hordeum folio in ſtipula ſimplici, quàm Triticum latiore, ſcabrioreq; : culmo humiliore, ac fragiliore: pluribus articulis, ſenis, ſcilicet, aliquando etiã octonis, geniculato: ſpica variè in verſus ſtriata, vt dictum eſt: grana oblonga tenuiq; gluma incluſa ei firmius inhærent: è glumæ faſtigio ariſta eminet, ita vt tota ſpica longioribus, firmioribus, mordacioribúſque ariſtis quàm Triticum rigeat. Radice fibrata firmatur. Naſcitur paſsim in vniuerſa ferè Europa. Seritur Polyſtichum ſoluta, ſiccaq; terra, auctore Columella, & vel prævalida, vel exili, quia conſtat arua ſegetibus eius maceſcere: ideoq; vel pinguiſsimo agro mandant, cuius nimiis viribus noceri non poſsit, aut macro, cui nihil aliud committitur. Diſtichum ſeritur quàm pinguiſsimis, ſed frigidis locis, circa Martium menſem. Melius tamen reſpõdet, ſi clementia hyemis permittit, cum ſeminatur circa Idus Ianuarias. Polyſtichum ante hyemem ſerendum. Hordeũ Galeno, non eandem cum Tritico facultatem habet. Siquidem hoc palam calefacit, illud verò non modò non calefacit, ſed quoquo modo ipſo vtare, ſiue panes ex ipſo feceris, ſiue

Li. 18. c. 7.

Lib. 2. ca. 9.

Lib. 2. c. 16.

Li. 1. Alim.

HORDEVM
Diſtichum.

Forma.

Locus. Lib. 2. ca. 9.

Tempus.

Li. 1. Alim. *Vſus & Vires.*

HORDEVM
Polyſtichum.

ris,ſiue ptiſſanam coxeris, ſiue polẽtam,vim quandam refrigerandi habere videtur. Diſsidet prẽterea à Tritici natura ſucci ſpecie,quem vtrumque ipſorum gignere conſueuit. Siquidem Triticũ craſſum ac lentum,Hordeum tenuẽ, & nonnihil detergentem ſuccũ in nobis creat. Panes omnes Hordeacei Triticeis minùs alunt:qui tamen ex prẽſtantiſsimo Hordeo conficiuntur,minus à Triticeis in eo ſuperantur,qui verò ex laxo ac leui, panibus furfuraceis reſpondent.Panes quidem ex Hordeo ſic laxo citiſsimè per aluũ ſubeunt, quod reliquis etiam manifeſtum eſt, ſi cum Triticeis eos conferas. Sunt autem non modò Triticeis,verùm etiam Olyrinis, & multo adhuc magis Tiphinis friabiliores, nihil in ſe lentoris,vt illi, habentes. Ex quo perſpicuum eſt,exiguum corpori præbere alimentum, & potiſſimùm ſi facti ex peiore Hordeo fuerint. Idem rurſum:Hordeum primi eſt ordinis in refrigerando & exſiccando : habet etiã paululùm abſterſionis. Hordeum quod ait Dioſcorides minus quam Triticum alit,abſterget,vrinam ciet, inflationem parit , ſtomacho aduerſatur:œdemata cõcoquit. Farina Hordeacea decoquitur in mulſa aqua cum fico , vt inflammationes,œdemataque diſcutiat:duricias cum pice,recina, & ſimo columbarum concoquit:cum meliloto autem & Papaueris calyce dolores ſinit,qui latus excruciant : aduerſus inteſtinorũ inflationes cum Lini ſemine,Fœnogræco, & Ruta impoſita iuuat:ſtrumas cum Pice liquida,Cera,Oleo, & impubis pueri vrina,ad coctionem perducit:& cum Myrto aut vino,aut malicorio, aut ſylueſtribus Piris , aut rubo alui profluuia ſiſtit : podagricis inflammationibus cum cotoneis,aut aceto prodeſt:decocta in acri aceto,quo modo Hordeaceum cataplaſma,& calida impoſita,lepris medetur. Cremor verò farinæ ex aqua,cum pice & oleo decoctus, puri mouendo eſt : cum aceto ſubactus & cum pice, contra articulorum fluxiones prodeſt Hæc de Hordeo,& eius farina Dioſcorides.Fuit & ptiſſanæ ex Hordeo & polentæ vſus celeberrimus , ac frequentiſsimus apud veteres,de quibus nunc diſſerendum. Ptiſſana à verbo Græco πτίσσω nomen accepit,quod tundere & decorticare ſignificat. Hoc primũ quidem generale nomen eſt frugum omnium decorticatarum,tuſarumq;,& cum diuerſarũ frugum generibus copulatũ,alia atque alia ptiſſanæ genera ſignificat, id quod iam monuimus,vt χονδροπτισάνη ex Zea decorticata ptiſſanam,& πτισάνη πυρίνη Triticeã ptiſſanam. Hippocr.ἐὰν δὲ τι διδόναι θέλῃς κοιμᾶσθαι ἕνεκα, διδόναι χόνδρον, ἢ πτισάνην πυρίνην. Dioſcorides: πρὸς ἃς καὶ ἡ πυρίνη πτισάνη ἁρμόζει. Plinius. Italia maximè quidem Oryza gaudet,ex qua ptiſſanam conficiunt, quam reliqui mortales ex Hordeo. At ptiſſana ſimpliciter,& ſine adiectione poſita, Hordeum excorticatum,ob eius præſtantiam tantùm ſignificat.Hæc autem , vt ex variis Galeni locis, quorum nonnullos ponemus,colligi poteſt,hoc modo fiebat, Hordeum in aqua maceratum dum extumeſcat,in ſole ſiccatur : mox in pila ligneo piſtillo tantiſper tunditur, dum corticem exuat. Hoc in aqua lento igne coquitur,donec ſucculentum reddatur. Galenus, quod ſciam , aquæ & Hordei menſuram non exprimit.Oribaſius vni parti Hordei decem partes aquæ miſcet.Paulus vni parti ptiſſanæ quindecim partes aquæ.Eius parandæ modum tradit Didymus

Li.7.ſimpl.

Lib.2.c.79.

Ptiſſana.

Lib.de Affectib.
Lib.2.c.79.
Lib.18.c.7.

Lib.1.c.78.
Lib.3.ca.9.

in Geoponicis Caſsiani: πτισσάνης ποίησις. κεχθὴ βραχεῖα πτίσσε), & ἁλίῳ ξηραίνε), εἶτ' ἀποθέλαι ὕστω. παρεμπάτλειαι δὲ αὐτῇ τὸ λεπτὸν αὐτῆς. τηρεῖ γὰρ αὐτὴν. ἔτι ἡ πτισσάνη ὑγροτέρα λαμβανομένη, τροφιμωτάτη ἔστιν. ἔστω δὲ τὸ ὕδωρ δεκαπλάσιον τῶν κεχθῶν μέρος. Κοπλεται δὲ ἀλῶν ἀπεπλῶν εἰς αὐτὴν ἐμπατλομένων. γίνεται & ὁμοίως σίτου πτισσάνη ὁμοίως. Id eſt, Ptiſſanæ cõfectio. Hordeum maceratum tunditur, & in ſole ſiccatur, ſicq; reponitur: inſpergitur deinde quod ex ipſa eſt tenuius, quoniam eam conſeruat. Ea humidior ſumpta maximè nutrit. Vni parti Hordei decem partes aquæ iniiciuntur, & ſal friatus ipſi inſpergitnr. Fit etiam ex Tritico ptiſſana eodem modo, de qua pauca hæc Plinius. Ptiſſanæ ex Hordeo vſus vtiliſsimus ſaluberrimúſque tantopere probatur. Vnum laudibus eius volumen dicauit Hippocrates clariſsimus medicinæ ſcientia. Ptiſſanæ bonitas præcipua Vticenſi. Eius conficiendæ vulgata ratio eſt. Multo plura Hippocrates, quem citat Plinius in libro de ratione victus in morbis acutis, qui liber etiam de Ptiſſana inſcribitur, velut ipſe Hippocrates in libello de Veratri vſu citat, ac teſtatur, prodidit his verbis. Ptiſſana igitur recte omnibus frumentaceis eduleis præfertur in morbis acutis. Laudo ſane eos qui ipſam prætulerunt. Nam lentor ipſius lenis eſt, & continuus, & iucundus, & lubricus: ea verò moderatè humida ſitim admit, & facilè eluitur, ſi forte & hoc opus ſit: & neque adſtrictionem habet, neque malam turbationem, neq; in ventre intumeſcit. Intumuit enim in coctura, quam maximè tumeſcere ſolet. Quicumque igitur Ptiſſana in his morbis vtuntur, nulla die vaſa vacua fieri permittant, vt ita dicam, ſed vtantur, & intermittant, ſi non ob medicamenti, aut infuſi per Clyſterem vſum, intermittere oporteat. Et qui bis quidem in die cibum capere ſoliti ſunt, eis bis danda eſt: qui verò ſemel edere conſueuerunt, his ſemel primo die danda eſt. Verùm ſenſim progreſſu facto, ſi fieri poterit etiam his bis detur, ſi ſanè opus habere viſum fuerit. Ptiſſanam porrò ex optimo Hordeo factam eſſe oportet, & quàm optimè coctam, & præſertim, ſi non ſolo ſucco vti velis. Nam vna cum reliqua ptiſſanæ virtute, lubricus lentor facit vt Hordeum decorticatum non lædat. Nuſquã enim adhæret, neque ſecundum thoracis rectitudinem moram trahit. Lubrica vero maximè eſt, promptiſsime ſitim eximit, facillimè concoquitur: & debiliſsima eſt optimè cocta, quibus omnibus opus eſt. Hæc Hippocrates. Quoquomodo Hordeum paraueris, inquit Galenus, nunquam corpus calefacit, ſed variè pro modo præparationis humectat, ac ſiccat quandoquidem olenta ex frixo Hordeo facta, ſiccare perſpicuè cernitur, Ptiſſana verò humectat præcipuè quum, vt decet, parata fuerit, hoc eſt, cum in coctione quamplurimùm intumuerit: poſtea igne lento per multum otium in Chylum, ſiue cremorem fuerit redacta. Acetum ei tum admiſcetur, cum plane intumuerit. Cum verò cocta exactè fuerit, ſub edendi tempus ſalem tenuem iniicere oportet. Oleum autem ſi initio ſtatim iniecceris, coctioni nihil nocueris. Aliud tamen nihil eſt miſcendum, niſi velis anethi, aut porri quippiam, idq; initio ſtatim immiſcere. Video autem Ptiſſanam à coccis omnibus peſsimè præparari: In mortario namque crudam ipſam tundentes, non ad ignem coquentes diſſoluunt. Sunt qui Amylum etiam iniiciunt, vt per coctionem in cremorem copioſum videatur eſſe redacta. Talis certè Ptiſſana meritò maximè eſt flatuoſa, & concoctu admodum difficilis. Quæ verò in ptiſſana rectè præparanda prætermiſi, ea nunc adiicere oportet. Crudam ptiſſanam aliquandiu in aqua præmaceratam, deinde in mortarium iniectam, manibus, terere conuenit, aſperum quidpiam manu tenentibus. Vſque eo autem terenda, dum qui in ſuperficie eſt cortex, ſit abiectus: is enim quo veſtitur, ceu tenui tunica, non totus inter pinſendum abiicitur. Quapropter & præmaceratur, & in mortario tunditur. Quod ſi nõ quicquid eſt aceris deciderit, elixa ptiſſana magis

Lib. 18. c. 7.

Lib. 1. Alim.

magis quidem deterget, nullam autem aliam noxam accipit. Peſsima eſt ptiſſanæ præparatio, cum vbi coci crudam ipſam in mortario cum aqua contuderint, deinde parũ coxerint, ſapã iniiciunt. Quidam cum his mel quoq; & cuminum iniiciunt, cinnum quendam veriùs quam ptiſſanam parantes. Verùm quæ rectè præparata eſt, vtilitates quas memorat Hippocrates tum ſanis, tum ægrotis præſtabit. Hæc Galenus de ptiſſanæ facultate tradidit. Ptiſſana Dioſcoridi, ob cremorem in decoctione redditum plus alimenti præbet, quàm polenta ex Hordeo facta contra acrimonias, & gutturis ſcabritias, exulcerationeſq; poller. Hodie medici Hippocratis Galeníque ptiſſana non vtuntur, ſed eius vice Hordeum integrum ſuſpenſa mola decorticatum, quod Hordeum mundum vocant, tantiſper in aqua decoquunt, dum pultis ſpeciem referat: deinde tundunt, & tenui in cerniculo percolant ſaccharum addentes, & modo cum ſaccharo Amygdalarum dulcium cremorem, aut ſeminis Melopeponum, aut ſeminis Papaueris, modo aquam ex roſis ſtillatitiam pro variis ſcopis, & varia morborum ratione. Fit & hodie à pharmacopæis potio, quam ptiſſanam χυλαχρηστικὰς vocant, Galli *Tiſane*, cum nec ptiſſana ſit, nec ptiſſanæ cremor, ſed eius tantùm tenuius decoctum, ipſius ſubſtantiæ parum, aut nihil retinens. Fit enim ex Hordeo mũdato, Glycyrrhiza, & vuis paſsis. Qua ratione parata potio vtilis eſt iis qui inflammatione pulmonis, partiúmque reſpirationi ſeruientium, vel renum veſicæq; exulceratione laborant. Nunc de polenta dicendum. Eam propriè Græci ἄλφιτον vocant: quanquam ἄλφιτον etiam de omni alia præſertim rudiore farina impropriè dicatur. Quid autem ſit, & quomodo fiat, Plinius declarat his verbis. Antiquiſsimum in cibis Hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menandro auctore apparet, & gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur. Polentam quoque Græci nõ aliunde præferunt. Pluribus fit hæc modis. Græci perfuſum aqua Hordeum ſiccant nocte vna, ac poſtero die frigunt, deinde molis frangunt. Sunt qui vehementius toſtum rurſus exigua aqua aſpergunt, ſiccántque priùs quàm molant. Alij verò virentibus ſpicis decuſſum Hordeum recens purgant, madidúmque in pila tundunt, atque in corbibus eluunt, ac ſiccatum ſole rurſus tundunt, & purgatum molunt. Galenus ex recenti Hordeo mediocriter frixo laudatiſsimam fieri polentam ſcripſit, cuius ſi copia non ſit, & ex alio ipſam confici. Cum autem polenta omnis rectè facta boni ſit odoris, eam eſſe ſuaue olentiſsimam, quæ ex optimo ac recenti Hordeo, & quod ariſtam non admodum ſiccam habeat, eſt confecta. Compluribus autẽ per ſanitatẽ morem eſſe eam ſapa & vino dulci mulſóque commiſtis, nonnunquam ſola etiam aqua conſperſam, æſtate duabus, tribúſue ante balneum horis bibere, diceréque ſentire ſe hoc potu ſiti liberari: ſi autem cum vino auſtero fuerit pota, ventrem deſiccare. Polenta gentes quaſdam pro pane vti, ídque ruſticos in Cypro facere, tametſi frumenti plurimum metant. Veteres militibus polentam præbuiſſe. Romanos tamen milites ipſius imbecillitatem damnantes, ea non amplius nunc vti. Exiguum énim corpori alimentum dare, priuatis quidem, & omni exercitatione abſtinentibus, ſatis multum: iis autem qui quoquo modo exercentur, minùs quam ſatis eſt. Cæterum cum polenta Hordei frixi farina ſit, vt ex Plinio & Galeno diximus, Aetius non diſsimilem huic rem deſcripſit, ſed βυίνην appellari ait, quod nomen à nullo alio vſurpatum fuiſſe memini: τῶν στελλόντων, inquit, τὰ δὲ διήματά ἐστι καὶ τὸ λεγόμενον βυίνη. ἔστι δὲ κριθὴ βεβρεγμένη καὶ βλαστήσασα, καὶ περιεγμένη μετὰ τῶν γλωσσιδίων, ἔπειτα πλατυνομένη. Id eſt, ex eorum quæ tumores cohibent numero, eſt & id quod Byne appellatur. Eſt autem Hordeum madefactum quod germinet, vna cum enatis ligulis toſtum, ſi tritum pro cataplaſmate imponatur. Hoc nomine Aetius indicat Hordeum ad

Polenta.

Li. 1. Alim.

Li. 10. c. 29.

Ceruisiam conficiendam præparatum, quod Maltum vulgo appellant, Germa-
Maltum. ni *Maltz*. Ceruisia autem ad cuius decoctionem illud conficitur, Germanis *Byre*, Gallis *Biere* dicta, parum à Byne distat. Laudatissimum fit Maltum mense Martio, & Aprili. Qualitate sicca præditum est, maiore quàm in Hordeo, frigida multò remissiore. Nam empyreuma quod illi ab assatione diutináque coctione accedit, siccitatem eius auget, frigiditatem verò non solùm minuit,
Li.1. Alim. sed & caliditatem quandam ei imprimit. Quare Galenus cum scribit Hordeum, quoquo modo quis eo vtatur, siue ptissanam coxerit, siue polentam fecerit, vim quãdam refrigerantem retinere, id de Malto intelligere non potuit, quod partim ipsa germinatione, partim longiore tostione magis à natura sua recessit quàm polenta, quæ vel ex crudo nondúmque maturo Hordeo, vel in aqua macerato tantùm conficitur. Absterget præterea Maltum Hordeo vehementius, tum quia farinæ minus, glumarum plus habeat, tum ob empyreuma, quod absterssionem coniunctam habet. Ventris torminibus, aliísque similibus ex frigida causa doloribus Maltum subuenit, tostum, feruénsque in sacculo appositum. Polenta multo plus Hordeo desiccat, inquit Galenus, aluum etiam cohi-
Li.7. simpl. Li.2. c.108. bet auctore Dioscoride, & inflammationes mitigat. Tamen in vulgatis Dioscoridis exemplaribus legimus, τὸ δὲ ἐξ αὐτῶν ἄλευρον κοιλίας ςαλτικὸν, & φλεγμονῶν παρυλικὸν. Id est, farina ex his aluum sistit, inflammationes mitigat, vt de farina Hordei de qua multa priùs dixerat, hæc etiam intelligantur. Sed exemplaria falsò ἄλευρον pro ἄλφιτον habere contendit Cornarius, vt ex Plinio intelligere
Lib.2.c.25. licet sic scribente. De polentæ generibus in frugum loco satis diximus, locorum ratione, quæ à farina Hordei distat, eo quod torretur. Ad stomachũ vtilis, aluum sistit, impetúsque rubicundi tumoris, (nempe erysipelatis. Galenus quoque scribit polentam multo magis quàm Hordeum siccare. Sed quoniam ad τῷ ἀλφίτῳ, id est, polentæ discrimen ὠμὴ λύσις, & composita voce ὠμόλυσις dicta esse videtur, quid ea sit etiam hîc explicandnm. Polenta igitur
ὠμόλυσις quid. Lib.18.ca.7. Hordei tosti farina est. ὠμὴ λύσις Galeno, & reliquis medicis Græcis, cruda Hordeacea farina est: ideóque Plinius ait, Polentam à farina Hordei distare, quia torretur. ὠμόλυσις cruda Hordeacea farina est nulla alia re admixta. Id ex eo perspicuum fit, quod vbíque in eius vsu res & liquores exprimuntur, quibus ea farina excipi, & cum quibus subigi, parari, & coqui debeat. Quare falsum est ὠμόλυσιν semper significare crudam Hordeaceam farinam aqua & oleo subactam, quod in εἰσαγωγῆς libello Galeno falsò attributo legitur. Neque solùm cruda Hordeacea farina per ὠμόλυσιν significatur, sed etiam Triticea. Quapropter nonnunquam ei vocem adiiciunt, quæ certam farinæ speciem
Li.2. phar. local. indicet. Galenus: καταπλάσμασι δὲ χρῶ κριθίνῃ ὠμῇ λύσει. In Cataplasmate verò vtere Hordeacea cruda farina. Quin & sola hæc vox ὠμὴ λύσις Hordeaceam crudam farinam significat, vt paulo post, ἢ τῇ ὠμῇ λύσει δὲ ὀξυμέλλος γενο-
Li.4. phar. local. μένῃ. Aut cruda Hordeacea farina cum Oxymelite apparata. Idem alibi ἢ τῇ ὠμῇ λύσει κριθίνῃ, ἢ πυρίνῃ ἐν γλυκεῖ ἑψομένῃ. Aut cruda Hordeacea farina, aut Triticea, in passo cocta. Neque solùm ὠμόλυσις de cruda Hordeacea farina, aut Triticea vsurpatur, sed vniuersè de omni
Li.6. phar. local.cap.3. cruda farina. Galenus. Καὶ ὠμὴν λύσιν ἐπιπλεῖον, τὴν διὰ κριθίνου ἀλεύρου, ἢ διὰ λινοσπέρμου, ἢ τήλεος, ἢ καὶ μίγμα ἐκτούτων. Quin & omelysis ex cruda Hordeacea farina imponenda, aut ex farina seminis lini, aut fænigræci.

***

AVENA

AVENA. CAP. XIII.

BPΩMOΣ & βρόμος Græcis, Auena Latinis dicitur, Arabibus *Churtal*, Italis *Vena*, Germanis *Habern*, Hiſpanis *Auena* & *Auea*, Gallis *Auoine*, Angl. *Oates*, *Etes*, & *Hauer*. De Auena ſatiua hìc agimus. Eſt & ſponte proueniens, ex hordeo degenerante, Ægilops nuncupata, de qua poſtea dicemus. Eſt etiam βρόμος herba. Auena culmo eſt geniculato, folio Tritico ac Zeæ ſimili, in cacuminibus pendulas veluti paruas bipedes locuſtas gerit, quibus ſemen oblongum, ſuperiore parte exiguis capillis hirſutum, ac glumis inuolutum continetur. Radices habet copioſas, ex quibus multi enaſcuntur culmi. Paſsim naſcitur Auena & vêre ſata, æſtatis fine demetitur. Dioſcorides de Bromo hæc ſcripſit. Bromus culmus eſt Tritico ſimilis etiam foliis, ſed geniculis diſtinctis. Fructum autem habet in ſummo, velut paruas locuſtas bipedes, in quibus ſemen eſt vtile ad cataplaſmata, quẽadmodũ hordeum. Sed & pultem ex ipſo faciunt, quæ aluum ſiſtit. Cremor autem ex ipſo à tuſsientibus commodè ſorbetur. Quæ herbarij, opinor, omnes de Auena noſtra ſatiua ſcripta eſſe intelligunt. Verùm Plinius de Bromo quãuis ita ſcribat, vt & ipſum inter vitia ſegetis ponat, & cum Aegilope confundat, tamen eadem quæ Dioſcorides de ipſo tradit. Sic enim ait: Naſcitur inter vitia ſegetis, Auenæ genus: folio & ſtipula triticum imitatur. In cacuminibus dependentes paruulas veluti locuſtas habet. Semen vtile ad cataplaſmata, æquè vt hordeum, & ſimilia. Prodeſt tuſsientibus ſuccus. Theophraſtus Bromũ & Ægilopa velut ſylueſtria & immitia eo loco proponit, quo rẽ hanc frumentaceã multùm illuſtrat. Τῶν δ' ὁμοιοπύρων καὶ ὁμοιοκρίθων, οἷον ζειᾶς τίφης, ὀλύρας, βρόμου, αἰγίλωπος, ἰσχυρότερον καὶ μάλιστα καρπιζόμενον ἡ ζειά, καὶ πολύῤῥιζον, καὶ βαθύῤῥιζον, καὶ πολυκάλαμον. ὁ δὲ καρπὸς κουφόταλος καὶ προσφιλὴς πᾶσι τοῖς ζώοις. τῶν δ' ἄλλων ὁ βρόμος πολύῤῥιζος. καὶ γὰρ οὖλος πολυκάλαμος. ἡ δὲ ὀλύρα μαλακώτερον καὶ ἀσθενέστερον τούτων. ἡ δὲ τίφη πάντων κουφόταλον, καὶ γὰρ καὶ μονοκάλαμον. διὸ καὶ χώραν ζητεῖ λεπτὴν, οὐχ ὥσπερ ἡ ζειὰ πίειραν καὶ ἀγαθήν. ἔστι δὲ δύο τὰ τοιαῦτα καὶ ὁμοιόταλα τοῖς πυροῖς: ὅ τ' αἰγίλωψ καὶ ὁ βρόμος, ὥσπερ ἄγρια ἄτλα καὶ ἀνήμερα· ἐπικαρπίζεται δὲ καὶ ὁ αἰγίλωψ σφόδρα τὴν γῆν. καὶ ἔστι πολύῤῥιζον καὶ πολυκάλαμον. ἡ δὲ αἶρα παντελῶς ἀπιλῆ. Ideſt, inter ea que Tritico & Hordeo ſimilia ſunt, velut eſt Zea, Tipha, Olyra, Bromus, Ægilops, robuſtiſsima eſt Zea, & maximè terram exhaurit: nam & multas & profundas radices habet, & culmum, multum verùm fructus leuiſsimus eſt, & omnibus animalibus gratus. Inter reliqua verò Bromus multas radices agit: etenim multos etiam hic culmos habet. At Olyra mollior & imbecillior his eſt. Tipha verò omniũ leuiſsima eſt: vnúmque tantũ calamũ habet. Quare etiam terram deſiderat tenuem, non quemadmodum Zea pinguem, & bonam. Sunt autem duo hæc etiam Tritico ſimilia Aegilops & Bromus, veluti ſylueſtria quædam, & immitia. Exhaurit autem Aegilops vehementer terram, multáſque radices, & multos culmos habet. Lolium verò penitus ſyluestre eſt. Hæc Theophraſtus. Cæterùm quemadmodum χόνδρος & χονδροπλισ-

Nomina

Genera.

Forma

Locus.

Tempus.

Corn. Embl. 82. lib. 2. Li. 22. fine.

Lib. 8. Hiſt. cap. 9.

σάνη, & πυρίνη πλιοσάνη ex Zea & tritico fiebant, & πλιοσάνη ex hordeo, & τράγος ex olbyra, sic βρόμος ex Auena paratum edulium, veteribus videtur fuisse, id quod
Lib.1.c.78. Paulus ostendit. Cum enim ptissanæ coquendæ modum declarasset, subiungit, παραπλησίως ὴ τῇ πλιοσάνῃ ὃ τε βρόμος ὃ τε ὁ χόνδρος ἕψεται: Idest, eodem autem modo quo ptissana Bromus & Chondrus decoquuntur. Quare βρόμος vt alia segetum genera quæ diximus, & frugis speciem quam Auenam nominamus, & rem ex ipsa factitiam significabit. Galenus Bromum iumentorum alimentum & pabulum esse scripsit, non hominum, nisi aliquando extrema fame ad panes ex eo
Li.1.Alim. *Vsus & Vires.* quoque semine conficiendos compellantur. Citra famem autem coctus Bromus ex aqua manditur cum vino dulci, aut sapa, aut mulso, non aliter quam Typha. Caliditatis autem satis particeps est vt illa, quamquam non æquè est durum: ex quo minùs quoque corpus nutrit. Panis qui ex Auena fit alioqui est insuauis, non tamen aluum aut sistit, aut proritat, sed quod ad id saltem attinet, medium locum obtinet. De eodem vt medicamento hæc etiam Galenus. Bro-
Lib.6.fim. mus vnum est ex leguminibus, quod vt medicamentum, similem hordeo vim obtinet: nam illitum deficcat, & digerit mediocriter, & sine morsu. Temperiem autem habet paulò, frigidiorem nonnihil etiam adstrictionis obtinet, vt ventris profluuia iuuet. Quo Galeni loco, legitur, βρόμος ἔστι μὲν ἐν τι τῶν ὀσπρίων, cum σιτηρῶν pro ὀσπρίων legendum videatur. Idest, Bromus est quidem vnum ex frumentaceis, vt frumentaceorum à leguminibus distinctio obseruetur, nisi quis dicat Galenum aliquando sine discrimine his vocibus vsum fuisse, cum &
Libe.dem. com.cura. Panicum legumen appellet, & Alicam, & ptissanam. Quod Dioscori. pultem
Li.18.ca.17. è Bromo fieri tradit, idem Plinius scripsit. Primum omnium, inquit, frumenti vitium auena est, & hordeum in eam degenerat, sicut ipsa frumenti fit instar,
Corn.Embl.82.lib.2. quippe cum Germaniæ populi edant eam, neque alia pulte viuant. Quod Plinius ait Germanos auenaceam pultem edere, etiam hodie verum est, sed quod non alia pulte viuant falsum. Nam & crassiore tum Zeæ, tum tritici farina quam crimnon vocant, Germani vtuntur, & ex ea pultem modo crassiorem, modo tenuiorem ac sorbilem faciunt. Sic etiam ex Auena crassiorem farinam instar crimni faciunt, quam cum aqua coctam addito butyro edunt, aut sorbẽt, & ex eiusdem farina tenui pultem parant. Quin & in Saxonia magna, farina auenæ crassior, quam ipsi *Gorte* vocant omnibus fere obsoniis aspergitur vna
Lib.22.c.25. cum sale, & sic simul coquitur. Auenæ farina, vt Plinius ait, decocta in aceto næuos tollit.

BROMVS, CAP. XIIII.

AB Auena satiua vsu tantum Bromus differt, quæ inculta est & neglecta, non genere, nec figura, nec nomine: dicitur enim etiã βρῶμος, & βρόμος. Herba Dodo. Histor. stirp. lib.4. cap. 46. & in frument.ca.63. Sed vt ab Auena discernatur, βρῶμος πόα vocatur, id est Bromus herba, siue Auena herba, Gallis *Aueron*, vel *Aueneron*, Italis *Vena vana*, idest *Auena cassa*. Tota natura habitúque ipso syluestris quædam Auena est, multiplicibus, & geniculatis culmis, foliisque eam referens, vtrisque tamen tenuioribus: spicæ à sese magis disitæ aristas asperiores longioresque habent: semen euanidum in tuniculis fermè vacuis, quare steriles Auenas dixit Virgilius. Radix copiosa est, ac tenuis. Aestate secus vias & agrorum margines reperitur. Huic valde affinem Bromum sterilem alteram Lobellius facit, quam Dodonæus Aegilopem, seu festucam alteram, Germani *Dort*, & *Lulch*, Belgæ *Drauich* appellant. Culmis foliisque Secale refert: ex culmorum vertice pendulæ conspiciuntur spicæ, Auenæ propemodum similitudine, sed breuiores, & arctius coniunctæ. Semina oblõga sun t

BROMVS
Herba Lobellij.

BROMVS ALTERA
ſterilis Lobellij.

ga ſunt, longitudine graui ſecalini, ſed anguſtiora, tenuiora, leuioráque multo, quæ vtriculis paruis continentur. Propriè ſecalis eſt vitium: neque enim cum aliis frugibus, aut rariſsimè reperitur. Creſcit, veluti alia eius generis per imbres frequentes, hiemis anníque conſtitutionem clementem, & tepidam. In Secali & agrorum marginibus reperitur apud Belgas. Matthiolus Aegylopis primæ nomine depinxit. Bromus herba, auctore Dioſcoride, exiccatoriam vim habet: decoquitur cum ſua radice ad tertias, & iuri colato par modus mellis adiicitur: rurſus incoquitur, dum liquidi mellis craſsitudo fiat. Linteum ex eo humore imbutum, & naribus inditum, contra graueolentiam vlcerum efficax eſt. Aliqui tritam Aloen addunt, & eo modo vtuntur. Cum ſiccis roſis cocta in vino grauem oris halitum emendat. Li. 4. c. 125.

AEGILOPS, CAP. XV.

Nomina

AIΓΙΛΩΨ Græcè, & Latinè Aegilops dicitur, à Plinio feſtuca, Arabicè *Dauſir*, *Dalifit*, *Deſana*, *Dauſer*, ſiue *Daſſer*, Italicè *Egilopo* Ægilops inquit Dodon. folio eſt tritici, ſed culmo tenui ſpicáque ſiue iuba Auenæ ſimilis eſt: grana eius oblonga ſunt, hirſuta, ſubrubra, folliculo incluſa, ac tenuem capillaceam, longamque ariſtam habent. Brabanti *Ghebaerde euene* vocant, quaſi dicas auenam ariſtis aut barbula donatam, quæ cum Dioſcoridis deſcriptioni conſentire videntur, ſic enim ille. Aegilops herbula eſt folia tritici ſimilia habens, ſed molliora, in ſummo capite ſemina bina ternáue rubra, in quibus ariſtæ veluti capilli exeunt. Lobellio non Aegilops, ſimpliciter, ſed Aegilops Bromoides Belgarum dicitur inter Aegilopem & Bromum media, priori Bromo aut Aegilopi ſimilis. In Anglia, Belgio & Gallia inter Hordeum & Secale frequẽs occurrit. Num eadem quæ Aegilops præſtet, hactenus incompertum. Aegilopem aliam Narbonenſem pictam oſtendunt

Forma.

Li. 4. c. 134.

Lobel

ÆGILOPS Dodon.

Li. 18. ca. 17.

Li. 1. Alim.

Lobellius & Matthiolus, quæ naſcitur inter triticum & hordeum agri Narbonenſis & Galloprouinciæ, æſtuoſis & glareoſis marginibus qualem Dioſcorides delineat, herbulam ſeſquipalmum aut duos palmos altam, foliis triticeis, exilibus, ſpica exigua, breui, duo plurimum, interdum tria grana ferente, glumis concluſa ſtriatis, & ariſtis ex ſingulorum granorum apice, non ex ſpica emergentibus: grana hordeacea ſunt, radix triticea, puſilla. Adiicit Pena ſe nõ ſemel expertum ægilopi morbo potius cœpto quàm iam longius progreſſo profuiſſe. Exicat enim adſtringendo citra calorem multum. Semina potui cereali indita temulentos homines faciunt. Eſt autẽ veterũ Aegilops auena quæ ſua ſponte prouenit & ex hordeo in eam degenerante fit, atque ob id frumenti vitium à Plinio dicitur, vbi etiam non aliter horẽ eũ à feſtuca quæ vocatur *Ægilops* enecari dicit, quàm triticum ab Aera, id eſt lolio, & cicer & eruum ab herba quæ inde orabanche appellatur. Galenus quoque in Tritico frequens lolium inueniri ſcribit, in hordeo vero reperiri ſed parum, Ægilopem autem in hordeo frequentem eſſe, cum prima generatio vel incrementum ipſis non rectè ſucceſſerit. Porrò patrem ſuum ætate iam declinante cum agricultura delectaretur, Triticum ac Hordeum aliquando ſeminaſſe omnibus diuerſi generis ſeminibus, quæ ipſi erant admiſta, diligenter ſelectis, quò certò

ÆGILOPS LOBELLII, & Penæ.

ÆGILOPS SECVNDA Matth. radice & foliis diuerſa.

cogno

cognoſceret, num ex ipſorum mutatione lolium & Ægilops naſcerentur, an propriam hæc quoque ſemina naturam haberent. Cum autem fortè vna cum puris ſeminibus in Tritico quidem frequens Lolium, in hordeo autem parum, ſed magnam Ægilopis vim natam conſpiceret, in aliis quoque ſeminibus idem experiri eſſe aggreſſum. Ægilops diſcutiẽdi vim habet auctore Galeno, id quod ex guſtu cognoſcitur: leuiter enim acris eſt. Verùm & ex eo liquet, phlegmonas induratas & Ægilopas eam ſanare. Eſt autem Ægilops abſceſſus inter magnum oculi angulum & naſum, qui ſi neglectus fuerit in fiſtulam abit, vſque ad os progredientem. Archigenes apud Galenum, ad ægilopa ſuccum herbæ Ægilopis cum melle illinit. Item Dioſcorides illitam cum farina herbam Ægilopiis mederi ſcripſit, duritiáſque diſcutere. Succum farinæ admiſtum ſiccari, & eorumdem gratia reponi. Ægilopas, inquit Plinius, ſanat herba eodem nomine, quæ in hordeo naſcitur Tritici folio, ſemine contrito cum farina permixto impoſitóque, vel ſucco. Exprimitur hic è caule, foliíſque prægnantibus, dempta ſpica, & cum trimeſtris farina digeritur in paſtillos.

Lib. 6. ſim. *Vires & Temper.*

Li. 5. ph. lo. cap. 2.

Li. 25. c. 13.

ORIZA, CAP. XVI.

ORYZAM τῶν σιτηρῶν εἶδος εἶναι, id eſt frumentaceorum generis eſſe ſcribit Dioſcorides. Galenus inter legumina recenſet. Legumina, inquit, appellant ea cerealia ſemina ex quibus panis non fit, vt puta, fabas, piſa, cicera, lentes, lupinos, Oryzam, & cætera. Vt ὄρυζα Græcis, ita Latinis Oryza nominatur, Theophraſto ὄρυζον neutro genere, Arabibus *Arz*, ſeu *Arzi*, Gallis *Rys*, Italis *Rizo*, Germanis *Rheiſz*, Hiſpanis *Arroz*, Anglis *Riſt*. Oryza foliũ profert arũdinaceũ, carnoſum, porraceo haud abſimile: culmum cubitalem & ſæpe maiorem, geniculatum, Tritico craſsiorem, firmiorémque, in cuius faſtigio iuba oritur, ſiue ſpica in ramulos diuiſa, in quibus ſemen vtrimque impari exortu prouenit, cortice ſubflauo, tectum, aſpero, veluti ſtriato, oui figura, quod gluma excuſſa candidum eſt. Plinius ſimiliter Oryzam deſcribit. Oryzæ quidem folia carnoſa, Porro ſimilia, ſed latiora: altitudo cubitalis: flos purpureus: radix gemmeæ rotunditatis. In paluſtribus riguíſque naſcitur, inquit Dioſcorides. Peregrinum initio ſemen, ex Indiáque allatum. In Bactrianis quoque ac Babylonia & Suſide, atque Syria inferiore naſcitur. Nunc in Italiæ & Pedemontanæ prouinciæ multis, & in quibuſdam Galliæ locis gignitur, ſed copioſiſsima in Aſia, Syria, & Ægypto. Oryza auctore Dioſcoride, mediocriter alit, ſed aluum ſupprimit. Semine hoc, inquit Galen. omnes in ſiſtenda aluo vtuntur, ipſum eodem modo quo Alicam coquentes: difficilius tamen quàm alica conficitur, & minùs alit, & vtique in edendi ſuauitate ab ea quamplurimùm vincitur. Idem alibi. Oryza habet adſtrictorium quidpiam: quare mediocriter ventrem ſiſtit. Italici maximè Oryza gaudent, inquit Plinius, ex qua ptiſſanam

Lib. 2. c. 88. Li. 1. Alim.

Nomina Lib. 4. Hiſt. cap. 5.

Forma Matthi. in c. 88. lib. 2. Dioſc.

ORYZA.

Lib. 18. c. 7.

Locus.

Lib. 2. c. 88. *Vſus & Vires.*

Li. 1. Alim.

Lib. 8. ſim.

Lib. 18. c. 7.

Lib. 2. Ser. sat. 3.

sanam conficiunt, quam reliqui mortales ex hordeo. Vnde apud Horatium medicus ait, Agedum sume hoc ptisanarium Oryzæ, quod videlicet ptissanæ modo præpararetur. Hodie verò ex Oryza puls fit, in qua solidæ ipsius partes manent, eáque datur in cibum, non autem eius succus, cuiusmodi hodie fieri consueuit hordeacea ptissana in qua nihil ineſt prẹter aquam, & hordei cremorem. Theophrastus hæc de Oryza tradidit. μᾶλλον ὃ σπείρουσι τὸ καλούμενον ὄρυζον, ἐξ οὗ τὸ ἔψημα. τοῦτο δ' ὅμοιον τῇ ζείᾳ, καὶ περιπλιαθὲν ὅιον χόνδρος, εὔπεπτον δὲ, τὴν ὀψιν τεφυκὸς ὅμοιον ταῖς ἄιραις. καὶ μένει τὸν πολὺν χρόνον ἐν ὕδατι. ἀποχεῖται δ' οὐκ εἰς φάχυ, ἀλλ' ὅιον φόβην, ὥσπερ ὁ κέγχρος, καὶ ὁ ἔλυμος. Ideſt, ferunt potiſsimum Oryzon ex quo iuſcula parant. Hæc Zeæ ſimilis eſt, tuſáque veluti Alica facilè concoquitur, aſpectu lolio ſimilis. Diu in aqua manet, effunditur non in ſpicam, ſed veluti in iubam, Milij, aut panici modo. Oryza in lacte bubulo, aut amygdalarum cremore, aut carnium pingui iure decocta, concoctu facilior eſt, & ori gratior. Vtilis cibus eſt dyſentericis, cæliacis, & diarrhœa affectis, præſertim ſi priùs torrefacta, lacti inquo igniti calculi fuerint extincti, incoquatur. Sunt qui Oryzam quoque dicant genitale ſemen augere, in bubulo lacte decoctam, addito ſaccharo, & cinnamomo. Oryzæ decoctum vtiliter dyſentericis infunditur, ac etiam potandum datur. Farina cataplaſmatis repellentibus rectè admiſcetur: mammarum incipientes inflammationes arcet.

Li. 4. Hiſt. cap. 5.

Matt. in c. 88. l. 2. Dio.

MILIVM, CAP. XVII.

Nomina

ΚΕΓΧΡΟΣ Græcis, & Straboni κέγχρος, Hippocrati πασπάλη, vt vult Hermolaus, Galeno πάσπαλος non πασπάλη, nam in Gloſsis Hippo. πασπαλέτης exponit κεγχραλέτης, & addit, πάσπαλος ἢ ὁ κέγχρος. Latinè Milium dicitur, Arabicè *Ieuers*, *Geguers*, ſiuè *Giauers*, Italicè *Miglio*, Germanicè *Hirſz*, Hiſpanicè *Milho*, & *Miyo*, Gallicè, *Mil*, & *Millet*, Milium à Miliaria ſumma deriuatum Feſtus exiſtimat, non à Græcis. Contrà Varro à Græco deducit, nam id Melinen, inquit vocant: cum tamen Dioſcorides & Galenus Melinen Panicum intelligant. Farinam miliaceam, ſeu fractum Milium, inquit Hermolaus, ſunt qui ſcrutũ vocari putent in Horatij verſu illo.

Corol. 107. libr. 2.

Libr. 1. Epi. 7. Epiſt.

Vilia vendentem tunicato ſcruta popello.

In Perſa. Scena tertia, quo in loco plẹriqueomnes legũt: Cõmiſce mul ſum: ſtruthea, collibiáque appara.

Sunt quibus vaſis appellatio ea potius eſſe videatur, ex ſcroto ideſt corio conſuti, vel eſculenti quoddam genus lecytho contrarium, vt Plautus quoque ſcrutea & Collubia in hunc fortè ſenſum appellauerit: vel in Horatio fortè non ſcruta, ſed ſcuta legas pro vaſculo ruſtico, vnde Scutriſcum Catoni ſæpe numero dictum. Sed nihil horum ſcruti nomine ſignificari, imo vetera & fracta ferramenta, pannos veteres, vaſa dimidiata, & cætera Lucillius apud Gellium demonſtrat his verbis. Quidni? & ſcruta quidem, vt vendat ſcrutarium laudat. Præfractam ſtrigilem, ſoleam improbum dimidiatam. χύτη & χυλάρια nominant Græci. Vnde χυλοπώλης qui vaſa fracta & ſimilia vendit. A Milio quoque miliariæ aues dictæ, vt Varroni placet, quòd ad hanc frugem turmatim ſe conferant, eáque veſcentes ſaginantur. Vulgus noſtrum Hortulanos appellat, obiecto Milio in caueis ſic pingueſcentes, vt vel obeſiore corpore ſuffocatæ moriantur, vel in necatis nihil aliud ſpectetur quam adipis moles. Lugduni aucupes ad epularum delitias alunt, magnóque vendunt: & quamuis cenchridi aui nomen videatur Milium indidiſſe, eam tamen miliariam non eſſe certum eſt, cum cenchridem, vt refert Plinius, accipitrum generis Græci faciant, quàm Latini Tinnunculum à voce & ſono, vocant: Galli vero. *Quercerelle*, vulgò bene cognitam, quòd in altis vrbium turribus nidificet. Sed ad rem redeamus. Milij noſtratis hiſtoriam primùm ponemus: deinde Milij Indici, cuius genera duo.

Li. 3. ca. 14.

Milium

MILIVM nostras.

Milium noſtras in frumentaceis, iiſque frugibus ex quibus panes fiunt, à Galeno & Dioſcoride numeratur. Radicem numeroſam habet, altam & duram: multiplici culmo fruticat, cubitali, craſſo, geniculato, lanuginoſo. Folia gerit ampla ac arundinacea. E ſummis caulibus nō ſpicas, ſed effuſas ꝑmit iubas, ſeu paniculas lōgas, diuulſáſque, & in terram pronas, ac reflexas. Milij comæ, inquit Plinius, granum complexæ fimbriato capillo curuantur. Theophraſtus iubam ſiue comam φοβὴν appellat. ἡ δὲ χαλαμώδης ἀπόφυσις, inquit, φοβή. In iubis illis copioſum gignitur ſemen, paruum, rotundum, durum, ſplendens, & ſubflauum, tenui tunica veſtitum. Milium leuē ſolutámque terram deſiderat, nec in ſabuloſo ſolùm, ſed & in arenoſo quoque prouenit, modo vel humido cœlo, vel riguo ſolo: nam ſiccum cretoſúmque reformidat, vt ait Columella. Ante ver commodè ſeri non poteſt: quoniam teporibus maximè lætatur. Vltima tamen parte menſis Martij commodiſsimè terræ committitur. Plinius Miliū inter frumenti quoque genera verna connumerat. Milium Theophraſtus refert ſiccitate ſua diuturnum eſſe: idem plus annos centum durare, ſi quò ventus & aër non perueniant, condatur, auctor eſt Varro. Milio nōnumquam in pane vtuntur, vrgente frugum penuria, inquit Galenus, panis tamen ex eo exigui eſt alimenti, & refrigerans. Conſtat inſuper præaridum, & inſtar arenæ friabilem eſſe: nihil enim in ſe habet pinguitudinis, & lentoris. Iure ergo aluum humidiorem exiccat. Agricolæ, huius farina cocta, admiſto adipe ſuillo, & oleo veſcuntur. Panem etiam & pultem ex Milio fieri teſtatur Plinius, cùm ſcribit. Milio Campania præcipuè gaudet, pultémque candidam ex eo facit. Fit & panis prędulcis. Sarmatarum quoque gētes hac maximè pulte aluntur: & cruda etiam farina equino lacte, vel ſanguine è cruris venis admixto. Hæc puls etiam Germanis hodie in vſu eſt, cum lacte cocta butyro addito, & ſaccharo plerumque aſperſo. Alibi Plinius panis, inquit, multifariè & è Milio fit, è panico rariùs. Sed nullum frumentum ponderoſius eſt, aut quod coquendo magis creſcat. L x. pondo panis è modio redeunt, modiúſque pultis ex tribus ſextariis madidis. Panis ex Milio conficitur, inquit Columella, qui antequam refrigeſcat, ſine faſtidio abſumi poteſt. Sed quamuis panis ex Milio niſi in magna reliqui frumenti penuria non fiat, ait Galenus, tamen is dum recens eſt, vt ſcribit Matthiolus, & à piſtore recte paratus, vt Veronæ fit, & ita calidus vt è furno excipitur, deuoratus ſua quadam ſuauitate placet, & à multis expetitur. Cum verò obduruit, planè ingratus eſt. Siluicolæ Tridentini ſola pulte miliacea quam vulgò polenta vocant, aluntur, eam cum lacte edentes. Milium inquit Dioſcor. in panes coctum minus cæteris frugibus alit: ſiſtit pulte ſua aluum: vrinam cit. Torretur Milium, feruénſque in ſacco ponitur, vt torminibus reliquíſque doloribus, ſi ægra pars foueatur, auxilio ſit. Milium Galeno primo ordine refrigerat, exſiccat verò tertio exoluto, aut certè ſecundo intenſo: habet etiam paullulum tenuitatis. Ex hac tum conſiſtentia, tum temperatura inſtar edulij comeſtum, plane inter omnia frumentacea minimùm confert nutri-

Forma.

Li. 18 ca. 7. Lib. 8. Hiſt. cap. 3.

Locus.

Li. 2. ca. 9.

Tempus.

Li. 18. ca. 7.

lib. 1. ca. 57. Li. 1. Alim.

Vſus.

Li. 18. ca. 10.

Li. 18. ca. 7.

Lib. 2. ca. 9.

In ca. 90. li. 2. Dioſcor.

Lib. 2. c. 90.

Vires & temperamenta.

Lib. 7. fin.

menti, ſed & ventrem ſiccat. Porrò foris impoſitum in ſacculis, idoneum eſt fomentum iis quæ citra morſum exſiccari poſtulant & cataplaſmatis modo illitum exſiccare poteſt. Attamen admodum friabile eſt. Proinde difficilis eſt eius in cataplaſmatis vſus. Idem alio in loco fométa ex Milio in capitis dolore laudat, quod vt ait Hippocrates, leue ac lene ſit Milium. Sic enim ille ſcribit: Πυρίη ὀξείρη, ἄλες, κέγχροι τεθρυμμένοι ἐν ἐρίοις μαρσυπιοισιν ἐπιηδεόταλοι: καὶ γὰρ κοῦφον καὶ προσηνὲς ὁ κέγχρος. Id eſt, fomentum ſiccum ex ſale ac Milio torrefactis, ac laneo marſuppio exceptis accommodatiſsimum. Etenim leue ac lene Milium eſt, quod Plinius leuiſsimum ac molliſsimum eſſe dixit. Milio ſiſtitur aluus, diſcutiuntur tormina, in quem vſum torretur ante. Neruorum doloribus, & aliis feruens in ſacco imponitur, neque aliud vtilius, quoniam leuiſsimum molliſsimúmque eſt, & caloris capaciſsimum. Itaque talis vſus eius eſt ad omnia quibus calor profuturus eſt, farina eius cum pice liquida ſerpentium, & millepedæ plagis imponitur. Hæc Plinius. Milium igitur ad flatus repellendos fomentum eſt optimum, præſertim ſi cum ſale commixtum fuerit. Quin & præſtantius redditur additis chamæmeli floribus. Milium medicamenta & carnes, ſi in eius aceruo ſepeliantur, à carie & putredine diutius vindicat.

Li. 1. ph. lo.

Libr. 2. de victus rat. morb. acu.

Li. 22. c. 25.

MILIVM INDICVM, ſiue MELICA. CAP. XVIII.

SVNT alia quoque Milij genera peregrina. Indici meminit Plinius his verbis. Milium intra hos decem annos ex India in Italiam inuectum eſt, nigrum colore, amplum grano, arundineum culmo. Adoleſcit ad pedes altitudine ſeptem, prægrandibus culmis, Phobas vocant, omnium frugum fertiliſsimum. Matthiolus Milium iſtud frugis genus eſſe exiſtimat quod vulgo Melica dicitur, Inſubribus *Melega*, Hetruſcis *Sagina* aliis Italiæ populis *Sorgo*, apertéque hallucinatum fuiſſe Ruellium, cum ſcri-

In c. 91. lib. 2. Dioſcor.

MILIVM INDICVM, ſiue Melica Matthio.

MILIVM INDICVM, ſiue Melica Dodon.

bit

bit Panicum in Italia Melicam appellari, cùm hæc appellatio nuſquam in Italia panico ſit indita. Ei fortaſſe errandi occaſionem præbuit nominis Melicæ & μελίνης ſiue μελίνη vicinitas, quæ fecit vt Panicum cum *Sorgo*, & huius deſcriptionem cum illius deſcriptione confuderit. Germani *Sorgſamen*, vocant, Lusitani *Milium Saburrum*, Dodonæus Panicum Indicum, alij Panicum peregrinum, id ex Panici genere eſſe exiſtimantes, quorum certè probabilior eſt opinio, quàm Fuchſij, qui Farris genus facit, cum quo ſimilitudinem nullam habet, cum Panico verò aliquam: ſed illi cum Milio magis conuenit: quam ob cauſam Milium Indicum Plinij Matthiolus eſſe putat, vt diximus. Eſt autem Melica, vt vulgari vtar nomine, frugis genus tribus, quatuor, aut pluribus aſſurgens culmis, arundinaceis, prælatis, ſeptem octo nonnumquam decem pedum altitudine, vel maiore, nouem articulis plurimum diſtinctis, medulla candida farctis. Folia è ſingulis geniculis exeunt cubito longiora, tres quatuor ve digitos lata. Paniculas in ſummis culmis profert, dodrantales aut longiores, rectas, non inclinatis, granis multis confertas, Milio maioribus, ac Lenti ferè paribus, alias minus, alias magis in rufo nigricantibus. Radicibus firmatur multis, validis ac fibratis. Tota planta arundinem prorſus refert, adeo vt agri in quibus ad maturitatem vſque Melica adoleuit arundineta procul eſſe videantur. Culmi & ſpicæ ſemine matureſcente rubeſcunt. Solum amat pingue & humidum. Gignitur in Italia, Hiſpania, & aliis calidioribus regionibus. Ex æſtiuis ſementibus eſt: Autumno matureſcit. Legitur granum à ruſticis, molitúrque in farinam, ex qua panem faciunt. Hetruria tamen potius ad columbarum gallinarúmque ſaginam ſerit, quàm ad hominum alimentum. Ex huius Milij Indici culmorum medulla fit medicamentum adſtrumas præſtantiſsimum hoc modo. Ex decem culmorum huius internodiis extrahitur medulla, quæ cum ſpongia noua, integra, rubentéque comburitur. Hæc in puluerem teruntur additis piperis nigri granis duodecim. Huic pulueri admiſcetur triticeæ farinæ vncia. Deinde omnia ouo recente excepta in placentam conformantur, quæ ſub feruentibus cineribus coquitur. Ea in ſex partes diuiditur, quæ Luna decreſcente alternis diebus ſtrumoſo dormitum ituro edendæ præbentur, nullo addito potu. Idem altera & tertia Luna repetitur. Hoc medicamento multos curatos eſſe ſcripſit Matthiolus. Idem auctor eſt flores qui ex rubris huius milij Indici paniculis excutiuntur, drachmæ pondere ex rubro vino hauſtros rubra fœminarum profluuia ſiſtere, quemadmodum albos flores ex paniculis albis exceptos albos vteri fluores cohibere. Item dari vtiliter dyſentericis, & aliis fluxionibus alui affectis. Idem quoque præſtare granorum putamen, oui vitello probè decocto exceptum, & à ieiunis deuoratum. Aliud Milij Indici genus à Iacobo Antonio Cortuſo nobili Patauino ad ſe miſſum ſcribit Matth. quòd culmis, foliis, paniculis ſuperiori ſimile eſt, ſed eo pulchrius, & præſtantius, glumâ facilè exuit, melioráq; ex eo fit panis. Milij generibus Dodonæus adſcribit plantam quam recentiores Lacrymam Iob ſeu Chriſti nominãt, de qua cum Lithoſpermis dicemus.

Lib. 2. c. 28.

Nomina

Lib. 4. c. 12. In Hiſtor. plant. 295.

Forma Melicæ.

Locus.

Tempus.

Vſus & Vires.

Ibidem.

In ca. 91. li. 2. Dioſcor. Hiſto. fru. cap. 24.

PANICVM, CAP. XIX.

Nomina

ΠΑΝΙΟΝ Græcis, Latinis Panicum appellatur, Arabibus *Dochon*, Italis *Panico*, Germanis *Pfenich*, & *Heydelpfenich*, Hiſpanis *Panizo*, & *Paniſo*, Gallis *Panis*, & Panic. Dicitur etiam μελίνη teſtibus Dioſcoride & Galeno, μέλινος Diocli, Plinio Melfrugum, quæ vox è Meline ſumpta melleum quid piam ſignificat non autem, nigrum ἀπὸ τοῦ μέλανος, quidam enim Melinen Panteum nigrũ eſſe volũt, ab aliis generibus colore diſtinctum. Elymum certè ac Melinen tanquam diuerſa, Theophr. locis aliquot memorat

Lib. 22. c. 25.

PANICVM Satiuum.

Lib.18.c.7.

PANICVM SYLVEST. Matthiol.

Lib.2. ca.9. Lib.6.fim.

Genera. Li.18. ca.7.

Forma

Locus.

Tempus. Libr.2.c.9. In capi. 91. li.2. Dioſc.

Forma ſylueſtr.

ſeparatim, Panicum Latinis à paniculis dictũ eſſe ſcribit idem Plin. qui inter æſtiua frumẽta panicum recenſet, non vt quidam, inter verna Dioſc. τῶν σιτηρῶν εἶναι σπερμάτων ait, ideſt frumẽtaceis ſeminibus annumerari. Colum. inter frumẽta Panicum & Miliũ reponit. Gal. ἐκ τῶν ὀσπρίων, ideſt ex leguminib⁹ eſſe tradit, vt citra diſcrimẽ Galen. τὰ σιτηρὰ etiã ὄσπρια vocet, cũ tamẽ ὄσπρια ſint cerealia illa ex quib⁹ panis nõ fit. Sũt & Panico genera, inquit Plin. mãmoſo, pano è paruis racemato paniculis, & cacumine gemino. Quin & colore diſtinguuntur, candido, nigro, rufo, etiã purpureo. Sunt etiã Panici genera ſatiuũ & ſylueſtre. Panicũ ſatiuũ quod ex Matth. hic appinxim⁹, radice, culmo, folio, Milio ſimile eſt. Culmis enim multis prodit intus farctis, geniculatis, ac ſenſim extenuatis. Folia ei arundinacea ſunt, multo quàm in Tritico latiora. Paniculis differt: ſunt enim in Panico oblõgę & pedales, craſſę, prædenſæ, nõ vt in Milio diuulſæ, ſed racemi inſtar ex numeroſis granis cõpactæ, hirſutis, rotundis, duris, ſplẽdentibus folliculis quibuſdam intectis, colore ſubluteis, Milio ſimilibus, ſed minoribus. Radice nititur valida & fibrata. Eamdem quam Miliũ terrã, idémq; ſolum deſiderat, eodémq; tempore ſeritur, auctore Colu. Reperitur & Panicũ ſylueſtre, inquit Matth. ſed cibis inutile, & alendis ſolùm auibus idoneũ, ſatiuo longè minus gracili admodum ſtipula, cubitali longitudine, aut maiore, foliis anguſtioribus, breuioribus, aſperíſque panicullæ in cacumine hirſutæ, ſubrubentes, pertinaciter veſtibus inhærent, ſed multò minores quàm in Panico ſatiuo. Vis illi Panico adſimilis, niſi quod magis adſtringit ac refrigerat.

Aliud ſylueſtre Panicũ ex Dalechampio hîc proponimus, quod radice eſt breui, cãdida, in multas particulas ſciſſa, fibrata: culmis multis, cubitalibus, geniculatis foliis graminis, longioribus, latioribus, ex ſingulis geniculorũ nodis exeũtibus. In ſummis culmis veluti ſpicę ſunt, rotũdæ, villoſæ, aſperæ, veſtibus prætereuntiũ adhærentes tam firmiter, vt vix reuellantur. In

Li.18.c.17. areis hortorũ, maçeriis, & incultis locis naſcitur. Hæc fortaſſe fuerit herba alba Plinij, de qua hæc ſcribit. Naſcitur & herba alba Panico ſimilis, occupans arua, pecori quoq; mortifera. Quidã eſſe volunt eiuſdem ſcriptoris cap.25.lib.2. Miliariam herbam, quæ Miliũ necat, & trita cornúque infuſa podagras iumentorum ſanare dicitur. Magis placet eorũ ſententia qui Albam herbãeſſe putant. Panicũ

l.c.91. inquit Dioſc. Milio ſimile eſt, eodémque modo in panes ſubigitur. Eoſdem

habet

PANICVM SYLVEST. Aliud Dalechamp.

habet vſus: minùs tamẽ & nutrit, & adſtringit. *Vſus & vires.* Milium ad omnia Panico eſſe præſtantius Galenus tradit, ſuauiúſque edi, facile concoqui, Li. 1. Alim. ventrem minùs ſiſtere, magis nutrire. Nonnũquam autem, inquit, Ruſtici farinam, ipſorum lacti incoctã mandunt, nõ aliter quàm Tritici. Vnde liquet id edulium tanto eſſe præſtantius quã ſi per ſe ſumatur, quãto lac vtriuſq; ſeminis naturæ ad boni ſucci ꝓcreationẽ, aliáq; omnia excellit. Nihil enim ſuauitatis ſeminibus iis ineſt, præſertim Panico, quod ſaltẽ in noſtra Aſia naſcitur. Nam apud aliasgẽtes, vt in Italia, multo melius prouenit. Idẽ alibi Panicũ Milio ſpecie ſimile, facultate certè pauci eſt nutrimẽti, & Lib. 6. ſim. exſiccatoria. Siſtit quoq; nonnihil vẽtris fluxus, vt & ipſum etiã Milium. Si verò foris illinatur, exſiccat, atque refrigerat. Panicum, inquit Plin. Li. 22. c. 25. effectus habet quos Miliũ. In vino potũ ꝓdeſt dyſentericis. Similiter his quæ vaporãda ſunt, excalfactũ imponitur. Siſtit aluum in lacte caprino decoctũ, & bis die hauſtum: ſic prodeſt & ad tormina. Colum. Panicum pinſitũ, & euolutũ furfure, ſed & Milium quoq;, pultem panis inopia, maximè cum lacte non faſtidiendam præbet. Lib. 2. ca. 9. Nullus hodie eius vſus nec Officinis, nec Panificio, quia cum ſiccũ admodum & macilentum ſit ſemen, parũ admodũ præbet alimẽti: quare auiculis obiicitur.

PANICVM INDICVM, CAP. XX.

His addendũ Panicũ Indicũ aliud, ſiue Peregrinũ, à Dodonæo depictũ, & deſcriptum. Culmo prouenit craſſo, octo aut nouẽ pedes alto, crebris nodis geniculato, foliis ex ſingulis articulis prodeũtibus, arũdinaceis magnis, lõgis, latis: ſpicas profert ſeu verius paniculas craſſas, dẽſe cõpactas, aliquantũ hirſutas, breuiores quidẽ quã Panici noſtri ſatiui, quæ nõ ex vertice tãtũ culmorũ, ſed & ex ſinu foliorũ, breuioribus ac tenuioribus veluti culmis inſidentes exeũt. Semẽ oblõgũ capillaceis glumis implicatur. Radices validæ ac fibroſæ. Panici ſpeciem eſſe ipſæ dẽſius cõpactæ paniculæ demõſtrãt. Eiuſdẽ panici ſemẽ recẽs ex Indiis delatũ Pena ſe in hortis Monſp. ſeuiſſe ait, Martio mẽſe, ante auguſtũ arũdinaceos culmos hominis proceritate erexiſſe digito craſsiores, medulla fungoſa pallẽte farctos, rectos, geniculatos, qui proxime radicẽ colore cęruleo, elegãti & nitido purpuraſcẽtes: in ſummo ſpicæ ſpecie Cylindri, ſeu coni, cui faſtigiũ retuſum eſt, ſtamineas apices florum oſtẽdunt, coloris cærulei, diluti: ſemina dẽſẽ elegãtérque ſtipata, oblõga, teretia, cærulea, auenę nudatæ quadantenus ſimilia, minora, copioſiſsima. Folia arũdinacea, medio ſecundũ longitudinem neruo percurrente, lata, medio tenus internodia obuoluunt. Guſtus miliaceus, vſus nullus.

GRAMEN MANNÆ, CAP. XXI.

MILII generibus quidam, alij Panici, adscribunt plantam quam Germani vocant Gramen Mannæ. Huius duæ sunt species. Alteram priuatim capriolam, & Sanguinellã nominant, quidam Ischæmon Plinij esse volunt, de quo postea nos agemus. Gignitur sponte in plerisque Italiæ, Germaniæ, Bóëmiæ locis incultis. Goritienses tamen & Carinthij serunt. Fibrosa radix est, crassa, in transuersum porrecta, stipulæ cubitales, ac nonnunquam proceriores: crebro geniculatæ, cum maturuerint, subrubentes: Arundinacea sunt, aut Gramini similia, & villosa folia, præsertim quæ culmos ambiunt, & amplectuntur. Iuba, vt Milij, effusa, minus tamen densa, nigricãs, in spicas dissecta, longas, & tenues, semen ferentes ab vna tantũ parte, Milio minus, oblõgum, quod in pilis à glumarum & vtriculorũ inuolucro purgatum, candidũ est Oryzæ modo. Eo Bohemi cocto cum iurẽ pinguis carnis vescũtur, & sic paratum, suaue gratúmque edulium esse prædicant. Sclaui vocant Cornicis pedẽ, qua nomenclatura deceptus Leonicemus Coronopũ Dioscoridis esse credidit. Alterum Mannæ gramen in agrorum aggeribus, Germanię, Belgij, Galliæ, cæterarúmque regionum Europæ, nullo satu gignitur: quidam tamen & in hortis colunt. Arundinacea huic quoque natura est. Radix multas fibras spargit. Arun-

Li. 27. ca. 8.

GRAMEN MANNAE
prius Matthioli.

GRAMEN MANNAE
prius Dodonæi.

GRAMEN MANNAE
secundum Dodonæi.

dinifo

dini folium ſimile. Culmi plures: & hi partim recti, partim in latus, & terram verſus inclinati: pro coma iuba non eſt, ſicuti ſuperiori, ſed veluti ſpica, aſperiuſcula, panicula quidem Panici breuior, rarior, tenuior, aliquando ſingularis, & ſimplex: interdum multiplex, ac velut ex pluribus compoſita: nonnunquam herbacei coloris, aliquando ex rubro nigricans. Semine gallinas, columbos, & auiculas: ſicut & ſuperioris, alunt.

PHALARIS, CAP. XXII.

VT Græcis & Latinis Phalaris dicitur, Galeno φαλὰρις, Germanis *Spenſchſaet*, & *Canarienſaet*, hoc eſt Hiſpanienſe ſemen, & Canarienſe, à Canaria Inſula. Melitenſes apud quos vt diligenter ſeritur, *Cuneno* vocant, & ad conficiendum panem cum Tritico miſcent. *Nomina*

Phalaris, vt deſcribit Dioſcorides, cauliculos emittit ex radicibus tenuibus & inutilibus multos, duûm palmorum altitudine, geniculatos, Arundini ſimiles, culmis Zeæ ſimiles. Semen in iis eſt Milij magnitudine, ſubalbum, oblongum. Lib. 3. c. 142. *Forma.*

PHALARIS.

Ex qua hiſtoria veram Phalarim eſſe colligunt docti Herbarij, Matthiolus, Dodonçus, Cordus, quæ hîc expreſſa eſt. Nam tres aut quatuor culmos erigit, cubitales, & nonnunquam proceriores, geniculatos, Zeæ aut Tritici culmis non diſsimiles. Folia ex geniculis ſingula exeũt, acuminata, paruæ Arundini, aut Tritico ſimilia. Ex iiſdem geniculis quidam etiam culmi ramulorum vice emergunt, quos folia circum amplectuntur. Spicas in ſummis culmis, & ramulis illis fert rectas, digitali craſsitudine, teretes, in ſummo turbinatas, exiguis ſquamis candicantibus compactas, è quibus flores candiduli, exigui à breuibus ſtaminibus dependent. Semen deinde inter ſquamas gignitur, Milio non diſsimile, ſplendidum, candicans, aut ſubnigrum oblongum, in mucronẽ acuminatum, guſtu Milio ſimile. Radix eius eſt multifida & fibrata. Herbæ tuſæ ſuccus, cum vino, aut aqua expreſſus ad veſicæ cruciatus vtiliſsimè bibitur. Semen cochlearis menſura potum ad eadem efficax eſt. Non adeo his à Dioſcoride traditis conſentiunt quæ de eadem ſtirpe prodidit Plinius his verbis. Phalaris thyrſum habet longum, tenuem, ceu Arundo, in ſummo florem inclinatum, ſemen ſimile Seſamæ. Et hoc calculos frangit potum ex vino, vel aceto, & melle, & lacte. Idem & veſicæ vitia ſanat. Galeno Phalaridis herbæ tum ſemen, tum ſuccus, tum folia potu auxiliari creduntur veſicæ doloribus, ſeu in ſe habeant quidpiam tenuium partium, ſeu calidum. Pharmacopœi quidam in Milij penuria eo in fomentis non infœliciter vtuntur: in ſiccis enim fomentis Milij vſum præbet. Peregrinum eſt ſemen hoc: adfertur autem ex Hiſpania, & Canariis inſulis: Maſsiliæ frumentum Canarienſe dicitur, quia eius copiam inſtitores ex Canariis ſecum deferunt, & vnà cum paſſerculis Canarienſibus venduntur, quod eo maximè delectentur, ſitq; eis cibus ſaluberrimus. At non ſolum hic, vt ait Pena, ſed etiam Narbonenſi agro, via ad Magalonem, prope ſegetes, In cap. 142. lib. 3. Dioſ. Lib. 4. ca. 11. Lib. 2. plan. cap. 46. Dodon. de frug. ca. 29. Ibidem. *Vires.* Li. 27. c. 12. Li. 8. ſimpl.

ad Pontem Phalaridem veram reperiri, eiúſque enatum ſemen fœliciter in Belgio & Anglia habuiſſe.

PHOENIX, CAP. XXIII.

Nomina Li.22.ca.25.

PHOINIX Græcis, Phœnix ſimiliter Latinis dicitur, à Phœniceo colore. Plinius Hordeum murinum appellari ſcripſit, ſi eadem ſit illi herba Phœnicęa, quæ Dioſcoridi & Galeno Phœnix. Latini recentiores Lolium rubrum, & Lolium murinum vocant, Hetruſci Lolium ſylueſtre, *Gioglio ſaluatico*. Galli *Iuraye ſauuage*, Germani *Bintzen helmer*, & *Mald trohor*, Belgi *Muyſe koren*, quod ſpicas profert Lolio ſimiles. Planta hæc culmis, foliis, ſpica, Lolio ſi-

Forma milis eſt, ſingula tamen minora habet: culmos enim multos profert, breues, geniculatos, folia Hordei, minora, anguſtioraq;, ſpicas Lolio ſimiles, ſed minores, tenuiores, breuiores, ac rariores. Naſcitur in aruis ſecus vias, & in ædificiorum tectis, in Italia & Gallia frequens, & vbíque fere obuia. Quæ omnia nulla repugnante nota Dioſcoridis Hiſtorię adſtipulantur: ſcribit enim, Phœnix,

PHOENIX.

Locus.

Lib.4.c.39. inquit, folia habet Hordei, ſed breuiora & anguſtiora, ſpicam Lolio ſimilem, calamos ſenûm digitorum, per ambitũ radicis, ſeptenas, octonáſue ſpicas. In aruis tectíſque recens illitis naſcitur. Illius hæ vires ſunt. In vino auſtero pota, alui profluuium, & ex vulua

Vires. ſanguinem ſiſtit, vrinæ impetus infrenat. Sunt qui adalligatam in puniceo vellere & ſuſpenſam, ſanguinem ſupprimere prodant. Herbam Phœniceam appellatam à Græcis & à noſtris Hordeum murinum, Plinius ſcribit, tritam, ex vino potam, præclarè ciere menſes. Id quod etiam Pena affirmat. Ambiguum verò eſt, an de hac Herba, an de illa intelligat, quæ Phœnix Dioſcoridi dicitur. Galenus de Phœnice nihil ſcripſit. Phœnix, inquit, Pau-

Lib.22.c.25.

Lib.7. lus, quam alij Rhun vocant, Herba eſt Lolio ſimilis. Vim habet adſtringentem. Pota in vino auſtero omnes fluidos affectus ſiſtit.

LOLIVM, CAP. XXIIII.

Nomina GRÆCIS αἶρα & ζύαρος, Latinis Lolium dicitur, Arabibus *Sceylem*, ſeu *Zeuen*, Italis *Loglio*, & *Gioglio*, Germanis *Tunalch*, *Kueuueyſen*, & *Lulch*, Hiſpanis Ζοιὸ, & *Zizania*, Gallis *Iuraye*, ab inebriando, quod admixtum pani, vini modo temulentiam concitet. Lolium folio

Forma eſt longo, pingui, hirſuto: culmo Tritici, graciliore, in cuius ſummo ſpica eſt, longa veluti ex multis paruulis alterno ordine digeſtis compoſita: in ſingulis

Locus. terna quaternáue grana continentur, Triticeis minora. Naſcitur in aruis, è Tritico & Hordeo, corruptis vligine ſeminibus, aut per hyemem imbre nimio

Lib.8.Hiſt. cap.7. Li.1. Alim. madefactis. Negãt vernam eſſe frugem, inquit, Theophraſtus, quamuis id nonnulli conentur aſſerere. Nam hyeme ſtatim ineunte proſilit è terra, folio anguſto, pingui, hirſuto. In Tritico quidem frequens Lolium, inquit Galenus, ſæpe

Lib.18.c.17. inuenitur, in Hordeo verò paucum. Plinius Lolium inter frugum morbos potius,

LOLIVM.

potius, quàm inter ipsius terræ pestes numerat. Fuschius Pseudomelanthium quod non solum in Triticea & Hordeacea, sed in omni ferè alia segete per se prouenit, Lolium esse putat: quod non solùm peritissimorum huius temporis Herbariorum sententiæ refragatur, ait Matthiolus, sed & veterum scriptis, qui Lolium in spica, non in calyce, nec in capitulis Melanthij, vel Papaueris modo, inclusum semen proferre tradiderũt. Dioscorides Phœnicem herbam Lolio similem spicam ferre prodidit. Is etiam error ex vulgata Lolij facultate, vt mox dicemus, facile deprehendi potest. Lolium teste Dioscoride, molitum nomas, putrescentia vlcera, gangrænásque emarginat, cum rhaphanis & sale illitum: ex aceto & sulphure viuo feros lichenas, & lepras sanat: strumas quoque discutit cum fimo columbino, & lini semine, decoctum in vino: rumpit quæ ægriùs ad coctionem perducuntur. Decoctum ex aqua mulsa vtilissimè ischiadicis illinitur: si cum polenta, thure, myrrha, aut croco suffiatur, conceptionem adiuuat. Quæ postrema Cornarius aliter distinxit, vt ischiadicis cum aqua mulsa coctum, & addita polenta, aut myrrha, aut croco, aut thure impositum Lolium multùm prodesse velit: deinde ipsum solum suffiri, & non cum aliquo ex præcedentibus, quæ concoquendæ coxendicum affectionis gratia commodè in cataplasma Loliaceum admiscentur, ineptè verò ad suffitus adhibeantur. Sic enim vertit. Cum aqua mulsa coctum & impositum, coxendicum morbo laborantibus prodest, addita polenta aut myrrha, aut croco, aut thuræ. Idem suffitum conceptus adiuuat. Plinius de Aera & Lolio diuersis locis, tanquam de diuersis rebus agit: si quis tamen quæ de Aera & Lolio tradidit, cum Dioscoride conferat, comperiet ipsum de eadem re loqui. Lolium, inquit, & Tribulum, & carduum, Lappámque non minùs quàm Rubum, inter frugum morbos potius, quàm inter ipsius terræ pestes numerauerim: Et paulo post. Aera granum minimum est in cortice aculeato. Quum est in pane, celerrimè vertigines facit. Aiúntque in Græcia & Asia balneatores, cum velint turbam pellere, carbonibus id semen iniicere. Idem alibi. Aerina farina magis cæteris purgat vlcera vetera, & gangrænas: cum rhapha-no & sale & aceto lichenas: lepras cum sulphure viuo: & capitis dolores, cum adipe anserino imposita fronti. Strumas & panos concoquit cum fimo columbino, & lini semine decocta in vino. Et paulo post. Quin & ipsæ frugum pestes in aliquo sunt vsu. Infœlix dictum est à Vergilio Lolium. Hoc tamen mollitum, ex aceto coctum impositumq; sanat impetigines, celeriùs quo sæpius mutatum est. Medetur & podagræ, aliísq; doloribus cum Oxymelite (quæ sequũtur mendosa sunt in vulgatis codicibus.) Curatio hæc à cæteris differt. Aceti sextario vno dilui mellis vncias duas iustum est: ita temperatis sextariis tribus, decocta farina Loliis sextariis duobus vsque ad crassitudinem, calidúmque ipsum imponi dolentibus membris. Eadem farina extrahit ossa fracta: quæ sic emendat Cornarius ex vetere Codice. Ratio hæc. Aceti sextario vno diluuntur mellis vnciæ duæ. Iustum est ita temperatis sextariis tribus, decoctæ farinæ Lolij addere

In Hist. pl. cap. 44.

In ca. 93. li. 2. Dioscor.

Lib. 4. c. 39.

Lib. 2. c. 94. *Vires & Temper.*

Lib. 18. c. 17.

Li. 22. c. 25.

vsque

vsque ad crassitudinem, calidúmque ipsum imponi dolentibus mẽbris, & cætera. Ex his perspicuum est Plinium Æræ & Lolio eadem tribuere, quæ Dioscorides Lolio, quamuis Plinius neque integrè, neque distinctè medicamenta à Dioscoride præscripta expresserit. Galeno Lolium desiccat & calfacit efficaciter, vt propinquum sit acribus magis quàm Iris, sed non est perinde vt illa subtilis essentiæ. Verum in hoc multum deficit. Hoc statuto ponat quispiam ipsum in principio tertij ordinis excalfacientium, secundo verò extremo desiccantium. Panis in quo Lolium fuerit, stuporem quendam, & veluti temulentiam esitantibus parit cum inexpugnabili ferè somno. Quare incerniculis diligenter à Tritico, aliisque cerealibus seminibus separandum esse præcepit Galenus iis qui aliis seminibus salubriter vti volunt. Etenim, inquit, cum anni constitutio praua aliquando fuisset, Lolium Tritico affatim innasci contigit, quod neq; agricolæ accommodatis ad eam rem cribris, accuratè purgassent, neque pistores, quod paucus esset Tritici prouentus, statim quidem multis caput dolere cœpit: ineunte verò æstate, in cute multorum qui comederant, vlcera, aut aliud quoddam symptoma quod succorum prauitatem indicaret, est subsecutum. Dicitur & Lolium oculis officere. Vnde enigmate prouerbiali Lolio victitare dicuntur luscioſi, & cæcutientes, quos Græci, teste Nonio, Myopas vocant. Plautus.

Li.6. simpl.

Li.1. Alim.

In Milite.

A. Mirum est Lolio victitare te, tam vili Tritico (cum tam vile sit Triticum.)

Lib.1. Fast.

B. Quid iam? A. Quia luscioſus. Item Ouidius,

Et careant Loliis oculos vitiantibus agri.

VSTILAGO. CAP. XXV.

Nomina

RECENTIORIBVS Herbariis, vt Dodonæo, & Trago, vocatur Vstilago quæ ab agricolis Gallis *Brulure* dicitur, Germanis *Brant.* ἐρυσίβη Theophrasto, lib.8. Hist. cap.10. rubigo. Alij Carbunculationem vocant ex Plinio lib.17. cap.24. Est autem Vstilago frugũ præsertim spicatarum, morbus, & vitium, seu potius pestis, præsertim Auenæ. Hæc antequam spicam proferat, Auenæ maximè similis est, sed cum spica prodire incipit, frugiferæ loco spica nigra, retorrida, & veluti tota puluere obsita apparet. Sæpius in Auena reperitur, nonnunquam etiam in Tritico, Aprili maximè & Maio mensibus, quando solem ardentem improuisæ & subitæ excipiunt pluuiæ, sole continuo ardentiores radios spargente, cæliq; tempestas incõstans, modò nimbosa, modò serena feruensq; fuerit, qua cæli mutatione teneræ & lactentes adhuc spicæ humore madidæ à solis feruore corripiuntur, & ita aduruntur, vt nigrescant, ac inarescant, nec ad frugem peruenire possint. Eius frugum vitij, inquit Tragus, Plinius meminisse videtur his verbis. Est & aliud ex vicino Auenæ vitium, cum amplitudine inchoata granum, sed nondum matura, priusquam roboretur corpus, afflatu noxio cassum, vel, vt Turnebus legit, cascum, & inane in spica euanescit quodam abortu. Alij putant hoc segetum vitium nomine Rubiginis potius explicari. Cæleste frugum vinearúmque malum, nullo minus noxium, est Rubigo, inquit Plinius. Frequentissima hæc in roscido tractu, conuallibus, ac perflatum non habentibus. Contra carent ea ventosa, & excelsa. Gignit plenilunio. Theophrastus scribit,

Lib.4. c.17.
Lib.2. c.37.

VSTILAGO.

Ibidem. Cap.17. lib. 18.

qui

qui eundem morbum in Cicere peculiari vocabulo Sphaceliſmum nominat. Nullius eſt in medicina vſus, ad nocendum tantum nata.

TRITICVM VACCINVM, SIVE MELAMPYRVM, CAP. XXVI.

PLanta hæc hodie Triticum Vaccinum, & Triticum Bouinum vocatur, quia Vaccis pabulo grata & innoxia, Gallis *Blé de Vache*, ou *Blé de Beuf*, Germanis ſimiliter *Knueyſſen*, à nonnullis *Braunfleichblumen*. Id videtur eſſe quod Galenus Melampyrum vocari ait, id eſt nigrum Triticum, *Blé noir*, quod ex Tritici quoque mutatione generatur, ſed prauitate quamplurimùm à Lolio relinquitur. Theophraſtus Siculo Frumento Melampyrum proprium eſſe tradit, ſed id eſſe innoxium, nec ſicut Lolium graue, neque caput tentare. A Melampyro vero Dioſcoridis, quod etiã Myagrum appellatur, multum differt. Quibuſdam Stelephuros Plinij videtur eſſe Melampyrum de quo hîc agimus. Aliud rurſus ſpicatarũ genus, inquit, ex quo eſt Cinops, Alopecuros, Stelephuros, & Plantago quã quidã Ortyga vocant, ſic enim legendum. Hęc Plinius ex Theophraſto tranſtulit, cuius locus in publicis exemplaribus mendoſus, ſic corrigendus eſt: ϛαχυώδη μὲν οὖν ἔϛιν ὅ, τε κωνωψ καλούμενος, καὶ ἀλωπέκουρος, καὶ ϛελεφοῦρος, καὶ ἀρνόγλωσσον, ὑπ' ἐνίων καλούμενον ὄρτυγα πολεῖς ἔχων ἰδέας αὐτῶ. Id eſt, Spicatæ igitur ſunt, ea quam Cynopa nominant Alopecurus, Stelephurus, Plantago, quam Ortyga quidam vocant. Eius multæ ſunt ſpecies. Iſtud

Nomina

Li. 1. Alim.

Lib. 8. Hiſt. cap. 5.

Stelephuros. Lib. 22. c. 17.

Cap. 10. lib. 7. Hiſt.

TRITICVM Vaccinum.

Tritici vitium caulem gerit cubitalem, aut minorem, tres aut quatuor ramulos è lateribus prodeuntes, in quibus folia oblonga, anguſta, acuminata, nigricantia, ſpicas in ſummis caulibus latas, craſſas, aſpectu pulchras, florum & foliorum profundius inciſorum plenas, quæ ab imo paulatim ad ſummum flores emittũt, antequam dehiſcant, vna cum foliolis purpureo colore, eóque venuſto nitentes, qui cum emerſerint & aperti fuerint, coloris fiunt lutei, purpureo variati: iiſdem dilapſis folioła colorẽ purpureum in viridem mutant, & florum loco folliculi proueniunt lati, in quibus plurimùm ſemina Triticeis ſimilia, ſed minora, nigrioráque. Exit in aruis vna cum Tritico & Secale, læto potiſsimùm, pingui, ac reſtibili agro. Vna cum frugibus floret, & ad maturitatem peruenit. Theophraſto, Stelephuros ſimilis eſt Alopecuro, nempe ſimiliter ſpicata: verum particulatim floret, non vt Alopecuros, & Triticum, tota ſimul ſpica. Vtríque, ſicut & Tritico, flos lanuginoſus. Melampyri ſpecies alia hîc addenda ex Pena, quod perpuſillum luteum vocat, familiare Gallo prouinciæ ſegetibus. Dodrantem, aut ſeſquiunciam vix ſuperat: tota facies ſuperius refert, ſed flos illi luteus, foliáque altius diuiſa, Coronopo ſimiliora. Nec abſurdà hic appingemus plantam quam recẽtiores Melampyrum alterum vocant propter ſimilitudinem. Pena & Lobellius Cratæogonon (Herbam cerealem Melampyro affinem hîc intelligimus, non arborem, quæ Cratægos, Cratægon, & Cratæogonon, ſiue Cratægonum dicitur, de quâ in

Locus.

Tempus.

Sylua

MELAMPYRVM perpusillum luteum.

CRATÆOGONVM.

Sylua tractauimus)quod in syluosis collibus, decliuibus & vmbrosis Narbonæ, Angliæ,Sabaudiæ,Pedemontij passim occurrit, ramis aliquot cubitũ & sesquicubitum altis,geniculatis,in alas multas diuisis, Euphrasiæ modo, sed crassioribus & maioribus, quas totas ab imo ambiunt folia Melampyri,aut Linariæ. Flores in cacumine ex luteo herbacei, florum Melampyri figura, similiter vt in lutea Digitali digesti. Semen folliculo exiguo continetur, Milio simile, gustu acre,vt & folia siccata. Nulli quam huic conueniunt magis notæ Cratægoni à Dioscoride scriptæ. Traditum est à quibusdam,inquit,hoc si bibat, ieiuno ore, ter die,post menses purgatos,tribus obolis,in cyathis aquæ duobus mulier, ante conceptum quadraginta diebus, & vir similiter totidem diebus ante coitum hauriat,virilis sexus partum futurum. Cratægoni herbæ fructus, inquit Galenus,& acris est gustanti,& vtenti,admodum similis Milio.

GRAMEN, CAP. XXVII.

Nomina

ΑΓΡΩΣΤΙΣ Græcis,Gramen Latinis appellatur: ἄγρωστις ab agris qui Græcis ἄγροι nominantur. Gramen quod geniculatis internodiis mirificè serpat,à gradiendo,vel à gignendi fœcunditate.Siquidem crebro ab iis nouas spargit radices. Arabes *Vagem*, *Negen*, seu *Negien*,& *Negil* vocãt,Itali *Gramigna*,Galli *Grame*,& *Dent de chien*.Dioscorides tria Graminis genera facit.Gramen quod ἄγρωστις dicitur:id pro vulgari omnes accipiunt:Gramen arundinaceũ:καλαμάγρωστιν ille vocat,priore multo maius, quod iumenta necare traditur,præsertim circa Babylonem, idque iuxta vias nascens, tertium,Gramen Parnasiacum.Ad finem eius capitis addit nasci in Cilicia Gramen, quod incolæ Cinnam appellant. Plinius primum Gramẽ inter herbas vulgatissimum ponit:secundum Gramen Parnasi:deinde aculeatum Gramẽ, trium genetum.Primum cuius in cacumine aculei sunt plurimùm quini, Pantedactylon vocant.Alterum quod est Aizoo simile. Tertium genus, quod tenuius est,

Lib.4.c.28. *Genera*

Li.24. c.19.

nascitur

GRAMEN VVLGARE
Matthioli.

GRAMEN VVLGARE
Dalechampij.

naſcitur in parietinis,& tegulis.Tandem addit.Camelos autem necare traditur in Babylonis regione,id quod iuxta vias naſcitur. Hoc autem eſt quod καλαμάγρωστιν Dioſcorides vocauit.Gramen inquit Dioſcorides, geniculatis ſerpit ramulis,à quibus radices ſpargit dulces,articulis præcinctas:folia acuminata, dura,& vt arundinis paruæ lata, eáque iumenta & boues paſcunt.Id Gramen eſſe putat Matthiolus,cuius picturam hîc damus. Peritî tamen herbarij,aliud atque aliud Gramen pro vulgari exhibent.Primo igitur loco, vt dixi, Gramen Matthioli hîc poſitum eſt. Secundo Gramen Dalechampij,quod per terram ſerpit viticulis gracilibus,longis,geniculatis,ex articulorum nodis radiculas quæ terræ inhęrent protrudentibus : folio herbaceo,longo, anguſto:caulibus multis, dodrãte non altioribus,internodiis diſtinctis:ſpicato flore,rotundo,nigricante,quinque aut quatuor ſpicarum torulis conſtante.Dodonæi Gramen, Gallis *Dent de chien*,foliis,culmis,ac iuba paruæ Arundini haud multũ abſimile eſt. Folia ei ſunt anguſta, in acumen faſtigiata, Arundinis quidem foliis longe minora, pratenſis tamen Graminis duriora, ac maiora: culmi rotundi, ſeſquipedales, aut paulò longiores, quatuor aut quinque geniculis intercepti: iubam potius quàm ſpicam fert Milij, aut Arundinis ſimilitudine,minorem tamen, ac

Lib.4.c.28. *Forma.*

GRAMEN VVLGARE
Dodonæi.

Li.4.ca.44.

rariorem. Radicibus serpit longis, candidis, geniculatis, nodosis, gustu non ingratæ dulcedinis, sibi inuicem implicatis, quæ plurimis locis emicantes progerminant, foliaq; & caules proferunt. Nascitur potissimùm in aruis & agris frumentariis, tam frugum quàm agrorum vitium, ac pestis, agricolis ingratum: nam agro proscisso radices rastris eruunt, ac collectas exurunt: facile enim, licet semiaridæ, terra obrutæ reuiuiscunt, adeo pertinacis sunt vitæ. Floret id Gramen æstate cum frugibus: Autumno radices leguntur. Aliud vulgaris Graminis genus depinxit Fuschius, quod cauliculos è radicibus multos emittit, tenues, teretes, crebris geniculis cinctos, facile in terram, nisi vicinis fruticibus fulciantur, procumbentes: folia ex singulis geniculis bina, ex aduerso sita, angusta, oblonga, duriuscula, Graminis tamen breuiora. Flosculi è summis caulibus emicãt plurimi, singuli suis pediculis insidentes, candidi, ex aliquot exiguis & angustis foliolis congesti, Leucoij floribus minores, quibus folliculi succedunt oblongi, in quibus semen paruum, Milio simile: radices tenues, & geniculatæ, veluti Agrosteos serpunt. Dodonęus in frumentorũ Historia Gramen Leucanthemum appellat. Holostium est Ruellij, & Lutetianorum, fortasse etiam Lacunæ, Eufrasia Gramen, Tragi, Gramen alterũ Matthioli, Chamæcissos Oribasij Italis. Passim nascitur in vmbrosis locis, & dumetis, secus scrobes, & agrorum aggeres. Floret Maio, Iunio mensibus, interdũ serius. Plantam istam Dodonæus in Hist. Stirp. Cratæogonum, siue Cratæonum, siue Cratæum esse suspicatur, quod illi sit cum Cratæogono similitudo quædã, & à Germanis *Augentrost gras* vocari ait, id est Gramẽ corroborans oculos.

Locus.

Tempus.

3. Gram. Fusch. In Hist. pl. cap. 48.

GRAMEN LEVcanthemum.

Locus.

Tempus.

Lib. 4. c. 47. De frug. c. 83.

GRAMEN PRAtense vulgatius.

VVLGATVM GRAMEN Pratense, CAP. XXVIII.

GRAMEN peruulgatum, & vbiuis obuiũ, Gramen Pratense vocãt, *Herbe des Prés*, & absolutè *De l'herbe*, quasi omnium herbarum vulgatissima, exilioribus radicum cirris, seu capillamentis & creberrimis cespitem summũ tegens, & per humum perreptans, numeroso & densissimo foliorum Triticeorum stipatu, culmos pedem & cubitum altos erigens, tenues, geniculatos, læues, & spicas lanosas, sparsas, Arundinem vallatoriam imitantes. Eius semine vtuntur medici multi ad obstructiones

ctiones viſcerum, & calculum, potu, admouent ad diſcuſsionem pertinacium tumorum & flatuum. Gramen Arundinaceum, ſiue Calamagroſtis, inquit Dioſcorides, priore multo maius, quod iumenta necare traditur, præſertim in Babylone, iuxta vias naſcitur. Gramen iſtud fortaſſe nobis incognitum eſt: verumtamen de Calamagroſti inter paluſtres plantas dicetur. Gramen Arund.

GRAMEN PARNASI, CAP. XXIX.

GRamen quod in Parnaſo monte gignitur, denſiùs fruticat: foliis Hederaceis: flore odorato, candido: ſemine paruo, non inutili: radicibus quinis aut ſenis, digitali craſsitudine, cādidis, mollibus, & admodum dulcibus. Hanc Graminis ſpeciem à Iacobo Antonio Cortuſo ad ſe miſſam ſic expreſsit Matthiolus. Sed de eodem Gramine Parnaſi etiam vna cum paluſtribus aliis agemus. Cæterùm primùm trium aculeati Graminis genera, cuius in cacumine aculei ſunt plurimùm quini, quos conuolutos naribus inſerunt, extrahúntque ſanguinis ciendi gratia, Pentedactylon herbarij vocāt, Matthiolus eſſe putat Capriolam, ſupra deſcriptam, vel Sanguinellam, ſic dictam, quod eam pueri ludentes æſtate in nares immittant, vt ſanguinem eliciant. Nunc Graminis vulgaris vires haud vulgares explicemus. Trita radix illitu vulnera cōglutinat, inquit Dioſcorides. Decoctum eius in potu torminibus medetur, & vrinæ difficultatibus, & dyſenteriæ: calculoſa etiam veſicæ excrementa comminuit. Radix Graminis Galeno modicè eſt tum frigida, tum ſicca, ac proinde/ cruenta vlcera conglutinat. At herba ipſa primo exceſſu refrigerat, in humiditate verò & ſiccitate moderata. Porrò mordacitas & tenuitas quæ radici ineſt, exigua quidem eſt, ſed interdum tamen lapides frangere ſolet, ſi quis eam decoctam bibat. Semen imbecillum quidem eſt, eius verò quod in Parnaſo naſcitur, vrinam ciet, & fluxus ventris ac ſtomachi reſiccat: vis enim eius eſt exſiccatoria, tenuium partiū, & ſubacerba. Idem Paulus ſcribit Gramē Parnaſi, teſte Paulo, admodum vtile eſt. Siccat & modice refrigerat, eſtq; tenuium partium, & ſubacerbum: ideoq; cruenta vulnera glutinat. Decoctum eius calculos confringit. Succus radicis Graminis Parnaſi, autore Dioſcoride, ſi in vino cum melle pari, & myrrhæ dimidio decoquatur, adiiciantúrque piperis & thuris tertiæ portiones, probatiſsimum erit oculorum medicamentum. Id in ærea pixide reconditur. Decoctum radicis idem quod herba præſtat. Semen vehementiùs vrinam impellit: aluum vomitionéſque ſiſtit. Eadem propemodū omnia Plinius tradit, in quibuſdam diſſentiens. Gramine Parnaſi iumentis herba non alia gratior, inquit, ſiue viridis, ſiue in fœnum ſiccata, cum datur aſperſa aqua, vel, vt in manuſcripto legimus, tunditur aſperſa aqua. Succum quoque eius in Parnaſo excipi tradunt propter vbertatem. Dulcis enim hic eſt. In vicem eius in reliqua parte terrarum ſuccedit decoctum ad vulnera conglutinanda, quod & ipſa herba tuſa præſtat, tuetúrque ab inflāmationibus plagas. Decocto

Gramen Parnaſ.

In ca. 28. li. 4. Dioſcor.

Vires & Temper. Graminis Vulgaris. Lib. 4. c. 28.

Li. 6. ſimpl.

Lib. 7. Vires Gram. Parnaſ.

Li. 24. c. 19.

GRAMEN
Parnaſi.

adiicitur vinum ac mel : ab aliquibus & thuris & piperis, myrrhæq; tertiæ portiones. Rursusq; coquitur in æreo vase ad dentium dolores,& epiphoras.Radix decocta in vino torminibus medetur,& vrinæ difficultatibus, ac vlceribus vesicæ. Calculos frangit. Semen vehementiùs vrinam impellit. Aluũ vomitionesq; sistit.Priuatim autem draconum morsibus auxiliatur. Quod è graminum genere septem internodia habet, efficacissimè capiti contra dolores adalligatur. Quidam propter vesicæ cruciatus decoctum ex vino gramen ad dimidias,à balneis bibi iubent. Adiicit in fine Dioscorides, natum in Cilicia Gramen, quod incolæ Cinnam appellant,Boues inflammat, si eo virente sæpe pascantur: quæ aliter leguntur in vetusto quodam Codice:γεννᾶται δὲ ἐν κιλικίᾳ εἶδος ἕτερον, ὃν κίνναν ἐπιχωρίως καλοῦσιν, ὅτις ὑγρὰ βρωθεῖσα πολλάκις πίμπλησι τὰς βόας. Id est, Gignitur in Cilicia etiam species alia, quam vernaculo sermone appellant Cinnã, quæq; vorata crebro, atque viridis Boues replet:nato alterutris errore, quod illi πίμπρησιν,id est,inflammat,hi πίμπλησι legant sensu longe diuerso. In Sebusianorũ lacunis,stagnis,& pigris aquis Gramen nascitur,longissimis foliis,subrubris,innatantibus aquæ,quorum tam auidi sunt Boues, vt dum ea persequuntur, ad ventrem vsque se immergant,& toto capite sub aquam deiecto,ea depascantur: quo pabulo eximiè saginantur Boues,Vaccæ verò,lacte multo fœcũdiores sunt, quam in finitimis locis, exrra regionis illius palustrem situm. Gramen id Ciliciam Cinnam esse quidam putant.

GRAMINA ALIA, CAP. XXX.

PERMVLTA sunt & alia Graminum genera, quæ foliis angustis,longis, & gracilibus inter sese similia sunt, sed spicis siue iubis differunt. Radices omnibus fere tenues,plurimis fibratæ, capillamentis similes, paucissimis longæ, & serpentes. Nec omnia locis iisdem proueniunt. Quare nec eodem tractatu describi possunt. Quædam igitur aliis magis idoneis locis explicabuntur.Hic multa tamen potissimùm ex Dalechampij sententia,& obseruatione describentur, quæ etsi non omnia in Agris inter segetes nascantur,cognatione tamen quadam inter sese coniuncta,aptè disiungi non possunt.

GRAMEN MINImum Dalechampij.

Forma Graminis minimi.

Primùm erit Gramen minimum, quod est veluti gleba ampliuscula, rotunda, radiculis plurimis,breuibus,candidis:foliis digito non longioribus, teretibus, spica valde gracili, parua: flosculis rubris, Februario statim ad primam aëris temperiem exorientibus, sapore initio dulci, deinde amaro. Nascitur in aruis.

Forma Gr. Lanati.

Gramen Lanatum radiculis est satis multis,albis,superuacuis,gracilibus, breuibus: foliis quoque multis,herbaceis, culmo cubitali, sapore subdulci: flore Panico simili, rubente. Tota planta molli lanugine pubescit: quare manibus contrectantium blanditur, atque eam ob causam lanatus appellatur. In montium editorum & asperorum vdis & riguis pratis gignitur.Floret Maio mense.

Tempus.

Locus.

Forma Gr. Iuncei.

Gramen Iunceum radice est candida,dodrantali, ex innumeris tenuissimisq; fibris contexta, reticulum implicatum esse dixeris: foliis quamplurimis virentibus, rotundis Iunci modo quæ nominis imponendi causa fuit: culmis seu caulibus

GRAMEN LANATVM
Dalechampij.

GRAMEN IVNCEVM
Dalechampij.

caulibus multis, tenuibus, geniculatis, pauca folia emittentibus: flore Arundinaceo in paniculis purpurascentibus, gustu subdulci. In frigidis & aridis prouenit. Floret Maio. *Locus.* *Tempus.*

GRAMEN PRAtense Dalechampij.

Gramen Pratense radiculis abundat candidis, in vnum veluti cespitem coeuntibus, culmis multis, dodrantalibus, binis terníue geniculis distinctis, folio graminis, angustiore, molliore, viridiore: spica crassiuscula purpureis floribus eleganter ornata: folio quod ex vltimo geniculo prodit sic caulē obuoluēte, vt nō aperiatur, & vesicę speciē ostēdat. In humidis Pratis nascitur. Totius plātæ sapor dulcis est, & aquosus. Ad eadē valere aiunt, ad quæ Gramē officinarū cōmēdatur, sed inefficacius. Forma Gr. Pratens. *Locus.* *Vires.*

Gramini Anthoxantho eadem foliorum radicúmque species, quæ Gramini Pratensi, idem sapor, eadem facultas, vt non sine ratione quidam censuerint alterum marem esse, alterū fœminam. Sed his differūt, quod in hoc flos ex pallido flauescit, in altero rubet: in hoc flos glisceus nō obuoluitur folliculo vesicæ simili, vt in Gramine Pratēsi, sed nudus emicat: huius spica gracilior est & longior, in illo breuior, crassior, magis compressa. Cum gramine Pratensi in humidis pratis nascitur. Forma Antho. *Locus.*

Gramen Leucāthemum: radicibus multis nititur, valde exilibus, breuissimis, nigris: foliis multis, longis herbaceis, hispidis, latiusculis: caulibus cubitalibus: Forma Gr. Leuchāth.

GRAMEN *Anthoxanthon Dalechampij.*

GRAMEN *Leucanthemum Dalechampij.*

flore albo, copioſo, aceruatim congeſto, in paniculis tremulo, guſtu ſubdulci:

Locus. Dumetis ac montoſis locis familiare, in muſcoſo ſolo creſcit.

GRAMEN *Iſchæmon Plinij, ſiue Dactylon.*

Forma Iſchæm. Lib.25. c.8.

Locus.

Vires.

Lib.25. c.8.

Gramé Iſchæmõ à ſiſtẽdo ſanguine nomen inuenit: radicibus multis prodit tenuibus, cãdicantibus, in orbem reptatu ſeſe diffundentibus: foliis Milij, vt ſcripſit Plinius, aſperis, nonnihil lanuginoſis: caulibus multis, rotundis, geniculatis: flore in longis ſpicis, colore herbaceis, plerumq; quinis, aut ſeptenis, rarò quaternis. Vbiuis gignitur, præſertim in hortorum areis cũ aliis pleriſq; inutilibus herbis. Herba trita & admota efficaciſsimè profluentem ſanguinẽ ſiſtit, ſiue farciatur in nares, ſiue imponatur vulneribus. Floris aſperas ſpicas & in globũ cõuolutas pueri naribus indentes, & circũagentes, aliquãto poſt vellicatis naribus ſanguinẽ eliciũt, vt pro diuerſo vtendi modo herba hęc ſanguinẽ cohibeat & euocet. Id Gramen Plinij Iſchæmonẽ eſſe, tũ forma, tũ vires ipſius indicare videntur. Sic enim ſcribit Plinius. Iſchæmonẽ Thracia inuenit, qua ferunt ſanguinẽ ſiſti, non aperta modò vena, ſed etiã pręciſa. Serpit è terra Milio ſimilis, foliis aſperis & lanuginoſis, farcitur in nares. Quæ in Italia naſcitur, & ſanguinẽ eadẽ adalligata ſiſtit. Hæc Plinius. Anguillare, Canaria eſt Plinij. Galli crus Apuleio, cuius cacumen inſtar pedis galli diuiditur.

GRAM

GRAMEN Bulboſum Dalechampij.

GRAMEN Spicatum Dalechampij.

GRAMEN Hordeaceum, Holcus Plinij.

Gramẽ Bulboſum naſcitur ex radice plurimis bulbis coagmẽtata, ſubrubro cortice opertis, Aſcaloniæ cepæ bulbis exiguis non diſsimilibus, guſtu dulci & ſuaui, ex quibus innumeræ radiculæ valde tenues dependent reticulato penè textu. Folia huic ſunt Graminis, cauliculi dodrãtales: floreſ ſubrubri, valde parui, in denſis, & tanquam villoſis ſpicis. In parietum ſuperciliis, & aridorum locorum muſcoſis ceſpitibus prouenit. Eiſdẽ viribus præditum eſſe aiunt, quibus & gramen quotidianis medicorum remediis notum. Forma bulboſi. *Locus.* *Vires.*

Gramini ſpicato radix eſt parua, tenuibus fibris capillata, candicans: folia graminis, longiora, tactu duriuſcula, & quod mirum eſt, ac in aliis id genus plantis haud ſæpe reperitur, ſic nonnunquam articulata, vt alterum alteri inſertum eſſe videatur. Hæc quoquè lineis in longum ductis virgata ſunt. In ſummo caule ſpicarum denſius quàm in vllo alio graminis genere congeſtarum magnus numerus conſpicitur, quæ floſculos ſubrubros edunt. Quãob cauſam ſpicatum Gramen appellauerunt. In frigidorum montium pratis prouenit. Forma ſpicati. *Locus.*

Hordeaceum Gramen dictũ fuit, quod ſpicam gerat hordei ſpicæ ſimilem: eſt enim tanquam hordeũ ſylueſtre, radice parua, cãdida, fibrata, foliis graminis, eorũ etiam articulato coalitu, qualem in ſpicato Gramine ſuprà declarauimus, Forma hordeacei.

GRAMEN *Murorum*, *Dalechamp.*

GRAMEN *Polyanthes*, *Aegilops Plinij.*

Li. 27. c. 10. *Locus.*

GRAMEN *Filiceum*, *seu Polyanthes.*

Vires.

Forma Gra. muro.

Locus.

Forma Gra. Polya.

Locus.

Forma Gra. Filic.

insigne. Holcum esse Plinij quidem censent. Holcus, inquit, aristas habet in cacumine tenues, culmo, quale hordeum restibile. In agris sponte prouenit: Plinio vero Holcus in saxis nascitur siccis. Hæc, inquit Plinius, circa caput alligata, vel circa lacertũ, elicit è corpore aristas. Quidã ob id Aristidiam vocãt. Lobellius Hordei spõtanei spurij nomine pictum dedit.

Rustici Gramen Murorum pro vitio segetũ agnoscunt, quod circa Lugdunũ *Rue* vocant, alibi verò vt in agro Segusianorũ *Gurguet*. Reliquis supra descriptis simile est radice ac foliis, spicis diuersum, quas hordeo similes profert, multas, breues, ac velut in angustum contractas, aristísque breuissimis munitas, subflauas, florem pallidũ. Gramen hoc in parietinis, murorũ superciliis, ac tegulis nascitur, plerũque in segetibus.

Gramẽ Polyantes radice est sub nigra, breui, fibrata, foliis Graminis: flore in cacumine caulis copiosissimo, vnde ei nomen inditum, in iubam expãso, quæ plurimis laminulis lenticulæ similibus, squamatis, & tenui filo appensis coagmentatur: tã eleganti specie, vt ob eam pendulã & stridulã, cũ agitatur, flosculorum congeriem, puellæ, adolescentulíque libenter decerpant, & in sertorum delitias cogant, ac nectant. In siccaneis montium pratis gignitur.

Gramen sequens in asperis nascitur, radicularum fibris multis, tenuibus, candidis

candidis: caulibus ex vno cespite plurimis, nodosis, angulosis, pede non altioribus folio Graminis: flore in summis caulibus densissimo, imparibus spatiis prodeunte, herbaceo, oblongo, acuminato, foliolis maris filicis omnino simili, vt si quis seorsum à planta videat, foliola filicis nuper nata esse putet. Quam ob causam alij filiceũ, alij à florum copia Polyãthes secundum vocauerunt.

GRAMEN
Nodosum.

Gramen nodosum.

Diuersum ab hoc est, tametsi cognatũ videatur Gramen nodosum, in vliginosis & pinguibus agris nascens, radice geniculatis flagellis latè dispersa, radiculis multis fibrata: foliis Graminis vulgaris: Caulibus multis, flore in panicula comosa. Caules quâ è radice prodeunt, nodis sunt multis tuberosi, aliis super alios positis, hiemis initio grandioribus postquam flos emarcuit, & incipiunt arescere folia: carnosa pulpa bulbosis, rotundis, cõpressis, stipatis. Aratro proscissa terra in agris ea iacent, vel rostro suffossa terra, à porcis eruuntur, & manduntur, illis mirificè expetita: saporis amari, & acerbi, qualis est in glandibus. Valentius obstructiones expedire, & vrinam ciere aiunt, quàm vulgare.

Forma Graminis nemorum.

Gramen nemorũ radice est innumeris fibris contexta, candicãtibus, tenuissimis: foliis graminis circa radicem multis, in caulibus, paucis, & qua ex caulibus oriũtur densiùs villosis. Caules multi eriguntur dodrãtales: flos

GRAMEN *Nemorum*
Dalechamp.

GRAMEN *Glumosum*
Dalechamp.

paruus

paruus eſt, copioſus, è flauo nigreſcens, & ex longiuſculis pediculis dependens.
Locus. Holoſtio Matthioli planta hæc abſimilis non eſt. In aridis, perflatis, & apricis nemoribus naſcitur.

Forma Glumoſi. Gramen Glumoſum radice, foliiſque multis graminum generibus non eſt diſsimile: ſed hac peculiari nota diſcrepat, quod ſpicas denſiſsimis glumarum grandium ordinibus ſtipatas edat, quā ob cauſam glumoſum nominatum eſt. In agris lætis naſcitur.

GRAMEN Aureum
Dalechamp.

Locus.

Forma Gramin. Aurei. Gramen Aureum radicibus multis nititur, nigricantibus, huc illuc vagis. Folia huic ſunt plurima, Gramini ſimilia, valde lōga: caulis cubitalis, geniculatis: flos in ſpicis pendulus, planè aureus, vnde aureum cognominarunt. In ſitientibus & ſquallidis locis prouenit.

Locus.

Forma Gram. Tomēt. Gramen Tomētoſum radice nititur brachiali, candida, fibratáque. Culmus huic eſt pedalis, geniculatus: folium Graminis, longius aliquātò, & latius: ſpica denſa in cacumine, oblonga, coloris candidiſsimi, tomento lanuginoſa, ad contactum molliſsimo, ſuauiſsimóque, rufis punctis maculoſa. Alopecuros vera Plinij eſſe videtur, quæ ex ſpicatarum, inquit, eſt genere: habet enim ſpicam mollem & lanugine denſam, non diſsimilem vulpium caudis, vnde ei nomen: quæ cui plantæ aptius quàm iſti poſſunt competere. Quod ſi & λαγώπυρος Hippocratis eſſe dicatur? Sic enim ſcribit. Πλυροῖ ὃ

Alopecur.

Lagopyrus In li. devic.

GRAMEN Tomentoſum,
Alopecuros, vera Plinij,
& Theophra.

μάλιστα τὰ κοίλα τὰ καθαρὰ, ποίη ἡ λαγώπυρος ὄνομα. ἔστι ὃ πύροισιν ὁμοίη ὅταν ἀναίνηται. μικρὸν τὸ φύλλον ὥσπερ καὶ τὸ τῆς ἐλαίας, καὶ μακρότερον. Ideſt maximè autem replet caua pura herba Lagopyrus nomine. Eſt autem Tritico ſimilis cum areſcit, folio paruo velut olea, ſed longiore. In vulgatis tamen codicibus πλύροισιν ὁμοίη, ideſt furfuribus ſimilis legitur.

In Hiſtor. Frugum. Alopecuros Alia à Dodon. ponitur, geniculatis culmis, foliiſque, frumentaceis ſimilis, niſi quod culmos breuiores habet, foliáque minora & anguſtiora. Spicæ eius nec acutæ, nec ariſtatæ ſunt, ſed molles, hirſutæ, lanugine obductæ, haud diſsimiles vulpium caudis. Naſcitur in aruis vnà cum frugibus.

Locus.
Forma gra minis Trigloc. Gramen Triglochin hîc depictum in aridis prouenit: radiculis tenuibus fibratum, multis, breuibus: folio graminis numeroſo, palmum longo, anguſto, gracili: caule pedali, nonnunquam proceriore, virgato, enodi, minimè folioſo: flore ſubluteo, inæqualiter per ſuperiorem caulis partem diſpoſito: fructu telum figura imitante, inuerſis & deorſum ſpectātibus cuſpidi

ALOPECVROS Dodonæi.

GRAMEN Triglochin, seu Vermiculatum Dalech.

GRAMEN Pinnatum Dalechampij.

cuſpidibus duabus, tertia ſurſum erecta minax. Qua de cauſa Triglochina cognominarunt.

Gramen Pinnatum radices multas habet, te- Form. gra. Pinnati.
nues, candidas, folia graminis, longa, tenuia, in acutum deſinentia, numeroſa: caules quoque multos, nullum edentes florem, ſed cum ad iuſtam magnitudinem creuerint, & ſolis ardore exareſcere cœperint, in Pinnas ſeſe illi diuidunt longas, ſubtiliſsimis hinc inde villis capillatas plumarum inſtar, quas ex ardeolis vulſas ornatus gratia, galeis ſuis criſtacum vice milites affigunt, durante etiam per hiemem totam ea venuſtate, vt propterea quidam compoſitos ex iis faſciculos reponāt, domíque ſeruent. In aridiſſimis tumulis, apricis, lapidoſiſque prouenit. *Locus.*

Eſt & Graminibus & Alopecuro Dodonæi Alopecu. Graminea.
nuper deſcriptæ affinis herba hîc depicta Alopecuros graminea, radice tenui, exiles fibras huc illuc mittente, ſubalba: cauliculis multis, dodrantalibus: folio graminis longiuſculo, acuminato: ſpica caudæ vulpis ſimili in ſummis cauliculis emicante, turbinata: flore puſillo, rubro, copioſo: ſapor qualis graminis. In maritimis naſcitur. *Locus.*

Gramen Echinatum radicibus multis nititur, gracilibus candicantibus cauliculis ex vno ceſpite multis, huc illuc diffuſis: folio arundinaceo, minore: capitulis in ſummo caule oblongis, tactu ſic aſperis vt echinati videantur: ſemine Form. gra. Echinati.

minutu

ALOPECVROS
Graminea Dalech.

GRAMEN *Echinatum*
Dalechampij.

minutulo, candido, gluma obuoluto. Sapor totius plantæ ex fatuo ſubdulcis.
Locus. Naſcitur ad ripas Ararcs. Omnia hæc graminum genera iiſdem fere viribus pollere videntur. Hoc guſtus in omnibus idem indicare videri poteſt. Tamen vnius tantum quod Dentem caninum vocant, ſuperiore capite deſcripti, in officinis vſus eſt.

GRAMEN *Exile.*



Tot Graminibus quædam alia adnumerabimus à Lobellio & Pena obſeruata, & picta. Primũ eſt vulgatius Pratẽſe, de quo diximus capite ſuperiore. Alterum exile durius, foliolis iunceis vnciam & ſeſquunciam altis, ex puſilla radice, capillamentis crebris compacta, paniculа & ſemine aceroſis, durioribus, pecori minus gratis. Oritur in ſabuletis, ericetis, & ſqualliдo aridioríque agro Galliæ, Angliæ, Germaniæ & Belgij. Aliud minimum quod in ſabuletis ſquallidis, & vinetis glareoſis Narbonæ ſæpius viſitur, perpuſilla radice, capillacea, alba: calamis paruis, etiam capillamento ſimilibus, elegãti purpura nitentibus, vt in Iſchæmo, ſed ſpica molliore, latiore, ſericea, ſpecioſa. Eſt & aliud Typhinum: iiſdem quibus exile durius, natalibus gaudet, ſed maritimis: radix puſilla, capillacea: caulis dodrantalis, & pedalis. Aliud etiam Cyperoides ſic cognominatum à radice mutuo cohæſu ſibi ipſi implicata, & longius protenſa, cyperi longi modo, vt ab aliis ſecernatur. Folia habet pedem longa, Algæ marinæ quadan

GRAMEN Minimum.

GRAMEN Typhinum.

quadantenus ſimilia, in cauliculo dodrantali aut pedali, faſtigia exigua, vnciam & ſeſquiunciam longa, aceroſa Graminis Typhini ritu. Addit his Lobellius perelegans Graminis genus Cluſij quod is in nonnullis Hiſpaniæ locis aridis & ſabuloſis Mompelii que vidit, atque etiam in Lutetiano agro, vbi à ruſticis non *Dent de Chien*, vt vulgatum Gramen, ſed *Amourettes*, nominatur, fortaſſe ob paniculorum elegantiam: Lobellius Panniculoſum Phalarioides appellat. Id ſupra deſcripſimus ex Dalechampio, qui Gramen Filiceum ſeu Polyanthes ſecūdum nuncupauit. Gramen caninum medicatum quod vocant, ex Dodonæo deſcripſimus, cum aliquot aliorum Graminibus vulgatioribus. Id quod in magna Europæ parte vſitatum, præſertim per Hiſpanias, & Gallias, ex Cluſio depinxit Lobellius, ſuperiore capite expreſsimus, ſuntque elapſi decem & plures anni, ex quo à Dalechampio Graminis vulgaris nomine pictum, latius ſerpendo propagatum, repræſentauimus. Hoc Gramine nihil vulgatius per Hiſpaniam & Galliam, in agris, vinetis, atque etiā in maritimis, vbi multo lætius atque vegetius prouenit, adeò vt maximo Gramini marino arūdinaceo planta congener eſſe videatur. Itaque perappoſitè dixit Lobellius Gramen hoc medium quiddam eſſe & cognatum cum Iſchæmo vulgari, & canino Gramine. Hoc enim effigie & forma cum radice, tum foliis refert, illud comoſa digitatim ſparſa florū iuba. Ejuſdem cū canino Gramine

GRAMEN Cyperoides.

generis,facultatis,& vſus,Hiſpanis,Gallis, Narbonenſibus,& cæteris francigenis, à quibus *Dent de Chien* appellatur. Semen aceroſum , ſcabrum. In Narbonæ maritimis radicum forma & magnitudine adeo ad Harundinem vallatoriam accedit, vt eadem videatur. Canino gramini in omnibus prorſus ſimile eſt Gramen bulloſum , nodoſum , niſi quod rotunda tubercula, veluti Glandulas teretes, guſtu dulces, radicum anfractibus hærentes habet, quibus illud caret. Iiſdem temperamento & viribus, quibus Caninum officinarum, pollet. Rarius eſt,& pleriſque Europæ regionibus minus vſitatum , in Luſitaniæ finitimis aruis & ſegetibus , atque etiam in Sabaudia & Anglia copioſiſsimum , vbi idem efficaciſsimum experiuntur medici. Id ex Pena hîc appinximus. Idem Calamagroſtim deſcripſit, ideſt Harundinaceum Gramen, ſic dictum quod mediæ ſit inter Harundinem & Gramẽ figuræ,& naturę, Lobellius verò pinxit.Canino gramine Maius ideſt,calamis & foliis rigidiorib⁹, ſcabris, quibus ad Harundinem vallatoriam non parum accedit,radice geniculata, alba , prolixiore, & longius ſerpente,compreſsiore tamẽ , & craſſiore,CaninoGramini ſimili,ſed vallatorię radicem æquante: ſpicata Melicæ & comoſa lanugine : à nobis *Leche* dicitur. Aptè Babylonio quadrare videtur Penæ:neque enim veterina,

GRAMEN Bulloſum, nodoſum.

CALAMAGROSTIS Lobellij, vulgo Leche.

GRAMEN Sulcatum.

neque

neque greges aliæ eo veſcuntur, niſi multũ eſuriant, & magna melioris alimẽti penuria laborẽt, non ſolùm quod ingratiſsimum ſit & aridum, ſed etiam quod ſitim, tabem & maciem inuehere credatur, linguam & œſophagum vulneret, & conſtringat, ſanguinem in ventriculum eliciat, vnde tumor, inflammatio, & mors plerumque. Quod ſi Babylone fuit enatum, vbi hanc perniciem adferre creditur, ſiccius ac rigidius, grex verò imbecillior, & aluo duriore, nihil mirum illius eſu pecora enecari. Sic enim videas nonnunquam animalium labra, & fauces cruore manantia, & ſauciata, quæ cum alio pabulo per fœniſecia, huius aut ſimilis harundinacea folia eſitarint. Aliud præterea Gramen exhibuit Pena, quod ſulcatum vel ſtriatum album nuncupat. In ſyluoſis & montoſis Sabaudiæ & Allobrogum ſponte naſcitur, colitur aũt in Belgio & Anglia, Milij potius foliis, ſed vt Arũ dinis vallatoriæ, rigidis, mucronatis: longitudinẽ mediam glaucã multæ candidæ venæ, vel lineæ argenteæ inſigniunt: culmos panici ſylueſtris, vel canini graminis erigit. Radix puſilla eſt, fibrata, alba, Pratenſis graminis.

GRAMEN Aculeatum Matthioli.

Inter paluſtres de Gramine Aculeato nos agemus, cuius hiſtoria Plinij verbis apprimè cõuenit: hoc autem loco Graminis hiſtoriam, quod aculeatum eſſe putat vir dignus omni laude Matthiolus, explicabimus. Eius radix obliquè progreditur, craſſiuſcula, villoſa fibris, non altè defixa: caules multi, virgati, dodrantales, aliquando proceriores, è quibus ſurculi multi naſcuntur, in dextram ac ſiniſtrã protenſi, folio, tanquam glumo quodam obuoluti vſque ad aculeorum exortum vbi à pediculo diuaricantur. In ſummis ſurculis extant aculei tres, inſtar foliorum Trifolij diuiſi, ima parte craſsiuſculi, acuminati ſumma quorum in medio floſculi emergunt, numeroſi, velut in globulum ſtipati.

Form. gra. Aculeati.

BVPLEVRON, *CAP. XXXI.*

PRo Bupleuro plantam iſtam depinxit Dodonçus, foliis longis, anguſtis, maioribus & latioribus folio graminis, cæterùm haud abſimilibus. Caules ternos, quaternóſue pedes alti ſunt, aut maiores, rotundi, recti, ſpiſsi, frequẽtibus geniculis diſtincti, ſurculoſi multis ramulis, in quorum faſtigio muſcaria luteis floribus ornantur: his ſemen oblongum ſuccreſcit. Floret, & ſemen profert Iulio & Auguſto mẽſibus. Olim in herbarum ſponte naſcentium numero habebatur, nunc in hortis colitur ab herbariis Bupleuron inquit Plinius, in ſponte naſcentium Olerum numero Græci habent, caule cubitali, foliis multis, longíſque, capite anethi, laudatum in cibis ab Hippocrate, in medicina à Glaucone, & Nicandro. Semen contra ſerpentes valet. Folia ad ſecundas fœminarum, vel ſuccum ex vino illinunt, & ſtrumis folia cum ſale ex vino. Radix contra ſerpentes datur in vino, & vrinæ ciendæ. Bupleuri ſemen ad ictus ſerpentium dari reperio, foueríque plagas decocta ea herba adiectis foliis Mori, aut Origani. Quidam ammi vulgare Bu-

Lib. 4. c. 48. *Forma.*

Locus & Temper.

Li. 22. c. 22.

Vſus & Vires

BVPLEVRON
Dodonæi.

BVPLEVRON ALTERVM
Latifolium Lobell.

pleuron esse volunt Officinæ Monspelienses Auriculam leporis vocant hanc, vel eam quæ non procul Gramuntia silua prope Monspelium frequentior reperitur, planéque eadem est cum superiore natalibus, figura, viribus, vmbellis & floribus: folio alioqui latiore, rigidiore, latiusculo in medio, & supernè in angustum desinente, nonnihil concauo aut inflexo. Vnde auriculam leporinam vocarunt: Lutetiæ nunc Gratiam Dei, nunc Elaphoboscum. Quidam Bupreſtin Plinij.

CYANVS, CAP. XXXII.

Nomina

Lib.21.cap. 8.& 11. Ibidem.

Li.22.c.25.

CYANVS Plinio dicitur, qui à recentioribus Baptisecula, vel Blaptisecula, vel Batisocele. Cyanus à flore cæruleo. In nomine est Cyani color, inquit Plinius, qui honorem, noménque dederit Cœruleo. Blaptisecula, inquit Ruellius, quoniam secantibus & metentibus obniciat, retusa in occursu eius falce: nam & Seculam veteres falcem dixerunt. Galli *Aubifoin* appellant, *Blauet* & *Bluet*, à summa cærulei coloris gratia quem *Bleu*, appellant, Itali *Fior Campese*, Germani *Kornblumen*. Cyani duo reperiuntur genera, Maius & minus. Cyanus minor caules edit bicubitales, lanuginosos, angulosos, in quibus folia angusta, villosa, in cinereo albicantia, rarioribus incisuris veluti dentibus, siue barbulis quibusdam diuisa. Caules in cacumine calices siue capitula quędam rotunda, scabra, & squamosa proferunt, ex quibus venusti flores cærulei emicant, quinis senisue foliolis in ambitu crenatis constantes, quibus pereuntibus semen oblongum veluti lana obuolutum prouenit, radicem vnicam habet, sed fibratam. Cyanus maior latioribus prouenit foliis, candidioribus, villosioribus, non insectis. Vegetiores quoque caules edit, ac candidiores sed minores: in vertice flores quoque ex scabris calicibus, sed maiores

Genera.

Forma

CYANVS MINOR.

CYANVS MAIOR.

iores, & patentiores: ſemen etiam ſimile. Cyanus minor in campis inter ſegetes Maio & Iunio menſibus copioſè prouenit. Aliquando tamen in hortis colitur ob coloris venuſtatem. Floréque interdum niueo, & in rubro purpureo reperitur: fortaſſe cultus adulterio colorem permutante, alioqui flos cæruleo ſemper nitet conſpectu. Cyanus maior in montibus frequentiùs naſcitur quàm in *Locus.*

CYANVS SVPINVS.

CYANVS REPENS.

campestribus. In hortis etiam seritur, & in cæruleo rubros, nonnunquam purpureos fert flores. Cyani vires nullus veterum literis mandauit. Tamen Placentinus ex quorumdam opinione, qui Cyanum propria facultate pestilentibus morbis aduersari prodiderunt, suo de Cichorea serapio, quod ad febres pestilentes maximè commendauit, Cyanum admiscuit. Maioris Cyani puluis datur vtiliter ab alto deuolutis, & sanguinem reiicientibus, ex aqua plantaginis, aut equiseti, aut maioris symphyti. Succus illitus recētia vulnera glutinat, & oris vlcera sanat, vtriusque folia, siue semē ex vino decocta & hausta auxiliātur à scorpione phalangióq; ictis, quinetiā venenis omnibus resistūt. Succus illitus oculorum inflammationes tollit. Idem præstat aqua ex herba destillata. Est enim Cyanus auctore Dodonæo, temperamento frigido ac sicco. Flos rusticorum coronis quamquam inodorus inseritur, tum ob speciei formam, tum ob coloris gratiā. Ad Cyanū plantas duas refert Lobellius hîc appictas. Prior sub Seseleos pratēsis ramulis ad Sellā nouā, & in aliis agri Monspelienſis locis reptando latitat, foliolis oblongis, angustis, Lauandulæ, rigidis, in cauliculis gracilibus, sarmentosis, palmaribus, pedalibus & sesquipedalibus, quorum singulis fastigiis singuli flores laceæ, obsoleta purpura, ex capitulis squamosis. Radix digitum paruum æquat. Tota planta gustu est amarissimo, & ingrato. Hæc ex Pena. Alter est Cyanus repens, superiori non absimilis, sed exilioribus multo foliolis, & candicantibus capitulis argentei nitoris.

Matthi. in ca. 125. li. 2. Dioscor.

Vires.

Li. 2. ca. 11.

PSEVDOMELANTIVM, CAP. XXXIII.

Nomina
Lib. 2. c. 111. Lib. 7. Hist. cap. 9.

Forma.

PLANTA hîc depicta quæ sponte inter segetes passim nascitur, Ruellio ἄνθεμον φυλλῶδες dicitur, idest Anthemum folioſum Theophr. Theodorus folioſam Nigellam vocat. A quibusdā Gitthago, & Nigellastrum nominatur, ab aliis Pseudomelantium, ab Italis *Gittone*, à Gallis *Nielle vulgaire*, à Germanis *Raden*, & *Grasraden*. Caules emittit rectos, graciles, villoſos: folia longa, angusta, hirsuta, cinerea: flores è rubro purpurascentes, in quinque foliola diuisos, quibus in coronamentis vtimur: deinde siliquas, in quibus semen. Æstate floret. Alij plantam istam Melanthium syluestre, alij syluestrem Lychnidem coronariam esse putant, quibus assentiendum non est, vt suis locis dicetur: multo minus Fuchsio, qui pro Lolio eādam depinxit, ac descripsit. Quare vehementer errant qui Lolij vice ea vtuntur. Recentiores, vt testatur Fuchsius, Pseudomelanthium mirificè in sanandis impetiginibus, aliisque scabiei generibus commendant. Item in vulneribus glutinandis, ac fistulis curandis compescendóque sanguine eius vsum esse tradunt.

PAPAVER RHOEAS, CAP. XXXIIII.

GRÆCIS μήκων ῥοιὰς, id est, fluidum Papauer, à flore qui protinus ei decidit, Plinio erraticum dicitur, Officinis Papauer rubrum, Gallis *Confanons*, *Ponceau*, & *Coqueliquoc*, Germanis *Klappenroſen*, Hiſpanis *Amapolas*, *Roſella*, *Papolas*, Italis *Papauero ſaluatico roſſo*. Folia habet, auctore Dioſcoride, Erucę aut Cichorio ſimilia, inciſa, ſed longiora & aſpera: caulem lanuginoſum, rectum, aſperum, cubitalem: florem Puniceum, quandoque etiam album, ſylueſtris Anemones, caput oblongum, minus tamen quàm Anemone: ſemen rufum, radicem oblongam, ſubalbam, minoris digiti craſſitudine, amaram. Naſcitur in aruis & ſegetibus paſsim. Vere & æſtate dum frumento rũ meſſis appetit, floret, quo etiam tempore decerpitur. Tertiũ Papaueris genus Rhoeam Græci vocant, inquit Plinius, id noſtri erraticum. Sponte quidem, ſed in aruis cum Hordeo naſcitur, Erucæ ſimile, cubitali altitudine, flore rufo & protinus deciduo, vnde & nomen à Græcis accepit. Idem rurſus, inter ſatiua (Papauera, ſub.) & ſylueſtria mediũ genus, quoniam in aruis, ſed ſponte naſceretur, Rhoeam vocauimus, & erraticum. Hic pro Rhoeada Rhoeam dixit. Dodonæus & Fuſchius duplex huius pinxerunt genus. Vnum maius, foliis Erucæ, aut Burſæ paſtoris, alterum minus, foliis Cichorij, toto ambitu crenatis, alioqui caulibus, floribus & cauliculis priori ſimillimis. Nihil iſtis frequentius in ſegetibus. Papaueris Rhoeadis quinque, ſéxue capita, inquit Dioſcorides, cum tribus vini cyathis decocta, donec ad duos reducantur, potui dabis quibus ſomnum accerſere volueris. Semen acetabuli menſura cum aqua mulſa potum aluum leniter emollit. Ad idem præſtandum mellitis & dulciariis immiſcetur. Folia cum calicibus illita inflammationes ſanant. Eorundem perfuſione & fotu ſomnus allicitur. Aluum, inquit Plinius, exinaniunt capita quinque, decocta in vini tribus heminis, pota, & ſomnum faciunt. Galenus ſemen validius refrigerare ſcribit, ita vt nequaquam eo quis innoxiè ſolo vti poſsit, veluti ſatiuo, melli admiſcens. Admodum vero ſi ita ſumptum ſit, ſomnum conciliat. Sed & puſillum eius inſpergunt iis, quæ ex melle conficiuntur bellariis, placentis, & panibus. His addunt recentiores ſacro igni mederi, mulierum menſtrua profluuia compeſcere,

Nomina

Forma

Locus.

Tempus.

Lib.19. c.8.

Lib.20.c.19

Lib.3.ca.81. Cap.194.

Vires.

Lib.4.c.59.

Li.7.ſimpl.

PAPAVER
Rhoeas prius.

PAPAVER
Rhoeas minus.

ſanguinem è naribus fluentem vlceri impoſitum ſiſtere : lingua ex decocta eius lota ardorem faucium ſanari : pudendorum tumores eodem detumeſcere : temporibus illitum phreniticis ſomnum conciliare : dolores oculorum à caliditate, linteo impoſitum mitigare.

ARGEMONE, CAP. XXXV.

Argemone Tragi.

Nomina

Lib.2.c.173. *Forma.*

Locus.

Li.6.ſimpl. *Vires.* Lib.1.c.38.

VÆ Græcis ἀργεμώνη, Latinis Argemone, & Plinio Argemonia dicitur, quòd argema & nubeculas oculorũ diſsipet, planta, auctore Dioſcoride, in totum Papaueri ſylueſtri ſimilis. Folia habet Anemones, diuiſa, florem puniceum, caput ſimile Papaueri Rhoeadi, ſed oblongius, & latum ſummis partibus, radicem rotundam. Succum emittit crocei coloris, acrem, & acutum. Naſcitur in aruis apud nos. Noſtri tria genera eius faciunt, & id demum probant, cuius radix thus redolet. Galenus huius herbæ facultatem abſterſoriam eſſe tradit, & digerentem. Tragus pro Argemone pinxit, quod Papauer Rhoeada minus, Fuſchius & Dodonæus vocarunt, & maiorẽ Argemonem nuncupauit ille, minorem verò maiori conſimilem eſſe ait, ſed caule, radice, herba, flore, capitulo per omnia exilioribus, foliolis admodũ laciniatis. Flos illius exiguus

ARGEMONE
Capitulo longiore.

ARGEMONE MINOR
Capitulis breuioribus.

quaternis

quaternis quoque foliolis constat, capitulum habet longius quàm prior. Principio Maij semper floret, nec facile vbiuis locorum inuenitur. Gaudet segetibus Triticeis, Siligineis & Hordeaceis. Hanc Hypecoum esse Matthioli non sine ratione quidam suspicantur. Argemones sane duplex est ex capitulis differentia. Vtráque Papaueris Rhoeadis primo intuitu figuram præ se fert: in Angliæ Sommersæti & Gallobelgij segetibus radicem, florem, & folia hirsuta in caule pedali & sesquipedali gignit: flores punicei sunt, flore Papaueris Rhoeadis minores, decidui. Sed minori, quæ perperam Anemone minor à Pena dicitur, capitula Rhoeadis angustiora, longiora & hispida, sine codio. Maiori verò echinata & hispida, sed glomerata, & torulis canulata, in cuius vertice specimen quoddam capituli aut codij relinquit. Vtriq; semen Papaueris Rhoeadis minus.

LAGOPVS, CAP. XXXVI.

LAGOPI Historiam tam paucis perstrinxit Dioscorides, vt ex eius verbis quisnam verus sit veterum Lagopus intelligere vix quisquam possit. Tamen Dodonæus, Fuschius, Germanorum vulgus, & tota propemodum herbariorum familia plantam hîc depictam pro Lagopo proponunt, ab hirsuta spica Leporino pedi, haud absimili sic nuncupatam. Latinè Pes Leporis dicitur, à nonnullis Leporis cuminum, & Trifoliũ humile, Gallicè *Pied de Lieure*, Germanicè *Hasenfischz*, siue *Katzenkler*. Lagopyron vocauit Hippocrates, vt diximus cap. de Gramine, quod inter Triticeas se- Lib. 4. c. 42. In Hist. pl. cap. 187.

LAGOPVS VVLgaris Matthioli.

LAGOPVS VVLgaris Fuschij.

getes nasceretur, quasi Leporinum Triticum. Lagopus iste caules habet rotundos, hirsutos: folia Trifolio vulgari similia, oblonga: semen in Paniculis paruis, muscosis lanuginosisq;, Leporino pedi similibus admodum, cui non obscura adstringendi vis inest. Nascitur Lagopus in segetibus, etiam Plinio auctore, ἐν τραγοσιτοῖς, inquit Dioscorides, id est, in Hortorũ areis, vt quidã interpretantur, Corna

Forma.

Locus. Lib. 26. c. 8.

Cornarius vertit in ſulcis. Nec diſſenſio in eo eſt, inquit, quod hic in ſulcis, ille in ſegetibus naſci dixit, cum ſint ſulci, id eſt πρασιαὶ ipſius ſegetis. Iulio & Auguſto menſibus potiſsimum apparet. Ex his facile eſt coniectari plantam iſtam in aruis inter ſegetes frequentem vniuerſæ Europæ vulgatam, eſſe genuinũ Lagopum antiquorum. Huic opinioni ſuffragatur & facultas. Lagopus herba, vt ſcribit Dioſcorides, ſiſtit aluum in vino pota: aut in febre ex aqua. Eadem inguini alligatur in inflammatione: ita fere ad verbum. Lagopus Plinio ſiſtit aluum è vino pota, aut in febre ex aqua. Eadem inguini alligatur in tumore: quæ ex Dioſcoride ad verbum ferè citantur. Galenus Lagopum facultatis eſſe deſiccantis tradit, adeo vt fluxus alui probè exſiccet. Ex his conſtat, inquit Fuſchius, herbam hîc depictam eſſe Lagopum, ſi quidem, & nomen & forma aptiſſimè illi reſpondent. Locus etiam conuenit, nec facultas abhorret, quod illi eſt adſtrictoria, & exſiccans. His omnibus accedunt vires: vulgo enim omnes hac planta in dyſenteria & alui profluuio vtuntur. Eadem de herbæ huius viribus prædicat etiam Matthiolus. Dantur, inquit, Lagopi huiuſce folia, quinetiam Paniculæ & ſemen in farinam trita contra diſenteriam, & cæteras alui fluxiones, contra bilioſas reiectiones, & cœliacos affectus ex vino auſtero, aut ſucco Punici mali. Totius plantæ decoctũ additis Maluæ foliis, è dulci vino paratum, datur vtiliter ad veſicæ morbos, præſertim ad vrinæ ardores. Semen auxiliatur cruenta expuentibus: Panicularum cinis illitus hæmorroidas fluentes ſiſtit. Sunt qui iiſdem vtantur ad abſtergendam dyſentericorum ſedem, putantes inde fluxionem cohiberi. Hanc tamen herbam legitimum eſſe Dioſcoridis Lagopũ Matth. non affirmat. Pena non parũ adſtrictionis ſemini ineſſe ait, ſiccitatis verò tantum, vt mirũ ſeminis profluuio laborãtibus præſtet præſidium. Quare in vlceribus cauis, ſed iam deterſis & mundatis, non dubium quin carnem gignat, & cicatricem acceleret, vt vult Hippocrates: tumoribus verò inguinum, & laxis herniis cohibendis peroportuna hæc planta eſt. Idem Pena non perinde fre-

Tempus.

Lib 4. c. 17. *Vires.*

Lib. 16. c. 8.

Li. 7. ſimpl. Cap. 187.

In ca. 17. li. 4. Dioſcor.

LAGOPVS
Maxima.

LAGOPVS ALTERA
Angusti folia.

quentem,

quentem, sed tamen inter easdem segetes nascentem geminam huius differentiam obseruauit: Vnam cuius folia planè eadem quæ superioris, minùs tamen acuta, & Trifolij Pratensis foliis propiora, caules ambiunt simpliciores, enodes, ferè rectos, cubitales, spicas in vertice proferentes, binos pollices longas, crassiores, pilis & lanugine hispidiores, villosis floribus Trifolij Pratensis in purpura rubentibus, Fuscis phœniceis, pallentibus. Hanc Veganij se in pratis, & ad fontem publicum elegantissimo aspectu florentem collegisse ait Iunio & Iulio mensibus. Alteram idem Lagopum Angustifoliam vocat, iuxta agrorum & viarum margines Sellenouæ Monspelij exorientem, in Delphinatu, & non procul à Rhodano, & ponte quem S. Spiritus dicunt, alibiq; passim, angustioribus & longioribus multo foliis, ternis, inter Peucedanum & Trifolium ambigentibus, virentibus, pedali caule, aliquot geniculis distincto, ex quibus nonnullæ alæ in summo itidem caudatas spicas edunt, isti proximè descripto pares: quarum flores purpurascentes per messes caduci, relinquunt aristas horrentes, & spicas aridiores, acutis glumis pungentes, quibus exiguum continetur & rotundum semen, Sesamo simile. Omnium horum partes, spicæ præsertim, desiccant & adstringunt, sed prioris potissimum. Lobellius Lagopum etiam folio pinnato appellat, quem Tragus Cytisum, Cordus Trifolium magnum. Huius perspicua in folio varietas, quod Marcescens in calidioribus potissimum & Pedemontanis regionibus nitore, læuore & striis elegantissimis auium pennas imitatur, filicis Osmundæ par, terno positu è petiolo pendente. Flos item sanguineus Lagopo maximo persimilis. Hanc plantam pictam dedimus in Dumeto cap. de Cytiso.

LADANVM SEGETVM, CAP. XXXVII.

HÆc herba à foliorum cum Ladano similitudine & natalibus à Plinio Ladanum Segetum dicitur, ab aliis Tetrahit Angustifolium. Plinius duplex hoc Ladanum esse ait, quod Herbarij sic interpretantur, vt aliud sit album, aliud rubrum. Vtrumque foliis est Ledi, angustis, oblongis, per interualla geminis: caule vnico, pedali, ima parte rubente, ramulis furculisque multis fruticante: flore Marrubij modo verticillatim caulem ambiente, eidem simili, nunc rubro, nunc albo, gustus subausteri: radice multiplici. Vtrumque nascitur in aruis lapidosis, & inter segetes. Ladano, inquit Plinius, sistitur aluus vtroque, quod in segetibus nascitur, contuso & cribrato: bibitur ex aqua mulsa: item ad bilem, (id est choleram) è vino. idem alibi febres frigidas leuiores facit Ladanum quod in segetibus nascitur contusum.

Nomina Lib. 26. c. 8.

Forma.

Lib. 29. c. 8.

Vires.

Lib. 26. c. 11.

POLYCARPVM, CAP. XXXVIII.

Locus.
Nomen.
Forma.

NASCITVR etiam ſponte in agris, & in agrorum marginibus, humida præſertim anni tẽpeſtate hæc planta à ſeminum magna copia Polycarpum nominata. Palmum vnũ alta eſt, cauliculos multos profert teneros, geniculatos, inter ſeſe implicatos: folia parua, anguſta, Iuniperi minoris foliis ſatis ſimilia, niſi quod minora ſunt, & minimè pungentia, inter quæ floſculi exoriuntur ſtellati, eiuſdem quo caules foliáq; coloris, id eſt cinerei. Radix digitũ lõga eſt, & fibrata. Dodonæus tertiã Polygoni ſpeciem eſſe putat, eiſdémque ferè quibus Polygonum viribus præſtare ait. Polyſpori mentio fit in Geoponicis Caſsiani. Quidam in Pliniani Polygoni primo genere fœminam eſſe putant, minorem, minúſque nigram, geniculis denſiorem, ſemine ſub ſingulis foliis turgeſcentem.

Lib.1.ca.65.

HEDYSARVM CAP. XXXIX.

Nomina
Genera.

In cap.119. lib.3. Dioſ.
In hiſt.fru. cap.70.
Lib.3.c.119.

GRÆCI ἡδύσαρον & πελεκῖνον vocant, quam Latini à ſeminis figura Securidacam, vel, vt Turnebus legendum cenſet, Securiclatã. Vnius tantùm Hedyſari meminit Dioſcorides. Matthiolus duo facit eius genera, Hedyſarũ maius, & minus, duo itẽ Dodonæus. His Dalechampius tertiũ adiecit. Hedyſarũ, inquit Dioſcorides, frutex eſt foliis Ciceris: ſemen rufum in ſiliquis fert, corniculorũ modo aduncis, quod ancipitem ſecurim æmulatur, vnde nomẽ accepit, amarũ guſtu: ſtomacho vtile in potu: additur in antidota. Idem ferè Plinius habet. Pelecinũ in ſegetibus diximus naſci, fruticoſum cauliculis, foliis Ciceris. Semen in ſiliquis fert corniculorum modo aduncis, ternis, quaterníſue, quale Gith nouimus, amarum, ſtomacho vtile. Additur in antidotis.

Forma.

Li.27.ca.12.

HEDYSARVM maius, ſiue Securidaca Matthioli.

Forma.

Hedyſarum Matthioli maius, cauliculos à radice profert multos, tenues, rotundos, lentos, cubitales: folia oblonga, Ciceri proxima: flores diluto purpuræ colore rufeſcentes, vt in piſo, ſed minores: ſiliquas compreſſas, corniculatas, adunco cacumine, in quibus rufum ſemen, amarum, ſecuris effigie. Radix eſt vnica, albáque, non ſine adnatis fibris.

Hedyſarum minus maiori ferè ſimile eſt, niſi quod folia minora habet, in cacumine retuſa: & numeroſiora: præterea caules & ramos atque adeo partes omnes minores. Flores edit ſuperiori haud abſimiles, ſed puſillos, ex quibus cornicula oriuntur rotunda, incurua, acuminato cacumine, quæ per maturitatem rufeſcunt

feſcunt, in quibus ſemen alteri ſimile, ſed minus ac tenuius. Radix eſt gracilis, alba, longa, altè deſcendens.

Dodonæus aliud Hedyſarum primum depinxit & deſcripſit. Caules promit à radice multos, cubitales, rotundos, folia oblonga ex multis, Lentis foliolis, ro- In hiſt. fru. cap. 70.

HEDYSARUM
minus Matthioli.

HEDYSARUM
Dodonæi I.

HEDYSARUM
alterum Dodonæi.

HEDYSARUM
Dodonæi III.

tundioribus, vt Araci, Viciæ, & ſimilium cõgeſta: flores in corymbis luteos: ſiliquas deinde oblongas, planas nonnihil recuruas, in quibus ſemina complura, anguloſa, rufa & amara ſecuris effigie. Eſt huius & alterũ genus, ſuperiori caule foliiſq; ſimile, vtriſq; tantũ minoribus: ſiliquæ huic breuiores ſunt & magis recuruæ, in quibus & ſemina quadrangularia, ancipitẽ quoq; ſecurim æmulantia.

HEDYSARVM minimum.

Forma Hedyſari minimi.

Hedyſarum minimum hoc dicitur, quod ſi cum reliquis comparetur, minimas omnium ſiliquas edit. Radice eſt tenui, breui, candida, caulibus fere pedalibus, per humum ſparſis: foliis Trifolij pratenſis, in vno pediculo multis, ſed in extremo ſemper ternis: flore luteo, circa caulem copioſo: ſemine rufo, bipenni ſimili, in ſiliquis falcatis, tranſuerſim virgatis, breuibus. In agro Monſpelienſi, & nemore Gramuntio creſcit. Aliud ſuperioribus multo ſpecioſius acceptum referimus Lobellio, quod in Hortis Belgicis alitur. Ægyptium Helenium, eiúſue ſpeciem quidam dixêre, alij verò appoſite Hedyſarum cenſuêre: foliis enim, & procumbentibus cauliculis eſt Securidacæ ſimile floribus venuſtis, Geniſtæ, ſed rubentibus in cauliculis ſummis: è quibus poſtea ſiliquæ compreſſæ, ſpectantur complures, hirſutæ, ternis, quaternis, & quinis orbiculatis clypeoli effigie loculis, ſemine intus Geniſtæ, minore. Hedyſarum naſci in ſegetibus & Hordeis, ſcribit Dioſcorides, itémque Plinius, loco iam citato. Sed antea dixit. Eſt herba quæ Cicer enecat, & Eruum circunligando ſe: vocatur Orobanche: Triticum ſimili modo Æra: Hordeũ feſtuca quæ vocatur Ægilops: Lentem herba Securidaca, quam Græci à ſimilitudine Pelecinon vocant. Theophraſtus tamen Securidacam in Aphaca gigni, & Aphacam à Securidaca ſtrangulari prodidit, vt Plinius perperam apud Theophraſtum φακὸν, id eſt Lentem pro ἀφάκῃ, quæ Viciæ genus eſt, legerit. Quin & Theophraſtus etiam hac in re Plinio refragatur, qui Aracum rem duram & ſcabram in Lente naſci tradidit, non Securidacam. Galenus in Lente ex mutatione ipſius, durum rotundúmque Aracum, & Securidacam, ſemina non veſca gigni dixit. Hedyſari ſemen, quod idem ait, colore rufum, vtrinque anceps, vt ſecuris, amarũ & ſubacerbum apparet: quamobrem potum gratum eſt ſtomacho, & viſcerum obſtructiones expurgat. Idem præſtant totius fructus ramuli. Bibitur vtriuſque ſemen auctore Matthiolo contra venenatorum animalium morſum. Eiuſdem farina vulnera & putrida vlcera abſterget, quemadmodum & Lentigines, & Alphos cutíſque maculas omnes, ſi frequenter melle optimo excepta illinatur. Pectus quoque expurgat à craſsis, pituitoſiſq; excremẽtis, ex melle aut de fructo delincta

Cap. 17. lib. 18.

Li. Hiſt. & cap. 8.

HEDYSARVM alterum, Clypeatum Lobellij.



Li. 1. Alim.

Li. 6. ſimpl. *Vires & Temper.*

In cap. 129. li. 3. Dioſc.

delincta. Necat eadem inteſtinorum vermes ex dulci lixiuio pota, aut ex vino, aut ex muliebri lacte, addito croci momento.

ONONIS, CAP. XL.

ANΩNIΣ & ὀνωνις Græcis, ſimiliter Anonis & Ononis Latinis appellatur, vt Binominis antiquis ſit hæc planta, vna tantùm litera mutata, rem tamen eandem ſemper intuentibus. Ononida Theophraſtus & Galenus vocant, Anonida Dioſcorides & Plinius. Ononis à non iuuando, quod nullam vtilitatem præbeat, dici videtur. Siquidem aratoribus inimica eſt, viuáxque nimis fruges opprimit, & ſuis aculeis nocet, niſi quis ex aduerſo nomen inditum putauerit: Ononis quod ὄνος, id eſt aſinos ſeſe terẽtes ad illam ſcabienteſq; iuuet, vel quod in ea ſe volutantes ſpinis eius dorſum libenter affricent, & ſcabant. Vulgus Herbariorum Arreſtam Bouis, vel Reſtam Bouis, quod in opere arantes Boues ſiſtat, nominare ſolet. Nonnulli Remoram aratri, quod altis & duris radicibus in agris aratrum remoretur, appellant. Sunt qui Acutellam, quod ſuis ſpinis ingredientium pedes pungat. Galli *Arreſtebeuf*, Germani *Hauuhechel*, & *Ochſenbrech*, quia crebris inter folia aculeis, haud ſecus quàm inſtrumentum hoc quo mulieres linum carminant, & à craſſiore purgant ſtuppa, horreat: vel quod ligone ad aculeatam hanc herbã eruendam & extirpandã cum in altum acta, ſeſe propagauit, opus ſit. Equites Germani *Stalkraut*, quod decoctum eius meiere nequeuntibus equis offeratur. *Nomina*

Ruel. lib. 1. cap. 20.

Ononis, inquit Dioſcorides, ramos fruticoſos habet, dodrantales, aut maiores frequentibus geniculis cinctos, cauis alarum multis, capitibus rotundis: foliis Lenticulę, tenuibus, puſillis, ad Rutæ aut Pratenſis Loti folia accedentibus, ſubhirſutis, odoratis, nõ iniucũdè olentibus. Rami acutioribus ſpinis, & veluti ſpiculis firmioribus horrent. Radicem mittit candidam. Spinoſorum etiámnum aliud genus Ononis, inquit Plinius. In ramis enim ſpinas habet appoſitas: folio Rutæ ſimili: toto caule foliato in modũ coronæ. Secatur aratro, frugibus inimica: vel, vt legendũ cenſet Turnebus, ſequitur arata, frugibus inimica: viuaxq; præcipuè: Idẽ multo poſt. Anonin quidã Ononida malunt vocare, ramoſam, ſimilẽ fœnogræco, niſi fruticoſior hirſutiórq; eſſet, odore iucũdo, poſt ver ſpinoſa. Hæc Plinius, cuius poſtremã ſententiam reprehẽdit Matthiolus. Etenim non poſt ver Ononis ſpinoſa redditur, ſed in Autumno, id quod experientia ipſa comprobat, cui etiam Theophraſti auctoritas adſtipulatur, de Ononide ſic ſcribentis: ἡ δὲ ὀνωνίς ἐστι πολυθάλαμθος, ἐπέτδον δὲ φύλλον ἔχει πηγανώδες, παραπεφυκὸς παρ' ὅλον τὸν καυλὸν, διαλαμβανόμενον ὑπαλλήλως, ὥστε στεφάνης τὴν ὅλην εἶναι μορφήν. Κολλοβόανθης δὲ, ἐλλοβόανθης ἀδιαφράκτως. Φύεται δὲ ἐν τῇ γλίσχρᾳ, καὶ γανώδει καὶ μάλιστα ἐν τῇ σπορίμῳ, καὶ γεωργουμένῃ. διὸ καὶ πολέμιον τοῖς γεωργοῖς. καὶ ἔστι δυσόλεθρος. ὅταν γὰρ λαβῇ χώρας βάθος, ὤθεῖ τὰ κάτω ἴθυς, καὶ καθ' ἕκαστον ἔτος ἀποφύσει ἀφιεμένη εἰς τὰ πλάγια, πάλιν εἰς τὸ ἕτερον ὤθεῖται κάτω, σαθεῖσα μὲν ὕστως ὅλη. τοῦτο δὲ βραχείους γίνεται τῆς γῆς, καὶ ἀπολλυται ῥᾷον. ἐὰν δὲ μικρὸν ἀπολειφθῇ, ἀπὸ τούτου πάλιν βλαστάνει, ἄρχεται δὲ τῆς βλαστήσεως φέρειν, τελοῦται δὲ μεσοπώρου. Id eſt, Ononis ramis aculeata eſt, annuo folio, Rutæ ſimili, iuxta totum caulem, alternato foliorum exortu interceptum, vt veluti coronam ea tota figura repræſentet: flore tanquã mutilo, qui ſiliquis inſidet, & nullo interſtitio diſcepitur: Naſcitur in glutinoſo pinguíq; ſolo, & præcipuè in ſegetibus atque cultis: quare agricolis inimica eſt. Præterea viuax admodum eſt. Cum enim altam tellurem occupauerit, recta deorſum ſeſe impellit, ſingulis annis ſurculos è lateribus fundens, rurſus ſequente anno in profundum agitur. Effodienda ideo tota eſt, quod madefacta terra faciendum: ſic enim facilius interit. Nam ſi paruum quid relinquatur, ex eo rurſus ſuccreſcere poteſt. Æſtate autem *Forma.*

Lib. 3. c. 18.

Lib. 2. c. 16.

Lib. 17. c. 4.

In ca. 18. li. 3. Dioſcor.

Lib. 6. Hiſt. cap. 5.

Locus.

germinare incipit, perficitur autem Autumno. Hæc Theophraſt. Ex quibus perſpicuum eſt Plinium, quæ de Anonide ſcripſit, partim ex Dioſcoride, partim ex Theophraſto transcripſiſſe, ſi hoc excipias, quod ille Anonida poſt ver ſpinoſam eſſe dixerit, hic æſtate tantùm germinare, & Autumno perfici. Quidã eum locum Plinij ſic legunt, ac diſtingunt, conueniente ſenſu. Anonim quidã Ononida malunt vocare, ramoſam, ſimilem Fœnogræco, niſi fruticoſior hirſutiorq; eſſet, ac ſpinoſa, odore iucundo. Eſtur etiam, muria poſt ver condita, nimirum æſtatis initio, quo tempore tenella germina condituræ apta ſunt. Præterea hæ hiſtoriæ apertè indicant, Anonida eam eſſe plantam quam hîc depinximus. Ramos enim ſpargit graciles, lentos, foliis veſtitos, in viridi nigricantibus, rotundis, Rutæ vel Loti Pratenſis foliis ſimilibus, inter quæ nocentiores, & mucronatæ ſpinæ, quaſi ſpicula ſubriguntur. Flos ferè Piſi dilutiore micat purpura, interdum niueo colore nitet: ſiliquæ paruæ lato ſemine refertæ. Radix in nigro candicat, valde lenta, ramis longè lateq; expatiãtibus, ob id ruſticis notiſsima, quod non modò ramorum radicumq; implexu aratra in mediis ſulcis ſæpius remoretur, ſed etiam quod meſſoribus acutis ſpinis ſit infeſta. Naſcitur præcipuè in ſegetibus. Floret Iulio menſe & Auguſto, Autumno ſui incremẽti finem faciens. Muria conditur, inquit Dioſcorides, antequã ſpinoſa fiat, cibis gratiſsima. Radix excalfacit & extenuat. Eius cortex è vino potus vrinam ciet, calculos comminuit, margines vlcerum erodit. Radix cum decoquitur in poſca, dolorem dentium collutione mitigat. Decoctum eius in potu, hæmorrhoidas ſanare creditur. Quæ poſtrema, decoctũ eius & cætera Oribaſius non habet, neque Plinius, qui ex Dioſcoride hæc apertè tranſcripſit. Eſtur etiam muria condita. Recens verò margines vlcerũ erodit. Radix decoquitur in poſca dolori dentiũ. Eadem cum melle pota calculos pellit. Comitialibus datur in Oxymelite decocta ad dimidias. Ononis, auctore Galeno, radicem habet quadamtenus, tertio ordine excalfacientem. Ea eſt maximè vtilis, habens quippiam & abſterſoriũ & inciſorium. Itaque non tantùm vrinas prouocat, ſed & lapides confringit. Eadem facultate & cruſtas detrahit. Vtuntur porrò ea quoque & ad dentium dolores, collui videlicet eam in Oxycrato coctam præcipientes. Tradit Matthiolus Anonidis radici vim maximam ineſſe ad renum calculos comminuendos, expellendóſque, præſertim obſtructis vrinæ meatibus, multorum teſtimonio iam comprobatum eſſe, qui calculo laborantes, cum corticum radicis puluerem tantum è vino diutius bibiſſent, priſtinam ſanitatem recuperarunt: nouiſſeq; ſeſe ait, qui hùiuſce radicis puluere duntaxat multis mẽſibus ſumpto, carnoſum ramicẽ abſumpſit, & ſanatus eſt, cùm à medicis ſola ſectione vſtioneq; curari poſſe decretũ eſſet. Eroduntur huius radicis puluere calloſi ac indurati vlcerum margines. Decocta in poſca dentium dolores mulcet, ſi decocto os colluatur, præſertim cum pituita redundat. Eiuſdem decocto ſolo, putant quidam ſanari hęmorrhoidas. Id verò certũ eſt idem decoctũ potũ ſummopere ad iocinoris & vaſorum infarctus

ONONIS.

Locus.
Tempus.

Lib.3.ca.18. *Vires & Temper.*

Lib.27.c.4.

Li.8. ſimpl.

In ca.18. li. 3. Dioſcor.

Vires.

valere

valere. Corticum recentium eiuſdem radicis libræ quatuor minutim cõciſæ in vini Cretici libris octo macerantur: deinde in vitreã metam cõiiciuntur, ex qua in calentis aquæ balneo collocata elicitur aqua, quæ epota ſemilibræ pondere non ſolùm renes à calculis liberat, & vrinam prouocat, ſed etiam veſicam, & eius ceruicem à glutinoſis excrementis obſeſſam expedit.

ONONIS LVTEA non ſpinoſa, Natrix Plinij Herbariorum.

Quidam herbam aliam hîc depictam Ononida non ſpinoſam vocant, alij Melilotum maiorem, alij Melilotum ſylueſtrem pinguẽ. Sunt qui Natricẽ Plinij eſſe arbitrẽtur, quod non ſolùm radix euulſa, ſed & herba tota virus hirci, aut, vt aliqui exponunt, bituminoſum, & grauem fœtorem redoleat. Radice eſt nigra, craſſa, in multos lignoſos ſurculos diuiſa: caulibus multis fruticat, cortice ſubrubro amictis: foliis Pratenſe Triphyllũ æmulatur, ſi quis digitis terat, ingratum & iniucundum odorem ſpirantibus: florem edit luteum, lineis ſubrubris virgatũ, Piſo ſimilem. Semen ſiliquis includitur. Gignitur in aridis, glareolis, & ſabuloſis. Aduerſus omnia venena prodeſſe & admotam & ſumptã experientia compertũ eſt. Natrice in Piceno à fœminis abigunt, quos mira perſuaſione Fatuos, (Faunos) vocant, inquit Plinius, ego ſpecies limphantiũ hoc modo animorũ eſſe crediderim, qui tali medicamẽto iuuẽtur.

Li. 27. ca. 11.

Forma.

Locus.

PISVM, CAP. XLI.

DE FRVGIBVS, earum vitiis ſiue morbis, aliiſque herbis quæ inter has naſcuntur diximus, nunc de Leguminibus tractandum. Legumina quidem dicta putat Varro à legendo, quoniã ea nõ ſecantur, ſed vellendo leguntur. Legumenta etiam Gellius appellat. Græci ὄσπεια vocant, Theophraſtus χέδροπα. Inter ea notiſsimum omnibus eſt Piſum, à quo exordiemur. Græcis ὄπισος vocatur, pleríque etiam λέκυθον dici putant, ſed impropriè. Nam ex farina Leguminum pulmentarium λέκυθον à Græcis dici teſtatur Galenus his verbis: ἔτνος ὀνομάζω τὸ ἐκ τῶν ἐρεχθέντων ὀσπείων τε καὶ χεδρόπων σκευαζόμενον. λέκυθον δὲ τὸ ἐκ τῶν ἀλεσθέντων ἄλευρον ἐψόμενον ἐν ὕδατι, προσεμβαλλομένου τοῦ λίπους. Id eſt, Et nos appello pulticulam quę ex decorticatis & freſis Leguminibus fit. Lecythum verò, ex molitorum farina, in aqua cum aliquo pingui decocta. Vnde λεκυθοπῶλαι Græcis dicuntur, qui eiuſmodi pulmentaria, farinas videlicet Leguminũ elixatas, & pinguedine aliqua conditas vendunt. Tamen λεκύθου alia ſunt apud Græcos ſignificata, hoc loco non declaranda. Piſum à Piſa loco in quo olim copioſiſsimè naſcebatur nominatum dicunt. Galli *Pois* appellant, Germani *Erbſz*. Eius duo apud nos reperiuntur genera. Vnum in aruis caducum, humi ſerpens, alterum in altum ſcandens, arboris ramis quibus accubet adfixis, & ſeſe, capreolis vinciens, illiget. Ramulare ſolemus appellare, *Pois ramé*. Caulibus exit fiſtuloſis, ramoſis, per terrã ſparſis, niſi ramulos inueniat quibus fulciatur, rotundis, fragilibus: folio frequente, amplo, & longo, craſsiuſculo ac ſub pingui: capreolis multis, quibus admotis adminiculis ſeſe implicat: flos eſt

Lib. 1. ca. 23. & 22.

Nomina

In li. de bono & mal. ſuc.

Genera.

Marth. in cap. 101. lib. 2. Dioſcor. Ruel. lib. 2. cap. 34.

Forma.

PISVM.

Locus. Lib.2. c.10. Lib.18.c.16.

Tempus.

Lib.8.Hist. cap.3.

ei candidus,Papillionis forma, circa vmbilicum purpuream notã habens: siliquæ cylindraceæ,longæ,teretes,in quibus grana, initio viridia,sese inuicem,quasi tangẽtia, rotunda, quæ tamẽ resiccata inæquales angulos habẽt, & cãdida fiunt,aut sub flaua. Radices subsunt paruæ & imbecilles.Pisum facilem & solutam terrã desiderat,inquit Columella, tepidumq; locum, & cælum frequentis humoris. Pisum auctore Plinio,in apricis seri gaudet, frigorũ impatientissimum. Ideo in Italia, & in austeriore cælo,non nisi Verno tempore, terra facili, ac soluta. Iunio & Iulio mensibus flores profert:deinde fructus.Mirum est Dioscoridẽ tam vulgaris tamq; protriti Leguminis non meminisse, cum Theophrastus, Hippocrates, Galenus,Paulus Aeg.Plinius non intactũ reliquerint: τῶν δὲ χεδρόπων, inquit Theophrastus,τὰ μὲν πεπλατυφερὲς, οἷον ὁ κύαμος, τὰ δὲ στρογγυλώτερον,οἷον ὁ πίσος,&c.Id est,Leguminum alia folium habent rotundum, vt Faba, alia oblongius,vt Pisum, &c. Et mox, τὰ δὲ ἐπιγειόκαυλα καθάπερ ὠχρὸς, πίσος, λάθυρος.Id est, Alia autem humi procumbentẽ caulẽ habent, vt Ochrus,Pisum, Lathyrus.Pisa Hippocrati minus inflant, sed magis per aluũ

Vires. Li.1. Alim.

secedunt.Pisa Galeno tota substantia cum Fabis quandã habent similitudinem, eodemq; cum Fabis modo sumuntur,His duabus tamen rebus ab eis discrepãt, tum quod non æquè ac Fabæ sunt flatuosa,tum etiam quod detergendi facultatem non habent,ideoq; segnius quàm illæ per aluum secedunt.Pisum Paulo, laxum quidem est,non tamẽ adeo flatuosum, ac Faba. Ex quibus perspicitur permultum falli eos qui scribunt Pisorum iure hausto purgari puerperas, lactis copiam augeri,ictericos sanari,& aquæ intercuti succurri. Quo enim pacto præstare ea possit medicamentum quod refrigerat,& siccat? Sed his errandi occasionem præbuit Tragus,qui perperam putarit Pisum Cicer esse Arietinum, cui supradictæ insint facultates. At quantum Cicer à Piso distet, suo loco dicetur. Quare cum nulla Pisis abstergendi vis insit,Galeno auctore, nec puerperis Pisorum ius propinandum, nec eorum decoctorum cremore aluum cieri verum est. Recentia Pisa quæ cum siliquis manduntur ructus mouent. Rura nostra nullum Legumen magis nouere, quæ ad anni totius vsum diligenter siccata, & siliquis suis explicita recondunt: ita enim exhausto solibus humore diutius à putredine vindicantur.Diuites quoque cum pernis salsis,aut suillis succidiis incoquunt,non ingrato cibo, qui in oppiparis cœnis sese offerre sæpius audeat.

Lib.1. c.79. Matth.in cap.101.lib. 2. Dioscor.

PISVM Americum.

Hic non omittendum Pisum coccineum Americum ex Legumine Piso simili vel Eruo natum: folliculo Piso syluestri ferè pari semina clauduntur: medullosa, durissima,teretia,oblonga,Pæoniæ æmula, sed minora rubro miniata,rutila, ad basim vbi germen, ornata nigris maculis, rotundis, conspicuis,gustu amaro, vt in quibusdam Leguminibus.

FABA

FABA, CAP. XLII.

ΚΥΑΜΟΣ Græcis à feracitate dicta Faba Latinis vocatur, & κύαμος ἑλληνικὸς, id eſt, Faba Græca, ad differentiam Ægyptiæ. Eadem nominatur & Fabulum auctoribus Gellio & Feſto, Arabibus *Hachille*, *Habalte*, ſiue *Buchale*, Italis *Faua*, Germanis *Bonen*, Gallis *Feue*. Fabarum genera duo nobis ſunt coloribus diſtantia. Sunt enim Fabæ candidæ, ſiue in candido pallentes: ſunt & aliæ nigræ, aut in nigro purpuraſcentes. Naſcitur quoque Faba ſua ſponte, pleriſque in locis, inquit Plinius, ſicut Septentrionalis Oceani inſulis, quas ob id noſtri Fabarias appellant. Item in Mauritania ſylueſtris paſsim, ſed prædura, & quæ percoqui non poſsit. Faba caulem profert longum, quadrangulum, rectum, glabrum, ex quo ramuli exeunt inæquali exortu: in quibus folia ſub pinguia, glabra, ſub rotunda, portulacæ ſimilia. Ex ramulorum cacuminibus capreoli exoriuntur ſingulares, ſed adeo tenues, vt facilè depereant: at ex caulium alis flores multi ex vno pediculo racematim exeunt, vno duntaxat latere, ordine appenſi, verſicolores, hirti, & criſtati. Siliquæ gignuntur primùm iis è floribus qui in inferiore caulis parte ſunt, aliorum leguminum ſiliquis maiores, craſsiores, carnoſioréſque, apice in acutum deſinente, in quibus Fabæ concluduntur, forma & magnitudine differentes: nam aliæ magnæ, aliæ paruæ, aliæ ſubrotundæ, aliæ compreſſæ, aliæ albicantes, aliæ ſub nigræ, aliæ ſubrutilæ. Radix eſt ſingularis, lignoſa, capillata fibris. Fabam ſylueſtrem ſcribit Matthiolus paſſim in campeſtribus humi repere, caulibus quadrangulis, ſeſe inuicem implicantibus, folio Fabæ ſatiuæ, floribus in purpura albicantibus, è quibus ſiliquæ oriuntur, compreſſæ, Fabarum ſiliquis longè minores, in quibus ſemen continetur rotundum, Fabarum ſapore. Sunt, inquit, qui hanc plantam velint Galeni Aracum eſſe, μόνος ὁ, inquit Theophraſtus, μάλιστα τῶν χεδρόπων ὀρθόκαυλος ὁ κύαμος. Ideſt, ex leguminibus ſola maximè Faba, recto caule ſurgit: & paulo poſt ἔχει ὁ τὰ ἄνθη διαφοράν, καὶ τῇ φύσει, καὶ τῇ θέσει.

Nomina

Genera.

Li. 18. c. 12.

Forma

Lib. 8. Hiſt. cap. 3.

Ibidem.

FABA ſatiua.

FABA ſylueſtris.

Id eſt, eſt & florum eius à reliquis differentia, tum natura, tum poſitu. Idem,

Ibid. cap.1. τῶν δ' χεδρόπων μάλιστα κύαμος, καὶ κέγχρος πρωίσπορα, ταῦτα γὰρ διὰ τὴν ἀσθένειαν προλαμβάνειν τῇ ῥιζώσει βούλεται τοῦ χειμῶνος. Id eſt, ex leguminibus Faba & Milium maturè ſerenda. Ea enim propter imbecillitatem, radicatione hiemem anticipare

Lib.18.c.21. volunt. Faba ſeritur Plinio ante vergiliarum occaſum, leguminum prima, vt antecedat hiemem: & paulo poſt: Vergilius eam per ver ſeri iubet, circumpadanæ Italiæ ritu: ſed maior pars malunt Fabalia (purgamenta, ſiue ſtipulas & culmos Fabarum) maturæ ſationis, quàm trimeſtrem fructum eius. Idem ſcribit

Cap.1.libr. 8. Hiſtor. Theophraſtus. Τὰ μὲν χέδροπα μονόῤῥιζα εἰσὶ πολλὰς ἄνωθεν ἀπὸ τῶν καυλῶν ἀποφύσεις ἔχοντα, πλὴν κυάμου. Τὰ δὲ σιτηρὰ πολύῤῥιζα. Ideſt, legumina ſingulas habent radices

Ibid.cap.7. & ſurculos multos ſuperne ex caulibus mittunt, dempta Faba. Frumenta multis radicantur fibris. Leguminum vnicaulis Faba ſola inquit Plinius: vnus & lupinis: cæteris ramoſus, prætenui ſurculo: omnibus verò fiſtuloſus. Idem rurſum:

Ibidem. Fabæ in folia exeunt, ac deinde caulē emittunt, nullis diſtinctū internodiis. Reliqua legumina ſurculoſa ſunt. Βλαστάνει τὰ μὲν θᾶττον, inquit Theopraſtus, τὰ δὲ

Lib.8.Hiſt. cap. 1. βραδύτερον. καὶ κριθὴ μὲν, καὶ πυρὸς ἑβδομαῖα μάλιστα. πρωτερεῖ δὲ ἡ κριθὴ μᾶλλον. τὰ δὲ ὄσπρια τεταρταῖα, ἢ πεμπταῖα πλὴν κυάμου. κύαμος δὲ καὶ τῶν σιτωδῶν ἐν πλείοσιν. ἐνιαχοῦ δὲ

Lib.18. c.7. πεντεκαὶ δεκαταῖος, ὁτὲ δὲ καὶ εἰκοσαῖος: at Plinius: Erumpunt à primo ſatu, Hordeum die ſeptimo, legumina quarto, vel cum tardiſsimè ſeptimo: Faba à x v. ad x x. Quot verò diebus floreat, ſic declarat Theophraſtus. Ἄλλα τῶν χεδρόπων χρόνιος

Li.'8. Hiſt. cap. 2. ἡ ἄνθησις. χρονιωτάτη δὲ τῶν μὲν ἄλλων, ὀρόβου, καὶ ἐρεβίνθου, τύλων δὲ ἀπάντων τοῦ κυάμου, καὶ ἐν μεγίστῃ διαφορᾷ: τετταράκοντα γὰρ ἡμερῶν ἀνθεῖν λέγουσι. πλὴν οἱ μὲν ἀεὶ οἱ μὲν ἀεὶ παρανθεῖν, ἕτερον καὶ ἕτερον λέγουσι: κατὰ μέρος γὰρ ἀνθεῖν, οἱ δὲ ἁπλῶς. ἡ γὰρ ἄνθησις τῶν μὲν ταχυηρῶν, ἀθρόα, τῶν δὲ ἑλλοβωδῶν, καὶ χεδρόπων πάντων καθ' μέρος. πρῶτα γὰρ ἀνθεῖ τὰ κάτω.

Lib.18.c.7. καὶ ὅταν πάντα ἀπανθήσῃ, τὰ ἐχόμενα. καὶ οὕτως ἀεὶ βαδίζει πρὸς τὰ ἄνω, quæ Plinius expreſsit his verbis. Legumina diutius florent, & ex his Bruum ac Cicer, ſed diutiſsime Faba x L. diebus, non autem ſinguli ſcapi tamdiu, quoniam alio deſinente alius incipit: nec tota ſeges ſicut frumenti, pariter. Siliquantur verò omnia diuerſis diebus, & ab ima primum parte, paulatim flore ſubeunte. Præterea ſcribit idem Theophraſtus. Κύαμος δὲ ἀνθῶν μάλιστα φυλεῖ βρέχεσθαι. διὸ καὶ οὐκ ἐθέλουσιν

Lib.8. Hiſt. cap.6. ὀφισπορεῖν, ὥσπερ εἰ πομφὸν, ὅτι πολὺ ἀνθεῖ, μελὰς δὲ τὴν ἀπάνθησιν ὀλίγον πάμπαν ὕδατος δέεται σωτήριος γὰρ ἡ τελείωσις. Quę Plin. ſic interpretat⁹ eſt. Faba aquas in flore maximè concupiſcit: cum verò defloruit, exiguas deſiderat. Et, ὁ δὲ κύαμος, ὥσπερ ἐλέχθη, καὶ ἄλλως ουβαρὺς, καὶ ἔτι κοπρίζειν δοκεῖ τὴν γῆν διὰ μανότητα, καὶ εὐσηψίαν. διὸ καὶ οἱ

Li.8.ca.12. Cap. 9.lib. 8. Hiſto. περὶ μακεδονίαν καὶ θετταλίαν, ὅταν ἀνθῶσιν, ἀνατρέπουσι τὰς ἀρούρας. Id eſt, eodem Plinio

Ibidem. interprete, Solum in quo nata eſt, lætificat, ſtercoris vice. Ideo circa Macedoniam Theſſaliámque cum florere incipit, vertunt arua. Hæc & plura alia, quæ περὶ κυάμου tradidit Theophraſtus, Fabæ Plinium attribuiſſe quiuis intelligere poteſt, atque noſtræ vulgari Fabæ ita conuenire, vt eorum plane reiicienda ſit

Dodon. li. 4.cap.18.& in hiſt. fru. opinio, qui Fabam vulgarem veterum Fabam non eſſe, ſed alterius nominis legumen, nimirum Phaſelum eſſe prodiderunt. Dicat mihi quæſo aliquis, paruum, illud nigrum, quod ſummæ Fabæ adhæret, & quod hilum dicitur, in quo alio legumine, quàm in Faba noſtra reperitur? Nam quod in Americo Piſo Indicóue nigrum ſpectatur circa germinis exituri cauum, atra nota eſt impreſſa cortici, non verò lacinioſum Hilum, quod integro cortice auelli queat, vt in Faba. Quæ verò de Fabarum forma, & magnitudine ſparſim apud auctores leguntur, & quibus illæ à Fabis noſtris differunt, tanti non ſunt momenti, vt ſententiam noſtram poſsint conuellere. Nam diuerſis in terris maiores & minores producuntur, & alia atque alia forma, & magnitudine etiam in iiſdem ſiliquis reperiuntur, & cum creſcere incipiunt, & cum perfectæ ſunt. Præterea veterum

Faba

Faba puſilla tantum fuit,& veluti par,Loto ac Terebintho comparatur,Taxíque bacca maior Faba aſſeritur, noſtras verò cultu maior, pinguior, grandiórque facta, illa contempta nomen retinuit, non ſpecie diuerſa, ſed potius fructus magnitudine & figura, quam plantæ natura, temperamento, aut lineamentis diſtant. Faba hæc minor Italis,Sebuſianis,Alpiníſque gentibus Belgio frequentiſsima eſt, ad veterina alenda, ſed nuſpiam vſus frequentior quàm in Anglia, vbi panes fabaceos veterinis dant, non triticeos. Sed eſt & ſylueſtris Faba, vtraque etiam minor.Sebuſiani quidem ruſtici non alio pane veſcuntur, quam confecto ex paululo tritici, Secale, & rotunda minutuláque Faba. Iam verò præter notas, etiam facultates quas fabæ veteres tribuerunt noſtris optimè competere, ſiue illas vt cibum,ſiue vt medicamentum conſideres, longa experientia comprobauit. Faba pro cibo ſumpta inflationem excitat,Dioſcoridi,ægrè cõcoquitur, tumultuoſa ſomnia facit, tuſsi confert,carnem gignit,media calidi frigidíque natura. Decocta in poſca, & cum cortice ſuo eſitata,dyſenterias, & cœliacorum profluuia ſiſtit: contra vomitiones conuenienter manditur. Inflatio leuior ſequitur, ſi aqua prior, inter coquendum abiiciatur. Viridis plus negotij ſtomacho exhibet, maiorémque flatum parit. Inflatis cibus, Galeno, etiam ſi coctus diutiſsimè fuerit, ac quouis modo paratus, cum tamen ptiſſana tempore quo coquitur flatum omnem deponat. Qui autem animum attendunt, eóſque affectus qui cibos ſingulos manent, animo adſequuntur, ſentiunt in toto corpore velut à ſpiritu flatulento tenſionem quandam:potiſsimùm ſi quis huic cibo non eſt aſſuetus,aut ipſum non bellè percoctum ſumpſerit. Habent autem Fabæ ſubſtantiam non denſam,nec grauem, ſed fungoſam, ac leuem, quæ vim quandam, quomodo ptiſſana, habet detergendi. Apparet enim perſpicuè ipſarum farina ſordes à cute detergere: quod mangones ac mulieres intelligentes, in balneis quotidie Fabarum farina vtuntur,quemadmodum alij nitro, atque aphronitro, & in ſumma detergentibus. Hac præterea & faciem inunguntitollit enim lentes quæ in ſumma cute apparent:ob quam facultatem ventrem non cunctanter permeat,vt quæ craſsi ſunt ſucci & lenti, quæque nullam detergendi habent facultatem. Cum autem Fabarum puls ſit flatuléta, multo adhuc magis erunt flatulentæ, ſi quis integris ipſis coctis vtatur. Si tamen frixæ fuerint, flatum quidem deponunt,ſed concoctu ſunt difficillimæ, tardéque prętereunt, & craſsi ſucci alimentum corpori exhibent. Quod ſi virides priuſquam maturæ ſint, atque exſiccatæ edantur, idem eis accidet quod fructibus omnibus, quos ante perfectam maturitatem mandimus: humidius ſcilicet alimentum corpori præbebunt,ob idque excrementoſius,non in inteſtinis modò,ſed in toto etiam habitu. Merito igitur Fabæ eiuſmodi, minùs quidem nutriunt, ſed promptius deiiciuntur. Plerique autem hominum non crudas modò Fabas virides comedunt, verùm etiam cum ſuilla eas coquunt,veluti olera, ruri verò cum caprina, & ouilla. Alij Fabas inflare ſentientes cepas admiſcent, cum pultem in patinis ex ipſis ſtruunt.Sunt qui cepas crudas,nec ſimul elixas cum ipſa comedunt. Pultem ſiue edulium ex leguminibus fractis, ſiue freſis Græci,auctore Galeno, ἔτνος vocant, vt capite de Piſo diximus. Sic ἔτνος κυάμινον puls erit ex Fabis freſis, quæ variè paratur,vt ait idem Galenus, ſiue liquida in ollis, ſiue ſpiſsior in patinis. Tertius eſt Fabæ præparandæ modus qui fit cum ptiſſana. Vt autem κυάμινον ἔτνος nihil aliud eſt quàm Faba freſa elixata, ita κυαμίνη λέκυθος nihil aliud eſt quàm Fabæ lomentum elixatum. Paulus Æg. ad clauos & callos. ποιεῖ καὶ ἡ λέκυθος κυαμίνη μετ' ὄξους ἐπίθεσιν. Id eſt, facit & Fabæ lomentum cum aceto coctum.Inter legumina maximus honos Fabæ,inquit Plinius, quippe ex qua tentatus ſit etiam panis. Lomentum appellatur farina eius, aggrauatúrque Tritici pondus illa, ex

Lib.2.c.98. Vſus & Vires

Li.2.Alim.

Li.1.Alim.

Cornar. in libr. 5.pha.

Li.18.ca.12.

omni

omni legumine. Iumentorum verò & pabulo venalis. Fabæ multiplex vſus omnium quadrupedum generi, præcipuè homini. Frumento etiam miſcetur apud pleráſque gentes,& maximè panico,ſolida, aut delicatius fracta. Quin & priſco ritu Fabacia puls, (Fabata puls Turnebo,) religione Diis in ſacro eſt, prȩualens pulmentari cibo, & hebetare ſenſus exiſtimata, in ſomnia quoque facere. Ob hæc Pythagorica ſententia damnata: vt alij tradidêre, quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Qua de cauſa parentando vtique aſſumitur. Varro & ob hæc Flaminem ea non veſci tradit, & quoniam in flore eius literæ lugubres reperiũtur. Plutarchus in problematis aliam cauſam affert, cur Pythagoras à Fabis abſtinendum iuſſerit nempe quod omnia legumina ſpiritum & humorem impurum ingenerent corporibus,atque hanc ob cauſam ad venerem incitent. In ea-
Li.1. de Di. dem ſententia Cicero fuiſſe videtur,cum ſcribit adhunc modum. Iubet igitur Plato ſic ad ſomnum proficiſci corporibus affectis, vt nihil ſit quod errorẽ animis perturbationémque adferat. Ex quo etiam Pythagoreis interdictum putatur, ne Faba veſcerentur, quod habet inflationem magnam in cibis, tranquillitati mentis quærenti vera contrariam. Ariſtoxenus tamen apud Gellium refel-
Li. 4. ca. 11. lit hanc opinionem,affirmans Pythagoram nullo legumine ſæpius vſum quàm Faba, quod is cibus ſenſim aluum ſubduceret, & læuigaret. Porrò Gellius quod in cibis Cyamos repudiaretur, cauſam erroris fuiſſe putat, Empedoclis carmina qui diſciplinas Pythagoricas ſectatus eſt, inter quæ verſus hic inuenitur.

Δειλοίπως δειλοὶ κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔλεσθε.

Ah miſeri à Cyamo miſeri ſubducite dextras.

Opinati enim ſunt plerique κύαμον legumentum vulgo dici. Sed qui diligentiùs ſcitiúſque carmina Empedoclis arbitrati ſunt, vtar enim Gellij verbis, κυάμους hoc in loco teſticulos ſignificare aiunt, eóſque more Pythagoræ opertè atque ſymbolicè κυάμους, appellatos, quia ſint εἰς τὸ κύειν δεινοὶ, καὶ ἀπωτάτω κύειν, id eſt, ad conceptum efficaces,cauſæque grauiditatis, & genituræ humanæ vim præbentes. Idcirco Empedoclem verſu iſto non à Fabulo edendo,ſed à rei venereæ proluuio voluiſſe homines deducere. Empedoclis carmini ſimiles eodémque
Lib.2.c.98. ſenſu Orphei verſus hos Caſsianus in Geoponicis recitat: δειλοὶ τῶς, δειλοὶ, κυάμων ἀπὸ χεῖρας ἔχητε, ἴσον δὲ κυάμους φαγέειν κέφαλῆς τε τοκήων. Sed de his ſatis.Nũc de Fabæ in medicamentis vſu dicendum κυάμινον ἄλευρον, id eſt lomentum Fabaceum (quod & ἄλευρον ἐρέγμινον dicitur) & per ſe & cum polenta illitum,inflammationes quas vulnus excitauit, mitigat, autore Dioſcoride: cicatrices concolores facit: turgentes grumoſo lacte mammas, etiamſi inflammatione tententur, adiuuat: lac reſtinguit: furunculos, ſugillata, parotidáſque cum fænigræci farina & melle diſcutit: cum Roſa autem, thure, & oui candido procidentes oculos, tumores, vuáſque reprimit: ſubactum vino ſuffuſiones, & ictus oculorum recreat: manduçata ſine cortice Faba, ad auertendas fluxiones frontí illinitur: decocta in vino teſtium collectiones ſanat: quo tardiùs pubes erumpat pueris, imo ventri illinitur: vitiliginem purgat: Fabarum cortice illiti capilli, qui poſt euulſionem renaſcuntur, gracileſcunt, & minùs alimenti capeſſunt: cum polenta, ſciſſo alumine,& vetere oleo impoſiti cortices, ſtrumas diſcutiũt. Decocto earum lanæ inficiuntur. Faba dempto cortice in illas partes diuiſa, in quas ſuapte natura ſcinditur, imponi ſolet ſanguinis defluxionibus ab hirudine concitatis: namque eas ſupprimit, ſi ſemiſecta apprimatur: quæ poſtrema ſic Græcè leguntur. Ἐπιλιθεται δὲ καὶ πρὸς τὰς ἀπὸ τῶν βδελλῶν αἱμορραγίας πελεπιεσμένος, εἰς δύο διαιρεθεὶς, καθ' ὃ προσέφυεν, ἐπέχει δὲ πρὸς πυτίσματος καλὰ τὸ ἡμίβρωμον. Quorum verborum hunc ſenſum eſſe Lacuna exiſtimat. Excorticatæ autem Fabæ, atque in duas partes diuiſæ (in tot enim ſingulæ natura diuidi conſueuerunt)

applicari

applicari ſolet dimidia pars contra effuſiones ſanguinis ab hirudinibus excitatas: eas ſiquidem ſupprimit, appreſſa qua parte alteri cohærebat. Sed breuius & melius, opinor ſic Cornarius vertit. Faba decorticata in duas partes diuiſæ, qua parte ex natura coaluit, ad ſanguinis ab hirudinibus eruptiones imponitur, ipſáſque cohibet, ſi ſecundum ſemiſectam partem apponatur. Auxiliatur & morbis Faba, inquit Plinius, Namque ſolida fracta feruénſque in acre acetum coniecta torminibus medetur. In cibo freſa, & cum allio cocta contra deploratas tuſſes ſuppurationéſq; pectorum quotidiano cibo ſumitur: commanducata ieiuno ore, etiam ad furunculos maturandos diſcutiendóſue imponitur: in vino decocta, ad teſtium tumores & genitalium lomento quoque ex aceto decocto tumores maturat, atque aperit. Item liuoribus, & combuſtis medetur. Voci eam prodeſſe auctor eſt M. Varro. Fabalium etiam ſiliquarúmque cinis ad coxendices, & ad neruorum veteres dolores, cum adipis ſuilli vetuſtate prodeſt, per ſe cortices decocti ad tertias ſiſtunt aluum. Hæc Plinius, quibus aſſentitur Galenus his verbis. Faba medio temperamento proxima eſt, in exſiccando, & refrigerando. Caro eius paulum quoque abſtergentis facultatis continet, ſicut putamen nonnihil adſtringentis. Idcirco medicorum nonnulli totam Fabam cum Oxycrato decoctam dyſentericis, cœliacis, vomentibus exhibuerunt. Porrò vt edulium, flatuoſa eſt, ac coctu difficilis, ſi quid aliud, ſed excreationibus ex pectore & pulmone idonea: eadem, vt medicamentum, foris impoſita, deſiccat innoxie. In podagricis ea ſæpenumero vſi ſumus ex aqua decocta, & ita adipi ſuillo admiſta. Ad neruorum tum cõtuſiones, tum vulnerationes farinam eius cum Oxymelite impoſuimus ad eos quos ex ictu iam phlegmone occupauerat cum polenta. Sed & teſtium & vberum aptum eſt cataplaſma. Nam hæ partes cum phlegmone tenentur, moderate refrigerari volunt, maximè cum vbera ex lacte in ipſis concreto phlegmonen patiantur. Quin lac quoque ab ipſo cataplaſmate extinguitur, ſicut puerorum pubes farina Fabacea illita, plurimo tempore glabra permanet. Quod Dioſcorides dicit, Κύαμος μέσος θερμῷ καὶ ψυχρῷ, id eſt Faba medium inter caliditatem & frigiditatem obtinet, Galenus habet Κύαμος καθ' ἑκάτερα τῆς μέσης κράσεός ἐστιν ἐγγυτάτω καλά τε τὸ ξηραίνειν, καὶ καλὰ τὸ ψύχειν. Ita & Paulus qui ex Galeno tranſcripſit. Κύαμος οὐ πολὺ τῆς μέσης ἀρέτης κράσεως καλά τε τὸ ψύχειν & ξηραίνειν. Id eſt, Faba non multum à medio temperamento abeſt, tum refrigerando, tum ſiccando. Similiter etiam Ætius. Κύαμος καλὰ τὸ ψύχειν & ξηραίνειν τῆς μέσης ἐστὶν ἐγγυτάτω κράσεως. Id eſt, Faba frige faciendo ac ſiccando ad medium temperamentum propinquiſsimè accedit. Merito igitur dubitari poteſt, quod ſit medium temperamentum Fabæ tum refrigerando, tum ſiccando, cum medium inter oppoſita ac contraria intercedere videatur, & id ſit quod ab extremis æqualiter diſtet. Cum verò frigidum & ſiccum non ſint oppoſita, quî inter ipſa medium erit temperamentum? Quare pro ξηραίνειν in tribus ſupra citatis auctoribus θερμαίνειν legendum eſſe cènſet Cornarius, vt inter calefaciendi & refrigerandi vim Faba medio ſit temperamẽto, quemadmodum dixit Dioſcorides Fabam inter calidum & frigidum media eſſe natura. Archigenes apud Galenum inter reliqua auxilia ad ſugillatos, Fabæ freſæ aliquoties meminit. καλάπλασσε ὁ ἐρεγμὸς λεῖῳ, ἀψινθίῳ, & cætera. Id eſt cataplaſmate autem vtere. Faba freſa contrita, abſinthio, & cætera: ac rurſum, ἐρεγμὸν μασησάμενος ἐπιθὲς σὺν μέλιτι, & χωρὶς τοῦ μασήσασθαι κυάμινον ἄλευρον. Id eſt, Fabam freſam commanducata imponito cum melle. Quin & Fabæ lomentum etiam non manſam. Item Appollonius, ἀψινθίῳ λείῳ μελὶ μέλλος, ἐρεγμὸς παραπλησίως. Id eſt, abſinthio trito cum melle, & Faba freſa eodem modo. In quibus & omnibus aliis huiuſmodi, Faba freſa quæ etiam à Plinio fracta dicitur, ea eſt quam Græci

Li. 22. c. 25.

Lib. 7. ſim.

Lib. 7. ca. 3.

Emb. 93. li. 2

Li. 5. ph. 10.

Ibidem.

Corn. ibid.

ἐρεγμὸν

ἐρεγμὸν ſimpliciter vocant, ἀπὸ τοῦ ἐρεχθῆναι, quod videlicet in minutas partes ſit fracta, vt ſit ἐρεγμὸς in Faba, quod χόνδρος & πλιοσάνη in frumentis. Quæ verò molita eſt, & in farinam redacta, lomentum Fabaceum dicitur, vt ex Plinio iam diximus, Græcis χυάμινον ἄλευρον, & ἄλευρον ἐρέγμινον, quod etiam cum melle ſubactum hoc loco commodè ſugillatis imponitur. At ἐρεγμὸς pro lomento & farina Fabarum etiam nonnumquam vſurpatur, ſicut hoc loco ſumi videtur. ψιμμυθίου, & λυθαργύρου ἴσα μελὶ μέλλοις λεάνας ἐρεγμὸν, μίσγε. ὄφελον τῶδες γενέσθαι. Id eſt, Ceruſæ & ſpumæ argenti æquales partes cum melle terito, & admixta Faba freſa, ad cerati formam reducito. Non poſsit enim ἐρεγμὸς in cerati formam commodè admiſceri, niſi in farinam redactus. Præterea ἐρεγμὸς non de Faba ſolùm dicitur, ſed & de aliis leguminibus, itémque radicibus eodem modo fractis. Paulus. ἴριος & πλιοσάνης ἐρεγμοῦ ἀνὰ ξ. α. ſ. Hoc eſt, iridis & ptiſſanæ fractæ, ſeu freſæ vtriuſque ſeſquiſextarium. Hippocrates, & χριθὰς πεφωσμένας & ἠρεγμένας, Id eſt, hordeum toſtum ac freſum. Galenus Cicer fractum non valde in cibo familiare eſſe ſcribit, ſed magis farinam ipſius in lacte coctam, cùm non poſsit eodem modo quo Fabæ & Piſa frangi, vt ex ipſo ἐρεγμὸς fiat. Sed Pauli locum ſupra poſitum cum Cornarius citaſſet, vt ἐρεγμὸν non ſolùm de Faba, ſed de aliis etiam fractis dici oſtenderet, idem alio in loco Græcos Pauli codices falſo habere tradit, ἴριος, πλιοσάνης, ἐρεγμοῦ ἀνὰ ξ. α. ſ. vt ἐρεγμὸς ptiſſanæ non attribuatur, ſed tria diſtincta ſint medicamenta, iris, ptiſſana, Faba freſa, ſiue lomentum Fabaceum. Id quod ex Ætio probat, qui idem medicamentum his verbis habet. ἴριος λείας, πλιοσάνης ἀλεύρου, χυαμίνης ἀλεύρου. Ex quo loco id etiam intelligatur ἐρεγμὸν, Paulo ſignificare, id quod Ætio dixit χυάμινον ἄλευρον, vt non ſolùm pro Faba freſa, ſed etiam pro lomento Fabaceo ἐρεγμὸς accipiatur, quemadmodum iam diximus. Sicut Plinius ex Faba tentatum fuiſſe panem ſcribit, & eam frumẽto miſceri, ita hodie quidam eius farinam ſecali miſcent, ac panem cõficiunt ſolidum, & multi nutrimenti. Phryſij etiam hodie magna ex parte Fabarum farina hordei farinæ aut auenæ admixta panes faciunt in illis præſertim inſulis, quas ex Plinio Fabarias appellatas fuiſſe memorauimus. His ſubiungemus Fabaginem Belgarum, quam alij Leguminoſam Capparim vocant, Pariſienſes Peplum: folia Capparis habet, longiora, & gemina, Fabæ ſimilitudine, ex atro virentia, minora tamen & ad Rutam accedentia: flores geminos, Capparibus conditis ſimiles, expaſsi candidi, foris herbidi, è quorum medio fibræ croceáue ſtamina educuntur. Vniuerſa planta guſtu eſt amaro, Salicis, aut Capparis. Gallis & Belgis, niſi rarò in hortis occurrit. Hæc Lobellius.

Gal. Ibid.

Lib. 3. c. 25.

De mu. na. Li. 1. Alim.

In com. dib. ſ. . h. loc. in Dalub. in Paul.

Lib. 8. ca. 5.

FAGABO BELGARVM, ſiue Peplus Pariſienſium.

Li. 18. ca. 11.

FABA ÆGYPTIA. CAP. XLIII.

ΚΥΑΜΟΣ ἀιγύπτιος, Latinè Faba Ægyptia, Gallicè *Feue d'Egypte.* Quidam, inquit Dioſc. Ponticam vocant, Herodotus Liliũ Ægyptium. Appellatur etiam à Plinio Colocaſia. In Ægypto nobiliſsima eſt, inquit, Colocaſia, quam Cyamum vocant aliqui, & cætera. Sed Dioſcorides radicem Fabæ Ægyptiæ Colocaſiam appellari ait, Athenæus neutro genere Colocaſion. ῥίζας λέγει Νίκανδρος, τὰ ὑπ' ἀλεξανδρέων κολοκάσια καλούμενα. Et paulo poſt, ἡ τοῦ κυάμου τοῦ αἰγυπτίου ῥίζα, ἥτις λέγεται κολοκάσιον. Id eſt, Fabæ Ægyptiæ radix, quæ Colocaſion dicitur. Et Virgilius. *Nomina* Lib.2.c.99. Lib.21.c.15. Ibidem. Lib.2. Eclog. 4.

Mixtáque ridenti Colocaſia fundit acantho.

Ætius Colocaſion Manzizanion etiam appellat. Faba Ægyptia Dioſcoridi, folia habet ampla, etiam ſi ad arborum frondes comparentur (Græcè legitur ἔχει δὲ φύλλον μέγα, ὡς πέτασον: id eſt, folium habet magnũ inſtar galeri. Ruellius autem Plinij verbis hîc vſus eſt, qui meliùs perſonatæ foliis Fabæ Ægyptiæ folia comparaſſet, quod etiam Plinius fecit, vt dicetur) caulem cubitalem, digiti craſſitudine: florem roſeum, dupla papaueris amplitudine: vbi flore exuitur, fert folliculos veſparũ fauis ſimiles, in quibus Faba ſupra operculum bullãtis ampullæ modo prominet. Ciborium, aut Cibotium ideſt arculam ideo nominant, quoniam ſeratur ipſa humenti glebæ mandata, & in aquam demiſſa. Radice firmatur arundinis, craſsiore. Fabã Ægyptiam Tridenti ſibi ab Odoardo Polono demonſtratam ſcribit Matthiolus, qui alias quoque plantas, & eas quidem raras ex Syria, & Ægypto detulerat. Eius Fabæ imaginem hîc ad viuum expreſſam habetis quam plerique ſuſpectam habent. Cluſius pro Colocaſia pinxit plantam quam Matthiolus & Dodonæus Arum Ægyptium eſſe putant. Illa quaterna aut quina folia habet, carnoſa nymphææ foliorum modo, ſed neruoſa admodum, & multis venis, ſeu fibris eminentioribus exteriore parte contexta, incanáque, & ampliſsima, vt interdũ perſonatæ folia magnitudine ſuperẽt, nunquam madentia, etiam ſi aquis immergantur, oblongis, craſsis, firmíſque pediculis enaſcẽtia, radice craſſa, magna, duplici plerumque, & ad lagenæ modum efformata, eduli, qua aliis ad latera adnatis ſe propagat: fibris aliquot nititur. Frequentem eſſe multis Luſitaniæ locis ait Cluſius circa riuos, ex Africa delatam: ſe vidiſſe omnium maximam, & ampliſsimis foliis Hiſpali, in horto arcis Regiæ: vbique tamen & florem & fructum ferre negabant, Luſitanis Mauritanos ſecutis Igname dicitur, Bæticis Alcolcaz, quæ vox à Colocaſia proculdubio deducta eſt. Cum verò hæc planta pleráſque notas cum veterum Colocaſia communes habeat, ferè ſibi perſuadet Cluſius hîc depictam eam ipſam eſſe quæ Græcis: κολοκασία, ἢ ἀιγύπτιος κύαμος, ἢ πόντικος dicitur. Expetitur hæc admodum mancipiis Æthiopibus per Luſitaniam, à quibus & cruda & cocta eſtur. Bellonius lib. Obſeruationum refert Colocaſiam Alexandriæ, vrbibúſque & pagis vicinis frequentiſsimam in foris venalem reperiri, Ægyptióſque vix cibum ſumere, quin Colocaſia apponatur cum carnibus cocta: & aliquanto poſt negat florem aut fructum ferre. Eius verba ſubiicienda, quoniam veterum de Faba Ægyptia ſententiam

FABA ÆGYPTIA

Lib.2.ſtirp. Hiſp. ca.19. In c.99.li.2. Li.1.purga. cap.5. Capi. 19. Cap. 28.

COLOCASIA Cluſij.

Arum Ægyptium Matth.

ſuſpectam habet. Agri, inquit, pleriſque locis conſiti erant Oryza, Papiro, Mucis, & nõnulli Colocaſia. Quoniã verò huius Colocaſiæ, quæ etiam Lotus, & Faba Ægyptia appellatur, fructum magna diligentia fruſtra perquiſiuimus, illiuſque inquiſitione Cairi incolis ridendos vos præbuimus, occaſionem ſumpſimus inquirendi cur veteres eam Fabam Ægyptiam nominarint, cum Fabis careat: tandem erroris originem deprehendimus. Herodotus auctor vetuſtiſsimus duarum in Nilo naſcẽtium meminit, quarum altera rotunda eſſet radice, quæ Colocaſia eſt, altera quiddam Oliuarum nucleis ſimile quodam capite ferret. Reliqui poſt eũ auctores alter alterius veſtigia ſecuti, ad arbitrium deinde deſcripſerunt. Nam quod Theophraſtus radicem illi ſpinoſam tribuit, rem aliter ſe habere experientia ipſa docet. Dioſcorides Fabam Ægyptiam, deſcribens Theophraſtum fere ſecutus eſt, & vtrumque interpretatus Plinius. Addit Bellonius ſylueſtrem & ſponte naſcentẽ iuxta riuulos in Creta ſe inueniſſe, Ægyptios verò magna diligen-

Locus. tia colere. Sed quæ veteres illi de ea literis mandarunt perſequamur. In Ægypto copioſiſsima naſcitur, teſte Dioſcoride. In Aſiæ etiam Ciliciæq; lacubus in-

Lib. 4. Hiſt. cap. 10. uenitur. Theophraſtus eandem ſic deſcripſit: ὁ ᾗ κύαμος φύεται μὴν ἐν τοῖς ἕλεσι καὶ ταῖς λίμναις. καυλὸς ᾗ αὐλοῦ μῆκος μὴν ὁ μακρόταλος εἰς τέτταρας πήχεις. πάχος ᾗ δακτυλιαῖος, ὅμοιος ᾗ καλάμῳ, μαλακὸς μακρῷ. Athen. ἀγόνατος διαφύσεις ᾗ ἔνδοθεν ἔχει διβλῆ διειλημμένος, ὁμοίως ὁμοίας. Athen. τοῖς κρίνοις, κηρίοις. Athen. ἐπὶ τούτῳ ᾗ ἡ κωδία παρομοία σφηκίῳ περιφερεῖ, καὶ ἐν ἑκάστῳ τῶν κυτταρων κύαμος, μικρὸν ὑπεραίρων αὐτῆς. πλῆθος ᾗ οἱ πλείστοι τριάκοντα. τὸ δὲ ἄνθος διπλάσιον ἢ μήκωνος. χρῶμα δὲ ὅμοιον ῥοδῷ, καλακορὲς. ἐπάνω δὲ τῆς ὕδατος ἡ κωδία παραφύεται δὲ φύλλα μεγάλα παρ' ἕκαστον τῶν κυάμων, ὧν καὶ τὰ μεγέθη πίλυ θεσσαλικοῦ, τὸν αὐλὸν ἔχουλα καυλὸν τοῦ τῶν κυάμων. σωτρίφανλι δ' ἕκαστον τῶν κυάμων, φανερόν ἐστι τὸ πικρὸν σωεστραμμένον, ἐξ οὗ γίνεται ὁ καυλός. τὰ μὴν οὖν περὶ τὸν καρπὸν τοιαῦτα. ἡ δὲ ῥίζα παχυτέρα τοῦ καλάμου τῆς παχυτάτης, καὶ διαφύσεις ὁμοίως ἔχουσα τοῦ καυλοῦ. ἐσθίουσι δὲ αὐτὴν καὶ ὠμὴν, καὶ ἑφθὴν, καὶ ὀπτὴν. καὶ οἱ περὶ, τὰ ἕλη τούτῳ σίτῳ χρῶνται. φύεται μὴν οὖν καὶ πολὺς αὐλόμαλος. οὐ μὴν ἀλλὰ καταβάλλουσιν ἐν πηλῷ, ἀχυρώσαντες εὖ μάλα, πρὸς τὸ καλενεχθῆναι γὲ, καὶ μεῖναι, καὶ μὴ διαφθαρνῆναι, καὶ οὕτω καλασκευάζουσι τοὺς κυάμονας. ἂν δὲ ἅπαξ ἀνιλιφθῶσι, μηκέτι διὰ τέλους. ἰσχυρὰ γὰρ ἡ ῥίζα, καὶ οὐ πόῤῥω τῆς τῶν καλάμων, πλὴν ἐπαχνιθίζουσα. διὸ καὶ ὁ χροκόδειλος φεύγει, μὴ προσκόψῃ τοῦ ὀφθαλμοῦ, τοῦ μὴ ὀξὺ καθορᾶν. γίνεται ᾗ οὗτος καὶ ἐν συρία, καὶ καλὰ χιλιάδας. ἀλλ' οὐκ ἐκπέπλουσιν ἀπὸ χώρας. καὶ περὶ τορώνην τῆς χαλκιδικῆς, ἐν λίμνῃ τινὶ μέρει τοῦ μεγέθει. καὶ αὐλὴ πέπλει, καὶ τελειοῖ, καὶ τελεσκαρπεῖ: Latine hæc ſic vertenda. Faba in paludibus ſtagníſque exit. Caulis eius qui longiſsimus, ad quatuor cubitos erigitur, craſsitudine digitali, ſimilis calamo molli. (Athenæus qui hunc Theophraſti locum exſcripſit, ſed non integrum, legit μακροῦ, id eſt longo) non geniculatus. Totus rimis intrinſecus diſtinctus eſt, Lilij modo (Hermolaus vertit, rimæ intus per totum vt Lilio: Athenæus legit κηρίοις, id eſt Faui modo, non Lilij.) Huic inſidet caput, rotundis fauis veſparum ſimile. In ſingulis veluti Loculis, ac pertuſis cauis ſingulæ Fabæ continentur, & parum ſuper eminent, multitudine plurimùm triginta. In

Cor. c. 116. lib. 2. Dioſ.

his

his pro σφηκίῳ corrupta in exemplaribus voce, legit Theodorus σφηκίῳ, Fauum veſparũ orbiculatum interpretatus, deinde pro κυτλάρων legit κυτλάρων, & ἐν ἑκάστῳ τῶν κυτλάρων reddidit in ſingulis cellis: Sunt enim κύτλαροι, τῶν σφηκίων κοιλορρήσεις, καὶ τῶν κηρίων κοιλότητες, id eſt fauorum veſparum foramina, & fauorum cauitates. Sunt qui pro κυτλάρων legant κυβωρίων. Theodorum ſecutus Hermolaus vertit, calix in cacumine rotũdus, veſparum Fauo ſimilis: triginta plurimum loculis, qui ſingulas ſinguli continét, non quidem omnino tectas, ſed paulo extantes. Hos imitati Dioſcoridis interpretes, quod dixit, ὅπερ ἀπανθῆσαν φέρει φυσκία παραπλήσια θυλακίσκοις, ἐνοῖς κύαμος μικρὸν ὑπεραίρων τὸ κῶμα, ὡς πομφόλυξ, interpretati ſunt, vbi flore exuitur, fert folliculos veſparum ſauis ſimiles, cũ non σφηκία, ſed φυσκία habeat, id eſt, folliculos capſulis ſimiles, in quibus Faba ſupra operculum veluti bulla parum prominet. Hic operculum κῶμα dictum, ἡ κωδία eſt Theophraſti quam, caput & calicem illi verterunt. Flos duplo maior quàm Papaueris, roſei coloris, ſaturi: caput extra aquam attollitur: Plantis huius Fabæ ſingulis adnaſcũtur folia. Hermolaus ſic reddidit. Ipſi quoque calices aquis extant, latiſsimis circa foliis, quæ ſingulas Fabas obire videantur. Ea verò quæ ſequuntur prætermiſit Theodorus. ὧν καὶ τὰ μεγέθη πίλῳ θεσσαλικῇ, & cætera, Id eſt magnitudine paria pileis Theſſalicis: eorum pediculus cauli ſimilis eſt, qui Fabas profert: Hermolaus aliter expreſsit, magnitudo iis, inquit, ad ſimilitudinem eorum, quæ vt Plinius ait, perſonatæ in noſtris fluminibus vocantur. Proſequitur Theodorus, ob tritis ſigillatim Fabis amarum illud ex quo caulis prodit, καυλὸς, non πίλος, intortum ſpectatur. Eiuſmodi caulis ac fructus eſt. In his mirũ cur Theodorus πίλον pilulam verterit, qua de re hæc eſt Cornarij ſententia. Si verò quis contriuerit ſingulas Fabas, inquit, manifeſtum fit amarum illud compactum, ex quo pileus prodit: πίλον enim nunc folia dicit, quæ pilei magnitudinem habent. Id quod cum Theodorus in ſuo codice Græco non haberet, in eam hæſitationem delapſus eſt, vt quod pro πίλῳ verteret non habens, pilulam ex pileo faceret. Quod Theophraſtus πίλον dixit, πέτασον appellat Dioſcor. his verbis: ἔχει δὲ φύλλον μέγα ὡς πέτασον, ideſt folium habet magnum velut galerum. Hermolaus πίλον, hîc caulem ſiue thyrſum interpretatur. Eius hæc ſunt verba. Thyrſus inter folia emicat ſpectabilis, à Theophraſto πίλος vt arbitrantur, vocatus: quamquam Theodorus pilulas interpretari videtur. Alij calicem rotundum eo vocabulo ſignificari voluerunt. Hęc Hermolaus: ex quibus intelligimus, viros alioqui doctiſsimos, eius loci vitio hæſitaſſe, multum anxios cum res intellectu facilis eſſet, ex illo amaro quod in medio Fabæ abſtruſum, loco germinis eſt, naſci primum caulem deinde illo gliſcente per ambitum folia. Sed id peritis accuratius diſquirendum relinquatur. Perſequamur iam cætera. Radix quauis arundine craſsior: caulis modò etiam rimoſa manditur & cruda, & elixa, & aſſa: eo cibo qui accolunt ſtagna veſcuntur. Naſcitur ſponte multa, tum etiam in lutum deiecto ſemine, diligenter palea ſtipato, vt ſidat, maneátque in vado, nec corrumpatur. Sic inſtituuntur Fabalia. Semen vbi ſemel comprehenderit, planta nunquam interit: radix enim valida eſt, nec diſsimilis arundini, verùm ſpinoſa: quamobrem Crocodilus eam refugit, ne impingat, & oculos lædat, quoniam eius viſus ſit obtuſior. Naſcitur hæc etiam in Syria, Ciliciáque, ſed tractus ij non perficiunt. Circa Toronen agri Chalcidici quodam in lacu modico etiam gignitur, magnitudine mediocri, vbi & percoquitur, & perficitur, καὶ τελεῖται, quod verbum otioſum ac ſuperuacuum eſſe multi arbitrantur, & fructum abſoluit. His Fabam Ægyptiam graphicè depinxit Theophraſtus, & eandem planè quam Dioſcorides. Plinius ſeorſum de Faba, ſeorſum de Colocaſia agit, ex oratione Theophraſti, quibuſdam mutatis, qui-

Emble. 94. li. 2. Dioſc.

Li.8. ca.12. buſdam etiam omiſsis. Ac de Faba quidem ſic. Naſcitur & in Ægypto ſpinoſo caule: qua de cauſa crocodili oculis timentes refugiunt. Longitudo ſcapo quatuor cubitorum eſt ampliſsima: digiti craſsitudo: in genicula abeſſent, molli Calamo ſimilis, ſic legit Turnebus: Caput Papaueri, colore roſeo. In eo Fabę non ſupra tricenas (triginta.) folia ampla, fructus ipſe amarus & inodorus. Sed radix perquam lauta incolarum cibis, cruda, & omnino decocta, harundinum radicibus ſimilis. Naſcitur & in Syria, Ciliciáque, & in Torone Chalcidis lacu. De
Li. 21.ca.15. Colocaſia verò ſcribit, ſed verbis deprauatis, quæ legenda ſic quidam putant. In Ægypto nobiliſsima eſt Colocaſia, quam Cyamon vocant aliqui. Hanc è Nilo metunt: nos nuſquam ex noſtris amnibus: caule araneoſo, qui coctus mandendo eſt. Thyrſo autem qui inter folia emicat ſpectabili, foliis latiſsimis, etiamſi arboreis comparentur, ad ſimilitudinem eorũ quæ perſonatę vocamus. Adeóque Nili ſui dotibus gaudent Ægyptij, vt implexis Colocaſiæ foliis in variam
Li.17. c.Ge. ſpeciem vaſorum, potare gratiſsimum habeant. Seritur iam hæc in Italia. De iiſdem vaſis idem habet Strabo, & teſtatur adeo magna eſſe illa, vt poculorum, & catinorum vſum præbeant, aptam ad id habentia cauitatem, vt Alexandrinæ officinę his plenæ ſint, & non aliter quàm vaſis vtantur. Appellantur autem hęc vaſa κιβώρια, & κιβώτια, auctore eodem Strabone, ἴδιος ἀιγυπτίων ἐστὶ κύαμος ἀιγύπτιος, ἐξ οὗ κιβώριον γίνεται. Id Athenæus confirmat his verbis. τῶ ὁ κώθωνος ἐν μάλα προβεβηκότος, λαβὼν ἐν τῶν κιβωρίων, ὡς ἐξοινῶν καὶ μεθυὼν ἐνύρησε. διδυμος ὁ φασὶ πολυρὶν εἶδος εἶναι, καὶ τάχα ἂν εἴη τὰ λεγομένα σκυφία, διὰ τὸ κάθωθεν εἰς στενὸν συμπεχθαι, ὡς τὰ ἀιγύπτια κιβώρια. Id eſt, cum potus liberalior quem Græci κώθωνα appellant, procederet, ille capto poculo quodam, quod Ciborium nominant Græci, eo imminxit, tanquam baccans & ebrius. Didymus ait hoc eſſe poculi genus. Et fortaſſe ſunt ea quę Scyphia appellantur, propterea quod in anguſtum pars infima contracta
Lib.2.od.7. Lib.de Th. ad Pam. eſt, vt ciboria Ægyptia. In eo ſignificatu vſurpauit Horatius, obliuioſo læuia maſsico ciboria exple. Dioſcorides tamen Fabam ipſam, κιβώριον, & κιβώλιον nominari tradit: item Galen. διδόσαι ὁ ἐπὶ τούτων διὰ γλυκέος ἢ μελικράτου προεφθημένα διηθέντα ἢ πηγάνου, κυάμου ἀιγυπτίου τὸ μέγεθος, ὅτινες ἐπιχωρίως κιβώτιον ἢ κιβώριον καλοῦσι. Id eſt, Datur his ex paſſo, aut aqua mulſa, in quibus Dictamnum aut Ruta incocta ſint, Fabæ Ægyptiæ magnitudine, quam quidam vernacula
Libr. 1. Lib.2.c.99. lingua cibotium & ciborium appellant. Ætius etiam viridem Fabarum Ægytiarum fructum ciborium appellari ait. Dioſcorides Fabæ Ægyptiæ vſum tum in cibis tum in medicamentis declarat his verbis. Radix cruda coctáue eſtur. Faba virens manditur, & exſiccata nigreſcit: vulgarem magnitudine ſuperat. Adſtringendi facultatem habet, & ſtomacho vtilem: dyſentericis, cœliacíſque prodeſt, inſparſo polentæ vice lomento, datur quoque in pulte. Cortices in vino mulſo decocti, ſi terni inde cyathi bibantur, magis proficient. Facit ad aurium dolorem quod in earum medio viride ſpectatur, guſtu amarum,
Li. 1. Alim. ſi tritum & cum roſaceo coctum inſtilletur. Galenus tradit Fabam Ægyptiam ſicut noſtram magnitudine ſuperare, ita & naturam habere humidiorem,
Li.3.comp. ph. local. magíſque excrementitiam. Alio in loco aurium doloribus prodeſſe Fabam Ægyptiam viridem, internam amaram, hoc eſt, quod in medio eius viride & amarum eſt, quod Dioſcorides declarauit his verbis. Καὶ πρὸς ὠταλγίαν ὁ ποιεῖ τὸ ἐν μέσῳ χλωρὸν αὐλῶν, πικρὸν ὁ καλὰ τὴν γεῦσιν. Hoc ipſum modo pulpam, modo interiora Fabæ Marcellus appellat. Et Corn. Celſus Ægyptiæ
Libr.6.c.6. Fabæ amarum cum roſis contritum, oculorum cum dolore inflammationi-
Libr. 1. bus adhibet. Colocaſij radicis ſimilis vis eſt, inquit Ætius, rapis ac cepis, viſcoſum autem corpus ipſius eſt. Vnde exterſoriæ facultatis particeps eſt, & ventri in cibo ſumpta commodat. Plinius ſcribit Colocaſiæ caulem araneoſum

neoſum eſſe in mandendo, vt diximus, quod & teſtatur Martialis his verſibus.

Niliacum ridebis olus lanáſque ſequaces,
Improba cum morſu filſa manúque trahes.

Colocaſia Glaucias, inquit idem Plinius, acria corpora leniri putauit, & ſtomachum iuuari. Fabæ Ægyptiæ radix quæ Colocaſion dicitur, vt ait apud Athenæum Diphilus, ſtomacho vtilis eſt, & corpus alit, ſed difficilè excernitur, quia conſtringit, melius autem in ea fuerit, quod minimè lanoſam refert naturam. Fabæ quæ ex ciboriis naſcuntur virides quidem, difficilè coquuntur, parum nutriunt, difficile excernuntur, maximè ſunt flatulentæ, ſiccatæ minùs flatuum mouent. Prouenit etiam ex ciboriis flos coronamentis dicatus. Li.21.ca.18. Libr.3.

CICER, CAP. XLIIII.

ΕΡΕΒΙΝΤΗΟΣ Græcis, Cicer Latinis dicitur, Arabibus *Chemps*, *Hamos*, ſeu *Athamos*, Italis *Ceci*, Germanis *Kichem*, *Kicherebs*, Hiſpanis *Grauancos*, Gallis *Ciche*, *& Poix ciche*, *& Pois bechu*. Ciceris genera duo ſunt Dioſcoridi, Galeno, Plinio, ſatiuum ſcilicet, & ſylueſtre. Satiui differentiæ aliquot. Dioſcorides ſatiui alterum genus eſſe dicit, quod Arietinum nominat. Theophraſtus aliter diſtinxit his verbis, οἱ ὃ ἐρέβινθοι, & τοῖς μεγέθεσι, κὴ τοῖς χυλοῖς, & τοῖς χρώμασι, & ταῖς μορφαῖς διαφέρουσι, οἷον κριοί, ὀροβιαῖοι, κὴ οἱ ἀνὰ μέσον. ἐπὶ πᾶσι ὃ τὰ λευκὰ γλυκύτερα. Quæ ſic conuertit Theodorus. Ergo Cicer & magnitudine, & ſapore, & colore, & forma pleráſque differentias oſtendit, vt Arietinum & Columbinum, candida inter omnia dulcedine præſtant. Sed hæc ſane exprimere voluit Plinius his verbis. Differentiæ Ciceris plures, magnitudine, figura, colore, ſapore. Eſt enim arietino capiti ſimile, vnde ita appellatur, album nigrúmque. Eſt & columbinum, quod alij venereum vocant, candidum, leue, arietino minus, quod religio peruigiliis adhibet. Eſt & Cicercula minuti Ciceris, inæqualis, anguloſi, velut Piſum. Dulciſsimum autem id quod Eruo ſimillimum eſt: firmiúſque quod nigrum, & rufum, quam quod album. Plinius duo hîc facit Ciceris genera, Arietinum, & alterum columbinum, quod & Venereum dicitur: ὀροβιαῖον, id, nempe Eruinum Theophraſtus vocat, quod mox declarat, cum ait, dulciſsimum autem id quod Eruo ſimillimum. Columella hoc Punicum appellauit, qui & duo Ciceris genera tradit. Cicer, inquit, quod Arietinum vocatur, itémque alterius generis quod Punicum, ſeri menſe Martio toto poteſt. Galenus quoque duorum generum meminit, eius videlicet quod Arietinum, & eius quod ὀροβιαῖον, id eſt Eruinũ appellari ait. Quod verò Plinius de Cicercula, velut de tertia Ciceris ſpecie inſeruit, id non ex Theophraſto mutuatus eſt, ſed de ſuo adiecit: Cicercula enim,

Nomina

Genera.
Lib.2.c.97. Lib.6.ſim. Li.18.ca.12.

Lib.8.Hiſt. cap.5.

Lib.18.c.12.

Li.2.ca.10.

Lib.6.ſim.

CICER SATIVVM.

& re & nomine à Cicere differt, de qua ſuo loco dicetur. Matthiolus Ciceris genera ſcribit eſſe candidum, quod & Columbinum vocatur, & rubrum venereum appellatum, quod ad incitandam venerem mirificè valeat, poſtremum nigrum cæteris minus, Arietinum dictum. Ciceris ſatiui planta in cubitalem altitudinem adoleſcit, paulo proceriorem, foliis oblongis, denticulatis, albicantibus, piloſis: caule lignoſo, modicè hirſuto, in latus declinante, ramis multis brachiato: floribus ſubpurpureis, ex quibus ſiliquæ prodeunt breues, farctæ, in mucronem tenuem deſinentes, in quibus ad ſummùm Cicera duo, vel tria, anguloſa, turbinata, vnóque angulo acuto donata includuntur, ex ſubrubente purpura nigra: radix eſt lignoſa & fibrata, altè deſcendit. Hoc eſt verum Cicer ſatiuum, puod hîc depictum datur, vel Plinio teſte, cum ſcribit. Siliquæ rotundæ Ciceri, cæteris leguminum longæ, & ad figuram ſeminis latæ. Dodonæus pro Cicere ſatiuo & vulgari depinxit verum orobum officinis Omnibus iam receptum.

Forma Matt. Ibid.

Li. 18. c. 12.

Cicer Eruinum id quibuſdam eſſe videtur, quod hîc pictum oſtenditur, cauliculis latis, ſiue compreſsis, foliis longis, in extremo capreolos emittentibus ad imam plantam integris, per ſummos caules in bina ternáue foliola anguſta diuiſis. Flores candicant, ex quibus tandem naſcuntur ſiliquæ rotundæ, Piſi ſiliquis minores, in quibus ſemina rotunda, Piſis ſimilia, ſed minora, guſtu amaro, cum viridia ſunt. Hanc plantam Eruiliæ ſylueſtris nomine exhibuit Dodonæus, Matthiolus, nomine Araci nigri.

Forma Cicer. Eru.

Li. 4. ca. 10.

CICER ERVINVM quorumdam.

CICER OROBICVM.

Cicer aliud Eruinum ſiue Orobiæum Theophr, Pena exhibuit, quod tantopere Narbonenſi Orobo, ſiliqua præſertim ſimile eſt, vt certũ ſit illud eſſe, quod dulciſsi

dulciſsimum,& Eruo ſimillimum à Plinio dicitur. Narbonæ ac Galloprouinciæ pleriſque locis per meſſes flaueſcit,culmo aſſurgens ſeſquipedali, geniculato, in latus quaſi in obliquum flexo,leuiter ſtriato, fiſtuloſo, foliis in longiuſculis neruulo ordine digeſtis,Lentis, aut Araci.E calami variis locis hi ramuli prodeunt:iuxta ſummos geniculorum nodos cõplures ſiliquæ,vno ferè exortu ſeſe contingẽtes emicant,cylindri figura,vnciam longæ,rectæ, teretes, paruis interuallis articulatim diſtinctæ in exigua tubercula, tria vel quatuor:clauſa intus ſemina nulla membranula diuiſa Piſum Arietinũ ferme æquant, obtuſè triangula,Orobo duplo maiora, colore albido pallentia, aut ſubfulua, non ingrati ſaporis,Ciceris,aut Piſi.

CICER SYLVESTRE
Matthioli.

CICER SYLVESTRE
Pena.

Cicer ſylueſtre auctore Dioſcoride, foliis ſatiuo ſimile eſt, odore acri, ſed ſemine diſcrepat.Cicer ſylueſtre Plinio, foliis eſt ſatiuo ſimile,odore graui.Matthioli Cicer ſylueſtre, & Herbariorũ hîc pictum damus. Huic aliud diſsimile neſcio an verius, proferunt Pena & Lobellius ex Sabaudiæ & Heluetiæ finibus, latius ſparſis, ramoſis caulibus, cubitalibus & ſeſquicubitalibus, foliis Loto ſylueſtri ferme æqualibus, Ciceris Arietini, maioribus,craſſioribus, rotundioribus,& modice crenatis: flores purpuraſcunt: ſiliqua Ciceris Arietini, breuis,folioſa,compreſsior paulo, imam eius partem veſtientibus,quibuſdam veluti foliolis:ſemina multo minora, compreſſa, & potius Cicerculæ ſimilia. Quare non abſurde quis coniiciat,inquit Pena, iſtud Dioſcoridis ſylueſtre eſſe Cicer. Alia duo Ciceris ſylueſtris genera hîc ex Dalechãpio proponimus. Primum radicibus longis huc & illuc euagatur,lignoſis,multiplicibus,nodoſis,ſubrubris. Fruticoſa planta eſt,ramis fere pedalibus, humi propemodum iacentibus: foliis ſatiui Ciceris,minimè per ambitũ inſectis, quamplurimis vno in pediculo, rotundioribus: flore pallido, paruo, veluti in ſpicam coaceruato: ſiliquis multis, ſatiuo ſimilibus, aceruatim cohærentibus:ſemine paruo,nigro,compreſſo, nec ita caluam arietis exprimente, ſatiui modo.Gignitur hoc Cicer in ſaltuoſo ſalicto, quod Rhodanus alluit prope Lugdunum.

Ibidem. Forma Ciceris ſylue. Li.22.ca.25.

Cicer ſylueſtre alterum in aridis creſcit, radice craſſa,longa, ramoſa, cortice nigro tecta, intus candida, ſcapis multis, ſurculoſis: foliis Ciceris,ternis ſimul vt in Loto:flore Piſi,rubro:ſiliquis Ciceri ſimilibus,hirſutis, rubris maculis compunctis. Ciceris natura eſt,

Lib.18.c.12. *CICER SYLVESTRE* inquit Plin.gigni cum Salsilagine:ideo solum vrit.
Locus. *I. Dalechampij.* Nec nisi madefactum pridie seri debet. Cicer seri
Lib.2. c.10. menſe Martio toto prodeſt, (vel poteſt,) inquit
Tempus. Columella, cælo humido, loco quàm lætiſsimo:
nam etiam id terram lædit:atq; etiam improbatur
à callidioribus agricolis :quod tamẽ ſi ſeri debeat,
pridie macerandũ erit, vt celeriùs naſcatur. Iunio
& Iulio menſibus floret, deinde ſemen in ſiliquis
profert.Cicer tum vt edulium,tum vt medicamen
tum conſideramus. Eduliũ eſt, inquit Galen. non
minùs quàm Faba flatulentũ, ſed valentius nutrit
Li.1. Alim. quàm illa:ad venerem autem incitat,creditúmque
Vires & Temper. etiam eſt ſemen generare: vnde quidam equis ad-
miſſariis ipſum exhibent.Ineſt præterea Ciceribus
facultas adſtringendi maior quàm Fabis, adeo vt
quędã Cicera calculos in renibus concretos mani-
feſtè comminuãt. Nigra autem ſunt ea, ac exigua,
in Bithynia maximè prouenientia, quæ Arietina
nuncupant. Satius tamen eſt cremorẽ ipſorum in
aqua coctum bibere.Vtũtur homines & Ciceribus
adhuc virentibus,antequã ſint matura, quomodo
& Fabis.Idem alibi. Cicer Legumen eſt flatulentũ,
Li.6.ſimpl. copioſi nutrimenti,aluo mouendæ idoneũ,citãdę

CICER SYLVESTRE, vrinę efficax,lacti & ſemini generando aptum:
II. Dalechampij. prolicit verò & menſes.Porrò Arietinũ cæteris
efficacius vrinam impellit.Decoctum eius cal-
culos renum confringit.Alterum Ciceris genus
Orobiæum, eadem vi pollet, puta attrahendi,
digerendi,incidendi, abſtergendi:eſt enim cali-
dũ & moderatè humidum, ac particeps ama-
ritudinis :cuius vi & lienẽ,& iecur,& renes ex-
purgat,pſoráſq; & lepras, & lichenes exterget,
parotidas, & teſtes induratos diſcutit. Tum e-
tiam vlcera quæ cacoethe vocant, cum melle
ſanat.Cicer ſilueſtre ad omnia efficacius ſatiuo
eſt,hoc eſt tum calidius, tum ſiccius, quanto &
Lib.2.c.97. acrius,& amarius.Cicer ſatiuũ Dioſcoridi aluo
idoneum eſt,vrinam ciet, inflationẽ parit, co-
lorem commendat, menſes ac partus expellit,
lac auget. Cum Eruo decoctum illinitur ad in-
flammationes teſtium, verrucoſas informica-
tiones: ad ſcabiem, vlcera capitis manantia,
impetiginéſque: item contra carcinomata, &
vlcera quæ cacoethe vocantur, cum melle &
Hordeo prodeſt. Alterum genus Arietinum nominatur: vtrumque cit vrinas,
dato cum Roremarino hydropicis, aut regio morbo laborantibus eorum de-
cocto. Lædunt ea vlceratam veſicam, & renes. In verrucarum formicantium
penſiliúmque genere, prima Luna ſingulis granis ſingulas tangunt, eáque
grana linteolo deligata abiici poſt ſe præcipiunt, ita decidere eas arbitrantur.
Syluestre Cicer idem quod ſatiuum præſtat. Plinius qui cum Cicere Cicercu-

lam

lam oſcitanter confundit, hæc de Ciceris facultatibus prodidit. Cicer ſylueſtre ſi largius ſumatur, aluus ſoluitur, & inflatio contrahitur & tormina. Toſtum ſalubrius habetur. Cicercula etiámnum magis in aluo proficit. Farina vtriuſque vlcera manãtia capitis ſanat, efficacius ſylueſtris. Item comitiales, & iocinorum tumores, & ſerpentium ictus. Ciet menſes, & vrinas, grano maximè. Emendat & lichenas, & teſtium inflammationes, regium morbum, hydropicos. Lædunt omnia hæc genera exulceratam veſicam & renes. Gangrænis vtiliora cum melle, & his quæ cacoethe vocantur. Verrucarum in omni genere prima Luna ſingulis granis ſingulas tangunt, eaq; grana in linteolo deligata poſt ſe abiiciunt, ita fugari vitium arbitrantes. Noſtri præcipiunt Arietinum in aqua, cum ſale, (in manuſcripto hæc duo verba non leguntur,) diſcoquere, ex eo bibere cyathos binos in difficultatibus vrinę. Sic & calculos pellit, morbumq; regium. Eiuſdem foliis ſarmentíſque decoctis, aqua quàm maximè calida morbos pedum tollit, (alij mollit,) & ipſum calidum tritumq; illitum. Columbini decocti aqua, horrorem tertianæ & quartanæ minuere creditur. Nigrum cum gallæ dimidio tritum oculorum vlceribus ex paſſo medetur. Ciceris farina auctore Matthiolo, ex intubi ſtillatitia aqua decocta, & iocinori illita, tumores illius reſoluit, & ſerpentium morſibus medetur, præſertim ſi cum Hyperici decocto miſceatur. Columbinum aqua maceratum, contuſum & illitum putreſcentes gingiuas ſanat. Ex Cicerum rubrorum decocto remedium præſtans ad vrinæ ardores, conficitur hoc modo. Eorum ſeſquilibram in libris decem aquæ die vna maceratam ad tertias decoquito. Excolato decocto addito Glycyrrhizæ vnciam, Maluæ & radicis eiuſdem, Althęæ, Graminis, Agrimoniæ, & Caſſuthæ manipulum, Myxa & Zizypha decem: præterea ſeminis Melopeponis delibrati vncias duas, baccarum Halicacabi, Solani hortenſis, Lithoſpermi, ſingulorum drachmas quatuor, oſsium dactylorum contritorum drachmas tres, quæ omnia ſimul ferueant ad tertias. Propinato quotidie mane vncias quatuor.

Lib. 22. ca. 25.

In ca. 97. li. 1. Dioſcor.

ERVILIA, ſiue OCHRVS, CAP. XLV.

QVÆ Plinio & aliis Latinis ſcriptoribus Eruilia, ὠχρὸς Græcis nominatur, à luteo videlicet Ochræ colore, quem interior medulla fructus refert, recentioribus & Officinis Piſum minus, Italis *Rouiglione*, Tridentinis *Arabeia*, Germanis *Eruoeyſſen* ea dicitur. Eruilia caule eſt inani, foliis, capreolis, ſiliquíſque Piſo ſimilis, ſingulis tamen minoribus. Flores fert plurimùm candidos, aliquando tamen ex purpura obſcuros, ſiliquas rotundas ac longas, in quibus ſemina rotunda, Piſis minora, colore ſæpius luteo, aliquãdo virente. In agris & hortis prouenit: vberiùs loco aprico, & cæli ſtatu calido ſiccóque ac fœlicius prouenit: vliginoſis parum proficit, & frigoribus vt Piſum facilè offenditur. Seritur vêre, Iulio menſe ad maturitatem peruenit. Eruilia auctore Galeno, medium quodammodo locum obtinet inter ea quæ ſuccum bonum & prauum generãt, inter concoctu facilia & difficilia, tardè & celeriter tranſeuntia, flatulenta & flatus

Nomina

Forma.

Locus.

Tempus.

Lib. Alim.

Vires & Temper.

flatus expertia, parum & multum nutrientia: nullam enim effectricem habent qualitatem, instar quorundam quæ acres, & austeros, acerbos, salsos, amaros, vel dulces habent sapores. Aliam Eruiliam syluestrem, siue Ochrum, statuit Do donæus in frument. Historia, quam antea Eruinum Cicer appellauimus.

LVPINVS, CAP. XLVI.

Nomina

QVI θέρμος Græcis, Latinis Lupinus, Mauritanis *Tarinus*, seu *Tormus* dicitur, Italis *Lupino*, Germanis *Feigbonen*, Hispanis *Entramocos*, Gallis *Lupin*. Lupinorum appellatio non aliunde ducta videtur, quàm quod sicut Lupus terram appetit, & in fame terra vescitur, ita Lupinus tellurem, vt Plinius ait, adeo amat, vt quamuis frutetoso solo coniectum inter folia veprésque, ad terram tamen radice perueniat. Lupinus etiam, velut Lupis expositus & relictus, dictus videri potest, ex eo quod, vt idem Plinius ait, impune iacet, vel derelictus, si non protinus secuti obruant imbres, ab omnibus animalibus amaritudine sua tutus. Duo sunt Lupini genera Dioscoridi, Galeno, Plinio. Est enim Lupinus satiuus, & Lupinus syluestris. Lupinus satiuus vnico assurgit caule, rotundo, intus cauo, firmo, qui sine adminiculo rectus consistit, & parum lanuginosus est. Folia ex quinis, senis, septenísue foliolis cohærentibus constant, vitici similia, superiore parte virentia, inferiore candicantia, hirsutaq; quæ sub vesperam, solis occasum veluti præsentientia, flaccida facta deorsum vergunt. Flores in summis caulibus candidi sunt: siliquæ compressæ, crassæ, in ambitu crenatæ, duræ, foris leuiter hirsutæ, intus glabræ, in quibus semina quina, senáue membranis dissepta, orbiculata, compressa, qua parte siliquæ adhærent cauitatem quandam veluti vmbilicum exiguum habentia, foris alba, intus lutea, sapore amarissima. Radix eius est singularis, sublutea, lignosa, fibrata. Lupinus syluestris satiuo similis est, inquit Dioscorides, sed omnino minor. Huius innumeræ plantæ, inquit Matthiolus, in Hetruriæ campestribus

Li. 18. ca. 14.

Ibidem.

Lib. 2. c. 103.

Ibidem.

LVPINVS SATIVVS
Matthioli.

LVPINVS SYLVESTRIS
Dodonæi.

Maio

Maio menſe viſuntur, floribus roſeo colore rufeſcentibus. Lupinus ſolum arenoſum & vitioſum potius deſiderat, inquit Theophraſtus, atque omnino in cultis prouenire non vult. In ſolo rubricoſo, vel pullo, vel arenoſo, ſi non ſit aquoſum Lupinum ſerendum ex Catonis ſententia tradit Plinius. Idem ter Lupinum florere ſcribit. Primùm quidem ſub finem Maij, deinde Iunio, aut initio Iulij, tertio Iulio, aut Auguſto menſibus, ſi anni tempeſtas calida ſiccaq; fuerit. Fructus duo priores ſæpe ad maturitatem perueniunt, tertius rarò non niſi in regione calida. Lupini ſemen πολύχρηστον eſt, inquit Galenus, id eſt, frequentis ac multiplicis vſus. Elixus enim, deinde in aqua dulci maceratus, tantiſper dum in ea omnem ſibi ingenitam exuerit inſuauitatem ita demum manditur cum Garo, ac Oxygaro, vel etiã ſine his, ſale mediocri cõditus, non quomodo Hordeum, & alia quæ variè apparantur. Lupini dura ac terreſtris eſt ſubſtantia: quocirca ipſe concoctu difficilis eſt, ſuccúmque craſſum gignit, ex quo non probè in venis cofecto ſuccus quem crudum vocant, procreatur. Cæterùm cum inter parandum quicquid habeat amaritudinis deponat, τοῖς ἀποίοις, id eſt, qualitatis quæ ſenſu deprehendatur, expertibus ſimilis euadit. Par igitur eſt ipſum neque ad deiectionem, neque vt adſtringentia ad fluxum ventris cohibendum eſſe accommodum, ſed tardè deſcendere, & difficilè deiici, ac pertranſire. Idem alibi. Lupinus edi poteſt coctus, multis ante diebus per macerationem amaritudine in aqua depoſita, fitq; tunc nutrimentum ſucci craſsi. Cæterùm vt medicamentum ita præparatus, ex genere eſt emplaſticorum. At vbi natiua etiamdum manet amaritudo, extergendi digerendiq; vim obtinet: interficit lumbricos tum illitus, tum addito melle linctus, tum ex poſca potus. Quin & decoctũ eius lumbricos eiicere poteſt: tum etiam foris idemtidem perfuſum, vitiligines, achoras, puſtulas, pſoras, gangrænas, vlcera maligna iuuat, partim extergẽdo, partim citra mordacitatem digerendo, ſiccandoq;: expurgat iecur & lienem, cum Ruta & Pipere ſuauitatis gratia, aſſumptum. Elicit menſes, ac fœtum cum myrrha & melle impoſitum. Porrò Lupinorum farina ſine mordicatione digerit. Nec enim liuida tantum, ſed & choeradas & phymata curat: ſed tunc in aceto, aut Oxymelite, aut poſca coquatur oportet, idq; pro ægrorum temperamento, & affectus diuerſitate, quod ex vſu eſt eligendo. Digerit item quæ liuida ſunt: & quæcumque modò diximus præſtare poſſe decoctum, eadem omnia efficit & farina. Sunt verò etiam qui eam iſchiadicis cataplaſmatis modo illinunt. Lupinus agreſtis amarior eſt, & ad omnia valentior ſatiuo, eiuſdemq; facultatis, ſed valentioris. Commune quadrupedum hominumq; vſui Lupinum eſſe, Plinius tradit, & maceratum calida aqua homini quoque in cibo eſſe: impoſitum etiam puerorum ventribus eſſe pro remedio. Lupini farina, Dioſcoridi, cum melle delincta, aut cum aceto pota ventris animalia expellit. Ipſi quoque macerati, & cum ſua amaritudine eſitati eadem efficiunt. Decoctum eorum idem præſtat cum Ruta & Pipere potum: quare lienoſis prodeſt. Eodem vlcera tetra theriomata appellata, gangrænas, incipientem ſcabiem, eruptiones puſtularum, vlcera in capite manantia, vitiligines, maculáſque fouere vtiliſsimum. Menſes & partus extrahit, cum myrrha & melle ſubditum in vellere. Eorum farina cutem liuoréſque corrigit: inflammationes cum polenta & aqua mitigat: tubercula & coxendicum cruciatus ex aceto lenit: ſtrumas in aceto cocta, illitaq; diſsipat: carbunculos rumpit. Decocti in cæleſti aqua, donec in cremorem lenteſcant, faciem abſtergunt: medentur pecorum ſcabiei decocti cum radice nigri Chamæleontis, ita vt repente decocto abluantur. Ciet vrinam radix cum aqua cocta, & pota. Lupini triti vbi maceratu dulceſcere cœperint, cum aceto poti faſtidium detrahunt, & cibi auiditatẽ faciunt. Syluestris Lupinus eadem quæ ſatiuus

Locus.
Lib. 8. Hiſt. cap. 11.
Lib. 18. c. 17.
Ibid. ca. 14.
Tempus.
Li. 1. Alim.
Vires & Temper.
Li. 6. ſimpl.
Li. 18. ca. 14.
Li. 2. c. 103.

præſtat

præstat. Galenus dixit Lupinum syluestrem esse πικρότερον, id est amariorem. Dioscorides omnino μικρότερον, id est minorem. Plinius hanc rem declarat his verbis. Lupini syluestres omni modo minores satiuis, præterquàm amaritudine. Idem medicamenta ex Dioscoride multa recitat, & præcipuè ad expellendos lumbricos. Succus decoctorum, inquit, cum Ruta & Pipere, vel in febre datur ad ventris animalia pellenda, minoribus triginta annorum: pueris verò impositi in ventrem ieiunis prosunt. Si verò cælesti aqua decoquantur, succus ille smegma fit, quo fouere gangrænas, eruptiones pituitæ, vlcera manantia vtilissimum: smegma hic dixit quod Dioscorides ἐπάντλημα. Sequuntur reliqua à Dioscoride tradita, & quædam alia. Sed quod Dioscorides de ouium scabie sananda tradit, ipse aliter refert: nempe sic. Medẽtur pecori, cum Chamæleonte herba decocti, aqua in potum collata. Sanant & scabiem quadrupedum omnium in Amurca decocti, vel vtroque liquore, postea misto. Fumus crematorum culices necat. Horatius virum bonum & sapientem opponens stulto, ostendit stultum & prodigum dare indignis, virum bonum probatos nummos reseruare dignis hominibus, & sui similibus: versus hic est:

Li. 22, c. 15.

Li. 1 epist. 7

Nec tamen ignorat quid distent æra Lupinis.

Id est, non nescit quid interfit inter bonos & malos nummos: quod natum est à consuetudine Comicorum, qui in scena Lupinis, seu nummis ex Lupino factis vtebãtur pro veris & aureis, seu æreis. Idcirco Plautus Lupinos aurum Comicum appellat. Quinetiam hodie pueri in Italia ex Lupinis nummos imitari solent.

ERVVM, CAP. XLVII.

Nomina Genera.

ERVOBOΣ Græcis, Eruum Latinis nominatur, Arabibus *Erbum*, *Keisene*, siue *kersene*, Italis *Eruo*, Germanis *Eruen*, Hispanis *Ieruos*, Gallis *Ers*. Duo Erui genera reperiuntur, satiuum & syluestre. Satiuum duûm est generum, candidum & rufum auctore Matthiolo. Galenus tertium addidit, nempe pallidum, inter priora medium. Aliud quoque vidisse sese ait Matthiolus Erui genus, quod Creticum vocant, nostrati fere simile, sed minutiore semine, & siliquis gracilioribus. Eruum satiuũ planta est folios̃a, cauliculis ac ramis multis, in latus expansis, vt ait Theophrastus, sese implicantibus: foliis paruis, longiusculis, lente minoribus, plurimis ex vno pediculo, vtrimq; pari exortu per interualla prodeuntibus, vnico in cacumine permanente. Flores edit paruos subpurpurascentes, aliquando candicantes: siliquam Piso ferè similem, sed breuiorem, & graciliorem, pressis constrictísue inter semina rotunda spatiis. Hoc est Dioscoridis Eruum, paruus frutex, vt inquit, angusto folio, tenuis, semina in valuulis habens. Non ita pridem, inquit Matthiolus, legitimum Eruum in Italia seri cœptum est, hîc depictum, ex secunda eiusdem in Dioscoridem commentariorum editione: priore etenim Lathyrum satiuum nomine Erui depinxe

In cap. 102. li. 2. Dioic. Li. 1. Al m. Ibidem.

OROBVS.

Forma.

Lib. 8. Hist. cap. 3.

Ibidem.

OROBVS Creticus.

depinxerat: Dodonæus Eruum nomine Ciceris ſatiui deſcripſit, vt diximus. Fuchſius Cicerculam nomine Erui. Braſauolus credidit Eruiliam quæ Theophraſto, Galeno, Paulo Ochros dicitur, verum eſſe Eruum nominis affinitate deceptus. Eruum ſylueſtre Dodonæo, Lobellio, & Herbariis dicitur ea planta, quæ à nobis deſcripta eſt libro de Maritimis nomine Catanauces. Eruum auctore Columella lætatur loco macro nec humido, quia luxuria plerumque corrumpitur. Poteſt & autumno ſeri, nec minùs poſt brumam Ianuarij parte nouiſsima, vel toto Februario, dum ante Calendas Martias, quem menſem vniuerſum negant agricolæ huic Legumini conuenire, quod eo tempore ſatum, pecori ſit noxium, & præcipuè bubus, quos pabulo ſixo cerebroſos reddat. Eruum ſeritur in agris. Quod ſponte naſcitur, inter ſegetes frequẽs oritur: verùm cum à paucis cognoſcatur, illud inter Viciæ ſpecies numerant. Eruum Plinius cum Vicia cõiunxit: mox enim cum de Vicia egiſſet, ſubiunxit. Nec Erui operoſa cura eſt: hoc amplius quàm Vicia runcatur, & ipſum medicaminis vim obtinens: quippe per Eruum D. Auguſtum curatum, in epiſtolis ipſius memoria extat. Boues apud nos, inquit Galenus, tum apud alias pleráſque gentes Eruo priùs in aqua dulcorata paſcuntur: homines verò ab hoc ſemine prorſus abſtinent: eſt enim inſuauiſsimum & praui ſucci. In magna tamen fame quemadmodum Hippocrates quoque ſcripſit, neceſsitate coacti ad ipſum nonnunquam accedunt. Nos verò ad eundem modum quo Lupinos præparantes, Eruo cum melle vtimur, ceu medicamẽto craſſos thoracis ac pulmonis humores expurgante. Porrò inter Erui genera album minùs eſt medicamentoſum eo quod ad flauitiem aut pallorem recedit. Si verò coctum bis fuerit, & in aqua idemtidem edulcâtum, inſuauitatem quidem deponunt, ſed vna etiam cum ea abſtergendi & incidendi facultatem, vt ſola in eo relinquatur terreſtris ſubſtantia, quæ in alimentum vertitur citra inſignem amarorem deſiccandi facultate præditum. Idem alibi Eruum deſiccat quidem exceſſu ſecundo intenſo, calfacit verò primo. Porrò quatenus amaritudinis eſt particeps, eatenus incidit, exterget, atque obſtructiones expedit. Cæterùm ſi ſumatur copioſè, ſanguinem per vrinas euocat. Eruum teſte Dioſcoride, capiti oneroſum eſt: aluum eſu turbat, ſanguinem per vrinas extrahit: elixo boues ſaginantur. Parandæ farinæ ratio hæc eſt. Vberiora grana candidaq; deliguntur, ac permiſcendo reſperguntur aqua, donec quod ſatis eſt combibant: poſtea torrentur, vſque dum hians cortex diſrumpatur, molitaq; farinario cribro incernuntur: poſtremo farina reconditur. Hæc aluo vtilis eſt, vrinam ciet, meliorem colorem efficit: ſanguinem per veſicam, aut aluum cum torminibus elicit, ſi largius in cibo aut potu aſſumatur: vlcera cum melle purgat, lentigines & vitia cutis in facie, & maculas totumq; corpus emendat: nomas, gangrænas, duritiáſque ſerpere non patitur: mammarum duritias emollit: tetra vlcera quæ theriomata vocant, fauóſque emarginat: carbunculos rumpit: cum vino ſubacta illitu morſibus viperarum, canum, hominúmque medetur: vrinæ difficultates, teneſmóſque ex

Lib. 4. c. 22. In Hiſt. pl. cap. 215.

Lib. 2. ca. 11. *Locus.*

Lib. 18. c. 15.

Li. 1. Alim. *Vſus.*

Li. 8. ſimpl. *Vires & Temper.*

Li. 2. c. 102.

aceto mitigat. Eruum tabidis qui alimentum non sentiunt, tostum, & ad nucis magnitudinem melle exceptum sumptúmque conuenit. Eius cremor pernio-
nes, & pruritus in toto corpore sanat fouendo. Hîc animaduertendum ad Erui-
Li. 22. c. 25. nam farinam conficiendam candidius Erui semen à Dioscoride eligi: à Galeno verò id minùs medicamentosum haberi. De Eruo quidem in mentione eius diximus, inquit Plinius, nec potentiam ei minorem veteres quàm Brassicæ tribuêre, contra serpentium ictus, ex aceto, & ad crocodilorum hominúmque morsum. Si quis Eruum quotidie ieiunus edat, lienem eius absumi certissimi auctores affirmant. Farina eius varos, & maculas cutis toto corpore emendat, (sic enim legendum, non vt vulgata habent exemplaria, farina eius, vt ait Varro, maculas toto, & cætera.) Serpere vlcera non patitur: in mammis efficacissimum. Carbunculos rumpit ex vino: vrinæ difficultates, inflationem, vitia iocinoris, tenesmum, & quæ cibum non sentiunt, atropha appellata, tostum, & in nucis auellanæ magnitudinem melle collectum deuoratúmque corrigit: item impetigines ex aceto coctum, & quarto die solutum. Panos in melle suppurare prohibet impositum. Aqua decocti perniones & pruritus sanat fouendo. Quin & vniuerso corporis, si quis quotidie ieiunus bibat, meliorem fieri colorem existimant. Cibis idem hominis alienum. Vomitiones mouet, aluum turbat, capiti & stomacho onerosum. Genua quoque degrauat. Sed madefactum pluribus diebus mitescit, bubus iumentísque vtilissimum. Siliquæ eius virides priusquam indurescant, cũ suo caule foliísq; cõtritæ, capillos nigro colore inficiunt.

LATHYRVS, CAP. XLVIII.

Nomina Genera. Forma.

QVOD Legumen Græci λάθυρον appellant, à Latinis vt Columella & Palladio Cicercula dicitur: à Gallis *des Gesses*. Eius duo sunt genera: nempe Lathyrus satiuus, & syluestris. Lathyrus satiuus caules habet angulosos, compressos: folia oblonga, angusta, acuminata, bina

LATHYRVS SATIVVS
Angustifolius.

LATHYRVS SATIVVS
Latifolius: Clymenum Matth.

semper

ſemper eidem apta pediculo, inter quæ medius prominet capreolus, quo adminicula & cauliculos propinquos apprehendit: flores candidi, Piſi floribus ſimiles: ſiliquæ non Cylindri figura, ſed latæ & compreſſæ, quibus ſemen includitur album, latum, compreſſum, ac inęqualiter anguloſum, ſapore ferè Piſi: radix tenuis eſt, ac fibrata. Hunc Erui nomine depinxerat Matthiolus priore commentariorum in Dioſcoridē editione, vt diximus, id eſt, in hoc genere quod latioribus eſt foliis Matthiolus Clymenum eſſe vult. Cordus ſatiuum Eruum: Tragus, Piſum Græcorum. Lathyrus ſylueſtris ſuperiori caulibus, foliis, ſiliquis proximus eſt, ſed flores rubeſcunt: ſemen tamen vt in ſupradicto compreſſum, inæquales angulos habet, verùm minus eſt, durius, & colore in atrum degenerante. Hunc Lathyrū Fuchſius nomine Erui ſatiui depinxit. Cicercula vt ſcribit Columella, ſeri debet læto ſolo, cælóque humido. Lathyrus, inquit Galenus, ſubſtantia quidem Eruiliis & Phaſelis eſt adſimilis. Vtuntur eo plurimùm in noſtra Aſia ruſtici, & potiſsimum in Myſia, & Phrygia, non ſolum quemadmodum Phaſelis & Eruiliis in Alexandria, & pleríſque aliis vrbibus, ſed etiam vt phacoptiſſanam ipſum parantes. Succum porro habet facultatibus quidem Eruiliis & Phaſelis conſimilem, ſed conſiſtentia craſsiorem: ac ideo magis quàm illa nutrit. Lathyro ſimilis eſt Cicera caule & foliis. Flores habet ex rubra purpura in puniceum inclinātes, ſiliquas paulo minores, atq; in his grana anguloſa quæque & Lathyro ſimilia, ſed minora durioráque & minus compreſſa, colore nigro proxima. Rarum eſt hoc Legumen, nec niſi à rei herbariæ ſtudioſis ſeritur. Latini Ciceram vocant, quod Cicerculæ ſimilis ſit, atque ſolo potiſsimum colore ab eo diſſideat. Cicera, inquit Columella, ſapore nihil à Cicercula differt, colore tantum diſcernitur: nam eſt obſoletior & nigro proprior. Palladius in Martio. Nunc Cicera ſeritur. Ea diſtat à Cicercula ſolo colore, qui ſordet, & nigrior eſt. Vſus autem Ciceræ & facultas, inquit Galenus, Lathyri facultati eſt ſimilis, niſi quod Ciceræ ſemina ſunt duriora, minúſque facilè elixantur: quæ cauſa eſt cur Cicerculis ſint concoctu difficiliora.

LATHYRVS Sylueſtris Dodon.

Eruum ſatiuum Fuchſij.

CICERA.

Lib. 4. c. 21.

Forma ſylueſt.

Cap. 215. Lib. 2. c. 10.

Locus.

Li. 1. Alm.

Vſus.

PHASIOLVS, CAP. XLIX.

Nomina HAnc Leguminis ſpeciem Græci pariter ac Latini Phaſiolos vocant, Itali *Fagiuoli*, Galli *Phaſols*. Galeno vox Phaſiolus quatuor ſyllabis prolata, diuerſa eſt à Phaſelo tribus ſyllabis pronuntiato, de quo cum Eruiliis ſimul tractauit. De Phaſiolo ex ipſius ſententia iſto capite nos agemus. Phaſioli genera tria hîc exhibemus, Phaſiolum ſatiuum *Genera* ſiue candidum, Phaſiolum ſylueſtrem, & Phaſiolum ſyluarum. Phaſiolus ſatiuus, *Forma.* ſiue albus, & vulgaris, foliis eſt Hederaceis, maioribus tamen, & mollioribus, ve-

PHASIOLVS ALBVS.

PHASIOLVS Sylueſtris.

PHASIOLVS Syluarum.

noſis, ternis ex vno pediculo prodeũtibus: flores edit cãdidos, Piſo minores, è quibus tãdem palmum longa cornicula exoriuntur, rotunda, in acutũ deſinentia, primùm quidem viridia, deinde per maturitatẽ candicãtia, quibus ſemina, quos Phaſiolos appellamus, continentur, figura renibus quadrupedũ ſimilia, alba, dẽpto vmbilico, qui tãtũ in his nigricat. Phaſiolus agreſtis eſt, *Forma ſylueſt.* quem hîc appinximus, cauliculis latis, inanibus: foliis ſuperiori ſimilibus, nõ ita tamen ad Hederaceorũ formã accedentibus, quorũ pediculi in capreolos exeũt: florib⁹ purpureis: ſiliqs cõpreſſis, ſemine intus rotũdo, nigro, vulgaris Piſi magnitudine, ſaporis ingratiſſimi. Phaſioli tertiũ hoc genus in Syluis, mõtoſis ſaltibus, & deſertis naſci cõperit Dalech. radice nigra, lõga, craſſa, in radicula innumeras denſaſq;

denſaſq; fiſſa. Caules hæc planta multos profert, pede altiores, folia Phaſioli, aut Smilacis hortenſis, in ſingulis pediculis ferè ſena: florem Piſi, ex puniceo purpuraſcentem: ſemen Lentis, paruulum, nigrum, in ſiliquis ruſis. Phaſioli albi, ſeu vulgares, in aruis ſeruntur, & ſine adminiculis conſiſtunt quidem, ſed in latum ſeſe diffundunt. Phaſioli auctore Dioſcoride, inflant, flatus mouent, ægrè coquuntur. Virides cocti ſi edantur, aluum emolliunt, ad vomitiones idonei. Paulus in medicamentum nephriticum ex cicadis nominatum, Phaſiolum album recipit. Excalfaciunt Phaſioli, inquit Matthiolus, & humectant ordine primo. In cibum ſumpti non ſolùm inflant, ſed & ventriculum grauant. Præterea ſemen generant, & venerem excitant, præſertim ſi Pipere longo, Galanga, & ſaccharo aſpergantur. Sed id efficacius præſtant, ſi lacte bubulo pingui decoquantur, quoad diſſiliant. Redduntur in cibis innocentiores, ſi cum ſinapi, vel Cari ſemine edantur. Tumultuoſa ac terribilia ſomnia inducunt, vt Lentes. Cornicula cum tenerrima ſunt elixantur, & in acetariis eduntur, addito Pipere, guſtu non ingrato. Eadem elixa, farina oblita, ac in oleo feruente, aut butyro frixa, Pipere, ſuccóque vuæ acerbæ condîta, ab Italis expetuntur in cibum. Peculiari naturæ vi ſanant equorum morſus, ſi crudi dentibus atterantur, imponantúrque vulneri. Ex iiſdem muliebris fucus paratur hoc modo. Phaſiolorum alborum, micæ panis Triticei albiſsimi ſingulorum libram, cucurbitam vnam longam, teneram, virentémque ac diſſectam nocte vna in lacte caprino macerant. His addunt ſeminum Melopeponum vncias quinque, nucleorum perſicorum mundatorum vncias tres, nucleorum pineorum delibratorum ſelibram. Conterunt ſeorſum omnia in lapideo mortario, adiiciúntque pullum columbinum domeſticum vna cum plumis in particulas diſſectum, abiectis tantùm inteſtinis: omniáque ſimul mixta in vitreum vas ad id paratum coniiciunt, ex quo in vaſe alio feruente aqua pleno collocato aquam eliciunt, diligentérque cuſtodiunt. Ea enim nitorem faciei conciliat, & cuti molliſsimum addit læuorem.

Locus.

Lib. 2. c. 101. *Vires & Temper.* Lib. 7. ca. 11. In cap. 101. li. 2. Dioſc.

SMILAX HORTENSIS, ſeu DOLICHVS, CAP. L.

PLANTA quæ σμίλαξ κηπαία à Dioſcoride dicitur, quòd Smilacis modo conſcendat, in propinqua, & vicina adminicula prehendat, ab Hippocrate, Diocle, Theophraſto, & pleríſque aliis δολιχὸς vocatur, à nonnullis propter ſiliquarum magnitudinem λόβος, & λόβιον, id eſt liliqua, ab aliis Φασίολος, Phaſiolus, quem à Phaſelo triſyllabo differre diximus, Arabibus *Lubia*, Italis *Smilace de gli horti*, & *Fagiuolo Turcheſco*, Germanis *Welchbaonen*, quaſi dicant Fabas Italicas, Hiſpanis *Feyones*, Gallis *Phaſiols*, & *Feues peintes*. Huius genera ſeminum coloribus diſtinguntur. Alia enim lutea ſunt, alia rubent, alia varij ſunt coloribus picta. Smilax hortenſis, folia habet Hederæ, molliora tamen: tenues caules cum capreolos vicinis fruticibus ſe circumuoluentes, qui eouſque adoleſcunt, vt topiarias ſcenas contexant: ſiliquę Fœnogræco ſimiles, longiores, toroſiores, quibus abduntur ſemina, renum figura, ſed inæquali colore, quadam ex parte fulueſcentia. His notis omnibus ita Phaſiolorum genus hîc depictum expreſsit Dioſcorides, vt nulla prorſus repugnet: caules enim ei ſunt tenues, longi, ramoſi, capreolis ſuis pedamentis vicinis non modo ſeſe circumuoluentes, ſed etiam pergulas & attegias in hortis opacantes: folia Hederacea, fructus renũ figura, in ſiliquis longis, modo rubentes, modo verſicolores. Id genus Phaſiolos dolichos eſſe Galenus perſpicuè declarat, atque etiam Theophraſti auctoritate confirmat his verbis. Dolichorum nomen

Nomina

Genera. Forma. Lib. 2. c. 140.

Li. 1. Alim.

SMILAX Hortenſis, ſiue Dolichus.

à Diocle quidem ſcriptum eſt, vna cum aliorum quoque ſeminum nos alentium nominibus. Scriptum etiam eſt in libro Hippocratis de ratione victus. Exiſtimo autem ipſos ſic appellare ſemen plantæ hortenſis, quam nunc vulgo bifariam nominant: quidam λόβυς, id eſt ſiliquas, alij φασιόλυς. Hos Dolichos eſſe hortenſes coniicere quis poſsit, vel ex his quæ Theophraſtus ſcripſit his verbis: Καὶ τὰ μὲν ἔχει ὀρθόκαυλα, καθάπερ πυρὸς, καὶ κριθὴ, καὶ ὅλως τὰ σιτώδη, καὶ θερινά: τὰ δὲ πλαγιόκαυλα πάλιν, οἷον ἐρέβινθος, ὄροβος, φακὸς. τὰ δὲ ἐπιγεόκαυλα, καθάπερ ὠχρὸς, πισὸς, λάθυρος. ὁ δὲ δολιχὸς ἐὰν παραματαπήξῃ τις ξύλα μακρὰ, ἀναβαίνει, & γίνεται κάρπιμος. εἰ δὲ μὴ, φαῦλος & ἐρυσιβώδης. Id eſt, Aliis quidem caulis eſt rectus, vt Tritico, Hordeo, & omnibus frumentaceis, atque æſtiuis: aliis verò in latus potius inclinat, vt Ciceri, Eruo, Lenti: aliis humi procũbens, vt Eruiliæ, Piſo, Cicerculæ. Dolichus verò ſi ligna longa affixeris, in ea conſcender, & fructum feret: alioqui rubiginis vitio corrumpitur. Ex eo certe, inquit Galenus, quod ligna longa Theophraſtus iubet affigi, affirmátque niſi id fiat Dolichos rubigine vitiari, poteſt quiuis coniicere ipſum verba facere de iis quos nunc Phaſiolos, ſeu λόβυς, id eſt ſiliquas appellamus. Smilacem hortenſem Dolichos eſſe & Phaſioli genus Aetius apertè docet. Qui nunc, inquit, ab omnibus Lobi nominantur, apud omnes veteres Dolichi & Phaſioli appellabantur, à nonnullis Smilax hortenſis. Nutriunt quidem non minùs quàm Piſa, ſimilitérque flatus expertes ſunt: verum iucunditate & alui deiectione illis cedunt. Appellantur autem Lobi, id eſt, Siliquæ præcipue, quoniam ex omni genere Leguminum quorum ſemen tegitur ſiliqua hoc ſolum vna cum ſiliquarum operimento vt plurimùm eſtur. Hæc Aetius. At Phaſioli, qui etiam Dolichi appellantur, inquit Paulus, integri cum ſiliquis viridibus comeſti, excrementorum plus gignunt. Sed cur Dioſcorides de Phaſiolo primùm tractauit, deinde aliquanto poſt de Smilace hortenſi ſeorſum, ſi Smilax hortenſis etiam Phaſiolus eſt? Quia Phaſioli diuerſa ſunt genera, candidum, & vulgare quod in aruis naſcitur: aliud ſub fuluum, & variis coloribus pictum, quod in hortis colitur, de quo poſteriore loco ſermonem fecit. De Dolichis hæc ſcripſit Hippocrates. Piſa minus quidem inflant, ſed magis per aluum ſeccedunt. Eruiliæ autem & Dolichi iis quidem ſeccedunt celeriùs, verùm minus ſunt flatulenti, & nutriunt copioſius. Diocles in Leguminum catalogo vt Fabas primas recenſuit, inquit Galenus, mox Piſa, deinceps ad verbum ſic ſcribit. Dolichi verò non minùs quàm Piſa nutriunt: præterea flatu ſimiliter carent: quod verò ad ſuauitatem pertinet ac deiectionem, vincuntur. Siliqua cocta, inquit Dioſcorides, cum ſemine, inter olera Aſparagi modo eſtur: vrinam ciet, & tumultuoſa ſomnia facit.

Lib. 8. Hiſt. cap. 3.

Lib. 1.

Lib. 1. c. 79.

Vires & Temper. Lib. de diæta.

Li. 1. Alim.

LENS.

LENS, CAP. LI.

ΦΑΚΟΣ & φακὴ Græcis legumen dicitur, Latinis Lens, & Lenticula, Arabibus *Hades*, Italis *Lenticchia*, Germanis *Linſen*, Hiſpanis *Lenteias*, Gallis *Lentille*. Inuenio apud auctores, inquit Plinius, æquanimitatem fieri veſcentibus ea quod ex Etymi vi dictum eſſe videtur, vt Lens quaſi lenis dicta ſit, lenitatíſque ſignificationem habeat. Genera lentis ſunt duo. Album minus, & in cibis gratius: alterum cinereum, paulo maius. Plinius etiam duo Lentis genera in Ægypto eſſe dicit, alterum rotundius, nigriúſque, alterum ſua figura, vnde vario vſu tranſlatum eſſe in lenticulas nomen. Lens tenuibus exit cauliculis, cubitalibus: foliis ab vtraque pediculi parte multis & anguſtis, Vi-

Nomina

Li.18.ca.11.

Genera.

Marth.in c. 100. libr. 2. Li.18. ca.12.

Forma

LENS MAIOR.

LENS MINOR.

ciæ ſimilibus, ſed anguſtioribus, & minoribus: flores item Viciæ haud diſſimiles, minores, cinereo generi purpuraſcentes, albo, candidi: ſiliquæ paruæ compreſſæ, molliter in latitudinem planæ, quibus ſemina terna quaternáue cõduntur, parua, rotunda, lata, compreſſa, amictáque læui cuticula. Eſt & Lens minor, in qua flos ſiliqua, ſeminis figura, omniáque ſimilia priori, ſed minora. A rei herbariæ ſtudioſis ſeritur in hortis. Lens amat ſolum tenue, inquit Plinius, magis quàm pingue: cælum vtique ſiccum. Lentis, ait Galenus, contrariæ ſunt facultates. Cortex eius adſtringit, corpus ſiue ipſius veluti caro, deſiccat, & ſiſtit ventrem, auſtera ſua qualitate, cuius cortex multæ eſt particeps. Decoctum ſiue cremor ipſius adſtringenti facultatem contrariam obtinet: aluũ enim prouocat: quare prior aqua abiicitur cum ea ſiſtenda eſt. Hac de re Galeni verba ſunt accuratius expendenda, vt an Dioſcoridi repugnet, perſpiciatur. Lentes inquit Galenus, valenter aſtringunt (Ætius tamen & Paulus, qui ex Galeno tranſcripſere, legiſſe videntur, τύφουσι οὐκ ἰσχυρῶς, id eſt, non valenter adſtringunt) medium tenent caliditatis & frigiditatis, deſiccant tamen in ſecundo ordine. Ipſum itaque eorum corpus deſiccat, & ſiſtit ventrem, cæterùm decoctum mouet: proinde etiam prior aqua abiicitur, vbi retinendæ alui cauſa adhibetur.

Locus.

Lib.18.c.12.

Vires & tempera.

Lib. 8. ſim.

Li.1. Alim.

Idem rursus: Nemo ex Lentibus panem facit: aridæ enim sunt, ac friabiles, corticémque habent adstringentem, & quæ ipsorum est veluti caro crassi est succi ac terrei, austeram qualitatem habens exiguam, cuius cortex multæ est particeps. Succus porró in ipsis est adstringenti contrarius. Quocirca si quis in aqua Lentes coxerit, deinde aquam sale, aut garo, aut cum ipsis oleo conditam sumpserit, potus is aluum deiicit. At ex bis coctis Lentibus, ad eum modum quem diximus paratus cibus facultatem habet succo contrariam, vt quę ventris fluxus siccet, stomachum, intestina, & totum denique ventrem corroboret. Quamobrem cœliacis & dysentericis cibus est accommodus. Lens vero decorticata, vt illam adstringendi vehementiam, & ea quæ ipsam consequuntur, amittit, ita magis nutrit, quam quæ cortice spoliata non est: verum succum crassum ac prauúm gignit, tardéque commeat, non tamen alui fluxus desiccat, vti ea cui
Libr. 7. cortex non est ademptus. Lentes Æginetæ, secundo ordine siccant, medio caloris & frigiditatis temperamento, sed adstrictionis quoque nonnihil habent. Totum verò Lentis corpus siccat, aluúmque sistit, quam decoctum ipsius proritat, ideóque prior aqua abiicitur, cum ventris sistendi gratia Lentes assumuntur. Lentes Aetio teste, non valide adstringunt, in caliditatis autem & frigiditatis medio consistunt. Siccant ordine secundo. Itaque corpus ipsarum siccat, ac sistit ventrem: decoctū autem promouet. Quapropter vbi sistendi ventris gratia sumuntur, prima aqua effunditur Consideremus nunc num his
Li. 2. c. 100. aliqua ex parte Dioscorides, refragetur. Lens, inquit, frequenti cibo aciem oculorum obtundit, ægrè concoquitur, stomachum vexat, eúmque & intestina inflat: sed aluum cum cortice cocta sistit. (Galenus quidem ait corticem eius adstringere, vt pote multæ austeræ qualitatis participem) præstat in cibo, quæ facillimè coquitur, & nihil atri in maceratione reddit. Vim habet adstringendi: (sic Galenus, Lentes valenter adstringũt:) quapropter aluum cohibet, si detracto antea cortice discoquatur accuratè, primáque aqua inter coquendum effundatur. Id enim primum decoctum aluum ducit. In hoc quidem nihil Dioscorides à Galeno dissentit, quoniam Lens decorticata Galeno, illam adstringendi vehementiam, ea quæ ipsam consequuntur, amittit. Nam quòd Dioscorides dixit Κοιλίαν ἴστησι πρὸ ἀπολεπισθεῖς, καὶ ἐψηθεῖς ἐπίμελῶς, idem est quod Galenus habet, διὶς ἢ ἐψηθέντων τῶν φακῶν, & cætera. Id est, ex his coctis lentibus facultatem cibus habet succo contrariam, vt qui ventris fluxus siccet. Hoc tantum interest, quod Galenus corticem non detrahit, Dioscorides detrahit, qui paulo ante dixerat Lentem cum cortice coctam aluum sistere. Galeni verò sententiæ consentaneum esse, Lentem etiam detracto cortice bis coctam, siue, vt ait Dio-
Li. 1. Alim. scorides, diligenter & accuratè discoctam, ventrem cohibere, ex ipsomet Galeno licet intelligere, cum scribit. Non Lens sola, sed & Brassica, atque adeo omnia ostracoderma, compositam ex pugnantibus facultatibus naturam sortita sunt: Nam solidum cuiusque corpus tardè permeat, aliuúmque sistit: humor verò stimulat ad excretionem. Huius porrò rei ex coctione manifesta sumitur demonstratio. Nam aqua in qua dictorum quodque fuerit decoctum, aluum subducit, ipsa verò corpora retinent. Hinc nonnullos audias dicentes. Si Brassica leuiter cocta, & vniuersim ac repente ex lebete in vas aliquod, in quo sit oleum & garum, transfusa ante alios cibos sumatur, aluum subducere: alios autem sentias Brassicam quæ δὶσεφθος, id est biscocta dicitur, ad ventrem morãdum, hoc modo præparare, cum ipsam aquæ priùs incoxerint, aquam quidem totam è lebete effundunt, aliam autem affundunt puram & calidam, in qua rursus Brassicam secundo coquant. Idem de Lente biscocta censendum. Pergit Galenus
Li. 1. Alim. Lenticulæ in cibis facultates explicare. Iure igitur qui largius hoc edulio vtũtur

elephan

elephãtiasi & cancris sunt obnoxij. Siquidem crassa siccáque cibaria succo melancholico generando sunt idonea. Quare iis duntaxat quibus aquea in carnibus est κραχεξία, Lenticula in cibo vtiliter præbetur, ceu aridis & squallentibus admodum damnosè. Eandem ob causam visum integrum & inculpatum hebetat, ipsum immoderatè exsiccans ei verò qui contrario modo se habet confert. Menstruis autem purgationibus non est accommoda: crassum enim & tardius fluentem sanguinem reddit: at muliebri profluuio est vtilissima. Cum autem Ptissana in eo saltem contrariam ipsi habeat facultatem, ex amborum mistione præstantissimum componitur eduliũ, quod Phacoptissanam appellant: vtrumque haud æquali portione miscentes, sed Ptissanæ minus iniicientes, vt quæ in cremorem vertatur, & in magnam molem attollatur: Lens autem cocta parum quidem extumescit. Hoc autem edulium eodem quo Ptissana modo præparatur, præterquam quod satureia, aut pulegium adiicitur: quo fit vt suauius simul & concoctu facilius reddatur, cum Ptissana illis minimè gaudeat, sed solo anetho porróque sit contenta. Pessimè autem cocci diuitibus lentẽ parant cum sapa, quandoquidem Lens haud quaquam eorumquæ incrassant mixtionem postulat, sed humidorum potius, & quæ suam ipsius crassitiem incidant. Cum verò sapa commiscetur, hepatis obstructiones solet gignere, viscerísque huius ac lienis inflammationes auget, nisi melle addito melior fiat. Hæc & alia plura Galenus tradit. Dioscorides alias etiam facultates Lentis exponit. Somnia tumultuosa, inquit, excitat: capiti, neruis, pulmoni inutilis: valentior eius facultas contra alui fluxiones, addito cum aceto Intybo, aut Portulaca, aut Beta nigra, aut baccis Myrti, aut putamine Punici, aut aridis rosis, aut mespilis, sorbísue, Piris Thebanis (Cornarius vocem vnam hîc excidisse putat, ἢ ὄων, ἢ ἀπίων, ἢ φοινικῶν θηβαικῶν, id est, aut sorbis, aut piris, aut palmulis thebaicis, cum nulla sint pira Thebaica ab auctoribus memorata, sed palmulæ Thebaicæ ab aliis, & ab ipso Dioscoride nominatæ, quarum decoctum magnopere adstringit, & reprimit,) aut malis cotoneis, aut cichorio, aut plantagine, aut Punici granis integris, quæ post decoctionem abiiciuntur, vel Rhoe quæ obsoniis aspergitur. Verùm acetum cum ea diligenter percoqui debet, aliàs aluum conturbat. Contra subuersionem stomachi triginta grana Lẽtis adempto cortice deuorari proderit. Decocta cum polenta & illita podagras lenit: sinus cum melle glutinat: crustas rumpit: vlcera purgat. Decocta in aceto duritias & strumas discutit: cum cotoneo aut meliloto medetur inflammationibus oculorum, sedísque, addito rosaceo: sed in amplosinu, aut inflammationibus sedis, quæ maius remedium exigunt, cum putamine punici & siccis rosis, adiecto melle decoquitur: nomis quæ in gangrænam euaserunt, adiuncta maris aqua: pustulis, & iis quæ serpunt, igni sacro, pernionibúsque, vt ante dictum est: (cum aceto) contra mammas in quibus lac in grumos coiit, & prę nimia sui copia profunditur, cocta in aqua maris, & illita auxiliatur. Lens optima Plinio, quæ facillimè coquitur, eáque, quæ maximè aquam absorbet. Aciem quidẽ oculorum obtundit, & stomachum inflat: sed aluum sistit in cibo, magísque discocta cælesti aqua: eadem soluit minùs percocta. Crustulas vlcerum rumpit, eáque quæ intra os sunt purgat, & adstringit. Collectiones omnes imposita sedat, maximéque exulceratas, & rimosas. Oculorum autem epiphoras cum meliloto aut cotoneo, contra suppurantia cum polenta imponitur. Decoctæ succus ad oris exulcerationes, & genitaliũ adhibetur: ad sedem cum Rosaceo & cotoneo. In his quæ acrius remedium exigunt cum putamine Punici, melle modico adiecto. Ad id demũ ne celeriter inarescat, adiiciũt & Betæ folia. Imponitur & strumis, panísque vel maturis vel matureſcentibus, ex aceto discocta. Rimis ex aqua mulsa, & gangrẽnis cũ Punici

Lib. 1. c. 113.

Li. 22. c. 25.

tegmine.

tegmine. Item podagris cum polenta,& vuluis,& renibus, pernionibus,vlceribus difficile cicatricem contrahentibus. Propter diſſolutionem ſtomachi triginta grana lentis deuorantur. In choleris quoque & dyſenteria efficatior eſt in tribus aquis cocta: in quo vſu melius ſemper eam torrere, aut tundere, vt quàm tenuiſsima detur, vel per ſe, vel cum cotoneo malo,aut piris,aut myrto, aut intubo erratico, aut beta nigra,aut plantagine.Pulmoni eſt inutilis,& capitis dolori, neruoſiſque omnibus, & felli: nec ſomno facilis: ad puſtulas vtilis, igníque ſacro, & mammis in aqua marina decocta, in aceto autem duritias & ſtrumas diſcutit. Stomachi quidem cauſa, polentæ modo potionibus inſpergitur. Quæ ſunt ambuſta aqua ſemicocta curat, poſtea trita, & per cribrum effuſo furfure, mox procedente curatione addito melle. Ex poſca coquitur ad guttura. Eſt Lens etiam hodie notum legumen, & editur parata ex ipſa pulticula, quæ Græcis φακὴ dicitur, & Lens integra cocta, quam ὁλόφακον dicunt. Nouerat & Martialis Ægyptiam Lentem, ſcribit enim.

Accipe Niliacam peluſia munera Lentem,
Vilior eſt Alica, carior illa Faba.

VICIA, APHACA, CAP. LII.

Li. 1. Alim. *Nomina*

AB Aſianis ſuis Galenus ait βόιον, dici legumen, eóque ſolo nomine id vocari: Atticis verò σάραχον, aut κύαμον. Latinis Vicia id nominatur à vinciendo, vt Varroni placet, quòd item capreolos habet vt Vitis, quibus ſurſum verſum ſerpit ad ſcapum lupini, aliúmue talamum, ad quem, vt hæreat, eum vincire ſolet, Gallis *Veſce*, Germanis *Vuicken*, Anglis *Fiche*. Eſt vicia quæ ſponte naſcitur, eſt & quæ cæterorum leguminum modo in aruis ſeritur. Hæc caules habet tenues, quadrangulares, ternûm fere

Genera.

Forma

VICIA VERA,
Aphaca Matth.



APHACA VERA,
Vicia Matthiolo.

pedum

pedum altitudine: folia longa, Lenti ſimilia, ex pluribus vni pediculo adnexis compoſita: quorum ſingula maiora, latiora, craſsioráque ſunt quàm Lentis: flores ſubrubri, ſiue in purpura nigricantes: ſiliquæ latæ, quarum ſingulis grana includuntur quina ſenáue, non globoſa, ſed Lentis inſtar propemodū compreſſa, nigra, guſtu inſuauia. Seritur quocumque ſolo, cultu facillimo, & ſolùm in quo ſatum fuerit lætificans. Hîc veram Viciam expreſsimus, Matthiolus nomine aphaces depinxit, quam Galenus cum Vicia coniunxit. Dioſcorid. Aphacam, quæ ἀφάκη Græcis nominatur in aruis naſci dixit, altiorem Lente, tenuibus foliis, ſiliquis Lente maioribus, in quibus terna quaternáue ſemina nigra, Lente minora. Theophraſtus Aphaces oleris meminit inter intubacea de quo poſtea nos agemus, & Aphaces leguminis, eam cum Lente & Piſo in leguminum genere ponens, quorum ſera ſatio. Idem alio loco ſcribit quorumdam leguminum ſiliquas eſſe ἐπιπλατεῖς, vel ὑποπλατεῖς, vt legiſſe Gaza videtur, id eſt, interprete Gaza nonnihil latas, vt Lentis & Aphaces, Aphaceſque fructum celeriter perire. Idem frugum & leguminum peſtes recenſens tradit Aphacen à Securidaca ſtrangulari. Plinius Theophraſtum ſecutus, vno loco Aphacen in cichoriaceis numerat, alibi vero Dioſcoridis Aphacam ita exprimit, vt ex eo tranſcripſiſſe videatur, vel certe ex eo auctore ex quo Dioſcorides ipſe deſcripſit. Aphace, inquit, tenuia admodum folia habet: puſillo altior Lenticula eſt, ſiliquas maiores fert, in quibus terna aut quaterna ſemina ſunt, nigriora, & madidiora, & minora Lenticula. Naſcitur in aruis. Itaque Aphace rectè fortaſſe dicetur legumen hîc depictum, quod Matthiolus nomine Vicię exhibuit. Aphaces, & Vicię ſemina figura non eſſe rotunda, veluti Fabarum Galenus ſcribit, ſed aliquanto latiora quomodo lentium. Hac cum ſiliquis atque integra planta ruſtici reponunt, vt brutis pecudibus ſint pabulo. Per famem tamen quoſdam ſibi cognitos, qui hæc quoque comederint, potiſsimum vêre, cum adhuc virent, quemadmodum Fabas, & Cicer edere conſueuerunt. Sunt autem non inſuauia modo, ſed concoctu etiam difficilia, aluúmque inhibent. Perſpicuum ergo eſt cum ſint eiuſmodi, alimentum quod ex ipſis diſtribuitur, eſſe haud quaquā boni ſucci, ſed craſſum, atque ad ſuccum melancholicum gignendum idoneum, vt de Lente diximus. Verum Lenti quidem multa bona inſunt, his autem nihil bonorum illius adeſt. Aphacæ ſemen, auctore Dioſcoride, adſtringendi vim habet, quare torrefactum ſtomachi aluíque fluxiones ſiſtit, ſi freſum lentis modo decoquatur. Natura Aphacæ ad ſpiſſandum efficacior inquit Plinius quàm Lenti: reliquo vſu eoſdem effectus habet. Stomachi aluíque fluxiones ſiſtit ſemen decoctum. Vicia ſylueſtris caulibus, foliis, ſiliquis ſatiuæ ſimilis eſt, niſi quod omnia hæc minora habet, caules teneri ſunt, graciles, anguloſi folia in pediculis eodem modo quo in ſatiua diſpoſita, quorum extrema in binos ternóſue capreolos deſinunt: flores parui in ipſo caule: ſiliquæ item paruæ longiuſculæ, anguſtæ, in quibus ſena ſeptenáue grana, nigricantia, dura, viciæ ſeminibus minora. In agris cum ſegetibus prouenit. Hanc ſylueſtrem Viciam Dodonæus Arachum nominat, tertia ſyllaba per, ch, ſcripta, & Craccam, Galli *Veſce ſauuage & veſceron*, Germani *Vuilde vuicken*, & *Sant Chriſtoffelskraut*, Brabanti *Crok*. Ruellius etiam Craccā appellari refert. Fuchſius Aphacen vocat, Matthiolus, Viciam. Quorum ſententiam improbat Dodonæus, quod ſeminis Craccæ figura exquiſitè rotunda eſt, ſeminum vero Viciæ & Aphaces, forma rotunda non eſt, ſed aliquanto latior, veluti Lentium, vt ex Galeno modo diximus. Viciæ ſylueſtris figura qualis ſit, ex imagine ſatiuæ intelligi poteſt.

Locus. In cap. 142. li. 2. Dioſc.

Li. 2. c. 142. *Locus & Forma.*

Lib. 7. Hiſt. cap. 7. & 11.

Ibid. ca. 5.

Cap. 8.

Lib. 27. c. 5.

Li. 1. Alim. *Vſus*

Li. 2. ca. 142. *Vires.*

Lib. 27. c. 5.

Locus.

ARA

Forma.

Locus.

Li. 1. Alim.

ARACHVS, CAP. LIII.

HOc leguminis ſylueſtris genus Vicię ſilueſtri planè ſimile eſt cauliculis, foliolis, capreolis: floribus diſsimile, nam aceruatim in longis pediculis oriuntur, ferè in ſpicæ formam, ex cæruleo purpurei: deinde ſiliquæ compreſſæ, in quibus ſemina Viciæ ſylueſtri ſimilia, Vellaunij & Aruerni etiamnum hodie vocant *Arouſſes*, quaſi Arachum, corrupto quidem, ſed adhuc ſeruato veteri nomine. Inter ſegetes creſcit, & in agrorũ marginibus ἄραχον Græci vocant, Latini ſimiliter Arachum, de quo ſic Galenus. Apud nos ſylueſtre quoddam rotundum ac durum, Eruóque exilius, in fructibus cerealibus repertum, quod Arachum nominant, non per c, ſed per ch, vltimam ſyllabam proferentes quod ſelectum proiiciunt, vti & ſemen Securidacæ. Hæc Dodonæus in frumentorum Hiſtoria.

FOENVM GRAECVM, CAP. LIIII.

Nomina

THΛIΣ, κεραΐτις, ἀιγόκερος, βόκερος Græcis, Latinis fœnumgræcum. Maior Græcarum appellationum pars à ſiliquarum eſt ſimilitudine ſumpta: hæ enim corniculis ſimiles ſunt. Hinc ceraïtis ſimpliciter à cornu dicitur: κέρας enim Cornu ſignificat. Aigoceros à caprini cornu ſimilitudine,

Li. 2. ca. 11. quemadmodum à bubuli Buceros, quod nomen Theophraſtus huic plantæ indidit. Columella ſimpliciter Siliquam à ruſticis vocari ſcripſit. Varro Siliculam, Plinius. Siliciam, Arabes *Olba*, *Helbe*, ſeu *Hebbe*, Itali *Fiengreco*, Germani *Bockshorn*, Hiſpani *Alfornas*, & *Alhouas*, Galli *Fenugrec*, & *Senegre*, Angl. *Fenegreck*, Belg. *Fenigrec*. Fœnigræci genera ſunt duo, ſatiuum, & ſylueſtre. Fœnumgræcum ſatiuum caules multos ab vna radice profert teneros, rotundos, nigricantes, inanes, ramoſos: folia pratenſis Trifolij modo, in ambitu ſerrata: flores candidos, paruos, ex quibus ſiliquæ prodeunt longæ, corniculorum figura, incuruæ, & acuminatæ, in quibus ſemen ſub fuluum, pingue, grauis odoris. Radice firmatur multiplici, tenuíque. Fœnumgræcum ſylueſtre radice eſt longa, lignoſa, ſurculoſa: caule ſimplici dodrantali, ima parte corticoſo: foliis paucis, ſatiui foliis ſimilibus: ſiliquis quàm in ſatiuo latioribus, quę in tenue veluti filũ deſinũt, & curuorum inſtar cornuũ arcuantur: ſemine quàm in ſatiuo minore. In aridis prouenit. Sylueſtre aliud fœnumgręcum Tragi & recentiorũ multis rotundis & longis repit caulibus.

FOENVM GRAECVM ſatiuum Matthioli.

Genera.

Forma.

Locus.

Folia

FOENVM GRAECVM
ſyluestre Dalech.

FOENVM GRAECVM
alterum Dodonæi.

Folia ei oblonga ſunt, veluti Vicię, ſingula tamen maiora, latiora ac rotundiora, flores ex foliorum ſinibus prodeunt, albicantes: ſiliquæ oblongæ & aliquantulum recuruæ, Fœnogræco ſimiles, ſed minores, in quibus ſemen anguloſum, ſapore Viciæ. Radix longa & ſæpè tricubitalis, quæ non facile intermoritur, verum ſingulis annis primo vêre regerminat. Reperitur in vtraque Germania, locis ſiluoſis, opacis & incultis. Nullius in medicina aut cibo, quod ſciatur, vſus. Satiuum Septembri menſe, vel circa æquinoctium ſeritur, cum pabuli cauſa ſeritur, & menſis Ianuarij vltimo, vel primo Februarij cum in meſſem ſeminatur. Silicia hoc eſt Fœnumgræcum, inquit Plinius, ſcarificatione ſeritur, quatuor digitorum ſulco, non altiore, quantóque peius tractatur, tanto prouenit meliùs. Rarum vel, Mirum dictu, eſſe aliquid cui profit negligentia. Iunio & Iulio menſibus floret, dein ſiliquas producit, Auguſto maturum ſemen legitur. Fœnumgræcum veteres in cibos recipiebant, nec non in medicos vſus. Fænigræci ſemen Galeno inter manifeſte calfacientia cenſetur, eundémque hominibus in cibo vſum prętat, quem Lupini. Sumitur enim cum Garo alui ſubducendæ gratia: eſtque huic rei multo quàm Lupini accommodatius, cum nihil ex propria ſubſtantia habeat, quod tranſitum remoretur. Manditur autem & cum aceto & Garo ſicut Lupini. Multi præterea & Fœnumgræcũ & Lupinos ex vino, garo, & oleo ſumunt, alij etiam panem addunt, eóque obſonio ſunt contenti, quod vt ventrem minùs ſubducat, caput certe non tentat, quod nonnullis Fœnumgræcum ex Garo facere ſolet. Præterea ſtomachum non ſubuertit: nam id quoque Fœnumgræcum in quibuſdam efficit. Succus ipſius cum melle ſumptus ad omnes prauos humores qui in inteſtinis habentur ſubducendos eſt accommodus: ſuo quidem lentore leniens, calore autem dolorem mitigans. Quod autem abſterſoriæ facultatis ſit particeps, inteſtina etiam ad excretionem inſtigat, ſed parcius ei mel eſt admiſcendum, ne mordacitas exuperet. In diuturnis verò

Tempus.

Lib. 18. c. 16.

Tempus.

Li. 1. Alim.

Vſus & vires.

thoracis citra Febrem affectibus, pingues cum eo palmulas elixare oportet, vbi autem succū ipsum expressum copioso melli miscueris, ac rursum super carbones ad mediocrem crassitiem coxeris, tum demum longe ante cibum vti. Hodie Fœnogræco in cibis non vtimur, sed in medicos vsus sæpissimè, præsertim à chirurgis, admittitur. Farina enim eius, vt recte tradit Dioscorides, vim habet molliendi, discutiendíque: in aqua mulsa decocta aduersus tam internas quàm externas inflammationes efficaciter illinitur: lienem cum aceto & nitro trita extenuat. Succus decocti eius fœminarum malis subuenit, & siue tumor, siue præclusio sit vuluæ, fouentur & insident. Fœnigræci in aqua decocti cremor expressus, capillos, furfures, & manantia capitis vlcera purgat: locos dilatat, & emollit, si cum anserino adipe pessi vice subiiciatur. Viride cum aceto vtilissimum imbecillibus locis, & vlcera sentientibus Decoctum eius prodest aduersus tenesmos, fœtidámque dysentericorum proluuiem. Oleum quod ex eo exprimitur, & myrto, capillos, & genitalium cicatrices absterget. Nec Fœnogræco minor est auctoritas, inquit Plinius, quod Telin vocant, alij Carphos, alij Buceras, alij Ægoceras, quoniam corniculis semen est simile, nos Siliciam: Vis eius siccare, mollire, dissoluere. Succus decocti fœminarum pluribus malis subuenit, siue duritia, siue tumor, siue contractio sit vuluæ, fouentur, & insident: infusum quoque prodest. Furfures in facie extenuat. Spleni addito nitro decoctum & impositum medetur: item ex aceto. Sic & iocinori decoctum. Subiiciūtur & alia plura ad vsum medicū pertinentia, de quibus & iis quę Dioscorides tradidit, iudicium ferri potest ex iis quæ Galenus scribit: nempe Fœnumgræcum calefacere secundo ordine, desiccare primo: quare feruentes phlegmonas irritare, exacerbaréque, quæ verò minùs sunt calidæ & duræ, eas digerendo curare. Sicci seminis farina, inquit Matthiolus, cum sulphure & nitro lentigines delet. Medetur vlcerosæ scabiei, si cum quarta parte seminis Nasturtij excipiatur aceto, & subinde illinatur. Eadem in hydromelite decocta, addita axungia auxiliatur genitalium tumoribus: parotidas etiam iuuat, chiragram, podagram, & articulorum luxationes. Ex vino subacta carcinomata purgat. Datur vtiliter potandum Fœnigræci decoctum diuturna tussi laborantibus, & cum pectus fuerit exulceratum. Seminis decoctum maceratis in eo Linteolis, & fronti adhibitis, oculorum fluxiones auertit.

Lib. 2. c. 95.

Li. 24. c. 15.

Libr. 8. fin.

In cap. 95. li. 2. Dioſc.

SESAMVM CAP. LV.

Nomina SHΣAMON dicitur Græcè, similiter Latinè Sesamum, & Sesama, Arabicè *Semsem*, & *Sensera*, Italicè *Sesamo*, *Sosimano*, & *Ingiolina*, Hispanicè *Iorgilin*, & *Alegria*, Gallicè *Iugioline*. Sesami quidem semen in officinis satis protritum est, ex quo videlicet copiosum exprimitur oleum, ipsa verò Sesami planta non æquè nota, vt pote quæ numquam vel rarissimè in Italia & Gallia seratur. Semen autem quo Officinæ vtuntur, ex Græcia & Peloponneso ad nos conuehitur. Sesamum Theophrasto auctore, caule est ferulaceo, magis quàm arundinaceo, Milio simili, crassiore tamen ac magis multiplici, radice numerosiore: foliis rubentibus: flore viridi, herbaceo: semine vasculis incluso Papaueris modo. Plantā nomine Sesamilis hîc pictā à Luca Ghino ad se missam fuisse ait Matthiolus, sed legitimum Sesamum esse non affirmat, quod culmum non ferat Milio crassiorem, altiorem, numerosiorémque, nec radices plures, sed scapum Fabacei æmulū, in quo vt in Faba, siliquæ triangulares, aut quadrangulares, in quibus semen. Deinde folia eius non rubent, nec flos herbaceus est. Ex quibus tam leuibus coniecturis statuere aduersus omnium iudicia non debuit Matthiolus postremam plantam non esse Sesamum, vt ait Pena, quantum

Lib. 8. Hist. cap. 3. & 9.

Forma

SESAMVM verum.

tum enim ſeminis Seſamini ex Alexandria & Creta defertur, huius plantæ eſt. Seſama, inquit Plinius, ab Indis venit, ex ea & oleum faciunt, color eius candidus. Omnium quæ ex æſtiuis ſementibus ager recipit, Seſamam terræ moleſtiſsimam eſſe ſcribit Theophraſtus, plurimúmque poſſe eam emaciare, vtpote quæ multiplici magis, craſsioréque calamo, & numeroſiore radice ſit quàm Milium. Seſamo, vt cæteris leguminibus veſcebantur antiqui Galeno teſte, qui ob id leguminib⁹ ſubiunxit. Plinius æſtiuis frumentis annumerat. Seſami ſemen, inquit Galenus, pingue eſt, ideóque repoſitum celerrimè fit oleoſum: quamobrem eos qui ipſo veſcuntur celeriter implet, ſtomachúmque ſubuertit, ac tardè concoquitur, pinguéque corpori præbet alimentum. Liquet ergo quod ventriculi partibus vigorem ac robur addere nequit, quemadmodum neque aliud quoduis pingue. Eſt autem craſsi ſucci, ideóque non propere peruadit. Ipſo autem ſolo non admodũ veſcuntur, ſed cum melle crudo Seſamidas, quas vocant, (nimirum Placentas) effingentes. Panibus etiam inſpargitur. Seſamum Dioſcoridi ſtomacho inutilis cibus, halitus grauitatem facit, quoties inter mandendum commiſſuris dentium inhæſit. Neruorum craſsitiem illitu diſcutit. Medetur auribus fractis, ambuſtis, inflãmationibus, coli doloribus, & ceraſtæ morſibus, capitis dolores qui æſtuatione concitantur, ex roſaceo lenit. Eadem efficit herba decocta in vino: præſertim inflammationibus oculorum, doloribúſque prodeſt. Ex eo fit oleum quo Ægyptij vtuntur. Quæ verò Ruellius vertit, medetur auribus fractis, & cætera, Græcè ſic leguntur. Καὶ τὰ ἐν ὠσὶ θλάσματα, καὶ φλεγμονὰς, καὶ πυρίκαυστα, & κώλων ἀλγήματα, & κεράστου δῆγμα θεραπεύει, Id eſt, Aurium contuſiones, inflammationes igne ambuſta, coli dolores, atque ceraſtæ morſum ſanat. Cornarius tamen κώλων ἀλγήματα artuum dolores interpretatur, legendúmque cenſet κώλων per ω, non κόλυ per ο. quod inteſtinum craſſum ſignificat. Lacuna verò in nonnullis manuſcriptis codicibus legi tradit, ἀσκαλαβώτου & κεράστου δήγματα, id eſt, ſtellionis & ceraſtæ morſus in quibuſdam tantũ κωνοπῶν δήγματα θεραπεύει, id eſt morſibus culicum medetur. Seſama trita in vino ſumpta inhibet vomitiones inquit Plinius. Aurium inflammationi illinitur, & ambuſtis. Eadem efficit & dum in herba eſt. Hoc amplius oculis imponitur decocta in vino, Stomacho inutilis cibus, & animæ grauitatem facit: ſtellionum morſibus reſiſtit: item vlceribus quæ cacoethe vocant. Et auribus oleum quod ex ea fit prodeſſe diximus. Hæc ſic legimus in vulgatis noſtris exemplarius, Cornarius verò in vetere ſuo codice pro vino legit ouo, idque veriſimilius. Seſama trita in ouo ſumpta inhibet vomitiones. Deinde pro hoc amplius, habet, Hæc amplius, vt de herba accipiamus. Seſamum, Galeno, non parum in ſe continet viſcoſum & pingue, quare emplaſticum eſt, & molliens, ac modicè calidum. Eiuſdem facultatis eſt quod ex eo conficitur oleum, herbæ quoque decoctum ſimilem vim obtinet. Oleum Seſaminum, vt tradit Meſues, impinguat, ſemen auget, aſperam arteriam lenit, & vocem ob id claram reddit.

Lib.8.Hiſt. cap.9.

Li.1. Alim. Lib.18.c.10.

Vſus & Vires

Lib.2.c.91.

Li.22. c.25.

Embl.87. libr.2.

Lib.8. ſim.

Li.3.Antid.

OROBANCHE, *CAP. LVI.*

Nomina

Ὀρόβαγχη Græcè ſic & Latinè Orobanche nominatur, & Erui angina, à Theodoro Eruanga. Nam Orobanche ab Erui ſtrangulatu nomen adepta eſt, nempe quod ὄροβον ἄγχει, id eſt, quod Orobum ſiue Eruum ſtrangulat. Duplicem eſſe Orobanchen ex Theophraſto, Galeno, Dioſcoride colligere licet. Vnam quæ legumen ſit, aut leguminum Erui præſertim vitium, & peſtis: alteram quæ cauliculus tãtum ſit ſubruber. Theophraſtus de ſeminibus quæ inter alia naſcuntur loquens, vt de Ægilope qui in Hordeo magis oritur, de Aracho qui in Lẽte, de Securidaca quæ in Aphaca, ſubiicit. Ἔνια ὃ δὲ φανερῶς ἔστι κοινὰ πλειόνων, ἀλλὰ διὰ τὸ μάλιστα ἓν τισιν ἐνοθεύειν (ſic enim legendum ſenſu ita poſtulante, & Gazæ verſione ſubſcribente, non ἀνοθεύειν, vt in publicis exemplaribus legitur) ἴδια τούτων φαίνεται. καθάπερ ἡ ὀροβάγχη τῶν ὀρόβων, καὶ ἡ ἀπαρίνη τῶν φακῶν. ἀλλ' ἡ μὲν ἐπικρατεῖ τῶν ὀρόβων διὰ τὴν ἀσθένειαν. ἡ δὲ ἀπαρίνη μάλιστα ἐν τοῖς φακοῖς εὐτροφεῖ. τρόπον δέ τινα παραπλήσιος ἔστι τῇ ὀροβάγχῃ, διὰ τὸ ἐπιβάλλειν δὲ καὶ κατέχειν ὅλον ὥσπερ πλεκτάνη: ἀποπνίγει γοῦν ὅτου, ὅθεν καὶ τὸ ὄνομα ἔλαβε. Id eſt, Quædam autẽ ſunt perſpicuè multorũ communia. Sed quia in quibuſdã maiorẽ vim habent, horũ propria exiſtimantur, veluti Orobanche Orobi, Aparine Lentis. Sed Orobanche quidem Eruum vincit propter imbecillitatem, Aparine autem inter Lentes bene nutritur: & ea quidẽ Orobãche quodammodo ſimilis eſt, quia totam plantam aggreditur, & veluti brachiis amplexatur: ſic enim ſtrangulat, vnde ei nomen. Idem alio in loco de iis ſcribens quæ vicinas plantas interimunt. Καὶ γὰρ ἡ ὀροβάγχη καλαμῶν τὸν ὄροβον τῷ περιπλέκεσθαι καὶ καταλαμβάνειν: καὶ τὸ λειμόδωρον τὸ βύκερας εὐθὺς τῇ ῥίζῃ παραφυόμενον. Id eſt: Etenim Orobanche Eruum necat amplexu compreſſúque ſuo, & Limodorum fænumgræcum interimit protinùs radici adnaſcens. Orobanches leguminis ſic quoque meminit Galenus. Reperit igitur in Lente quoque ex mutatione ipſius enatum durum rotundúmq; Arachum, & Pelecynum ſeu Securidacam ſemina non veſca: præterea Aparinen, quæ non modò non eſculenta eſt, ſed plantæ lentis dum aſſurgit, vndique implexa, ipſam ſtrangulat, ſuffocat, & detrahit, non aliter quàm Orobanche Eruum. Plinius & illius mentionem facit his verbis. Eſt & herba quæ Cicer enecat, & Eruum circumligando ſe, vocatur Orobanche. Orobanchen legumen putant eſſe docti herbarij quæ hîc depicta eſt, indicatã pro Rphace à Dodonæo. Tenuibus, anguloſis, geniculatis, longis, Lentéque altioribus cauliculis aſſurgit. Folia ſunt ei parua, tenuia, latiuſcula, in acutum deſinentia, in ſingulis geniculis bina, inter ſeſe oppoſita, circa quæ tenues viticulæ, & graciles pediculi, flores ferunt paruos, ac luteolos, quos ſiliquæ ſequuntur latæ, Lentis ſiliquis longiores, in quibus ſemina quaterna quináue, lata, nigra, dura, Lente minora: radices paruæ ſunt & fibratæ. Alteram Orobanchen Dioſcorides deſcribit his verbis. Orobanche cauliculus eſt ſeſquipedalis, & interdum maior, ſubruber, hirſutus, tener, ſine folio, pinguis: flore ſubalbido, aut in luteum vergen

Genera.

Li. 15. cauſſ. cap. 22.

Li. 1. Alim.

OROBANCHE Legumen, Aphaca Dod.

Li. 18. c. 17.

Lib. 4. c. 28.

Forma

Li. 2. ca. 136.

vergente: radice digiti craſsitudine, & cum ariditate flacceſcit caulis, fiſtuloſa. In hac hiſtoria quæ Ruellius vertit, ſine folio, pinguis, Græcè legimus φύλλοις ὑπολίπαρον, id eſt, foliis ſub pinguibus: neque enim prorſus foliis caret hæc Orobanche, ſed in ſummo folioſa habet, inter quæ flores prodeunt. Plinium Ruellius quidem ſecutus eſt, qui Orobãchen ſic deſcripſit, ita tamẽ vt cum ſuperiore Orobanche hanc confundat. Orobanchen, inquit, appellauimus necantem Eruum & legumina: alij Cynomorion eam appellant, à ſimilitudine canini genitalis. Cauliculus eſt ſine foliis, pinguis, rubens. Legitimam hanc Orobanchen alteram eſſe quę hìc depicta eſt, quæque notis omnibus hiſtoriæ Dioſcoridis reſpondeat, Matthiolus, & plerique docti herbarij exiſtimant. Ananienſes, teſte eodem Matthiolo Herba lupa vocant, quod vicinas herbas deuoret, nonnulli *Coda dileone*, alij *Herba tora*, quod vaccæ ea deuorata (vt paſtores facto periculo teſtantur) ſtatim taurum adeant. Cynomorion etiam appellatam à ſimilitudine canini genitalis Plinius dixit, non inconcinna repræſentatione: nam ſi quis eam contempletur glabro, ſingulariſque caule proſilientem, confarctos inter ſe flores, & quaſi in glomum collectos monſtrantem, genitalis canini effigiem referre perſpiciet, quod in ſummo craſsius, & veluti galericulo contectum cernitur. Recentioribus Græcis ὀσπριολέων, & λεοντοβολάνη dicitur, hoc eſt, legumen Leoninum, & Leonina herba. Eiuſdem meminit auctor libri de plantis Ariſtoteli inſcripti. Eſt quæ caulem habeat, inquit, ſed abſque fructus, & foliis, vt quam appellant Chryſocomen aut Chryſiti. Quibus verbis Orobanchen Dioſcoridis, Hæmoderon Theophraſti perſpicuè intellexit, Chryſitidis nomine conuenientes à fuluo colore Sciolus quidam expoſuit Chryſocomen. Dodonæus hanc Dioſcoridis Orobanchen, Theophraſti λιμόδωρον eſſe putat, de quo ſic Theophraſtus. Τὸ ὑποφυόμενον εὐθὺς ἐκ τῆς ῥίζης τῷ κυμίνῳ, καὶ τῷ βακτρίῳ τὸ λιμόδωρον (non λιμόδωρον, ſed ἀμόδερον legendum, à cute tanquam cruore infecta, puto, μονόκαυλον, ὃν ἀπέμφερες τῷ καυλῷ, πλὴν βραχύτερόν τι πολύ, καὶ ἄνωθεν τί κεφαλῶδες ἔχει, ῥίζαν ὑποστρόγγυλον. Id eſt, Quod autem ſtatim ab radice cumino, & Fœnogræco ſubnaſcitur Hæmoderon, vnicaule eſt, nec diſsimili caule, verùm breuiore multo, & ſuperne quoddam veluti caput habet, radicem autem ſubrotundam. Idem alibi ait Hæmoderon radici protinus adnaſcens Fœnumgræcum necare. Interim ex emendato Theophraſto, inſigne in Plinio mendum corrigendum. Legimus enim lib. 20. cap. 10. Et necatur cuminum ab imo dorſo, cum legendum ſit, Et necatur cuminum ab hæmodero, ex Theophraſt. lib. 8. hiſtor. cap. 8. Cæterùm Dioſcoridis Orobanchen à Theophraſti Orobanche prorſus diuerſam eſſe ex vtriuſque hiſtoria perſpicere licet: cum enim Dioſcoridis Orobanche vnico conſtet caule, quî Eruum, vel quamuis aliam ſegetem ſic apprehendere, & veluti brachiis amplecti poſsit, vt ſtrangulet, quod de ſua Orobanche tradidit Theophraſtus, cauliculis repentibus & viticulis ſuis phantas vicinas complecti, non interimere ſingulari caule

Li. 22. c. 25.

OROBANCHE altera Matthi.

In cap. 136. li. 2. Dioſc.

In hiſt. fru.

Lib. 3. Hiſt. cap. 8.

Li. 5. cauſ. 2.

diuersum est. Tamen Dioscorides Orobanchen suam inter quædam legumina
Ibidem. nasci scribit, & ea strangulare, atque inde Orobanches nomen inditum. Quare dicendum, quod censet Matthiolus, hanc nullo sane amplexu, sed præsentia tantum sua, legumina, segetes, cannabim & linum interimere, quæ iuxta ipsam oriuntur: vel dicendum, Dioscoridem Orobanchen quæ duplex sit, pro vna duntaxat accepisse, quod à Plinio etiam factum, diximus. In agro Cannabe consito effossa multoties est Hęmoderos, tam prope nascens sub radice Cannabis, vt eam amplecteretur, ac sustolleret, velut impacta, & agglutinata: qua vicinia, & adhæsu, multum alimenti Cannabi adimebatur, quoniam Hæmoderos planta succosa & per humida multo succo egeret, quo intercepto fraudaLib. 8. sim. batur propinqua Cannabis. Priorem Orobanchen dicit Galenus siccæ frigidæ*Vires & temper.* que temperaturæ esse in primo ordine. Alteram Dioscorides tradit oleris modo æsitari crudam, & in patinis Asparagi modo decoctam: legumentis additam concoctionem eorum accelerare.

ORNITHOPODIVM, CAP. LVII.

Nomina PLANTAM istam Ornithopodium, id est auis pedem, Gallicè *Pied d'oiseau*, appellare voluerunt herbarij. Est enim veteribus Græcis & Latinis, quod sciam anonymos, nisi sit Polygalon Dioscoridis, de quo mox dicemus. Ornithopodium autem non sine ratione dicitur, nempe à similitudine pedum paruæ auiculę, siliquæ vni pediculo nixæ, quaternæ aut quinæ, expansæ, mucronatæ, quasi stylis aduncis, articulatis, curuatis referunt. Paruulis multis, tenuibus, ac gracilibus exit cauliculis per terram *Forma.* stratis, folia in his plurima, rotunda, parua, Lentis foliis minora & tenuiora: flosculi exigui, lutei, in paruis pediculis dense coaceruati: siliquæ paruæ, tenues, quales diximus, in quibus sena, septenáue minuta & rotunda semina, Napi aut Rapi seminibus similia. Nascitur in aruis inter segetes. Reperitur & in locis incultis, veluti in collibus, pratis siccis & apricis, ac secus vias.

ORNITHOPODIVM Dod.

Ornithopodium aliud ex Dalechampio, pictum damus, quod in aridis & sabulosis nascitur, radice multiplici huc illuc fusa,

ORNITHOPODIVM tuberosum Dalech.

tenui

PVSILLVM
Ornithopodium Pena.

tenuibus fibris capillata, crebris tuberculis nodosa duris, rotundis: cauliculis multis, humi ferè sparsis, aut paululũ extantibus: foliis Viciæ, minoribus, in singulis ramulis ex aduerso dispositis numero imparibus: flore in summis ramulis ex albo rubescente: siliquis exilibus, curuis, ferè ternis, velut articulis quibusdam distinctis: minuto semine. Herniariam quidam vocant, quia omenti & intestini prolapsui mirè auxilietur sumpta & admota. Item experimentis constat totius plantæ decoctum ac puluerem renum calculos frangere ac eiicere. Aliud perpusillum & elegans Ornithopodium pictum monstrat Pena. Oritur in marginibus herbidis Grinuincij Regiæ ad Tamesin flumẽ, non procul Londino. Vix binos aut ternos superat pollices: ramulis in terram sparsis, exilioribus & crebrioribus, venustius ordine positis quam in superiore: non aliis natalibus gaudet.

GLAVX, CAP. LVIII.

SVPERIORI similes præsertim foliis plantas aliquot adiungemus, primum eam quæ, si Dodonæo credimus, γλαῦξ Græcis, & γάλαξ, & γλὰξ, Latinis similiter Glaux nominatur, Gallicè *Herbe au laict*, Germanicè *Milchkrant*. Cauliculos multos ex eadem radice mittit, teneros, dimidium pedem altos, in quibus vtrimque ordine digesta folia parua, longiuscula, minoribus Lentis foliis proxima, infernè candidiora quàm supernè: inter quæ flores prodeunt, Violis similes, minores & purpurei. Radix gracilis & fibrata per terram serpit. Locis salsuginosis & vliginosis maritimis prouenit, in tota Zelandia: quæ satis Glauci à Dioscoride descriptæ conueniunt. Glaux, inquit, Cytiso & Lenticulæ foliis similis, quæ supernè virent, auersaq; candidiora spectantur: ramuli à terra exiliunt quini, seníue, tenues ab radice, dodrantem alti: flores Leucoij, purpurei, minores tamen. Nascitur iuxta mare. Glaux antiquitus Galacton vocabatur, inquit Plinius, Cytiso & Lenticulæ foliis similis: auersa cãdidiora. Rami in terrã serpunt, quini seníue, admodum tenues ab radice: flosculi purpurei exeunt. Inuenitur iuxta mare. Coquitur in sorbitione similaginis ad excitãdam vbertatem lactis. Eam qui hauserint, balneis vti conuenit. Dioscorides eandem ei vim tribuit. Coquitur, inquit, cum Hordeacea farina, sale, & oleo in sorbitione, adrenocãndam

Lib. 1. c. 31. *Nomina*

Forma.

GLAVX
Dodonæi.

Li. 4. ca. 136.

Lib. 27. c. 9.

Vsus & Vires.

GLAVX CLVSII.

Li.6.simpl.

extincti lactis vbertatem. Idem & Galenus habet. Glaux herba & ipsa lactis generandi vim obtinere videtur. Quod si ita sit, calida quodammodo humidaque fuerit temperamento. Glaucem aliam proposuit Clusius, qua nullam magis ad amussim Dioscoridis descriptioni quadrare ait. Ternis aut quaternis à radice caudiculis assurgit, dodrantalibus, gracilibus, incanis: foliis ordine vtrinq; digestis secundum costæ longitudinẽ, lentis modo, mollioribus, superne viridibus, inferne cana lanugine obsitis, gustu non nihil amaro: flos extremis cauliculis confertus, & capituli spicæue obtusę & brevioris modo innascitur, Glycirrhizæ vulgaris forma & colore perquam similis, radice exili, candicãte. Nusquam alibi se vidisse ait quàm ad ripas Thormis fluminis, quod Salamanticam alluit, paulo infra vrbem nomine carentem, mense Iunio. Verùm is locus procul à mari distat, iuxta quod Dioscorides nasci tradit.

POLYGALON, CAP. LIX.

Nomina
Lib.4.c.157.
Forma

NOMEN ab affectu sibi vendicauit πολύγαλον, siue πολύγαλα, quod potum, inquit Dioscorides, lactis abundantiam faciat. Frutex est paruus, palmi altitudine, folio Lentis, gustu subacerbus. Polygala Plinio palmi altitudinem petit, in caule summo foliis Len-

POLYGALON Matthioli, Astragaloides Lobellij.

POLYGALA multorum: quibusdam Onobrychus.

ticulæ

ticulæ,gustu adstricto,quæ pota lactis abundantiam facit. Polygalon Matthioli hîc appinximus,quod tamen verum esse is non affirmat.Palmarem,inquit,altitudinem non excedit, folia Lenticulæ habet, & gustu est adstricto. Præterea Carzolarius scripsit experientia sibi compertum esse, eius vsu lac copiosum in mulieribus prouenire. Lobellius esse vult Astragoloides Herbariorum, quam circa arcem dirutam oppidumq; *Treuou*, Lugdunensis Galliæ in collibus sæpe legit. Quia vero ad Astragalon accederet, Astragaloidem cum Valerando rei herbariæ peritissimo nominauit.Cauliculis est palmum altis,aut pedalibus, foliis Ciceris,aut Galegæ,sed minoribus,in pediculis vtrinque ordine sitis.Flosculi sunt in pallido punicei,aspectu venusti. Radix crassitudine digiti.

Polygalon verum multorum est Dodonæi in Histor.Stirpium Viciæ alterius secunda species,in Frument.Histor.Onobrychis,Lobellio, Caput Gallinaceum Belgarum.Caules profert à radice multos,cubitales, procumbentes, & per terram reptantes:folia Galegæ similia,tenuiora tamen subtus albicantia, ex pluribus angustis in acutum desinentibus coaceruata. Flores in longiusculis spicis rubent.Fructus echinati sunt,asperi,plani ac subrotundi.Diensibus Allobrogibus *Sparse* dicitur. Vbi pratorum copia non est, in asperis & lapidosis locis, paucula terra tectis, bidente tantum scalptis, iniecto fimo diligenter comminuto ea gens serit, humóque ac insperso stercore operit. A satu imber si subsequitur,facilimè comprehendit,& optimè proficit, disiectis huc illuc cauliculis sic vestiens solum, vt in squallidissimo solo lætissimi prati speciem ostendat. Sequatur anno ter cum adoleuit & corroborata est, pecoríque gratissimum est pabulum. Gaudet præcipuè locis aridis, & sabulosis. Abundare lacte pecudes quæ illa viridi & sicca pascuntur,certissimum est.

Forma.

Locus.

Tempus. Lib.2.ca.13.

Polygalam aliam ex Clusio hîc pictam damus, nusquam alibi quam in Hispaniis ab eo repertam, & obseruatam. Est quidem illa fruticosa, binos palmos alta, multas ferens virgulas lentas, Sparti aut Iunci modo: folia singulis oblongis costis inhærent, impari plerumque numero,quina,septena,aut plura,

POLYGALA Valentina.

POLYGALA repens.

Lenticu

Lenticulæ ſimilia,magis tamen carnoſa,& ad Rutæ colorem accedentia, guſtu adſtringẽte,& ingrato:flores Meliloto ſimiles,colore luteo, coronæ in modum ſummis virgulis(quæ magna ex parte nudæ ſunt,& maturo ſemine areſcunt)inſident:incuruæ,longæ & teretes ſuccedunt ſiliquæ, ternis aut quaternis internodiis diſtinctæ, quæ ſemen continent durum,oblongum, nigrum, ingrati ſa-
Tempus. poris:radix longa,dura, lenta, ſatis craſſa. Perpetuò viret,floret Aprili,Maio & Iunio:ſemen Iulio maturum eſt.Apes ex eius flore mel plurimum colligere cre-
Locus. duntur.Agro Salmaticenſi frequens ſecus vias: inuenitur etiam in Granatenſi, Murciano,& Valentino regno,locis arenoſis, & collium decliuibus. Salmanticenſes *Coronilla de Rey* vulgo appellant, quaſi Sertulam Regiam, & iſtic Officinæ Meliloti vice vtuntur, Granatenſes & Murciani *Lenteiuela*, id eſt Lenticulam, Valentini Poligalam. Ad Ornithopodium Dodonæi accedere videtur.

Apud nonnullos Herbarios etiam Polygalæ nomen adepta eſt, plantula hæc multis denſiſsimisq; ramulis palmum longis,reptantibus foliolis Herniariæ per interualla diſtinctis,è quibus florum, veluti candicantes globuli verticillatim oriuntur.In ſcrobibus ſabuloſis,foſſarum & agrorum marginibus,Antuerpiæ & Gandauo conterminis luxuriat.

ONOBRYCHIS, CAP. LX.

Nomina Genera. ΟΝΟΒΡΥΧΙΣ ab Aſini ruditu nomen adepta, Latinis ſimiliter Onobrychis dicitur. Eius genera aliquot florum colore diſtincta. Prima Dodonæi herbula eſt tenera, palmum vnum, aut duos alta, caulibus gracilibus & teneris,in quibus foliola viridia, ferè Lentis: flores ſecus cauliculos,& in ſummo exeunt,cærulei, Violæ purpureæ quadamtenus ſimiles,ſed inodori,tintinabuli quinquanguli ferè figura, è cuius medio piſtillum exeritur, in ſummo tripartitum. Flores Oriente ſole panduntur, Occidente occluduntur. Onobrychis ſecunda Dodonæi Polygala eſſe.Cauliculos profert graciles, lentos,lignoſos,palmum vnum longos,humi repentes:folia parua, anguſta, Lentis foliis ſimilia: flores in ſummis cauliculis fumariæ floribus haud abſimiles figura & magnitudine,aliquando rubentes, aliquando niuei candoris: folliculos paruulos, vtraque parte foliolis, veluti alis paruis contectos.Radix tenuis eſt & lignoſa. Prima in fœcundis agris inter Triticum prouenit. Secunda in aridis montibus, & ſecus vias. Maio menſe floret: Illa Iunio & Iulio. Onobrychis tertia, purpurea, radice eſt parua, candida, inutili: caulibus multis, pedalibus, rectis, non vt in aliis Onobrychidis generibus, per humum repentibus: foliis Lentis, per caules nullo ordine diſpoſitis: flore puniceo, in ſummis caulibus denſo & copioſo: ſemine minutulo, in folliculis, ſeu Veſicis anguloſis. In Siccaneis montium pratis proſilit. Hanc eſſe Dioſcoridis Onobrychida declarat ipſius Hiſtoria. Onobrychis, inquit, folia habet Lentis, longiora paulo, caulem dodrantalem: florem puniceum, radicem paruam. Naſcitur in vliginoſis & incultis. Quibus ſubſcripſit Plinius his verbis. Onobrychis folia habet Lentis, longiora paulo: florem rubentem: radicem exiguam & gracilem.

ONOBRYCHIS Prima Dodonæi.

Forma.

Locus. Lib.3.c.152.

Li.24. c.16.

Naſcitur

ONOBRYCHIS Secunda.

ONOBRYCHIS TERTIA, purpurea Dalechampij.

ONOBRYCHIS IIII. Lutea Dalechampij.

Nascitur circa fontes. Onobrychis quarta, lutea, in niuosis Iuræ montis cacuminibus prosilit, radice crassa, lignosa breui, candicante: cauliculis perquam multis, pedalibus: folio Lini, angustiore, longiore, inæquali positu è cauliculis prodeunte: flore luteo, copioso, paruo, in summis cauliculis nitente. Herba rara, & vix alibi visa. Onobrychis Galeno auctore, rarefaciendi digerendíque vim obtinet. Quare folia eius etiámnum virentis, illita ad morem cataplasmatis, tubercula discutiunt: arefacta verò si cum vino bibantur, strangurias sanant. Quínetiam sudores elicit cum oleo inuncta. Herba suapte vi si trita illinatur, Dioscoridi, tubercula disipat, cum vino pota strangurias sanat: illita ex oleo sudores mouet: at Plinio, siccata in farinæ modum, & inspersa vino albo, strangurias finit. Aluum sistit. Succus peruunctis cum oleo sudores mouet.

Li.8. simpl. *Vires & Temper.*

Lib.3.c.152.

Li.24. c.16.

ANTHY

ANTHYLLIS CLAVICVLATA, CAP. LXI.

Forma.

Nomina

HOc Anthyllidis genus radicem edit nigram, lignosam, fibratam, dimidium pedem longam, superne in multa veluti caulium principia diuisam, crassiuscula, laminulis corticosa, ex quibus folia multa exeunt, humi strata, longa, ex foliolis composita, Lenti similibus, vtrinque ordine ex aduerso digestis. Flores in cacumine nudarum virgularum emicant, oblongi, lutei: deinde siliquæ Lenti similes, nigræ, ex quarum vertice tenuis villus oritur, capreolo clauiculæue similis. In macris & sabuletis apricis gignitur.

SOLEA EQVINA, CAP. LXII.

ASILIQVARVM figura plãta hæc Solea Equina, siue Ferrũ Equinum nominatur, ab Italis *Ferro di Cauallo*, à quibusdam *Sferra Cauallo* ab effectu, quod equi, qui diu plantam hanc virentem calcauerint, ferreis soleis exuantur. Chymici inter Lunariæ genera recensent. Securidacam montanam Matthiolus appellat, quod non paruam videatur habere cognationem cũ minore Securidaca, tũ figura, tum viribus. Radix eius est lõgiuscula, candida,

In li. 1. Dioscor. ca. 135.

SOLEA EQVINA
Dalechampij.

SOLEA EQVINA, siue
Securidaca montana Matth.

modicè

modicè fibrata: cauliculi in orbem multi, tenues, humi procumbẽtes, ſurculoſi: folia Lentis: flos Geniſtæ luteus: ſemen Lunæ creſcentis inſtar excauatum in ſiliquis, non continuo tractu porrectis, & æqualibus, vt in reliquis ſiliquatis, ſed flexuoſis crenis per ambitum lunatis, & interciſis, Solearum equi figuram huic Legumini peculiarem propemodum referentibus: quam ob cauſam quidam Lunariam ſiliquatam vocant. In ſaxoſis & macris locis Monſpelienſis agri creſcit. Floret Maio menſe. Tota amara eſt, & Hedyſaro natura aſsimilis. Quod calcatu Soleas equorum frangat, fabuloſum eſſe Pena aſſerit, ſeq; ſæpius eius rei fruſtra periculum feciſſe. Huic aliam idem ſubiungit, non minus venuſtam, aut raram in Narbonenſium ſegetibus naſcentem, quam Scorpioidem Leguminoſam vocat. Radice nititur fibrata: cauliculos rectos, graciles, binos aut ternos, pedales & ſeſquipalmares erigit, in quorum faſtigio admodum incuruis mu-

Forma.

Locus.

Vires.

SCORPIOIDES Leguminoſa.

STELLA Leguminoſa Lobellij.

cronibus adunca cornicula, Fœnogræco rotundiora, graciliora inſunt, quæ introrſum flexas Scorpionum caudas tranſuerſis articulis, ac pulchris aſpectu, lineis virgata, imitãtur. Floſculi lutei, puſilli. Folia Ornithopodij, au Tribuli exiliora, ab imo ſtatim ceſpite in neruulis vtrinque ſita. Securidacæ eſſe credunt genus. Huic ob ſimilitudinem iungenda. Stella Leguminoſa, quam Arturo Cortuſio rariſsimam plantam debemus: foliis exit Leguminoſæ Scorpioidis, floſculis Lampſanæ. Semen exile, pullum in corniculis tantilum falcatis, ex vno pediculo aptis, & radiatim congeſtis, Stellam exprimentibus, guſtu Leguminoſo & glutinoſo. Ad amatoria ſummis laudibus celebratur.

LINVM, CAP. LXIII.

LINON vt Græcis, ita etiam Latinis, & Officinis Linum dicitur, Arabibus *Bazari chichen*, ſiue *Bezerchetan*, Italis *Lino*, Germanis *Lein*, & *Flachs*, Hiſpanis *Lino*, Gallis *Lin*. Lini genera duo facit Matthiolus, Linum ſatiuum, & Linum ſylueſtre. Linum ſatiuum tenuibus, ac rotundis culmis, ſeu virgis aſſurgit. Folia oblonga, anguſta, acuminata: flores

Nomina Genera. In ca. 95. li. 2. Dioſcor.

Forma.

LINVM.

In cap. 96. li. 2. Dioſc.

in ſummis virgis diuiſis in breues & paruulos ramulos, venuſti, colore cærulei, quibus parua & orbiculata lata capitula ſuccedũt, in quibus ſemen oblongum, læue, glabrũ, ſplendens, ex fuluo colore puniceum, quod λίνου σπέρμα, & compoſita voce λινόσπερμα, & λινόσπερμον vocant. Radix eſt exilis.

Linum ſylueſtre vocatur planta ſecundo loco hîc depicta, non ſolùm quod Linum facie referat, ſed quod Lini modo in ſtamina duci poſsit.

Hanc Pena Linum marinum vocat, inter prata & littora herbida Narbonenſis maris, ac inter ſtagnum & mare frutica, pedalibus & ſeſquipedalibus ramulis, rectis, numeroſis gracilioribus, lentis, cortice ad nendum commodo, in quibus panciora quàm in Lino folia: flores non diſsimiles, ſed aurei, ſiue lutei, minores, Iunio & Iulio emergentes, ſemen & Pericarpia multo minora. Hoc reliquæ Galliæ, Germaniæ, Angliæ ignotum eſt. Eſt & Linum ſylueſtre floribus albis, via qua Monſpelio

LINVM Sylueſtre primum.

LINVM Sylueſtre ſecundum, flore albo.

Frontignanum itur, in agrorum ſiccis marginibus, & cautibus nonnunquam obuium, teretibus, nitidis, dodrantalibus virgultis. Flores albi, quam în luteo Lino maritimo maiores. Foliola Scopariæ, longe anguſtiora, exilitate Aſparagi aut Fœniculi caules ambiunt.

Huic

Huic quadrare videtur Lini ſylueſtris tertij apud Cluſium Hiſtoria. Aliud Linum ſylueſtre eſt tenuifolium, denſe fruticãs, ſatiuo ſimile, niſi totum gracilius multo eſſet. Floſculi quinis foliolis cæruleis, fugacibus caducis conſtant, ſatiuo pares copioſis pedalibus & cubitalibus virgultis, exilioribúſque Lini, aut Linariæ purpureæ foliolis, è longiuſcula radice. Eſt eiuſdem generis Latifolium, foliis Hirſutis Tithymali Helioſcopij paribus.

Chamelinum, ſiue ſylueſtre Linum perpuſillum vix palmum æquat, foliolis puſillis, floſculis ex luteo pallentibus, cauliculis Lini, cæteríſque omnibus quadruplo minoribus. In glareoſis Gallobelgii, & Louanienſibus pomœriis oritur.

LINVM Sylueſtre Tertium, marinum.

CHAMÆLINVM, ſiue Linum perpuſillum.

Pingui lætoq; ſolo, locis humidioribus, non ſitientibus Linũ fœlicius prouenit. Lini ſemen, inquit Columella, niſi magnus eſt eius in ea regione quã colis prouentus, & pretium proritat, ſerendũ non eſt: Agris enim præcipuè noxium eſt. Itaque pinguiſsimum locum, & modicè humidum poſcit. Palludius Lini ſemen pro malitia ſui ſerendũ non eſſe ſcribit, quoniã terræ vber exhaurit. Sed ſi velimus, loco pinguiſsimo, & modicè humido ſerendum. Plinio ſeri debet in ſabuloſis maximè, vnóque ſulco. Eo nihil magis feſtinat: vrit agrum, deteriorémque etiam terrã facit, quod & Vergilius teſtatur. *Vrit enim campum Lini ſeges, vrit Auenæ.* Seritur vêre, Maio & Iunio menſibus floret. Poſt meſſem Triticeam, virgæ Lini merguntur in aquam ſolibus tepefactam, pondere aliquo depreſſæ. Satis maceratas indicio eſt membrana laxior. Iterumq; vt prius ſole ſiccantur: mox arefactæ in ſaxo tunduntur ſtupario malleo. Lino in cibis vtebantur veteres Galeno teſte, qui ſicſcribit. Nonnulli frixo quidem Lini ſemine vt obſonio, cum garo, non ſecus ac factitio ſale vtuntur. Vtuntur autem & melli permiſcentes: quidam panibus quoque ipſum aſpergunt. Stomacho autem noxium eſt, & coctu difficile, exiguúmque alimentum corpori exhibet. Quod verò ad ventris deiectionem attinet, ipſum nec probaueris, nec vituperaris: exiguam tamen vrinæ mouendæ habet facultatem, quæ magis apparet, cum frixum ſumitur. Tunc

Locus. Lib. 2. c. 10.

Lib. 11. ca. 2.

Tempus. Li. 19. ca. 1.

Vſus & Vires. Li. 1. Alim.

aluum quoque magis siſtit. Ruſtici autem homines eo vtuntur ſæpenumero, frixo tuſoq;, mel admiſcentes. Idem alibi. Lini ſemen flatuoſum eſt, etiamſi frigatur, & multa ſanè recrementitia humiditate plenum. Eſt verò etiam in primo ordine quodammodo calidum, ac humiditatis & ſiccitatis, velut in medio ſitum. Sed nunc nullus eius in cibis vſus eſt, in medicamentis frequens. Lini ſemen Dioſcoridi eaſdem quas Fœnumgræcum vires habet. Diſcutit, & emollit omnem intus foriſq; inflammationem cum melle, oleo, exiguáque aqua decoctum, aut melle cocto exceptum. Vitia cutis in facie varóſque crudum tollit: illitum cum nitro & ficulneo cinere, parotidas, duritiáſque diſcutit: vlcera quæ ſerpunt, fauóſque cum vino decoctum expurgat: vngues ſcabros eximit, cum pari modo naſturtij & mellis: vitia pectoris extrahit, ſi ex melle in eclegmatis vicem ſubſtituatur: tuſsim lenit, venerem ſtimulat, ſi farina Piperis & melle exceptum pro placenta largius adſumatur. Huius decoctum interaneorum, vuluæq; eroſionibus immititur, alui excrementa euocat, ad vuluæ inflammationes in deſeſsionibus perquam vtile. Lini ſemen inquit Plinius, cum aliis in vſu eſt, & per ſe mulierum cutis vitia emendat in facie. Oculorum aciem ſucco adiuuat. Epiphoras cum thure & aqua, aut cum myrrha ac vino ſedat: parotidas cum melle, aut adipe, aut cera: ſtomachi exſolutiones, vel diſsilutiones, inſperſum polentæ modo: anginas in aqua & oleo decoctum, & cum aniſo illitum. Torretur vt aluum ſiſtat. Cœliacis ac dyſentericis imponitur ex aceto. Ad iocinoris dolores eſtur cum vua paſſa. At phthiſin vtiliſsimè ex ſemine fiunt ecligmata. Muſculorum, neruorum, articulorum, ceruicis duritias, cerebri membranas mitigat farina ſeminis, nitro aut ſale, aut cinere additis. Eadem cum fico item concoquit & maturat: cum radice verò Cucumeris ſylueſtris extrahit quæcumque corpori inhærent. Sic & fracta oſſa. Serpere vlcus in vino decocta prohibet, eruptiones pituitæ cum melle: emendat vngues ſcabros cum pari modo naſturtij: & teſtium vitia & ramices cum reſina, & myrrha, & gangrænas ex aqua. Stomachi dolores cum Fœnogræco ſextariis vtriuſque decoctis in aqua mulſa. Inteſtinorum & thoracis pernicioſa vitia, clyſtere in oleo & melle. Hactenus Plinius. Exprimitur è Lini ſemine oleum multiplicis vſus: neque enim à pictoribus tantùm & ſtatuariis, aliiſque artificibus expetitur, nec ad lucernas ſolùm vtile eſt, ſed & ad medicos vſus frequenter vſurpatur. Neruorum conuulſionibus perutile eſt: duritias omnes mollit, neruorum tenſiones cõtractionéſque laxat: dolores illitum ſedat. Omnibus ſedis affectibus commodum eſt, hæmorrhoidibus, condylomatis rimis, ac doloribus, fœminarum induratos locos mollit. Nymphæ aut Roſarum ſtillatitia aqua ablutum, ambuſtis auxiliatur. Sunt & qui bibendo maximo ſucceſſu iis exhibeant, qui lateris dolore vexantur, ſed recens ſit oportet: nam inueteratum contracto rancore non modò excalfacit pluſquam par ſit, ſed etiam nauſeam mouet. Linum ſylueſtre cum floribus decoctum & illitum, tumores reſoluit, & inflammationes lenit: præterea induratos articulos mollit, panóſque in inguinibus ſanat.

Li. 7. ſimpl.

Lib. 2. c. 96.

Li. 20. c. 22.

Marth. ibi.

CANNABIS, CAP. LXIIII.

Nomina KÁNNABIΣ Græcis, & ἀστέμων, & τχοινοτρόφον, Cannabis Latinis, Arabibus *Schebedenegi*, & *Canab*, Italis *Canape*, Germanis *Zamer Hanff*, Belgis *Kemp*, Anglis *Himp*, & *Hemp*, Hiſpanis *Cannamo*, Gallis *Chanure*, & *Cheneue* dicitur. Cannabis Dioſcoridi duûm eſt generum. Eſt enim Cannabis ſatiua, & ſylueſtris. Satiua item duplex, mas, & fœmina. Cannabis ſatiua mas caules edit rotundos, rectos, inanes, quinque aut ſex pedes altos, ramoſos, ita vt aliquando arbuſculæ ſpeciem referat, in quorum faſtigiis folliculi

Genera

Forma.

parui

CANNABIS Mas.

parui, rotundi oriuntur, nullo præcedente flore conſpicuo, in quibus ſemen rotundum, duriuſculum, medulla refertum candida. Folia dura ſunt, aſpera, ſubnigra, & ſi confrincentur graueolentia, ex ſex, ſeptémue, aut pluribus aliis ſimul cohærentibus coaceruata, quorum ſingula anguſta ſunt, oblonga, acuminata, & per oras ſerrata. Radix fibras multas habet. Hanc deſcripſit Dioſcorides foliis Fraxini, graui odore, caulibus proceris & inanibus, ſemine rotundo. Cannabis ſatiua fœmina ſuperiori ſimilis eſt, ſed foliis minoribus, & tenuioribus, caule graciliore, ſimpliciore, ſine ramulis adnatis, ſine fructu & ſemine, flores tantùm proferens paruos, albos, ſed inutiles & vaneſcentes. Cannabim ſylueſtrem hanc agnoſcit Dalechampius. Radicem illa habet multis fibris capillatã, caules multos, cubito proceriores, geniculatos, ſurculoſos: folia ſatiuæ, tactu aſpera, quæ ad ſingula genicula caulis & ſurculorum bina æqualibus interuallis exeunt: florem puniceum ex hirſutis vaginis prodeuntem, caulem Praſij modo verticillatim amplectentem. Hanc ſic Dioſcorides delineat. Li. 2. c. 148. Ibidem.

CANNABIS Fœmina.

CANNABIS Sylueſtris Dalechampij.

Sylueſtris Cannabis virgas fert Althææ ſimiles, minores, nigriores, & aſperiores, cubiti altitudinem æquantes: folio ſatiuæ, nigriore, & aſperiore: flore Lychnidis, ſubrubro: ſemine & radice Althææ. Cannabis in ſyluis primùm nata eſt, inquit Plinius, nigriore folio & aſperiore. Sunt qui ſylueſtrem Cannabim Alceam Officinarum, ſiue Herbam Hungaricam Li. 20. c. 23.

eſſe cõtendant. Aliam Cannabim ſylueſtrem pictam oſtendit Lobellius,& eam ſcribit eſſe Alceam maiorem Mutoni, flore Lychnidis, ſubrubro, ſemine & radice Althææ,ſed Althæa fruticoſiorem, de qua nos agemus in Horto, capite
Locus. de Alcea. Satiua mas & fœmina in agris ſeruntur,&(quod mirum videri debet) tam fœcunda quàm ſterilis ex eodem prouenit ſemine. Sylueſtris in pinguibus
Lib.2. c.10. & vmbroſis gignitur. Cannabis,teſte Columella ſolum pingue ſtercoratumque & riguum,vel planum,humidum, & altè ſubactum depoſcit. Seritur Cannabis
Tempus. vere paſsim. Fœmina matura Iulio vellitur. Maris ſemen fine Auguſti, vel
Lib.10.c.9. Septembri menſe,maturum legitur.Vtiliſsima, inquit Plinius, funibus Cannabis ſeritur à Fauonio.Quo denſior eſt,eo tenerior.Semen eius cum eſt maturũ, ab æquinoctio Autumni diſtringitur,& ſole,aut vento, aut fumo ſiccatur. Ipſa Cannabis vellitur poſt vindemiam, ac lucubrationibus decorticata purgatur.
Li.1. Alim. Cannabis ſemen olim in cibo homini fuit,quod Galenus docet his verbis.Non, quemadmodum planta ipſa Cannabis Vitici quodãmodo eſt ſimilis,ita ſemen
Vſus & Vires. ſemini facultate eſt ſimile, ſed plurimùm ab eo diſsidet, vt quod concoctu ſit difficile,ſtomachoq; ac capiti noceat, prauiq; ſit ſucci.Sunt tamen qui eo quoq; frixo cum aliis tragematibus veſcuntur.Tragemata autem voco ea quę poſt cœnam voluptatis inter bibendum excitandæ gratia manduntur. Multum autem calfacit, ideoq; ſumptum paulò largius caput ferit, vaporem ſurſum ad ipſum mittens calidũ ſimul ac medicamentoſum.Nunc ab hoc cibo omnes abſtinent. Sed aliis iiſque magnis hominum vſibus Cannabis peridonea eſt. Hæc etenim & Linum tundũtur in lanæ mollitiem ad linteorũ texturas,& funes intorquendos.Vtraque enim decorticata purgatur,ſed prius ex paſſa.Deinde in penſa cogitur,quæ particulatim tracta digeritur in glomos, quibus telas plurimùm ge-
Li.2. c.148. neri humano commodas ordiuntur, ac texunt. Semen auctore Dioſcoride largiore cibo genituram extinguit.Succus ex ea recente conuenienter aurium doloribus inſtillatur. Sylueſtris Cannabis decocta radix illitu inflãmationes mulcet,tumores diſcutit,tophos articulorum diſsipat.Huius cortex torquendis fu-
Li.7.ſimpl. nibus accommodatur.Cannabis ſemen Galeno flatus extinguit,adeoq; diſſipat, vt ſi pluſculum edatur,genituram exſiccet.Sunt qui viridem ſuccum exprimentes,ad aurium dolores ab obſtructione,opinor, natos illo vtantur. Semen Can-
Li.10. c.23. nabis Plinio extinguere genituram virorum dicitur. Succus ex eo vermiculos aurium,& quodcumque animal intrauerit,eiicit, ſed cum dolore capitis. Tantaq; vis ei eſt,vt aquæ infuſa coagulare eam dicatur, & ideo iumentorum aluo ſuccurrit pota in aqua.Radix contractos articulos emollit in aqua cocta: itẽ podagras,& ſimiles impetus.Ambuſtis cruda illinitur, ſed ſæpius mutatur priuſquam areſcat.Cannabis ſemen cõtrarium in gallinis efficere ac in nobis tradit
In cap.148. li.2. Dioſc. Matthiolus,ſi quidem gallinas ouorum feraciores reddit, experientiaq; ſeſe cõperiſſe ait gallinas quæ hyeme ſæuiẽte,quo tempore oua rariùs pariunt, Cannanabis ſemine veſcantur,oua frequentius multo ponere. Cãnabis recentis decoctum expreſſa validè herba,terreſtriũ lumbricorũ cauernulis inſperſum, ſtatim eos euocare idem affirmat,quod Piſcatoribus acceptum referendũ eſt, qui hac arte vermiculos capiunt ſuis hamis affigendos, vt rectè ſcripſerit Plinius ſuccũ eius vermiculos ex auribus eiicere. Ex his etiam colligi poteſt eius vires ad interaneorũ vermes haud imbecilles fore.Equorum etiam ſedi hærentes tænias, ſuccus aut decoctũ eiicit. Quod vero Plinius dixit Cannabim iumentorũ aluo ſuccurrere,id de ſoluta intelligendũ.Sunt etiã qui foliorũ puluerem dyſentericis propinent.Quod poſtremo de radice dixit ambuſtis ſæpius admouenda, & amouenda, commodius præſtabitur, ſi recens in mortario tundatur cũ recente butyro, & ſubinde applicetur. Non eſt ſilentio prætereundum quod Symeon

Sethi

Sethi prodidit, ſemen Cannabis comeſtum idem nocumentum quod Coriandrum afferre: immodicè enim ſi eſtur, vt illud delirium facere: folia verò arida in potu ſumpta farinæ modo, aut potius ad eam potionem illorum exſiccatorum farinam ebrietatem quandam hoſpitalem & innoxiam facere quæ ab hauriente non ſentiatur. Apud Arabas pinſitur ſubigitúrque pro vino, & inebriat. Deſiccat verò ſemen genitale, vt caphura. Ruſtici Belgæ ſeminis contuſi medullam liquore aliquo expreſſam ictero laborantibus initio ipſius mali exhibent, & ſæpe non ſine ſucceſſu, ſi quando ex ſola obſtructione, & citra febrem exoritur. Aperit enim fellis meatum, & bilis per corpus digeſtionem promouet. Empirici quidam aſſerunt ſanguinem ex quacumque parte corporis fluentem ſiſti, ſi qui exit ſanguis cum foliis Cannabis minutim conciſis, frigatur, & ægro pro cibo detur. In hiſt. fru.

ISATIS, CAP. LXV.

ΙΣΑΤΙΣ Græcis, Latinis Iſatis etiam dicitur, Gallis auctore in Commentariis Cæſare Glaſtum, nunc Guadum, *Guéde*, & *Paſtel*, Arabibus *Dili*, *Dileg*, *Veſme*, *Chate*, *Chatis*, *Alchat*, *Adlen*, aut *Adhlen*, & *Nil*, Italis *Guado*, Germanis *Vueydt*, Anglis *Vuode* & *Vuade*, & Belgis *Vuedt* & *Vuoid*, & *Vuoild*, Hiſpanis *Paſtel*. Duo eius genera. Ἰσάτις ἥμερος, Glaſtum ſatiuum, ἰσάτις ἀγρία, Glaſtum ſylueſtre. Hæc duo genera Plinius tertium & quartum Lactucæ genus facit. Tertium, inquit, genus eſt in ſyluis naſcens, Iſatin vocant. Huius folia trita cum polenta, vulneribus proſunt. Quarto infectores lanarum vtuntur, quod Glaſtum vocant ſimile erat Lapatho ſylueſtri foliis, niſi quod plura habet & nigriora. Glaſtum ſatiuum, inquit Dioſcorides, folium habet Plantagini ſimile, verùm pinguius nigriúſque. Eius caulis duorum cubitorum altitudinem excedit. Sylueſtre Glaſtum ſatiuo ſimile eſt. Vtrũque glaſtum id eſt ſine vlla controuerſia, quod hîc proponitur, omnibus notiſsimum, quo

Nomina.

Genera.

Lib. 20. c. 7.

Forma.

Lib. 2. c. 180.

ISATIS ſatiua.

ISATIS ſylueſt. Matth.

etiam hodie, vt olim, infectores lanarum vtuntur. Satiuum foliis est primùm longis, latis, in viridi nigricantibus, per terram sparsis, foliis Plantagini haud absimilibus, sed nigrioribus, & magis carnosis, è quorum medio caulis exurgit bicubitalis, foliis obductus minoribus, & magis acuminatis, qui ad verticem in multos ramulos finditur, flosculis exiguis, & luteis onustos, deinde, siliquis longiusculis, latiusculisque paruarum linguarum effigiem referentibus, initio viridibus, deinde nigricantibus, in quibus semen includitur: radix est simplex, candida, parum fibrata. Huic proxima est sylvestris foliis, caule, figura: sed caule teneriore, minore, nigriore, & angustioribus siliquis. Alia est Isatis à Lobellio depicta, quam Vaccariã dicunt Narbonenses, & Ocimoides. Folia hæc profert, angustiora quàm superior Isatis sylvestris, Ocimastro, siue Polenio Dodonęi similia, rariora caule cubitali, in alas diuiso, & ornato floribus exiguis, pallidis, Ocimastro, siue Pseudomelanthio similibus, ex alabastris paruis, albidis, & pallentibus, nec semine dispari. Seritur Glastum in lætis & pinguibus agris, copiosissimum in Gallia Narbonensi, & in Italia, vt in Vmbria, circa Noceram, vbi oppidum est Guadum ideo appellatum, quod ibi Isatis copiosissima seratur sicut, & in Germaniæ agro Erphordiano. Ea permagnum quæstum iis regionibus adfert. Sylvestre Glastum locis incultis & pinguibus prouenit. Maio & Iunio mensibus ambo florent. Vt olim, ita & nunc Glasto satiuo infectores lanarum vtuntur. In Neustria quoque Galliæ, & apud eius prouincię Bellocasios Glastum seritur, & colitur, dilutius quidem in pannis tingẽdis quàm quod prouenit apud Tectosages, vulgo, (*en Languedois*,) indigenis tamen valde fructuosum, & vtile. Quo anno primum terræ mandatur, præsertim si tempestiuus sequatur imber, quater excinditur, sarculo duobus sub terra digitis adacto, quo tempore foliis nascitur Plantagini similibus, partim supra terram nonnihil extantibus, partim humi procumbentibus. Excisa folia & in aceruos congesta post biduum aut triduum, in rotundo pauimento, quadratis strato lapidibus, dentatæ molæ ligneæ subduntur, quam oculis panno tectis versat equus: Sequitur equum circumeuntem villicas, qui pala herbam à mola disiectam in lapides referat, & conuerrat, vt à prætereunte denuo mola frangatur. Vbi satis obtritum Glastum videtur, rustici manibus comprimentes, sanies succosa vt eliciatur, quæ principio nigra atramenti ferè modo in cœruleum post colorem abit, globos ex herba tusa conficiunt, quantum capere & amplecti vtraque manu possunt, & eos partim insolatu, si cœlum sudum est, siccant, prope molam, & arcam vicinam, partim si pluit, aut obstat tempestas humidior, in perticis sub tecto ædibus rusticorum affixis, & ad Oriẽtem vel Septentrionem versis, ordine dispositos, quos duratos & exiccatos cõdunt saccis, & ad vsum eius tincturæ seruant, quæ nigro colore pannos inficit. Anno deinde proximo triticum eidem agro mandatur, qui Glastum aluit: non enim Glasti prouentu is emaciatur, sed lætificatur potius: & ex radicibus, quas firmas & altius

ISATIS SYLVESTRIS

Lobellij: Vacaria pallida.

Locus.

Tempus.

Vsus

& altius impactas aratri culter nequit proscindere, ac extirpare, cũ segete pululant Glasti caules, qui in alteram sationem semen præbent, maioris quàm triticum pretij, quo mansо vel aliâs trito, & saliua vel alio liquore madido, apparet statim color è cœruleo purpurascens quo indigenæ manicarũ corium nondum sordidum tingunt. Est enim illis vt & olim Britannis, gratissimus eius coloris aspectus. Cæruleam spumam innatantem, quam igni feruescentes eructant cortinæ, Indum nostri vocant infectores, & ad pictorum vsus siccant. Simile, inquit Plin. Glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurúsque toto corpore oblitæ, quibusdam in sacris & nudæ incedebant, Æthiopum colorem imitantes. Omnes verò, Cæsar inquit, se Britanni Glasto inficiunt, quod cæruleum efficit colorem, atque hoc horribiliore sunt in pugna aspectu. Illita folia Isatidis, teste Dioscoride, tumores omnes discutiunt, cruenta vulnera glutinãt, sanguinis profluuia sistunt: ignem sacrum, phagedænas, putrescentia vlcera, & quæ serpunt, sanant. Syluestre Glastum eadem præstat: potu & illitu lienosis auxiliatur. Glastum inquit Plinius sanguinem sistit: phagedænas, & putrescentia vlcera quæ serpunt sanat: item tumores ante suppurationem. Contra ignem sacrũ radice vel foliis prodest, vel ad lienes potu. Isatis satiua Galeno, qua vtuntur tinctores, facultatis est valenter exsiccantis, nondum tamen mordentis. Est enim simul amara atque adstringens Proinde magna vulnera corporum durorum glutinat, etiamsi in capitibus musculorum fuerint: vel sanguinis profluuio laborantibus partibus vtiliter illinitur: tumores œdematodes mirificè digerit, simul ac reprimit, & aduersus omnia vlcera maligna, & cacoethe mirabiliter resistit, etiamsi putrescant, etiamsi exedantur ac erodantur. At si nonunquã pro ægri natura valentior appareat, foliis eius tritis miscere oportet, aut panem, aut hordeaceam farinam, aut triticum, aut polentam, pro vincente nimirũ in vnoquoque affectu. At Isatis syluestris manifeste iam acre quiddam tum gustu, tum effectu profert. Valentius enim quàm satiua siccat, Valentiúsque humidis etiam putredinibus resistit, ad cætera iam dicta deterior, quoniã moderatius & minus mordaciter siccat. Vlcera namque talia irritãtur his remediis, & phlegmone inflãmãtur. Cæterùm ob potentiorem facultatẽ lienosis quoque vtilis fuerit, cum altera imbecillior tantum prodesse nõ possit.

Li. 22. ca. 1.

Li. 5. Bel. gr. Li. 2. c. 180. *Vires & Temper.*

Lib. 20. c. 7.

Lib. 6. sim.

HERBA Lutea.

HERBA LVTEA, CAP. LXVI.

HERBA Lutea & Luteola ab effectu nũcupata, foliis est prælongis, pinguibus, & arctis: cubitali caule, interdum altiore, torosо: flore luteo, frequentibus in cacumine folliculis, decussatis, asperis, sed tã denso stipatu fastigij, vt ij quamdam spicarum imaginem monstrent, iis semen includitur: radice nititur longa, singulari, crassa. Multis locis quãuis sponte nascatur, magno tamen compendio serũt in agris, & nisi fortuna domino decoquat, magnum rusticus ex ea sentit prouentum, quoniam eruta solo radicitus, in fasces magnos cogitur, vsurpatúrque ad infectus. Siccata in luteum colorem pallescit, aut certè languet in pallidũ. Cortinis infectoriis indita, luteo quoq; colore pannos tingit, cuius apud nos maximus increbruit vsus. Pręterea infectores colori cæruleo, quem Glastum excitauit, superinducunt, & viridem efficiunt colorem.

Nomen.

Forma.

Locus.

Vsus.

MEDI

MEDICA, CAP. LXVII.

Nomina

ΜΗΔΙΚΗ Græcis, ſimiliter Medica Latinis dicitur, Arabibus *Cot*, & *Alfaſaſat*, Hiſpanis *Alfalſe*, & *Alfaſa*, & *Eruaye*, nomine ab Arabibus mutuato, Gallis *Sainctfoin*, & *Foin de Bourgongne*. Medica natales ſuos ipſo nomine fatetur, locúmque vnde venerit, vocabulum indicat. Externa olim Græciæ, inquit Plinius, à Medis eſt aduecta, per bella Perſarum, quæ Darius intulit. Hinc gentile nomen retinuit. Medica duplex eſt, ſatiua, & ſylueſtris. Satiua multos edit caulículos, teneros, rotundos, in altum nõ aſſurgentes, ſed per humum ſparſos, vt in Trifolio vulgari: folia trifolio eidem ſimilia: flores parui, purpurei, ſiliquæ compreſſæ, inſtar teſtæ cochlearum intortæ, in quibus ſemen. Hæc eſt Dioſcoridis Medica, quæ, vt deſcribit, cum recẽter prodit, foliis & caule, Trifolio pratẽſi ſimilis eſt, augeſcens verò folia contrahit, & caules edit Trifolij ac ſiliquas corniculorum modo intortas, in quibus ſemen Lẽtis magnitudine dependet. Græca verò ita habent, ἐφ' οἷς τὸ σπέρμα προσπέφυκε φακῆ τὸ μέγεθος, ἐπεστραμμένον ὡς κεράτιον. Id eſt, in quibus ſemẽ adnaſcitur Lentis magnitudine, corniculi modo intortum. Cornarius κεράτιον hic ſiliquam paruam ſignificare dicit, & ſiliquulæ modo intortum vertit, ſuſpicatúrque hoc loco Dioſcoridis lectionem corruptam eſſe in ſeminis & ſiliquæ deſcriptione. Sed multo veriſimilius eſt Dioſcoridẽ hîc vt ſæpe alibi τοῦ σπέρματος nomine abuſum fuiſſe, vt ſemen pro ſeminis conceptaculo, ſiue ſiliqua vſurpauerit quam corniculi modo intortam eſſe, ipſius rei inſpectio apertè demonſtrat. Plinius Dioſcoridi de caule ac foliis conſentit, ſemen omittit. Similis eſt Trifolio, inquit caule, foliiſque, geniculata Ea cum in caulem aſſurgit, ſic enim legendum, folia contrahuntur, id eſt vt ait Dioſcorides, anguſtiora fiunt. Eſt & huius Medicæ è floris colore differentia: cæruleo violaceo, & luteo. Medicam folliculo ſpinoſo, Trifolium cochleatum vocant. Galli *L'herbe aux limaſſons*, Prẽter has Lunaria ſylueſtris altera eſt, Lunato folliculo ab aliis diuerſa, quam ideo Lunatam ſeu falcatam vocãt. Medica ſylueſtris caule & foliis Trifolio pratenſi ſimilis eſt, foliis in ambitu ſerratis: flore ſubluteo, clauiculis exilibus: ſeminis conceptaculo triplicis differentiæ. Aut enim Latius eſt, & cochlearum more flexuoſè intortum, aut oblongum, anguſtum, compreſſum, & turbinum terreſtrium modo, qui cochlearum generi

Genera. Forma.

Li. 18. c. 16.

Li. 2. c. 141.

MEDICA ſatiua Dodo.

Emb. 133. li. 2. Dioſco.

MEDICA SYLVEST. prior, fructu triplici, & diuerſo.

Li. 18. ca. 16.

MEDICA SYLVEST. altera Lunata.

generibus adscribuntur, obliquis voluminibus sinuosum, ac tuberculis inæqualibus velut nodosum: aut iisdem volutis tortile, sed veluti festucaceis, superioréque longè crassius & amplius, & in summo obtusius, insigni varietate. Medica satiua in vsu plurimo est quibusdam Romanæ prouinciæ gentibus, præsertim Secterienſibus, qui rigua prata eius semine conserunt, ter secantes, restibili & inexhausta fertilitate. *Luzerne*, ij vocant, & *Luzert*. Medica sylueſtris passim in agro Monspelienſi & Turnonio gignitur in cultis, & sepibus. In Hispaniæ plerísque locis, præsertim in Regno Valentino, vbi seritur quoque diligenter: ea iumenta saginant. Tanta dos eius est, inquit Plinius, vt vno satu ampliùs quàm tricenis annis duret. Medica semel sata, auctore Palladio, decem annis permanet, ita vt quater, vel sexies possit per annum recidi. Agrum stercorat, maiora animalia reficit, curat ægrota. Ad maciem mularũ, vt Columella prodidit, nulla res tantum, quantum Medica prodest. Ea herba viridis, nec tardè tamẽ arida Fœni vice saginat iumenta. Verùm modicè danda, ne nimia sagina stranguletur pecus. Semen Medicæ, vt tradit Dioscorides, siccatum iucundi saporis gratia, conditaneo sali admiscetur. Viride quibus refrigeratione opus est, illitu suffragatur. Herba tota pro Gramine vtuntur qui pecora alunt.

Locus.

Li.18. ca.16. Lib.5. ca.10.

Vsus.

Lib.7. c.38.

Li.2. ca.141.

TRIFOLIVM, CAP. LXVIII.

ΤΡΙΦΥΛΛΟΝ Græci vocant, quod Latini Trifolium, Galli *Treffle*, Itali *Trifoglio*, Germani *Vuyſenklee*, Hiſpani *Treuol*, Anglis *Clauer*. Trifolij non recentiores modò, sed & veteres multa fecerunt genera. Dioscorides enim & si proprio capite Trifolium Asphaltites tantum descripserit, tamen Trifolij alterius, nimirum pratensis aliquoties meminit, cum ait Medicam caule & foliis Trifolio pratensi proximam esse. Plinius tria Trifolij genera memorat. Folio coronat & Trifolium, inquit, Tria eius genera. Menianthes vocant Græci, alij Asphaltion, maiore folio, quo non vtuntur coronarij, nimirum propter grauem & fœtidum odorem: alterum acuto, Oxytriphyllum cognominatum. Tertium ex omnibus minutisimum. Recentiores multo plura genera numerant, de quibus simul omnibus eodem loco minimè dicendum. Primum igitur de Trifolio Asphaltite Dioscoridis agetur. Id Tripyllon Græci, inquit alij Oxytriphyllum, alij Menyanthes, alij Asphaltion vocant. Frutex supra cubiti altitudinẽ attollitur, virgas habens tenues, iunceas & nigras: ex his tanquam ramulis enascuntur exiles appendices, in quibus terna singulis germinationibus exeunt folia, Loto herbæ similia. His recenter natis Rutæ odor ineſt, adulta verò, Bitumen olent. Florem edit purpureum: semen quadantenus latum, subhirsutum, extrema parte altera exertum, antennæ modo corniculatũ radix tenuis, lõga, valida, ὀξυτρίφυλλον plurimum in Sicilia nasci Scribonius tradit, in Italię regionib⁹ nusquã sibi visum, nisi in Lunæ portu, Britanniam petenti cum diuo Claudio Cæsare, & copiosissimum super circũdatis monti

Nomina

Genera.

Li.2. ca.141.

Li.21. ca.9.

Li.3. c.106.

Forma.

Dodon. in hist. stir.

Cap.163.

TRIFOLIVM ASPHALtites rotundis foliis.

TRIFOLIVM ASPHALtites longioribus foliis.

montibus: (esse autem foliis specie, ac numero similibus communi Trifolio, nisi quod huius crassiora folia quasi lanuginem quandam super se habent, & in extrema parte velut aculeum eminentem, eúmque fruticem bipedalẽ, aut etiam ampliorem conspici, ac odorem grauem emittere, quorum nihil in pratensi Trifolio inuenitur. Matthiolus Scribonij hoc Oxytriphyllon, non Asphaltites esse putat, sed secundum genus à Plinio memoratum & ob acutum foliũ Oxytriphyllum cognominatum Officinarum Alleluia. Tragus Cytisum esse credidit. Eius figuram inter Cytisos supra nos exhibuimus. Triphyllum, quidam Asphaltion, inquit Galenus, quidam Oxytriphyllum, nonnulli Menyanthes, sunt & qui Cnicinum vocant, prima quidem tria ab accidentibus frutici, reliqua duo nomina haud scio vnde (libro de Theriaca ad Pisonem, Trifolium semen habet Cnico sylueſtri simile: cognomẽ inde fortasis Cnicini, μενιάνθες, non μῶιάνθες, quidam vocatum putant, quòd diutissime flos permaneat.) Vis ei calida & sicca vt Bitumini, cui odore quoque simile est, vtrimque tertio ordine. Proinde potum laterum dolores ab obstructione natos iuuat, & vrinam, mensésque prouocat. Hippocrates Trifolium non solum menses prouocare, sed & fœtus cum sumptum, tum appositum educere tradit. Mulier, inquit, si ex partu non fuerit purgata, Trifolium in vino albo bibendum dato: hoc etiam menses educit & fœtus. Idem alibi. Trifolium appositum menses erumpere facit, & fœtum eiicit. Semen & folia, Dioscoridi, in aqua pota pleuriticis, vrinæ difficultati, comitialibus, & iis qui aquæ inter cutem principia sentiunt, fœminis quoque vuluæ vitiis oportunis auxiliantur: menses ciunt ternæ drachmæ seminis dandæ: foliorum quaternæ. Contra serpentium ictus trita folia, & ex aceto mulso pota præsidio sunt. Tradunt aliqui totius fruticis, radicis, foliorúmque decoctum, fotu dolores eorum finire quos serpentes percusserint: qua autem aqua sanatus quis fuerit, si ea quispiam alius foueatur, qui vlcus habuerit, perinde

In c. 106 li. 2. Dioscor.

Lib. 8. fin.

Vires & Temper.

Li. 2. c. 106.

perinde afficitur, vt à ſerpente demorſus. Quidam terna folia aut ſemina in tertianis, cum vino potui dẽdere, & in quartanis quaterna, vt quæ Febrium circuitus diſcuterent. Radix antidotis miſcetur, vt Dioſcorides ait. At veteres alij non radicem modò, ſed & ſemen ipſis admiſcuerũt, vt in multis compoſitionibus apud Galenum videre licet, Theriacis videlicet Ælij Galli, Zenonis, Laodicenſis. Claudij Apollonij, Eudemi, Heraclidis, Dorothei, & Heræ. Plinius Dioſcoridis ſententiæ repugnare videtur, & eum reprehendere, cum hæc ſcribit. Trifolium ſcio credi præualere contra ſerpentium ictus, & ſcorpionum, ex vino aut poſca, ſeminis granis viginti potis: vel foliis & tota herba decocta: ſerpẽtéſque numquam in Trifolio aſpici: Præterea à celebratis auctoribus contra omnia venena pro antidoto ſufficere xxv. grana eius quod Menyanthes appellauimus, tradi. Multa alia præterea in remediis eius adſcribi. Sed me contra ſententias eorum grauiſsimi viri auctoritas mouet. Sophocles enim Poëta venenatum id dicit. Simus quoque medicus decocti aut contriti ſuccum infuſum corpori, eaſdem vredines facere, quas ſi percuſsis à ſerpente imponatur. Ergo non aliter vtendũ eo quàm contra venena cenſuerim. Fortaſsis enim & his venenis inter ſe contraria ſit natura, ſicut multis aliis. Item animaduerto ſemen eius cuius minima ſunt folia vtile eſſe ad cuſtodiẽdam mulierum cutis gratiam, in facie illitum. Eandem Simi medici ſententiam Galenus etiam habet in libro de Theriaca ad Piſonem. Trifolium, inquit, herba quæ Hyacintho ſimilis eſt, veris tempore prægnans cũ ſemẽ agreſti Cnico ſimile habet, ſi quis tunc ipſam validè decoquat, deinde morſum phalangij aut etiam viperæ ea aqua perfundat, ſanat ipſum, & ſtatim doloris exortem efficit: Si verò quis in alio non commorſo ſanum locum eodem fomento perfundat, eundem ſenſum, & eoſdem dolores omnes commorſo ſimiles inducet, vt hîc effectus reuera admiratione dignus ſit, eandem herbam & morſum ſanare, & ſanum locum beſtiarum venenatarum modo malè afficere. Hæc porro Galeni ſententia à Dioſcoride diſsidere videtur, aut certè, quod parum verecundè quidam dicunt, Dioſcoridis ſententiam Galenus non intellexit. Alij Galeno patrocinantes librum hunc inter ſpurios referunt. Dioſcoridis hæc ſunt verba, ἱστοροῦσι ἤ ἔνιοι ὅτι τὸ ἀφέψημα ὅλου τοῦ θάμνου, καὶ τῆς ῥίζης, καὶ τῶν φύλλων καλαντλούμενον ἐπὶ τῶν ἑρπετοδήκτων παραυτίκα τὰς πόνους. ᾧ ἤ ἄν θεραπευθῇ τις ὕδατι, ἄν ἕτερος ἕλκος ἔχων καλαντληθῇ, τὰ αὐτὰ πάσχει τοῖς δηχθεῖσι. Id eſt, Quidam narrant totum decoctum fruticis, & radicis, & foliorum, ſi commorſis à ſerpentibus affundatur, dolores eximere. Verum ſi ea aqua qua quis curatus fuerit, alij qui vlcus habeat affundatur, ipſum eadem pati quæ illi qui commorſi fuêre. At ſi de eadem numero aqua Dioſcoridis verba non accipiantur (nam miri nihil in ea re ineſſet) verùm de ea quæ eadem ſpecie eſt, quæ contrariam vim in commorſis quos ſanat, & non commorſis quos lædit, non ſine admiratione oſtendit, ſi etiam negatio quæ apertè deeſſe videtur, inſeratur, ἄν ἕτερος ἕλκος μὴ ἔχων, & cætera, eadem planè erit Simi Medici, & Galeni, & Dioſcoridis ſententia. Nam ita ſanè Galenus habet, ἐπ' ἄλλα μὴ δεδηγμένα. Trifolio huic bituminoſo aliud quoddam ſimile reperitur peregrinum ex America trifolium Caules hoc profert ab radice complures, rotundos, ramoſos, in latus declinantes: folia in ſingulis pediculis terna, in viridi ſub nigra, figura rotundiuſcula, primis è radice exeuntibus bituminoſi Trifolij forma, colore & odore quoque quadantenus ſimilia, latiora tamen, & per ambitus magis crenata: flores in ſummo ramulorum exeunt, exigui, ſubcandidi, ſpicatim digeſti, fructus inde rotundi, aliquantulum plani. Radix in plures diuiditur. Ex America in Belgium delatum ſemẽ Iulio & Auguſto floret. Trifolij bituminoſi ſpeciem eſſe odor grauis, & illius odori haud multum abſimilis, oſtendere

Li. 2. Antid.

Li. 22. ca. 22.

TRIFOLIVM EX America Dodonæi.

TRIFOLIVM ODORATUM alterum, siue Satiuum.

Li. 4. ca. 37. Cap. 314. videtur. His subiungemus aliud Trifolium, quod Lotus vrbana Dodonæo Asphaltæũ vel Trifolium odoratum alterum dicitur, Gallicè *Treffle odoriferante*, Germanicè *Sibengezeil*, propterèa quod singulis diebus septies odorem suum habeat, & toties etiam amittat, quamdiu in horto creuerit: decerptum enim & exsiccatum odorem suum perpetuò retinet, qui certe instante pluuiosa temporis constitutione ac tempestate multò vehementior est, vt nonnunquam totas ædes in quibus hæc herba reposita est odore suo compleat. Potest & dici Trifolium satiuum. Cauliculos habet erectos, rotundos, inanes, cubitales aut longiores, ramulos multos, folia in singulis germinationibus terna, Trifolio similia, leuiter serrata, flores in exiguis veluti spicis, pallidos ex cæruleo albicantes, quos aspera sequuntur capitula, in quibus semen Fœnogræco minus. Radix fibrata est. Semel satum facile prouenit, & ex semine deciduo quotannis reuiuiscit. Iulio mense floret, deinde semen producit. In calido frigidóque temperatum esse scribit Dodonæus, & siccitatis quadantenus particeps: œdemata ad suppurationem perducere appositum: succum eius cum melle mistum, oculorum caligines discutere. Tradũt quidam Oleum in quo huius Trifolij flores maduerint, vulnera recentia conglutinare, item fracturas. Fuchsius perperã Trifolij Asphaltitis vires omnes à Dioscoride assignatas huic Trifolio attribuit.

Forma.

Tempus.

Vires & tempera.

Li. 4. ca. 37.

Cap. 314.

LOTVS, CAP. LXIX.

Nomina. EST Lotus arbor de qua diximus: est & Lotus herba de qua nũc agendum post Trifolia. Λωτος hæc Græcis dicitur, Latinísque pariter Lotus, Arabibus *Handachocha, Garch, Thusf*, Italis *Loto domestico*. Loti genera multa. Dioscoridi duo, λωτὸς ἥμερος, Lotus vrbana, & λωτὸς ἄγριος Lotus syluestris. Alij plura recensent, vt dicemus. Quæ legitima Lotus sit, siue vrbana, siue syluestris ambigũt adhuc herbarij, & fortasse ignorant. Certè

Genera.

Li. 4. c. 107.

LOTVS SATIVA,
Matthioli.

LOTVS SATIVA
altera Matth. Melilotus
Officinarum.

Certè eas veteres Trifolij generibus adscripsisse videtur. Sed Loti vrbanæ historiam ita prætermisit Dioscorides, vt ne vnam quidem ex illo notã eius colligere posimus. Sunt qui Trifolium illud quod in pratis passim atque etiam alibi prouenit, Lotum satiuam esse putant, ea fortè ratione ducti, quòd scribat Dioscorides Lotum hanc Trifoliũ vocari. At eam in hortis nasci non in pratis idem Dioscorides subiungit. Alij credunt Lotũ satiuam esse eam plantã quam vulgares herbarij, & Officinę Italicæ Melilotum falsò appellant, vtpote quę foliis constet, Trifolij effigie, nascatúrque nõ in pratis tantùm, sed etiam in hortis ac viridariis. Verum nihil causæ est cur quis huic sententiæ certò assentiatur, quę opinione duntaxat, nõ rationibus, neque auctoritatibus nixa sit. Matthi. prima commentariorũ Latinorum in Dioscor. editione Lotum satiuam quæ hîc picta est exhibuit. Dodon. eandem pri⁹ quidẽ pro Loto siluestri deinde in frumẽt. Historia, p Trifolio cornicu lato, siue Trifolio sylueſtri luteo, Multos edit tenues & infirmos cauliculos, humi procũbẽtes, folia incana, Trifolij, minora, & angustiora, flores splendtes auri penè colore in summis virgulis, veluti exiguas spicas sequuntur siliquæ ternæ aut quaternæ, oblongæ, tenues, teretes, & angustæ, in quibus semina parua &

Li. 4. c. 106.

Ibidem.

Ibidem.

Lib. 4. c. 38.

Forma.

LOTVS SYLVESTRIS
Matthioli.

rotunda. Radix dura, lignoſa. Naſcitur multis Germaniæ locis, in Belgio familiarius, vbi ſecus vias & agrorũ margines paſsim reperitur. Floret æſtate. Aſtringit, refrigerat & ſiccat. Incipientibus inflammationibus vtiles, & omnibus quæ reprimi ac refrigerari deſiderant. Melilotum Coronatã Pena & Lobelli⁹, vocant: Melilotum Germanicã Fuchſius Idem Matth. ſecunda & tertia commentariorum in Dioſc. editione Lotum vrbanam eſſe cenſet, Trifoliũ illud odoratũ quod aliàs pro Cytiſo vſurpauerat. Id Romæ vulgo *Tribolo*, dicitur, & alibi in Italia *Trifoglio Caualline*, quòd eius pabulo maximè delectẽtur equi, Officinis Melilotus. Eſt enim omnino Trifolij genus odore eximio ac ſuaui. Quare vnguentarij, & qui odoratis aquis conficiendis dant operam, ex hac quoque planta ſtillatitiam aquã eliciunt. Præterea affirmat Matthiolus eius ſucco oculorum nubeculas deleri De Loto vrbana Dodonæi, quæ eſt hortorũ ſatiua Lotus, diximus ſuperiore capite. De Loto ſylueſtri primũ nihil certi ſcripſit Matthiolus, herbam tamen ait, quæ hîc picta oſtenditur, ſæpius ſe vidiſſe ac legiſſe in incultis ac pratis naſcentẽ, foliis Trifolio æmulis, bicubitali caule, quamplurimis adnatis, luteis floribus, è quibus corniculà prodeũt, ſemine plena, Fœnogręco ſimili, odore non ingrato. Sed an ſit vera Lotus ſylueſtris nondum ſibi compertum eſſe fatetur. Aliam Lotum ſylueſtrẽ propoſuit Dodonęus quæ & minor dici poteſt. Cauliculos habet valde tenues, rotũdos folia Trifolij, flores Luteos in capitulis rotundis, in quibus tandem ſemen oritur nigrum, incuruum, folliculo nigro contectum, circa capitula ordine diſpoſitum. Fuchſius Trifolij pratẽſis genus eſſe putat, & Luteum appellat. Matthiolus pro Loto ſylueſtri exhibuit ſecunda & tertia commentariorum in Dioſcoridem editione alterum corniculatum Trifolium nuper deſcriptum, in Bohemia copioſum, foliis Trifolij, caule cubitali, ramoſo, alis multis: flore in capitulis cæruleis: ſemine Fœnigræci, ſed paruo & odorato. Aliam Dalechampius Lotum ſylueſtrem ſiue Lybicum hîc depingendam curauit, radice craſſa, valdè fibrata: caule procero, duobus cubitis altiore, ramoſo, vaſtis ramis huc illuc diffuſis, foliis Loti pratenſis, geminis, caulem & ramos ex interuallis alarum modo veſtientibus, & iis proximè adhæreſcentibus pediculo verò ex alæ cuiuſque ſinu emergente, longiuſculo, cui terna folia inſident, ſimul iuncta,

LOTVS SYLVESTRIS
altera Matthioli.

Ibidem.

Locus & forma loti ſylueſt.

Lib. 4. c. 38. Forma loti ſylu. mino.

LOTVS SYLVESTRIS
minor Dodonæi.

Cap. 315.

Forma alius ſyl.

Forma Lybici.

LOTVS LIBYCA
Dalechampij.

LOTVS LATIFOLIA
Dalechampij.

iũcta,& vt in omnibus Trifoliis diſpoſita:flore in ramorũ vertice denſo & coaceruato, penè vmbellæ ſpecie, ex albo ſubrubente. Ad ripam Ladi amnis haud procul Monſpelio in ſtagnum marinum defluentis prouenit. Hæc planta cum Loto ſylueſtri Dioſcoridis maximè congruere videtur, ita ſcribentis. Sylueſtris Lotus quam aliqui Lybicam appellant,plurima quidem in Lybia gignitur. (Sic enim ex Græco legendum. Λωτὸς ἄγριος, ὃν οἱ μὲν λίβυσν καλοῦσι, φύλλα μὲν τριφύλλου ἔν λιβύῃ, non vt vertit Ruellius. Lotus ſylueſtris quam Trifolium minus appellant, abſurdè quî, enim planta bicubitalis,& ſæpè maior, ac ob id Trifolia omnia magnitudine ſuperãs, Trifolium min⁹ rectè dici poſſet?)caule bicubitali,& ſępe maiore,alis multisfoliis Loto Trifoliæ pratẽſi ſimilibus(non vt Ruellius interpretatur,foliis Trifolij pratenſis,ſic enim Græcè legitur. Φύλλα ὅμοια λωτῷ τριφύλλῳ τῷ ἐν χορτοκοπείοις γεννωμένῳ) ſemine Fœnigræci,multo minore,guſtu medicato.Idem Dalech. Lotos alias eſſe obſeruauit, quarum hiſtorias ſubiungo. Lotus Latifolia radice eſt tenui, modicè fibrata, foliis multis,humi quaquauerſum iacẽtibus, quæ ex multis foliolis conſtant,inęqualiter diſpoſitis, ſuprema parte grandioribus & latioribus:caule dodrantali, flores denſos ſuſtinente, priuſquam aperiantur ſubrubẽtes,cum recluſi ſunt, luteos. Fert ſemẽ paruum in breuibus ſiliquis. Quidam plantã iſtam Anthyllidem maiorem

Locus.

Li.4.c.107.

Forma lat.

LOTVS PRATENSIS
purpurea.

Locus. Forma pu.

LOTVS ENNEAPHYLLOS Dalechampij.

Locus. Forma. Enneap.

Locus.

LOTVS ASPERIOR, fruticosa Lobellij.

Li. 4. c. 106. *Vives & Temper.*

Li. 22. c. 21.

Libr. 7. sim.

vocant. In aridis, macris, & sabulosis prouenit. Lotus pratensis purpurea radicem gignit gracilem, candicantem, parum capillatam: caulículos multos, fere pedales, surculosos: folia Loti nũc terna, nunc quaterna, exigua: flores in ramulorũ vertice copiosos, purpureos. In pratis & humidis locis nascitur. Lotus Enneaphyllos radice firmatur breui, sub nigra, valde fibrata: cauliculos edit multos, per terram sparsos, vel supra terram paululùm extantes: folia Loti in singulis pediculis nouena: quæ ex causa Enneaphyllum cognominarunt: flores luteos in serta congestos: semen paruum in corniculis longis & gracilibus. In pratis & terrarum aggeribus gignitur. Iisdem in locis altera non dissimilis, foliis eodem ordine collocatis, sed non perpetuo nouenis: flore simili, sed purpureo: semine iisdem corniculis incluso. Postrema erit Lotus asperior fruticosa, siue Narbonensis, incana Lotus Lobellij, tota facie Lotis similis: In caulibus rigidis, pallidis dodrantalibus, folia terna, incana, Loto pratensi Monspeliensi angustiora, Cytiso fermè paria, dorycnio latiora. Cauliculis summis luteoli flosculi exeũt, minores quam in Loto, & aliquantum cani. Nũc de Loti facultatibus dicendum. Loti satiuæ succus, inquit Dioscorides, addito melle oculorum argema, nubeculas, cæteráque caligines discutit. Syluestris Lotus calfaciendi, & leniter adstringendi vim habet, vitia cutis in facie maculáque cum melle peruncta purgat. Trita per se aut cum Maluæ semine, in vino aut passo bibitur aptissimè contra dolores qui vesicam male habent. Plinius. Loton qui arborem putant tantũ esse, inquit Plinius, vel Homero auctore coargui possunt. Is enim inter herbas subnascentes deorum voluptati Loton primam nominauit, folia eius cum melle oculorum cicatrices, argema, nubeculas discutiunt. Hæc Plinius cũ tradit, de Loto satiua, foliis eius tribuit, quod Dioscorides expresso succo. De syluestri siue Lybica Loto, quod sciam nihil scripsit. Galenus verò Loti effectuum causas reddidit his verbis. Lotus satiua, quam quidam Trifolium nominant, vt mediocriter abstergendi vim habet, ita etiam exsiccandi, in caliditatis frigiditatísque coniugatione media quodammodo, & tẽperata. Lotus verò agrestis plurima in Lybia prouenit. Eius semen secundi est ordinis excalfacientium, habétque nonnihil abstersorium.

MELI

MELILOTVS, CAP. LXX.

MELAΙΛΩΤΟΣ Græcis hæc planta dicitur, Latinis Melilotus, Cato-ni Serta Campana, Celso, & Plinio, Sertula Campana, aliis Corona Regis. Meliloti nomen Officinæ retinuerunt. Italis *Meliloto*, & *Trifolio Cauallino*, Anglis *Melilote*. Sertulam Romani veteres dixerunt, quod flos eius coronamentis dicatus sit, & quia ex ea antiquitus coronæ & serta factitata sunt. Campanam, quod in Campania Italiæ, laudatissima sit: Coronam autem regiam, quoniam luteis floribus supernè coronetur. Melilotus vulgaris qua pro legitima Officinæ vtuntur, quorundam est Lotus vrbana, teste Matthiolo, vt diximus paulo antea, Trifolium odoratum Dodonæi, vulgaris tres aut quatuor pedes alta est caule in ramulos statim à radice diuiso: folia terna, Trifolio similia, per oras lente, ac minutim diuisa: Flores lutei in breuibus spicis: deinde semen in exiguis, nigris, ac latiusculis siliquis, paruum, pallidum. Radix longa est. Tota herba odorata est, præcipuè flos qui odor siccescentibus ipsis intenditur. Melilotus vera, siue Italica, aut Campana, cubitali est altitudine, statim à radice fruticosa, ramis multis, exilibus: foliis Trifolio proximis, ex

Nomina

Genera

Matth. in cap. 41. lib. 3. Dioscor.

Forma.

MELILOTVS Vulgaris, siue Trifolium odoratum Dodonæi.

MELILOTVS, siue Sertula Campana.

angusta origine in latum sese diffundentibus, & longo appensis pediculo: floribus Melinis, paruis: siliquis repandis, numerosis, pluribus ex vno ramusculo pendulis, in quibus semen inest minutum, subrufum, odoris non ingrati, quo vtendum: radix inutilis, & superuacua. Nascitur laudatissima in Africa, ait Dioscorides, & Cyzico, & Chalcedone: eius color vicinus est Croco, boni odoris. Nascitur & in Campania circa Nolam, colore in luteum lãgueſcente, odore infirmo. Meliloton Sertulam Campanam vocamus, inquit Plinius est enim in Campania Italiæ laudatissima, Græcis in Sunio: mox Chalcidica & Cretica, vbicumque verò asperis & syluestribus nata. Coronas ex hac antiquitus factitatas, indicio est nomen Sertulæ, quod occupauit. Odor eius Croco vicinus est, &

Locus.

Ibidem.

Lib. 21. c. 9.

flos ipſa cana. Placet maximè foliis breuiſsimis, atque pinguiſsimis. Idem paulo
Cap. 11. poſt. Melilotos vbique naſcitur, laudatiſsima tamen in Attica. Vbicumque verò recens, nec candicans, & Croco quàm ſimillima, quanquam in Italia odoratior, & cādida. Igitur Croco ſimillima dixit, quod Dioſcorides κροκίζων. Antea odorem & florem Croco vicinum eſſe dixerat. Hodie probatiſsima legitimaq; Melilotus non modò in multis Campaniæ locis, ſed etiam in Gargano Apuliæ
Li. 7. ſimpl. *Vires & Temper.* monte prouenit. Melilotus, auctore Galeno, miſtæ eſt facultatis. Habet enim quiddam adſtringens: ſed & digerit, & concoquit: copioſior enim in eo eſt ſubſtantia calida, quàm frigida. Melilotus Dioſcoridi vim habet adſtrictoriam. In-
Lib. 3. ca. 31. flammationem emollit, præſertim quæ in oculis, vulua, ſede, aut teſtibus erumpit, ſi ex paſſo cocta illinatur: interdum autem addito oui luteo aſſato, aut Fœnigræci farina, Lini ſemine, aut Polline, aut capitulis Papaueris, intybóue. Recentes meliceridas per ſe cum aqua, & vlcera manantia in capite illita cum Creta Chia, vino, aut galla ſanat: ſtomachi dolores & cruda & cocta cum aliquo ex antedictis leuat: doloribus aurium mitigandis cruda ex paſſo inſtillatur: in
Cap. 20. lib. 24. aceto aut roſaceo madefacta capitis dolorem lenit. Meliloto, ſi Plinio credimus oculis medetur cum lacte, aut cum Lini ſemine. Maxillarum quoque dolores lenit: & capitis cum roſaceo: item aurium è paſſo, quæq; in manibus intumeſcūt, vel erumpunt. Stomachi dolores in vino decocta, vel cruda tritaq;. Idem effectus, & ad vuluas. Teſtes verò, & ſedem prociduam, quæq; ibi ſunt vitia, recens ex aqua decocta, vel ex paſſo. Adiecto roſaceo illinitur ad carcinomata. Defervueſcit in vino dulci. Peculiariter & contra meliceridas efficax. Sed vulgati Codices falſò habere videntur lacte pro luteo oui: diſertè enim in Dioſcoride ὠοῦ λεκύθου legitur. Serapio Meliloti ſiliquis & ſeminibus vtendum eſſe cenſet, cum ex auctoritate Iſaac Ebenamram de Meliloto differit his verbis. Melilotus herba eſt quæ folia fert rotūda, & viridia, ramulos emittit admodum exiles, in quibus folia rara. Semen gerit in ſiliquis tenuibus, ac rotundis, quæ grana includunt pauca, glauci coloris, rotunda, infra ſinapis magnitudinem. Porro in Meliloto vſum ſibi vendicarunt ſiliquæ, & ſemina quæ in eis continentur. Ex quibus fa-
Ibidem. cilè eſt coniicere, inquit Matthiolus, non eſſe mirum, ſi emplaſtrū quod de Meliloto Officinis dicitur, ſæpe medicos fallat, cum in id legitimi Meliloti ſeminis farina nunquam recipiatur.

TRIBVLVS, CAP. LXXI.

Nomina ΤΡΙΒΟΛΟΣ χερσαῖος Græcis, Tribulus terreſtris Latinis dicitur, quod ſiliqua plantaq; Muricata ſit, Italis *Tribolo terreſtre*, Arabibus ſimpliciter Tribulus *Haſach*, ſiue *Haſerk*, Hiſpanis *Abroyos*, & *Abrolhos*.

Genera. Dioſcorides duo Tribuli genera ſtatuit, alterum terreſtre, alterum
Lib. 4. c. 14. aquis familiare, de quo alibi dicemus. Theophraſtus duo terreſtris Tribuli genera deſcripſit his verbis:
Lib. 6. Hiſt. cap. 5. Ὁ δὲ τρίβολος ἴδιον ἔχει, διότι πτερυγριάκανθός ἐστι. Δύο δ' αὐτοῦ γένη. τὸ μὲν γὰρ ἔχει φύλλον ἐρεβινθῶδες. ἕτερος δ' ὁ φυλλάκανθος. Καὶ ἐπίγεοι ἄμφω, καὶ πολλαχῆ χεδὸν χιζόμενοι. ὀψιβλαστης δὲ μᾶλλον ὁ φυλλάκανθος, πτερυφύεται τὰς αὐλάς. τὸ δὲ σπέρμα τῆ μὲν πρωίου, σησαμῶδες, τῆ δὲ ὀψίᾳ στρογγύλον, ἐπίμηλον ἐν λοβῷ. Quæ rectiùs fortaſſe quam à Theodoro ſic verti poſſunt. Tribulo peculiare eſt, quod in tegumentum fructus aculeatum gignit. Duo eius genera. Vnum folium Ciceris habet nullis ſpinis aculeatum, alterum foliis eſt ſpinoſis. Humi iacent ambo, & quaquauerſum ferè diſperguntur. Serius germinat qui folia ſpinoſa habet, & circa villarum ſepta prouenit. Semen præcocis Seſamo ſimile, ſerotini rotundum, nigricans, ſiliqua clauſum. Quod hoc loco dixit Theophraſtus Tri-
Cap. 1. li. 6. bulum πτερυγριάκανθον eſſe, paulo ante dixit τὸν τρίβολον καὶ τῇ πτερυγρίᾳ φυλλάκανθον

κανθον εἶναι. ἔχειν γὰρ ἄκανθας ἐν τῷ περικαρπίῳ: id est Tribulum habere seminis conceptaculum aculeatum, & folia spinosa: etenim in seminis integumento spinas esse. Tribulo proprietas, inquit Plinius, quod & fructum spinosum habet. Idem alibi: Aliqua & secundum spinam habent folium, vt Tribulus & Ononis. Sed rursum idem dilucidius. Tribulus non nisi in palustribus nascitur, dira res alibi. Iuxta Nilum, & Strymonem amnes, recipitur in cibos: inclinatur in vadum, folio ad effigiem Vlmi, pediculo longo. At in reliquo orbe genera duo, vni Cicerculæ folia, alteri aculeata. Hic & seriùs floret, magísque septa obsidet villarum. Semen ei rotundius, nigrum, in siliqua: alteri arenaceum. In Theophrasti vulgatis nostris exemplaribus σησαμῶδες legimus, id est, Sesamo simile, quo loco, vt apparet Plinius ἀμμῶσες legit, vtpote qui arenaceum verterit. Alij non arenaceum in Plinio, sed acanaceum legunt. Tribulo sabulosæ planities mari Adriatico, Tyrrheno, & Gallico mediterraneo vicinæ scatent. Monspelij etiam in aridis & oliuetis serpit, forma Ciceris, ramulis permultis, exilibus, gemino foliorum versu refertis, non Portulacæ, vt legitur in vulgatis Codicibus Dioscoridi, sed Aphacæ, vel Lentis, ideóque pro ἀνδράχνη suspicatur Pena, legendum ἀφάκῃ ὅμοια, id est Aphacæ, siue Vicię similia, id quod ipsius plantæ inspectio demonstrat. Pusilli flosculi, luteoli, in pediculis, ex alis exeunt, & qua emergunt infesti aculei, rigidiusculi, sexanguli, quinquangulíue, tanquam Murices, medullam &

Lib. 21. c. 15.

Lib. 21. c. 16.

Forma.

TRIBVLVS Terrestris Matthioli.

TRIBVLVS MINOR rectus Dalechampij.

semen ambiunt, per maturitatem & æstatem dehiscentes: radix parua, fibrata, nec altè depacta. Nullius hodie fermè vsus, nisi asinis, quibus pabulum illic est. Tribulus terrestris, in aruis Hispaniæ frequẽs est, frugibus infestus. Lolium Tribulos, carduos, lappásque non magis quàm rubos, inter frugum morbos potius, quàm inter ipsius terræ pestes numerat Plinius, vt & Vergilius.

Hist. frum. cap. 101.

Locus. Lib. 18. c. 17. Li. 1. Geor.

Lappáq; Tribulique, intérque nitentia culta,
Infælix Lolium, & steriles dominantur Auenæ.

Duo

Duo alia Tribuli genera Dalechampius nouit, quæ hîc depinximus. Alter eſt Tribulus minor rectus, alter Tribulus minor repens. Tribulus minor rectus radicem emittit dodrantalem, tenuiſsimam, candidam, capillaceis villis parum fibratam: caulem ſimplicem, rotundum, quatuor digitos altum, in ramulos diſperſum: folia parua, Lenti ſimilia, ſuperiore parte latiuſcula, qua petiolo adnectuntur anguſtiora, per ipſa media excurrente ac eminente coſta, in ſingulis petiolis terna, vt in Loti ac Trifolij generibus. Florem fert Piſi paruum, luteum: ſemen exiguis ac rotundis pilulis incluſum, quæ in terram deciduæ ſuam plantam quotannis ſerunt, atque in radice plantæ ex ipſis natæ cum terra effoditur, hærere ſolent. In arenoſis & ſabuloſis locis gignitur: guſtus citra mordacitatem & acrimoniam deſiccantis.

Forma Tribul. recti.

Forma Trib. rep.

TRIBVLVS Terreſtris, minor repens.

Tribulus minor repens tota plantæ effigie ſuperiori ſimilis eſt, niſi quod hic longiſsimis viticulis per terram repit, & quaternas, aut quinas ſimul echinatas pilulas gignit. Ille autem breuis eſt & erectus, binaſq; tantùm, aut ad ſummùm ternas pilulas edit. Tribulus, aquaticus Galeno, ex humida ſubſtantia & modicè frigida, terreſtris ex ſicca non mediocriter, & frigida componitur: (eſt enim legẽdum τριβολος ἔνυδρος, ἐξ ὑγρᾶς ὑσίας, μετρίως ψυχρᾶς, χερσαῖος δὲ ἐκ ξηρᾶς ὑ μετρίως, καὶ ταύτης ψυχρᾶς σωιέστηκε.) In terreſtri tamen ſuperat terreum frigidum quod adſtringens eſt, in aquatico aqueum. Propter vtrumq; itaque & contra phlegmonarum generationes, & omnino contra omnes humorum affluxus congruit. Porrò terreſtris ipſius fructus cum tenuium ſit partium, potus, lapides in renibus comminuit. Dioſcorides has illis vires aſsignat Tribulus vtérque, refrigerantis, & ſpiſſantis eſt naturæ, inquit Dioſcorides, ideo inflammationes omnes cataplaſmate adiuuat: vlcera in ore erumpentia, putredines, gingiuas, tonſilláſque perſanat. Succus ex his colligitur, ad oculorum medicinas. Semen dum recens bibitur, calculoſis iuuamentum adfert. Drachma terreſtris Tribuli pota, illitáue ictos à vipera recreat: contra venena cum vino aptiſsimè bibitur. Decoctum eius ſparſum pulices necat. Thraces qui ad Strymona amnem habitant, virente Tribulo equos ſaginant, & è dulci ſemine, ac eſculento panem quo veſcuntur, faciunt. Tribuli vnum genus Plinio, in hortis naſcitur, alterum in fluminibus tantùm. Succus ex his colligitur ad oculorum medicinas. Eſt enim refrigerantis naturæ, & ideo vtilis contra inflammationes, collectionéſque. Vlcera per ſe erumpentia, & præcipuè in ore, cum melle ſanat, item tonſillas. Potus calculos frangit. Thraces qui ad Strymona habitant, foliis Tribuli equos ſaginant, ipſi nucleo viuunt, panem facientes prædulcem, & qui contrahit ventrem. Radix caſtè puréque collecta diſcutit ſtrumas. Semen adalligatum, varicum dolores ſedat: Tritum verò & in aquam ſparſum pulices necat.

Li. 8. ſimpl. *Vires & Temper.*

Li. 22. c. 10.

VACCARIA RVBRA, CAP. LXXII.

VACCARIAM plantam vocant Herbarij, quod eam libenter Vaccæ depascantur, rubram à floris colore. Pallidæ supra meminimus inter Isatidis genera. Quidam Condurdũ Plinij esse volunt. Ea certè circa Solstitium, rubrum siue roseum florem mittit, quod de Condurdo suo, herba Solstitiali, Plinius tradit. Gignitur in agris argillosis inter segetes, radice lignosa, candida, breui, modice fibrata: caule singulari, pedem alto, in Lib. 26. c. 5.

VACCARIA Rubra Maior.

VACCARIA Rubra Minor.

vertice tantũ surculoso: foliis oblongis, læuibus, pallidis, in fastigio acuminatis, binis simul, ex aduerso sitis, cauli sine pediculo adhærentibus: ex foliorum sinu in plantæ vertice exiles pediculi emergunt, & calices sustinent albos, inferne latos, superne fastigiatos, quinque herbaceis costis distinctos, ex quibus flos promitur, aspectu pulcher, puniceus, quinque foliolis constans, media linea sic diuisis, vt in alia quinque rursum diducantur, & sic distracta decem efficiant: semine rotundo, copioso in supradictis calicibus.

HISTORIAE
OMNIVM PLANTARVM
LIBER QVINTVS,

In quo describuntur & depinguntur Olera, & herba quæ in Hortis nascuntur.

BRASSICA, CAP. I.

VIRIDARIO Hortus proximus est, quo nomine apud antiquos omnisvilla dicebatur, vt scribit Festus: quòd ibi, qui arma capere possent, orirentur. Et Plinius, in XII. tabulis legum nostratium, ait, nusquam nominatur Villa: semper in significatione ea hortus: in horti verò, hæredium. Κῆπος Græcis hortus dicitur, & Κλῆρος, quamquam propriè hæreditatem significet. Nicander, *Nomina*

Lib 19. c.4.

In Alexiph

Ἔστι καὶ κλήροισιν ἐτώσιον τοιόσπερ ὤρου
Εἰκελναὶ φορέουσιν ἐνεψιμήλια κόυρα:s.

Quæ sic Gorræus conuertit.

Quáq; per æstatem nostris nascuntur in Hortis
Mala, quibus ludunt, delectantúrque puellæ.

Vnde sumptum Latinorum hæredium, quod pro horto, vt ex Plinio dictum est, vsurpabatur, quódque paruum prædium Festus interpretatur. Horti sunt in quibus arbores, & olera potissimùm oriuntur, quibus antiquitas nihil priùs mirata est, veluti Hesperidum hortos, & Regum Adonis, & Alcinoi, itémque pensiles, siue illos Semiramis, siue Assyriæ Rex Cyrus fecit. Romani quidem Reges ipsi hortos coluere. Quippe etiam Superbus Tarquinius nuntium illum sæuum atq; sanguinarium filio remisit ex horto. Iam quidem hortorum nomine, inquit Plinius, in ipsa vrbe delicias, agros, villásque possident. Primus hoc instituit Epicurus otij magister. Vsque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura. Romæ quidem per se hortus Ager pauperis erat. Ex horto plebei macellum, quanto innocentiore victu? Hinc primùm agricolæ æstimabantur prisci, & sic statim faciebant iudiciũ, nequã esse in domo matremfamilias (etenim hæc cura fœminæ dicabatur) vbi indiligens esset hortus. Quippe è carnario aut macello viuendum esse. Nec caules, vt nunc, maximè probabant, damnátes pulmentaria, quæ egerent alio pulmentario. Id erat oleo parcere. Nam gari desideria etiam in exprobratione erant. Horti maximè placebant, quia non egebant igne, parcerémtque ligno, expedita res, & parata semper: vnde etiam acetaria appellantur

Plin. lib. 19. cap. 4

Ibidem.

Facedaria Tintianus, accetaria legit Hermolaus, non ab aceto, vt credi cœptum est, sed ab accipiendo deflexa. Ideo enim, inquit Plinius, accetaria appellabantur horti, hoc est hortensia, quoniam expedita res & parata semper esset: nam & acceptabulum ab accipiendo dicitur, etiam si Græci Oxybaphon appellent, quasi ab aceto) facilia concoqui, nec oneratura sensum cibo, & quæ minimè accenderent desiderium panis. Horti igitur ab antiquis, vt & à nobis, & ad voluptatem, & ad necessitatem comparabantur. Nos autem hortum hic describere instituimus, qui λάχανα, idest olera potissimùm continet. Olus autem dicebant quamcumque herbam esculentam, inquit Scaliger, claro indicio priscæ frugalitatis, quę ad victum nihil obsonij sibi deesse existimaret, modo ne deesset olus: hoc enim ὅλον est, sicut & panis πᾶν. Nec ijs solũ, quæ nobis vsui cibario sunt hortũ instruimus, sed etiã iis ex quibus remedia vulgò parantur, inuẽtu facilia, ac sine impẽdio.

In lib. 1. de Plant.

Supra nos glandiferas arbores, easque quæ primùm victu mortales aluerunt, nutrices inopis, ac feræ sortis exposuimus, deinde pomiferas, quæq; mitioribus succis voluptatem primæ cibis attulerunt. Sequitur natura hortorum, id est eorum quæ præter arbores & frutices benigna tellure proueniunt, maximè ex quibus viuimus, multa etiam quæ salutis, & quædam quæ voluptatis hominum gratia terra gignit.

Nomina

A Brassica verò quæ omnibus notissima est exordiemur. Κράμβη Græci quasi Κορράμβη, inquit Suidas, quòd pupillas oculorum, quas Græci Κόρας vocant, hebetet. In qua sententia fuit Columella, cum scribit,

Lib. de Hort.

Nunc veniat quamuis oculis inimica coramble.

Et melius κράμβη, quasi κορράμβη dicta est, quod τῷ κορῷ ἀμβῇ, vel rectiùs ἀνίβῃ, id est, quod crapulæ satietatique aduersetur, vt dicetur. Græci veteres etiam ῥάφανον vocarunt, ob mutuam quamdam amicitiam & affinitatem vtriusuis seminis, vetustioris præsertim, vtramuis plantam generandi. Brassica à Latinis appellatur, quasi præseca, inquit Varro, quod huius scapus minutatim præsecatur: siquidem nunc tonsili, nunc cymoso caule spectatur. Sunt qui dictam existiment quasi passicam, quod ex caule minutatim præsicatur vt passa fiat. Vel ἀπὸ τοῦ βράξαι, id est à vocando dictam verisimile est. Estur enim tota à plebecula, tum cruda, tum cocta, vel muria seruata. Vulgò Caulis, quoniam præ cæteris grandi, validóque turgescit caule, à Mauritanis *Corumb*, & *Karumb*, ab Italis *Cauolo*, & *Verça*, à Germanis *Koel*, ab Hispanis *Colhes*, & *Couues*, à Gallis *Chou*, à Belgis *Koolen*, ab Anglis *keale*, & *Cole*.

Genera.

Brassicæ permulta sunt genera, Theophrasto tria. Τῆς δὲ ῥαφάνου, inquit, τειχὶ διαιρημένης, ὑλοφύλλου τε, καὶ λειοφύλλου, καὶ τρίτης τῆς ἀγρίας, ἣ τὸ μὲν φύλλον ἔχει λεῖον, μικρὸν ὃ καὶ πεπλατυνὲς, πολύκλαδος, καὶ πολύφυλλος, ἔτι δὲ χυλὸν ἔχουσα δριμύν καὶ φαρμακώδη. Διὸ καὶ πρὸς τὰς κοιλίας αὐτῇ χρῶνται οἱ ἰατροί. ὁμοίως δ' καὶ ἐκείνων εἶναι δοκοῦσι διαφοραὶ καθ' ἑτέρα. ἐπεὶ ἄσπερμόν τι γένος αὐτῶν ἐστὶ, ἣ κακόσπερμον. τὸ δ' ὅλον ἡ ὑλώδης τῆς λείας δίχυλωτέρα, καὶ μεγαλοφυλλοτέρα. Id est, Brassica trifariam diuiditur: in eam quæ crispa & in eam quæ læuia folia habet, & tertiam agrestem. Huic folium læue est, paruum & rotundum: multis ramis, multisque foliis constat. Huic præterea succus acris inest, & medicatus, quo medici ad purgandas aluos vtuntur. Similiter priorum Brassicarum hæc videtur esse differentia, quod harum quædam nullum, quædam malum semen habent. In vniuersum autem crispa Brassica & meliore succo, & maioribus foliis est quàm læuis. Notandum autem non hìc solùm Brassicam τὴν ῥαφανὶν à Theophrasto nominari, & ita à Theodoro conuerti, sed aliis etiam in locis sæpissimè, in quibus eruditissimus philosophus & medicus Scaliger τὴν ῥαφανον pro Brassica vsurpat, non pro radice, neque radicula, quam etiam ῥαφανίδα vocant Græci. Et apud Athenæum ἡ ῥαφανὶς Theophrasti κράμβη esse dicitur: illic enim scribitur. Θεόφραστος δ' ὅτως γράφει, Τῆς δὲ ῥαφανου (λέγω δ' τὴν κράμβην)

Lib. 7. hist. c. 4.

In comm. in lib. caus. Theoph. Lib. 9. deipnos.

ἡμεν

ἡ μὲν ἐστιν ἁλόφυλλος, & cætera. Aristoteles quoque de erucis scribens. αἱ δὲ κάμπαι γίνονται, inquit, ἐκ τῶν φύλλων τῶν χλωρῶν, καὶ μάλιστα ἐπὶ τῆς ῥαφάνου, ἣν καλοῦσί τινες κράμβην. Id est, nascuntur erucæ ex virentibus foliis, maximè rhaphani, quam vocant nonnulli cramben, hoc est Brassicam. Quæ cum Plinius negligētiùs legisset, imò ne animaduertisset quidē quæ Theophrastus & Aristoteles de Brassica scripserunt, ipse rhaphano, idest radiculæ adscripsit. Ac primùm locum Theophrasti suprà citatum apertè expressit his verbis, Genera rhaphani Græci fecere tria, foliorum differentia, crispi atque læuis, & tertium siluestre. Atque huic læuia quidē, sed breuiora ac rotunda, copiosaque atque fruticosa: sapor autem asper, & medicamenti instar ad eliciendas aluos. Et in prioribus tamen differentia seminis est, quoniam aliqua peius, aliqua admodum exiguum ferunt. Hæc vitia non cadunt nisi in crispa folia. At hæc non ad rhaphanum radicem, sed ad raphanum Brassicam pertinent. Id quod ex ipsiusmet Plinij loco alio demōstrari potest, quo quæ rhaphani genera illic statuerat, eadem ad Brassicam refert, Catonem qui illa ex Theophrasto transscripsit citans his verbis: Sed Cato Brassicę miras canit laudes, quas in medendi loco reddemus. Genera eius facit tria. Vnam extentis foliis, caule magno, alteram crispo folio quam Apianam vocat, tertiam minutis caulibus, lenem, teneram minimè probat: Eadem tria genera alio postea loco idem Plinius repetit. In tres species, inquit, diuisēre eam (Brassicam) Græci antiquissimi. Crispam quam Selinada vocauerunt à similitudine apij foliorum, stomacho vtilem, aluum modice mollientem. Alteram læam, latis foliis è caule exeuntibus. Vnde caulodem quidam vocauere, nullius in medicina momenti. Tertia est propriè appellata crambe, tenuioribus foliis & simplicibus, densissimisque, amarior, sed efficacissima. Cato crispam maximè probat, deinde læuem grandibus foliis, caule magno. Quo verò Catonis sententiam de tribus generibus à Plinio citatam, ex Theophrasto descriptam esse dilucidiùs intelligamus, eius verba hîc adscribēda sunt. Nunc vti cognoscas naturam earum, prima est læuis quæ nominatur. Ea est grandis, latis foliis, caule magno: validam habet naturam, & vim magnam habet. Altera est crispa, quæ à similitudine apij σελινοειδὴς vocatur. Hæc est natura & aspectu bona ad curationem: validior est quàm, quæ suprascripta est. Item est tertia quæ κράμβη vocatur, minutis caulibus, tenera & acerrima est omnium istarum, tenui succo vehementissima. Et primùm scito, de omnibus Brassicis nulla est illiusmodi medicamentosior, &c. Deinde Plinius erucarum ortum describens ex Aristotele, de rhaphani folio dixit, quod Aristoteles apertè sedixisse de foliis Brassicæ declarat loco à nobis citato. Plinij autem verba hæc sunt. Multa autem insecta & aliter nascuntur, atque imprimis ex rore. Insidet hic rhaphani folio primo vere, & spissatus sole in magnitudinem milij cogitur, &c. Sed de hoc Plinij errore quædam alia postea dicemus. Tria Brassicæ genera agnoscit etiam Eudemus Athenienſis, in libro de oleribus, vt legitur apud Athenæum: κράμβης φησὶν εἶναι γένη τρία, τῆς μὲν καλυμένης ἁλμυρίδος, καὶ λειοφύλλου, καὶ σελινουσίης. τῇ τε ἡδονῇ πρώτην κεκρίσθαι τὴν ἁλμυρίδα. φύεσθαι δὲ ἐν Ἐρετρίᾳ, καὶ κύμῃ, καὶ ῥόδῳ: ἔτι δὲ κνίδῳ, καὶ ἐφέσῳ. ἡ δὲ λειόφυλλος ἀνὰ πᾶσαν (φησὶ) χώραν γίνεσθαι. ἡ δὲ σελινουσία τὴν ὀνομασίαν ἔχει διὰ τὴν ὠλότητα: ἐμφερὴς γάρ ἐστι σελίνῳ, καὶ κατὰ τὴν ἄλλην σύνκρασιν. Idest, Tria sunt Brassicæ genera: Halmyris, Læophyllos, & Selinusia. Halmyris suauitate cæteras antecellit. Nascitur in Eretria, Cumis, Rhodo, Cnido, Epheso. Læophyllos à læuore foliorum sic dicta, vbique nascens nullam respuit regionem. Selinusia à crispitudine foliorum nomen accepit, ideo quod σελίνῳ, idest apio similis sit, atque etiam densitate. Dioscoridi Brassica alia est ἥμερος, idest, satiua, alia ἀγρία, idest siluestris, alia θαλασσία, id est marina. Sub satiua tria iam explicata genera, vel quædam horum complectitur. Sub qua etiam Ægyptiam comprehendit, quæ in Ægypto propter

Lib. 5. hist. ad. c. 19.

Lib. 19. c. 5.

Lib. 19. c. 8.

Lib. 20. c. 9.

De re rust. c. 157.

Lib. 11. c. 32.

Lib. 9.

Lib. 2. c. 123.

Lib.20.c.9 amaritudinem non eſtur, inquit Plinius. Sed multò plura idem Plinius tradit, ex
Lib.19.c.8. cultu,locis,& forma nomen adepta. Præcipuus fit caulis,inquit,ſapore ac magnitudine,primùm omnium ſi in repaſtinato ſeras:dein ſi terram fugientes cauliculos ſeces,à terráque proceritate luxurioſa attollentes ſe, exaggerando aliam accumules, ita ne plus quam cacumen emineat. Tritianum hoc genus vocatur, bis computabili impendio tædióque. Cætera genera complura ſunt. Cumanum ſeſſili folio, capite patulum. Aricinum altitudine non excelſius, folio numeroſius quàm tenuius. Hoc vtiliſimum exiſtimatur, quia ſub omnibus penè foliis fruticat cauliculis peculiaribus, Pompeianum procerius caule ab radice tenui, intra folia craſſeſcit: rariora hæc,anguſtioráque, ſed teneritas in dote, ſi frigora non toleret: quibus etiam aluntur Brutiani, prægrandes foliis, caule tenues, ſapore acuti. Sabellico vſque in admirationem criſpa ſunt folia,quorum craſsitudo caulem ipſum extenuat: ſed dulciſsimi perhibentur ex omnibus. Nuper ſubiere Lacuturres ex conualle Aricina, vbi quondam fuit lacus, turríſque quæ remanet, capite prægrandes,folio innumeri. Alij in orbẽ porrecti,alij in latitudinẽ toroſi. Nec plus vllis capitis poſt tritianum, cui pedale aliquando conſpicitur, & cyma nullis ſerior.Hæc Plinius. Noſtris etiam in Hortis plurimæ viſuntur Braſsicarum ſpecies, quædam etiam veteribus incognitæ, quas primùm diſtribuemus in ſatiuam & agreſtem. Satiuam in albam, nigram, & rubram.

j.Braſſ.ſpe. Braſsica ſatiua alba vulgaris notitiæ omnibus conſpicua, ea eſt, quæ lævis à Theophraſto, Catone, Plinio dicitur, caule magno, craſſo, grandibus & latis
Forma. foliis, carnoſis, ex viridi ſeu cæſio candicantibus, in latera diffuſis, prominulis venarum toris fruticantibus,tonſili cymarum luxuria: flore tum luteo,tum albo: ſemine in ſiliquis. Cum gelicidia ſenſit, gratior eſt cibis: tenereſcit enim frigoribus: iuſculis pinguibus incoqui ſolet. Cymoſum eius cacumen acetariis ſubminiſtrat, prius ſubferuefactum, mox oleo ſaléque diffuſum.

BRASSICA ALBA
vulgaris, Lauis ſatiua.

BRASSICA ALBA
criſpa.

Altera

Altera Brasica alba ea est, quæ brasica Sabaudica cognominatur, *Chou de Savoye*, Dodon. Lacuturris, Catonis Crispa brasica, Plinij Sabellica. Etenim crispis admodum foliis lactucæ modo in sese concluditur, sed non in tam absolutum orbem coit, quàm Brasica capitata, neque vsque adeo conuolutis interioribus pāniculis, intus albicans, tenera, subdulcis, & quæ hac ætate præstantissima habetur: flores albos, & semen in exiguis siliquis profert. Hyemem & gelicidia non tolerat. Hæc Brasicæ candidæ secundum genus est Dodonæi. 2. spec. Lib. 5. c. 3. Lib. 4. c. 6.

BRASSICA CAPITATA Albida.

Tertia albæ Brasicæ species, cuius folia in orbem conglomerantur, exterius callosa, & per ambitum rugata, multis intus carinarum voluminibus, externis semper interiora complectētibus, numquam nisi cum in florem exeunt dehiscentibus, eximio candore, miranda teneritudine, humili caule, capite prægrandi, nonnumquam sesquipedē crasso. Brasica capitata vulgo nominata est, quoniam in capitis formam extuberat, Gallis *Chou capu*, idest Caulis capitatus. Nonnulli à candore foliorum album vocant, quo nostra fere rura victitant. Huic hyeme præcipua nobilitas. Plinio Lacuturris est Brasica, vt vult Matthiolus, vt Dodonæus brasica Tritiana. Sed verisimilius est Lacuturrim nostram esse Brasicam capitatam candidam. Tritianam verò nostram esse Brasicā capitatam viridem. 3. spec. In libr. 2. Dios. c. 123. Ibidem.

Est alia Brasica capitata polycephalos, radice, caule & magnitudine aliis sesilibus & capitatis par & similis, sed hoc differt, quod spectanda quidem & fere prodigiosa naturæ lasciuientis, vt ita dicam, ostentatione, non vt superior, vnicum caput profert, sed plura, alia ab aliis discreta, in vnum tamen tanquam aceruum congesta, è venosis multis foliis conglobata, alia maiora, alia minora, inusitata quadam & rara specie. Quidam id terræ, cui semen creditur, vbertati adscribunt, quæ tam copiosum alimentum præbet, vt gignendis atque nutriendis tot capitibus sufficiat. 4. spec.

BRASSICA CAPITATA Polycephalos.

Miranda est alius Brasicæ albæ & peregrinæ natura, quam Dodonæus Pompeianam vocat, aut Cypriam, & Brasicam floridam, *Chou de Cypre*, &, *Chou fleuri*, Itali *Caulifiori*. Primùm enim folia profert Brasicæ albæ & læuis modo, quadamtenus cinerea: deinde ex ipsorum medio foliorum conglobatorum veluti centro cauliculos multos, crasiusculos, candidos, dulces, multis & breuibus ramulis vestitos, pari proceritate, & in sese conglomeratos. Hos cauliculos huius Brasicæ florem appellant. Nec 5. spec.

BRASSICA Pompeiana, aut Cypria, Braſsica florida Dodo.

BRASSICA Aſparagodes Dalechampij.

minùs mira eſt ea Braſsica, quam aſparagœdem eſſe herbarij cenſent, cuius mentio fit in Geoponicis Caſsiani Conſtantino attributis.

6. ſpec. Caulis & radix eadem quæ in cæteris Braſsicæ generibus. Folia nunc ſunt laciniata,& frequentiſsimis diuiſuris inciſa,qualia Braſsicæ criſpæ,nunc plana,lata, & expanſa. Eadem nonnumquam tota virent,nonnumquam venis per ipſa folia diſperſis, & media coſta rubent. Huic vero id peculiare eſt & inſigne, quod ex foliis ramuli multi,breues,toroſi,folioſi naſcuntur,florentes ſuo tempore, & ſemen edentes,nõ aliter quàm in reliquis plantis,ex caule,vel ſtipite, quorum ramulorum cum aſparagis ſimilitudo fecit, vt hanc Braſsicam aſparagœdẽ Græci vocauerint. Hi tenelli aſparagi in iure aliquo pingui, vt capi,aut veruecinæ eduntur.

BRASSICA RAPOSA.

7. ſpec. Admiranda verò magis,& veteribus,opinor, incognita ea Braſsica (niſi ſit rapitius coſis Catonis) quæ γογγυλοκράμβη nominari poteſt,ideſt Braſsica raposa,Gallice *Chou raue*, quòd caulis in magnum, carnoſum, & rotundum caput extuberat rapi modo, intus etiam album ſicuti rapum, è quo folia naſcuntur, reliquis Braſsicis ſimilia,laciniata,viridia, longis,craſsiſque fulta pediculis. Ex eodem cum albis floribus cauliculi prodeunt. Caulorapum vocat Scaliger. Vidimus,inquit,hunc cinnum vtriuſq; naturæ. Sed Braſsicę radix ſub terra condita fuit,rapum ſupra terram in ſtipite turgeſcebat. Dodonæo

In lib. 1. de Plant.

eſt

eſt Braſsicæ candidæ quartum genus. Tuber rapi modo in fruſta conciſum, & elixum eſtur cum aceto & pipere, magna eorũ voluptate qui Braſsicis delectatur. Alij in iure capi veruecinæ & vitulinæ coquunt, ſic lautiore apparatu, & meliore guſtu: quomodo crambaſpa agorum parari ſolent tenelli aſparagi, vt dictum eſt.

BRASSICAE RVBRAE prima ſpecies.

BRASSICA NIGRA Dodonæi.

Hæc albæ Braſsicæ genera. Quarum primæ ſimilis eſt Braſsica nigra, Gallicè *Chou noir*, cui ſtipites longi ſunt & proceri, folia grandia, lata, nigricantia, rugis multis aſperata: flores lutei: ſemen & ſiliquæ vt cæteris.

Braſsica rubra foliis eſt magnis, latis, laciniatis, læuibus in viridi fuſco rubeſcentibus, venis etiam rubeſcentibus per tranſuerſum virgatis: floribus luteis: ſiliquis longis & gracilibus: ſemine minuto, rotundo, exterius fuſco, interius flaueſcente, napi vel rapi ſemini ſimili, ſed maiore. Hæc Braſsica eſt Cumana & rubra, & Braſſica læuis Catonis Dodonæo, quę prima omniũ à Fuchſio deſcripta eſt, Gallicè *Chou rouge*. Braſſ. rub. j. ſpecies & forma. Lib. 5. ca. 6.

Braſsicæ rubræ ſecunda ſpecies ſuperiorem foliis plane imitatur, ſed tempore folia quæ in medio ſunt, alia aliis incumbentia, vt in Braſsica alba capitata, conglobantur, eáque rubeſcentia, aut purpuraſcentia. Dodonæus Braſsicam Lacuturrem appellat, Galli *Chou capu rouge*. Braſſ. rub. ij. ſpecies. Lib. 5. c. 6.

Tertia ſpecies folia habet inciſa, cæterùm colore, floribus, & ſemine primo generi proxima, Dodon. Braſsica σιλινοειδὴς, Latinè Apiana. Braſſ. rub. iij. ſpec. Ibidem,

Quarta foliis eſt valde rugatis criſpíſque cætera ſuperioribus ſimilis. Nigram Dodonæus vocat. Fuchſius Braſsicam criſpam, & σιλινοειδῆ, ideſt Apianam à ſimilitudine apij, Galli *Chou creſpu noir*. Braſſ. rub. iiij. ſpec.

Huic adiungenda Braſsica criſpa Tragi, quæ radice, caule, flore, ſemine, ſapore, ſuperioribus generibus ſimilis, folia gerit plane illis diſſimilia, hoc eſt criſpa, & per ambitum inciſa, veluti criſpæ lactucæ. Quamquam in hoc genere quędam frequentioribus & profundioribus, aliæ rarioribus & minoribus inciſuris diſſectæ ſint. Lib. 2. c. 59.

Ad idem genus referenda Lobellij Braſsica tenuifolia laciniata, cuius gemina eſt varietas. Prior foliorum laciniatas inciſuras ad medium vſque neruum habet, artemiſiæ, eryngijve cam peſtris ritu, quæ hic appicta eſt.

Alterius fimbriata magis, laciniata minus ſunt foliata, quæ eadem eſt, aut valde ſimilis Sabellicæ Dodonæi.

Id poſtremum Braſsicæ rubræ genus ponit Dodonæus, quod eſt omnium minimum, & fere ſilueſtri ſimile. Caulibus & foliis primum Ibid.

BRASSICA Crispa Tragi.

BRASSICA Tenuifolia laciniata.

BRASSICA Siluestris.

BRASSICÆ III. Genus Fuchsij.

genus maximè refert, nisi quod ea minora habet. Vix in cibos admittitur, sed feminis tantùm gratia seritur, ex quo exprimitur oleũ, quod vulgò olei ex naporum semine expressi nomine venundatur. *Huile de nauette* Galli vocant. Hanc tertiam esse Catonis Brassicam existimat Dodonæus, quæ Crambe propriè dicatur.

Ibid.

Forma Brassicæ siluest.

De Brassicæ satiuæ generibus satis multa: nunc de agresti, quæ χράμβη ἀγρία nominatur, id est, Brassica siluestris. Foliis & floribus Brassicæ rubræ secundo & vltimo

no

mo generi planè ſimilis eſt, niſi quòd Caules foliáque minora habet, candidiora, hirſutiora, & guſtu multò amariora. Cui planè ſimilis eſt tertia Braſsicæ ſatiuæ ſpecies Fuchſij, hîc appicta.

Alias duas Braſsicæ ſilueſtris ſpecies deſcripſit Cordus. Quædam eſt, inquit, quę caulem erigit bicubitalem, & ferè teretem, glabrum, intus medullaceum, cui ſtatim à terra vſque ad ſummitatem iunceæ gracilitatis deinceps adnaſcuntur rectæ virgæ, longitudine cubitali. Sub his iuxta exortum ſingula ſunt folia longitudine digitalia, inferiùs vncię, aut interdum duûm digitorum latitudine, in mucronem deſinentia, pinguia, & glabra, ſine pediculo caulem & virgas veluti ſinu quodam circum amplectentia. Totis virgis ſiliquas erectas producit, digiti longitudine, valde graciles, intus ſinapi ſimilia ſemina continentes, quæ per longitudinem in duas partes tenuiſsima quadam membrana diuidũtur. Flores vere & æſtatis initio in ſummis tantùm virgis apparent candidi, minimis quatuor foliolis, & paucis ſtaminibus conſtantes. Floret particulatim. Itaque ſimul maturas & matureſcentes ſiliculas, ſimúlque flores habet. Radix ſubeſt dodrantalis, digiti mediocris craſſitudine. Tota herba ſatiuam Braſsicam ſapore æmulatur. Lib. 1. plan. c. 31.

Alia Braſsicæ agreſtis ſpecies eſt, inquit idem Cordus, quæ cubitalem habet caulem, teretem, glabrum, aliquantulùm concauum, & in ramulos diuiſum: folia ex interuallo ſingula profert ſecus ramulorum eruptiones, trium aut quatuor vnciarum longitudine, paulo anguſtiora, ſubrotunda, glabra, & Braſsicæ modo corroſa: flores veris exitu candidos & oblongos fert, quibus ſingulæ ſuccedunt ſiliculæ, digito longiores, anguſtæ & quadrangulares, oblongo nigróque ſemine plenæ. Radice nititur exigua, lignoſa, ſemeſtri, & inutili. Folia Braſsicam guſtu imitantur: ſemen verò amarius eſt, & aliquantulum acre. Naſcitur pinguibus agris, lento & glutinoſo ſolo. Hæc Cordus. Lib. 2. plan. c. 89.

BRASSICA Campeſtris Cluſij.

Cluſius Braſsicam aliam campeſtrem pinxit & deſcripſit, quæ caules pedales habet, candicantes, rotundos, ramulos aliquot, folia per interualla, perfoliatæ ſimilia, candicantia, colore Braſsicæ, guſtu feruido, caulémque ſic amplectentia, vt tenellæ plantæ plurimum ad perfoliatam accedant, in ramulis ex alis exeuntibus flores inſident candidi, Braſsicæ floribus ſimiles, deinde cornicula, ſiue ſiliquæ oblongæ, quadrangulæ, in quibus continetur ſemen minutũ. Alterum eius genus firmioribus virgis, neque adeo ramoſis, cuius folia in ſummo aliquantulum ſerrata, & calidi etiam vt alia guſtus: flores priori ſimiles, maiores, leucoij aut violæ matronalis æmuli, purpurei, & floribus Bolbonac non abſimiles, vtriuſque radix licet dura, fibroſaque & candida, annua tamen eſt. Plurima regno Murciano ad Eliocratam vrbem, vulgò horca, in agris & iuxta vias naſcitur. Floret martio. Primum genus agro Viennenſi etiã frequẽs. Incolæ Hiſpani *Collejon* appellant, quaſi Braſsiculam. Sunt qui Braſsicam ſemine quadrãgulo vocent. Poteſt etiam Braſsica campeſtris nuncupari. Eius acrimonia proxime ad Braſsicæ facultates hanc plantam accedere indicio eſt. Perfoliata ſiliquoſa à Lobellio nominatur. Lib. 2. ſtirp. 1. Hiſp. c. 61.

Braſsicam

BRASSICA MARINA
Soldanella officinarum.

Brass ex marinæ Forma. Lib.2.c.115.

Brassicam marinam his adnumerauit Dioscorides, quæ Græcis χράμβη θαλασσία dicitur. A satiua prorsus abhorret, inquit, quòd folia ferat rotundæ aristolochiæ, longa, tenuia: singula è ramulis rubentibus exeunt, singulari vt hedera pediculo: albo succo prædita est, sed pauco, salso gustu, sed aliquantùm amaro, pingui concretu. Hanc Brassicam censent herbarij peritissimi eam esse stirpem, quam officinæ Soldanellam & Soldanam appellant, etsi scripserit Dioscorides folia habere rotundæ aristolochię, longa. Quippe quæ in maritimis nascatur, ramulis constet rubentibus, ex quibus prodeunt folia, vt in hedera, quæ lacteum succum emittunt, gustúque salsa & amara, & quadamtenus acria percipiuntur. Quare locum Dioscoridis mendo non carere rectè videtur Matthiolus existimasse, facilíque librariorum lapsu euenisse, vt folia μακρὰ, idest longa, pro μικρὰ, idest parua nunc legamus. Tamen in nostris Dioscoridis exemplaribus nõ legimus huius Brassicæ folia μακρὰ neque μικρὰ, sed ὑψηλὴ, idest prælonga. Dalechampius legit προμήκη, idest porrecta, quod est

In libr. 2. Dios.c.115.

verisimum. Quo Dioscoridis loco sic emendato, Soldanella omnibus planè notis

Lib.2.c.54. Brassicam marinam Dioscoridis refert. In qua etiam sententia cum sit Ruellius, quòd Soldana vulgo dicta, vt scribit, cum tota Dioscoridis pictura nulla reclamante nota videatur subscribere, in eo tamen errat, quod eam folio aristolochiæ lon-

Lib.3.c.54. gæ, atque etiam prælongo esse prodiderit. Rectiùs Dodonæus qui Soldanellæ siue Brassicæ marinæ folia tribuit asari, aut aristolochiæ rotundæ, sed minora. Errat præterea Matthæus Siluaticus pandectarum auctor, quod Soldanellam Arabum Chachile esse crediderit, cum Serapio Chachile vineæ simile esse, folióque non

In Hort. Germ. aristolochiam, sed nasturtium imitari tradiderit. Brassica marina, vt rectè ait Gesnerus, toto genere differt à Brassicis, nec aliud quàm nomen commune habet.

Ibid. Eam opinor ob causam, Dodonæus non cæteris Brassicis, sed smilacibus læuibus, & conuoluulo subiunxit. Nam graciles & rubescentes cauliculos, seu viticulas per terram spargit, à quibus exeunt folia parua, rotunda, viridia, hederæ foliis rotundiora, & viridiora, asari aut aristolochiæ rotundæ similia, minora tamen. Flores smilaci læui & minori similes, rubescentes siue purpurei: semen nigrum in siliquis, aut rotundis capitulis, vt smilacibus: radix longa & tenuis. Denique smilaci minori proxima est, demptis foliis, quòd rotundiora sint, crassiora, & gu-

Locus. stu salsa. Prouenit abundè in Zelandia, & Flandriæ litoribus marinis, in litoribus

Ibid. etiam Venetis, inquit Matthiolus, Aquilecensibus & Tergestinis.

Pena, Brassicam aliam perpulchram marinam siluestrem, à Dioscoridis specie diuersam, locis oriundam Angliæ maritimis ad Portlandiam insulam depinxit, sed quia inculta, neglecta, hispidior tota & prædura est, cymæ ingratiores multò, cibo toleranda tamen. Turnerus μονόκαυλον & μονόσπερμον à singulari semine vocabat. Sunt enim in florum pallentium alborum congerie eleganti, densa & vmbellosa multis in ramis, siliquæ breuiores, crassiusculæ, quibus singulis singulum inest semen, paulo minus piso, Soldanellæ aut orobi æquale: folia eadem ferme quæ Brassicæ nigræ, sed crassiora & lætiore aspectu, & fimbriis vndulatis, pliciſq;

admo

BRASSICA MARINA silvestris, Monospermos Pena.

adhuc artificiosis. Siluestris Brassica in maritimis Senensibus, Argentario promontorio, aliisque tum Thyrrheni, tum Adriatici maris littoribus frequens nascitur. Hanc non longè à Terracina vrbe, via qua itur Neapolim plurimam vidisse sese affirmat Matthiolus, foliis domesticæ similibus, sed hyoscyami modo hirsutis, amaro & insuaui gusto. Sic & Dioscorides maritimis præruptísque locis magna ex parte gigni prodidit, satiuæ similem, sed cãdidiorem, hirsutiorem, & amariam. Reliquæ Brassicæ in hortis passim proueniunt. Frigidis verò & pluuiis regionibus positio earumdem optima. Salsis etiam aquis iuuari Brassicam, & iis rigatam meliorem fieri tradit Theophrastus: quare nonnullos nitro aquæ permisto aspergere Brassicã, vt Ægyptios, atque ita multò dulciorem teneriorémque effici, sicuti etsi priusquàm coquatur, sale commaceretur. Martialis nitrata aqua viriditatem conseruari scribit his versibus.

Ibid.

Lib.2.c.125.

Lib.1.caus. c.7.

In Xen. Cornu li. 7.commét. phar.local.

Ne tibi pallentes moueant fastidia Caules,
Nitrata viridis Brassica fiet aqua.

Palladius non nitratam aquã, sed nitrum ipsum inspergi iubet his verbis. Celeriùs coqui virore seruato, si dum est trium vel quatuor foliorum, nitrum tritum cribello desuper spargas, vt speciem pruinæ candentis imitetur. Quæ ex Geoponicis Cassiani Constantino attributis transscripta videri possunt. Εἰδέναι χρὴ ὅτι τὴν κράμβην ἐν ἁλμυρῷ τόπῳ σπείρων τις προσήκει. διὸ χρὴ τριφύλλῳ τούτῃ γενομένῃ, νίτρον λεῖον, ἢ ἁλμυρίδα γῆν διὰ κοσκίνου χαλασθεισθαι παισὶ, ὡς δοκεῖν ἀλῆναι πεπαχνωμένον. τότῳ δὲ τῷ τρόπῳ ἐφανερὰ γίνεται. Quorum quædam cum ex vetere quopiã scriptore, Didymo fortasse (quæ in Geoponicis postea exscripta fuerint) Plinius exprimere vellet, aut non intellexisse, aut alioqui corruptũ locum videtur descripsisse: sic enim ait. Sunt qui plantant (Brassicam) in transferendo alga subdita pediculo, nitróve trito, quod tribus digitis capiatur, celeriorem ad maturitatem fieri putant. Sunt qui semen trifolij nitrúmque simul tritum aspergunt foliis. Nitrum in coquendo etiam viriditatem custodit: aut Apiciana coctura, oleo ac sale priusquam coquantur maceratis. Hic Plinius trifolij semen habet, pro τριφύλλῳ χράμβη γενομένη, id est, Brassica trium foliorum, vt rectè Palladius conuertit. Brassicæ Augusto mense potissimùm florent, ac subinde etiam semen proferunt. Brassica satiua, vt scribit Dioscorides, aluo idonea est, si modo leuiter feruefacta edatur. Nam percocta aluum sistit, sed multo magis bis cocta, aut quæ in lixiuio coquitur: stomachum autem male habet: acrior est æstiua. In Ægypto propter amaritudinem non estur. Cæcutientibus & tremulis esse prodest. Summo cibo sumpta crapulam discutit, & vini noxã restinguit. Melior stomacho cyma, sed acrior, & ad ciendam vrinã validior. Ea condita, siue sale asseruata stomacho inimica est, aluum conturbat. Crudæ succus cum nitro & iri deuoratus, aluum emollit (legendum enim Græcè, ὁ δὲ χυλὸς αὐτῆς ὠμῆς, non ὠμὸς, id est crudus succus, vt vertit Ruellius) cum vino quoque potus viperarum morsibus auxiliatur: cum fœnigræci farina & aceto podagris, & articulorum vitiis illinitur: prodest & sordidis vlceribus, & vetustis illitus: caput purgat naribus infusus: mẽses extrahit cum loliacea farina inditus. Folia per se illita, aut cum polenta trita conferunt

Lib.19. c.8.

Tempus.

Vires & Temper. Lib.2.c.125.

inflamma

inflammationibus, tumoribúſque: epinyctidas, ignem ſacrum, lepráſque ſanant. Carbunculos ex ſale rumpunt: fluentes capillos retinent. Elixa autem ac melli permixta gangrænarum corroſionibus auxialiantur (meliùs quàm quomodo vertit Ruellius, cocta addito melle aduerſus depaſcentia vlcera, gangrænáſq; valent; cum Græcè legatur, ἑψόμενα ἢ καὶ μιγνύμενα μέλλι πρὸς νομὰς γαγγραινῶν ποιοῦσι) Cruda verò cum aceto ſi edantur, lienoſis proſunt (Græcè habetur, ὠμὰ ἢ ἐσθιόμενα μετ' ὄξους σπληνικοὺς ὠφελεῖ, quæ parum dilucidè reddidit Ruellius, lienoſiſque ex aceto cruda proſunt.) Manſa deuorato ſucco interceptam ſiue abſciſſam vocem inſtaurant, (Ruellius φωνῆς ἀποκοπὴν retuſam vocem non ſatis rectè videtur reddidiſſe.) Decoctum eius potu aluum & menſes ciet. Flos ſterilitatem adfert, ſiue conceptionem impedit poſt puerperium, ſiue partum in peſſo ſubditus (Græcè legitur, τὸ ἢ ἄνθος ἀτόκιον μετὰ τὴν ἀποκύησιν πρόσθεν ἐν πεσσῷ quæ ſic Ruellius, flos poſt conceptionem in peſſo ſubditus, partum abortu vitiat.) Semen eius præſertim, quæ in Ægypto naſcitur potum tineas pellit. In antidota theriaca additur: faciei cutem lentiginéſque expurgat. Virentes cauliculi cum radice cremati, & adipe porci vetuſto excepti, diuturnos laterum dolores mitigant. Silueſtris Braſsicæ cyma in lixiuio cocta ori non inſuauis. Folia illitu vulnera conglutinãt, & inflammationes tumoréſque diſcutiunt. Marina Braſsica in totum ſtomacho inimica, acris: vehementiſsimè aluum ciet in cibo cocta. Coquitur propter acrimoniam cum pingui carne. Hæc Dioſcorides, in quibus quæ de foliis manducatis tradit: Aſclepiades Galenum de cauliculis ad vocem interceptam præſcripſit. Braſsicæ viridis cauliculos abſterſos manducandos præbe, & quod inſtar palearum exuccum eſt, expuere iube, ſuccum verò delingere. Alia, Braſsicæ ſuccum cum melle coctum delingendum exhibe, auxiliabitur confeſtim. Quæ verò cyma Braſsicæ dicta eſt, à Dioſcoride κύημα appellatur. quid autem ſit, declarat Plinius his verbis. Cymas à prima ſectione præſtat proximo vere. Hic eſt quidã ipſorum caulium delicatior teneriórque cauliculus. Et paulò poſt, poſt cymam ex eadem Braſsica contingũt æſtiui autumnaléſque cauliculi, mox hiberni, iterumq; cymæ, nullo æquè genere multifero, donec ſua fertilitate conſumatur. Cymas itaque τὰ κυήματα Plinius dixit, quæ Collumella in carmine Cymata appellat per ſynæreſin.

Lib. 7. coph. loc.

Lib. 19. c. 8.

Lib. 10.

Frigoribus caules, & veri cymata mittit.

Li. 2. Alim. Id quod Galenus adnotauit, ὁ μὲν οὖν, inquit, τῆς κράμβης (ἀσπάραγος ſuba.) ὁ καὶ κῦμα καλοῦσιν ἔνιοι, καὶ συναίρεσιν ἐμοὶ δοκεῖν, τοῦ διὰ πλειόνων συλλαβῶν ὀνόματος, λεγομένου τοῦ κυήματος, τῆς κράμβης, &c. Ideſt, Braſsicæ igitur germen, quod nonnulli etiam κῦμα nominant per contractionem, opinor, nominis triſſyllabi κυήματος, & cætera.

Li. 1. coph. loc. ca. 1. & Cornabid. Eadem cymata prototomi caules appellantur à Galeno, quo loco & ſi corrupta ſint vulgata exemplaria, quæ habent προτομῶ καυλοῦ ἀφεψήματος κυάθους β'. νήστει διδομένους ἐπὶ ἡμέρας θ', non dubium eſt quin legendum ſit προτοτόμου καυλοῦ, & cætera. Id eſt, Prototomi caulis decocti cyathos duos ieiuno ad dies nouem exhibitos. Cuius auxilij ab Archigene ad renum affectiones præſcripti efficacia, & prototomorum caulium lectio à Dioſcoride confirmatur. τὸ ἢ αὐτῆς (κράμβης) κύημα, inquit, εὐστομαχώτερον μὲν, δριμύτερον δὲ, καὶ οὐρητικώτερον. Ideſt, Braſsicæ cyma ſtomacho commodior quidem eſt, ſed acrior, & magis vrinam ciens. Eorumdem caulium meminit & Martialis.

Lib. 1. c. 125.

Lib. 10.

Et faba fabrorum, prototomique rudes. Item.

Lib. 14.

Quum mihi boleti dederint tam nobile nomen,
Prototomis, pudet heu, ſervio cauliculis.

Appellantur autem prototomi à prima ſectione ac cæſura, quando videlicet ad ſeminis generationem augeſcentes ſucciduntur, & in ciborum vſum veniunt.

Cap. 20. A Marcello caules Haploſiles à teneritudine Græca appellatione dicti ſunt. Braſsicæ lau

ſicæ laudes longum exequi, inquit Plinius, quum Chryſippus medicus priuatim volumen ei dicauerit, per ſingula membra hominis digeſtum, & Dieuches. Ante omnes autem Pythagoras & Cato non parciùs celebrarunt. Quæ fuſiùs perſequi prolixum nimis & ſuperuacaneum foret. Quare ea qui volet apud Plinium & Catonem legat, ſed ita vt Catonis de Braſsica iactatas religiones nihil moretur. Id vnum ex Plinio dicemus, quod & Dioſcorid. ſententiæ cõſentaneum eſt, Braſſicam vino aduerſari, vt inimicam vitibus. Antecedẽte in cibis caueri ebrietatem, poſtea ſumpta crapulam diſcuti. Haud ita multo poſt ſcribit Silueſtrem Braſsicam inimiciſsimam vino, quam præcipue vitis fugiat, aut ſi non poſsit fugere, moriatur. Et alio in loco, pernicialia eſſe Braſsicæ cum vite odia. Quæ cùm rectè ex veterum ſententia dixiſſet, ea quæ ſequuntur non ſine errore ſcripſit. Quorundam natura non necat quidem, ſed lædit odore, aut ſucci mixtura, vt Rhaphanus & Laurus vitẽ. Olfactrix enim intelligitur, & tangi eam odore mirũ in modum. Ideóque cum iuxta ſit auerti & recedere, ſaporémque inimicum fugere. Hinc ſumpſit Androcides medicinam contra ebrietates, Rhaphanum mandi præcipiens: pro Rhaphano enim hic Braſsicam bis reddere debuerat. Tranſtulit enim locum illum ex Theophraſto, qui ῥάφανον dixit, quod ſupra oſtendimus, vt & veteres Græci, quam quidam & poſteriores κράμβην vocauerunt. Ἕνια δ' ὑ φθείρει μθν', χειρῶ δὲ ποιεῖ ταῖς διωάμεσι τῶν χυλῶν κ) ὀσμῶν, ὅιον ἡ ῥάφανος, κ) ἡ διάφνη τὴν ἄμπελον. ὀσφραίνεσθαι δ φήσι, κ) ἔλθειν. Διὸ ὅταν πλησίον ὁ βλητὸς γένηται, πάλιν ἀναστρέφειν, κ) ἀφορεῖν, ὡς πολεμίας ὄσης τῆς ὀσμῆς. Ανδροκύδης δ κ) παραδείσμαλι τούτῳ χαλεχρήσατο πρὸς τὴν βοήθειαν τὴν ἀπὸ τῆς ῥαφάνυ γινομένην πρὸς τὸν οἶνον. ὡς ἐξελαύνουσαν τὴν μέθην. φάγειν δ' δὴ κ) ζῶσαν τὴν ἄμπελον τὴν ὀσμήν. Sed & quod alio loco Plinius ſcripſit, Odium his (rhaphanis) cum vite maximum, refugítque iuxta ſatos, de Braſsica intelligi debet, non de raphano. Cur autem crapulam ſedet Braſsica, id cauſæ reddidit Ariſtoteles, quod dulcem ſuccum abſtergentémque contineat: quare eo medici ad eluendam aluum vtuntur. Ipſa autem frigida eſt: nam ad vehementes diarrhoeas vtuntur medici valde cocta, caule purgata, refrigeratáque. In iis autem qui crapula tentantur, Braſsicæ ſuccus crudos humores & vinoſos in aluum attrahit, ipſa in ventriculo remanens refrigerat corpus, quo refrigerato tenues humores in veſicá feruntur. Quum igitur humores vtrinque abiguntur, refrigerato corpore, illos crapula liberari perſpicuum eſt, præſertim quum ſequax vini vapor humoribus deorſum conuerſis deuocetur, & præceps ad ima deuoluatur, qui ſeſe efferens in caput, mentis arcem obſidet, & temulentiam grauitatémque creat. Galenus ex Apollonio in dolore capitis ab ebrietate ad refrigerandum repellendúmque, roſaceum per ſe, & cum aceto, aut hederæ, aut Braſsicæ ſucco præſcribit. Quin & ipſa Braſsicæ folia calida macerata, capitíque circumpoſita, ac obligata naturaliter ebrietati reſiſtere ait. Sed de Braſsicæ facultatibus idem veriſsimè differit alio loco, his verbis. Braſsicæ ſuccus facultatem habet purgatricem, corpus autem ipſius communi ſiccantium ratione ſiſtit magis, quàm ad deiiciendum incitat. Quum igitur quæ in ventre continentur excernere voluerimus, è propinquo cacabo in quo cocta cum aqua fuerit, extractam ipſam protinus in vaſa, in quibus oleum cum garo paratum fuerit, coniicere conueniet: nihil autem retulerit, ſi ſalem loco gari ſumpſeris. Quod ſi humentem aluum ſiccare voluerimus, priorem aquam, vbi Braſsica mediocriter cocta videbitur, effundentes, aliam calidam mox iniiciemus: ac deinde rurſum Braſsicam, quoad contabuerit, ei incoquemus, quod non facimus cum ventris deiiciendi gratia ſumitur: volumus enim hoc caſu proprium ipſius ſuccum omnem nõ deponere, ſed quoad maximè fieri licet, retinere. Porrò nihil quod coquitur, proprium ſuccum ſeruare omnino poteſt: quin potiùs omnem abiicit, ſi coctũ diutius fuerit: Braſsica paucum habet alimentum, & edulium

Lib. 20. c. 9.

Ibidem. c. 157.

Lib. 20. c. 9.

Lib. 24. præfat.

Li. 17. c. 24.

Lib. 4. hiſt. cap. 20.

Lib. 19. ca. 5.

Probl. ſec. 3

Lib. 2. com. phar. local.

Li. 2. Alim.

est non firmum, sed laxum. Succum habet non probum, vt lactuca, sed praui & graueolentem. Quod verò ad vrinas attinet, nihil ipsas, quod sciam, intigniter neque prouocat, neque moratur. Brassicæ germen quod nonnulli κῦμα nominant, minùs quàm Brassica ipsa siccat, tametsi aliorum olerum caulis temperatura vt plurimum est quàm folia: sicciore, potissimùm quum iam prope est, vt semen profundant. Et, Brassica esculenta deliccandi vim habet, tum eta, tum foris impositа, non tamen etiam admodum acrem. Alioqui & vlcera glutinat, & maligna vlcera sanat: præterea phlegmonas iam induratas, ac ægrè solubiles; & id genus quoque erysipelata. Eadem facultate epinyctidas & herpetes sanat. Habet quiddam etiam in se abstersorium, quo lepras curat. Porro semen eius potum lumbricos interficit, maximè Brassicæ Ægyptiæ: quanto ea scilicet temperatura siccior est. Sanè amaræ qualitatis semen particeps est: sicut videlicet alia omnia medicamenta, quæ ad lumbricos idonea sunt. Eadem in facultate ephelidas & lendes, & quæcumque modicam abstersionem postulant, adiuuat. Porro caules Brassicæ combusti cineres efficiunt admodum deliccantes, vt videlicet iam & causticam vim participent. Hac ratione ei veterem adipem commiscentes, ad inueteratos laterum dolores, & si quid eius fuerit generis, adhibent: nam valenter digerens medicamentum efficitur. Brassica agrestis quodammodo calidior, siccíorque est quàm domestica: ceu alia propemodum omnia agrestia sui generis domesticis vtraque facultate valentiora sunt. Quamobrem neque intra corpus, citra noxam sumitur, vt quæ longiùs ab humana recesserit temperatura. Eadem de causa & gustantibus amarior est quàm domestica: quanquam domestica quoque acrimoniæ nonnihil & amaritudinis contineat: sed vtramque agrestis habet validam: quare etiam exterget, & digerit quàm domestica valentiùs. Brassica marina præter quàm quòd vetrem deiciat, vt pote subsalsa, & amara gustu, fuerit sanè etiam ad externos corporis vsus, & ad ea omnia, ad quæ tales qualitates accommodantur, idonea. Hæc Galenus. Symeon Sethi malum, inquit, & melancholicum succum Brassica procreat, visum hebetat, & somnum per tumultuosa insomnia interturbat. Succus eius aliquatenus purgat: corpus verò eius ventrem sistit. Quapropter in quibus humectam aluum siccare volumus, ipsam modicè decoquentes, aquámque primam abiicientes, confestim alteri aquæ feruenti indimus: nihil enim neque aeris, neque frigidæ aquæ quod bis coquitur tangere debet. Æstiua Brassica peioris succi est quàm hyberna. Et verò vrinam, lumbricos interficit, & iis qui ex vino crapula laborant auxiliatur. Fertur autem ab humiditate ortam hebetudinem sanare. Cocta cum pingui carne, plurimùm noxæ atque vitij amittit. Flos eius proprietate quadam, semen genitale corrumpit vtero impositus, & mulieres concipere prohibet. Pulmonem lædit. Tradunt quoque si ante alios cibos assumpta fuerit, ebrietatem arcere. Et quod eius succus cum melle sumptus, magnificè defectiones vocis iuuat. Vulneribus imposita ea conglutinat, & malefica vlcera, & induratas inflammationes sanat. Brassicæ semen crassiusculè contusum, inquit Matthiolus, & in carnium iure feruefactum, potúmque vnà cum ipso iure colico dolore laborantes præsentaneo remedio iuuat. Brassica tormina discutit, si bis cocta edatur addito cymini semine, sale, oleo, & hordeaceæ farinæ polline: præsertim si sine pane deuoretur. Idem facit ius decoctæ cum vetere gallo. Idem prodest iocinorosis, lienosis, & renum calculo laborantibus. Prodest per cocta tabidis, si frequenter edatur. Succus ex melle coctus visum clarificat, angulis tantùm oculorum illitus. Datur succus vtiliter potandus aduersus fungorum venena. Cocta, & longo pipere aspersa, vnáque cum iure sumpta, nutricibus lactis vbertatem præbet. Caulium medulla ex cremore amygdalino decocta, & cum melle in ecligmate parata, datur lambenda magna vtilitate anhelosis.

Li. 7. simp.

In libr. 2. Dios. c. 113.

Marinæ

Marinæ Brassicæ decoctum cum rhabarbaro potum, ad vacuandas hydropicorum aquas plurimum valet. Idem præstat eius puluis additis rhabarbaro, & cubebis, sæpiùs ex vino haustus.

BETA, CAP. II.

QVOD olus Græcis τεῦτλον vel σεῦτλον, Latinis Beta dicitur. σεῦτλον autem Græci ab impulsu nominarunt: etenim cultus ratione quadam incrementum capesit arboris, neque vlli hortensium latitudo foliorum maior, quæ in binos pedes aliquando se pandunt, soli natura consentiente, & quibusdam locis amplissimæ Betæ proueniunt. Betæ nomen positum fuit, quòd figuram β literæ, dum semine turget, referre videatur, nam summitatem in cacumine reflexam habet, id quod testatum nobis reliquit Columella his versibus. *Nomina*

Lib.10.

Nomine tum Graio, ceu litera proxima prima
Pangitur in cera docti mucrone magistri,
Sic & humo pingui ferratæ cuspidis ictu
Deprimitur folio viridis, pede candida Beta.

Arabibus *Decka*, & *Celb*, Italis *Bietola*, Gallis *Bete, Iote, Poiree* nominatur, Germanis *Mangolt*, & *Pieſſen*, Hispanis *Aselgas*. Beta duorum generum est, inquit Dioscorides candida, & nigra. Plinius, Beta hortensiorum leuissima est. Eius quoque à colore duo genera Græci faciunt, nigrum & candidius, quod præferunt parcissimi seminis: appellántque Siculum, candoris sanè discrimine præferentes vt lactucam. Quæ ex Theophrasto exscripsit: ἀχυλότερον ὃ καὶ τῶν τευτλίων τὸ λευκὸν τῶ μέλανος, καὶ ὀλιγοσπερμότερον, ὁ καλοῦσί τινες σικελικόν. Sed quamuis siculæ cognomento Beta solummodo candida veniat, vt ex Plinij & Theophrasti locis intelligi licet, tamen nunc extrita vna litera omnibus ferè nostri seculi medicis omnis beta Sicla cœpit nominari. Beta nigra ad atrum colorem accedere videtur, quia ex rubro nigricat, Gallis *Bete rouge*, Germanis *Rotermangolt* vocatur. Cuius aliud est genus radice maiore crassiore, rubra, quæ Beta erythrorrhizos ob id cognominari potest, vulgò Beta Romana. Alij Betam nigram faciunt quæ eadem sit quæ candida, sed nigram vocant à foliorum colore ex obscuro magis virentium. Rubram verò vulgatiorem, quæ aliis est nigra, quæ à candida nihil differt, nisi saturo colore rubente, quæ hic ex Lobellio appicta est: rubram aliam, quæ ab aliis secernitur raposa radicis effigie. His addidit Dalechampius Betam πολύκαυλον, ideſt laticaulem, vt quatuor nobis sint hodie Betæ cognita genera. Plinius quoque hæc ad superiora adiunxit. Nostri Betæ genera faciunt vernum & autumnale, à temporibus satiuis: quanquam & Iunio seratur. Esse & Betam siluestrem Plinius scripsit, quam Limonium vocant, alij Neuroides, quam Dioscorides non nouit, qui Limonion à Betis valde disiunxit: neque eam sententiam probat Galenus, cum scribit, Maluam vt Lactucam diximus non modo esse satiuam, sed aliam etiam quandam esse agrestem: Nulla autem Beta est agrestis, nisi quis lapathon id nominare velit. Quibus verbis Galenus tam plausibilem ac receptam Platonis sententiam in Timæo ambigua nobis vt esset, effecit, satiuas omnes plantas olim fuisse feras, neque à seipsis nisi cultu differre. Cum enim, inquit Scaliger, lapathum à nobis multo studio huius rei gratia cultum, numquã induerit Betæ faciem, aut saporem, etiam nunc hæremus in illius sentẽtia, non omnẽ plantam mitem, fuisse priùs agrestem. *Genera*

Lib.2.c.1.6. Lib.19.c.8.

Lib.7.hist. c.4.

In lib.1. caus.ca.14.

Beta candida foliis est grandibus, latis, læuibus, inter quæ caulis exoritur bicubitalis, striatus, circa quem nascuntur flores exigui, in pallido virides, vel lutei stellularum figura. Deinde semen copiosum, rotundum, durum, asperúmque.

Ibid.

Lib.20.c.8.

Li.2. Alim.

BETA CANDIDA.

BETA NIGRA.

BETA RVBRA.
vulgatior Lobellij.

In hist.pla. cap.77.

radix subest vnica,crassa,intus candida, in longum protensa,ex cuius lateribus aliæ modò singulæ, modò binæ, nonnumquam ternæ funduntur, fibris multis refertæ. Hinc Beta rubra, siue nigra vulgaris,foliis,caulibus,semine, radice proxima est,nisi quod ei folia cauléque non candicant,sed ex rubro nigricant. Cui Betæ rubræ Beta alia rubra, siue Erythrorrhizos foliis, caulibus,semine,figura,colore planè similis est, sed radice dissimilis: est enim huic multò crassior,breuior,medio sui ventricosa & turbinata, napi modo: foris,intúsque tota rubens sanguineo cruore suffusa,& superiorum radicibus suauior. Fuchsius inter raporum genera recenset, & rapum rubrum vocat,cum tamẽ rapi species non sit. Beta πολύκεφαλος Dalechampij,in monstrosis, vt ita dicam, plantis numeranda est. Nam vt in cæteris rebus, sic & in stirpibus interdum aut monstra existunt, aut prodigiosa quædam, & digna quæ literarum monimentis consignentur. Anno Domini 1557. Cepam vidit, manibúsque tractauit Dalechampius, quæ in summa caulis parte,loco seminis bulbos paruos genuerat,& multos, raro prorsus euentu permutãte vices natura, & quod radicem esse oportebat, pro semine sursum extrudente. Non minùs est admiranda Betæ species,quam hic depinximus. Cuius caulis est quatuor digitos latus, circa quem parua sunt folia, & quem totum semen operit, sed in eius fastigio ita densum,vt caulis prospectum adimat. Aliquando prope D.Ramberti oppidulum Allobrogum

BETA Erythrorrhizos Dodo.

BETA Rubra Matthioli

BETA Πλατύκαυλος, *Platicaulos Dalech.*

lobrogum in pingui quodam prato talem vidit Dalechãpius ſilueſtris cichorij caulem. In hortis paſsim, & cultis locis naſcuntur Betæ. Eas etiam aquis ſalſis iuuari, & iis rigatas meliores effici tradit Theophr. Iulio & Auguſto menſibus, floribus & ſemine turgent. Beta nigra, vt ſcribit Dioſcorides, coquitur cum lenticula vt ventrẽ ſiſtat: quod magis radice eius præſtatur (genus id cibi τὸ πλατύφυλλον veteres appellarunt.) Candida aluo vtilis eſt. Vtraque tamen propter nitroſum humorem, quem habet in ſe, noxij eſt ſucci. Vnde ſuccus earum cum melle maribus indutus, caput purgat, aurium doloribus auxiliatur. Decoctum radicis & foliorum, furfures lendeſq; deterget: perniones fotu mitigat. Crudis foliis vitiligines nitro antea perfrictas, alopeciarum inanitates, ſcalpendo prius exaſperatas, atque depaſcentia vlcera illini prodeſt. Eruptionibus papularum, igni ſacro, ambuſtiſq; cocta medetur. Plinius de Betis, vt de olere & alimento hæc tradit. Vſus iis & cum lente ac faba, idémq; qui oleris: ſed præcipuus vt lenitas excitetur acrimonia ſinapis. Medici nocentiorem quàm olus eſſe iudicauere. Quamobrem appoſitas non memini. deguſtare etiam religio eſt, vt validis potius in cibo ſint. Gemina iis natura & oleris, & capite ipſo exilientis, bulbi. (Nam cum foliis humiſparſis caulis ex illorũ medio prodicere incipit, eius caput guſtu, & calloſa quadam firmitate bulbo ſimile eſſe videtur.) Et paullo poſt. Mira differentia ſi vera eſt, candidis ſolui aluos modicè,

Locus.

Lib.2.cauſ. cap.7.

Tempus, Vires & Temper.

Lib.2.c.116.

Lib.19.c.8.

nigris inhiberi.Et cum Brasica corrumpitur in dolio vini sapor, odore Betæ foliis demersis restitui.Sed idem alio in loco vsum medicum ex Beta præscribit, tum ea quæ Dioscorides,tum alia recensens. Nec Beta sine remedio est vtraque. Siue candidæ,siue nigræ radix recens & madefacta,suspensa funiculo contra serpentium morsus efficax esse dicitur.Candida Beta cocta,& cum allio crudo sumpta,contra tineas.Nigræ radices, ita in aqua coctæ porriginẽ tollunt:atque in totum efficacior esse traditur nigra.Succus eius capitis dolores veteres, & vertigines,item sonitum aurium sedat,infusus iis:ciet vrinam. Medetur dysentericis iniecta,& morbo regio.Dolores quoque dentium sedat illitus succus.Et contra serpentium ictus valet,sed huius radice duntaxat expressus.Ipsa vero decocta pernionibus occurrit.Albæ succus epiphoras sedat fronti illitus:aluminis pauco admisto ignem sacrum.Sine oleo trita,scilicet adustis medetur.Et cõtra eruptiones papularum,coctaq; eadem contra vlcera quæ serpunt,illinitur,& alopeciis cruda, & vlceribus quæ in capite manant. Succus eius cum melle naribus inditus caput purgat.Coquitur & cum lenticula addito aceto,vt ventrem molliat. Validius cocta fluxiones stomachi sistit & ventris.Galeno verò auctore,succus Betarum tergendi vim habet manifestam adeò,vt ventrem ad excernendũ incitet, & stomachum interdum mordicet,præsertim quibus natura sensu exactiore præditus est: ob idque edulium id stomacho est noxium,si largius sumatur: corpori autem ab ipsa,vt ab aliis oleribus paucum alimentum accedit.Verùm obstructũ hepar malua magis aperit,& multò magis si cum sinapi,aut omnino saltem cũ aceto mandatur.Lienosis item eodem modo sumpta vtile est medicamẽtum. Et,Beta nitrosæ facultatis particeps est,qua tum digerit,tum exterget,& per nares purgat. Cæterùm cocta nitrositatem omnem exuit,fitq; facultatis phlegmonis aduersæ,leuiter discutientis. Porrò ad detergendum digerendúmque validior est Beta alba: nam nigra adiunctum habet quippiam adstrictionis,& magis in radice quàm in aliis partibus. Ex Symeone Sethi Betæ succus mediocriter abstergit. Ventrem etiam ad effluxum proritat,& stomachum aliquando vellicat, eorum præsertim, qui hunc valde sensilem habent.Quapropter edulium est stomacho infestum, si plurimum comedatur. Exiguum est eius alimentum sicut cæterorum olerum. Vtilis verò est ad iecoris obstructiones cum aceto comesta. Pari modo si edatur, & lienis obstructionibus bonum fit medicamentum. Constat autem Beta ex contrariis facultatibus:succus enim eius calidus est,ventrem constringit, & sitim adfert.Eius verò corpus crassarum partium,flatuosum,concoctu difficile, & frigidum,ventrémque sistit:maximè si aqua in qua coctum est, subinde abiiciatur. Ad Betarum coctu̇ram vinum & piper expeti scribit Martialis his versibus.

Lib.10.c.8.

Li.2. Alim.

Lib.8.simp.

Vt sapiant fatua fabrorum prandia Beta
O quam sæpe petet vina pipérque cocus.

Betæ succus à fæcibus expurgatus,clysteribus infusus ad indurata alui excrementa euocanda mirum in modum valet, præsertim cum lenientia clysmata nihil profecerint.Albæ radix derasa,& melle saléque illita suppositáque, aluum exonerat.Nigræ radix in aqua decocta & illita pruritum extinguit. Succus ex ea expressus tum potus,tum illitus,ad serpentium venenosorum morsus confert. Ex Betæ erythrorrhizi radice hyeme in aqua,aut sub cineribus calentibus cocta, & corticibus exuta Germani acetaria parant aspersо pipere,carotæ vulgo vocatæ modo. Sed hac illa dulcior est,& gustui gratior. Præterea eiusdem Betæ radices parum elixatas,deinde transuersim in particulas sectas fictili vase cum aceto recondunt, addita rhaphano agresti, quam *Cren* vocant, minutim concisa. His vescuntur cum assis carnibus.

Matth.li.2. Dios.c.116.

ATRIPLEX

ATRIPLEX, CAP. III.

ATRIPLEX olus Græcis ἀτράφαξις & χρυσολάχανον dicitur. Atriplexum vt Festus refert, appellabatur ab atro, vt aliqui putant, colore. Verùm à voce Græca potiùs quàm ab atrore fluxit nomen. Nam Atriplicis olus ἀτράφαξιν Græcis dici Columella testatur, Hippocrates ἀδραφαξιν appellat, Hesychius ἀδράφοξον, quod ἀδρῶς αὐξει, & Suidas ἀτράφαξιν (Atticis, d, literam, in t, mutare frequenter amantibus) εἶδος λαχάνου ὁ λαχέως εἰς μέγεθος αὐξεται, id est, quod statim in amplitudinem adolescat: siquidem octauo à satu die prosilit, confestímque incremento proficere conspicitur, fidem celeris augmenti facit ereptum in confinio cæteris herbis alimentum. Ac ne in hortis quidem iuxta eam nasci quicquam tradunt, nisi languidum χρυσολάχανον, idest, aureum olus Græci appellant, quod auri colorem repræsentet. Alij tradunt ab aureo siue luteo flore nomen hoc inuenisse. Arabes *Caraf*, seu *Caraf* vocant, Itali *Atriplice, & Reppice*. Galli *Arroches, & Bonnes dames*, Germani *Molten, & Milten*, Hispani *Armoles*. Atriplicis duo genera esse ait Dioscorides, satiuum & siluestre. Dodonæus duorum satiuæ atriplicis generum meminit, duorum item siluestris. Matthiolus tres siluestris species exhibet, præterea aliud atriplicis marinæ genus. Atriplex satiua radice nititur in altum descendente, fibris multis capillata, ex qua caulis erigitur rectus, rubescens, inferiore parte rotundus, superiore quadratus, ad quatuor cubitos excrescens, multis vndique adnatis. Folia prope caulem lata sunt, deinde in mucronem desinentia sagittarum instar, pinguia, succosa, longa, cum nouella sunt candicantia, perinde ac si farina aspersa essent, cum adoleuerunt colore ex viridi in luteum elanguescente. In caulium summitate flores numerosi coaceruantur, lutei, exigui: dein foliatum semen, & obductum cortice promitur. Alterius Atriplicis satiuæ folia, caules, flores in rubro fuscescunt, inquit Dodonæus, alioqui magnitudine & figura superiori Atriplici proximi.

Nomina

Lib. 11. c. 3.

Lib. 2. c. 111.

Genera.

Lib. 4. c. 1. In libr. 2. Dios. c. 111.

Forma.

Ibid.

ATRIPLEX Satiua.

Siluestris tam luxuriosa proceritate prodit, vt quaternos sæpe cubitos excedat: caule vt hortensis angulosо, ramosо, & purpurascente: folio hortensi non admodum dissimili, potissimum quod ad colorem attinet, sed paulo minore, & crenato: flore luteo, exiguo: semine racematim congesto, radice fibrata. Atriplex siluestris secunda Matthioli, à Lobellio & Pena dicitur Atriplex siluestris vulgatior, sinuata. Hanc specie distare à satiua præter cultum frustra tentatum, etiam folia docent, quæ nigricant plumbeo colore solani, quo cum lubens sociatur in viarum marginibus, frequens etiam circa moenia & fimeta: foliis minoribus, angustioribus, obtuse per ambitum sinuatis, floribus ex luteo herbidis. Atriplex siluestris tertia Matthioli, est Pes anserinus, de quo mox. Huc referunt Pena & Lobellius plantam aliâ quam Atriplicem siluestrem vocant Polygoni aut Helxines foliis, Matthiolus secunda commentariorum editione Atriplicem siluestrem primâ facit. In vinetis & agrorum marginibus frequens occurrit, foliis angustis siluestris Atri-

ATRIPLEX Siluestris I.
Matth. prima editionis.



ATRIPLEX Siluestris I. Matth.
Polygoni folio secunde edit o

ATRIPLEX Siluestris II.

ATRIPLEX Siluestris III.

plicis, ſpargens humi ramulos ſtriatos, cubitales & ſeſquicubitales, flore muſcoſo, & ſemine folioſo, Atriplicis hortenſis onuſtos. Atriplex marina per humum repit, circumquaque caules ſpargens, in quibus folia ſunt ſubalbicantia, Atriplicis ſilueſtribus ſpinachij oleris figura, ſed minora: ſemen in caulium ſummitatibus profert,

ATRIPLEX Marina.

POLYSPORON Cassiani.

profert,baccis quibusdã inæqualibus, racematim cohærentibus: radice nititur multiplici,sapore salso,nitidiosiore. Huius nulla (quod sciã) à Dioscor.& Galeno facta est mentio,sed iis facilis erit inuentu, qui maritimas stirpes studiosius conquirere voluerint. His inferere possumus ob similitudinẽ foliorũ Polysporon Cassiani Anguillaræ, à seminis floríque muscosi Botrydi non dissimili copia,quibus onusti numerosi cauliculi sesquicubitales exiliores, imis foliis Solani,aut Atriplicis siluestris, sũmis minoribus multo & delicatioribus. Hac mire capiuntur pisces,auctore Cassiano,cui subscripsit Anguillara experimento nixus.Radix alba,gracilis. Atriplex hortensis nõ nisi sata prouenit. *Locus.* Siluestris sua sponte nascitur, prope vrbiũ muros,& in cãpestribus. Vtraque assiduo humore satiari amat.Marina,inquit Matthiolus,in ma- Ibid. ritimis nascitur, copiosa Tergesti ad salinas in mariș littore. Iunio & Iulio mensibus florent, *Tempus.* deinde semen proferunt. Atriplex, vt scribit *Vires &* Dioscorides, cocta estur vt olus, aluum mollit. *temper.* Panos discutit siue cruda, siue cocta illinatur. Semen cum aqua mulsa potum, regium morbum sanat. Atriplicis vt oleris in cibis vsum cum blito declarat Galenus, qua de re postea Li.2. Alim. dicemus.Vsum medicum, & temperamentum alibi sic explicat. Atriplex frigida & humida Li.6.simp. temperie est, humida quidem secundi ordinis a mediis,frigida verò primi, quam vtique tepidam esse caliditatem posuimus, cuiusmodi rosis inest:non tamen adstrictionis est particeps, sed aquea est,& minimum terrena, similiter ac maluæ.Quin & ventrem celeriter permeat, vt illa,ob lubricitatẽ. Porro parum omnino eius est,quod digerendi obtinet facultatẽ. Hortenses autem Atriplices & maluæ, quàm agrestes tum humidiores sunt, tum frigidiores. Quare phlegmonis & phygethlis incipientibus gliscentibúsque, & mollibus etiamnum, ac velut feruentibus hortenses:vigentibus autem ac declinantibus,& indurescentibus commodiores sunt agrestes. Semen eius abstergendi vim habet. Itaque ad morbum regium ex hepate obstructo obortum vtile est.Ex quibus sane verbis tota Dioscoridis sententia declarata est. Sed quæ de Atriplice Plinius tradit,audire operæ pretium est.Atriplex & siluestre est, & sati- Lib.& c.20 uum,accusatum à Pythagora,tanquam faceret hydropicos,morbósque regios, & pallorem,coqueretur difficillimè:ac ne in hortis quidem iuxta id nasci quicquã, nisi languidum culpauit.Addidere Dionysius & Diocles, plurimos gigni ex eo morbos:nec nisi mutata sæpius aqua coquendum. Stomacho contrarium esse, lentigines & papulas gignere.Miror quare difficulter in Italia id nasci tradiderit

Solon

Solon Smyrnæus. Hippocrates vluarum vitiis id infundit cum Beta. Lycus Neapolitanus contra cantharidas bibendum dedit. Quibus subiicit ea cum quibusdam aliis, quæ Dioscorides & Galenus tradiderunt. Panos, furunculos incipientes, duritias omnes, vel cocto, vel crudo vtiliter illini putauit. Item ignem sacrum cum melle, aceto nitróque, similiter podagras. Vngues scabros detrahere dicitur sine vlcere. Sunt qui in morbo regio dent semen eius cum melle, arterias & tonsillas nitro addito perfricent, aluum moueant cocto vel per se, vel cum malua aut lenticula, concitantes vomitiones. Siluestri capillos tingunt, & ad supradicta vtuntur. Scribit Serapio Rhasim vidisse hominem quendam, qui ex Atriplicis semine duarum drachmarum pondere sumpto, tum crebris vomitionibus, tum alui deiectionibus adeo vexatus fuit, vt ad extremam virium imbecillitatem deuenerit.

Ibidem. Et Matthiolus pharmacopœum quendam se nouisse ait, qui ad rusticos purgandos Atriplicis tantùm semen exhibebat, quod iis non sine molestia magna aluũ abundè ciebat, simul etiam crebros vomitus prouocabat. Quam facultatem cùm scribat Matthiolus paucis hactenus fuisse cognitã, eam tamen à Plinio non prætermissam fuisse ex superioribus intelligere licet. Atriplex frequentissima in Insubria seritur, quod ex ea præsertim rura sibi placentę genus quoddam conficiant, hoc modo. Acutissimo cultello concisa Atriplicis folia caseo in scobem attrito, butyro, ouis commiscent, & in sartagine solioſa pasta substrata decoquunt.

BLITVM. CAP. IIII.

Nomina LAtini Blitum olus vocant, & ita scriptum in quibusdam Græcis codicibus reperitur. Hippocrates tamen, Theophrastus, & Dioscorides βλῖτον habent, Arabes appellant *Bachala iamenia. & Bachale aluemanie*, Itali *Blito*, Germani *Mayer*, Galli *Blete*. Plinius Bliti nomen ad ignauiam & fatuitatem referre videtur. Blitum iners videtur, inquit, ac sine sapore, aut

Li. 20. c. 22. acrimonia vlla. Vnde conuicium fœminis apud Menandrum faciunt mariti. Di-

Lib. 2. de morb. cuntur etiam sæpe Hippocrati βλῆτοι, ὡς ἀποπλῆκτοι, siderati, stupidi, & attoniti. Et

Lib. 2. de mul. mo. alio in loco medicamentũ ἐκβόλιον habet, quod το παιδίον βλῆτον γενόμενον ἐκβάλλῃ, idest, ictum & enectum. Festus Blitum appellatum esse à stupore ex Græco putauit, quòd ab aliis βλὴξ dicitur stupidus. Quod nomen in vulgus nostrum emanauit, socordes, inertésque mẽdicos, nulliúsque momenti homines Blitres, Bliteos Græca imitatione nominans. Sic Plautus Bliteã meretricem appellauit. Bliti genera duo, album & rubrum. Rursus albi genera duo facit Dodonæus, maius & minus. Rubri totidem genera, sicut & Matthiolus. Blitum album maius ad binum ternúmve pedum altitudinẽ assurgit, caulibus ferè cinereis, rotundis, foliis læuibus, latis, subalbicantibus, Betæ vel Atriplici proximis. Flores, deinde semen corticeum, copiosum, & racematim cohęrens, tenuibus insident ramusculis ex alarum cauis prodeuntibus, paniculaRum effigie, vt in siluestri panico. Radix continuo multiplex est, & prolixa. Blitum albũ minus ocyssimè erumpit, caule viridi, surculoso, foliis longiusculis & angustis, Betæ haud absimilibus

BLITVM Album maius.

In Trucul.

Genera.
Lib. 5. ca. 2.

In libro 2. Diosc. c. 110.

Forma.

BLITVM Rubrum maius

BLITVM Rubrum minus.

milibus, sed multo minoribus, radice fibrata: floribus in rubro fuscis, semine racemoso, vt in Atriplice. Blitum rubrum maius, quod Polyanthes Dalechampius appellat, prosilit ex radice longa, crassa, multū fibrata, nigricante: caule est rubus lineis virgaro, ad hominis altitudinem sese attollente, ramoso, firmo: foliis Bliti in viridi sub rubentibus: flore coccineo, spicato, prælongo, in planta summitate numeroso, villis asperiusculis, tanquam aristis munito, luteis punctis maculoso, aspectu pulchro, & ob id expetito: decerpta enim planta raram illam coloris venustatem in flore diu conseruat. Sapor qui & Bliti. Lobellius nomen ei indidit Amaranthi maioris floribus paniculosis, spicatis. Blitum rubrum minus foliis & caule est superiore longe minoribus, quæ tamen adeo rubescunt, vt coccineo colore infecta videantur, etsi temporis tractu tandem purpurascant. Radix etiam sanguineo succo madet. Flores & semen in rāmulorum fastigio cohærent. Blitum vtrumque in incultis prouenit. Sed & seritur in hortis, præsertim rubrum Polyanthes, ob coccinei nitoris in flore pulchritudinem. Blitum culto solo cum semel natum fuerit, ipsum se per multa sæcula seminis deiectione reparat, vt etiam si velis vix possit aboleri: satúmque semel pluribus annis restibili fertilitate prouenit, nec runcari, nec sarriri flagitat. Martio mense seritur, florétque media æstate & autumno, seminéque prægnans est. Blitum estur oleris modo, inquit Dioscorides. Aluo vtile est, nullius in medicina vsus. Blitum & Atriplex auctore Galeno, aliis oleribus sunt aquosiora, & qualitatis expertia: quo fit, vt non ex solo oleo & garo ipsa mandant, sed acetum etiam iniiciant: nam alioqui stomacho sunt noxia. Olera autem huiuscemodi ad facilem deiectionem sunt propensa, præsertim si cum humiditate lubricum quiddam habeant: propensionem tamen ac momentum pessum habent nō forte, sed exiguū, propterea quod nulla qualitas ipsis inest acris ac nitrosa, quæ ventrem ad excernendum excitet. Porrò alimentum corpori præbent exiguum. Et Blitū olus est esculentum, humidæ frigidæq; temperaturæ in secundo maximè excessu à temperatis. Hippocrates contrà, βλῖτον scribit esse θερμὸν, ὑ διαχωρητικὸν, id est calidum esse, & ad excernendum non incitare. Et alibi ad fluxum muliebrem reficcandum βλῖτον τὴν βολάνην ὡς γλῶσαν, ὅσαν ἐν εἰρίῳ ποιεῖν προσθεὶν. Plinius inutile stomacho esse ait: ventrem adeo turbare, vt choleram faciat aliquibus. Dicit tamē aduersus scorpiones potum è vino prodesse, & clauis pedum illini: item lienibus,

Locus.

Tempus,

Vires & Temper.

Lib 2. c. 110.
Li. 2. Alim.

Li. 6. simp.

Lib. 2. de diæt.
Lib. 2. de mul. mor.
Lib. 20. c. 22

& temporum

& temporum dolori ex oleo. Hippocratem menſtrua ſiſti eo cibo putare. Qui Hippocratis locus fortaſſe eſt quem paulo ante citauimus, in quo apponendam, & in lana ſubdendam Blitum herbam Hippocrates præcipit, ſi mulieribus fluxus ſit exſiccandus. Plinius tamen in cibo ſumendam parum attentè dixit, & ῥόον Hippocrati dictum, menſtrua vocauit. Blitum album Tridentina rura *Bredone* vulgo appellant, vt ſcribit Matthiolus, & à nonnullis in cibū admittitur. Primùm aqua decoquat, dein affuſo oleo, vel butyro in ſartagine frigunt, additis allio, & omphacio, vel aceto. Sed is cibus, vt is vſu ſeſe cōperiſſe teſtatur, vomitiones mouet, ventriculi & inteſtinorum tormina facit, & alui fluxiones ciet excitata bile. Mirū igitur ſi Hippocrates, Galenus, Plinius, Matthiolus vera ſcripſerunt, quod dixerit Dioſcorides Blitum aluo vtile eſſe, nullius in medicina vſus.

In libro 2. Dioſ. c. 110.

SYMPHONIA PLINII. CAP. V.

Nomina Lib. 26. c. 7.

Hermol. coroll. 159. lib. 1. Dioſ.

Forma.

HAnc ſtirpem Blito propter ſimilitudinem ſubiunximus, quæ Symphonia Plinio dicta, & Gomphrena (aliqui Cremphenam ſcribunt, alij Symphonam, alij Comphenam, aut Symphenam) exiſtimari poteſt, ab Hetruſcis hodie *Herba de la marauiglia*, ideſt, herba mirabilis, ob excellentem & admirandam coloris varietatem in foliis. Radice eſt breui, candida, in ſurculoſas propagines diuiſa: caule vnico, pedali, rubente: foliis Bliti, alternatim viridi, roſeo, & luteo colore pictis, ſic vt in ſingulis foliis adultis & perfectis ea coloris varietas iucundiſsimum intuentibus præbeat ſpectaculum. Non diſsimulandum tamen Plinium ſcribere Symphoniam eſſe alternis viridibus roſeiſque per caulem foliis, conſiderandúmque num velit per caulem ſic diſpoſita eſſe folia intelligere, vt vnum ſit viride prorſus, id ſequatur aliud roſeum etiam omnino, & ſic deinceps. A Lobellio inter Amaranthos recenſetur, vocatúrque Amaranthus Tricolor, à Trago Geloſia, fortaſſe Theombrotum eſt Perſarum' apud Plinium, inquit Pena, non è floribus, ſed ex foliorum triplicis coloris maculis ſcitè diſtinctis venuſtas huius æſtimatur, quæ ſunt Ocimi aut Bliti, interdum luteo, viridi, vel purpureo, interdum triplici, viridi, luteo & ſanguineo variegata, alarum pſitacorum ritu: quare Flandri *Papagalli* vocant. Cæterùm planta hic depicta ſemen profert in exigua ſpica, villoſa, cauli adhærente ſine pediculo, flaueſcentibus punctis notata, quod vice floris eſt, perinde ac ſi natura tantùm venuſtatis ac gratiæ prius in folia contulerit, vt deinde veluti picturæ florū oblita, eos vix inchoatos reliquerit. In hortis colitur ad acetariorum vſum, præſertim ab olitoribus Italis, allato ex Hetruria ſemine. Alſioſa eſt hæc planta, ad primam frigoris inclementiā flacceſcens. Quamobrem ante veris teporem eius ſemen olitores terræ credere non audent, ne tenella herba algoribus vratur ac pereat. Sapor idem qui & Bliti, niſi quod paullulo magis auſtera eſt: quare in poſca ſanguinem reiicientibus medetur, auctore Plinio.

SYMPHONIA Plinij. Dalechampij.

Locus.

Tempus.

Vires.

Ibidem.

LAMPSANA

LAMPSANA. CAP. VI.

LAmpſana Græcis λαμψάνη dictum videtur ἀπὸ τῦ λάψαι, quod lambere ſignificat, quòd foliorum mollitie, caduca decubituve in humū, eam lambere videatur. Sic & Latinis Lampſana vocatur, olim à Romanis Napus ſilueſtris. Quibuſdam λαψάνη, & Lapſana dicenda videtur, nō λαμψάνη neque Lampſana. Hanc Dioſcorides inter olera recenſet, nullis tamen notis eam vt notiſsimam delineat. Sed nunc non æquè omnibus cognita. Plinius ſcribit inter ſilueſtres Braſsicas Lapſanam eſſe, pedalis altitudinis, hirſutis foliis, napi ſimillimis, niſi candidior eſſet flore, coqui in cibo, aluum leuiter emollire. De eadem hæc Plinius alio in loco. Nec non olus quoque ſilueſtre eſt trium foliorum, Diui Iulij carminibus præcipuè iocíſque militaribus celebratum. Alternis quippe verſibus exprobrauere Lapſana ſe vixiſſe apud Dyrrhachium præmiorum parſimoniam cauillantes. Eſt autem id cyma ſilueſtris. Quæ hic depicta eſt planta, naſcitur frequentiſsima, inquit Matthiolus, in Hetruria, Apulia, ac

Nomina

Lib. 2. c. 109

Lib. 20. c. 9.

Forma.

Lib. 19. c. 8

Locus.

Ibid.

LAMPSANA Matthioli.

LAMPSANA Dodon.

pleriſque Italiæ locis, iis præſertim campis qui aratrum eo anno non ſenſere: tametſi hodie, niſi fortè vrgente penuria in cibarium vſum vix recepta ſit. Eam tamen, quod maxime oportuit, nec deſcribit, nec cur Lāpſana Dioſcor. ſit explicat.

Lampſanam Betæ ſilueſtris ſpeciem facit Dodonæus, quæ foliis eſt latis, in pallido viridibus, vtrimque profundius inciſis, napo ſimilibus, ſed minoribus: caulibus bipedalibus, in ramulos multos diuiſis, in quorum faſtigiis emicant flores multi, parui, lutei, hieracij minoris floribus fere ſimiles. Eandem Lobellius Lampſanæ nomine depinxit. Vbique prouenit, in viis ſcilicet, & in hortis in quibus Betæ naſcuntur, & humidis locis. Pena hanc Dodonæi Lampſanam, neque napis neque Braſsicis congenerem eſſe cenſet, ſed potius hieraciis, floribus nimirum ſtellatis, luteis, non Braſsicæ, foliis hieracij modo laciniatis, caulibus ſeſ-

Lib. 4. c. 109

Forma.

Locus.

LAMPSANA Vera falso Theophr. Eryſimum Dodon.

Lib.5.ca.10.

quipedem & binos pedes altis, è fibrata radice & exigua, ſemine puſillo. Hæc nulla ſui parte in olere manditur: quare Lampſanam eſſe negat, eam vero genuinam eſſe putat, quam Galli *Saunès blanches* vocant, quaſi Sinapiſtrum albũ, quidam Sinapi ſilueſtre, Lugdunenſes *Rauenon*, Pena Rapiſtrum aruorum, quam Dodonæus Theophraſti Eryſimum eſſe falſo credidit, de quo diximus, cap. De Rapo, & de Eryſimo. Plus alit Lampſana quàm Rumex, auctore Dioſcoride, & ſtomacho vtilior eſt. Eius folia & caules coquũtur in cibo. Plinius ſcribit coqui in cibo, & aluũ leuiter emollire. Galenus in lib. de Aliment. facultatib. de Lampſana nihil ſcripſit, fortaſſe ſub Braſsicæ generibus comprehenſa. Verum in lib. ſimpl. Lampſana, inquit, ſi edatur, malum ſuccum gignit. Si vero imponatur extergendi ac diſcutiendi vim quandam habet. Hanc Northmanni ruſtici prope Codonum inter ſegetes colligunt, & minutim conſectam in iuſculis coquunt, ac pro olere comedunt non inſuaui guſtu.

PES ANSERINVS. CAP. VII.

SVperioribus ſtirpibus duæ quæ ſequuntur plantæ ſubnectuntur, non quod ſint λαψανώδεις, & in cibos receptæ, aut quod in iis ſerendis operam ponant olitores, ſed ob tam magnam ipſarum cum Atriplice & Blito præſertim florum & ſeminum affinitatem, vt prior hæc, tertia Atriplicis ſpecies à Matthiolo conſtituatur, à Lobellio Atriplex ſilueſtris latifolia vocetur. Quidã tamen herbarij nomen eius veteribus Græcis Latiníſq; ignotum eſſe arbitrati, à foliorũ figura, quæ in ambitu ita laciniata ſunt, vt Pedis Anſerini formam repræſentẽt, Pedem Anſerinum vocant, Galli ſimiliter *Pied d'Oye*, Germani *Genſzfuſz*. Quum vero hæc herba ſuibus etiã inimica ſit, factũ eſt, inquit Fuchſius, vt à mulierculis vocata ſit *Seuutod*, & *Schweinſztod*, ideſt, mors porcorum, Gallicè, *La mort aux pourceaux*. Caulem profert cubitalem, interdum maiorem, rectum, ſtriatum, ſurculoſum: folia lata, toto ambitu altiùs inciſa, atque ideo Pedis Anſerini ſpeciem referentia: flores racemoſos, exiguos, rubentes: ſemen racematim velut in Atriplice ſilueſtri ſingulis ramulis inſidens, radicem obliquam cum fibris plurimis. Locis incultis paſsim, & in hortis, aliisq; in locis vbi ſimũ reponitur, naſci ſolet. Iunio & Iulio menſibus floret. Sucundo refrigerat ordine, inquit Fuchſius, non ſecus atque ſolanum hortenſe, vel fere ad

PES ANSERINVS.

Nomina

In hiſt. pla. 252.

Forma.

Locus.

Tempus.

Temper.

cap. 252. Lib. 5. c. 3.

tertium

tertium vsque ordinem, vt putat Dodonæus. Suibus exitium adferre herbã hanc deuoratam experientia compertum est. Corpori humano exterius admota, idem quod Solanum hortense præstare potest. Quare etsi huius herbæ nullus sit in officinis vsus, tamen quia passim nascitur, & temere fortassis á nonnullis vires eius ignorantibus vsurpari posset, eam silentio præterire noluimus, vt tam vulgaris herbæ facultas omnibus perspicua foret.

VVLVARIA. CAP. VIII.

HÆc herba Atriplici quadamtenus similis est, nisi quod omnibus partibus minor, vnde quibusdam pusilla Atriplex, Lobellio Olida, & garum olens, Cordo Garosmam dicitur. Eius nomen Græcis Latinisque ignotum esse putãt Herbarij. Quare à fœtido odore Tragium vocauit Dodonæus, Gallice *Herbe de Bouc*. Quia vero duo sunt alia Dioscoridi Tragij genera, ad horum discrimen Tragium Germanicum cognominauit. Cæteris Herbariis Vuluaria dicitur. Quia virosum illum odorem refert, quem impuri meretricũ loculi spirant. Aliis atriplex canina, qui eã ex vrina canũ nasci putãt. Humilis est & tenera plãta, cauliculis multis, per humum repentibus foliolis candicantibus, ac veluti farina aspersis, Atriplici similibus, sed minoribus, & maioranæ foliis vix maioribus. Semen paruum, album, racemosum profert Atriplicis siluestris modo. Tota planta odoriser abominandi, piscis, aut capitis piscis, aut olidi hirci fœtorem referens. In viis & fabulosis locis prouenit. Æstate media floret, editq; semen. Herbæ fœtor fœminis strangulatu vuluæ oppressis confert, maximè si vmbilico imponatur.

Nomina

Lib. 5. c. 4.

Forma.

Locus.
Tempus.
Vires.

SPINACHIA. CAP. IX.

SPinacia, & Spinachia, & Spinaceum olus Latinis appellari potest, quod σπανάχια Græcis recentioribus dicitur. Spinacia quidem & Spinaceum olus ab insigni seminis spiculorum nota, quod tam glabræ, & mollis herbæ semen in spinas occalescat. Σπανάχια verò à raritate, quod raro illo medici vterentur. Quibus hæc vocabula displicent, Atriplicem Hispanicum vocant, Mauritani *Hispanach*, idest, Hispanicum olus, fortasse quòd inde primùm duxerit originem, ad cæteras tandem nationes translatum: quidam Seutlomalachen. Ruellius Seutlomalachen, inquit, recens Græcia fecit olus, quasi dicas maluaceam betam, quod, vt reor, parentum adulterio natum existiment, veteribus inauditum, fortè quod figura, & denticulato seminis habitu betam, & mollitia maluam mentiretur. Quod si ita est, neotericis omnibus tritissimum, ab insigni spiculorum seminarium nota Spinaceum vulgò dictum putant. Sed forte Seutlolapathum, ait Gesnerus, hoc est mediæ inter betam & rumicem naturæ, potius quàm Seutlomalachon appellandum. Galli *Espinars* vocans, & *Espinoches*, Germani *Spinet*, vel *Spinnat*. Spinachiæ genera duo, satiuũ, & siluestre. Satiui item duo, mas & fœmina. Mas semen fert. Fœmina floret quidem, sed seminis infœcunda sterilescit. Nam Spinachia vt cannabe, semina edit, ex quorum nonnullis exit mas, ex aliis eiusdem plantæ fœmina. Spinachia exit septem diebus à satu, folio primùm triangulo molli, mox intubaceo, plerũque qua pediculo

Nomina

Lib. 2. c. 147

In hor. Ge.

Genera.

Forma.

SPINACIA.

In libro 2. Dioſc. c. 117

cohæret, laciniato, inerti ſapore, exigua radice multiplici, tenuibus capillamentis fibrata: caule cubitali, nonnũquam altiore, intus cauo: floribus in vertice rotundis, racematim coeuntibus, exiguis: ſemine ſpinulis horrido. Credidere recentiorum nonnulli, inquit Matthiolus, Atriplicem & Spinachiã eiuſdem eſſe generis. Sed eos falli exiſtimat, quia Spinachia nouum in Italia olus eſt, foliorum, caulis, & ſeminis figura coloréque ab Atriplice maximè diſtãs, ſicuti & ſapore. Nam Manardus Atriplicẽ & Spinachiam chryſolachani ſpecies eſſe ſcripſit. Cuius ſententiam minimè probat Matthiolus: Chryſolachanum enim, ideſt aureum olus in Atriplicem quidem competit, vt dictũ eſt, minimè tamen in Spinachiã, quæ foliis, flore, caule ac ſemine perpetuo vireſcit. Hoc olus veteribus (quod mirum eſt) incognitum fuiſſe videtur, cum de eo nihil illi, quod legatur, literarum monumentis tradiderint: vel forſitan quòd cibo quàm medicinæ potius natũ eſſet, nec quicquam illuſtre ſortitum, ob id ingenij ſegnitie obſcurum: vel quod, vt coniici poteſt, nondum in vſum vulgi, literatorúmque cognitionem eo ſæculo venerat, qui eorum quæ ſua fuerunt memoria, prorſus intactum nihil intentatúmque reliquerunt. Non enim ſilentio tam frequens olus

Vires. abolere voluiſſent, ſed potius celebratum in lucem prodere. Nunc paſsim in hortis ſeritur, nullúmque ſolum reſpuit, ſed quocumque prouenit lætiſsimè. Seri-

Tempus. tur Septembri menſe, non horrẽs hiemis frigora, vt vere cibum ſuppeditet, quo tempore ſemen profert. Martio etiam menſe ſeritur. Iunio & Iulio flores &

Vires & Temper. ſemen edit. Spinachia primæ refrigerantium & humectantium claſsis. Aluum emollit, melius Atriplice ſuppeditat alimentum, ſed aluo parum hærens facilè exigitur. Flatus colligit, & vomitiones concitat, niſi excrementitius humor abiiciatur: ventrem decocti iure proluit. Citra aquam coquitur, quod magnam vim humoris inter coquendum remittat, & veluti proprio contentum iure alienum aſpernetur. Ligula ſubinde percuſſum abacto lentore verſatur, deinde in manuales globos expreſſa penitus ſanie redacta, patinis in oleo vel butyro frigitur, addito quo magis palatum titillet, omphacio. Bibitur eius ſuccus ad ſcorpionum, &

Matth. ibi. aranearum ictus, ac etiam vulneri illinitur: quinetiam cocta lenit exaſperatas fauces. Spinacia ſilueſtris plurimis ſtatim à radice cauliculis fruticat, rotundis, glabris, rubeſcentibus ima parte: cum adoleuerunt cubitalibus & longioribus, in quibus ex longis pediculis ſingula folia dependent, ampla, longa, in ambitu minimum profundis laciniis ſinuoſa, rugata, auerſa parte venoſa, lætiùs virentia, aduerſa obſcuriùs, acuminata, & ſagittarum cuſpidis figuram planè referentia. In caulium ſummitatibus ſemen racemoſum eſt. Ex radice vt cauliculi, ita pediculi bene longi emergunt, ſinguli ſingula folia valde magna ſuſtinentes. Sunt qui aquam ex hac planta vitreis organis eliciunt, & ad ciendos ſudores plurimùm valere predicant.

LACTV

LACTVCA CAP. X.

LACTVCA à lactis copia nomẽ adepta Græcis θριδαξ dicitur, à recentioribus vt Pſello, & Symeone Sethi μαρούλιον, vel μαρόλιον, & θελδακίνη. quamquam ſilueſtre olus quoddã propriè θριδακίνη appellari Galenus ſcripſit, Mauritanis *Cherbas*, ſeu *Chas*, Italis *Lattuca*, Germanis *Lactuck* & *Lattuk* Hiſpanis *Lechuga*, aut *Alſalſa*, Gallis *Laittue*. Lactucæ genera plurima. Plinius. Lactucæ Græci tria fecere genera. Vnum lati caulis, adeo vt hoſtiola olitoria ex his factitari prodiderint. Folium his paulo maius herbaceo, & anguſtiſsimũ, vt alibi conſumpto incremento. Alterum rotundi caulis. Tertiũ ſeſsile, quod Laconicum vocant. Quæ ex Theoph. ſunt exſcripta. κὴ τῆς θριδακίνης ἡ λάκκη γλυκυτέρα, κὴ ἁπαλωτέρα. γένη ὃ αὐλῆς ἐς ἰνὰ λλὰ ἰρία, τό, τε πλατύκαυλον, κὴ τροχυλόκαυλον, ⁊ τρίλον, τὸ λακωνικόν. αὐλὴ δὲ τὸ μὲν ἔχει σκολυμώδες, ὀρθὴ δὲ κὴ ἀξὴς κὴ ἀπαράβλαστος ὑπὸ τῆ κάυλῆ. τῶν δ᾽ πλατέων αὐλώ τινες πλατύκαυλοι γίνονται, ὥς τε ἐνίους φασὶ κὴ θήρας χρῆσθαι κὴ πωμικαῖς. τὸ δ᾽ ὀπωδὸς σφόδρα, κὴ μικρόφυλλον, κὴ λάκκοκαυλότερον ἔοικεν ἀγρίᾳ Id eſt, Lactuca candida dulcior & tenerior eſt. Cuius genera alia ſunt tria, laticauſe, rotundicaule, & laconicum. Hoc folio eſt ſcolymi, rectũ, inſigni proceritate, nec à caulibus brachiatũ. Laticauliũ quædam vſque eo in latitudinẽ adoleuerunt, vt aliqui in valuas hortorum vſurparint. Quæ verò valde ſuccoſa eſt, folióque exiguo, ac candidiore caule, ſilueſtri ſimilis eſt. His plura genera deinceps Plin. ſtatuit. Alij, inquit, colore & tempore ſatus genera diſcreuere. Eſſe enim nigras, quarum ſemen menſe Ianuario ſeratur: albas quarũ Martio: rubẽtes quarum Aprili. Et earum omniũ plantas poſt binos menſes differri. Diligẽtiores plura genera faciunt, purpureas, criſpas, cappadocas, Græcas. Longioris has folij, cauliſque lati, præterea longi & anguſti, intubi ſimilis. Peſsimũ autẽ genus cum exprobratione amaritudinis appellauere picrida. Eſt etiamnum alia diſtinctio atræ, quæ Meconis vocatur à copia lactis ſoporiferi: quamquã omnes ſomnũ parere credũtur. Apud antiquos Italiæ hoc ſolum genus earũ fuit, & ideo lactucæ nomen adeptæ. Purpuream maximæ radicis Cæcilianam vocant. Rotundam verò ac minima radice, latis foliis, Aſtylida (Athenæus habet Aſty tida, quaſi vrbanam) quidámque Eunuchion, quoniã hæc maximè refragetur veneri. Eſt etiamnũ quæ vocatur Caprina (marina ex Corn. Celſo) lactuca. Et ecce cum maximè cœpit irrepere ſatiuis admodum probata, quæ Cilicia vocatur, folio Cappadocæ, niſi criſpum latiuſq; eſſet. Columellæ quoque plura ſunt lactucæ genera, quæ ſuo quoque tempore ſeri oportet. Earum quæ fuſci, & veluti purpurei, aut etiam viridis coloris, & criſpi folij, vti Cæciliana, menſe Ianuario rectè diſſeritur. At Cappadocia quæ pallido, & pexo denſõque folio viret, menſe Februario, quæ deinde candida, & criſpiſsimi folij, vt in prouincia Betica, eſt, finibus Gaditani municipij, menſe Martio rectè pangitur. Eſt & Cyprij generis ex albo rubicunda, leni & tenerrimo folio, quæ Idibus Aprilis commodè diſponitur. Lactuca in ſatiuam & ſilueſtrem diuiditur à Dioſcoride, à Matthiolo ſatiua in criſpam, rotundam, & capitatam, quibus quartam addit quæ Romana vulgò vocatur, & quintam Cypriam, quam ex Cipro allatã ferunt. Dodonæo lactucæ ſpecies ſunt, lactuca vulgaris, criſpa Plinij, & aliorum veterum, Gallicè *Laittue creſpue*, tertia lactuca capitata, Gallicè *Laictue pommee*, lactuca ſeſsilis, & Laconica veterum, Columellæ Betica. Quibus addit lactucam Cæcilianam Columellæ, foliis fuſcis, & fere purpureis: præterea lactucã Cypriã eiuſdẽ, quæ lactuca eſt Græca Plinij, foliis rubeſcentibus, læuibus, tenerrimis, guſtus optimi. Sed duas poſtremas ſpecies recẽtioribus incognitas eſſe ait. Lactuca ſatiua foliis eſt longis, latis, læuibus, nudis, minimè cõglomeratis, interquę caulis excreſcit binũ fere cubitorũ altitudine, ſucco prægnans lacteo, in ſummo brachiatus, flores proferẽs luteos, qui tandẽ in pappos abeunt: ſemen candidũ, paruũ, oblongũ. Radix ſubeſt longa, craſſa, fibrata.

Nomina

Li. 2. Alim. & lib. 2. cõ. ph. loc. c. 1.

Genera

Lib. 19. c. 8.

Lib. 7. hiſt. ca. 4.

Ibid.

Lib. 20. c. 7.

Lib. 11. c. 3.

Lib. 2. c. 119

Lib. 5. c. 18.

LACTVCA SATIVA.

LACTVCA Crispa, Matth.

LACTVCA CRISPA
Dodon. & Fuchs.

Lactuca Crispa, folia habet crispa, intubo maiori similia, valde laciniata, caule superiori proxima. Rotunda in orbem spargitur, rotundioribus foliis tenerioribúsque, vna se stipantibus. Capitata seu sessilis, foliis à rotunda parũ differt, sed in globum folia circumuoluũtur, & extuberant Brassicæ capitatæ modo. Romana quæ in cibis omnibus præstat, foliis est maioribus pinguioribus, viridioribúsque. Ea in ouatũ caput extuberat, cæteríque tenerior & candidior fit, si in cacumine ligetur, terráque obuoluatur ad cacumen vsque: hac enim arte mirum in modum tenerescit, & candidior, gustuíque gratior redditur. Caulem edunt omnes bipedalem, albicantem, lacteo prægnantem succo, in summo brachiatum, foliis plenum in acutum desinentibus. Flores in ramusculorum cacuminibus prodeunt lutei, qui tempore papposi facti in auras abeunt. Semen omnibus oblongũ, in acutum tendens, candidũ, quandoque etiam nigrum. Senescentes omnes amarorem contrahunt. Nascitur Lactuca quarto aut quinto à satu die, & adulta transponitur. Siluestris Lactuca, inquit Dioscorides, satiuæ similis est, sed longior caulis, & candidiora folia, graciliora & asperiora: amaro gustu est. Theophrastus, Θριδακίνη δὲ τό τε φύλλον βραχύτεροι τῆς ἡμέρου, καὶ τελφόμενον ἀκανθῶται, & τὸν καυλὸν ὁμοίως. Τὸν ὀπὸν ὃ δὲ μυῶν, & φαρμακώδη. Φύεται δὲ ἐν ταῖς ἀρούραις. ἀπίζουσι ὃ αὐλὴν ὑπὸ παραμηλὸν, καὶ φασὶ καθαίρειν ὕδρωπα, καὶ ἀχλὺν ἀπ' ὀφθαλμῶν ἀπάγειν, καὶ ἄγγεμα ἀφιεῖν ἐν γάλακτι γυναικείῳ. Ideſt,

Lib. 2. c. 130.

Lib. 7. hist. c. 6.

Lactuca

Lactuca siluestris folio breuiore est quàm satiua, quod consummatum aculeatur, similiter & caule breuiore. Succo manat acri & medicato: nascitur in aruis. Carpitur succus per messes. Aiunt eo purgari hydropem, caliginem ab oculis atteri, & argema tolli cum muliebri lacte. Hæc est, inquit Ruellius, quæ passim ab Officinis nostris nunc endiuia dicitur, cum in aruis nascatur sponte, & vinetorum limitibus, folio cum adoleuit per oras aculeato, dorso spinulis inhorrescente, quasi prona carinæ parte echinata, supina læuiore, nonnunquã cum insenuit laciniatim serrato: caulibus bicubitali proceritate consurgentibus, hirtis, flore luteo, succo candido, amaro, acri, ideo linguam & os aliquantulum vellicante. Huius vti satiuæ semen occulitur lanugine. In eadem sunt sententia Fuchsius & Dodonæus. Quibus subscripsit etiam Matthiolus. Siluestris Lactuca, inquit, in cãpestribus nascens facilè dignoscitur, quod caule, floribus, semine & folio satiuam iam flores & semina proferentem æmuletur. Verum gustu amara est, & lacte copiosiore referta. Hæc Lactuca siluestris Fuchsij & Matthioli, est Endiuia vulgatior Officinarum, Penæ & Lobellio. Seris satiua altera Lactucarum simillima, amara, angustifolia Dioscoridis. Alia verò Lactuca siluestris à Dalechampio hic exhibetur, quam veram esse arbitratur. Radice est minimi digiti crassitudine, candida, fere semper contorta, paucis fibris capillata, succi lactei plena. Folia circa radicem antequam in caulem assurgat humi iacent, Lactucæ similia, in ambitu crenata, sed non sinuosa, veluti huius edita pictura demonstrat, dorso aculeato, arescentia cum caulis gliscit. Is teres est, cubito altior, aliquantum spinosus haud procul à radice, cætera glaber, subrubens, in quo folia impari interuallo disposita, caulem amplexantia, quam cauli iunguntur bifida, in summo tripartita, figura nonnihil ad triphyllum accedente. Flos est luteus, Lactucæ similis. Totius plantæ sapor insigniter amarus est. Alterius Lactucæ siluestris historia & pictura extat apud Penam, quæ omnibus partibus ad Lactucã accedit, vel ad Seridem latifoliam, vulgò Scariolam, Lactucæ simillimã. Succo lacteo tota manat, adeo vt præ eius copia soporifero sit odore tetro & ingrato, veluti opium. Caulis bicubitalis glutinosus: flores Lactucæ: semen aliquantominus nigricans. Ea, inquit Lobellius, in agro Romano foliis nigris maculis variata conspicitur. Satiua Lactuca in hortis prouenit, lætis & riguis stercoratísque. Lactuca siluestris Dalechampij in

Lib. 2. c. 69.

In hist. pla. c. 112. Lib 5. ca. 19. In libr. 2. Dios. c. 130.

Locus.

LACTVCA Siluest. Matth.

LACTVCA Siluest. vera, Dalechampij.

rupibus lapidosis saxosisq; locis nascitur,vbi durum solum pauca terra contegitur:nonnunquam ex rupium ipsarum rimis exilit.Seritur Lactuca toto anno, sed Martio,& Aprili mensibus potissimum,binis mensibus inter semen plantamque & maturitatem.Lactucæ satiuæ vt scribit Dioscorides,refrigerant, stomacho gratæ habentur,somnum conciliant,aluum emolliunt,lac euocant :verum decoctæ magis alunt.Stomachicis illotas esse prodest. Epotum semen assiduas libidinum imaginationes in somno compescit, & veneri refragatur. Ipsæ verò frequentiores in cibo claritati oculorum officiunt.Muria condiuntur, cum in caulem exierunt,vim quandam nanciscuntur succo lactis siluestris Lactucæ similem. De iisdem hæc Plinius.Est quidem natura omnibus refrigeratrix,ideo æstate gratæ stomacho fastidium auferunt, cibique appetentiam faciunt. Diuus certe Augustus Lactuca conseruatus in ægritudine fertur prudentia Musæ medici. Cum priores cauerent,religione nunc omni caret,intantum recepta commendatione, vt seruari etiam in alienos menses eas oxymelite repertum sit.Sanguinem quoque augere creduntur.Venerem inhibent,æstum refrigerant,somnumque faciunt. Cruditatem ipsæ nequaquam faciunt,nec vlla res maiorem in cibis auiditatem incitat,inhibetque.Ambustis prosunt recentibus, priusquam pustulæ fiant cum sale illitæ.Vlcera etiam quæ serpunt, coercent initio cum aphronitro, mox in vino tritæ. Igni sacro illinuntur.Conuulsa & luxata caulibus tritis cum polēta ex aqua frigida leniunt:eruptiones papularum cum vino & polenta. In cholera quoque coctas patellis dederunt,ad quod vtilissimæ quàm maximi caulis,& amaræ. Quidam lacte infundunt.Deferuefacti ij caules,& stomacho vtilissimi traduntur, sicut somno & satiua maximè Lactuca & amara lactēsque, quam meconidem vocauimus.Hoc lac & oculorum claritati cum muliebri lacte vtilissimum esse præcipitur,dum tempestiuè capiti inunguntur. Semen satiuarum contra scorpiones dari.Semine trito ex vino poto & libidinum imaginationes in somno compesci. Tentantes aquas non nocere Lactucam edentibus. Quidam tamen frequentiores in cibo officere oculorum claritati tradiderunt. Sed de iis accuratissimè Galenus.Pleríque medicorum,inquit,hoc olus,vt ficus autumnalibus fructibus prætulerunt.Nam inter ipsa aliud melioris succi non inuenias.Quod porrò nonnulli vitio verterunt,id ei in præcipuam laudem cedit, & si ita reuera haberet, non modo nulli olerum,sed ne optimi quidem succi, ac maximi nutrimenti edulis esset secundum.Nempe Lactucam aiunt sanguinem generare.Quidam non simpliciter sanguinem dicunt, sed multum sanguinem generare affirmant. Verum ij tametsi prudentius obiiciunt, longius tamen aliis à vero absunt: quamquam hoc ipsum,puta,multum sanguinem procreare,non est quod merito quis damnet. Constat enim eiusmodi edulium laudatissimi succi esse,quod plurimū quidem sanguinis,aliorum vero succorū nullum producere sit comparatum. Si verò quia permultum è lactuca sanguinis congeratur, idcirco damnandam eam censeant facillimè huic malo occurri potest:quippe quum vescentibus & liberalius exerceri,& ea parcius vti integrum sit. Hæc ergo aduersus eos qui olus hoc non rectè vituperant. Illud porrò scire conuenit,omnibus aliis oleribus paucissimum sanguinem & vitiosum generantibus,ex sola Lactuca nō multum, quidē, nec vitiosum,haud tamen omni ex parte laudabilem gigni. Vt plurimū quidem cruda ipsa vescuntur:æstate autē cum iam in semen proruptura est,in aqua dulci præcoquentes cum oleo,garo,& aceto assumunt, aut cum aliquo ex condimentis,obsoniisve,præsertim iis quæ caseo constant. Plerique etiam antequam excaulescat in aqua elixa vtuntur,vt ego iam facio, ex quo dentes mihi deteriores esse cœperunt.Nam amicus quidam meus cum olere hoc à longo tempore,me vt familiari cibo vsum fuisse sciret,viderétque post mandi à me citra magnā molestiā non

Tempus.

Vires & temper.

Li.2.c.129.

Lib.19.c.8.

Plin.lib.20 cap.7.

Li.2.Alim.

non posse, cocturæ rationem indicauit.Etenim in iuuentute quoniam os ventriculi bile efferuescebat, æstus moderandi gratia Lactuca vtebar. Cum autẽ ad prouectam ætatem peruenissem, olus hoc contra quàm in iuuentute somnum iam omni studio & industria accercenti auxilio fuit. Quippe qui etiamnum iuuenis lucubrandi gratia vigiliis dedita opera me assuefeceram. Declinante iam ætate ipsa ex se insomni,grauius hoc incommodo afficiebar. Aduersus quod vnicum mihi præsentissimum remedium lactuca vespere commanducata fuit.Frigidum ergo humidúmque succum profert,non tamen vitiosum. Itaque sicut alia olera à iusta concoctione non excidit, neque aluum cohibet vti neque impellit. Atqui hæc illi non immeritò accidunt,quum nec austera, nec acerba sit,quibus facultatibus in vniuersum aluus sistitur, quęmadmodum à salsis,acribus, & omnino abstergendi vim habentibus ad excretionem concitatur, quorum nihil lactucæ inest.Et alio in loco. Lactuca humidum est frigidúmque olus,non tamen extremè, siquidem edendo non foret,verùm maximè secundum aquæ, vt sic dicam,fontanæ frigiditatem.Proinde ad calidas phlegmonas accommodum est,& ad parua & leuia erysipelata,non tamẽ ad maiora.Est etiam edulium siti aduersum. At semen potu genituræ profluuium cohibet, quamobrem iis datur qui libidinis somniis vexantur. Præterea Galenus alibi ex Archigene recensens olera, quæ stomachicis in cibo conueniunt,in iis habet lactucas, & μηκωνίδας, quas meconides lactucas conuertit Cornarius. Appellatur enim meconis quoddam lactucæ atræ genus, à copia succi & lactis soporiferi,similitudine quadam cum meconio, hoc est papaueris succo:μήκων enim papauer Græcis dicitur. Sed de hoc lactucæ genere Plinij verba supra adscripsi,de quo rursus ille alio in loco.Et amara lactensque,quam Meconidẽ vocauimus.Sic enim eo loco legi debet.Lactucæ succus,auctore Matthiolo,& ex rosaceo frõti & temporibus illitus, non solum febrientibus somnum cõciliat,verum etiam capitis dolorem mulcet. Gargarizatur vtiliter ex punici mali succo, ad columellæ inflammationem. Testiculis illitus seminis profluuium cohibet,præsertim addito caphuræ momento,sed venerem extinguit. Idem præstat epotum semen ex papauerini seminis cremore haustum, atque etiam ardoribus vrinæ opitulatur. Cauendus lactucarum succus suspiriosis, sanguinem excreantibus, pituitosiisque, & iis maximè qui liberis dant operam. Lactuca innatat acri. Post vinum stomacho, inquit Horatius, quæ res quia concoquendi vim debilitat atque obtundit, lactucas in prima mensa apponere, eásque primas omnium gustare & esse debemus, siue crudas,siue coctas. Huc pertinet Martialis distichon.

Li.6.simp.

Lib 8.com. ph.loc.c.4.

Lib.20.c.7.

In libro 2. Dios.c.129.

Lib.saty.2. sat.4.

Lib.13.

Claudere quæ cœnas lactuca solebat auorum,
Dic mihi cur nostras inchoat illa dapes?

Nunc de lactucæ siluestris facultatibus dicendum. Viribus aliquantum papaueri similis est,inquit Dioscorides, vnde lacteum eius succum aliqui meconio permiscuerunt.Aquam per aluum elicit potus in aceto mulso succus ad duos obolos: argema caliginémque repurgat:cõtra adustiones efficaciter illinitur cum lacte mulierum. In summa somnum allicit, doloris leuamentum præstat, menses trahit: contra scorpionum & phalangiorum ictus bibitur. Semen non aliter quàm satiuæ libidinum imaginationes in somno amolitur,ac venerem arcet. Succus ad eadẽ valet,sed viribus infirmior. Reponitur in fictili nouo lac eius,antea, vt in aliis liquaminibus moris est, insolatum. De hac Plinius ita tradit.Lactucæ sponte nascentis primum est genus eius quam Caprinam vocant (marinam) qua pisces in mare deiecta protinus necantur qui sunt in proximo. Huius lac spissatum mox in aceto pondere obolorum duûm, adiecto aquæ vno cyatho hydropicis datur, quibus verbis exprimere voluit illa Dioscoridis χαθαίρει ὑμελ' ὀξυκράτου πωθεὶς, &c.

Lib.2.c.130.

Lib.20.c.7.

Aquam

Aquam per aluum elicit potus in aceto mulso, & cætera. Eiusdem succi vsum
Ibidem. medicum Theophrastus habet eo loco quem supra citaui. Ex quo & hæc Plinius descripsit,additis quibusdam aliis. Succus omnibus (siluaticis) candidus, viribus quoque papaueri similis:carpitur per messes incisō caule:conditur in fictili nouo. Sanat omnia oculorum vitia cum lacte mulierum. Arcet nubeculas, cicatrices, adustionésque omnes, præcipuè caligines.Imponitur etiam oculis in lana contra epiphoras.Idem succus aluum purgat in posca potus ad duos obolos. Serpentium ictibus medetur in vino potus.Et folia tosta thyriiq; triti ex aceto bibuntur. Vulneri illinuntur,maximè contra scorpionum ictus.Verùm contra phalangia commisto vino ex aceto.Aliis quoque venenis resistunt,exceptis quę strāgulando necant,aut iis quæ vesicæ nocent:item psymmithio excepto. Imponuntur & ventri ex melle atque aceto,ad detrahenda vitia alui. Vrinę difficultates succus emēdat Cratenas eum & hydropicis obolis duobus in aceto & cyatho vini dari iubet.Hęc
Li.6.simp. verò Galenus tradit. Iis qui venereis somniis vexantur agrestis lactucæ semen exhibetur,cuius colligitur succus argema, caligineſque expurgans, tum adustiones cum lacte muliebri inunctis. Quæ argema Theophrastus, Dioscorides, Galenus dixerunt, Plinius cicatrices videtur conuertisse. Ad Theophrastum Dioscorides addidit,καὶ πρὸς ἐπικαύσεις succum illini,Galenus πρὸς ἐπικαύματα, quod idem est, Sunt autem ἄργεμα & ἐπικαύσεις,seu ἐπικαύματα oculorū vlcera,quę Paulus apertè
Lib.3.c.22. declarat his verbis. Vlcerum in oculis genus quidem vnum est, differentiæ verò particulares diuersæ. Etenim in cornea brana vlcus cauum, angustum,& purum βόθρυον Græcis dicitur, id est, fossula. Quod autem latius bothryo est, sed minùs profundum κόιλωμα nuncupatur.Argemon in pupillæ circulo iacens, ambientia comprehendit, vt etiam in exteriore pupillæ parte rubicundum,in interiore candidum appareat. Ἐπίκαυμα vlcus est sordidum, & crusta obductum,quo repurga-
Li.4.com. ph.loc.c.7. to humores oculi sæpe effluunt. Hæc Paulus. Galenus quoque de ocularibus compositionibus scribens, ait. Ἄλλο τρυφερον ἐπιγραφόμενον, πρὸς ἐπικαύματα, & cætera. Ruellius in Dioscoridis & alij Galeni interpretes,adustiones conuerterunt,secuti, vt opinor,Plinium, qui vt ex loco paulo ante citato intelligere licet, Dioscoridis ἀχλώ, ἄργεμα, & ἐπικαύσεις,nubeculas, cicatrices, adustiones interpretari videtur. Qui omnes si adustiones igni,vel quouis alio modo ambusta
Ibidem. accipiunt,vehementer errant. Cornarius inustiones vertit. Nec video, inquit, quomodo hoc vlceris oculorum genus possit Latinè commode dici. Vstiones autem simpliciter dixit etiam Scribonius in collyrio psittatino.Et auctor Εἰσαγωγῆς Galeno inscriptæ definit ἐπίκαυμα esse, cum superior tunicula in superficie inusta vlceratur, aut etiam paullo altior vlceratio fit, ob magni fluoris influxum. Vnde non malè adeo inustio dici potest.

PORTVLACA. CAP. XI.

Nomina Ἀδράχνη Græcis,Latinis Portulaca dicitur, Arabibus *Bakleancha*, seu *Bachele albanica*, Italis *Porcellana*, *Porchellachia*, & *Porcellina*, Germanis *Burtzelkraut*,Hispanis *Verdolagas*,& *Baldroegas*,Gallis *Pourpier*,*Porchailles*, & *Porcellaine*.Portulacę tria sunt genera. Satiuū,siluestre,& marinum.

Genera Forma. Portulaca satiua caules edit crassos,pingues,teretes,glabros,erectos, lentè vergentes in puniceū:folia crassa, pinguia,latiora& oblonga,in summo rotundata, fabarię vulgò vocatæ,modo splēdentia, à tergo candicantia:flores exiguos,luteos siue pallidos in summis fere caulibus semina nigra,exigua in caliculis herbaceis,& rotundis inclusa: radicem multifidam, teneram, fibratam. Portulaca siluestris quæ sponte in hortis,vineis,aliisque in locis nascitur, caulibus est rotundis,pinguibus,

crassis,

PORTVLACA Satiua.

PORTVLACA Siluestris.

crassis,sed tenerioribus, minoribus, magis rubescentibus,& per humum sparsis:folijs minoribus,& oblõgioribus quàm satiua, cætera planè similibus.Alterũ verò siluestre, inquit Matthiolus,humi repens minoribus, tenuioribus, ac crebrioribus foliis. Hæ portulacæ succosæ sunt cum quadam austera aciditate. Hæ cũ sint portulacæ vtriusque genuinæ delineationes, tum peritissimorum Herbariorum testimoniis, tum ipsa earum stirpium inspectione comprobata,perspicuum est caput de siluestri portulaca in vulgaribus Dioscoridis libris ad caput de satiua falsò, neque ab ipso auctore adiunctum fuisse. Quam sententiam approbasse videntur Ruellius,& Matthiolus,qui in vtraque suorum in Dioscoridem commentariorum editione id caput penitus sustulit ; sed ab aliquo homonymia decepto,ex libro quarto huc temere translatum.Cum enim videret ille Dioscoridem cæterorum fere omnium olerum genera siluestria satiuis subiunxisse,& libro quarto tertiam semperuiui speciem portulacam agrestem quibusdam dictam descripsisse, itemq; Plinium idem semperuiuum ita nominasse,& iisdem fere verbis depinxisse,eius historiam hallucinans Portulacæ coniunxit. Quasi verò ea semperuiui species Portulaca siluestris sit,quæ vulgari Portulacæ nostræ hortẽsi & esculentæ opponatur, cum illius vis sit excalfactoria, acris, exulcerãs, vt Dioscorides ait, huius refrigerans & humectans, quáque in acetariis æstate cruda vescimur.Sic & telephium huc referendũ esset,quòd vt scribit Dioscorides, foliis & caule Portulacæ similis sit, & Galeno in glossis Hippocraticis auctore, Portulaca siluestris nominetur. Alij in quibus sunt & Fuchsius,& Andr.Lacuna, id caput de Portulaca siluestri Dioscoridis esse agnoscunt,sed multis modis contaminatum, & ab aliquo imperito rerum ex capite de tertio aizoo multa excerpta,& huc sine iudicio inserta.Sic igitur legit Fuchsius. Ἀνδράχνη ἀγρία φύλλα ἔχει ὅμοια ἐλαίᾳ, μικρότερα δὲ πολλῷ, πλείονα δὲ καὶ ἁπαλὰ, καυλία ἐρυθρὰ ἀπὸ μικρᾶς ῥίζης πολλὰ ἐπὶ γῆν κεχλιμένα, μαστώμενα ὑπ' ἔνιων, καὶ γλίσχρα, καὶ ὑφάλμυρα. Idest, Andrachnè siluestris folia oleæ habet minora tamen, multò numerosiora,& tenera,rubentes cauliculos, ab vna radice multos, in terra sessiles, qui commanducati succo abundant, & sapore salsi sunt. Reliqua omnia plane adulterina sunt,& suppositicia. Portulaca marina Portulacæ siluestris species, caulibus multis fruticat,tenuibus,duris,lignosis. Folia habet crassa,pinguia, cinerea,Portulacæ planè simulia,falso sapore,sed candidiora, tactu læuia, neque tam lubrica

In lib.2. Dios.c.117.

Lib.2.c.56.

Ca. de sem perviuo.

Lib. 4. de semperui.

Lib.2.c.vlt.

In hist.pla. cap.19.

PORTVLACA Marina,
Halimus vulgaris, Matth.

Lib.1.Dioſ. ca.103.

Lib.& c.22

Lib.5.c.20.

lubrica. In caulium ſummitate flores profert atriplicis, vel bliti modo, deinde ſemen minutum, racematim cohærens: radicem longam & lignoſam. Mauritanos ſcribit Matthiolus Halimum molochiam & Atriplicem marinam appellaſſe. Cuius hiſtoriam referens Serapio, narrat olitores in manuales faſciculos digeſtã per Babyloniam circumferentes molochiam clamitare. Quæ Mauritanorum molochia, inquit fortaſſe eſt ſecũdum Halimi genus à Plinio poſitum his verbis. Adj olus maritimum eſſe dixere falſum, & inde nomen, foliis in rotonditate longis, laudatum in cibis. Hæc planta frequentiſsima eſt in littoribus Venetis (incolæ Bidone vulgò appellant) & vt olus in cibum recipitur. Sed quæ à Matthiolo pictura expreſſa eſt, ſiue ſit Arabum molochia, ſiue Plinii halimi genus, nihil aliud prorſus eſt quàm Portulaca marina, quam hic deſcribimus, & pictam damus. Cui noſtræ ſententiæ ſubſcribit etiam Dodonæus. Interim ſtudioſos rei Herbariæ admoneamus Mauritanos hallucinantes molochiam cum halimo Dioſcoridis, & atriplice marina confudiſſe, ſi illis molochia eſt, quam Matthiolus, nóſque depinximus: Portulaca enim marina, halimus Dioſcoridis, & atriplex marina valde à ſeſe diſtant, vt locis idoneis demõſtratum eſt. Hanc marinam Portulacã Lobellius & Pena Crithmũ eſſe Dioſcoridis, arbitrantur, eiuſque hiſtoriam Portulacæ marinæ multo aptius congruere quàm fœniculo marino, qua de re fuſius tractauimus in Vmbelliferis, capite de Crithmo Matthioli. Portulaca ſatiua in hortis ſeritur, ſilueſtris in hortis etiam ſponte prouenit & in vinetis, nonnunquam in incultis & ſaxoſis locis. Marina in littoribus maris. Naſcitur frequẽs, inquit Matthiolus, prope Tergeſti mœnia circa ſalinas, vbi etiam ſeorſum, nec minùs copioſa viſitur atriplex marina. Portulacæ Iunio & Iulio menſibus florent, ſeménque differunt in Septembrem vſque. Iam Portulacæ ſiue in cibis, ſiue in medicamentis vſum explicemus, ex Dioſcoride. Portulacæ vis adſtringit: capitis doloribus, inflammationibus oculorum, cæteríſque cum polenta imponitur: ardoribus ſtomachi, ſacro igni, veſicæ doloribus auxilio eſt, commanducata dentium ſtupores ſedat: ſtomachi & inteſtinorum æſtuationem fluxionéſque mulcet: renes & veſicam adiuuat, etiamſi eroſionem ſentiant: veneris impetus exoluit: ſuccus epotus ſimili effectu prodeſt, in febribus valens. Contra teretes ventris tineas, cruentam excreationẽ, dyſenteriã, hæmorrhoidas, & profluuia ſanguinis percocta efficax eſt. Item cõtra ſepis morſus. Ocularibus medicamentis vtiliſsimè commiſcetur: interaneis fluxione laborantibus, atque vuluarum eroſionibus infunditur: contra dolores quos æſtus excitauit caput ex roſaceo & oleo fouetur: eruptiones papularum in capite cum vino emendat: vulneribus quæ ad ſyderationem ſpectant ex polenta illinitur. Ex Plinio. Portulacæ memorabiles vſus traduntur, ſagittarum venena, & ſerpentium hæmorrhoidum & preſterum reſtingit pro cibo ſumpta, & plagis impoſita extrahit. Item hyoſcyamo poto, è paſsóque expreſſo ſucco. Cum ipſa non eſt, ſemen eius ſimili effectu prodeſt. Reſiſtit & aquarum vitiis, capitis dolori, vlceribúſque in vino tuſa & impoſita. Reliqua vlcera cum melle commanducata ſanat. Sic & infantium

Locus. Ibidem.

Lib.2.c.117 *Temper. & Vires*

Li.& c.20.

infantium cerebro imponitur,vmbilicóque prociduo. In epiphoris verò omniũ fronti tẽporibúſque cũ polenta.Sed ipſis oculis è lacte & melle.Eadẽ ſi procidãt, prodeſt,foliis tritis cum corticibus fabæ.Puſtulis cum polenta & ſale, & aceto ac cera.Et vlcera oris,tumorémque gingiuarum commanducata cruda ſedat. Item dentium dolores.Tonſillarum vlcera ſuccus decoctæ.Mobiles dentes ſtabilit cõmãducata.Cruditates ſedat,vocémque firmat,& ſitim arcet. Ceruicis dolores cũ galla & lini ſemine pari menſura ſedat.Mammarum vitia cum melle,aut cimolia creta.Salutaris & ſuſpirioſis,ſemine cum melle hauſto. Stomachum in acetariis ſumpta corroborat.Ardentibus febribus imponitur cum polenta. Et aliàs mãducata refrigerat etiam inteſtina.Vomitiones ſiſtit.Dyſenteriæ & vomicis datur ex aceto,vel bibitur cum cumino.Teneſmis autem cocta , & comitialibus cibo vel potu prodeſt.Purgationibus mulierum acetabuli menſura in ſapa. Podagris calidis cum ſale illita,& ſacro igni. Succus eius potus renes iuuat & veſicas. Ventris animalia pellit.Ad vulnerum dolores ex oleo cum polenta imponitur. Neruorũ duritias emollit.Venerem inhibet,veneríſque ſomnia.Prætorij viri pater eſt Hiſpaniæ princeps,quem ſcio propter impatibiles vuæ morbos , radicẽ eius filo ſuſpenſam è collo gerere præterquam in balneis,& ita liberatum incommodo omni. Quinetiam inueni apud auctores caput inde litum deſtillationem toto anno non ſentire. Oculos tamen hebetare putatur. Ex Galeno. Portulaca quidam vt cibo vtuntur,ſed imbecille præſtat alimentum,idq; frigidum,humidum & glutinoſum.Vt medicamentum autem dentium ſtupori medetur, ob lentorem ſuum morſus expertem. Ex eodem alio in loco. Portulaca frigida & aquea temperamento eſt,paucæ cuiuſdam particeps auſteritatis. Proinde fluxiones repellit, & maximè bilioſas,& calidas,cum eo quod eas mutet, & alteret , magnopere refrigerans.Et fuerit ſanè in refrigerandi quidem facultate tertij exceſſus à temperatis,in humectando verò ſecundi.Hac ratione æſtuantes, vt ſi quid aliud , adiuuat tum ventris oſculo impoſita,tum totis hypochõdriis,maximè in febribus hecticis.Præterea ſtuporem dentium ſanat:nempe quæ ab acidorum contactu aſperè exſiccata fuerant,leniens atque replens,vtpote quum viſcoſam habeat humiditatem.Similiter verò & ſuccus eius.Itaque non foris modò impoſitus , ſed epotus quoque refrigerat.Hoc ſanè & toti herbæ comeſæ accidit. Quoniam autem reſtringit, vtiliter dyſenteriis editur,& muliebri profluuio,& ſanguinis reiectionibus.Sed adhæc quidem multo eſt quàm herba,ſuccus ipſius efficacior. In his cur dentium torporem diſcutiat portulaca,cauſam reddit Galenus.Alexander tamen Aphrodiſeus hoc Portulacæ munus cæcis rerum facultatibus,& abditis cauſis acceptũ retulit.Portulaca tam ſatiua quàm ſponte naſcens apud nos ſolet cõdiri hac ratione.Craſsiſsimos quoſque cauliculos exẽptis radicibus legunt: namq; graciles facilius in aceto contabeſcunt. Arenulæ quibus ſunt obſiti, diligenter aqua proluuntur,ſi qua inſedit ſordes,aut limus adhæſit,decutitur,tantiſpérque ſiccantur, donec aliquantũ inflaccuerint: alioqui marcoris labẽ,cui propter humoris copiã magnopere ſunt oportuni,confeſtim ſentiunt,aut rãcore fraceſcũt. Deinde acerbarum vuarũ melligine madefacti ſubſtrato fœniculi viridis ſpiſſamẽto componuntur fictilibus vaſis,aut doliolis,& cõſperſo ſale ſufficiẽti , interiectoq; rurſum fœniculo,Portulaca vas impletur, & tandem ſpiſſamẽto fœniculi cõtegitur,quod herbas deprimat,iúſque quod eſt miſtum duabus partibus aceti, & vna omphacij infunditur,ita vt ius in ſummum labrũ fideliæ perueniat: tum penore ſicciſsimo, & auerſa à ſole recõdi debet, ne ſitu loci cõditura mucorẽ cõtrahat , quã innoxiã ea res cõſeruabit,vbi portulaca non innatet,ſed ſemper ſit iure ſubmerſa,& exemptis ad vſum ſalgamis quicquid ſupereſt,ſuo pondere ad fundũ leniter deprimatur.Deinde cum vſus exigit,aqua vel etiã vino abluunt,& ſuperfuſo oleo vtũtur.

Li.2. Alim.

Li.6.ſimp.

In Probl.

POLYPREMNVM. CAP. XII.

Nomina Lib.10.c.84.

POLYPREMNVM in Geoponicis Cassiani Constantino attributis ea planè videtur esse herba quæ hic depicta est, dicta ἀπὸ τῶν πρέμνων copia. Sunt autē τὰ πρέμνα arborum rami grandiores & insigniores, in quos caudex primùm diuiditur. Sunt qui Chalcetum Plinij esse arbitrentur, sicq; dictum volunt à foliorum colore, qui subluteo pallore æs imitatur. Vulgus nostrū appellat, *De la Blanchette, & Poule grasse.* Polypremnum radice est candida, longiuscula, non admodum fibrata: foliis circa radicem multis, humi stratis, è viridi pallentibus, ac subflauescentibus, longis, saporis aquosi & diluti: caulículis multis, ferè pedalibus, in duo veluti ramos crassiores perpeteo diuisis, non aliter quam crescentis arboris truncum in duos prægrādes ac solidos ramos findi sæpe cōtingit: Flore copioso in summis ramis coaceruato, pusillo, è cine-

Lib.26.c.7.

Forma.

Vsus. reo candicante: semine minutulo. Veris initio priusquàm in caules assurgat in
Locus. acetariis ea vulgus vescitur. In pratis & agris nascitur, maximè tamen in vineis.

INTVBA. CAP. III.

Nomina

DE Intubi generibus, & iis quæ κιχωριώδη, ideſt cichoriacea, siue Intubacea Theophrastus appellat, deinceps dicemus. Σέρις Græcis dicitur quæ Latinis Intubus & Intubum, Arabibus *Dumbebe, Humdebe*, seu *Endeba*, Italis & Hispanis *Endiuia*, Germanis *Endiuien*, Gallis *Endiue*. Sed & Seris appellatur etiam à Græcis τρώξιμον: sic enim in Geoponicis Cassiani Constantino inscriptis legitur ex Didymo. Σέρις τυλέγει τρώξιμα ἐν ὄξει βαπτόμενα ἐ ἐσθιόμενα τομάχῳ μαζάληλλα. Seris, ideſt, troxima si aceto tingātur & edantur, stomacho grata sunt Et Paulus ait, τὸ ἴντυβον δὲ τὸ τρώξιμον. Et Actius in quodā pharmaco, ἀναλάμβανε χυλῷ τρωξίμων. ideſt, succo intybi excipe. Politianus tamē scripsit τρώξιμον etiam si nihil aliud addas, propriè de vua eduli intelligi, quæ & cibaria à Plinio dicitur. Atque ita Pauli iurisconsulti locū ex archetypo Pandectarū quod Florentiæ asseruatur restituit. Qui fundum vendidit pomum recepit, nuces & ficus, & vuas dūtaxat duracinas, & purpureas, & quæ eiusdem generis essent, quas non vini causa haberemus, quas Græci τρωξίμους appellant recepta videri. Sic & τρωξίμους verbum quod deerat, in antiquo se legisse Budæus affirmat. At cum τρώξιμος substantiuè, vt loquuntur Grammatici Intuba sint, vt superiorum scriptorū auctoritate probauimus, atque τρώξιμα sint appellata, quod cruda ex aceto & oleo, & quondam etiam garo addito velut lactuca edantur, videtur τρώξιμος adiectiuū, non ad vuam duntaxat, sed ad omne genus eorum quæ cruda eduntur pertinere, quæ ipsi peculiariter adiungentur. Quare fructus τρώξιμος erit quicumque crudus esculentus est, velut vua, ficus, vua passa, pomum, rhaphanus, & quicquid eius generis crudum apponitur. Τραγήματα autem & τρωγάλια, quamuis eandem habeant cum troximis etymologiam, significatione tamen differunt, quod sint bellaria, & postremarum mensarum fercula. Hippocrates τρωξίμων δὲ ῥαφανίδι χρεόσθω, καὶ σελίνῳ εἰς ὄξος βάπτων. Ideſt, ex troximis autem, ideſt, iis quæ cruda eduntur, raphanide

Lib.2. c.18.

Lib.3. c.46.
Lib.9.c.48.
Li.7.epist.

In ann.in Pand.

nide vtatur, & apio in aceto tinctis. In Geoponicis Constantino adscriptis τρώχλην σαφίδα leginus,ideſt,cibariam.Et Galenus in gloſsis Hippocraticis vocem τρωχλοῖς exponit ὠμοῖς ἐσθιομένοις. Artemidorus, ὅσα δὲ ἀποξύεται τρωχλὰ ὄντα, &c. Quæcunque deraduntur,& cruda comeduntur. Quare non minùs rectè τρωχλὰς quam τρωξίμυς in ſuperioribus Pauli verbis legere poſsimus.Seris duûm eſt genenerum. Altera ſilueſtris,altera ſatiua.Silueſtris duplex.Vna quæ picris & cichorium vocatur,altera latioribus foliis,& ori gratior hortenſi.Hortenſis autẽ duplex. Altera folio latiore,lactucæ ſimilior,altera folio anguſtiore,& guſtu amara. Hæ ſunt Intubi ſpecies ex Dioſcoride,doctiſsimorum Herbariorum præſertim Matthioli ſententia,qui cũ videret initium capitis de Intybo in Dioſcor. valde deprauatũ & confuſum,ex Oribaſio,& exemplaribus Dioſcoridis manuſcriptis ita reſtituit, & intyborum genera diſtribuit. Σέρις ἀγρία καὶ κηπαλίη. ὧν ἡ μὲν ἀγρία διοσκὴ. ἡ μὲν δὴ πικρὶς, ἡ καὶ κιχώριον καλέεται, ἡ δὲ ἥμερος πλατυφυλλοτέρα καὶ ὑστομαχοτέρα τῆς κηπαλίης, τῆς δ' κηπαλίης δίτιον εἶδος. ἡ μὲν δὴ ἐστὶ θριδακωδεστέρα, καὶ πλατύφυλλος. ὁ δ' στενόφυλλος δὲ ἐμπίκρος. Ideſt interprete Matthiolo.Seris ſilueſtris & hortẽſis.Silueſtris quidẽ duplex, altera picris,quæ & cichoriũ vocatur:altera ſatiua latioribus foliis, & ori gratior quã hortenſis. Hortẽſis verò duplex genus.Vna folio latiore,lactucæ ſimilior,altera folio anguſtiore,& guſtu amara.Huic lectioni, inquit, maximè adſtipulatur Serapio,qui ex Dioſcoride tot habeat ſilueſtris ſeridis ſpecies, quot ſatiuæ. At ſi τῷ ἀγρίῳ. id eſt,ſilueſtri, ſiue erratico, ſiue ei quod ſponte naſcitur, τὸ ἥμερον, ideſt,mite ſiue ſatiuum opponatur ex diametro, qui ſeris ſilueſtris in picrida ſiue cichorium,& in τὴν ἥμερον ideſt,ſatiuam recte diuidetur? Silueſtrẽ ſatiuam Matthiolus intelligit,quæ colitur vt miteſcat:quod in hortis frequenter fit, vt in Intubis, ita in armoraciis, ſcolymis, aſparagis.Sic Theophraſtus cum τοῖς γεωργουμένοις τὰ ἀγεώργητα oppoſuerit,mox τὰ ἥμερα τοῖς ἀγρίοις, in quibus τὰυτολογία eſſet cum γεωργούμενα & ἥμερα eadem eſſe videantur, & ἀγεώργητα, & ἄγρια, niſi plantæ multæ eſſent mites quæ non coluntur, vt arbores natura ſua mites quæ ignauos habent colonos,& contrà multæ agreſtes,quæ coluntur vt miteſcant, ſicuti diximus.Poteſt & emendata eſſe huius loci ſcriptura hoc modo.Σέρις ἀγρία καὶ κηπαλίη. ὧν ἡ μὲν ἀγρία διοσκὴ, ἡ μὲν δὴ πικρὶς, ἡ καὶ κιχώριον καλέεται. ἡ δὲ πλατυφυλλοτέρα, καὶ ὑστομαχωτέρα τῆς κηπαλίης. τῆς δὲ κηπαλίης, &c. Ideſt, Seris ſilueſtris & hortenſis. Silueſtris duplex.Altera picris, quæ & cichorium nominatur. Altera latioribus foliis,& ſtomacho vtilior quam hortenſis. Hortenſis verò duplex, &c. Oribaſius tria tantum fecit genera,ſi rectè interpres, quod illi facile fuit, conuertit. Seris agreſtis eſt,& ſatiua.Agreſtis picris aut cichorium vocatur, cuius & latiora & ori iucundiora quàm hortenſis ſunt folia. Hortenſis verò duplex eſt genus. Altera enim magis ad lactucæ ſimilitudinem accedit, & latis eſt foliis, & amareſcens. Altera folia habet anguſtiora,& ſubamara eſt. Quam lectionem ſecutus eſt Cornarius.Seris duplex eſt,inquit,ex quibus ſilueſtris quæ picris & cichorium nominatur latiora folia habet,& ſtomacho magis commoda eſt(ὑστομαχωτέρα legit, nõ ὑγιαμοτέρα)quàm hortenſis,Et huius duæ ſpecies ſunt, &c. Intubum ſilueſtre, picris,ſiue cichorium erraticum apud nos,inquit Plinius, quidam Ambugiam (meliora exemplaria,& Celſus Ambubeiam habent) appellauere, in Ægypto cichorion vocant quod ſilueſtre ſit. κιχώρη Theophraſto dicitur, & κιχώριον. Horatius cum dixit, *Me cichorea leuésque malua*, &c.

Κιχωρεῖα à ſingulari κιχωρεῖον poſuit.Hodie in Officinis cichorea ſilueſtris, Gallice *Cichoree ſauuage* nominatur.Intubum ſatiuum latifolium corrupta ab Intubo voce Endiuia paſsim appellatur.Gallice *Endiue & Cichoree de iardin*.Intybum ſatiuum anguſtifolium deminuto à Seris nomine Serida dicitur, quod deinde corrumpentes recentiores ſcariolam fecerũt Gallicè *Scariole*. Vtraque Officinis

Li.14. c.17. Lib.1. c.63.

Genera.

Lib.2.c.125.

Li.2.cauſ. ca.15.

Lib.20.c.8

etiam scariola dicitur, sed perperam, cum Intubo latifolio paruæ seridis nomen
Ibid. conuenire haud queat. Plinius satiuum serin vocat, quod est minus & venosius:
At paulo post, rursus tum siluestre tum satiuum serin vocat. Seris & ipsa Lactucæ
Forma. similima duorum generum est; siluestris melior, &c. Intubum satiuum latifolium

INTVBVM Satiuum Latifolium.

INTVBVM Satiuum Angustifolium. Matth.

INTVBVM Satiuum Angustifolium. Dodon.

foliis est magnis, longis, latis, in candido, viridibus, læuibus, foliis lactucarum quarūdam haud absimilibus: caule procero, striato, frequentibus surculis brachiato: floribus venustis, cæruleis, rarò candidis: semine albo: radice longa, candida. Endiuia est & Scariola Officinarum Lobelio. Intubum satiuum angustifolium folia fert longa, angusta, aliquando per oras parum crenata, caulem rotundum, flores cæruleos, superiori similes, radicem candidam, lōgam, succosam. Intubum siluestre latifolium, quam serida satiuam latioribus foliis, & cichorium domesticum Matthiolus vocat, seridis siluestris speciē statuens, Intubo satiuo latifolio similimum est, radice longa fibrata, foliis longis, latis, caule magno, ramusculis brachiato, pulchris & cæruleis, rariùs candidis floribus ornato. Seris est satiua Penæ & Lobellij. Intubum siluestre angustifolium, quod ille cichorium siluestre vocat, foliis est longis, in ambitu valde laciniatis, angustioribus, asperioribus, & amarioribus, & ob id ipsum picris appellatum. Seris est siluestris

Ambubeia

Ambubeia Penæ & Lobelli;.Hortensis Intubi tertium genus additur,quod crispũ cognominatur, in acetariis expetitum,amplo folioso; cespite proueniens, foliis magnis,toto ambitu crispis,ac fimbriatis:caule cæteris maiore, crassiore ac teneriore,reliqua cum cæteris habet paria.Intuba media æstate florent, deinde semen ferunt.Olitores hyeme instante terra & sabulo in hortis obruunt:quoniam hoc artificio albescunt,tenerrima euadunt,& in totam hyemẽ asseruãtur,artem hanc à natura edocti,quod viderint sæpius in campestribus cichorium aquarum inundationibus terra vel arena obrutum, & tenerrimum, & candidissimum redditum, deposita omni amaritudine. Huius oleris multæ sunt, eæq; permagnæ vtilitates. Vtraque seris, inquit, Dioscorides, refrigerat & adstringit,stomacho vtilissimaaluum sistit cocta si cũ aceto assumatur.Siluestres stomacho meliores, quandoquidem æstuantem ipsum,& quem imbecillitas vexat, cibo leniunt. Cardiacis per se, aut cum polenta vtiliter illinuntur:podagris & oculorum inflammationibus auxilio sunt. Herba cum radice illita percussis à scorpione subuenit: igni sacro cum polenta medetur. Succus: cũ ceruſa & aceto valet ad illitus eorũ quæ refrigerationẽ desiderant. De seride eadẽ ferè Plinius. Vtraque stomacho vtilissima, præcipuè quem humor vexat.Cum aceto in cibo refrigerant, vel illitæ, discutiuntq; vel alios morbos quàm stomachi. Cum polenta siluestrium ra-

Matth.li.2. Dioscor.c. 125.

Tempus.

Vires & Temper. Lib.2.c.125.

Lib.20.c.8.

INTVBVM Siluest.Latifol. Cichorium satiuum Matth. Seris satiua Lobellij.

INTVBVM Siluest.angust.Matth.

INTVBVM Crispum.

dices ſtomachi cauſa ſorbentur,& cardiacis illinuntur ſuper mammã ſiniſtrã, ex aceto.Omnes eæ & podagris vtiles, & ſanguinem reiicientibus. Itẽ quibus genitura fluit,alterno dierũ potu.At de Intubis & cichorio.Intubi quoque non extra remedia ſunt.Succus eorum cum roſaceo & aceto,capitis dolores lenit. Idem cũ vino potus iocinoribus,& veſicæ,& epiphoris imponitur.Et mox, Cichoriũ refrigerat in cibo ſumptum:& illitum,collectiones, ſuccuſq; decocti ventrẽ ſoluit: iocinori,& renibus,& ſtomacho prodeſt.Et paullo poſt.Quod quidẽ propter ſingularem ſalubritatẽ aliqui Chreſton appellant,alij pancration:Galenus.Seris olus eſt ſubamarũ,& magis quod agreſte eſt,quod ob hoc ipſum picrida quidã nuncupant,quidã cichorium.Eſt autem ſiccæ frigidæq; temperaturæ, vtrũque ſecundo exceſſu.Porrò domeſtica magis etiã refrigerat quàm agreſtis. Sed & humiditatis multæ admiſtio ſiccitatem extinguit.Verũ vtraque adſtringentis facultatis eſt particeps.Et alio in loco.Cichoria & ſeris cibarij generis ſunt:nam apud nos ruſtici hæc edunt & cruda,& cocta.Vtitur etiã iis Eraſiſtratus abunde in affectionũ circa aluũ curatione.Facultas horũ olerũ ſubfrigida eſt, & ſubamara, ac modicè adſtringens.Et propter has facultates optima ſunt pharmaca calidis intẽperaturis hepatis: nam præterquam quòd moderatè refrigerant, robur etiam viſceri addũt per adſtringentem facultatem. Præterea commiſſuras oſculorum venarũ in ſima viſceris parte ad eas quæ in gibba ſunt,extergens. Neque verò frigidas intemperies magnopere lædunt, quemadmodum quæ frigidam humiditatem abſque adſtrictione aut amaritudine habent,facere ſolent:luuare etiã viſcus talium olerum ſubſtantia poteſt, etiamſi citra ſeroſorum aut aliorum humorum vitiationem intemperies fiat per ſe, & cum humiditatis cuiuſcumque complexu : mixtura enim mellis humiditatem per vrinam educunt: Quapropter etiamſi ſiccata tuſa quis potioni inſpergat, itidẽ iuuant. Quin & eorum decoctum potatũ multũ cõmodi adfert.Si verò non calida aliqua intemperies infeſtet,aut ſi obturatio quædam ſit circa viſcus magnopere auxiliantur ex vino albo, tenui potata, cum hisquæ vrinam ciunt. Vtilis autẽ non ſolum ſuccus ipſorum eſt,tum recens, tum exſiccatus, ſed & ipſa olera exſiccata,tuſaq; ac trita potui inſperſa, & eorũ decoctum in potu acceptum auxiliãtur.Hæc Galenus. Matthiolus acerbè inuehitur in perniciosam ſeplaſiaſiorum multorum ignorantiã atque ignauiã, qui cũ horti omnes Intybo latifolio lactucę ſimili,quæ vera endiuia eſt,vt diximus,& cãpi cichorio ſcateant, loco tamẽ endiuiæ modò hieraciũ, modò lactucã ſilueſtrẽ ſupra deſcriptã ſucco lacteo manantẽ vſurpãt,atque ex his aquã plumbeis organis eliciũt,quã aquã endiuiæ falſo vocãt.Quæ duę plãtæ quãuis frigida vi præditæ ſint,tamẽ nihil iis ineſt,quod iecori peculiariter prodeſſe tãtopere poſsit:earumq; ſuccus lacteus, quo potiſsimũ tẽpore eo refertæ ſunt,quibuſdã ſuis partibus adeo calidus eſt,vt linguã vellicet,quibuſdã adeo ſomnificus, vt nõ deſint,teſte Dioſcoride,qui illũ meconio permiſceãt.At Matthiolo gnauiter ſeſe opponũt Lobellius & Pena,qui lactucam ſilueſtrẽ illius prorſus reſpuũt,& Seridẽ domeſticã alterã Dioſcoridis,amarã & anguſtifoliã eſſe cõtendunt,vt diximus capite de lactuca,rectęq; à patribus noſtris pro endiuia vſurpatã,neque calore immodico,neque amarore nocere, cum eius amaror nõ ſit à calido,aut certe nõ calidus:quemadmodũ opiũ,meconiũ,papauer,lactucã,mandragorã,& quædã alia calida eſſe nõ dicimus,quia amara ſunt, cum multũ ſint frigida.Quare noſtri illi patres doctiſsimi,quamuis barbari, tum ratione tum experientia freti,rectè ſyrupis immiſcuerunt, & ſtillatitias aquas ex ea elicuerunt, quod decocto, ſucco, ſtillatitia, ad intemperies obſtructioneſque hepatis & primarum venarum, & ad mare rationes rhabarbari & ſimilium medicamentorum vtiliorem eſſe deprehendiſſet: quia cum tenuiore ſit, & minus excrementitio humido, & amaro, melius abſtergit & aperit, tum

Li.8.ſimp.

Li.8.comph.loc.c.8.

Lib.2.c.150.

tum etiam intima rerum macerandarum altius permeat. Rectè igitur Dioſcorides docet Serides ſilueſtres ſtomacho vtiliores eſſe, nimirum æſtuantem ipſum, & quem imbecillitas vexet, cibo lenire: foris etiam admotas prodeſſe. In libro 2. Dioſ. c. 115.
Sunt præterea cichoriacei generis plantæ duæ à Matthiolo poſitæ, primã Zacintham, quidã ex Zacintho inſula in qua naſcitur, ille ab effectu cichorium Verrucarium nominauit. Radice nititur rapunculi figura, ſubnigricante, adnatis circumquaque capillaceis fibris. Folia habet cichorij, ſed aſperiora paullo, caules cubitales, quandoque maiores, tenues, aſperiuſculos, in quorum faſtigiis flores prodeunt aurei, cichoreacea ſpecie, quibus dilapſis ſemen oritur ſubnigrum, capituli inſtar, per longitudinem melo peponis modo ſtriatum. Mira eſt huius plantę ad tollendas verrucas vis atque efficacia. Affirmat enim Matthiolus ſcire ſe nonnullos, quorum manus verrucis ſcatebant, ab iis planè liberatos fuiſſe, deuoratis ſemel tantùm in acetario huiuſce plantæ foliis. Idem præſtat eius ſemen tribus diebus drachmæ pondere deuoratum, dum cubitum eunt verrucoſi. Hæc accepta refert Matthiolus Franciſco Calzolãrio pharmacopæo Veronenſi, qui plantam hanc ad eum cum facultatibus miſit. Chondrillam vel cichorium ſilueſtre vocat Pena, aſſeritque in Italia non ſolùm in Zacyntho oriri, negat hanc ſemel voratam delere verrucas, illitam verò poſſe, certum & commune illi eſſe ait cum plurimis, quarum ſucco exuruntur aut exſiccantur verrucarum radices. Alterum cichorij genus Conſtantinopoli allatum, ad eundem Matthiolum Vienna miſit Augerius de Busbeke Flander, radicibus numeroſis, velut in aſphodelo pendulis, ſiliquarum ferè rhaphani figura. Cuius imago ob rei nouitatem hic prætermittenda non fuit. At minimè nouum aut peregrinũ putat Pena. Dentem leonis Monſpelienſium vocat, & in Cenę, Hetturiæ, Ligurię, Galloprouinciæ & Narbonæ pratis, non parum copioſum prouenire aſſerit. Monſpelienſium Dentẽ leonis etiã vocat Lobellius, fortaſſe Chondrillam alteram Dioſcoridis, Aſphodeli bulbulis. Rarum aliud cichorij genus addit Dalechampius, quod cichorium bulboſum vocat, de quo in libro de maritimis, dicemus. Nec minùs rarum, ſed ſimile & mirandæ facultatis Cichorij genus ad nos miſit Doctiſsimus Miconius Medicus Barcinonenſis, quod ſtrumoſum appellat. Naſcitur hæc herba in vmbroſis locis, & agrorum marginibus inter frutices, foliis digi-

ZACINTHA ſiue Cicho. Verrucoſum.

CICHORIVM Conſtantinopol. Matthioli.

VERRVCARIA Chondrilla prior.

CICHORIVM ſtrumoſum Myconij.

tum vnum latæ, quattuor longis, læuibus, viridibus, minimè per ambitum ſerratis, incertis ſpatiis eminentia quædam habentibus, ex pediculo emergentibus, quandoque multis, quandoque paucis, aliis per terram ſtratis, aliis rectis. Ea trita lacteum ſuccum emittunt, ſed pauciſsimum, horum ſapor ſubamarus eſt vt ſonchi. Flos ei eſt luteus, è ſuo calice emergens vt in ſoncho & conſimilibus, intus & per orbem foliolis luteis cinctus, ex cauliculo pendet, vt in Dente leonis, tandem in pappum deſinit. Radix tenuis eſt, per humum ſparſa, non admodum profunde ſe diffundens. Huius extremo radix quædam videtur adnata, aut prorſus aut ferme globoſa, interim candida, quandoque, ex cãdido in purpureum vergens, cortice tenui, pulpa intus candida, valde amara. Radicem iſtam globoſam ad ſtrumas curandas multum conferre ſe experimento didiciſſe Myconius aſſerit. Quinque aut ſex integræ cum melle ſumptę, multis diebus continuis mirum in modum proſunt. Eadem præſtat aqua earum ſtillatilia, vel decoctũ, ſed ineffi cacius: item conditum ex iis cum melle paratum admodum iuuat. Quare hanc plantam Myconius cichorium ſtrumoſum à forma & effectu nũcupauit. A foliorum forma cichorium, ſtrumoſum vero ab effectu & forma radicis, quæ ſtrumas refert, & ſanat. Quam ob cauſam Barcinone, vbi frequens oritur, Porcellanes vocant, quaſi dicas ſtrumoſam.

CICHOREACEA ALIA. CAP. XIIII.

Lib. hiſt. 7. cap. 7.

Ἄχανα, inquit Theophraſtus τὰ τοιαῦτα χολῶται, κιχώρη, ἀφάκη, ἀνδρύαλα, ὑποχοιρὶς, ἠερυγέρων, καὶ ὅλως ὅσα κιχωριώδη ταῦτα, διὰ τὴν ὁμοιότητα τῶν φύλλων: πάντα γὰρ πῶς ἐμφερῆ ἔχει τῷ κιχωρίῳ. Id eſt, olera hæc vocantur, cichorium, aphacæ, andryala, hypochœris, erigeron. Atque vniuerſe omnia cichoriacea, à ſimilitudine foliorum ſic dicta: omnia enim quodammodo cichorio ſimilia habent. At ſunt quæ non foliis ſolùm, ſed & radicibus, & floribus cichorio ſimilia ſunt: præterea lacteo ſucco plena ſunt, & cruda coctáve ſimiliter eduntur. Quorum multa cum hactenus ab herbariis non ſatis ſint explicata, nec ſuis diſtincta nominibus, atque ob id magna ex parte ignota,

Dale

Dalechampius ex Theophrasto & Plinio sic explicauit. Cichoreacea seu intubacea sunt, Picris, Apate, Aphaca, Apargia, Crepis, Hypochæris, Andriala seu Hedypnois, Thesion, Corchorus. Picris quæ amarago à Theodoro Latinè dicitur, herba est quæ in arenosis & macris locis prouenit, lacte referta, foliis hieracij, minoribus rotundioribus, humi iacentibus, cinereis, cauliculis breuibus, flore aureo, qui hyemis asperrimæ vel niuibus opertus, iniuriã sustinet, eoque tempore in nudis campis & gelu rigentibus conspicitur, tanta floreſcẽdi constantia, vt fere numquam flos ei desit, vt rectè scripserit Plinius & Theophrasto, eam toto anno florere, quod cum de cichorio erratico dici non possit, florem ante hyemem amittente, falluntur qui id cichorium Picridem esse putant. Radiculis multis nititur, & tenuibus. Tota planta gustu est amarissimo, vt vix aloë ipsa sit amarior, nomen etiam ei amaritudo imposuit. Sunt tamen qui ea cocta vescuntur vt cichorio. Tollit eximiè verrucas auctore Plinio. Matthiolus Dodonæus, Lobellius pro hieracio minore depinxere. Cum cichoriacea auctore Theophrasto germinent post Vergiliarum exortum, circa initia scilicet mensis Aprilis, apate, fraus, à Theodoro dicta longè tardiùs exit, Mayo videlicet, quod cum in ea herba cichoreacea quotannis vsu venire videmus, quam pro chondrilla maiore Dodonæus & Lonicerus monstrarunt, eam Theophrasti apaten esse iudicauit Dalechãpius. Gignitur ea frequentiùs in aruis pinguibus, & terrenis aggeribus, nonnumquam in siluis, radice longa alba, cichorio simili, multis fibris superne capilata, foliis longis ex albo cinereis altissimè incisis, proximè terrã multis: caule sesquipedali, nonnunquam altiore, tenui, in exiles ramulos diuiso, in quo pauciora folia: capitulis in summis caulibus rotundis: flore cum dehiscit cæruleo, cichorio simili, minore: nonnumquam luteo interdum puniceo, qualem in silua Vernacensi haud procul Lugduno (incolę, *le bois du Verneau* vocant) Dalechampius vidit. Theophrastus Apatẽ inter ἐπιγειόφυλλα, id est, quæ ab radice foliata sunt recensęt, Plinius inter ἐπικαυλόφυλλα, id est, quæ caule foliato sunt. Caule foliato est, inquit, & crepis & apate. Sed eo deceptus mihi Plinius videtur, quod apaten postremam τῶν ἐπιγειόφύλλων in Theophrasto, crepidi proxime sequenti, & primæ τῶν ἐπικαυλοφύλλων coniunxerit, tanquam etiam ἐπικαυλόφυλλον. Aphacen primis imbribus post æquinoctium germinare, & cito florere Theophrastus tradit, & eam ex æquinoctio nãsci Plinius, ex eodemque

Nomina
Locus.
Forma.

Li. 21. c. 17. Lib. 7. hist. cap. 11.

Lib. & cap. 22.
In libro 3. Dios. c. 63.
Lib. 7. hist. cap. 11.

Nomina

Lib. 5. c. 16.

Locus
Forma.

Lib. 7. hist. cap. 9.
Lib. 21. c. 16

Aphace.
Lib. 7. hist. cap 8.
Lib. 21. cap. 14.
Lib. 7. hist. cap. 11.

DICRIS Dalech. Hieracium Matth Dodon.

APATE Dal cham.

ÁPHACE *Dalechamp.*

ÁPARGIA *Dalech. Hieracium minus primum Dodonæi.*

Ibid. Lib.7. hist. cap.7. eodémque Theophrasto subinde marcescente flore emittere alium, tota hyeme, totóque vere vsque in æstatem. Amaram esse & in cibos non admitti idem Theophrastus prodidit, inter olera tamen reposuit. Hæc cum in cichoriacea plãta hic depicta perspicuè cernantur, aphacem esse indicauit Dalechampius, quam pro Hedypnoide, siue cichorio luteo depinxit Dodonæus. Nascitur in locis humidis & vliginosis, prope fossarum & lacunarum margines, radice pedali, succo lacteo referta, superne fibrata: foliis intubi siluestris, longioribus, latioribus, laciniatis: caule cubitali, multùm ramoso: flore luteo hedypnoidi simili, capitulis comante. Apargiam inter plantas ἐπιγειοφύλλους recenset Theophr. id est, quæ proximè terrã foliatæ sunt, qua nota cũ hæc à reliquis cichoriaceis discrepet, à Dalechampio pro Apargia depicta est, à Dodonæo pro hieracio minori primo cui subscribit Lobellius, qui Hieraciũ longius radicatum appellat. Prouenit in incultis ad oras pratorũ, & agrorum, in fossis circa prędia, & viis, radice longa, candida, gracili, multiplici: foliis humi iacentibus, ex atro viridibus, longis, laciniatis, hedypnoidi similibus: caulibus multis, palmum altis, subatris, nudis, læuibus, flore luteo, multiplici strue congesto, in pappos abeunte. Contrà Crepis ἐπιφυλλοχαύλους est Theophrasto, id est, in caule foliata, cuiusmodi cũ sit hæc planta, & eam seruato adhuc crepidis nomine *Crepalo* vocent Itali, & terra *crepalo*, crepidem esse Theophrasti

Lib.5.c.12. Locus. Forma.

CREPIS *Dalechamp.*

Apargia. Lib.7. hist. cap.9. Lib.5. c.14.

Locus. Forma.

Crepis. Lib.7. c.9.

phrasti indicant: Dalechampius. Nascitur sponte in aggeribus terrenis agri Mon *Locus.*
spelien sis, satu verò & cultu in hortis nostris. Radicem habet intubo similem, pa- *Forma.*
rum fibratam, candidam: caules multos, cubitales, foliatos: folia intubo similia sunt, cādidiora, minus insecta ac laciniata, succo lacteo manātia, gustatu suauia,

ANDRYALA maior.
Dalecham.

ANDRYALA minor.
Dalecham.

HYPOCHAERIS
Dalecham

licet nonnihil amara sint: flos luteus in pappos euanascens. Lobellius Italorum *Terracrepolo* vocat *Chondrillam* cæruleam cichorij siluestris laciniatis foliis. Andryalā inter oleracea & intubacea numerat Theophrastus. Eam arbitratur Dalechampius duplicem esse Fuchsij & Dodonæi sonchum. Alter est maior horridior & aculeatus, alter humilior, tenerior, & spinis carens. Vterque in hortis humidioribus prosilit inter olera, & in vliginosis agris, radice longa flauescente, multis fibris innixa: foliis longis, latis, per ambitum incisis, in maiore pungentibus, in altero minimè: caule anguloso, cauo, geniculato: flore luteo, hedypnoidi simili, minore, in pappos abeunte, qui Iunio mense prodit, & tota æstate durat. Hypochæris, inquit Theophrastus læuior est, & aspectu mitior, & dulcior, nec vt Chondrilla, quæ prorsus edendo nō est, & radice succum multum & acrem fundit. Hæc est planta quam ex Dalechampij sententia hîc depinximus, quam Gaza inepte Porcelliam vertit. Cæruleo flore cichorium refert, quare Dodo-

Andryla Lib. 7. hist. cap. 7. In hist. pl. cap. 261. Lib. 5. c. 13. *Locus.* *Forma.*

Hypochæris. Lib. 7. hist. cap. 11.

Lib. 5. c. 12. *Forma.*

næus

næus intubum siluestre & cichorium vocat. Foliorum laciniis chondrillam secundam imitatur. Gignitur in locis herbosis, humidis, & incultis, radice longa, candida, foliis angustis, longis, per ambitum incisis, pallidis, grato colore præter euntium oculos inuitantibus: caule cubitali, ramoso: flore cæruleo, æstate media vigente. In acetariis cocta apponitur cichorij modo, salubris & iucundi saporis non Ægyptiis tantùm, vt scribit Plinius, sed & aliis, vt Græcis præsertim, & Siculis, qui oleribus multis, quæ nos negligimus, valde delectantur. Siluestre genus cichorij alij Hedypnoida vocant, inquit Plinius, Officinæ Rostrum porcinum, Dentem leonis, Taraxacon, & dentem caninum, quidã Caput monachi. Matthiolus aphacen Theophrasti de qua diximus, esse putat. Anguillara *Chondrillam* Galeni. Hedypnoidis nusquam meminit Theophrastus. Tragus pro hiæracio exhibuit. Dodonæus pro Chondrilla altera. Galli *Pissenlict* appellãt, Germani *Pfaffenblat*. Prodit hæc planta statim ineunte vere, in pratis, gramineis campis, sepulchretis, sepibus, radice cichorio proxima, lacteo succo referta, sed amariore, exterius flauescente, intus candida, gracili, longa, parum capillata: foliis magna ex parte per humum sparsis, cichoriaceis, longis, vtrinque per ambitum laciniatis, pinguioribus, mollioribus, auersa parte nonnihil venosis, erubescentibus, in mucronem sagittæ crispidi similem desinẽtibus. Inter quę longi exoriuntur scapi rotundi, glabri, subrubentes, caui, lacteo succo pregnantes, in quorum verticibus flores emicant pulchri, lutei, multiplici foliolorũ ordine densi, qui cum deciderint succrescunt lanuginosa & papposa capitula, admirabile naturæ ludentis opus, quæ tandem à vento disipata in aërem auolant, remanentibus scaporum nudis, candidis & rotundis verticibus, raso monachorum capiti similibus, qua de causa caput monachi plantam hanc quidam appellarunt. Stomachum dissolutum adstringit cocta, inquit Plinius, crudáque sistit aluum. Et dysentericis prodest magis cum lente. Rupta & conuulsa vtroque genere iuuantur. Item quibus genitura valetudinis morbo effluat. Aprili mense floret. Est alterum prorsus huic simile plantæ genus, sed minus, nigrius, & radice succosa, non aliter quàm eius quæ morsus Diaboli vocatur. Thesion eam esse plantam Dalechampius arbitratur, quam Tragus endiuię, Lancerus lactucę siluestris nomine pinxerunt. Locis incultis & saxosis, propter

Lib.21.c.15. *HEDYPNOIS*
Dalechampij.

Nomina
Lib.20.c.8 Matth.in lib.2.Dios. cap.125. Ibid.

Lib.1. c.87. Lib.5. c.16. *Forma.*

THESION Dalechamp.
Endiuia Tragi.

Lib.20.c.8.

Thesion.

Lib.1.c.87. *Locus.*

pter muros & macerias, in frigidis & vmbrosis locis reperitur, radice breui, alba, fibrata: caule procero, rotundo, ramoso, foliolis linguam imitantibus ornato, reliqua folia lactucæ similia sunt, minimè incisa. Flos est luteus, qui tandem in pappos euanescit, vt in senecione: semen nigrum est. Ex tota planta succus lacteus amarissimus exprimi potest. Quam ob causam, opinor, picridi thesion Plinius subiunxit: sic enim cum de picride dixisset, Thesion quoque, inquit, non dissimili amaritudine est, sed purgat aluum, in quem vsum teritur ex aqua. Id quod ex Theophrasto mutuatus est, sic scribente, ἡ ὃ τοῦ θησίου ῥίζα τῇ μὲν γεύσει πικρὰ, τριβομένη ὃ κοιλίαι ὑποκαθαίρει. Athenæus thesij florem inter coronarias recenset ex Timarchide pœta. Corchorum oleraceis & intubaceis adnumerat Theophrastus, qui ob amaritudinem in prouerbio est, eiusque folium ocimum æmulatur, Plinius iis quæ sponte nascuntur, quibus pleræq; gentium vtuntur in cibis. Alio in loco corchorũ anagalida interpretatur, de qua hîc non agimus. Dalechampius corchorum esse suspicatur plantam eam, quam pro myosotide, id est, auricula muris maiore Tragus depinxit ac descripsit. Est enim valde amara, cocta tamen estur à quibusdam. Nascitur in vmbrosis nemoribus, interdum in veteribus muris soli nõ expositis radice breui, valde fibrata, plantaginis simili: foliis humi stratis octo vel nouem, ocimi maioris figura, in ambitu crenatis superne interdum maculis rubris conspersis, inferne plerúmque rubentibus, villosis: caule cubitali, rotundo, tenui, hirsuto, & foliis, & geniculis destituto. Flos in summitate caulis & surculorum luteus, multiplici foliorum ordine stipatus existit, hieracio similis, in pappos tandem euanescens, floret Iunio. Tota planta lacteo succo madet. Cum Theophrastus corchorum ocimi folio esse dixerit, mirum est Pliniũ ex alio fortasse auctore scripsisse corchorum herbam esse cõuolutis foliis ad similitudinem mori. Quare quidam legunt commaculatis foliis ad succi mori similitudinem, quod ex huius plantæ descriptione verum esse perspicitur. Illud vero silentio prætereundum non est, proximè terram ad caulis exortum inter folia saliuosum quendam humorem colligi, iuglandis magnitudine, rotundum, qui spatio temporis incanis, pilis obductus velut situ, muris effigiẽ representat. Corchorus, vt scribit Plinius, præcordiis, vt ferunt, vtilis, aloperiisque & lentigini. Bouum quoque scabiem celerrimè sana-

Forma. Li. & c. 22. Lib. 7. hist. cap. 11. Lib. 15. Lib. 7. hist. cap. 7 Lib. 20. c. 15. Lib. 25. c. 13. Lib. 1. c. 92. *Locus.* *Forma.* Lib. 21. c. 32. Lib. 21. c. 32. *Vires.*

CORCHORVS Dalechampij.

CORCHOROS Lobel.

ri ea inuenio,apud Nicandrum quidem & ſerpentium morſus, antequam floreat.
Lib.1.c.92. Aqua eius ſtillatitia,auctore Trago, ad quaſuis internas & feruentes inflãmationes cordis,ſtomachi,hepatis,pota & foris impoſita facit. Chirurgi potiones vulneribus conferentes ex ea conficiunt, vino decoctam vulneratis propinantes, atque etiam foris admouentes.Succus expreſſus vtiliter auribus inſtillatur:nam punctiones earum & tinnitus tollit. Diuerſum prorſus Cercorum pinxit Lobelius, Molochiam Serapionis quorundam, foliis Ocimi in ſequipalmaribus & dodrantalibus cauliculis, floſculis iuxta pediculos luteis, ſemine in longis corniculis, Aſclepiadis gracilioribus.Ex Hiſpano ſemine alebat in penſilibus hortis Io.Brancion in Bergio,& Corcorum Plinij faciebat.

CHONDRILLA, CAP. XV.

Nomina Lib.& c.22 Lib.2 c.126 *Genera.* Dioſco. ibid. *Forma.*

Χονδρίλλη. Latinis Chondrilla, Plinio Chondrillon,& Chondrile, Arabibus *Candaret*, *Candaron*, ſeu *Amiron* dicitur. Aliqui, vt Dioſcorides tradit,cichorion,aliqui Serin appellauêre.Eius duo ſunt genera.Prior caules, flores,& folia habet cichorio ſimilia, qua ex cauſa nonnulli ſilueſtris intubi ſpeciem eſſe dixêre. Verùm tenuior tota eſt, nempe foliis,caule,floribus ac ſemine gracilioribus. In cuius ramulis gummi maſtiches ſimillimum,magnitudine fabæ inueniri ſolet, à quo tuberculo maſtichæ,aut nucleo thuris ſimili,quem chondrum Græci nominãt,nomen chondrilla ſortita eſt. Quamuis amarior ſit,non minùs quàm cichorium in acetaria admittitur. Naſci-

CHONDRILLA *prior, Matth.*

CHONDRILLA *altera, Matth.*

tur in locis cultis, & ſcrobium aggeribus, ſecuſque vias.Aliud chondrillæ genus folium fert oblongum,circumrotũm,humi ſparſum: caulem ſucco madentem lacteo,radice tenui,rotunda,læui,veieta,ſtaueſcente,ſuccoſa. A lactis vbertate, quo omni in parte, præſertim in radice redundat, ab Hetruſcis vulgò Lattaiuola vocatur,quam rura ſuis acetariis pro cichorio immiſcent. Naſcitur in cultis & lætis.

An hæc

CHONDRILLA rara purpurea, Lob.

An hæc Chondrilla rara sit Lobellij Chõdrilla purpurante flore? Belgis dicitur Crupina à vocabulo Cruppen, hoc est repere, quia semen manu contrectatum se subducit ac prorepit. Heturiæ, Syriæ, & agri Narbonẽsis collibus, non procul à Lupo monte plantula hæc non inelegans exit, ad Chondrillas referenda. Dodrantales & sesquipedales cauliculos & geniculatos erigit: flores purpurantes in capitulis ex squamulis compactis. Semen laceæ aut Cartami silvestris nigrum, nitidum, pellucidum, deciduũ. Prior chondrilla cum radicibus tusa adiecto melle, diuiditur in pastillos qui nitro admisti vitiligines emaculãt. Gummi cum myrrha tritum, & linteo appositum instar oliuæ fœminarum menses trahit, inordinatos pilos replicat. Quod item tenera radix efficit, si intincta succo acus pilis admoueatur. Contra viperas in vino pota proficit. Succus decoctæ in vino, aut per se potus aluum sistit. Alterius chondrillæ caulis & folia concoquendi vim habent. Succus incommodos palpebrarum pilos reflectit. Galenus de seride tractans, chondrillam seridis speciem esse scribit, & adstringentis esse facultatis. Ac vt Dioscorides, & cichorium & serin appellari tradit, ita & Galenus hanc serin etiam nominari, essẽque eiusdem ferè cum illa facultatis, nisi quod sapore amarior est chondrilla, ac præterea sicciore vi prædita. Idem tamen alibi. Lactucæ siluestre, inquit, simile olus est, quod chondrillam appellant, quæ citiùs in caulem assurgit, amaritudinémque habet magis perspicuam, & lentum quendam succum, albúmque, cuiusmodi est titimalorum succus, non tamen acer perinde vt ille: vtimúrque interdum ipso ad pilos in palpebris reglutinandos. Quo loco de secunda chondrillæ specie Dioscoridis loqui videtur Galenus. Hæ itaque species distinguendæ ex Dioscoride, tum vt internoscantur, tum vt in eorum vsu non facilè peccetur, quanquam haud periculosus error hic committi potest, cum facultatibus sint affines. Plinius vtramque speciem confundit, & quæ Dioscorides duabus, ipse vni attribuit. Chondrillon siue chondrile, inquit, folia habet intubi, circumrosis similia, caulem minus pedali, succo madentem amaro, radice fabæ simili, aliquando numerosa. Habet proximam terræ mastichen, tuberculo fabæ, quæ apposita fœminarum menses trahere dicitur. Tusa cum radicibus tota diuiditur in pastillos, contra serpentes argumento probabili. Siquidem mures agrestes læsi ab hac esse dicantur. Succus ex vino coctæ aluum sistit. Eadem palpebrarum pilos inordinatissimos pro gummi efficacissime regit. Dorotheus stomacho & concoctionibus vtilem carminibus suis pronuntiauit. Aliqui fœminis & oculis, generationiq; virorum contrariã putauere. Idem inter vulgares in cibo herbas chondrillam recenset. Et rursus, Chondrilla, inquit, amara est, & acri in radice succo. Clusius aliam chondrillam pictam dedit, & descripsit foliis latis cichorij modo diuisis, prorsus incauis, & densa tomentosaque lanugine obsitis: inter quæ caulis eminet pedalis aut amplior, rotundus, candidus, aliquot ramulis brachiatus, & foliis minoribus atque angustioribus, quibus atque etiam ipsis ramulis plerumque inhærent grumi fluescentes succi istic concreti. Flos extremis ramulis insidet luteus, in pappos eua-

Dioſco. Ibid. *Vires.*

Lib. 8. fim.

Lib. 2. Ali.

Lib. & ca. 22.

Lib. 21. c. 15.

Ibid. ca. 17.

Lib. 2. ſtir. Hiſpa. c. 65.

nescens:radix longa,nigricans, digiti minimi crassitudine.Tota planta incaua est, & succo prægnans,qui siccatus fulvescit, & acris est. Inuenitur in agro Salmanticēsi,locis incultis, & multis aliis Hispaniæ regionibus.Augusto floret, vel etiā serius.Nonnulli Hispani vocant *Yerua di S.Gayteria*,eiusque decoctum præmorsis à cane rabido vtiliter exhiberi credunt. Clusio plurimum ad primam Dioscoridis chondrillam accedere videtur. Hanc Lobellius Verrucariam Chondrillam appellat,à canaliculatis seminum capitulis clauam exprimentibu, *Mazza di cauallero*,& *Mazza ferrata* Italicè dictam, à Matthiolo zacintham: quamquam figuræ inter sese differant.Conspicitur in eodem agro Salmanticēsi post messes in aruis Chondrillæ genus vimineum,planè longis lentisque & flexilibus virgis,candicantibus, sesquicubitalibus & tactu viscidis,multis exiguis foliolis secundum longitudinem nascentibus, quæ secundum radicem initio maiora sunt, cichorij fere incisura, postea flaccescunt:extremi rami flosculum exiguum, luteum, & in pappos euanescentem gerunt:radix oblonga est, lacte manans, vt & reliqua planta. Floret quo superior tempore. Salmanticenses Iunquiera vocant, & ex ea scopas conficiunt, pueri viscum ex eius radice cum nigro melle conficiunt,ad carduelles aliasque auiculas capiendas idoneum. Hanc chondrillam eandem esse puto, quæ à Pena

CHONDRILLA prior, Clusij.

CONDRILLA vimínea viscosa, Pena.

Chondrilla viminea viscosa vinearum dicitur. Nam radix vniuersaque planta,inquit,lacte turget, & viscida est tactui,creberrimis vimineis viticulis, flexu mollibus,candidis,rectis,confertis assurgit,duorum cubitorum altitudine, folia in imo cichorij aut cyani incisura,sed valde exilia & tenera,reliqua foliola secundum viticulorum longitudinem certis & æquis distincta interuallis, ad fastigium vsque porriguntur, speciemque virgarum viridi albóque variegatarum præbent:summis viticulis insunt,flosculi lutei in pappos dehiscentes.Chondrilla hæc visu pulcherrima, plurima Iunio & Iulio floret cis Pontem Castrinoui à Mompelio vix sesquimiliare,cuius hæc datur pictura.

HIERA

HIERACIVM. CAP. XVI.

QVOD ἱεράκιον Græcis ſimiliter Latinis Hieracium dicitur, id eſt, Accipitrina, Gallicè Herbe *d'eſperuier*, quod accipitres aues, Græcis ἱέρακες, huius herbæ ſucco oculorum aciem acuere dicuntur. Hieracij genera duo facit Dioſcorides, magnum & paruum, quibus adiecit Dalechampius hieracium μικρόκαυλον. At hieracium quidem minus Matthioli, picrida Theophraſti ex Dalechampij ſententia eſſe diximus. Hieracium autem magnum *Nomina*

Genera. Lib. 3. c. 63. Ibid.

HIERACIVM magnum Dalechamp.

HIERACIVM minus Dalech. maius Matth.

Dioſcoridis, caulem emittit aſperum & ſpinoſum, ſubrubrum, cauum: folia ex interuallis rariuſcule diuiſa, ſimilia ſoncho per ambitum, luteos flores in oblongis capitulis. Hieracium maius id eſt, Matthiolo & Dodonæo, quod hîc Hieracij minoris nomine pinximus. Minus Hieraciũ Matthioli & Dodonæi paullo ante Picridis nomine exhibuimus. Aliud verò hieraciũ magnum profert hîc Dalechampius, quod radicem habet reliquis hieraciis ſimilem, ſed craſsiorem: folia circa radicem magna, ampla, ſinuoſa, in medio caule quaterna, quináve eum amplexantia. Caulis cubito altior eſt, ſtriatus: flos in eius vertice luteus, tragopogoni ſimilis, amplior in lanuginẽ euaneſcens, non vt in reliquis id genus plantis candidam, ſed è rufo nonnihil rubeſcentẽ. Lacteo ſucco tota planta manat. In pinguibus & apricis locis naſcitur. Quod autem hieracium maius Matthiolus exhibuit, pro hieracio minore ex Dalechampio hîc proponimus: folia enim ex interuallis habet, diuiſa in ambitu, cauliculos teneros, virentes, in quibus lutei flores orbem circinantes emicant. Eiuſdẽ hieracium μικρόκαυλον à caulium longitudine cognominatum eſt. Radice nititur craſſa, in fibras multas diuiſa: caule eſt cubito maiore, ſubrubro, rotundo, villoſo, media ſui parte foliato: foliis multis, vna ſtipatis, oblongis: flore & in caulis vertice, & medio, qua filia cumulata exeunt, luteo in oblongis capitulis, tandem in pappos auolante. Tota planta lacteum ſuccum fundit. *Forma.*

Locus. In lib. 3. Dioſc. c. 63.

HIERACIVM Macrocaulon, Dalechamp.

HIERACIVM Sabaudum Pen. & Lobell.

HIERARCIVM Narbonenſe falcata ſiliqua, Lob.

Inhumectis, pinguibus,& opacis gignitur. Lobellius duo alia Hieracia pinxit. Prius Sabaudum nominat: Pena montanum, foliis & laciniis Chondrillæ cæruleæ altius inciſis, viridibus,in caule flaccido, molli,glabro:flore Dentis leonis, aliquanto minore: radicé Tragopogonis. Alterum Narbonenſe falcata ſiliqua calendulæ ſemen & pedem alaudæ exprimente.Notiſsimum eſt Monſpelienſibus, vbi inter ſegetes, & in agrorum marginibus Bontoneto finitimis luxuriat, foliis oblongis Hieracij,vel chondrillæ marinæ: gracilibus alis, multis diuiſis cauliculis , & floribus luteolis lampſanæ ſimilibus: ſemen in falcatis paruum,calendulæ ritu exilibus corniculis radiatim ab vno pediculo aptis, alaudæ, cancri, vel aranei pedes referentibus. Vtrumque Hieracium, vt ſcribit Dioſcorides, vim habet refrigerandi, & modicè ſubadſtringendi. Vnde illitum ſtomacho æſtuanti inflammationibúſque prodeſt. Succus eroſionem ſtomachi ſorbitione mitigat. Herba cũ radice illita vibratis à ſcorpione ictibus auxiliatur. Galenus Hieracium in ſimpliciũ cenſu præteriit,ita etiã Paulus & Aetius,

Lib.3.c.69. *Vires & Temper.*

Lib.20.c.7. ſub lactucæ aut intubi generibus id comprehendentes:Plinius de lactucæ ſponte naſcentis generibus tractans.Ex his,inquit,rotunda folia & breuia habẽtem, ſunt qui Hieraciam vocent:quoniam accipitres ſcalpendo eam, ſuccóque oculos tingendo

gendo obſcuritatem cum ſenſere diſcutiant. Quare non ſine ratione Cordus exiſtimat Dioſcoridem libro tertio inter vmbelliferas plantas Hieracia non deſcripſiſſe: cum enim ſint oleraceæ & intubaceæ plantæ, eas libro ſecundo, vbi de lactuca & intubo agitur, deſcribi oportuit. In lib. 3. Dioſc. c. 72.

SONCHVS. CAP. XVII.

Ὄγχος Græcis dicitur, ſic & Latinis Sonchus, ἀπὸ τῦ σῶον χέφι, id eſt, quod ſalubrem fundat ſuccum. Cicerbitam à Romanis vocari, quo vocabulo etiam hodie Hetruria vtitur, in quibuſdam Dioſcoridis exemplaribus legitur. Sed id nomen recens Dioſcoridi attributum putat Ruellius, cum nuſquã à Latinis vſurpatum inueniatur. A recentioribus etiam lactucella, eademq; fortaſſe quæ ab Apuleio lactuca leporina nominatur, quod cum leporem animus deficit æſtu, hac ſibi ſolet mederi, Galli *Laictterons* à lactis copia nominant, & leporis palatum, *Palais au lieure* quòd hoc animal vt ab æſtu vindicetur, & caloris propulſet incommoda, ſoleat ſub ramis eius decumbere. Sonchi genera duo agnoſcunt Herbarij omnes. Silueſtrius quoddam, & magis ſpinis horrens. Alterum tenerius, cibis expetitum. Plinius item duo, album & nigrum, ambo ſpinoſa. Galenus ait Sonchum vbi adoleuerit ex ſpinoſis plantis eſſe. Theophraſtus quoque inter ſpinoſas & aculeatas plantas Sonchum retulit. Dioſcorides verò cum duo Sõchi genera, quæ primùm diximus, fecerit deſcripſeritque, in fine capitis ſubiungit. Alter Sonchus tenerior arboris inſtar laxis conſtans foliis, caulem in ramos exeuntem folia diſtinguunt. Quod tertium genus ſcribit Matthiolus in vtraque editione ſuorum in Dioſcor. commentariorum non ſolum non inueniri in Italia, in qua non meminit ſe vidiſſe plantam, quæ Sonchum arboreſcentem referat, ſed etiam nihil de eo à Theophraſto, & Plinio literis mandatum. Idem tamen in ſecunda commentariorum editione Sonchum læuem alterum depinxit tantùm Corna-

Nomina

Lib. 1. c. 20.

Genera

Li. 8. ſimp. Lib. 7. hiſt. ca. 9. Li. 2. c. 124.

In lib. 2. Dioſc. c. 124

Embl. 117. li. 2. Dioſc.

SONCHVS *Lævis latifolius, Lobel.*

SONCHVS *Asperior, Lobellij.*

SONCHVS Lævis laciniatis foliis Lobel.

SONCHVS Lævis.

SONCHVS Asper Matthioli.

SONCHVS Lævis alter, Matth.

Embl.117. lib.2. Dioſ.

rius duo duntaxat Sonchi genera à Dioſcoride conſtitui putat, nec tertium accipiendum genus, de quo poſtremis verbis agat, velut antea de duobus locutus fuerit, ſed de priore quod agreſtius & ſpinoſius eſt, primùm agere: deinde in fine capitis de Soncho teneriore quiarborem refert. Lobellius alios, aut certe aliter pictos Sonchos exhibuit. Primum lævem teneriorē, latis foliis, leviuſculis per ambi-

tum

tum laciniis & ſpinalis, aſperis. Alterum aculeis aſperiorem, aut horridiuſculum, foliis anguſtioribus, laciniis amplioribus & ſpinis acutioribus. Tertium læuem foliis multum laciniatis, dentis leonis. Quartum læuem alterum, folio profundis lacinuis ſinuato, cuius ſummum hederæ folium refert, auerſa parte rubens, nullis ſpinis hirtum: flos endiuiæ ſilueſtris: caulis bicubitalis. Sonchus eſt læuis alter Matthioli. Sonchus latifolius Lobell. Sonchus aſper Lobellij. Sonchus læuis Lobellij vulgaris. Dalechampius tertium Sonchi genus arboreſcẽs protulit: item & aliud quorum Hiſtoriam eius iudicio hic aliis Sonchis ſubiunximus. Sonchus aſper & læuis caule cõſtant anguloſo, cubitali, intus cauo, mani, molli, fragili, lacte referto, & plerumq; rubeſcẽte: foliis in ambitu per interualla diſſectis, ſiue cichorij modo laciniatis, quæ quidem in aſpero criſpa, aſpera, & pungentia ac ſubrubeſcentia ſunt, in læui læuia, & ſine ſpinis. In caulium ſummitate flores ſunt lutei, Senecioni haud abſimiles, qui tandem in pappos euaneſcunt. *Forma.*

Hi Sonchi naſcuntur in hortis, campis & vineis. *Locus.*

Vtriuſque vis refrigerat, inquit Dioſcorides, modicè adſtringit, æſtuanti ſtomacho, & inflammationibus illiti proſunt. Succus eorũ ſtomachi roſiones ſorbitione mitigat: lac elicit, in vellere appoſitus ſedis ac vuluæ collectionibus opitulatur. Tam herba quam radix illita vibratis à ſcorpione ictibus ſubuenit. *Ibidem. Vires & Temper.*

Galenus de Sonchi viribus hæc ſcripſit. Sonchus vbi adoleuerit, ex ſpinoſis plantis eſt. Cæterum viridis etiámnum & tener eſtur, perinde vt cætera olera ſilueſtria. Temperamentum eius quodammodo miſtum eſt: conſtat enim ex aquea terreaq; ſubſtantia, vtraque læuiter frigida. Nam & adſtrictionis cuiuſdam eſt particeps, & ſiue cataplaſmatis modo illinatur, ſiue edatur, apertè refrigerat: poſtea verò quàm planè reſiccatus fuerit, terreſtre eius temperamentũ redditur, modicam habens caliditatẽ. *Li. 8 ſimp.*

Quæ præterea Plinius ſcripſerit, ſcire operæ prætiũ eſt. Eſtur & Sonchus, vt quẽ Theſeo apud Callimachũ apponat Hecale, vterque albus & niger, lactucæ ſimiles ambo, niſi ſpinoſi eſſent, caule cubitali, anguloſo, intus cauo, ſed qui fractus copioſo lacte manet. Albus cui eſt lactis nitor vtilis orthopnoicis, lactucarum modo (ex embammate addit Cornarius ex vetere Pliniano codice.) Eraſiſtratus calculos per vrinam pelli eo monſtrat, & oris graueolentiam commanducato corrigi. Succus trium cyathorum menſura in vino albo, & oleo calefactus adiuuat partus, ita vt à partu ambulent grauidæ. Datur & in ſorbitione. Ipſe caulis decoctus facit lactis abundantiam nutricibus, coloremq; meliorem infantium: vtiliſsimus iis quæ lac coire ſibi ſentiant. Inſtillatur auribus ſuccus, calidúſque in ſtrãguria bibitur cyathi menſura, & in ſtomachi roſionibus cum ſemine cucumeris nucleiſq; pineis. Illinitur & ſedis collectionibus. Bibitur contra ſerpentes ſcorpionéſque, radix verò illinitur. Eadem decocta cum oleo in Punici mali calice, auriũ morbis præſidium eſt. Hæc omnia ex albo. Cleomporus nigro prohibet veſci, vt morbos faciente, de albo conſentiens. Agathocles etiam contra ſanguinem tauri demonſtrat ſuccum eius. Refrigeratoriam tamẽ vim eſſe conuenit nigro, & hac cauſa imponendum cum polenta. Sic enim Cornarius ex eodem vetere codice. Soncho noſtri vtuntur hyeme in acetariis, inquit Matthiolus, præſertimq; eius radicibus, quæ cum teneræ ſint & dulces, menſis expetuntur. In vino decoctus ſtomachi fluxionibus medetur. Lacteus liquor è caule manans datur potandus ægrè ſpirantibus, & aſtmaticis. Idem auribus inſtillatus dolorem tollit, præſertim in mali corio cum oleo decoctus. *Ibid.*

Sonchus dendroides, ideſt, arboreſcens Dalechampij radicem habet craſſam, nigricantem, ex qua radiculæ multæ prodeunt: caules bicubitales, atque interdum altiores, teretes, foliis ſtipatos ſinuoſis, ſeu per oras ex interuallo inſectis, latis, quercui haud abſimilibus, lacte diffluentibus. Rami in caulibus nulli ſunt, ſed ab imo ſcapo ad ſummũ vſque

non

SONCHVS Dendroides, Dalechamp.



non procul à singulorum foliorum exortu, singuli nascuntur petioli, tenues, qui multos flores sustinent luteos, quales sunt aliorum Sonchorum, aut lactucæ, qui tandem in pappos abeunt. Hoc est tertiũ Sonchi genus, cuius capite extremo de Soncho Dioscoridem meminisse diximus. Sed hic scrupulum ac dubitationem rei herbariæ studiosis iniiciet Dioscorides Latinus, in quo sic legitur. Alter Sonchus tenerior arboris instar, latis cõstans foliis: caulem in ramos exeuntem folia distinguũt, cum dixerimus ramis nullis, sed foliis tantùm & floribus huius Sonchi caules ornari. Quem scrupulum eximent Græca quæ sic habent. ὁ δὲ ἕτερος σόγχος, ὁ δὲ τρυφερὸς, δενδρώδης ἐστὶ, καὶ πολλόφυλλος: τὰ δὲ φύλλα διέστηκε τὸν καυλόν. Quæ sic fideliùs conuertisset Ruellius. Alter Sonchus qui etiam tenerior, arboreſcit, & latis constat foliis: caulem folia distinguunt. In saxosis frigidorum montium cliuis prouenit hic Sonchus. Eadem præstat quæ & reliqua Sonchi genera.

SENETIO. CAP. XVIII.

Nomina

Lib. 7. hist. ca. 7.

GRæcis πρέσβυτον quod flores eius capillorum ritu vere canescant, Latinis Senetio dicitur, quibusdam vulgò Cardocello, aliis Speliciosa, Gallis *Seneſſon*, Germanis *Creutzwurtz*, Hispanis *Bonuaron*. Theophrastus Senetionem oleraceis & intubaceis adnumerauit. Is & Dioscorides vnius duntaxat Senetionis meminerunt. Recentiores iidémque rei herbariæ periti plura genera fecerunt. Quidam Iacobeam à quibusdam vocatam, Senetionem maiorem appellant. In qua etiam sententia est Matthiolus secunda cõmentariorum in Dioscoridem editione. Addunt his Senetionem marinum, Dalechampius Senetionem fœtidum. Dodonæus genera tria descripsit, Senetionem maiorem, huic similem minorem, tertium foliis longis & angustis, caule gracili, recto, ex fusco purpurascente, molli veluti lana vestito. In summitate flores in pallido lutei, statim atque dehiscunt cani fiunt. Hunc Theophrasti Senetionem esse arbitratur. Senetio Dioscoridis & veterum cauliculo est cubitali, subrubro: foliis cõtinuis, laciniatis, & per extremitates erucæ modo diuisis, sed minoribus: floribus luteis, qui celeriter dissecti vanescunt in pappos: radice superuacua. Nascitur passim in hortis, atque etiã super mœnia & in maceriis. Virescit toto anno, & quolibet fere mense floret. Ideo non desunt qui hunc Italico idiomate vocent *Fiore d'ogni mese*. Folia cũ floribus refrigerant, inquit Dioscorides. Quare illita cum vini modico, vel per se, testium, & sedis inflammationes sanant: quin & ex manna thuris medẽtur cum reliquis vulneribus, tum iis quæ nerui acceperunt. Illiti per se cum aceto pappi, idem munus præstant. Verùm recentes epoti strangulant. Totus caulis, si coctus in passo potui detur, stomachi dolores à bile contractos persanat. Senetionis breuiter meminit Galenus

Li. 4. Dios. c. 92.

Lib. 5. c. 17.

Genera.

Forma.

Locus

Matth. ibi. Lib. 4. c. 92.

Vires & Temper.

Li. 6. simp.

his

SENETIO Matth.

his verbis. Senetio facultatem mistam obtinet, simul refrigeratoriam, & modicè digerentem. Plinius de Senetione multas eásque diuersas sententias recensét, inter quas eam etiam quam ex Dioscoride proposuimus. Erigeron, inquit, à nostris vocatur Senetio. Hanc si sine ferro circúscriptam effodiat aliquis, tangatq; ea cer dentem, & alternis ter despuat, ac reponat in eundem locum, ita vt viuat herba, aiunt dentem eum postea non doliturũ. Herba est trixaginis specie ac mollitia, caulículis subrubicundis. Nascitur & in regulis & in muris. Nomen hoc Græci dederunt, quia vere canescit. Caput eius numerosè diuiditur, lanugine qualis est spinæ inter diuisuras exeunte. (Sic enim legit & distinguit Cornarius, cum in vulgatis exemplaribus exaratum sit, caput eius numerosa diuiditur lanugine, qualis est spinæ, inter diuisuras exeunte.) Quare eam Callimachus Acanthida appellat, alij pappũ. Nec deinde Græcis de ea constat. Alij erucæ foliis eam esse dixerunt, alij roboris, sed minoribus multo. Radice alij superuacua, alij neruis vtili, alij potu stranguláte. E diuerso quidam regio morbo cum vino dederunt, & contra omnia vesicæ vitia: item cordis & iocinoris. Renibus extrahere arenam dixere. Ischiadicis drachmam cum oxymelite ab ambulatione propinauere: torminibus quoque in passo vtilissimam. Præcordiis etiam cibo ex aceto eam prædicantes, serentesq; in hortis. Nec defuere, qui & alterum genus facerent, nec quale esset demonstrarent, contra serpentes in aqua bibendã, edendamq; comitialibus dantes. Nos eam Romanis experimentis per vsus digeremus. Lanugo eius cum croco & ex igno aquæ frigidæ trita, illinitur epiphoris. Tota cum mica salis strumis. Nec hoc solùm loco Plinius Romanis experimentis per vsus eam digerit, sed aliquanto post, Erigeron quoque cum farina thuris & vino dulci testium inflammationes sanat. Et rursus. Doloribus Erigeron ex aceto illinitur: quæ paulo aliter Dioscorides habet. Senetio maior quorundam, ab Herbariis vulgò Herba S. Iacobi, & S. Iacobi flos, & Iacobea nominatur, Gallicè *L'herbe S. Iaques*, Italicè *Carduncello maggiore*, Germanicè *S. Iacobs Bluom*, caulibus est longis, aliquando sesquicubitalibus, rubentibus, striatis, surculosis: foliis in ambitu laciniatis, erucæ siluestris æmulis, nigricantibus, gustu amaris, ante caulium exortum humi iacentibus: floribus luteis forma chamœmeli floribus haud dissimilibus, qui flaccescétes in papposam lanuginẽ euolant:

Lib. 25. c. 13.

Embl. 83. li. 4. Dioscor.

Li. 26. ca. 8.

Cap. 12.

Forma Iacobea.

SENETIO maior, siue flos S. Iacobi, Fuch.

SENETIO Maior, siue flos S. Iacobi. Matth.

Locus.

L.1.c.47.

Forma.

euolant: in medio semen est cinereũ : radix alba, & fibrata. Nascitur in agrorum marginibus, & aquarum ripis, lociſque arenosis. Iulio & Augusto mensibus floret. Amara est, & adstringit, ideoq; calidam & siccam esse constat. Recentiorum medicorum experientia cognitum est, herbam hanc vulneribus mirificè mederi, & ad interanea prodesse. Fistulas quoque iidem curare, & ne vltra serpant prohibere impositam tradũt. Aiunt alij huius succo gargarizato gutturis inflammationes & apostemata sanari. Eandem pinxit Lobellius nomine Iacobeæ Senetionis. De Senetione marino, siue Iacobæa marina Dodonæi diximus in libro de maritimis. Senetio fœtidus Dalechampij radice nititur palmum longa, lignosa, cõtorta, nigricante, fibrata: constat venusta foliorum coma ex atro virentium denso stipatu prodeuntium, Senetioni similium, elegantissimis incisuris diuisorum, vt acanthi speciem ob venustatem pictoribus sculptoribúsque magnopere celebratam vincant, tam pinguiũ, vt melle illita quispiam credere possit, & complicata, & sese mutuo contingentia vix separentur, sic tanquam eo glutinis lentore cohæresc unt, odore graui, qualis est scrophulariæ maioris, aut ebuli, vnde ei fœtidi cognomentum: caulæ pedem non excedente, supra folia parum extante, ac inter ea ferè abdito : flore Senetionis, luteo, in pappos abeunte. Quidam artemisiam fœtidam appellant, à quadam cum artemisiæ foliis similitudine. Sunt qui sideritim quartam à Plinio memoratam esse volunt, in maceriis nascentem, cum teritur fœtidi odoris. In macris, asperis, & frigidis locis luxuriat. Succum laudant ad vlcere maligna. Alia duo Senetionis genera Myconus dedit quæ hic depinximus. Prius herba est in saxis nascens, fruticosa, radice minima, in radiculas alias diuaricata, cauliculis multis, teretibus, lignosis, candicantibus, dodrantalibus, in quibus folia sunt minima, tenuia, rorismarini, sed tenuiora, superne viridia, inferne candida, quæ inæqualibus spatiis in caulibus oriuntur: in singulorum cauliculorũ cacumine modo bina, modo ternam, quandoque quaterna capitula emergunt pineæ nucis effigie, quæ tandem in pappos euanescunt. Trita manibus folia pini odorem referunt, mansa vero adstringentem saporem. Hanc ille Senetionem vocat, quod vt cætera Senetionis genera, facile canescat. At stœchadis citrinæ species potius videtur, de qua dicemus idoneo loco. Alterũ genus, herba est in quercetis, lociſque non admodũ siccis

SENETIO Fœtidus Dalechamp.

Lib.25.c.25.

Locus.

ſceis,ſed humidis,interdum & in pratis naſcens,cubitali altitudine, radicibus temidis, candibus, lignoſis, dulcibus, caule aliquantiſper piloſo, rotundo, cauo, medulla lanuginoſa farcto, in quo folia ſunt exigua, piloſa, in ambitu ſerrata, craſſa,aliquantulum viridia, infernè rubeſcentia, quæ quandoque colore vinoſo manus inficiunt.In caulis ſummitate flores ſunt lutei,in pappos protinus abeuntes. Sapor totius plantæ aqueus eſt,vt vulgaris Senetionis. Videtur genus eſſe Se-

SENETIONIS Genus,
Miconij.

SENETIONIS Species,
Dodonæi.

netionis à Plinio deſcriptum loco ſupra adducto, trixaginis ſpecie & mollitia, cauliculis ſubrotundis. Naſcitur in tegulis & in muris. Sic ea quam hìc damus, foliorum ſpecie trixaginem æmulatur,caulis & folia rubeſcunt,citò caneſcit, & flos in pappos abit. Quod in tegulis & muris oriatur,non repugnat: nam vulgaris Senetio etiam in montibus,& locis diuerſis reperitur. Aliam Senetionis ſpeciem protulit Dodonæus alio in loco,quæ tamen differt à Senetione maiore & minore,foliis maioribus, profundius inciſis, & ad cichorij folia accedentibus, caſules eius ramoſi, pedales,comantibus in ſummo floribus luteis, qui citiſsimè & caneſcunt, & in pappos abeunt, veluti Senetionis, cætera Senetioni æqualis. Fœtet herba nonnihil,vnde cichorium fœtidum à nonnullis vocatur. Hæc herba certè in cichoraceárum numero habenda, & talis quidem, inquit Dodon. qualis eſt Theophraſti Aphace cichoreacea, niſi quod hæc æſtate ſolum floret. Theophraſti vero Aphace tota hyeme,totóque vere. Hanc pinxit Lobellius nomine Erigeri tomentoſi. Foliis enim eſt tomentoſis, in calidis regionibus proueniens. Lib.purg. Apc.1.c.25.

BVGLOSSVM. CAP. XIX.

Nomina

BOυγλωσσον, & βόγλωσσος, Latinis etiam Bugloſſum, & lingua bouis, ſeu lingua bubula, nominatur, vulgò Borrago, Plinio Euphroſynon ab efficienda voluptate, vt dicetur, Arabibus *Leſen arthaur*, ſeu *Leſan althaur*, Gallis *Bugloſſe* & *Bourrache*, ſeu *Borrage*, Italis *Borragine*, Germanis *Borreſcht*, Hiſpanis *Borraia*. Leonicenus, Manardus, Ruellius, Fuchſius, Tragus, Cordus, Matthiolus, Marcel. Virgilius, Dodonæus, Cornarius, Pena & Lobellius, atque alij rei herbariæ periti, Bugloſſum veterum, eam proculdubio herbam eſſe putant, quam borraginem vocamus, non illam quæ vulgò bugloſſa nominatur, & cuius in officinis communis eſt vſus, neque id temerè, ac ſine iudicio. Primum

Li. 4. c. 124. deſcriptio bugloſsi à Dioſcoride tradita borragini ita conuenit, vt nulla prorſus nota ab illa diſcrepet. Bugloſſum, inquit, verbaſco ſimile eſt, folium in terra ſparſum, nigrius, aſperum, bubulas imitans linguas.

BORRAGO Bugloſſum verum.

De re ruſt. ca. 40.

Quis niſi plane amens ex ipſa inſpectione non iudicet Borraginem foliis eſſe verbaſco ſimilibus, nigrioribus tamen & aſperioribus? Nonne & folia Borraginis in terram inclinant, & bubulas linguas tum forma, tum aſperitate imitantur? Contra quæ Bugloſsi nomen in officinis ſibi falsò vendicauit, nonne folia habet oblonga echio ſimilia, non ita lata vt bubulas referant linguas? Ob id Cato ſurculum inſitum cum lingua bubula obtegere iubet, ſi pluat, ne aqua in librum permanet, nonne rotundiore & latiore potiùs folio, quale eſt Borraginis, quàm longiore & anguſtiore, quale eſt Bugloſſæ, ad contegendam rotundam inſitionem vti maluit? Præterea Bugloſſæ folia minùs in terram vergunt, quin potiùs ſurgunt, è toto ferme ceſpite ſurſum tendentia, nec aliqua ex parte verbaſcum referentia. Ad hæc Bugloſſæ folia modicè hirſuta ſunt, mollia, denique albicant, non nigricant. His accedit Auicennæ teſtimonium ſic ſcribentis. Lingua bouis eſt herba lata habens folia ſicut almaru, & ad tactum aſpera, & rami eius aſperi ſunt, ſicut pedes locuſtarum. Oportet autem vt illa adminiſtretur, quæ eſt in Coraſceri craſſa habens folia, ſuper quorum faciem ſunt puncta, quæ ſunt radices ſpinarum & pilorum exeuntium ab ea. Quibus verbis adeo perſpicuè Borraginẽ expreſsit Auicenna, vt facilè quiuis intelligat eam eſſe linguam bubulam, quam diligenter deſcripſit præter morem, quod ſuo quoq; tempore non deeſſent, qui veri Bugloſsi loco alia vterentur: quod declarat iis verbis quæ ſubiicit. Quæ autem in hac terra reperitur, & qua vtuntur medici, plurimum eius eſt genus almaru, & non eſt lingua bouis, & neque confert vt iuuamentum

Lib. 2. cauſ. ca. 436.

Li. de med. herb. illius eſt. Hæc Auicenna. Iam vero Apuleius Bugloſſum Corraginem à Lucanis appellari ſcribit, quod cordis affectibus quam maximè opitulentur, quæ primæ duntaxat literæ mutatione à Borragine diſtat. Cum igitur ex iis euidenter demonſtratum ſit Borraginem noſtram veterum eſſe Bugloſſum, in poſterum medici pharmacopœiq;, ſicubi Bugloſſum ab antiquis in medicamentorum compoſitiones adhibitum legerint, Borraginem noſtram, non vulgare Bugloſſum

vſurpent

vſurpent,vt iis vſuri quas debent vtilitates ex medicamentis capiant. Eſt igitur Borrago Bugloſſum latifolium Lobellij,perperam Lycopſis Anguillaræfoliis latis,oblongis aſperis,eminentibus vbique bullis, tenuiſsimis aculeis armatis , qui totam plantam hirſutam, atque rigidam reddunt:caule cubitali , & quandoque maiore,pingui,cauo,ſubrubente,aculeis vbique rigente, ramulis multis brachiato:floribus ſtellæ modo radiantibus,ſpecioſis,cærulei coloris,nigro è medio prominente apice:ſemine nigro & ſtriato:radice alba,tenera , pollicari craſsitudine, guſtu ſubdulci,& lento. Matthi. in li 4.Dioſc. ca.124. *Forma.*

Aliam Bugloſſam ſeu Borraginem ſcribit eſſe Cordus, quæ ſolo florum colore à ſuperiore differt : omnino enim candidos edit. Quid verò de vulgari noſtra Bugloſſa ſentiendum?Bugloſſum domeſticum ſeu hortenſe & ſatiuum Meſues eſſe Borraginem, ſilueſtre verò ſeu erraticum eſſe Bugloſſam vulgò dictam cenſuit in Meſuem Manardus. In eadem eſt ſententia Valer. Cordus.Matthiolus Borraginem & vulgarem Bùgloſſam ſpecie quidem & forma à ſeſe differre arbitratur,ſed iiſdem pollere viribus , eundémque vtriuſque ſaporem euidens facere eiuſdem facultatis iudicium:aut ſi eædem prorſus vires non ſint,certe proximas,& valde ſimiles eſſe:quin & facie non multum ea differre , ſi illud genus ſpectes,quod hodie ex Hiſpania allatum in hortis ſeritur , quod etſi verbaſcum non omni ex parte referat,quemadmodum Borrago,foliorum tamen figura bubulas linguas maximè imitatur. Lib.1.plan. ca.74. Ibidem. Li.de hiſt. plan. c.128. Fuchſius Bugloſſam vel linguam bouis Officinarum & Herbariorum, Cirſium Italicum vocat. Dodonæus eandem Bugloſſam domeſticam maiorem Officinarum,Cirſium Fuchſij, Bugloſſum magnum ſatiuum vocat & lycopſim. Lobellius & Pena Bugloſſum anguſtifolium. A Dodonæo diſsidet Matthiolus , ſicut & ab iis qui Bugloſſam vulgarem echij genus eſſe ſtatuunt,ſicut in Echio & Circio dicemus. Lib.1.ca.3.

BVGLOSSVM Vulgare.

Cæterùm bugloſſum vulgare folio eſt longiore quàm Borrago , hirſuto , molliùs aſpero:caule ſeſquicubitali , rotundo , hiſpido , ex quo rami exeunt ſurſum ſpectantes : flores edit purpureos, Borragine minores,è quibus nigrum oritur ſemen. Radix illi eſt Borraginí ſimilis omnino , ſed craſsiore, pinguioréque cortice. Bugloſſam longifoliam Cordus, Tragus Italicam appellat. Huius tria obſeruauit genera Matthiolus, hortenſe latioribus ac longioribus foliis , & ſilueſtris duplex genus. Vnum foliis latioribus , & floribus purpureis, alterum foliis anguſtioribus, & floribus nigricantibus. Dodonæus præter Bugloſſum ſatiuum quod diximus , alterum Bugloſſum minus reperiri in quibuſdam Germaniæ locis, & in Belgij hortis ſcribit, facítque anchuſæ genus.Lobellius, Bugloſſum minimum Echij facie appellat, radice & foliis anguſtifolij Bugloſsi,ſed exilioribus,Echij paribus. Flos ex rubello violaceo nitet. Semen Bugloſsi haud abſimile.Saporis,odoris & vſus non diſparis.Hæc Lobellius. Alterum Bugloſſum ſilueſtre, quod lycopſim ſilueſtrem ipſe appellat , ſeplaſiarij Bugloſſam ſilueſtrem.Bugloſſum ſatiuum minus,quod modo ex Lobellio deſcripſimus Bugloſſo maiori ſatiuo prorſus ſimile facit Dodonæus, caule, foliis hirſutis,aſperíſque & radice: niſi quod hæc omnia in iſto ſunt minora , cauliculi bre- Matth.ibi. Lib.1.plan. ca.45. Lib.1. c.77. Ibidem. Lib. 1.c.3.

BVGLOSSVM Siluestrè, Matthioli.

BVGLOSSVM Minus sativum, Dodonæi.

BVGLOSSVM Minus siluestre, Dodonæi.

Cap. 128.

uiores, folia minora, & angustiora, flores similes, minores, purpurei coloris, sed dilutioris: semen item simile, minus & nigrius. Id Fuchsius pro circio Germanico exhibet. Huic proximũ Buglossum siluestre, siue Lycopsis siluestris, sed foliis asperioribus, minoribus, angustis, flores similes, sed multo minores & cærulei, semen minutum & fuscum, radix longa & gracilis. Fuchsius id echium esse, ac pro eo depingere voluit. Hic non omittendum Buglossum semper virens Penæ, etiam in frigidissimis regionibus, Anglia, Antuerpia & reliquo Belgio, vbi plurimum & per oportune viget in hortis ad vsus medicos. Folia ei subrotunda, latifoliæ Borraginis, vti etiam caulis: radix situ, habitu, & muccagine consolidæ maioris: flores vero secus alas & folia prorsum angustifoliæ, eiusdem saporis & vtilitatis ad cordis, & melancholicos affectus. Huius plantæ Lobellius non meminit, sed alterius quam Symphytum pumilum repens Borraginis facie appellat, Borraginem minimam herbariorum, quæ alitur in hortis Belgij, foliis Borraginis aut pulmonariæ, minoribus: floſculis item in cæruleo purpureis Borraginis, sed radix pulla Vlmariæ aut caryophillatæ fibris implexa. Floret hyeme in pensilibus hortis, vere, etiam Augusto in hortis. Gustanti cum muccagine quandam acrimoniam exhibet, quod Borragini aut Buglosso negatum est.

Quænam

BVGLOSSVM Semper virens, Pena.

BORRAGO Minima Herbariorum.

Quænam sit hæc antiquis adhuc ignoramus. Hæc Lobellius, qui eandem aut persimilem vidisse se ait in horto Mutoni, cuius folia conspersa erant notulis pulmonariæ ritu. Sed quæ de Borragine & Bugloſſo dicenda superſunt persequamur. Borrago sponte nascitur in hortis omnibus, adeo vt inde haud facilè exturpari possit, & in sabulosis campestribúsque. Tota æstate floret. Borrago, auctore Dioscoride, in vinum iniecta animi voluptates auget. Cui subscribit Galenus sic scribens. Bugloſſum humidæ calidæq; temperiei est. Itaque vinis iniectum lætitiæ ac hilaritatis causa esse creditur. Sed & iis qui ob gutturis asperitatem tussiunt, coctum in melicrato conuenit. Et Paulus his verbis, Bugloſſum humidum est & calidum temperamento: quamobrem vino immissum lætitiam ac animi voluptates efficere dicitur. Plinius. Iungitur huic Bugloſſos, boum linguæ similis, cui præcipuum, quod in vinum deiecta animi voluptates auget, & vocatur euphrosynon. Quæ verò in quibusdam Dioscoridis exemplaribus reperiuntur, Bugloſſum nascitur in campestribus, &c. Deinde aiunt eam quæ tres thyrsos emittit, &c. Dioscoridis non sunt, sed planè suppositicia, tum ob dictionis dissimilitudinem, tum quod eadem in Plinio de Cynogloſſo leguntur. Iungitur & Cynogloſſos caninas imitans linguas, topiariis operibus gratissima. Aiúntque quæ tres thyrsos seminis emittat, eius radicem potam ex aqua ad tertianas prodesse, quæ quatuor ad quartanas. Quamquam etiam in Plinio simile quiddam habeatur de Bugloſſo: Bugloſſo inarescente si quis medullam è caule eximat, dicátque ad quem liberandum febre id faciat, & alliget ei septem folia ante accessionem aiunt à febre liberari. Quare illa ex Plinio, vel ex alio quouis Dioscoridi adiecta esse constat, nec in Aldino exemplari Græco reperiuntur, neque ea habet Ruellius in translatione sua, in qua hoc capitis exordium est. Bugloſſum verbasco simile est, &c. Bugloſſum vrinam cit, inquit Symeon Sethi, & sitim sedat. Caules eius cocti, & crudi comesti iecoris affectibus prosunt. A viatoribus ex eo conficitur

Tempus.

Li. 4. c. 124. *Vires & Temper.*

Li. 6. Simp. Lib. 7.

Li. 25. ca. 8.

Lib. 25. c. 8.

Lib. 26. c. 11.

Matth. ibi. zulapion,& est vtile. Vulgari Bugloſſo vt & Borragini vis ſane magna ineſt ad animi deliquium, atque alios cordis affectus, & ad melancholicos morbos, & præſertim eorum decoctum ex vino vel aqua. Trita vulgaris Bugloſsi radix ex aceto,& illita tribus diebus continuis ſcabioſos iuuat. Præſtat vtriuſque plantæ ſuccus hauſtus ad epota venena, & venenatorum animalium morſus. Stillatitia eorum aqua deliriis,quæ cum febre eueniunt mirificè auxiliatur. Præterea oculorum inflammationes mulcet tum ſumpta,tum impoſita.

CIRSIVM. CAP. XX.

Nomina

Li.4.c.114. *Forma.*

KIPΣION meliùs quàm vt quidam tranſpoſita vna litera legunt κρίσιον, Latinè etiam Cirſium dicitur,quod varices quos Græci κιρσοὺς vocant,ſanet à Romanis ſpina mollis. Cirſium,vt auctor eſt Dioſcorides,caulis eſt tener,duorum cubitorum,triangularis ab imo foliola roſæ ſpeciem referentia:anguli ſpinoſi,per interualla molles:folia Bugloſſo ſimilia,longiora,ſubcandida, modicè hirſuta, pattibus extremis aculeata: cacumen caulis orbiculatum,hiſpidum,in quo capitula in ſummo purpurea,quæ ſoluuntur in lanugines. Plinius iiſdem ferè verbis Cirſium deſcripſit. Cirſium cauliculus eſt tener, duorum cubitorum, triangulo ſimilis, foliis ſpinoſis circundatus: ſpinæ molles ſunt, folia bouis linguæ ſimilia,minora,ſubcandida, & in cacumine capitula purpurea, quæ ſoluuntur in lanugines. Ita Plinius à Dioſcoride nihil differt, niſi quod folia minora dixit, vt qui μικρότερα legat, quod hodie codices habent μακρότερα, ideſt,longiora. Ruellius & Fuchſius, atque alij recentiores multi nihil aliud Cirſium eſſe crediderunt, quàm vulgare Bugloſſum: quod cum grandius ſit, Bugloſſum magnum, ſiue Bugloſſum Italicum, ſiue Romanum vocant: quam ſententiam minimè probat Matthiolus:quia Bugloſſum caulem triangularem non habet, ſed rotundum, ab imo folia, per ambitum aculeata roſæ ſpeciem non referunt,ſed longa,& continua prodeunt. Denique Bugloſsi flores non vaneſcunt in pappos, ſed flacceſcentes integri decidunt, ſubnaſcente in folliculis ſemine. Plantam igitur à Clariſsimo medico Luca Ghino ad ſe miſſam, cuius figuram hic appoſuimus, pro Cirſio Matthiolus exhibet,quod ei Dioſcoridis deſcriptio maxime conuenire videatur: Naſcitur,vt ille ſcripſit,in vliginoſis locis. Radicem Cirſij loco laboranti adalligatam dolores varicum ſedare, Andræas ſcripſit referente Dioſcoride. Et hanc herbam, Plinius ait, radicémve eius adalligatam dolores varicum ſanare tradunt. Cirſium aliud deſcribit Dodonæus,quod & hic appinximus,foliis magnis,latis borraginis foliis maioribus, latioribuſque, ſpinis paruis opertis:caule anguloſo,tenero, fragili, circa cuius ſummum foliola multa ſunt congeſta, inter quæ carduus echinatus & rotundus prodit, flore purpureo in auras abeunte. Radix eſt craſſa & fibrata. Locis humidis, & circum aquas prouenit. Auguſto menſe floret, frigido ſiccóque eſt

Lib.27.c.8.

CIRSIVM, *Matth.*

Li. 4. Dioſ. c.114.

Locus.

Vires.

Ibidem.

Lib.4.ca.15. *Forma.*

Locus.

temper

CIRSIVM Dodonæi.

temperamento, & viribus ſoncho fere ſimile. Cirſium aliud duobus in locis pictum dedit idem Dodonæus, cuius folia ſunt oblonga, lactucæ fere ſimilia, verum acuminata, & per circunferentiam aculeata, candidiora vulgaris bugloſsi foliis: caules recti, bicubitales, in alas nonnullas diſcreti, in quorum ſingulis capitulum eminet hiſpidum, quod poſt floris vigorem deorſum reflexum nutat, tandémque in pappoſam lanuginem reſoluitur: flos purpureo rubet colore: ſemen ſplendet aliorum carduorum inſtar. In hortos aliunde illatum eſt. Fertur alicubi in maritimis exire. Id carduorum generibus adnumerat. Lonicerus & Fuchſius cirſium bugloſſum magnum, ſiue bugloſſum Italicum eſſe exiſtimant. Cui omnino ſimilem plantam quandam in Germania copioſè naſci tradunt, niſi quod minora omnia habet, cuius figuram hîc damus. Ob quam, cum cirſio ſeu bugloſſo Italico, vt illi putant, ſimilitudinem Cirſium Germanicum nominarunt. Scribit Lobellius in Belgij hortis plures Cirſij ex foliis & capitulis conſpici differentias, præter genera memorata. Vnicaules quaternûm & quinûm cubitorum, folia incana bugloſſo hortenſi anguſtifolio altero tanto maiora & longiora, oris & ambitu laciniatis & ſpinoſis, flores purpurei, ſinguli in ſingulis cymis pappoſi in duplo maiore ſquamulis loricato capitulo, minus ſpinulis horrido. Eius hæc eſt icon. Pinxit etiam Lobellius Cirſium Anglicum quod videtur Spinam albam adumbrare, ſpithameo caule & ſo-

Lib. pur. App. 1. cap. 22. & lib. de floribus

CIRSIVM Germanicum, Lonicери.

CIRSIVM aliud, Dodonæi.



CIRCIVM Anglicum. *CIRCIVM maius singularibus capitulis.*

liis circij,ad quod commode referri potest, flos singularis Cardui bulbosi. Radix Belliolis,aut Ellebori nigri modo fibratæ.Prouenit in pratis. Gustu præsicco, adstringente,moderatè calido.Hæc Lobellius.

MALVA. CAP. XXI.

Nomina Lib.10.c.21 Lib.10.

VT malua Latinis quasi molua quod aluum molliat, dicta est,auctore Varrone,ita Græcis μαλάχη ab emolliendo vētre,quia μαλάτ[illegible]ειν molire significat.Plinius mouorem, à Græcis molopen vocari in satiuis, alteram malachen scripsit. Athenæus μαλάχην Attice dici,in multis autem Antiphanis & Epicharmi exemplaribus μολόχην per ὁ, scriptum reperiri.

Genera. Arabicè *Chubeze* seu *Chubas* nominatur,Italicè *Malua*,Germanicè *Pappel*,Hispanicè *Maluas*,Gallicè *Mauue.* Maluæ multa sunt genera.Est enim malua κηπαία, id est,hortensis,siue satiua,& malua siluestris,non quæ in siluis,aut asperis locis, sed quæ in incultis sua sponte nascitur, quam χερσαίαν Dioscorides vocat,quæ vox incultam & inelaboratam terram significat,qualis in semitis, pratis,aliisque huiusce modi ruris & agri partibus est.Et siluestrem hanc maluam, vulgarē intelligimus, non althæam,nec alceam, de quibus postea dicemus. Hæc malua vulgaris in viis omnibus & areis prope vrbes luxuriat, caules multos edens teneros,flexiles,folia quāplurima,crassiuscula,ambitu nonnihil laciniata,circinata,viridātia:flores tota æstate fert particulatim purpureos, vel ex purpureo pallidos, deinde orbiculos in quibus semina,radix est longa,digitū æquans,lignosior.Maluæ differentiæ sunt alı

Genera. quot,ex florū figura,& vario colore.Alia enim rubras,alia candidas,alia in purpuras albicantes rosas producit.Et has rursus atq; illas vel simplici, vel multiplici foliorum textura constantes, quarum effigiem & pulchritudinem demirans vulgus Rosam transmarinam cœpit appellare, Gallice *Rose d'outremer.* Malua siluestris du-

Forma. plex : quædam enim altius attollitur,& fere arboreścit,quædam pumila est,& humi iacet. Malua hortensis quæ sæpe grandescit in arborem, radice est longa crassaque:caudice simplici,luxuriosæ proceritatis, baculi vsum præbente,rotundo:foliis amplis, per ambitū serratis, iis verò quæ in superiore caule sunt vulgaris mal-

uæ

uæ modo diuiſis, flores pulcherrimi, caulem à medio fere ad verticem vſque exornant, varij coloris, vt diximus, breui admodum pediculo dependentes, qui venuſtate roſis non cedunt, & ſi ſuppeteret odor, de principatu certarent. Primum capitula quædam breuibus innixa petiolis, & leuiter in mucronem faſtigiata è caule proſiliunt, iiſque paulatim intumeſcentibus prægnantia florum inuolucra fatiſcunt, in quibus dehiſcentes roſæ ſeſe pandunt, & explicantur in folia, interdum quinque interdum ſtructili quadam ſerie, vt diximus, numeroſa, calicibus apices paucos complexis, qui lutei medijs emicant, quibus decidentibus erumpunt purpurea ſtamina. His fœtus ſuccreſcit multipliciter tunicatus, atque in vmbilici formam numeroſo ſemine coagmentatus, in quibus cum decuſſa ſunt folia, reliquarum maluarum modo ſemina recluduntur. Hæc malua maior à Matthiolo, & iure quidem nominatur. Aliam maiorem maluam depinxit, caudice non ſimplici, ſed ſimiliter craſſo, rotundóque & egregiis floribus decorato, ex cuius inferiore parte folia exoriuntur longis pediculis nitentia, valde ampla, rugata, venoſa, per oras ſerrata, in profundas lacinias diuiſa, ſuperiore caudicum parte minora. Item tertiam, quæ aut eſt malua ſatiua lacinioſa Cordi, aut ab ea non multùm diſsidens. Caulem ſingularem erigit humana ſtatura plerunque proceriorem, numeroſis & cubitalibus adnatis ramoſum, modicè anguloſum, glabrum, intúſque anguſta concauitate per-

MALVA Vulgaris, Matth.

Lib. 2. Dioſcor. c. 111.

MALVA Maior I. Matth.

MALVA Maior II. Matth.

uium

MALVA maior tertia, Matthiol.

uium. Folia fert glabra, ſub ramulorum exortu ſingula, in quinas, ſenas, aut ſeptenas (non tamen profundius inciſas) per ambitum crebro lacinioſas, & infractas partes diuiſa, quæ verò in ſummis virgis folia ſunt, his magnitudine cedũt: flores per totam æſtatẽ ſecus folia fert multos, paruos, candidos, ex quinque foliis conſtantes, ſingulis multa ſuccedunt ſemina, in orbem mucroni cuidã velut centro circumpoſita quinque partito calice incidentia. Radice nititur pede longiore, ſingulari, candida, fibrata. Tota herba guſtum dulcem, lubricum & glutinoſum refert ſaporẽ. Malua hortẽſis in hortis ſata prouenit, quæ in tãtã magnitudinẽ accreſcit, vt iuſtę arboris formã adipiſcatur, & iam nec herba, nec frutex, ſed planè arbor dici debeat. Ob id δενδρομαλάχη Græcis dicta eſt, id eſt, malua arborea, quæ nihil aliud eſt quàm ſatiua, vt Matthiolus cenſet, cultorum diligentia & arte in tantam magnitudinem aſſurgens, quod Theophraſti auctoritate probat. Quædam cultu diuerſa efficiuntur, & à natura ſua diſcedunt, vt malua in altum accreſcens, & arboreſcens.

Lib. 1. hiſt. cap. 5.

Quod non longo fit tempore, ſed ſenis aut ſeptenis menſibus, vt longitudine craſsitudinéque haſtam æquet: quare baculi vſum prębet, tempore verò longiore maius quoque proportione fit incrementum. Plinius eadem fere prodidit. Tradunt auctores, in Arabia maluas ſeptimo menſe arboreſcere, baculi vſum præbere extemplò. Sed & arbor eſt malua in Mauritania Lixi oppidi æſtuario, vbi Heſperidũ horti fuiſſe produntur CC. paſſ. ab oceano, iuxta delubrum Herculis antiquius Gaditano, vt ferũt. Ipſa altitudinis pedum XX. craſsitudinis quam circumplecti nemo poſsit. At contra Pena malua ſilueſtri euenire putat quod filici, ſedo, arundini, atque aliis, vt etiam non cultæ arboream proceritatem, durationem & ramorum magnitudinem aſſequantur, aſſeritq; ſe in Cœnobio D. Spiritus prope Venetias, & aliis locis maritimis Thyrrhenæ oræ vidiſſe ſponte adultas. Perſicam arbuſculam æquantes altitudine & craſsitie ſtipitis, qui ramis ſparſis, frondis læuore, virore, imo toto flore, ſemine, & facie maluam teſtabantur, ſed craſsiorem totam & habitiorẽ, qualem Gallobelgiæ, Angliæ, & Germanię horti hodie colunt, quadriennium & quinquennium edurantem, lignoſiore prægrandi radice, & ſolido trunco, duritie lignea, ſenûm & octonûm cubitorum, facultate non diuerſa à malua vulgari, ſine vlla olitorum induſtria, vt ſolo natiuo duntaxat deberi hanc differentiam ex

Lib. 19. c. 4.

MALVA ſilueſtris Pumila, repens.

natali

MALVA silueſtris maior.

natalibus perſpicuum ſit.

Malua ſilueſtris maior ſeu altior rectũ erigit caulem, ſeſquicubitalẽ, minimi digiti craſsitudine teretem, raris pilis hirſutum, ſtatim à terra in ramos diuiſum, folia habet longis pediculis inſidentia, multum laciniata, ſerrata, fuſciora, minora & læuiora ſatiuarum foliis, flores æſtate fert ſecus ramos & folia, ſatiuarum floribus, qui ſimplici ſunt textura aut roſis ſilueſtribus ſimiles, quinquefolios, & in rufo candicantes, quibus in orbem diſpoſita ſuccedunt ſemina. Radice nititur pedali aut longiore, digiti craſsitudine, candida, & in partes diſtracta. Tota herba dulci eſt guſtu & glutinoſo. Naſcitur in aggeribus, hortorum areis, & circa rudera. Malua ſilueſtris minor ſeu pumila, quam ſupinam vocat Cordus, repentem Lobellius, caules per terram ſpargit cubitales, teretes, viridesque & ſolidos, in quibus folia ſunt in longis pediculis, minora, & non vt in ſuperiore laciniata, ſed rotunda, preterquam quod ab vna parte in profundum ſinum recedunt vſque ad pediculi adnexum, in ambitu ſerrata, pinguia, flores ſecus folia fert paruos, quinquefolios, alteri ſilueſtri maluæ ſimiles, minores tamen, in candido rubentes, quibus exigua ſuccedunt ſemina, in orbem diſpoſita, radice nititur longa, neruoſa, candida. Tota planta glutinoſum humorem emittit. Naſcitur circa hortos, pagos, & rudera. Non omittendę Maluæ Roſeæ ſiue Hyemales Roſeæ, à floris Roſei elegantia & ſimilitudine dictæ, partim althææ, partem maluis cognatæ: etenim foliorum & cauliculorum incana ſuperficie, molliore, mucroſaque radice althæam referunt, ambitu verò maluaceo & caule arboreſcentem maluam plene aſſequuntur, ſed althææ poſitu & modo oriuntur, quotannis etiam pereunt, radice denuo primo verè ſeſe propagante, culmóſque edente ternûm & quaternûm cubitorum. in quibus ſerotini prodeunt flores, videlicet Auguſto, magnitudine, effigie, elegantia roſam prouocantes, interdum ſimpliciores, interdum multiplices & conferta foliolorum ſtructili ſerie conſtantes, triplicis in hortis ſeptẽtrionalibus varietatis: ſæpe puniceo colore ſaturato, aliquando candido, interdum dilute rubente, aut vtriſque confuſis. Semen althææ ſimilius, ſed maius. Hæc ex Pena. Malua hortenſis Iulio & Auguſto menſibus floret: neque enim flos is vt in roſa fugax eſt, ſed diu vigor vitáque durat. Silueſtris pumila per totam æſtatem, & in maximam autumni partem durat. Arboreſcens Iunio & Iulio menſibus floribus

Lib. 2. plã. cap. 97.

Locus.

Tempus.

MALVA Roſea ſimpliciore flore, Lobellij.

MALVA Rosea multiplex, Lobellij.

bus quàm maximè abundat. Antiqui maluis cæterorum olerum modo vescebantur, subducendæ alui gratia. Vnde Martialis.

Exonerauras ventrem mihi villica maluas
Attulit, & varias quas habet hortus opes. Et
Vescere lactucis, & mollibus vtere malvis,
Nam faciem durum phœbe cacantis habes.

Lib. 2. c. 11. *Vires & Temper.*

Quare scripsit Dioscorides, Malua satiua esui longe aptior est siluestri, stomacho aduersatur, aluum iuuat, sed multò magis caules: interaneis & vesicæ vtilis. Cruda folia cum salis exiguo manducata ægilopas ex melle sanant, verùm cum cicatricem trahere cœperint, ea demum citra salem vtẽdum est. Contra aculeatos apum vesparúmque ictus illita efficax est: eadem cruda cum oleo trita peruncti non feriuntur: vlcera manantia in capite, furfuréſque cum vrina sanat. Sacris ignibus & ambustis decocta folia tritáque vtilissimè ex oleo imponuntur. Eius decoctum vuluas infestione mollit: prodest erosionibus vesicæ, & intestinorum, vuluæ, sediſq; clystere infusum. Ius decoctæ cum radice sua contra omnia venena auxiliatur, si continuò à bibentibus reuomatur. Contra phalangiorum morsus remedio est. Lac euocat. Semen in vino potum, addito loti siluestris semine vesicæ cruciatus lenit. De hac perspicuè differit Galenus his verbis. Quemadmodum θρίδακινη, quæ lactuca agrestis est, ab hortensi, ita malua agrestis à satiua differt. Plantæ enim congeneres eò inter se disident, quòd agrestis quidem siccitate, satiua verò humiditate superat. Porro succo maluæ lentor quidam inest, quod lactucæ non inest, à refrigerandóque abest perspicuè. Id quod etiam antequam edas intelliges, si vtrumque olus vicissim calido alicui affectui, vt eryſipelati cataplasmatis modo applicueris, quod etiam vulgò faciunt, tenera folia diligenter ad exactum læuorem conterentes. Sentries enim in hoc cataplasmate lactucam quidem manifestè refrigerare: maluam autem calorem quendam habere moderatũ ac tepidum. Cæterum hoc olus facile subducitur, non modò propter humiditatem, verùm etiam propter lentorem, & potissimùm quando quis cum oleo & garo copiosam ipsam sumpserit. Lib. 7. fin. Nutrit autem & ipsa mediocriter. Et rursus. Malua agrestis digerentis paululum & emollientis leuiter est facultatis. Hortensis quantò plus habet aquæ humiditatis, tanto facultate imbecillior est, fructus eius tanto validior est, quãto & siccior. Porrò, huius generis est quæ dendromalache nuncupatur, sed efficacissima comprehensarum in digerendo. Lib. 20. c. 21. Plinius diffusiùs virtutes maluarum explicat. In magnis laudibus malua est vtraque, inquit, & satiua & siluestris. Omne solum in quo seruntur pinguius faciunt. Huic contra omnes aculeatos ictus efficacior vis, præcipuè scorpionum, vesparum, similiúmque, & muris aranei. Quin & trita cum oleo qualibet earum peruncti ante, & habentes eas non feriuntur, folium impositum scorpionibus torporem adfert. Valent & contra venena. Aculeos omnes extrahunt illitæ crudæ cum nitro, potæ verò decoctę cum radice sua leporis marini venena restinguũt, &, vt quidã dicunt, si vomatur. De iisdem mira & alia traduntur. Sed maximè si quotidie quis succi ex qualibet earum sorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis carituram. Vlcera manantia in capite sanant cum vrina putrefactæ,

putrefactæ, lichenas & vlcera oris cum melle. Radix decocta furfures capitis & dentium mobilitates. Eius quæ vnum caulem habet radice circa dentem qui doleat punge,donec desinat dolor.Eadem strumas & parotidas panósque,addita hominis saliua purgat citra vulnus. Semen in vino nigro potum à pituita & nauseis liberat.Radix mammarum vitiis occurrit, adalligata in lana nigra. Tussim in lacte cocta,& sorbitionis modo sumpta,quinis diebus emendat. Stomacho inutiles Sextius niger dicit.Olimpias Thebana abortiuas esse cum adipe anseris. Alij purgari fœminas foliis earum manus plenæ mensura,in oleo & vino sumptis. Vtique constat parturientes foliis substratis celerius solui, protinus à partu reuocandum ne vulua sequatur. Dant & succum bibendum parturientibus ieiunis,in vino decocta hemina. Quin & semen tritum adalligant brachio,genitale non continentium. Adeóque ex veneri nascuntur,vt semen vnicaulis aspersum genitali fœminarum auiditates augere ad infinitũ Xenocrates tradat.Item tres radices iuxta adalligatas Tenesmo & dysentericis vtilissimè infundi. Item sedis vitiis, vel si foueãtur. Melancholicis quoque succus datur cyathis ternis tepidus, & insanientibus quaternis. Decoctæ comitialibus heminæ succi.Hic & calculosis,& inflatione,& torminibus,aut opisthotonico laborantibus tepidus illinitur. Et sacris ignibus, & ambustis decocta in oleum folia imponuntur:& ad vulnerum impetus cruda cum pane.Succus decoctæ neruis prodest,& vesicæ, & intestinorũ rosionibus. Vuluas & cibo & infusione emollit in oleo:succus decoctæ pori meatus suaues facit. Scribit Symeon Sethi,maluam ventriculum facile subire,non solùm propter humiditatem,verumetiam propter lentorem, atque imprimis si cum oleo & garo offeratur,vino quo editur tempore irrorata. Vesicam,thoracẽ,pulmonémque iuuare,& raucam vocem lenire. Siluestris malua,vt ferunt, comesta dolores ex vesparum ictu tollit.Si quis morsus à vespis aut apibus,succo maluæ prę sertim siluestris perungitur,confestim dolore leuatur. Dicitur etiam huius decoctum potum lapides conterere,somnum conciliare,facilémque partum præstare, si mulier ea crebrius vtatur. Illita inflammationes lenit,& quæ indurata sunt mollit. Illud maluæ peculiare est,vt vesparum & apum ictibus imposita,dolores leuet. Maluæ radix sicta, inquit Matthiolus,die vno in aqua macerata,deinde madida papyro circumuoluta & sub feruẽte cinere decocta, rursúsque siccata, vtiliter vsurpatur ad dentifricia: dentes enim affricta expurgat, & gypseam materiam exterit, foliorum & radicum decoctum gargarizatu exasperatas fauces lenit, muccago verò acrimonias emendat,feruefacta folia in cibum apposita raucedines expediũt,ex oleo, sale, & recente butyro aluum citant,fit è foliis cum salinis frondibus tritis præstantissimum emplastrum ad vulnerum,& quascumque alias inflammationes:valent eadem cum porris & cepis illita ad serpentium venenosorum morsus.Succus auribus instillatus dolorem sedat. Decocta vnà cum radice ad lentorem vsque datur potanda ægrè parturientibus magno eorum commodo. Id quod præstat succus selibræ pondere haustus.Semen ex vino nigro potum nauseam tollit. Caulículi molles cocti ex aceto eduntur oleo & sale, asparagorum modo prima statim mensa,ad ciendam aluum.Datur succus vtiliter,melancholicis sex vnciarum, insanientibus octo pondere,hauriendus. Denique malua ad plurima vtilis est,vt non immerito eam antiqui omnium orbicem appellauerint.

In libr. 2. Dioscor. cap. 111.

ALTHAEA. CAP. XXII.

QVÆ Græcis ἀλθαία, Latinè simpliciter Medica dici posset:sic enim nominata est διὰ τὸ πολυαλθὲς καὶ πολύχρηστον αὐτῆς auctore Dioscoride, id est, quod inter primas sit vtilis, & plurimis polleat remediis, ab ἀλθαίνειν quod mederi significat. Dicitur & ἰβίσκος, & ἐβίσκος, Latinè Althæa,Ibiscus seu Ebiscus,& ab excellẽtia effectus à quibusdam Aristalthæa,

Nomina Lib. 3. cap. 146.

Lib. 20. c. 21

Lib 9 hist. cap.15. Ibid. Lib.1.plan. c.47. inquit Plinius,à Theophrasto etiam μαλάχη ἀγρία, id est, malua siluestris: est enim, vt ait Dioscorides,in siluestrium maluarum genere. Et Plinius,è siluestribus,cui grande folium,& radices albæ,althæa vocatur. A Cordo malua palustris appellatur,Arabice *Chitini*, *Chatini*,*Chathmie* & Rosa *Zameni*, vulgò maluauiscus nominatur,nomine ex malua & ibisco cõposito,ab Italis *Maluauisco*, Officinis Bisimalua, Germanis *Ibisch*, & *Heyluurtz*, à Gallis *Guimauue*,quod glutinosa sit malua.Theophrastus althææ species duas constituere videtur:sic enim ille. Habet althæa folium maluæ,sed maius & hirsutius,caules molles,flores luteos,fructum veluti maluæ,radicem neruosam & albam,gustum quoque caulium maluæ.Vsus ad rupta & tusses in vino dulci, & ad vlcera in oleo. Aliam quamdam si cum carnibus coquas,in idem coniungere, & has quidem agglutinare,alias attrahere, lapidis magnetis modo & succini. De priore,cui luteos flores tribuit Thophrastus, mox dicemus,nũc de vulgari.Althææ, inquit Dioscorides,folia vt cyclamino rotunda,lanugine canescunt: flore rosaceo: bicubitali caule,radice lenta,intus alba.Sed totam sigillatim depingamus. Althæa caules emittit plerúmque bicubitales,rectos,minimi digiti crassitudine, rotundos,lanuginosos & solidos, foliis ex interuallis vsque ad summitatem vestitos, & longo petiolo dependentibus, ex rotundo in angulum exeuntibus,in ambitu serratis, tres quatuor've digitos latis,tactu mollibus,breui,densa,& veluti detonsa lanugine holoserico similibus:flores in summis caulibus profert maluę siluestris, aut rosarum siluestrium figura, paulo minores tamen,in candido rubescentes, quinque foliolis constantes,in quorũ medio paruum est nucamentum rubescens, semen habet latum,paruum in orbem centro cuidam circumpositum, quod cortice detracto nigricat. Radicibus nititur diuturnis, ab vno trunco exortis,cubitalibus, digiti crassitudine, foris subpallidis, intus cãdidis, neruosis, lentis,glutinosis,& dulcibus. Nascitur locis vliginosis & pinguibus,humẽtibus,& palustribus pratis,& in fossis. Floret Iulio & Augusto mensibus maluarum siluestrium more.Multiplicem eius in medendo vsum ac vtilitatem declarat Dioscorides his verbis. Decocta in vino aut aqua mulsa, aut per se pota efficax est contra vulnera:item ad strumas, parotidas, abscessus, mammarum inflammationes, contusiones sedis, inflationes, neruorum rigores, siquidem discutit, & excoquit,rumpit,& ad cicatricem perducit. Cocta,vt dictũ est,adiecto suillo adipe,aut anserino,terebinthináve, vt malagmatis lentor fiat, facit ad vuluæ inflammationes,præclusionésque in pessis subdita. Decoctum eodem fungitur munere: onera vuluæ,reliquiásque à partu extrahit. Decoctæ succus ex vino potus succurrit vrinæ difficultati, calculosorum cruditatibus, dysentericis,ischiadicis, tremulis,ruptis, (quæ cum Græcè legantur, τὸ ὑ τῆς εἴξης ἀρίχημα συὺ οἴνῳ πινόμενον ὠφελεῖ δυσουρούντας, λιθιάλων ὠμότητας, &c.sic vertenda censet Andr. Lacu. Radicis autem decoctum potum ex vino difficultati vrinæ auxiliatur, acerbissimisq; doloribus à lapillo excitatis.ὠμότης enim,vt ait,non solùm significat cruditatem, sed acerbitatem etiam summam, atque acrimoniam doloris. Cui conuersioni consentit,inquit,

Lib.2.c.146 *Forma.*

ALTHAEA Matthioli.

Locus. *Tempus.*

Lib.3.c.146 *Vires & Temper.*

quit,rerum vſus atque experientia: quippe contra dolores illos acerrimos, inclementiſsimóſque,quos excitare calculi ſolent,decoctum radicum althæę maximo ſucceſſu propinamus:licet pluribus diebus id potum,non ſolùm non conferat cõcoctioni quæ in ventriculo fit, ſed etiam eam vitiet & labefactet,id quod liquidò conſtat, tum ex nauſea graui quam gignit,tum vel maximè ex ructibus faſtidiendis quos excitat.Dalechamp.Lacunę interpretationem improbat,& λιθιώντων ὠμότητας interpretatur pituitoſos,crudos, lentos humores meiendo exeuntes,& grauiſsimos cruciatus excitantes inter meiendum , qui certiſsimo indicio calculum veſicæ,renúmve,ſed veſicæ magis ſignificant, nunc præcedentes , nunc comitantes,nũc ſubſequentes.)Dentium mulcet dolorem cum aceto decocta,colluto inde ore. Viride ſemen ſiccúmq; tritum vitiligines in ſole cum aceto peruncta emendat(in vulgari quidem codice legitur,χυχεωθεὶς σὺν ὄξει, id eſt, inunctũ cum aceto , in vetere autem σὺν ὄξει ἢ ἐλαίῳ, id eſt, ex aceto & oleo.)Eodem cum aceto & oleo peruncti à venenatis non feriuntur.Valet contra dyſenteriam, & ſanguinis reiectiones, aluiq; profluuium.In poſca aut vino decoctum bibitur contra omnes veſparum,apũ,ſimiliúmq; aculeatos ictus, folia cum olei momento, morſibus & igni ambuſtis illinuntur. Conſtat aquam trita radice addita addenſari. Quæ poſtrema Græcè ſic habentur.τήγνυσι ὁ ἡ ῥίζα (in vetere codice additur χλωρὰ, id eſt, viridis)καὶ ὕδωρ,μιγεῖσα λεῖα, καὶ σωεξαθεμασθεῖσα. Id eſt,radix viridis tuſa,& aquæ permiſta,& ſimul tota nocte ſub dio relicta,cõdenſat illam. Theophraſtus ex quo hæc mutuatus eſt Dioſcorides , vocem χλωρὰ non habet:ſic enim ille. τηγνῦσι ὁ καὶ τὴν τῆς ἀλθαίας ῥίζαν τὸ ὕδωρ,ἐάν τις τρίψας ἐμβάλλῃ καὶ θῇ ὑπαίθριον. Id eſt, Radicem althææ aquam denſare aiunt,ſi quis tritam iniecerit,& ſub dio reliquerit. Plinius maluarum vſum medicum(de quo iam diximus)fuſiùs perſecutus , tandem addit, Althæę in omnibus ſupradictis efficacior radix,præcipuè conuulſis ruptiſq;.Cocta in aqua aluum ſiſtit.Ex vino albo ſtrumas & parotidas,& mammarum inflammationes tollit. Panos illita. Eadem arida in lacte decocta,quãlibet pernicioſæ tuſsi medentur.Hippocrates vulneratis,ſitientibúſque defectu ſanguinis radicis decoctæ ſuccum bibendam dedit:& ipſam vulneribus cum melle & reſina, item contuſis,luxatis, tumentibus, & muſculis, neruis, articulis impoſuit:& aſthmaticis ac dyſentericis in vino bibendam dedit. Mirum aquam radice ea addita addenſari ſub dio, atque lacteſcere. Efficacior autem quò recentior. Hæc Plinius, quorum quædam etiam Dioſcorides habet. Verum quod aquam radice althæę addenſari atque lacteſcere dixit,id iam ex Dioſcoride atque Theophraſto protulimus, vt ex iis non immeritò dubitet Cornarius , an lacteſcere rectè in Plinio legatur, & non potiùs lenteſcere,aut coaleſcere. Idem Plinius qui illa de althæa prodidit,ſeorſum aliquot locis de ibiſco,vt ab althæa diuerſo ſcripſit. Hibiſcum, inquit, à paſtinaca gracilitate diſtat,damnatum in cibis , ſed medicinæ vtile. Et, Paſtinacæ ſimile hibiſcum,quod molochen agriam vocant,& aliqui piſtolochiam, vlceribus cartilaginis, & oſsibus fractis medetur, folia eius ex aqua pota aluum ſoluunt,ſerpentes abigunt. Apum, veſparum, crabronum ictibus,illita medentur. Et mox,Celſus & podagris, quæ ſine tumore ſunt , radicem eius ex vino decoctã imponi iubet. Et, Medetur lichenibus hibiſci radix cum glutino & aceto acri decocta ad quartas. Qua in re Plinio apertè refragatur Dioſcorides & Galenus,cæteriq; Græci, qui althæam ibiſcum,ſiue ebiſcum vocauerunt.Sic enim Galenus. Ebiſcus ſiue althæa, eſt autem malua agreſtis,facultatem habet digerendi,laxandi, phlegmone leuandi,mitigandi, concoquendi difficiles coctu abſceſſus. Radix porrò eius & ſemen cætera quidem pari foliis modo agunt,verùm tenuiorum partium, magiſq; exſiccatoriam,adhæc magis exterſoriam facultatem oſtendunt,vt & vitiligines detergant,& ſemen renum calculos confringat. At radicis decoctum ad dyſenteriam,

Lib. 9 hiſt. cap.19.

Lib.20 c.21

Embl. 147. lib.3. Dioſ.

Lib. 19.c.5.

Lib.20.c.4.

Lib.26.c.4.

Lib.6.fin.

diarrhœam, & ſanguinis reiectionem aptũ eſt, nempe cum adſtringentem quandam facultatem habeat. Et de maluis agens. Huius generis eſt & ea quæ dendromalache nominatur: ſed efficaciſsima prædictarum in digerẽdo, appellatur etiam althæa. Dodonæus plantam ſecundo loco depictam althæam, ſeu ibiſcum Theophraſti eſſe arbitratur, & Abutilon Auicennæ, foliis rotundis in exortu, ſed in extremo acutioribus, candidis, tactu mollibus, & ferè lanuginoſis, vt & prioris althææ, ſed multò maioribus, & forma ferè magnitudinéque cucurbitæ foliis ſimilibus: caulibus longis, craſſis, validis, in quibus naſcũtur flores lutei, deinde caliculi piloſi, membranei, in quibus ſemen paruum, nigricans: radix maluacea. Eandem pro Ibiſco vel Althæa Theophr. deſcripſit Pena, pinxit Lobellius. Matthiolus eadem oſtendit. Sed neque Althæam alteram Theophraſti, neque Auicennæ Abutilon eſſe arbitratur, nullan ratione aliorum opinionem refellens: ſed ſolùm neutri reſpondere dicens. Non tamen prætermittenda eſt, inquit, eius herbæ cognitio, vt eius quoque omnibus cognita ſit facultas. Nam experientia conſtat eius ſemine epoto ſeſquidrachmæ pondere ex vino, calculos in renibus frangi, educiq;, vrinas eiici, doloréſque finiri: id quod tamen de abutilon Auicenna nõ prodidit. Abutilon, inquit, eſt planta ſimilis cucurbitæ. Dicitur recentibus vulneribus maximè prodeſſe, eáq; ſtatim conglutinare. Aliam etiam hic althæam ex Dalechampio depinxi-

Lib. 7. fim.

Lib. 5. c. 25 Lib. 9. hiſt. cap 19.

ALTHAEA Theophraſti.

In lib 3. Dioſc. cap. 146.

ALTHAEA altera, Matth.

ALTHAEA Lignoſa, Dalech.

mus

mus,quam lignosam & arboream vocant,propter arboream soliditatem. Radices plurimas habet,densas,crassas,caudicem non minus crassum,quàm est nostri corporis truncus,homine proceriorem, ramosum, cortice è rufo purpurascente, foliis althæę,magnis interuallis per ramos nascentibus: flore etiam althæę, grandi, candido. Nascitur propè Miramuallem Monspelienſis agri vicum, in confragoso saxo, cui Anachoritæ domuncula imposita est. Hæc eadem esse videtur, quæ Clusio Althæa frutex,Penę & Lobellio Althęa arborea siue Arboresc̃s dicitur,& paucioribus locis & feruidiore cœlo (quale in maritimis Gallicæ Prouinciæ ad Olbiam)prouentu tanto fruticat,vt ad sepes constituendas satis sit.Multo solidiore scapo est quàm Malua arborea, saligna quasi concretionis, & in arboream formam verso,flos maluæ vulgaris aut althæę,nec dispar semen.Est & Althæa palustris,de qua dicemus in libro de Palusteribus.

ALCEA. CAP. XXIII.

Althæa Græcè,ita Alcea Latinè dicitur,Officinis ferè incognita,Italicè *Bismalua*, *& Malua saluatica*, *& Buon vischio*, Germanis *Sigmars*, *Krancł*, Hispanicè *Malua de Vngria*. & *Malua montesina*, Gallicè *Guimauue sauuage*. Vulgares herbarij & Empirici Symeonis herbam appellant. Alcea maluæ siluestris species est,folia tamen habet magis fissa,& profundiùs incisa,& in plures partes diuisa, verbenacæ ferè similia, sed multò minora: caules rotundos,rectos,bipedales aut maiores:flores figura maluis aliis similes,purpureos,aut dilutiùs rubescentes: semen item simile, eodémque modo tunicatum: radicem crassam,bipedalem,& eo maiorem,intus candidam.Hæc est eius icon ex Matthiolo.Eadem videtur esse quæ Alcea fruticosa Penę & Lobellij,Cannabis siluestris Dioscoridis,quibusdam.Prolixioribus magisque vimineis surculis fruticat, foliorum diuisura altiore quinaria,& crenulis exiguis.Pentaphyllum rubrum, siue Cannabim æmulatur: flos purpurascit. Est quibusdam Cannabis siluestris. Quare aliam Alceam vulgarem Pena & Lobellius proponunt, figura, ortu, cauli-

Nomina

Forma.

ALCEA Matth.

ALCEA vulgaris,Lobellij.

culis similem Maluæ,sed foliis altius incisis, quinque partitis, qualia sunt Maluæ vetustiori pusillæ,aut Geranio:flore copioso, maluę semine orbiculato compresso,fictę item Maluę: radice etiam prorsum Maluę, minus muccosa. Et calidis & Septentrionalibus regionibus familiaris est. Dioscorides breuiter sic descripsit, Alcea siluestrium maluarum generi assignatur, folia habens densa, verbenacæ proxima:caules tres aut quatuor, cortice cānabino vestita: florem rosæ paruum: radices albas, latas, quinque aut sex, cum plurimum cubitales. Quæ Plinius ex Dioscoride ferè transcripsisse videtur.Alcea,inquit,folia habet simi lia verbenacæ,quæ & peristereon cognominatur, caules tres aut quatuor, foliorum plenos, florem rosæ, radices albas, cumplurimum sex, cubitales,obliquas.Nascitur in pingui solo,nec sicco.Hæc Plinius.Nascitur & in incultis,campestribus, & agrorum, scrobiúmque marginibus,iuxta sepes & vias, floret Iulio & Augusto mensibus cum malua siluestri.Radices cum vino aut aqua potæ,inquit Dioscorides,dysentericis ruptisq; medentur.Plinius,Vsus radicis ex vino vel æqua dysentericis,aluo citę,ruptis,cōuulsis. Et,Alceę radix collectiones discutit. Et paullo post,Spaticis, tremulis, opisthotonicis alceę radix bibitur ex aqua mulsa.Sic & rigores excalfacit.Et,Alceę siccæ farina torminibus pota cum vino resistit. Galenus Alceam in simplicium catalogo prętermisit. Paulus ex Dioscoride,Alceam siluestris maluę speciem esse dixit,quæ cum vino pota dysenterias & rosiones sanat,& magis ipsius radix. In hoc tamen Paulus à Dioscoride & Plinio disidet, quod ῥήξεις,id est,rosiones, habet pro his quæ ῥηγμαζα, id est, rupta, Dioscorides & Plinius appellauere, vt fortasse ῥήξεις in Paulo,pro ῥήξεις legere oporteat. Ex emplasticorum medicamētorum numero esse alceam, & folia quæ glutinosum quid ac lentū habent, etiā radix ipsa quæ glutinosa,dulcis, & modicè adstringens apparet gustantibus,abinde monstrant.Hinc satis constat alceam citra insignem tum caliditatem, tum frigiditatem siccare, ac planè emplasticorum consistentiam obtinere. Celebratur ad caliginem oculorum ab Empiricis, ita vt non desint qui credant radicem alceæ è collo suspensam aciem oculorum supramodum acuere, & tueri posse. Est herbariorum sententia Alceę species hic depicta,quæ adfertur ex Italia, & ab iis Alcea Veneta nūcupatur, Gallicè *Guimauue de Venise*. Pena tamen ait se nusquam in Italia nedum Venetiis vidisse nisi in hortis, multóque maiorem

Lib.3 c.147

ALCEA Veneta, Dodon.

Lib.27.c.4.

Locus.
Tempus.
Vires.
& Temper.

Ibid.
Lib.27.c.4.
Lib.26...12
Ibid.
Lib.26.c.8.

Lib.7.

ALCEA villosa, Dalechamp.

Fuch.in hi stor. plant. cap.27.

Dodo. lib. 5.cap..7.
Cordus in obser.

maiorem eius copiam Septentrionales herbarios habere quam Italos. Quare ille & Lobellius Alceam peregrinam ſoliſequam vocant. Tragus Alceã Venerã. Dodonæus in Hiſto. Purgant. Alceam veſicariam, Matthiolus perperam Hypecoum. Caulem profert teretem, mollem, ramoſum, aculeis hiſpidum: folia obſcurius virentia, carnoſa, fiſſa, & profundiùs inciſa, foliis Alceæ ſuperioris haud multũ abſimilia, minora. Flores in ſummis caulibus emergunt, florum maluarum omniũ ſpecioſiſsimi, ſed ferè ſimiles, quinque foliis conſtantes, foris candidi, vel pallidi, in medio purpurei, ex quo apex piſtilli forma lutei, ſiue aurei coloris emicat, tribus, quatuórve horis ab exortu ſolis ſeſe aperientes, meridie horã vnam hiantes, deinde ſeſe contrahentes. Iis ſuccedunt veſiculæ, in quibus capitula rotunda, hirſuta, quibus ſemen nigrum includitur. Radix parua eſt, & tenera. Hæc Alcea non niſi herbariorum diligentia & cultu in hortis noſtris prouenit. Martio aut Aprili menſe ſeritur, Iunio, & Iulio floret. Huc ſpectat perelegans & noua planta à Lobellio depicta ex cultiſsimo horto D. Brancionis, quam quidam Sabdariffam vocant. Caule eſt ſingulari, alis donato, quinos & ſenos cubitos alto, cui inſidẽt flores Alceæ peregrinæ ſimiles & eiuſdem fere coloris, ex lutoecinereo obſoleti, ſed maiores, alio ſanguineo medium cingente. Eius folia maluam adultam prorſus æmulantur, ſapor prorſus oxalidis. Hæc ex Lobellio. Ob ſimilitudinẽ hanc quoq; Alceam nuncupauit Dalechampius, quæ radice eſt palmum longa, è ruffo candicante, paucis fibris capillata, caulibus multis, denſiſsima lanugine hirſutis: quamobrem Alcea villoſa nominata eſt, palmo non altioribus: folio per ambitum valde crenato, in tria diuiſo, lanugine quoque ſpiſſa tecto: flore puniceo, amplo, ſpecioſo, tracheliorũ florem magnitudine penè ſuperante: fructu nigro, placẽtæ ſimili, *Locus.* *Forma.*

SABDARIFFA, Lobellij.

SABDARIFFA Alia.

perinde ac maluæ vulgaris, intra folliculũ clauſo, denſis ac ſubaſperis pilis hirtũ, & vndique fructum occulentem, vt in halicacabo. In radicibus Iuræ montis naſcitur. Floret Majo menſe. Fructus Iunio matureſcit. Sabdariffa alia ad me miſſa fuit, quam tibi tradere volui, quoniam ſiliquata eſt, & ab alia quodãmodo diuerſa. *Locus.* *Tempus.*

SOLANVM. CAP. XXIIII.

Nomina Li.8.simpl.

ΤΡύχνος,& præposito σ, στρύχνος,inquit Galenus, Latinis Solanum nominatur,Officinis Solàtrum,vulgò Cuculus,Vua lupina,Vua vulpis. Arabibus *Hameb alhomaleb*,*Hameb alchaich*,siue *Hanab alchaleb*, Gallis *Morelle*, quod hortense est, Italis *Solatro hortolano*, Germanis *Nacht schade*,Hispanis *Yerua mora*. Quatuor Dioscoride & Galeno auctoribus Solani sunt genera. Primum στρύχνος κυπαῖος, Solanum hortense, quod olim in hortis cum aliis oleribus, quæ edendo sunt seminabatur. Hodie sua sponte, & inuitis cultoribus prouenit. Nigrum alio nomine à nigris foliis, aut à fructu in extrema maturitate nigro appellatur. Secundum στρύχνος ἀλικακαβὸς, Solanum halicacabũ, & φυσαλὶς,idest,vesiccaria à folliculis quos producit, vesicarum in animantibus speciem imitantibus,non quod vesicæ calculis medeatur. Officinæ Arabes secutæ corrupto halicacabi nomine *Achachengi* apellant, Itali *Halicacabo*, Germani *Indenkirsen*,Hispani *Bexigo de perro*, Galli *Alquaquenge*, *Coqueret* rura nostra vocant,ait Ruellius. Tertium στρύχνος ὑπνωτικὸς, Solanum somniferum, ab effectu scilicet. Sunt qui Solatrum dormitorium,& marinum dicant,quod in rupibus nõ longè à mari inueniatur. Gallicè *Solane dormitif*. Italicè *Solatro somnifero*. Quartum στρύχνος μανικὸς,Solanum furiosum, Officinis Solatrum mortale, Gallicè *Solane furieux*. Theophrastus tria genera facit cum scribit, ὁ μὲν δὴ ἐδώδιμος στρύχνος, ᾗ ὥσπερ ἥμερον κάρπον ἔχων ῥαγώδη. ἕτεροι δὲ δύο εἰσὶν, ὧν ὁ μὲν ὕπνον, ὁ δὲ μανίαν ἐμποιεῖν δυνάται. Idest,est Solanum edule,& fructũ veluti mitem & acinosum ferens. Sunt alia duo, quorum alterum somnum,alterum insaniã adfert. Aliquanto post duo duntaxat genera statuit. τῶν δὲ στρύχνων ὁ μὲν ὑπνώδης, ὁ δὲ μανικὸς. Solanum aliud somniferũ, aliud furiosum. Plinius quatuor ponit genera. Solanum Græci strychnum vocant. Dixit autem suprà cucubali folia trita cum aceto,serpentium ictibus & scorpionum mederi. Quidam hanc alio nomine strumum appellant, alij Græcè strychnum,&c. Quæ nomina sunt etiam inter suppositicia apud Dioscoridem. Idem alio in loco strychni historiã Fuchsius persequitur. Strychno, quam quidã trychnum scripsêre,vtinam nec coronarij in Ægypto vterentur(Dioscoride solo halicacabi fructu coronarij vtuntur,quod & hodie per hyemẽ in Gallia fit, non autem hortensis vtriuslibet folio,flore fructu)quos inuitat hederæ florum similitudo,(Lege ederæ fructum similitudo in duobus eius generibus. Præter illa tertiũ cui acini,&c.)in duobus eius generibus. Quorum alterum cui acini coccinei, granosi folliculi,halicacabum vocant,alij callion. Nostri autem vesicariam, quoniã vesicæ & calculis prosit, &c. (Halicacabum veteres vesicariam non dixêre quod vesicæ & calculis prosit,sed vt demonstrat vox Græca φυσαλὶς, quod fructus folliculo tanquam vesica includatur vt diximus.) Tertio folia sunt ocimi (ἐυζώμου Dioscorides habet,id est Erucæ)minimè diligenter demonstranda remedia non venena tractanti:quippe insaniam facit paruo quoque succo, &c. Quin & alterũ genus quod Halicacabum vocant, soporiferum est,&c. Gesnerus Solanorum genera permulta esse scribit præter illa quatuor à Dioscoride & aliis memorata. Omnibus sunt acini,inquit, iiq; seminibus albis pleni. Pleráque aliquam in foliis & floribus similitudinem habent,odore graui, vi refrigerante prædita. Matthiolus quoque experientia sese comperisse ait plura ac varia Solanorum esse genera.

Genera Li.3. c.109. Lib.7.hist. ca.14. Lib.9.hist. c.12.& 15. Lib.27.c.13. Cap.8. Lib.21.c.31. In Horr. Germ. Li.4.Dios. ca 68.

Forma.

Solanum vulgare,quondam hortense,quia serebatur cibi gratia, nunc in cibis illud vitamus, frutex est pusillus,multis concauus alis: caulibus rotundis, pedalibus,surculosis:foliis nigricantibus,tactu mollibus, succosis, ocimo similibus,sed latioribus,& multò maioribus,per ambitum incisis, in mucronem desinentibus. Flores tota æstate ex mediis alis profert paruos in singulis pediculis ternos, quaternos,

SOLANVM Hortense.

ternos,quinos,aut ſenos,qui quinis exiguis,oblongis, acuminatis, & cãdidis foliolis,inſtar radiorum ſtellæ diſpoſitis conſtant, in quorum medio lutei minimiq; apices in vnũ coniuncti eminent.Floribus ſinguli ſuccedunt acini, rotundi,magnitudine piſi,ſubſtantia molles, primùm virides,poſt maturitatẽ nigri, intus ſubuiridi glutinoſoq; ſucco, atque paruis flaueſcẽtibus compreſſiſq; ſeminibus pleni ab,vno pediculo inſtar corymbi, aut parui racemi dependentes,in terram ſpectãtes. Radice nititur longa,fibrata,candida.Sapore folia ſunt aqueo, ſimulq; adſtringente,acini vero glutinoſo, & aliquantulum,vinoſo. Odorem ſpirat herba grauẽ & fœtidum. Cordus huius Solani ſpeciem alteram facit Solanum puniceum, acinorum colore ferè ſolummodo diſtans:nam ramulis, foliis,floribus acinorum figura & quantitate, radice,ſapore, odore & natalibus ſuperiori Solano ſimile eſt,differt tantum, quod paulo aſperioribus conſtet ramulis, acinóſque in croceo colore puniceos producat,qui etiam ante maturitatem virent.Id Solanum rubrum appellat Geſnerus, cui & luteũ aliud addit, cui lutei ſunt acini. Eadem cum vulgari,cui acinos nigros eſſe diximus, niſi colore acinorum differrent. Solanum halicacabum ſeu veſicaria, caules habet graciles,lentos,qui poſtquam adoleuerunt proni terrã ſpectant,in quibus folia Solano hortẽſi ſimilia ſunt,ſed minora,latiora,firmiora, ſubaſperáque, nec vt in illo nigricantia.Flores pallidi,maiores,& minus albi quàm in Solano hortenſi, ex quibus folliculi oriuntur,veſiculis ſimiles, iuglãdium magnitudine, & quandoque maiores, turbinata figura, ex octionis coſtis æqualiter à ſeſe diſtantibus cõpacti, qui recentes virides ſunt, maturi rufeſcunt, baccis intus vinoſis, quæ ima folliculi parte inhærent, rubris vuæ acinis ſimiles, ſapore auſtero ſimul & amaro,ac numeroſo,minutoq; intus ſemine albicante,aut flaueſcente, rotũdo, læui. Coronarij ſertis apud nos acinos & veſiculas intorquent,vt pulchritudine coccinei grani, & folliculi punicei venuſtate corollas commendent. Alterum veſicariæ genus à Fuchſio & Dodonæo deſcriptum eſt, peregrinum vocant, cuius etiam meminit Matthiolus, Veſicariæ repentis nomine. Alij Piſum cordatum,alij Cor Indicum vocant. Eſt tamen à ſuperiore valde diuerſum. Planta eſt pergulis operiendis aptiſsima:ſuis enim clauiculis latiſsimè ſeſe diffundit. Folia habet oblonga,laciniata: flores candidos,ex quibus veſicæ

Li.2. plan. ca.137.

In Hort. Germ.

Forma.

SOLANVM Halicacabum, Matth.

In Hiſt.pl. ca.264. Lib.3.c.89. Li.4.Dioſ. ca.67.

Forma.

HALICACABVM Peregrinum, seu vesicaria repens, Fuchs.

In Hor. Germ.

Li.4.c.67.

Lib.11.c.31. Lib.27.c.8.

HALICACABVM Peregrinum, siue vesicaria repens, Matth.

Locus.

Tempus.

Vires & Temper. Li.4. c.66.

ſicæ prodeunt virides, ſubrotundæ, ſenis per longitudinem diuiſuris: ſemine intus pullo, erui magnitudine, aut maiore, in cuius medio veluti effigies cordis humani inſculpta apparet. Radice nititur gracili & fibrata. Halicacabū hunc peregrinum ex Solano genere eſſe negat Geſnerus, quod acinis careat. Sciendum enim acinum nō pro vuæ vinaceo, ſed pro vuæ fructu toto accipi, qui ex ſucco, & parte quæ veluti caro eſt, & ex vinaceis, & ex ambiente cute conſtat. Vt cum Dioſcorides de Solano halicacabo dixit, καρπὸν δὲ ἔχει ἐν φυλακίοις περιφέρεσιν, ὁμοίοις φύσαις, πυῤῥὸν, περιφερῆ, λεῖον, ὡς ῥᾶγα σταφυλῆς, intelligendum eſt Solanum halicacabum fructum habere rufum, rotūdum, læuem, velut vuæ fructum, non vuarum acinis, ideſt, vinaceis ſimilem, quin non vuæ vinaceo, ſed vuæ fructui toto ſimilis ſit Solani huius fructus. Plinius non aliter acinorum nomē vſurpauit, cum dixit de eodē halicacabi fructu, cui acini coccinei, &c. ſic certè ῥᾶγα πυῤῥὸν reddēs. Et de Solano hortenſi dixit, acinos habet nigros, quos ῥάγας μέλανας apud Græcos legerat. Eſt etiam hîc animaduertendum Theodorum Gazam τρύχνα, ideſt, Solani ſpecies omnes malè in Theophraſto veſicarias interpretari. Nā veſicaria peculiare nomen eſt, & halicacabo tantum proprium, quæ fructus veſicæ ſimiles fert, vel quòd veſicæ & calculis proſit, vnde & nomen inuenit. Solanum hortenſe naſcitur in hortis & viridariis, ſecus publica itinera, præſertim prope ſepes, & ædificiorum ruinas. Halicacabum in vinetis copioſiſsimè prouenit, prope ſepes, locis humidis, & parietinis: ſeritur etiam in hortis. Solanum hortenſe tota fere æſtate floret, autumno autem fructus eius matureſcit. Halicacabum veſicas illas ſuas in fine Auguſti, & inter initia Septembris menſis colore primū viridi, mox paulatim rubeſcente profert. Nunc ſingulorum Solanorū vires diligentiùs declarandæ. Solano hortenſi natura refrigerandi, inquit Dioſcor. quare folia vlceribus quæ ſerpunt, & ignibus ſacris cōuenienter cum polline polentæ illinuntur. Ægilopa capitiſque dolores trita & impoſita per ſe ſanant: æſtuanti ſtomacho auxiliantur: parotidas cum ſale detrita illitu diſcutiunt. Valet ſuccus eius aduerſus ignem ſacrum, & vlcera quæ ſerpunt, cum ceruſa, roſaceo & argenti ſpuma: ad ægilopas cum pane: infantium aduſtioni quam Syriaſin vocant, cum roſaceo perfuſus proficit: in collyriis aquæ vel oui vicē exhibet, cōtra acutas fluxiones

illitus

illitus: aurium dolori inſtillatus prodeſt, menſium abundantiam ſiſtit in vellere ſubditus. Succus ſuluo gallinarum cortalium ſubactus, & linteo appoſitus, ægilopiis præſentaneo eſt remedio. Solano, inquit Plinius, vis reprimendi refrigerandiq; Et, Cucubali folia trita cum aceto ſerpentium ictibus & ſcorpionum mederi. Quidam hanc alio nomine ſtrumum appellant, alii Græcè ſtrychnon. Acinos habet nigros. Ex his cyathus ſucci cum mulſi duobus medetur lumbis: item capitis doloribus cum roſaceo infuſus. Ipſa ſtrumis illita. Sed hic vſus medicus in Dioſcoride non habetur. Tradit Galenus Solani eſculenti quod in hortis naſcitur, omnibuſq; noti vſum eſſe ad ea omnia quæ refrigerari, adſtringiq; poſtulant: poteſt enim hæc duo ordine ſecundo. Et inter olera quibus veſcimur nullum ſe nouiſſe, quod tantam habeat adſtrictionem quantam Solanum. Merito igitur rarò quidem ipſo vti homines vt alimento, vt medicamento autem aſsiduè: efficax enim eſt in iis in quibus adſtrictionis & refrigerationis vſus incidit: minimi autem eſt alimenti. Scribit Matthiolus cum foliorum, tum baccarum ſuccum addito roſacco, & aceti momento aduerſus capitis dolores à caliditate ortos plurimũ valere: phreniticos etiam iuuare, imbutis eo linteolis ſincipiti impoſitis. Illinuntur fronti eodem modo ad calidas oculorum fluxiones. Gargarizatur quoque vtiliter cum aceto ad faucium & columellæ inflammationes, additurq; in vnguenta quorum ad vlcera contumaciæ eſt vſus. Solanum halicacabum, inquit Dioſcorides, vim vſumq; hortẽſis habet: verùm cibis nequaquam expetitur. Regium morbum purgat ſemine poto, & vrinam pellit. Quæ vltima ſententia cum Græcè ſic legatur, θλιψίαλι δὲ ὁ καρπὸς αὐτῆς πινόμενος ἱερὸν ἀποκαθαίρων ὕδρωπικὸς ὤν, ſic transferri debuit: fructus eius potu expurgandi morbum regium vim habet, cum vrinas cieat. Etenim ob id quod vrinas moueat is fructus, ait Dioſcorides ab eo bilẽ per ictericorum corpus effuſam expurgari. Galenus halicacabum in foliorum facultate hortenſi Solano ſimile eſſe ſcribit, fructum habens ciendæ vrinæ idoneum: quare multis compoſitionibus, quæ ad iecur, ad veſicã, ad renes accõmodantur, miſcetur. Huius baccarum vis præſtantiſsima eſt, inquit Matthiolus, non ſolùm ad ciendam vrinam, ſed ad eius quoque ardorem mulcendum. Earum enim ſuccus ex papaueris albi cremore, aut ſeminũ melopeponum, aut cucurbitæ, aut ex maluæ decocto, aut ex hordeacea priſana potus, mirificè ardoribus vrinæ ſuccurrit. Baccæ muſto dilutæ efficaciter imponuntur incipientibus oculorũ carbunculis. Calculoſi cum maturis vuis acinos miſcent, & dies aliquot ſimul efferueſcere ſinunt, vt habeant vinum acinaticium contra renũ & veſicæ mala, vocantq; Coquereticum vinũ, Gallicè *Vin de Coqueret*. Hoc propinatum vnciarum quatuor pondere, magnam arenularum vim deturbat. Nec illud prætereundum ex Plinio, aſpidum naturæ halicacabũ in tantum aduerſam, vt radice eius propiùs admota ſoporetur illa ſopore enecans vis earum. Ergo trita ex oleo percuſsis auxiliatur. His addendum Solanum Indicum, ſeu Americum appellatum, quòd ex America, quam Indiam occidentalem vocant, Hiſpanorũ claſſe & armis debellata, huius ſemẽ aductum

Li. 27. ca. 13. Cap. 8.

Li. 8. ſimpl.

Li. 2. Alim.

Ibid. c. 67

Ibidem.

Lib. 21. c. 32

SOLANVM Americum, Dalechamp.

aduectum sit. Ex vna radice multis ramis fruticat,cubitalibus,lentis, obsequiosis, surculosis:folio Solani hortensis angustiore, longiore, acutiore, quale visitur in summo Solani hortensis fastigio, acri persicariæ quam hydropiper vocant, non dissimili,venoso,pallidius virente: floribus violæ candidis, ex longo pediculo dependentibus,ternis ferè,aut quaternis simul,tuberculo in medio extante, vmbonis figura,phœniceo,aut crocato,venustissimiq; coloris, apice tenuissimo ex illo prominente:baccis rubris,ceraso,aut halicacabi acino paribus, acidis, subamaris: semine minuto,candido,copioso refertis,quale est halicacabi. Licet id in feruidissimo solo cæloq; Americorum spōte proueniat, frigidum tamen & allosum nostrum nō dedignatur,tantisper dum æstatis tepor fouet:nam hyeme moritur, nec brumæ sæuitiam tolerare potest. Amomum Plinij quidam putarunt, rectius alij strichnodendrum,idest,Solanum arborescens. Dodonæus,Pseudocapsicū vocat. Hispani *Guyndas de las Indias*,idest, Cerasa Indiana.

LAPATHVM. CAP. XXV.

Nomina

ΛΆΠΑΘΟΣ & λάπαθον Græcis dicitur,qui Rumex Latinis, Barbaris Lapathium:à Lapatho tamen Lapathium diminutum nomē barbarum non est. Varro: Hanc eandem voluptatem tacitulus taxim consequi Lapathio,& ptisana possim.Lapathus autem ἀπὸ τῦ λαπάζειν dictus est,quod valet exinanire,& pro ventrem leuare vsurpatur: vnde λάπαξις,qua voce vtitur Aristoteles,οἷον τὸ βαδίσαι,εἰ λαπάξεος ἕνεκά ἐστι,idest, verbi gratia ambulare,si est alui leuādæ gratia.Lapathum Arabes *Humadh*,*Hundh*,seu *Hamad* appellant,Itali *Rombice*,*& Lapatio*,Germani *Ampffer*,Hispani *Labaca*. Theophrastus duo genera Lapathi tradidit, silueſtre & satiuum. Dioscorides quinque non eo quo solet,sed perturbato ordine descripsit. Ex generibus Lapathi,inquit, oxylapathum vocant,quod in acutum tendit,dura habens extrema, in palustribus nascēs. (At cum Græcè legatur, λάπαθον.τὸ μὲν ἄιλον ὀξυλάπαθον λέγεται, φυόμενον ἐν ἕλεσι, σκληρὸν, καὶ ἄκρα,ὔποξυ,conuertendum erat. Ex Lapathi generibus oxylapathum dicitur,durum,& aliquantùm in extremis acuminatum.) Aliud est satiuum illi dissimile,οὐχ ὅμοιον τῷ πρώτῳ, vt vulgata habent exemplaria. Alia, & vt opinor meliora,οὐκ ἀνόμοιον,id est,non dissimile. Cui lectioni subscribit Plinius, qui oxylapathum satiuo similius facit:quāquam non dissimulandum in quibusdam codicibus etiam dissimilius legi. Oribasius habet,οὐ κατ' πᾶν ὅμοιον τῷ πρώτῳ, non omnino simile primo:vt priora duo Lapathi genera non tantum inter sese differant,quantum ex vulgata lectione intelligere licet:Tertium genus silueſtre, paruum, plantagini proximum,humile,& molle.Quartum est quod alij oxalida,alij anaxyrida, aut Lapathon vocant(additur in vetere codice ἄγειον, idest, silueſtre Lapathum) folia eius silueſtri ac exiguo rumici similia: caule non magno: semine subacuto, rubente,acri,in caule & agnatis appendicibus emicante. Postremum hippolapathum olus est magnum in paludibus nascens.Vides primum Lapathi genus agreste à Dioscoride positum,deinde satiuum,tum ad silueſtria redire. Plinius ita distinguit.Nec Lapathū dissimiles effectus habet. Est autem & silueſtre, quod alij oxalidem appellant,satiuo proximum,(pro satiuo lege silueſtri exiguo)foliis acutis,colore betæ candidæ,radice minima:nostri verò rumicem, alij Lapathū cantherinum,ad strumas cum axungia efficacissimum. Est & alterū genus, ferè (feri non fere) oxylapathum vocant,satiuo item similius(Cornarij codex pro item similius,dissimilius habet:prior tamen lectio Oribasio,& melioribus Dioscoridis libris consentit,vt diximus,)& acutiora habet folia,ac rubriora,non nisi in palustribus nascens. Sunt qui hydrolapathum tradunt in aqua natum. Est & aliud hippolapathum maius satiuo,candidiúsque ac spissius.Aliquanto post ex Solone adiicit

Li. 2. Phys.

Lib. 7. hist. cap. 6.

Genera

Li. 20. c. 21.

adiicit bulapathum: Silueſtre itaque genus quod oxalis dicitur, Latinis rumicem vocari dixit,non alia Lapatha. Idem etiam alio in loco. Omnia autem ſilueſtria ferè ſunt & foliis minora,& caulibus,ſucco acriora,ſicut cunila, origanum, ruta. Solummodo ex omnibus ſilueſtre Lapathum melius. Hoc in ſatiuis rumex vocatur,naſciturq; fortiſsimum. Traditur ſemel ſatum durare,nec vnquam vitiari terra,maximè iuxta aquam.Non deſunt tamen qui legendū contendant. Hoc in ſatiuis rumex vocatur,naſciturq; fortiſsimū : traditur certè ſemel ſatum durare, nec vinci vnquam à terra,&c.vt rumicem hîc hortenſem faciat,quem ſuperiore loco ſilueſtrem poſuit.Oxalidem autem propriè Romani rumicem appellarunt, forſitan quod ab ea ſuccus non aliter atque mamma, quam rumem veteres dixerunt, ſitientibus exugi ſoleat:nam foliorum acor à quibuſdam hauritur,vt lac ab agnis, qui in ſuis matribus ſubrumantur. De quo Vergil. Li.19. c.12. In Moreto.

Fœcunduſque rumex,malua,violiq; virebant.

Niſi quis à teli ſimilitudine ductum nomen exiſtimet: quod ſparo cognatum in modum pedis recuruatur,cuius meminit Lucilius.

Tum ſpara,tum rumices portantur,tragula porrò.

citante Nonio. Adfertur tamen & hic verſus à Feſto,ſed pro rumices habet murices.Galenus de iis ita ſcribit.Licet Lapathum appellare betam agreſtem,vt quod non guſtu modo,ſed viribus etiam betæ hortenſi ſit ſimile. Verùm cum beta Lapatho ſit ſuauior,nemo eſt qui non libentiùs ea veſcatur. At oxylapathi qualitatē & vires nomen ipſum indicat: eſt enim Lapathum acidum. Quod autem ad Lapathum attinet,nemo eſt qui crudum ipſum mandat,quemadmodum neque betam. Oxylapathum tamen mulieres noſtræ pica laborantes, interdum & pueri quidam guloſi crudum mandunt. Perſpicuum autem eſt olus hoc ex genere eſſe eorum quæ non nutriunt,multò magis quàm Lapathum. Ex his intellectu facilè eſt Galenum oxylapathum pro oxalide accepiſſe,& non ab acuminatis foliis, ſed ab acore,ſiue acido ſapore oxylapathum dictum aſſerere. Idem alio in loco tria duntaxat Lapathi genera ponit. Lapathum ſimpliciter dictum,oxylapathum, & hippolapathum. Sed cum herbariis plura Lapathi genera hodie cognita ſint, ea ſic diſtribuemus. Lapathum aliud hortenſe,aliud ſilueſtre. Hortenſe foliis eſt nigræ betæ, minoribus,plantagini proximis, humi iacentibus, nō tam acuminatis,venoſis, è longis craſsiſq; pediculis pēdentibus:caule cubitali,ſtriato: flore rubro:ſemine minuto,pellucido, ſubnigricāte: radice crocea, amaráque. Id ſecundum eſt genus à Dioſcoride traditum, quod in hortis rura colunt apud Allobrogas, præſertim oppido Cremutio vicina,vocantq; *du Lapas*, eiusq; foliis vtuntur in iuſculis, aluū cieri eius decocto arbitrantes:& quamuis in hortis non ſeratur, in iis tamen ſponte naſcitur. Geſnerus in Sabaudia,circa Lauſannā,& alibi ſeſe vidiſſe ait, & Lampe vocari.Idē aſſerit Tragus. Matthiolus prima commentariorum in Dioſcoridem editione nomine hippolapathi repreſentauit. Fuchſius pro Lapatho ſatiuo, id quod vulgò Rhabarbarū Monachorū appellant.Item Dod. & alij. Silueſtris Lapathi multa ſunt genera. Li.2.Alim. Li.7.ſimpl. *Forma.* *Locus.* In Hort. Germ. Li.1. c.104. Li.2. Dioſ. ca.108. In hiſt. pl. ca.174. Lib.5.ca.9.

LAPATHVM Satiuum.

OXYLAPATHVM.

Forma.

Oxylapathum Dioscoridis est primum Lapathi genus cuiuis notum, sic, vt ille ait, dictum non ab acido sapore, vt oxalis, sed à foliis subacutis, vt ὀξὺ, & in sapore, & in mucronata figura intelligatur. Id quod non animaduertentes Auicenna & Serapio, Lapathū omne sine discrimine acetosam nominauere, nō rectè ad saporem referentes, quod ad foliorum figuram retulit Dioscorides in hoc Lapathi genere. Officinæ Lapatium acutum nuncupant, Galli *Parelle*, Germani *Mengelwurtz*. Foliis est longis, angustis, duris, in summo subacutis: caulibus rotundis, geniculatis, cauis, nigricantibus, in quorum fastigiis flosculi copiosi, pallidi, semē triangulum, nigricans, tenui membrana concluſum. Radix est longa, intus crocea. In palustribus nascitur. Alterum siluestre tertium Dioscoridis Lapathi genus, paruum, plātagini proximum, humile & molle, vt ille describit. Docti quidam vulgi acetosam rotundam esse rentur: omnibus enim reliquis folia dura sunt, huic soli mollia & tenera. Dodonæus oxylapatho proximum esse ait, sed breuioribus foliis, & latioribus, per humum sparsis, plantagini ferè similibus, caule minore. Illud est fortasse Lapathū, quod rotundum vocat Gesnerus, & circa Friburgum Heluetiorum inueniri ait. Istud Lapathum Ruellius acidulam, aut minutam oxalidem vulgò dictam, Gallicè *Ozeille menue* arbitratur esse. Fuchsius eam plantam, quæ vulgato nomine Bonus Henricus, Germanicè *Gutter Heinrich* nominatur, quam Dodonæus Chrysolachanum, idest, aureum olus, ob excellentes virtutes appellat, eóque nomine eam depinxit ac descripsit: vulgò Totabona dicitur, Gallicè *Toutebonne*. Tragus Rumicem vnctuosum vocat, Germanicè etiam *Schmerbel*, à pinguibus & mollibus foliis, quem alij bonum henricum. Sollerius idem Lapathum siluestre eam plantam exiguam esse credit, vbique copiosissimam, quæ Gallis *Lapas*, Delphinatibus *Du lapais* dicitur. De oxalide minore dicetur postea. Bonus Henricus autem folia fert lata, crassa, oxalidi fere similia, sed breuiora & latiora: caulē crassum, pedē & dimidiū altū, in quo coaceruatur semen fere sicut in atriplice: radice nititur grandi, longa, crassa & crocea. Locis incultis gignitur, secus semitas & sepes. Iunio & Iulio mensibus floret. Tertium Lapathi siluestris genus Dioscoridi indictum, Lapathū nigrum, & sanguis draconis à foliorum & caulium colore, & succo, à recentioribus nuncupatum, superiori caulibus, foliis, semine proximum

Ibidem.
Forma.
In Hort. Germ.
Li. 2. c. 49.
Ibidem.

LAPATHI Siluestris II. Genus.

Forma.

Lib. 4. c. 11.
Li. 2. c. 104.
In Actū.

LAPATHVM Siluestre, III. Genus.

mum est, sed caules quidem habet purpureos, folia verò in rubro nigricantia, Lapathi acuti angustiora, longiora, numerosa, rubris venis sparsa, gustu adstringente, quæ expressa rubrũ succum remittunt. Ex Lapathorum est genere, quoniam toto habitu Lapathum refert. In Septentrionis hortis etiam sponte oritur, rariùs in calidis regionibus. Quartum genus eam plantam quidam esse putant, quam nonnulli panaces chironium folio Lapathi, flore aureo à Plinio dictum esse arbitrantur. Radice est breui, furculosa, fibrata, dura, lignosa: caulibus duobus aut tribus, angulosis, palmi altitudine: foliis oxylapathi, oblongis, angustis: flore in summis ramis aureo. Vnde Anthoxanthon, idest, lutei floris Lapathum nuncuparunt, copioso, densiùs aceruato, vt in spinaceo olere, quod teutlomalachen quidam vocant. In fossis & vliginosis locis prouenit.

Forma.

Lotus.

Quintum genus Lapathum aquaticũ, seu potiùs oxylapathum ob foliorum cum vero oxylapatho similitudinem vocat Dalechampius: cuius etiam meminit Gesnerus. Eius radix est geniculata, ex singulis geniculis fibras emittens, quibus vado inhæret, primis internodiis rubescens. Caules edit multos, rotundos, quinque aut sex cubitos lõgos, in aqua fluitantes: folia palmum atque eo amplius longa, angusta, in ambitu cre-

In Hor. Germ.

Forma.

LAPATHVM Siluestre, IIII. Genus, Dalech.

OXYLAPATHVM Aquaticum, Dalechamp.



nata,alternatim per caules naſcentia,guſtu fatuo & ſicco.In caulium vertice thyrſus eminet ea prorſus ſpecie,qua in potamogeitone viſitur.Naſcitur in vadis amnium pigrorum vt Araris.Longe diuerſum Hydrolapathum,ideſt,Lapathū aquaticum Lobellius propoſuit,idq; duplex.Maius tota facie Hippolapathum ſatiuum referens,folio nigriore,non diſpari, vti neque caule, neque ſemine,radice duntaxat breuiore, magis fibrata, foris nigriore, intus magis rubra.Frequens in aquis,nec alibi ſponte exit. In aquis etiam prouenit Hydrolapathum minus, ſed non niſi limpidis & fontanis, ex quarum fundo exerit cauliculos teneriuſculos, flaccidos,graciles,non abſque filamentis, vt cæteræ aquaticæ, ſtipantibus & pendulis. Folia ſunt admodum tenuia & mollia, nec tamen aquæ innatantia ritu Potamogeitonis, ſed erecta, ex atro viridia,lanceolatæ ſimilia, anguſtiora quā Potamogetonis. Poſtremum Lapathi ſilueſtris genus Dioſcorides quartum oxalida conſtituit, quæ vt ex eius deſcriptione intelligere licet,nihil aliud eſt quàm oxalis noſtra maior & pratenſis,cui folia ſunt Lapathi acuti,delicatiora, tenuiora & magis oleracea, in imo latiora,pinnatas,& lunatas, Spinaciam & Atriplicem referentia:caulis ſtriatus, ruber, ſuccu-lentus:ſemen anguloſum,acutum, in folliculis Lapathis cæteris nō diſſimilibus.Radicibus nititur plurib⁹,ſed nō vt in rumice croceis, acido

Locus.

OXALIS MAIOR.

OXALIS Minor, Matth.

HYDROPOLAPATHVM Maius, Lobel.



guſtu,

guſtu, perinde ac folia & caules. Oxalidem igitur ſic diuidemus, vt alia ſit ſilueſtris, alia hortenſis. Silueſtris oxalis Dioſcoridis ea eſt, cuius modò hiſtoriam retulimus; quæ maior cognominatur. Alia eſt minor tenuifolia, ſinuata, veruecina nuncupata, cui folia ſunt longè minora, cuſpidis lanceæ figura, mollia, læuia, quibuſdã veluti capillamentis ſubrubentibus inſperſa, ſuccoſa, foliis maioris acidiora, & in medicos vſus pluſquàm cætera expetita. Hortenſis item duplex eſt, maior quæ pratenſis eſt in hortos tranſlata, oblongis & nigricantibus foliis. Altera foliis albicantibus, rotundiuſculis, breuibus, anguloſis, hederæ foliis ferè ſimilibus, tamen minoribus, neque craſsis, neque duris. Caules eius teneri ſunt, in quibus ſemen cæteris ſimile. In hortis noſtris paſsim obuia eſt, vt & prior. Quæ oxalis à Gallis, imitatione Græca, *Oxaille* dicitur, *& Ozeille*, ab aliis *Vinette*, à nonnullis *Aigrette*, à Lugdunenſibus, *Salette*, à Germanis *Sauramppfer*. Oxalis ſilueſtris minor omnium acidiſsima, *Ozeille menue*, *& Ozeille de brebis*. Hortẽſis minor, *Ozeille ronde*, *Ozeille franche*, *& Ozeille Romaine*. Dicitur autem Oxalis ab acido eius ſucco: gratum enim acorem palato repræſentat: vnde acetoſam nominarũt Officinæ. Hic minimè prætermittenda Oxalis alia à Lobellio poſita radicibus tuberoſis filipendulæ vel Oenanthes valdè ſpectabilis, exotica: etiam foliis, caule & ſemine hortenſis, quã toto habitu præfert. Raram eſſe

Genera.

Forma.

Forma.

HYDROLAPATHVM Minus, Lobel.

OXALIS Tuberoſa, Lobel.

OXALIS Rotunda.

HIPPOLAPATHVM
Siluestre, Matth.

Genera.

Lib. 1. c. 104.

Lib. 3 cauſ. Theophr. ca. 1.

ait Lobellius in Belgio, & huc ex Italia delatã. Supereſt Hippolapathum, cuius ſpecies duæ. Silueſtre non ſolùm in paludibus naſcens, ſed etiam in mõtibus iis præſertim in locis in quibus pecudum diutius ſtabulantium lætamine pingueſcit ſolum: ſequenti Hippolapatho ſimile, ſed foliis anguſtioribus & magis in acutum tendentibus. Alterum hortenſe, Matthioli iudicio, id quod paſsim in hortis rhabarbari monachorum nomine habetur, quod alij Lapathũ ſatiuũ Dioſcoridis eſſe opinantur vt diximus, Gallicè *la Patience*. Id Oxylapatho ferè ſimile eſt, niſi quod folia maiora ſunt, latiora, molliora, in ſummo non mucronata. Caules longiſsimi ſunt, craſsi, rubri: flores flaueſcentes: ſemen rubrum, triangulum: radix longa, craſſa, crocea. Id Lapathum ſatiuũ Dioſcoridis, Fuchſij, Donæi, Solerij ſententia diximus eſſe. Tragus Hippolapathũ Dioſcoridis eſſe putat, Scaliger Bulapathũ, ſic enim ſcribit. Quod ſanè in hortis pro *Raued* oſtentant, Bulapathum eſt, radice admodum medicata. Francigenæ virgines Deo dicatæ, quo nomine illud appellant, haud multum abhorret à vero: vocant enim *La patience*. Huic addunt Lobellius & Pena Hippolapathũ aliud, rotũdo folio, Pſeudorhab. recentiorũ, quod pauci & diligẽtiores herbarij colũt, quaſi multò magis affine vero Rheobarbaro, quia folio ſit rotundiore, & ſummo ambitu retuſiore, propioreq; ad Perſonatã, aut Petaſitem,

HIPPOLAPATHVM
Satiuum latifolium, Lob.

HIPPOLAPATHVM
Rotundo folio, Lobel.

quibus

HIPPOLAPATHVM hortense.

quibus fermè magnitudine æquiparatur: non tamen maiore, aut ita diuersa radice Hippolapatho, nec vsu aut natura dissimili. Lapathorum & hippolapathorum historias retulimus, nunc eorum virtutes sunt explicandæ. Omnium decocto olere, inquit Dioscorides, aluus emollitur. Crudi illitu melicerides rosaceo aut croco adiecto discutiuntur. Siluestris (nempe mollis) & oxylapathi, & eius quam oxalida nominant, semen ex aqua aut vino vtiliter bibitur contra dysenterias, & cœliacorum affectus, stomachi fastidia, scorpionum ictus. Quod si quis in potu præsumat, nihil molesti ex ictu patietur. Radices ex aceto coctæ, aut illitæ crudæ lepras, impetigines, & scabiosos vngues persanãt, sed ante locus aceto & nitro in sole perfricandus est. Pruritus corporis decoctum earum sedat, si foueatur, aut in soliis balnearum confricetur (Græcè legitur ἐπαιτλώμενον, ἢ λούῳ μιγνύμενον, id est, si affundatur, aut si vt fotus adhibeatur, aut cum aqua balnei misceatur, tamen hæc verba ἢ λούῳ μιγνύμενον, in multis græcis codicibus desiderantur, ea tamen legisse videtur Plinius, de eadem re scribens, Pruritus corporis in solia balnearum additum) Coctæ in vino & instillatæ aurium dentiumque dolorem mulcent: strumas, parotidásque discutiunt: lienem cum aceto extenuant (quibus verbis Græca non satis exprimi videntur, leguntur enim, παρηγοροῦσι ὀδὰλγίαν, καὶ ὀδοντα λγίαν ἐμφθεῖσαι ἐν οἴνῳ, καὶ διακλυζόμεναι. Διαφοροῦσι καὶ χοιράδας, καὶ παρατίδας ἐφθαὶ σὺν οἴνῳ, καὶ καταπλασθεῖσαι, σπλῆνα δὲ σὺν ὄξει. Id est, aurium & dentium dolorem leniunt coctæ in vino, si colluantur, strumas parotidásque discutiunt coctæ in vino, & cataplasmatis modo adhibitæ, splenem autem cum aceto coctæ.) Aliqui amoliendis strumis radicum gestamine vtuntur, eas collo appendentes. Tritæ & admotæ fœminarum profluuia sistunt: cum vino autem potæ regio morbo medentur, calculos vesicæ comminuunt, menses cient, scorpionum ictibus auxiliantur. Hippolapathum easdem vires habet, quas supradicta rumicis genera. Plinius non eundem quem Dioscorides vsum medicum habet, scribit enim. Siluestria scorpionum ictibus medẽtur, & ferire prohibent habentes. Dioscorides ait, eum qui prębiberit, nihil ex scorpionis ictu mali passurum. Radix, inquit Plinius, aceto decocta si coletur, succus dentibus auxiliatur, si verò bibatur, morbo regio. Dioscorides ad vtramque affectionem in vino coquit, & mendosè vulgata exemplaria, coletur, habent pro colluatur. Semẽ stomachi inextricabilia vitia sanat. Dioscorides ἄσην στομάχου dixit, id est, stomachi fastidium ac nauseam, cum os stomachi à vitiosis humoribus ita mordetur, vt nauseam & fastidium pariant. Hippolapathi radices priuatim vngues scabros detrahunt. Dysentericos semen duabus drachmis in vino potum liberat. Quæ siluestris, & oxylapathi, & oxalidis radicibus Dioscorides attribuit. Oxylapathi semen lotum in aqua cælesti sanguinem reiicientibus adiecta acaciâ lentis magnitudine prodest. Præstantissimos pastillos faciunt ex foliis & radice addito nitro, vel iure exiguo (thure pro iure reponit Cornarius), in vsu aceto diluunt. Sed satiuum in epiphoris oculorum illinunt frontibus. Radice meliceridas & lepras curant. In vino verò decocta, strumas, & parotidas, & calculos. Quæ de

Lib. 2. c. 138 *Vires & Temper.*

Lib. 20. c. 21

Lib. 20. c. 21.

Embl. 102. lib. 2. Dios.

Ibid. ſilueſtrium radice Dioſcorides dixit. Poto vino & lienes (Cornarius emendat, ſemine poto è vino,& cætera.) cœliacos æquè ac dyſentericos, & teineſmos. Ad eadémque omnia efficacius ius lapathi (ius τὸ ἀφέψημα, id eſt, decoctum intelligit) quod ructus facit, & vrinam ciet, & caliginem oculorum diſcutit:item pruritus corporis in ſolia balinearum additum, aut prius ipſum illitum ſine oleo. Firmat & commanducata radix dentes. Eadem decocta cum vino ſiſtit aluum, folia ſoluunt.Alio in loco cap.12.20.de lapatho ſilueſtri ita ſcribit. Vſus eius cum ptiſana tantùm in cibis leuiorem gratioremque ſaporem præſtat. Quo loco Cor-
Ibid. narius verba hæc, cum ptiſana tantùm, redundare arbitratur, & rectè quidem: coquitur enim oxalis integris foliis vt reliqua olera cum cibis, carnibus, & pi-
Lib.7.ſim. ſcibus, non cum ptiſana tantùm.Lapathum,inquit Galenus, moderatè digerentem facultatem habet, at oxylapathum mixtam:nam cum eo quod digerit, nonnihil quoque repercutit. Semen eorum manifeſtam quoque quandam adſtrictionem obtinet, vt & dyſenterias, & diarrhœas ſanet, & maximè oxylapathi. Porrò hippolapathum quod totum in paludibus prouenit, eaſdem facultates ob-
Lib.6.c.24 tinet, ſed imbecilliores. Aetius ſcribit vlcus demorſorum à cane rabido perfundendum eſſe chamæmeli, radicis lapathi, quod oxalidem vocant, decocto, nouiſſéque ſeſe ſenem quendam, qui vbi quis morſus eſſet à rabioſo cane, ſola oxalide curabat. Nam & vlcus decocto perfundebat, & herba integebat, & de ipſa bibendum dabat. Meiunt autem homines qui ipſam acceperunt multa, & cum vrinæ incontinentia. Et propterea morbum regium hæc expurgant. Nos verò etiam impetiginem ex ipſa cum aceto confricatam depellimus: & pruritui auxiliamur per eandem radicem. Vtuntúrque etiam ipſa ad canis rabioſi morſus cum aliis auxiliis. Similiter facit etiam ſylueſtre lapathum, foliis in acutum tendentibus, radicem habens oblongam veluti raphanus paruus. Hæc Aetius. Ex oxylapathi radicibus aqua deſtillatur, quæ ad puſtulas, alphos, ionthos, vitiligines, lichenas, omnes denique cutis, præſertim faciei maculas delendas plurimùm facit, hoc modo. Eius aquæ & melonis præmaturi ſumantur ſingulorum libræ duæ, oua hirundinum decem, ſalis nitri ſemuncia. Quæ teri debent, trita cum aquis in vitreum vas coniiciantur, vnde ſuccenſo igne aqua extrahitur, qua manè facies abluenda, veſperi illinenda oleo ex tartaro,& amygdalino, permiſtis. Decoctum oxylapathi ex vino, diebus aliquot potum auriginem pellit, & cutim priſtino nitori reſtituit. Credunt quidam lippire nunquam eos qui rumicis ſilueſtris radicem luna decreſcēte effoſſam nitidiſsimè ſecum portauerint. Quæ planta Bonus Henrichus dicitur,vulneraria eſt, & mirificè ad ſordi-
Vires Boni Henrici. da purganda,ac glutinanda vlcera cōfert, ſic vt appenſa etiam, ac trita vulneribus impoſita vermes, qui in iis nati ſunt,excidere faciat. Denique ſiccat & abſtergit. Hippolapathi, quod rhabarbarum monachorum vocant,radix auctore Fuchſio,
In hiſt. pl. cap.174. purgandi vim habet, ſi in puluerem redacta drachmæ pondere ſumatur. Neque id mirum admodum, inquit, cum Dioſcorides omnium rumicum olus decoctum aluum mollire, atque decoctas eorum radices cum vino, regio morbo cor-
Lib.1.c.104 reptos emendare, ob bilis nimirum per inferna eductionem teſtetur. Tragus affirmat radicem hanc cum pauxillo zingiberis ſumptam phlegma & bilem per inferiora euacuare, ſeſéque hoc remedio vſum experientia didiciſſe. Ex ea autem medicamentum ſic conficitur. Radicis aridæ drachma, zingiberis ſcriptulum, in puluerem redigantur,ſumantúrque à ieiunis in iure calido.

ASPARAGVS. CAP. XXVI.

Ἀσπάραγος, vel ἀσφάραγος, Latinis similiter Asparagus dicitur, Mauritanis *Halion*, siue *Helion*, Italis *Asparago*, Germanis *Spargen*, Hispanis *Esparagos*, Gallis *Asparge*, Officinis extrita prima litera Sparagus. Græci, inquit Galenus, omnes propemodum teneros caules, qui tempore ad fructus & seminis productionem augescunt, asparagos vocant, vt brassicę, lactucę, atriplicis, bliti, betæ, maluæ, radiculæ, rapæ, sinapi, Cnici, pyrethri. Sed de asparago peculiari genere plantę hic loquimur, sic dicto quòd cauliculos hos, qui prima germinatione prodeunt è terra, præcipuos habet. Cuius genera duo memorat Dioscorides, siluestrem siue petræum, & satiuum. Galenus βασιλικὸν, id est, regium, & ἑλεῖον, id est, palustrem. Matthiolus quoque duplicem esse asparagum scribit, altilem, & sponte prouenientem. Huius tria esse genera, palustre, montanum, & petræum. Is & myacanthinus dicitur teste Galeno, Latinè Corruda. Plinius, Indicauimus & corrudam. Hunc enim intelligo siluestrem asparagum, quem Græci horminium (ἀπὸ τῆς ὁρμιᾶν,) nam & decoctum & semen veneris causa bibitur. Plinius. cap. 10. lib. 20. Auenionenses adhuc appellant corrupta voce Hormioconin, alij Romioconin) aut myacanthon vocant, aliiśve nominibus. Inuenio nasci & arietis cornibus tusis atq; defossis. Et, Siluestres fecerat natura corrudas, vt quisq; demeteret passim. Ecce nunc altiles spectantur asparagi. Theophrastus ἀσπάραγον simpliciter pro siluestri vsurpauit, cum scripsit, ἔστι μὲν ἁπλῶς ἰδεῖν ἄκανθαι, καθάπερ ἀσπάραγοι, καὶ ὁ σκόρπιος, οὐδὲ ἓξ ἔχουσι φύλλον παρὰ τὴν ἄκανθαν. Quæ Plinius sic conuertit. In totum spina est asparagus, & scorpio, nullum enim folium habent. Quæ ita legit Hermolaus, vt vnam non duas herbas esse puret, asparagum scorpionem: aliúmq; ab eo qui notus est omnibus. Idem scribit in Corollariis. Sed id haud rectè ab Hermolao annotatum esse, intelligi licet ex iis, quæ alio in loco de scorpio & asparago spinoso seorsum prodidit idem Theophrastus his verbis. Τῶν δὲ διηρημένων εἰδῶν πλεῖστον μέν ἐστι τὸ φυλλάκανθον, ἐλάχιστον δ' ὡς εἰπεῖν, τὸ ἀκανθῶδες ὅλως. Βραχύ γάρ τι πάμπαν ἐστὶν, ὥσπερ ἐλέχθη, καὶ σχεδὸν ῥᾴδιον λαβεῖν παρά τε τὸν ἀσπάραγον, καὶ τὸν σκόρπιον. ἀμφότερα δὲ ταῦτα ἀνθεῖ μετὰ ἰσημερίαν φθινοπωρινήν. ὁ μὲν γὰρ σκόρπιος ἐν τῷ σαρκώδει τῷ ἐξοιδοῦντι ὑπὸ τὸ ἄκρον τῆς ἀκάνθης ἔχει τὸ ἄνθος (sic enim legendũ ex Theodoro, non vt in vulgaris codicibus exaratum est, ἐν τῷ σαρκώδει τῷ ἐσπεδοῦντι, ὑπὸ τὸ ἄκρατον τῆς ἀκάνθης ἔχον τὸ ἄνθος) ἐξ ἀρχῆς μὲν λευκὸν, ὕστερον δὲ ἐπιπορφυρίζον. ὁ δὲ ἀσπάραγος ἐκφύει παρὰ τὰς ἀκάνθας κορυφώδες μικρὸν. ἐκ δὲ τούτου δὲ ἔχει τὸ ἄνθος μικρόν. (Lege ἐπὶ τούτου γε ἔχει τὸ ἄνθος) ὁ δὲ σκόρπιος μονόῤῥιζον, καὶ βραχύῤῥιζον (in Græco, vox βαθύῤῥιζον redundat, vel lege εὐθύῤῥιζον) ὁ δὲ ἀσπάραγος βαθύῤῥιζον δὲ ἔυ μάλα καὶ πολύῤῥιζον, πυκναῖς ταῖς ἕλιξιν, ὥστε τὸ ἄνω συνεχὲς εἶναι ἀλῶν, ἀφ' ὧν καὶ αἱ βλαστήσεις ἀλῶν τῶν κλημάκων. ἀναβλαστάνει δὲ ὁ κλημὰξ ἐκ τῆς ἀσφαραγίας τοῦ ἦρος, καὶ εὐλώδιμος ἔστιν, εἰθ' ὅταν ἀποτραχυνθῇ, ἐξανθεῖ τε προϊούσης τῆς ὥρας. ἡ δὲ ἄνθησις οὐκ ἐκ τούτου μόνον, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν πρόσθεν. ὃ δὲ ἐπετειόκλημά ἐστιν. Legendum, ἡ δὲ ἄνθησις ἐκ τούτου μόνον καὶ οὐκ ἐξ ἄλλων τῶν πρόσθεν. τοῦτο δὲ ἐπετειόκλημά ἐστιν. Id est, Ex iis quæ distincta sunt generibus, plurima quidem sunt quæ aculeata folia habent, paucissima verò omnino, quæ in totum spinosa sunt, & vix fere inuenias præter asparagum & scorpium. Ambo post autumni æquinoctium florent. Scorpius quidem florem in carne extuberante sub extremo spinæ profert, initio candidum, postea leuiter accedentem ad purpuram. Asparagus verò iuxta aculeos exiguum quiddam clauæ simile producit, in quo florem paruum habet. Scorpius vnicam habet radicem, eámque breuem & rectam, asparagus valde profundam & numerosam, cum densis radicibus, ita vt superior pars ipsis continua sit, ex qua caules proueniunt. Producitur autem caulis vere ex asparagorum summis radicibus, vel ex

Nomina

Lib. 2. Ali.

Lib. 2. c. 118. *Genera.*

Li. 2. Alim.

Lib. 6. sim. Lib. 19. c. 8. Lib. 19. c. 4.

Lib. 6. hist. cap. 1. Lib. 21. c. 15.

Ibid.

Corol. 139. lib. 2. Dios.

Lib. 6. hist. cap. 3.

aspara

asparagorum plantario & silua, qui eduliseſt, deinde asperatur,& defloreſcit procedente tempore,flos vero ex ipſo ſolùm, non ex prioribus emergit:hic enim annuo conſtat caule: Quæ Theophraſtus dixit, ἀναβλαστάνει ὁ ἀκάνθινος ἐκ τῆς ἀσφαραγίας, Theodorus interpretatus eſt, exit caulis de Corrudagine. Verum ἀσφαραγίαν, ſeu ἀσπαραγίαν, vel pro ſummis aſparagi radicibus, vel potiùs pro aſparagorum plantario & ſilua, vt & conuertimus, videtur vſurpaſſe. Id quod & Hermolaus adnotauit. Theophraſtus aſparagiam, inquit, pro planta ipſa videtur accepiſſe, aut etiam pro loco vbi ſatus eſt aſparagus, eodē etymo ferè quo apud nos Cepina,Rapináque.Theodorus corrudaginem,quaſi aliud quàm Corruda genus interpretatur.Cato certè ad eundem modum corrudam quo cepinam & rapinam accipit.In arundineto,inquit,corrudam ſerito,vnde fiant aſparagi. Hæc Hermolaus,qui altiles aſparagos vereribus incognitos fuiſſe iudicat,corrudámque dictam ab Atticis non horminon, ſed orminion, ſiue ormenum potius, ab aliquibus Libycum,aſparagum ſilueſtrem, qui poſt inuentum altilem propriè corruda eſt. Scorpionem alibi deſcripſimus, nunc de aſparagis dicendum. Aſparagus ſatiuus ex radicibus thyrſos primū emittit teneros,virides,læues,rotundos,ſine foliis,carnoſos, digiti ferè craſsitudine, cacumine in torulos turbinato. Hos thyrſos orobanche rectè comparat Matthiolus, qui tādem increſcentes explicantur in prægrandes ramos, quibus inſunt folia capillamenti modo, & vt fœniculi tenuata, quæ occaleſcunt in ſpinulas, florem fundit paruulum, pallidum,quo decuſſo baccæ dependent rotundæ,piſi magnitudine, virides, quæ tandem maturitate rubeſcunt, ſeminibus nigris,& corneę ſoliditatis refertis. Radices circa caulem ſpongioſæ, vnde numeroſæ oriuntur radiculæ inter ſeſe implicatæ & quaſi vnitatem facientes,quas radiculas ſic illigatas & connexas olitores ſpongias appellant,inquit Columella, & veteres aſparagum ſpongiam in radicibus habere dixere. Corruda nouellis cauliculis ſeu turionibus, fructúque ſatiuo aſparago proxima eſt,cęterùm tota ſpinoſa eſt,& aculeata:nam foliorum capillaceorum loco, quibus altilis aſparagi ramuli veſtiuntur, tota ſpinis horret,minutis,breuibus,duris & pungentibus. Ex Matthiolo Aſparagum ſatiuum & ſilueſtrē hic pictum damus. Sed is ſponte perumens ſola tranſplātatione & cultu à ſatiuo differt. Quare Corruda non eſt, quæ ſpecie ab altili aſparago prorſus differt,rarior multò,vt ſcripſit Pena

Corol. 139. lib.2. Dioſ.

ASPARAGVS ſatiuus.

Lib.de re ruſt.c.6.

Forma.

In libr. 2. Dioſc.c.118

ASPARAGVS Silueſtris, Matthioli.

Lib.11. c.3.

neque

CORRVDA *Dodonæi.*

CORRVDA *Penæ.*

neque enim Veneto tractui maritimo, neque Germaniæ, Galliæ, Angliæ ve maritimis visitur, vbi tamen altilis frequens oritur: facilis autem à superiore dignotio, quod hæc tota candidior, & rigidior est, & ramis diuaricatis funditur per sepes, folia acutiora, breuiora, & magis in ordines stipata: flosculis oleę luteolis, crebris, subter alas emicantibus, semen illi non vt altili, corallij colore, sed cum maturuit, nigricat ex viridi, magnitudine aliquanto inferius, quod glomeratim proximè surculos adnascitur. Hãc scitè Pena expressit hac pictura. Magis montosis & collibus in decliui & afflatu maritimo delectatur. Altilis asparagus passim in hortis seritur & colitur. Corruda siccis & saxosis locis nascitur in Gallia Narbonensi, pręsertim in sepibus & fructetis. Ille thyrso primum cum ver appetit emicante viret, spica tum cibis expetita. Recentes hos thyrsulos in voluptatem gulæ verterunt helluones, & Rauennatibus palmam dedêre, quæ gloria etiam hodie mansit ei terræ. Hodie decoctus in iure asparagus, aceto, sale, & oleo conspersus magno gulę delectamento comeditur, & in principum delitiis est. Contra corrudæ caliculi amariusculi sunt, & nullam ferè in cibis gratiam habent. Semẽ æstate legitur. Dioscorides petræi asparagi virtutes primùm declarat. Huius cauliculi, inquit, in cibo cocti ventrem emolliunt, vrinam cient (legitur in vetere codice ὃ τὸ καύλιον ἐπ' ὀλίγον ἐψηθὲν καὶ βρωθὲν, id est, cuius cauliculus modicè elixus esitatúsque, & cætera. Cui lectioni cum experientia ratio etiam patrocinatur, quia per longiorem coctura vtraq; vis & molliendi aluũ, & ciendi vrinam exoluitur in asparagos). Radicis decoctum contra vrinæ difficultatem, regiũ morbum, renum vitia, & coxendicum cruciatus in potu proficit: cum vino autem phalangiorum morsibus auxiliatur. Si decocti succus super dente contineatur, eius dolori medetur. Semen potum ad eadem valet. Canes, vt aiunt, si decoctum bibant, emoriuntur. Asparagum etiam nasci prodiderunt arietis cornibus contusis, atque defossis, quod à veritate abhorrere credit Dioscorides. Quod verò deinceps dicit, ὁ μὲν τις ἀσπάραγος οὗτος, id est, Hic quidem asparagus, &c. ad satiuum referendum est, & quę deinde sequuntur, sicut priora illa ad silueſtrem. Declarat id quod dixit, si quis cornua arietis contusa defodiat nasci asparagum, vt sic satiuus ex silueſtri fiat. Hic quidem asparagus, & cætera. Deinde quæ sequuntur ad silueſtrem referri minimè possunt: cum enim hunc initio capitis notum esse dixisset, facultatibus

Locus.

Tempus.

Lib. 2. c. 118. *Vires & Temper.*

And. Lac.

eius

eius explicatis descriptionem non subiecisset. Hic quidem asparagus, siue altilis
Ibidem. asparagus, inquit Dioscorides, multis ramis fruticat, foliis fœniculi, longis, numerosis, radice rotunda, grandi, spongiam habente (ἔχουσα κόνδυλον, id est, tuber habente, siue tuberosa). Huius teneri cauliculi triti in vino albo, renum dolores sedant (in Græcis corruptè legitur, πάυει φρενίτιδα, sedat phrenitida, pro πάυει νεφρίτιδα, sic enim statim initio capitis, βοηθεῖ νεφριτικοῖς, opitulatur nephriticis) Assus autem elixúsve vrinæ stillicidium, difficultatémque ac dysenterias mitigat. Radix cum vino aut aceto cocta luxatos artus mulcet. Decocta cum ficis aut ciceribus sumpta, regium morbum sanat: coxendicis cruciatus stranguriámque leuat. Alligata radix, aut hausta eius decoctum conceptum adimit, & sterilitatem adfert, ποιεῖ ἄλοκον, καὶ ἄγονον, conceptionem impedit, & infœcunditatem adfert,
Lib.20.c.10 melius. Plinius eundem ferè vsum medicum de asparago altili, & siluestri prodidit. Vtilissimus stomacho cibus asparagi vt traditur. Cumino quidem addito inflationes stomachi coliq; discutiunt, iidem oculis claritatem adferunt. Ventrem leniter molliunt. Pectoris & spinæ doloribus intestinorúmque vitiis prosunt, vino cum coquuntur addito. Ad lumborum & renum dolores semen trium obolorum pondere, pari cumini bibitur: venerem stimulant: vrinam cient vtilissimè, præterquàm quòd vesicam exulcerant. Radix quoque plurimorum prędicatione trita, & ex vino albo pota calculos quoque exturbat, lumborum & renum dolores sedat. Quidam & ad vuluæ dolorem radicem cum vino dulci propinant. Eadem in aceto decocta contra elephantiasin proficit. Asparago trito cum oleo perunctum pungi ab apibus negant. Siluestris ad supradicta omnia efficacior vis, & candidiori maior. Regium morbum extenuat. Veneris causa aquam eorum decoctam bibi iubent ad heminam. Ad idem & semen valet cum anetho ternis vtrinque obolis. Datur & ad serpentum ictus succus decoctus. Radix miscetur radici marathri inter efficacissima auxilia. Si sanguis per vrinam reddatur semen asparagi, & apij, & cumini ternis obolis in vini cyathis duobus, quinis diebus Chrysippus dari iubet. Sic & hydropicis cõtrarium esse, quamuis vrinã moueat, docet: item veneri, vesicæ quoque nisi decoctum: quæ aqua si canibus detur, occidit eos. In vino decoctæ radicis succum, si ore contineatur, dentibus mederi.
Lib.2.Ali. Asparagi Galeni sententia siue regij sint, siue palustres stomacho vtiles sunt, vrinam cient & parum prębent nutrimenti. Si tamen ij probe concoquantur, olerum asparagis magis alunt, nimirum quanto illis sunt sicciores. Rursus, Asparagus petræus seu myacanthinus abstergendi vim habet, idque citra manifestam aut frigiditatem aut caliditatem. Hinc renes ac iecur infectum liberat, & maximè herbę ipsius radices ac semen. Quin & dentium dolores sanat siccitatis nomine,
Lib.4.seu. vlt. quam vel maximè dentes requirunt. Scribit Auicenna asparagos in cibis sumptos
Lib.2.stirp. suaui odore corpus commendare, verum vrinam fœtidam trahere. Hic Clusij cor-
Hisp.c.84. rudas proponere voluimus. Prior Dodonæi vel Penæ corruda fuerit. Quam Matthiolus exhibet, Clusius corrudã esse negat, sed asparagi altilis genus esse ait, quod (quia maritimis decliuioribus & herbidis locis sponte prouenit) marinum vocat, caule breuiore, firmiore, foliis crassioribus, firmioribus, ex cæruleo virentibus, baccis maioribus quàm vulgaris hortensis, & non adeò coralli modo intensè ru-
Lib.1.Ali. bẽtibus: fortè, inquit Clusius, is erit, quem Galenus ἕλειον id est, palustrem vocat. Altera Clusij corruda fruticosa est, in viridibus & mollioribus ramis, siue virgis ramosis, spinas acutas tres aut quatuor hinc inde pro foliis ferens, virides itidem vti rami sunt, florem nullum ille vidit, sed frequentes baccas rotundas vti in superiore, primum virides, deinde per maturitatem nigricantes, succo & pulpa virente plenas, qua semen includitur durum, foris nigrum, intus candidum, plerúmque vnicum, interdum bina: radix crassa, longa, superiori similis, frequens est ad Ta-

gum in

CORRVDA tertia, Clusy.

CORRVDA altera, Clusy.

gum in Lusitania, & in Bætica,solo petroso,in collibus & sepibus.Tertia eiusdem corruda cubitales profert virgas,ramosas, candidas, lignosas, & priori simules, firmis,candicantibus,& deorsum spectantibus spinis alternatim,& secundùm ramorum virgarúmque inæqualium inflexionem horridas,ad quas quina aut sena folia simul & ex eodem capite prodeunt,prioris speciei longiora,mollioráque,que cõmanducata subdulcia, & aliquãtulum gummosa deprehenduntur, fios inter folia ex alarum sinu longo tenuiq; pediculo dependet, ex viridi pallescens:deinde fructus propemodum rotundus,qui tricoccus videtur(tametsi vnicum granum contineat,rarò bina,foris nigrum,intus candidum,firmum,vti in superioribus) initio virens,per maturitatem rubescens & carnosus,siue succum & pulpam concludens lentam & viscidam:radice firmatur multiplici, velut alij siluestres asparagi,longa, crassa, intus alba, foris flauescente, fert aliquot thyrsos, qui aliorum asparagorum modo edũtur cocti & crudi cum oleo,aceto,& sale.Nusquam abundantiùs quàm supra Vlyssiponem salebrosis locis iuxta vias, non procul à Tago se obseruasse ait.Nascitur tamen & aliis Lusitaniæ locis & tota ferè Bætica.

FRAGARIA. CAP. XXVII.

HERBA quæ fraga fert,fragaria ab herbariis nominatur,quę quomodo à Græcis appellata sit nondum constat. Sunt tamen qui rubum Idæum non spinosum esse putant, quorum sententiam non improbat Fuchsius, cui non subscribit Dalechãpius, ex cuius iudicio longè alium,& verum rubum Idæum non spinosum depinximus.Apuleius Græcis κόμαρον appellari scripsit, quod si verum est,longè alia est à comaro,quam ex Dioscoride, Galeno,& aliis descripsimus:hæc enim arbor est,illa herba. Fragaria à verbo frago, quod odorem reddo significat, nominata est, Gallis *fraisier*, fructus fraga, *fraises*,Germanis *Eraltbeer*.Seruius mora terrestria vocat. Fragariam ex quinquefoliorum genere esse quidam arbitrantur,quod falsum esse ipsa quinquefolij plantæ

Nomina

In hist. plã. cap.327.

In Dum. cap.1.

Genera. inſpectio apertiſsimè teſtatur, vt fuſiùs ſuo loco dicetur. Fraga naſcuntur in montibus & ſiluis, quæ dicuntur montana, & ſilueſtria. Alia in hortis, & dicuntur ſatiua. Diſtinguuntur & colore, non tantùm loco. Sunt enim quædam alba, quædam rubra. Fragaria humi ſine caule ſpargitur, multis à radice lanuginoſis pediculis, ſingulis terna folia ſuſtinentibus, quinquefolio quodammodo ſimilia, crenata in ambitu, venoſa, flores ſunt candidi, intus lutei, figura quinquefolij floribus proximi, fructus initio viridis, rotundus, cum maturuit ruber vel albus, tum guſtu, tum odore ſuauiſsimus, radix foris atra aut rubeſcens, intus candida, multo fibrata capillitio. Alia in ſiluis & opacis montibus gignitur. Alia in hortis colitur. Aprili menſe floret, Maio & Iunio fructus eſt maturus, fragaria & fraga viridia, necdum matura frigido, ſiccóque ſunt temperamento, fraga matura frigido & humido, fragaria auctore Matthiolo refrigerat ordine primo, ſiccátque ſecundo, folia & radix vulnera & vlcera ſanant, muliebres fluxus & dyſenterias cohibent, vrinam cient, & lieni cõferunt. Herbæ & radicum decoctum potum auxiliatur iocinoris inflammationibus, mundátque renes & veſicam. Eodem ſi colluatur os, gingiuæ roborantur, dentes firmantur, deſtillationes ſiſtuntur. Fraga verò bilioſis æſtuãtibúſque ventriculis proſunt, & ſitim ſedant. Vinum quod ex iis exprimitur vlcuſculis, quæ in facie à caliditate oriuntur mirificè medetur: varos & oculorum nubeculas, calidáſque defluxiones impoſitum tollit.

Forma.

FRAGARIA.

Locus.
Tempus.
Dodo. lib. 1. cap. 17.
Vires & Temper.
In lib. 4. Dioſc. cap. 38.

CVCVRBITA. *CAP. XXVIII.*

Nomina
Lib. 1. c. 20.
Athe. lib. 2.
Genera.

NVNC cartilaginei generis plantas cucurbitas ſcilicet, & cucumeres, atque id genus alias per horti noſtri areas digeramus. Κολόκυνθα, θης, κολοκύθη, & κολόκυντα Græcis, Latinis Cucurbita dicitur, à concuruatu, quòd facilè ſi quid obſtiterit, aut fuerit impedimento quò minus extendatur, incurueſcat. Græci, vt ſcribit Ruellius, ex aduerſo vocabulum impoſuere, colocyntham nominantes, quod ſcilicet pumili breuéſque ſint fructus, quos ipſa paſsim enititur, cum corporis mole omnes herbarum arborúmve fructus videantur ſuperare. Euthydemus, cucurbitam vocauit Indicum cucumerem, quòd ſemen eius ex India fuiſſet delatum. Menodorus duplicem eſſe cucurbitam dixit, vnam Indicam, quæ σικύα, id eſt, cucumis, alteram quæ κολοκύθη vocatur. Heleſpontij longas vocarunt σικύας, cucumeres, rotundas cucurbitas. Tanta porrò naturæ cognatio eſt inter cucurbitas, cucumeres, pepones, & melopepones, vt ſæpenumero & proprietates, & nomina Græci confundant. Illud quoque ventricoſum inſtrumentum quod corpori affixum vel ſpiritu, vel leui ſcarificatu ſanguinem elicit, Græci à cucumere σικύαν, Latini à cucurbita per diminutionem cucurbitulam cognominarunt. Globoſæ verò cucurbitæ cum penitus inaruiſſent, à principio venerunt in vſus medicorum. Nunc ex ære, cornu, vitróque confingun tur. Cucurbitæ duo potiſsimum ſunt genera. Cucurbita ſatiua ſiue hortenſis, quæ κολόκυνθα ἐδώδιμος, id eſt, cucurbita edulis dicitur, Arabibus *Haraha*, *Hara*, ſeu

Charba,

Charba, Italis *Zucca*, Germanis *Kurbß*, Hiſpanis *Calabazza*, Gallis *Courge*, & *Coucourde*. Altera agreſtis, de qua poſtea. Latini ſiue cucurbita in globum tumeat, ſiue teres in longitudinem extendatur, eodem vocabulo ſunt complexi, neque ob diſſimiles formas, natura & viribus differunt. Varia enim in iis forma arte facilè effingi poteſt, vt dicemus. Herbarij tamen varias eius ſpecies & formis, & locis diſtinctas enumerant. Plinius duo cucurbitæ genera facit. Vnum reptantibus flagellis ſcandens parietum aſpera in tectum vſque, natura ſublimitatis auida. Vires ſine adminiculo ſtandi non ſunt, velocitas pernix, leui vmbra cameras ac pergulas operiēs: inde camerarium vocatur. Alterū plebeium quod humi repit. In priore mirè tenui pediculo libratur pondus immobile auræ. Cucurbita quoque omni modo figuratur, vaginis maximè vitilibus, cōiecta in eas poſtquam defloruit. Creſcit qua cogitur forma, plerumque & draconis intorti figura. Libertate verò penſili conceſſa iam viſa eſt nouem pedum longitudinis. Ex quibus perſpicuum eſt genera quæ herbarij ad formā reſpicientes conſtituunt, cucurbitæ cameratiæ & plebeiæ ſpecies eſſe. Vnam ſcilicet maiorem, alteram verò minorem. Maiorem vocant à floribus & fructu quos maiores habet. Minorem cui hæc minora ſunt. Tertiam longiorem à fructu oblongiore. Matthiolus etiam triplicem tradit eſſe cucurbitam. Longam, rotundam, & ſeſsilem. Cucurbita longa flagellis longis, ſarmentoſis, teneris, anguloſis, vitis modo ſeſe diffundens per humum repit, niſi adminicula nacta fuerit, quę capreolis ſuis, quos ſecus folia ſingulos producit, facilè complectitur: iiſdem etiam arbores & pergulas ſcandit, ſeſeque illis implicat, folia ex interuallo profert ſingula, ſingulis petiolis inſidētia, ferè rotunda, niſi maximè anteriore parte acuminati anguli eminerent, ſubcandicantia, tactu mollia, leuiter hirſuta, ampla admodum, aſari foliis haud multum abſimilia, flores iuxta capreolos & folia albos, figura liliacēos, vel in quinque foliola ſtellæ modo diuiſos, intus hirſutos partim ſteriles, partim fœcundos, qui ſic facilè internoſcuntur. Steriles breues habent in medio apices, & hirſutiores ſunt, nec qua pediculo iunguntur tuber ſiue capitulum vllum intercedit, futuri fructus ſpes: fœcundi verò in medio tria craſsiuſcula bifidáque ſtamina continent, nec ſtatim pediculo hærent: nam inter ipſos & pediculum capitulum paruum & leuiter hirſutum extuberat, cucurbita futura, iuxta adnexum in anguſtum collum deſinens, quod marceſcente flore paulatim accreſcit, deinde in magnam & longam molem, quam cucurbitam vocamus auctum matureſcit. Fructus is primùm herbaceus eſt, & lanuginoſus, cortice tenero, pulpa candida, guſtu dulci, in maturitate flauus, cortice duro, pulpa fungoſa, ſeminibuſque plena. Ea plana ſunt & compreſſa, altera parte acuminata, eáque duabus eminentiis veluti cornuta, altera latiuſcula, quorum cortex lignoſus eſt & candidus, guſtu dulcem nucleum includens. Tota planta radice nititur candida, in multas radiculas diſtracta. Cucurbita cameraria maior ſiue ſeſsilis viticulis, foliis, floribus, ſemine ſuperiori ſimilis eſt, fructu diſtat, qui in hac in orbem collectus intumeſcit, craſſūſque & latus eſt. Huic

Lib. 19. c. 5.

Fuchſ. cap. 137. Dodo. lib. 5. cap 32. In libr. 2. Dioſc. cap. 127.

Forma.

CVCVRBITA Cameraria, longa.

CVCVRBITA Cameraria maior,

proxima est cucurbita cameraria minor, siue rotunda, nisi quod semine minore est, & fructu in breue crassamentum coacto, collo oblongiore angustioréque. Sed hæ diuersæ cucurbitarum formæ olitorum arte possunt effingi. Nam semina quæ proxima collo fuerint, proceras pariunt cucurbitas: item ab imis, sed non comparandas supradictis: quæ in medio rotundas: quæ in lateribus crassas, breuioréſque. Si verò cordi sit, vt fiant incrementi vastioris, de media parte cucurbitæ semen inuerso cacumine ponito. Eæ cum inaruerint in vsum veniunt cadorum vice ad vina atque alia condenda, quod aluo capaciore plus cæteris intumeant, viatoriis ferè vasis dicatæ. Quæ seruantur ad semina, vsq; ad hyemem in sua vite depẽdeant: deinde in sole siccentur aut fumo, ne semina putrefacta depereant. Sunt & alia cucurbitarum genera peregrina, quas ferunt ab occidentis Indiis asportatas fuisse, vnde, cucurbitæ Indicæ à multis cognominantur. Hæ magnitudine, figura, colore differunt, omnes tamen ad melopeponum figuram, accedunt. Aliæ magnę sunt, aliæ paruæ, aliæ mediocres. Aliæ rotundæ, qualis hic exhibetur. Aliæ oblongæ, qualis & hic depicta est, cuius fructus admodum flauus est, quem Fuchsius nomine cucumeris Turcici depinxit. Sunt & varij coloris. Foliis sunt longè maioribus quàm nostrates, firmioribus, asperis, vitigineis, rigido pediculo adnexis, sar-

Cap. 266.

CVCVRBITA Cameraria, minor.

CVCVRBITA Indica, rotunda.

mentis

CVCVRBITA Indica longa.
Cucumis Turcicus, Fuchsij.

CVCVRBITA verrucosa.

mentis crassis, angulosis, asperis, & hirsutis, quę longo reptatu per humum diffunduntur, perticis etiam, & aliis adminiculis innixa pergulas & attegias scandunt & opacant: flores illis magni, liliorum effigie, aureo colore, fructus autumno decerpuntur, qui totam hyemem in culinis asseruãtur, semen includunt magnum, amygdalini nuclei figura, in quo nucleus dulcis & suauis. Sapor his cucurbitis nõ vt nostratibus vsque adeò insipidus. Ad hæc genera adiunxit Dalechampius cucurbitam verrucosam quæ aliis cucurbitis radice, folio, flore, capreolis similis est, fructu differt, qui in aliis læui & plano cortice tegitur, costis tamen in Indicis elatis & eminentibus, in hac verrucarum acrochordonum modo nodis plurimis tuberosus est, ludentis lasciuientisq; naturæ visendo spectaculo. Præterea cucurbitam laciniatam appellauit ille, quam peponis lati nomine descripsit Dodonæus, cuius fructus compressus est, rotundus & latus, tenui & molli cortice contectus, in ambitu laciniatus: clypei figuram refert, intus semen album continet, cucumeris semini simile, sed maius. Vulgus appellat *des oreilles.* Cucurbita quoque siluestris inuenitur, inquit Plinius, Somphos à Græcis appellata, inanis (vnde ei nomen) digitali crassitudine, non nisi in saxosis nascens. Huius commanducatæ succus stomacho admodum prodest. Cucurbitam marinam nonnulli putant esse. A' colocynthide, quæ siluestris etiam cucurbita dicitur, longè alia est. Hæc cucurbita somphos Plinij Momordica nostra est peritiorum herbariorum sententia. Cucurbita amat rigua & fimum, nec nisi sata prouenit, plurimúmque iuuatur humore. Quæ tamen sine multa rigatione conualuit, fructum iucundioris saporis præbebit. Copiam aquæ nacta minorem curam desiderat. In calidioribus locis citius, in frigidioribus tardiùs matureſcit. Cucurbitæ cibis quò longiores tenuioréſque, eo gratiores auctore Plinio, & ob id salubriores quæ pendendo creuêre: minimúmque seminis tales habent, duritia earum in cibis gratiam terminante. Inuenta est ratio qua cibis quoque seruarentur, eodémque modo cucumis, vsque ad alios penè prouentus, & id quidem in muria fit. Sed & in scrobe, opaco in loco arena substrato, fœnóque sicco opertas ac deinde terra, virides seruari tradunt. Hæc Plinius. Hodiè Genuenses cucurbitam in longas fascias solerter & ingeniosè dissectam in solatu siccant, totóque anno subdulces & quasi pauxillo saccharo conditas eas fascias seruant,

Lib. 5. c. 29.

Lib. 20. c. 3.

Locus.

Tempus.

Lib. 19. c. 5.

Vires & Temper.

CVCVRBITA
Lactuca.

Lib.1.Alb.

tanta est cæli calidioris in ea prouincia commoditas, in iusculis edunt, libra ferè quinis assibus venali. Cruda quidem cucurbita insuauis est, vt docet Galenus, stomachúmque lædit, & concoctu est difficillima: adeò vt si quis alterius cibi inopia cucurbitam edere coactus fuerit, pōdus frigidum ventriculo incumbere sentiat stomachúmque habeat euersum, ac vomiturit, quo solo vomitu à prægrentibus symptomatis poterit vindicari. Hanc igitur & alia fugacium pleráque, postquàm elixa fuerint, aut statim certè, aut in sartagine frixa, aut assa omnes edere consueuerunt. Cucurbita autem elixa nullam euidētem saporis habet qualitatem. Humidum frigidúmque, & ob id exiguum corpori præbet alimentum. Facilè autem subsidet cùm ob substantiæ suæ lubricitatem, tum ob communem omnium ciborum humidorum rationem, qui scilicet citra adstrictionem sunt humidi. Ad hæc coquitur non ægrè, si modo priùs corrupta non fuerit. Id verò illi accidit, cum parata vitiosè fuerit, aut succus prauus in ventriculo fuerit aceruatus, interdum autem quòd in ipso diu morata sit, quòd aliis quoque omnibus fugacibus quæ humido sunt temperamento solet accidere. Corrumpuntur enim in ventriculo ni celerirer occupent subsidere. Quemadmodum igitur cucurbita quantum in se ipsa est, succum qui in totum corpus alendi gratia distribuitur, habet qualitatis ad sensum expertem, ita cum alicui eorum quæ acrem, aut salsam habent qualitatem mixta fuerit, facilè illi assimilabitur. Assa autem vel frixa in sartagine, quamplurimùm quidem de propria humiditate deponit, reliquum autem ipsius nullam insignem obtinet facultatem, vti cum nec in iure simplici parata fuerit. Cæterùm ob aqueam qualitatem sibi innatam meritò gaudet origano. Omnia enim eiusmodi succis acribus, vel acidis, vel austeris, vel salsis admiscere postulant, si modò in cibo suauia sunt futura, & nauseam non paritura. Quantùm verò ad eius in medi-
Lib.7.fim. cina vsum attinet, Galenus humidæ frigidæq; temperaturæ esse scribit, vtraque qualitate secundi ordinis. Quocirca ramentorum eius succum ad aurium dolores cum phlegmone iunctos cum rosaceo vtilem esse. Sic tota quoque calida illita calidas phlegmonas mediocriter refrigerat. In esu autē humida est & sitim propel-
Lib.2.c.127. lens. Dioscorides, cucurbita esculenta, inquit, cruda trita illitu tumores & abscessus mitigat. Ramenta eius infantibus contra capitis ardorem, quam siriasin vocant in sincipite illinuntur: oculorum inflammationes podagrasque refrigerant. Succus è ramentis tusis per se, aut cum rosaceo infusus aurium doloribus auxiliatur: aduitiones cutis in ardente febre illitu adiuuat. Totius feruefactæ & expressæ succus cū melle exiguo & nitro potus, aluum leniter resoluit. Vinum in cucurbitam recentem excauatam infusum, si mistum sub dio teneatur, potum aluum mitigabit. Quæ postrema sententia cum Græcè legatur, καὶ εἴ τις κοιλάνας αὐτὴν ὠμὴν, ἐγχέας τε οἶνον, καὶ ἐξαιθεμάσας, πέρασας τε πίῃ νῆστις, μαλάττει τὴν κοιλίαν κούφως, conuertenda fuit, Si quis autem in ipsam crudam excauatam vinum infuderit, & sub dio reliquerit, ac temperatú ipsum ieiunus biberit, aluum molliet leuiter. Verùm vbi vulgares codices habent πίῃ νῆστις legitur in vetere codice πιὼν πιεῖν, hoc est

bibendum

bibendum perrexerit. Plinius eadem quæ Dioſcorides, & plura remedia ex Cucurbita deſcribit. Cucurbitæ ſatiuæ raſæ ſuccus tepefactus auribus medetur. Caro eius interior ſine ſemine clauis pedum,& ſuppurationibus, quæ Græci vocant apoſtemata. Decoctæ autem vniuerſæ ſuccus dentium motus ſtabilit, & dolores inhibet. Vinum cum ea feruefactum oculorum etiam impetus. Folia eius cum recentibus cupreſsi contuſa & impoſita:ipſa quoque toſta in argilla, ac trita cum adipe anſeris vulneribus medentur.Nec non ramentis corticis recẽtes podagras refrigerat,& ardores capitis,infantiũ maximè. Et ignes ſacros vel ſtrigmentis his impoſitis,vel ſeminibus. Succus ex ſtrigmentis illitus cum roſaceo & aceto febrium ardores refrigerat. Aridæ cinis impoſitus mirè combuſta ſanat. Chryſippus medicus eas damnabat in cibis. Sed omnium cõſenſu ſtomacho vtiliſsimæ iudicantur,& interaneorũ veſicarumq; exulcerationibus.Quos itaque Plinius dixit capitis ardores & maximè infantiũ, Dioſcorides σφεῖσι παιδίοις habet:σφεῖσια verò παιδία ſunt pueri,quos inflammatio partium circa cerebrum & membranas eius vexat:ita enim Paulus ſcribit:Σφάσις ἐστι φλεγμονὴ τῶν περὶ τὸν ἐγκέφαλον & μήνιγγας μερῶν. Et mox ipſe Cucurbitæ ramenta ad ſiriaſes præſcribit. Plinius alibi aduſtionem infantium ſiriaſim vocat. Oſsibus in canino fimo inuentis aduſtio infantium,quæ vocatur ſiriaſis, adalligatis emendatur. Et alibi infantiũ deſtillationes,folia,inquit,infantium deſtillationibus,quod ſiriaſin vocant,illita medentur. Aliquando ſimpliciter Græco verbo vtitur, vt ſiriaſeſque infantium ſpongia frigida cerebro humefacto,rana inuerſa alligata efficaciſsimè ſanat, quam aridam inueniri affirmant. His modis Plinius ſiriaſin reddidit. Strigmenta verò eadem quæ ramenta idem vocat Dioſcorides ξύσματα, & ea ſucco febrium ardores refrigerare tradit, quod Dioſcorides ait: πρὸς καυσομένων ἐπιφάνειαν ἐγχριόμενος ὠφελεῖ, ideſt,aduſtiones cutis in ardente febre illitu adiuuat.Vel vt vertit Cornarius,Cuti ſummæ à febris ardore,ac æſtu vexatæ illitus prodeſt.

Lib.20.c.3.

Lib. 1. c.13.

Lib.30.c.1.

Li.22. c.21.

Li.32.ca.10.

CVCVMER SATIVVS. CAP. XXIX.

Nomina

ICYΣ, & σίκυος ἥμερος,& σίκυον Græcis, Cucumis & Cucumer Latinis dicitur,à curuore,vt Varroni placet, quaſi Curumer. Demetrius auctore Athenæo, σικύους dictos eſſe ait ἀπὸ τοῦ σείεσθαι & κύειν,ideſt,quòd venerem cieant, cum contra veneri refragentur. Inde prouerbium fuiſſe commemorat Athenæus, τὸν σίκυον τρώγουσα γυνὴ, τὴν χλαῖναν ὕφανε.ideſt,texens palliũ mulier cucumerem deuoret.Cum enim textrices magna ex parte,ſi Ariſtoteli creditur, ſint impudicæ,vt in iis veneris impetus refrenetur,adagium edendos cucumeres textricibus conſulebat:nam venereorũ auiditatem inhibere tradidit Diphilus.Quare κατ' ἀντίφρασιν nomen impoſitum ei fuit.At potius σίκυοι dicuntur ἀπὸ τοῦ σείεσθαι & κύειν, quod ad gignendos, ſpargendos,diffundendos ramos cauleſq; valdè incitentur,non quod venerem ſtimulent. Matron ſuis carminibus terræ filium Cucumerem nominauit.Heraclides Tarẽtinus Hedygeon, quaſi terræ ſuauitatem. Recentiores Græci Cucumeres ἀγγούρια vocarunt.Symeon Sethi,ἀγγούρια τὰ λεγόμενα σίκυα, κατὰ κοινὴν δὲ τετράγωνα.Anguria Cucumeres dicuntur,communi ſermone tetrangura,Arabes *Chathe*,*Chetha* vocant,Itali *Cocomero*,Hetruſci *Cedriuolo*,quaſi Citrulum, Germani *Cucumern*,Hiſpani *Cogombro*,Galli *Concombre*. Eſt Cucumis ſatiuus, eſt & ſilueſtris. Cucumerum Græci tria genera fecere,inquit Plinius ex Theophraſto, Laconicum,Scytalicum,Bœoticum.Ex his tantum Laconicum aqua gaudere. Cucumerem Dioſcorides,vt vulgaris notitiæ plantam nõ deſcripſit, ſed nec aliorum veterum vllus ſuis notis nobis illum repræſentauit. Quare dubitatur à multis an Cucumeris noſtratis vires capite huic dicato expoſuerit Dioſcorides, an verò

Athen.ibi.

Genera.

Lib.19.c.5.
Lib.7.hiſt. cap.4.

Li.2.c.128.

vulgaris anguriæ. Sed Dioſcoridem cæteroſq; Græcos σίκυος nomine Cucumerẽ, Gallorum *Concombre*, intellexiſſe veris coniecturis aſſecutus videtur Matthiolus. Scribit enim Dioſcorides Cucumerem ſilueſtrem fructu ſolo à ſatiuo differre, cũ foliis, floribus, ſarmentis ſatiuum prorſus referat. Quibus omnibus cum hic illi prorſus ſimilis ſit, nemini dubium eſſe debet Dioſcoridem de Cucumeris noſtri vulgaris, non de anguriæ viribus hoc capite tractaſſe. His accedit Plinij auctoritas ita ſcribentis. Cucumeres creſcunt qua coguntur forma, in Italia virides, & quàm minimi, in prouinciis quàm maximi, & citrini aut nigri. Placent copioſiſſimi Africæ, grãdiſſimi Mœſiæ. Viuunt hauſti in ſtomacho in poſterum diem, nec perfici queunt in cibis, non inſalubres tamen plurimùm. Quæ de Cucumere noſtro veriſimè dici poſſunt, minimè verò de anguria. Nam anguriæ in Italia in magnam excreſcunt molem, ac cum aqueæ ſint ſubſtantiæ, ac prædulces cum maturæ fuerint, facilè à ventriculo deſcendunt, quod Cucumeribus noſtris nõ euenit, qui cum frigido glutinoſoq; ſint ſucco, obid concoctu contumaces, non niſi longo tempore labuntur. Præterea Cucumeres eodem auctore, in fiſtula flore demiſſo, mira longitudine creſcunt: quod in Cucumeribus noſtris certa experientia compertum habemus. E quorum ſemine qui poſtea ſunt orti, eandem retinuerũt formam, vt in vite ſua pendentes longi, & anguium modo contorti ſpectentur. Ad hæc natura oleum odere mirè, vt idem ſcripſit: nec minùs aquas diliguunt. Deiecti quoque ad eas modice diſtantes adrepunt: contra oleum refugiunt: aut ſi quid obſtet vel ſi pendeant, curuantur: idq; vel vna nocte deprehenditur, ſi vas cũ aqua ſubiiciatur, quatuor digitos deſcendentibus ante poſterũ diem: at ſi oleum eodem modo ſit, in hamos curuatis: quod anguriis, quæ globi inſtar rotundæ ſemper ſunt, euenire non poteſt.

Li. 2. Dioſ. ca. 118.

Li. 19. c. 5.

Ibidem.

Forma.

CVCVMIS Satiuus.

Cucumis ſatiuus igitur & eſculentus viticulis, longis, aſperis per terram repit, in quibus folia ſcabra, & quadamtenus rotunda, capreoliq;. Flores in pallido lutei: fructus longus, cartilaginei generis, tuberculis maculoſus, initio viridis, poſtremo luteus: ſemen intus cãdidum, latum. Huius ſpecies eſt Cucumis anguinus Columellæ: foliis, floribus, ſarmentorum reptatu ſuperiori ſimilis: fructu diſſimili, longo tres pedes, atque etiam amplius, anguſto, leuiter ſtriato, è viridi nigricante, anguẽ figura imitante. Quo fit, vt vel hoc genus ſit à vulgari Cucumere diuerſum, vel fructu vulgaris in fiſtulam demiſſo, & ad eam longitudinem extento, ſemen inde exemptum ſeruatumq;, talem Cucumin gignat. Cucumis ſeritur in hortis: aprica loca amat: hyemem odit & frigora. Particulatim autem floret, vt ſcribit Plinius, ſibi ipſe ſuperfloreſcens, & ſicciores locos patitur, candida lanugine obductus, magiſq; cum creſcit. Mira voluptate Tiberio Principi expetitus, vt refert Plinius, nullo quippe non die contigit ei, penſiles eorum hortos promouentibus in ſolẽ rotis olitoribus, rurſuſq; hybernis diebus intra ſpecularium munimenta reuocantibus. Quin lacte & mulſo ſemine eorum macerato, apud antiquos Græciæ auctores ſcriptum eſt ſeri oportere, vt dulciores fiant. Sic apud Theophraſtum, Τὰ τῶν σικύων σπέρματα γάλακτι βρεχόμενα καὶ μελικράτῳ γλυκυτέρους

Locus.

Tempus.
Lib. 19. c. 5.

Ibidem.

Lib. 3. cauſ. ca. 12.

CVCVMIS Longus.

CVCVMIS Anguinus.

γλυκυλέρως ποιεῖ. Ideſt,Cucumerum ſemina lacte & melicrato ſi macerentur, eos dulciores efficiunt. Inuenta eſt ratio,inquit Plinius,qua cibis ſeruarentur Cucurbita & Cucumis,vſque ad alios prouentus:& id quidem in muria fit.Sed & ſcrobe opaco in loco arena ſubſtrato,fœnoq; ſicco opertos,ac deinde terra, virides ſeruari tradunt. Salgamarij hodie ſale,aceto,fœniculo,ſampſucho condiunt. Alij trita ſinapi cum aceto. Cucumeres,vt tradit Galenus, vrinam quidem, vt & pepones cient,ſed minus quàm illi,quòd ipſorum ſubſtãtia minùs eſt humida, ideoq; non facilè,vt illi,in ventriculo corrumpuntur. Inuenias autem qui ipſos bellè concoquant. Qui autem eo ipſo ſiſi affatim ſeſe impleuerunt, tandem longo tempore ſuccum frigidum ac mediocriter craſſum in venis coaceruant, qui in ea concoctione quæ in venis fit haud facilè mutationem in probum ſanguinem recipit. Quam ob cauſam omnibus prauis eduliis abſtinendum, etiamſi ea quibuſdam concoctu ſint facilia. Nobis enim non aduertentibus prauus ſuccus ex ipſis poſt longum tempus in venis colligitur,qui poſtea exiguam ad occaſionẽ putredinem nactus, febres malignas accendit. Et alio in loco. Cucumis eſculentus maturus quidem tenuioris eſſentiæ eſt, immaturus autem craſsioris. Sed & abſtergendi & incidendi facultas eis ineſt. Quare & vrinam mouent,& corpus ſplendidum reddunt,ac magis quoque ſi quis ſemine arefacto contuſoq; atque cribrato vice pulueris abſterſorij vtatur. Superat in eis frigida humidaq; temperies, non tamen magnopere,ſed quaſi in ſecundo cenſetur ordine. Attamen ſi quis aut ſemen, aut radicem arefaciat,haud etiam humidæ fuerit naturæ, ſed iam deſiccantis: idq; in primo quodammodo ordine,aut etiam ſecundo,ſed incipiente.Eſt & in iſtis maior abſtergendi facultas, quàm in fructus ipſius carne. Quibus conſentanea ſunt quæ de eodem Dioſcorides tradidit. Satiuus Cucumis aluo & ſtomacho perquàm vtilis habetur:refrigerat,corruptionem non ſentit. Veſicæ prodeſt, olfactu reuocat quos animus liquerit:ſemen modicè vrinam mouet:cum lacte aut paſſo veſicæ vlcerationibus ſubuenit. Illita cum vino folia morſus canum ſanant, & epinyctidas cum melle.Hæc Dioſcorides, Quorum initium paulo aliter conuerti debuit.

Ibidem.

Li.2. Alim. *Vires & Temper.*

Li.3.ſimpl.

Li.2.c.128.

Sic enim

Sic enim Græcè habetur, Σίκυος ἥμερος διοίλιος, διστόμαχος, ψυχικὸς ὑ φθερσμμος. Ideſt, Cucumis ſatiuus aluum lenit, ventriculo eſt gratus, refrigerat ſi nō corrumpatur. Quæ poſtrema ideo adiecit Dioſcorides, quod ſi Cucumis in ventriculo corrumpatur, bilioſum & acrem humorem, atque inde ardentiſsimas gignit febres, vt eo non modo non refrigeretur corpus, ſed etiam exuratur. Id quod Galenus docet cum aliis locis, tum libro de Euchy. & Cacochy. his verbis. Sunt autem inter fructus Cucumeres, & Pepones, & Melopepones. Sed qui à bonitate ſucci tantum abſunt, vt niſi celeriter tranſeant, in ventre corrupti ſuccum ex ea corruptione faciant mortiferis venenis proximum. Horum probatiſsimorum auctorum ſententiæ vt aſſentiuntur omnes, adſtipulante ipſa etiam experientia, ita Diphili Caryſij opinio reprehenſione digna, qui apud Athenæum Cucumerem noxium damnauit primis menſis, vt qui rhaphani modo ſurſum feratur, vltimo cibo innocentiorem eſſe, concoctuq; faciliorem, alioqui vſum eius abdicauit. At contrà cum praui ſit ſucci, ante alios omnes cibos ſumendus, vt facilius per aluum ſubeat, nec in eo corrumpatur, quod facilè ei eueniet, ſi aliis cibis poſtremus ingeratur. Addidit his quæ vera ſunt, vrinas eo cieri, refrigerandi vim habere, difficilè in corpus diſtribui, ægrè per ventris anfractus euadere. Quinetiam horrores conciliare, bilem creare, venerem arcere. Plenilunio maximè gliſcunt in hortis Cucumeres, manifeſtumq; capeſſunt incrementum, & more marinorum echinorum implentur, vt tradit Athenæus, quod eſt aquei humoris incrementum. Sunt qui herba, quæ vocatur Culix nomine, trita, ſemen eorum macerari iubent, vt ſine ſemine naſcantur, vel priùs eorum ſemina Seſamino oleo perungi. A mulis Cucumeres expetuntur, capiuntúrque mira eorum voluptate, nec non odorem eminus ſentiunt. Quare munienda ſunt Cucumeraria, ne irrumpentes ea depopulentur, ac proterant.

Lib. 3.

PEPONES, MELOPEPONES. CAP. XXX.

Lib 19. c. 5

SVNT etiam Cucumerum ſpecies Pepones: & horum Melopepones. Plinius tradit Cucumeres cum magnitudine exceſſere Pepones vocari. Ecce, inquit, cum maximè noua forma eorū in Campania prouenit, mali cotonei effigie. Forte primo natum ita audio, vnū mox ſemine ex illo genus factum, Melopepones vocant. Non pendent hi, ſed humi rotundantur. Mirum in his præter figuram, coloremq; & odorem, quod maturitatē adepti, quamquam non pendentes, ſtatim à pediculo recedunt. Ex quibus verbis intelligere licet Pepones in genere cucumerum eſſe, & Melopepones in genere Peponū: quos Palladius Melones appellat, à mali Cydonij figura, quā referūt nomine cōpoſito Melopepones appellatos. A Peponibus autem differunt, quod Pepones maiores ſunt, magis ſtriati, magiſq; ſucculenti, ſed minùs grati, carne molliore, & ſemine pauciore, oblonga figura, vt cucumeris, Melopepones globoſa.

Nomina

Li. 2. Alim.

Πέπων igitur Græcis, inquit Galenus, τὸ πέπανον, hoc eſt maturum ſignificat, quod omnibus aliis fructibus maturis conuenit. Sed peculiarem fructum hoc nomine appellarunt, quomodo atramentum quo ſcribimus μέλαν, ideſt, nigrum. Quare medici non ſimpliciter fructum hunc nominare voluerunt Pepona, ſed σικυοπέπονα, ideſt, Peponem cucumeralem. Ariſtoteli σίκυος πέπων dicitur, & Polluci. Quinetiam ἀπερμαλίας. de quo Dioſcorides, Galenus, & Plinius ſeorſum à cucumeribus & Melopeponibus tractarunt, Gallis *Pepon*, & *Poupom* dicitur. Eius permulta ſunt genera, quæ ſapore, figura & colore diſtinguuntur. Eſt enim ventricoſus Pepo, qui à pediculo ad vmbilicum vſque ſtriatus & canaliculatus eſt. Alius quam fœminam vocant, minùs ſtriatus. Quidam totum corticem textura quadam reticulari

Prob. ſe. 20. quæſt. 32.

Genera

culari,miro naturæ artificio conſperſam habent. Aliquorum fructus grandis eſt, humani capitis inſtar,aliquando etiam maior, nonnullorum longè minor. Sunt qui herbaceo ſunt colore,alij flauo,alij pallido,nõnulli cinereo. Interior quoque pulpa varia:in quibuſdam enim rubet,in aliis albicat,in nonnullis ex albo rufeſcit. In quibuſdam dulcis,& guſtui ſuauiſsima, in aliis inſuauis & inſipida. Sunt item qui Hircini,& vulgò Turcici dicuntur.Melopepones etiam varij ſunt,nunc magni,nunc mali Cydonij figura & magnitudine. Horum caro interdum candida eſt,interdũ flaua,quandóque pallidior,aliquando ſolidior, aliquando laxior. Præferuntur candidi,ſolidi,ac ſic dulces,vt ſaccharo conditi videantur,quos ideo Saccharatos vocant, Galli *Sucorins & Sucredes* vocant. Præterea quibuſdam ſemẽ pulpæ firmiſsimè inhærer, vt cultelli mucrone particulatim euellendum ſit,aliis in medulla humida ſemen iacet,quæ concuſſo fructu ſeparatur ſponte, ac decidit à reliqua pulpa diſiuncta. Sunt præterea qui olitorum mangonio roſarum & moſchi odorem ſpirant,ſeminibus qua parte germinãt parumper apertis, & aqua roſacea quæ moſchum exceperit,maceratis. Eſt genus quoddã hybernum, quod in area non matureſcit, ſed flaueſcit laquearibus appenſum, magnaq; voluptate hyeme comeditur. Hoc Hetruſci melle ſaccharóve condiunt citrei pomi modo. At citrulus & anguria Peponum etiam ſpecies ſunt. Hæc omnia Peponum Melopeponumq; genera fœliciter in Gallia proueniunt. Pepo longis ac viticuloſis ſarmentis & hirſutis per terram reptat cucumeris modo. Folia profert vitis ſimilia,non tam profundis inciſuris diuiſa,ſcabra,hirſuta,& iuxta hæc capreolos quibus vicinis ſeſe alligat:flores magnos,luteos:fructum magnum,craſſum,rotundũ, *Forma.*

PEPO. *MELOPEPO.*

ea varietate quam diximus diſtinctum:in quo ſemen includitur, latum candidũ ſemine Cucumeris maius. Melopepo ſimilibus viticulis per terram repit, ſed minoribus,foliis etiam ſimilibus,ſed minoribus,nec tam altè inciſis:floribus itidem ſimilibus & luteis:fructu minore,rotundo,varioq;,vt diximus, ſemine itẽ minore. Ex multis qui ex eadẽ planta naſcuntur fructibus pauci ſunt qui bonitate excellãt,

cæteri

cæteri sunt insuaues. Odor suauior, crassior pediculus, ponduſq; bonitatis sunt indicia. Gaudent læto & aprico solo ac libero, quò possint latiùs euagari. Rigatione gaudent si pluuiæ defecerint. Cùm verò matureſcere cœperint, pluuiæ iis aduersissimæ sunt, ab iisq; insipidi, & gustui insuaues redduntur. Calidiore loco & æstate citiùs, frigidiore tardiùs maturantur. *Tempus.* Peponis caro, vt tradit Dioscorides in cibis vrinam ciet: inflammationes oculorum illita sedat. Lib. 2. c. 128. Ramenta eius cõtra siriasin sincipiti imponuntur: fronti admota oculorum fluxiones auertũt. *Vires & Temper.* Succus cum semine adiecta farina siccatus in sole, cogitur in smegmata, quæ facilè repurgant, & nitorem adferunt. Radix sicca, & ex hydromelite pota drachmæ pondere vomitionem mouet. Si quispiam moderatè secundum cœnam vomere cupiat, geminis obolis sit contentus. Sanat quoque illita cum melle vlcera, quæ ceria vocant. In his quæ interpres & rectè quidem transtulit. Ramenta eius contra siriasin sincipiti imponuntur, in vulgatis exemplaribus leguntur, τὸ δὲ βρέγμα αὐτῆς σιεμῶσι παιδίοις καὶ τῶ βρέγματος ἐπιλιθέλαι, videtur βρέγμα mendosè pro ξέσμα positũ fuisse, sicut ipse etiam Dioscorides de cucurbita dixit, τὸ δὲ ξέσμα αὐτῆς παιδίοις σιεμῶσι ὠφελίμως καὶ τῶ βρέγματος καταπλάσσε. Lib. 2. c. 127. Idest ramenta eius infantibus siriasi vexatis sincipiti vtiliter admouentur. Cornarius tamen vocis βρέγμα lectionem non improbat, & significare videtur, inquit, sinciput, & apicem, ac summam Peponis partem, quæ recisa eum vsum præbeat, quem cucurbitæ ξέσμα, idest, ramentum. Emb. 121. lib. 2. Eadem ferè à Plinio traduntur. Pepones qui vocãtur, refrigerant maximè in cibo, & emolliunt aluum. Caro eorum epiphoris oculorum, aut doloribus imponitur. Lib. 10. c. 2. Radix sanat vlcera in modum faui, quæ ceria vocant. Eadem contra vomitiones siccatur, & in farinam tusa datur quatuor obolis in aqua mulsa, ita vt qui biberit, quingentos postea passus ambulet. Hæc farina & in smegmata adiicitur. Cortex quoque vomitionem mouet, faciem purgat. Hæc Plinius. Qui, nisi mendosi sint codices, Dioscoridi & Galeno planè aduersatur, cum dixit radicem contra vomitiones siccari, vt legendum putet Hermolaus. Eadem contrahit vomitiones: siccatur, & in farinam, &c. Cornarius legit, Eadem ad vomitiones siccatur, &c. quam emendationem perspicuè approbat sequens Plinianæ orationis contextus. Emb. 121. li. 2. Dioſco. Quod verò dicit radicis farinam in smegmate addi, an de eadem Dioscorides intelligat cùm scribit succum cum semine admixtum, ad farinam siccatum in sole cogi ad smegmata, dubitari sanè potest. Nam etsi radici eandem quam Plinius vomitiones concitandi vim tribuat Dioscorides, nulla tamen adhuc radicis mentione facta, eius farinam qui potuit intelligere? At cum ad eum vsque locũ de Peponis carne tantùm tractarit Dioscorides, cùm etiam hæc Galeno abstergendi vi prædita sit, magisq; semen ipsius, eius carnis exsiccatæ farina hoc loco accipienda videtur, vel τὸ ἄλφιτον simpliciter farina aliqua vulgaris vt triticea, vel hordeacea, quæ si non ad abstergendũ, certè ad pastillorum formam effingẽdam, succo & semini admisceatur, eaq; forma illa excipiãtur. Galenus apertè naturam Peponum, & Melopeponum expressit his verbis. Vniuersa Peponum natura frigidior est cum humiditate copiosa: habent autem vim quandam abstergendi, cuius beneficio vrinam cient, & deorsum expeditiùs quàm cucurbita, Melopeponésve permeant. Quod porrò abstergeant intelliges, si sordidam cutem ipsis fricueris. Quamobrẽ si quis maculas à sole contractas, aut lentes in facie habeat, aut alphos, hos quoque detergent. Semen autem potentiùs detergit, quàm ipsorum veluti caro, adeò vt aduersus renes calculo infestatos conueniat. Succum autem in corpore gignit caro vitiosum, idq; potissimum cum concocta probè non fuerit. Quo casu choleræ morbo obnoxios efficere consueuit. Quinetiam priusquàm corrupta fuerit, ad vomitiones quoq; est idonea, largiusq; sumpta (nisi quis post ipsum aliquid eorũ quæ probi sunt succi supermandat) omnino vomitum excitabit. Hæc Galenus de L. 2. Alim.

Peponibus

Peponibus,qui quod radici Peponis tribuerunt Dioſcorides & Plinius, ipſius Peponis carni adſcripſit, De Melopeponibus verò ſic. Melopepones minùs quàm Pepones ſunt humidi,nec adeò praui ſunt ſucci, minùs item vrinas mouent, tardiuſq; deorſum deſcendunt. Ad vomitum præterea excitādum, non tantū quantum Pepones habent momenti.Sicut nec celeriter adeò,vt illi, in ventriculo corrumpuntur,quum prauus humor in eo collectus fuerit, aut alia quæpiam corruptionis cauſa ipſum prehenderit. Cæterùm etſi in iuuando ſtomacho, autumnalibus fructibus longè ſint inferiores,haudquaquam tamen ei vt Pepones,ſunt noxij: neque enim vomitum,vt illi,excitant. Huc accedit quod in Peponibus homines à carne intima,in qua ſemen habetur, abſtinent: in Melopeponibus autem mandunt,idq; ipſis ad deiectionem confert. Qui verò eorum quaſi carne tantùm veſcuntur,non tam cito eam ac Peponum excernunt. Ex Melopeponibus in particulas ſectis,ari,bryoniæq; radicibus,& limonum ſucco,ac caprino lacte quod hæc omnia ſuperet additis,aqua vitreis organis,vt vocant,deſtillatur,qua faciem mulieres adornant, & concinnam reddunt. Seminis Melopeponum & Peponum cremor febrientibus vtiliter ex hordeacea ptiſana propinatur, non ſolùm enim refrigerat,ſitimq; extinguit,ſed etiam obſtructiones tum hepatis, tum vaſorū expedit,& vrinam prouocat. Datur tuſsientibus,tabidis,& maraſmo affectis: atque etiam contra vrinæ ardores valde prodeſt,additis paſtillis ex halicacabo,aut glycyrrhizæ ſucco,mannæ,gummi arabici,aut tragacanthæ momento. Sed & magis confert,ſi ſeminum papaueris cremor accedat, baccarumq; halicacabi, & maluæ decoctum. Peponis ſiue cucumeris ſpecies eſt,qui Citrulus medicis dicitur, quaſi Citreolus,quod Citrei mali in forma & colore ſit æmulus, Gallis *Citrouille*, Italis *Anguria*, Auicennæ *Batheca*. Andr.Bellunenſis in expoſitione nominum Arabicorum, *Melon abrachi* inquit,eſt *Melon Indus*,ideſt,Anguria communis, quæ apud Arabes quandóque appellatur *Batheca Inda*,quandóque *Batheca viridis*,quādóque *Batheca filiſtin*, quandóque *Batheca alzachi*. Eſt & *Bathec*, ſeu *Batheca* nomen commune ad omnes ſpecies Melonū, & Anguriarum. Serapio cum de Peponibus & Melopeponibus ex Galeni ſententia dixiſſet, peculiare de anguria caput ſubiicit, quam Arabicè *Dullaha* nominat. In cuius hiſtoria & viribus exponendis cum nulla Græcorum, ſed Arabū duntaxat teſtimonia proferat, facilè intellectu eſt angurias veteribus Græcis penitus fuiſſe ignotas. Eam ob cauſam eos hallucinari qui Pepones angurias eſſe arbitrati ſunt: item Fuchſium qui Cucumerem quem primo loco deſcripſimus, Anguriam eſſe dixit. Anguria itaque folia fert colocynthidis,maiora,aſpera,per ambitum diuiſa, alarum ſeu pennarum inſtar: caulem ſarmentoſum,humi repentem ſicuti Cucumis & Pepo:florem luteum.Fructum edit magnitudine inſigni,rotundum, grauē, cortice læui contectum,herbaceo,maculoſo,& qua parte humi iacet albicante.Carne conſtat humida, aquoſa, in aliis inſipida,in nonnullis ſubacida. Semen in ea concluditur latum,Peponum ſemine duplo maius,cortice ſolidiore,& nucleo grandiore in quibuſdam nigrum,in aliis rubrū. Fructus

Matthi. in lib.2. Dioſ. ca.128.

In Hiſt.pl. ca.166. *Forma.*

ANGVRIA, Citrulus Officinarum.

Vires & Temper.

etiam immaturus in aceruo tritici diutiùs asseruatur, illicq; matureſcit. Frigidus & humidus eſt ordine ſecundo, ſiti arcendæ maximè conueniens. Quare Itali ardente ſirio eius pulpa ſeſe reficiunt: ardentibus febribus, maximeq; linguę ariditati confert: acres humores reprimit, iiſq; præſertim febrientibus auxiliatur, qui humorum malignitate potiùs vexantur, quàm copia grauantur. Nam anguria, vt Serapioni placet, aluum initio non valenter citat: quare illis conuenit qui tenues & imbecilles, macriq; ſunt, ac exangues: quibuſque alterantia potiùs humores quàm euacuantia ſunt ex vſu. Quod quamuis acidis effici poſsit, inſipida tamen, & dulcedine quadam prædita, qualis eſt anguria, ad id longè ſunt aptiora. Etenim acida incidunt & attenuant, quæ cum maciem augeant, & ventriculum lædant, imbecilli corpori, macro & exangui ſunt noxia. Quod ſi acida ſint & adſtringentia, exſicãt, nihilq; prorſus humectant. Inſipida verò quæ craſſa ſunt ſubſtantia, & quibus dulcedo aliqua, vt anguriæ ineſt, humectant ſimul & refrigerant, generántque ſanguinem aquoſum, qui flauæ bilis feruorem coërcet & extinguit, tam in hepate, quàm in venis. Anguria in calidis regionibus ſuauior prouenit. Ideoq; circa Romam, in Campania, in Apulia, Calabria, Sicilia præſtantior habetur, & mole vaſtior. Semine ex Aſia miſſo Anguriæ Lugduni prouenerunt, externa quidé ſpecie ſimiles aliis, ſed carne rubra, & guſtu tam dulci, vt aſperſæ conditæ've ſaccharo videantur. Eſt Pepo alius fructu rotũdo quadãtenus compreſſo, Melonis effigie, caulibus & foliis hirſutis vulgaris, flore luteo, ſimili, ſemine minore albo. His addendus ex Lobellio Pepo maximus Indicus compreſſus, magnitudine à ſuperioribus diſcrepans. Fructus interdum octoginta libras pendet: & folia rotundiora.

PEPO MAXIMVS INDICVS, Lobel.

MELONGENA. CAP. XXXI.

Li. 2. c. 445. *Nomina*

Lib 4. c. 71. Dioſcor. Lib. 3. c. 84.

Li. 2. c. 124.

Li. 1. de pl. *Genera*

Forma.

MELONGENA ſcriptum eſt in codice Auicennæ, & Arabicũ nomen eſt. Itali Poma, corrupto nomine *Melanzanas* vocant, Ligures *Merenzanas*, Hetruſcis, teſte Matthiolo, *Petranciani* dicuntur, Dodonæo nomine Hiſpanico *Verangenes*, Germanis *Melantzan, & Dollopffel*, ideſt, poma furoris, Gallis *Pommes d'amour*. Quidam ſuſpicãtur Mandragoram marem eſſe Theophraſti. Cur autem Poma amoris appellentur à noſtris, haud ſcio, inquit Ruellius, niſi quod fortaſsè elegantia & perpulchra placeant, & ita digna quæ amentur. Sunt tamen & alia Poma amoris, vt infra dicetur. Melenzanas mala inſana minùs ſano iudicio vocat Hermolaus, inquit Scaliger: eſitata namque nullos excitant furores: quotidianis bellariis vtuntur Genuenſes, Melongena quædam poma fert purpurea, alia in flauo candicantia, ſiue pallida, ſed cæteris omnibus partibus ſimilia: caulem erigit vnicum, ſemicubitalem, aliquando etiam cubitalẽ, craſsitudine minimi digiti, ſolidum, lignoſumq; teretem, ramoſum, ſubpurpureũ, hirſutum. Folia fert lata, fuſca, maiori ſolano haud abſimilia, ſed ſubaſpera, hirſuta, parum

MELONGENA.

parum & inæqualiter ſinuata, in mucronem deſinentia. Secus quæ breues, rubentes & hirſuti oriuntur pediculi, & in his ſinguli aculeati calices, ex quibus ſinguli item naſcuntur flores ſubpurpurei, aliquando candicantes, in acuminata, & rugoſa foliola ſtellæ modo diuiſi, in quorum medio quinque ſunt erecta lutei coloris ſtamina, in medio vno eminente apice. Floribus ſubnaſcuntur fructus oblongi, cucumeris ferè magnitudine, plerumq; rubentes, aliquãdo etiã flaui, & candicãtes, læuiſsimo cõtecti cortice, ſuccoſa, rara, & albicãte intus pulpa: ſemine numeroſo, paruo, ſiliquaſtri æmulo. Radicibus nititur numeroſis, in fibras ceu capillamenta diſtributis. Seritur in hortis & viridariis ineunte vere. Floret æſtate, & autũno fert fructum. Planta eſt frigoris impatiens. Braſauolus & Fuchſius, Hermolaum reprehendunt, quòd putarit Melongenam tertiam eſſe Mandragoræ ſpeciem, quam Morion vocant, cùm ſcribit. De Morio Mandragora nihil habeo quod addi poſsit iis, quæ à Dioſcoride notantur. Sed quoniam mala terreſtria & canina Mandragoræ fructus appellantur, in mentem ſubeunt quæ vulgò *Melanzana* vocitamus, hoc eſt, vt ipſe puto, mala inſana: de quibus nihil à veteribus ſcriptum fuiſſe deſino iam mirari, quod multa huiuſmodi reperio: ſicut hercle multa quondam fuére, quæ modo vel ignorantur, vel certè non habentur. Mala ergo inſana è frutice vulgari ſunt paſsim naſcente, vt Pepones, melones, & cucurbitæ, pari quoque cultu, foliis propè ficulneis: flore oblongo, ſpecioſo, candido. Manditur vulgò pomum ex oleo, ſale, pipere, fungorum modo coctum. Hæc Hermolaus: Ex quibus nemo ſanæ mentis colligat, mala inſana Morij mandragoræ fructus eſſe. Melongena vetus auctore Auicenna, noxia eſt, recens melior. In ea calidam temperiem ſuperare, & ſiccam eſſe ſecundo ordine, ex amarore & acrimonia calligit. Melancholiam gignit, cancrum, lepram, hæmorrhoidas, panos, dolorem capitis, & fœtorem oris. Obſtructiones hepatis & lienis efficit, niſi cum aceto cocta fuerit, colorem corporis fœdum, atrum & citrinum, vt mirum ſit Auerroëm mala inſana commendaſſe ſuo quodam modo parata. Fuchſius in his malis haud dubiè, vt in cucumere eſculento aut fungo frigidam & humidam temperiem ſuperare ſcribit. Hodie mala inſana elixa, cortice exuta, & in particulas ſecta, deinde farina aſperſa, oleo, aut butyro in patellis frigunt, menſiſq; apponunt, ſale & pipere condientes: ſunt enim guſtui non ingrata. Alij vbi paulùm inferbuerunt igni, in orbiculos vel taleolas digerunt, & in acetariis ex oleo, vel pipere & aceti momento mandunt. Salgamarij in muria acida ſeruant, cibo per hyemem & ver ori non ingrato, ſed tamen qui ægriùs coquatur. Sunt qui his malis veſcuntur ad venerem excitandam. Quod fortaſſe præſtare poſſunt, quod cum concoctu difficilia ſint, flatus pariunt.

Locus.
Tempus.

Coroll. ca. 79. l. b. 4. Dioſcor.

l. i. 2. c. 455. *Vires & Temper.*

l. 5. Colle. ca. 202.

POMVM AMORIS, SIVE AVREVM. CAP. XXXII.

Nomina

PEREGRINA quoque est,& à superiore diuersa hæc planta, quæ fructum fert Pomum Amoris nuncupatum, à quibusdam Pomum aureum,Italicè *Pomi d'oro*,Gallicè *Pomme d'amour*,*& Pomme d'or*, Germanicè *Goltoppffel*. Planta hæc caulem producit rotundum pallidum, hirsutum,ternum quaternúmve pedum altitudine, ramosum: folia magna, profundiùs incisa: ex breuibus pediculis flores luteos, quinos senósve simul, quibus succedunt Poma orbiculata,melopeponum modo striata, colore primùm viridi,deinde per maturitatem in quibusdam plantis aureo, in quibusdam rubro. Multò accuratiùs depinxit & descripsit Dodonæus lib.3.purgam. Caules, inquit, habet rotundos,bicubitales & ampliores, multis alis ramosos, succi plenos, facilè collabentes, foliis luxuriat multis,multipliciter dissectis, agrimoniæ ferè modo:flosculi lutei sub foliis prodeũt: excipiunt hos fructus rotũdi, profundis crenis striati,mediocris mali magnitudine, per maturitatem aut pulchrè rubentes,aut auri luteo colore relucentes,& sine striis, in quibus copiosa humens medulla succi instar, qua semen cõditur. Tota herba grauem fœtidúmq; odorem spirat, è viridi colore inalbicat, & aliquantulum hirsuta est. Facilè in hortis sata prouenit. Rigatione gaudet & solo pingui. Iulio & Augusto mensibus floret:Autumno fructus perficit: Hæc Mala aurea cum vniuersa planta refrigerant,aliquanto tamen minùs quàm mandragora:quare noxius est ipsius vsus. Poma tamen à nonnullis cum pipere, sale & oleo præparata & cocta eduntur. Præbent autem corpori alimentum quidem perexiguum,& hoc ipsum prauum ac vitiosum. Quidam Lycopersium esse putant memoratum à Galeno in lib.simpl. Alij Glaucium Dioscoridis.

POMA AVREA.

Locus.
Tempus.

STRAMONIA. CAP. XXXIII.

Nomina

EST etiam externa hæc planta quæ Italis *Stramonia*, *& Stramonium* dicitur, *& Pomum spinosum*, Turcis *Tatoula*, Græcis hodiè *Paracoccalon*, siue *Barycoccalon*,idest,nux grauans, siue torporem & somnum inducens,quibusdam Corona regis,Venetis *Melospinus*, Gallis *Pommes du Perou*, Germanis *Stech oppffel*, *& Rauch oppffel*. Cordo Hyoscyamus Perunianus. Fuchsius stramoniam à nonnullis inter solani species numerari scribit,non quod descriptioni respondeat,sed quod eius folia opij odorem referre videantur. Flores huius herbæ,inquit,suauem lilij odorem spirant.Videtur viribus parum à posterioribus generibus solani differre. Dodonæus Stramoniam sui generis plantam describit. Matthiolus priore commentariorum in Dioscoridem editione idem planè,quod Fuchsius de Stramonia literis mandauit. Secunda verò editione priore mutata sentẽtia nucem Methel,Stramonij fructum esse cẽsẽt Auicennæ auctoritate

In hist. pl. ca.164.

Lib.3.c.86. Li.4. Dios. ca.69. Li.4.Dioscor. ca.141.

STRAMONIA.

auctoritate fretus, qui ſcribit nucem Methel ſtupefaciendi vi præditam eſſe,& ſimilem nuci vomicæ, cortice craſsis & breuibus aculeis armato: ſemine mandragoræ, vt legit Matthiolus, vt ego, citri ſemini ſimili. Sic Stramoniæ fructus nucis imaginem refert, aculeis craſsis, & breuibus riget, ſemen mandragoræ ſemini ſimile habet. Nec dubium quin fructus ipſe atque tota planta ſoporiferæ ſit facultatis. Id quod plantæ facies ſolano non abſimilis, odorq; illius grauis apertè videtur indicare, vt etiam libro de peregrinis dicemus. Geſnerusq; Stramoniã Fuchſij nucẽ, Methel Auicẽnæ eſſe putat,& mãdragoris annumerandã videri poſſe hãc plantã,aut ſui generis potius eſſe,quã ſolani. His aſſentiri videtur Andr. Bellunenſis, & nihil aliud nucis Methel nomine deſcribere, quàm Stramoniæ fructum, his ferè verbis. Nux Methel, inquit, ex ſententia Ebeubitar, atque omnium Phyſicorum Syriorũ, & Ægyptiorum fructus eſt cuiuſdam plantæ magnitudine & foliis melõgenæ ſimilis: vnde & à quibuſdam Arabibus Berbengine nominatur,ideſt,Melongenæ ſimilis. Flos huic eſt albus,magnus,oblongus.Fructus nux Methel nuncupatus, eſt veluti nux aſpera, cortice ſpinoſo,intus ſemina habet Pomi mandragoræ ſeminibus ſimilia, dulcia, pinguia. Hoc fructu pharmacopœi & phyſici Orientales ad ſtupefaciendũ vtuntur,& nucem Methel eſſe affirmant, quia facultatibus iis præditus ſit, quas nuci Methel Auicenna attribuit,eoſdem effectus habere experientia ipſa doceat. Stramonia igitur,ſiue nux Methel caulem emittit rotundum,binos fere pedes altum, folia habet cineritia, ſolano ferè ſimilia, ſed maiora præſertim ea quæ radici propiora ſunt:flores albos, rotundos,cauos,campanæ fere effigie,lilij odore: fructus rotundos pomi inſtar,virides ſpinis vndique ſtipatos,intus melongenæ modo ſeminibus confertos. Non niſi in herbariorum hortis reperitur. Stramonia auctore Auicenna,ſtupefacit,cerebro noxia eſt, cordi aduerſatur. Carum adfert, drachmæ ſexta pars ſumpta inebriat,drachma vna eadem die interimit.

In Hort. Germ.

Forma.

Vires.

BALSAMINA. CAP. XXXIIII.

BALSAMINE ſiue Balſamina, aliis Momordica, Venetis & Patauinis *Charantia* dicitur,Hetruſcis *Pomum Hieroſolymitanum*,Italis quibuſdam *Viticella*,Gallis Pomũ mirabile,*Põme de merueille*, Cordus Cucumin puniceum vocat. Lobellius Balſaminã cucumerinam puniceã. Balſamina veteribus incognita,planta eſt,niſi ſit cucurbita ſomphos Plinij,vt ſupra monuimus,quæ tenuibus prælongíſque, & angulosis flagellis vltro citróque reptantibus euagatur: foliis vitis, aut bryoniæ, ſed minoribus, & per ambitum profundiùs inciſis,tactu aſpectúque glabris & mollibus. Capreolos prope ſingula folia producit intortos, quibus vicinis adminiculis ſeſe illigat, & ea comprehendens aſcendit. Flores edit cucumeri ſimiles, ſubluteos, quoſdam ſteriles, quoſdam fœcundos. Steriles pauca, breuia, luteáque ſtamina in medio habent, ſed nullum poſt ſe tuberculum, quod ſecuturi fructus principium ſit.

Nomina

Lib.1.plan. cap.11.

Forma.

BALSAMINA, Matth.

Locus.

Tempus.

Dodon. li. 3. ca. 87.

Vires & Temper.

Matth. in li. 4. Dioſc. ca. 177.

Fœcundi terna reflexa, biſidáque ſtamina in medio habent, & poſt ſe oblongum capitulum futuri fructus rudimentum, quod dilapſis florum foliolis paulatim in fructum excreſcit oblongum, figura plerúmque ouatum, ſiue vtrimque turbinatum, cute carnoſa, tuberoſa, aculeis rigente, Huic maturo color eſt puniceus, & vltimam maturitatem adeptus facilè rumpitur ac diſsilit, grauidámque aluum feminibus oſtendit, anguriæ ſimilibus, ſed minoribus, cortice craſſo, duro, pingui & lubrico, ac valde rubente contectis. Radice nititur, minimo digito graciliore, in fibras deſinente. Nuſquam niſi ſata & diligenter culta in hortis prouenit, nec citius fructum maturat quàm ineunte Autumno, ſiue Auguſto & Septembri menſibus. Balſaminæ poma ordine primo calida, ſicca ſecundo eſſe quidam affirmant. Hæc diu in oleo omphacino inſolantur, aut in balneo aquæ calidæ, aut in fimo equino calido macerantur. Ex quibus oleum exprimitur præſtantiſsimum ad vulnerum, & mammarum inflammationes inhibendas, doloréſque mulcendos, ad exulceratos inflammatóſque vteros ſiphone iniectum. Iidem fructus doloribus hæmorrhoidum mirè auxiliantur, oleo amygdalino dulci, aut oleo ex ſemine lini expreſſo macerati vt diximus, additis ad ſingulas olei libras, ſingulis liquidæ vernicis vnciis. Idem tam igne quàm feruente aqua ambuſtis medetur. Punctis ſauciatiſque neruis vtiliter illinitur. Vulnerum cicatrices attenuat, atque etiam delet. Scribunt recentiores quidam ſteriles mulieres fœcundas reddi, ſi à balneo ex iis, quæ ad vterum conferunt parato, eodem oleo vteri oſculum perunxerint, deinde cum viris concubuerint. Ramicoſis pueris confert eodem locum affectum ſæpius inungi. Iidem aiunt foliorum puluerem cochlearis menſura ex plantaginis ſiue equiſeti decocto, inteſtinorum vulnera ſanare. Sunt & qui eundem puluerem ad coli dolores, & inteſtinorum tormina valde commendant. Eſt & alia planta Balſamine quoque dicta, & Balſamella, ſed à ſuperiore planè diuerſa, Itali Balſaminum genere neutro vocant, Dodonæus Balſaminam fœminam, vt ſuperiorem marem, abſurdè, cum toto genere differant. Lobellius & Pena etiam Balſaminam fœminam perſicifoliam. Caulem cubito altiorem à radice mittit, rubentem vt in portulaca, inferius circa terrã, qua manum implere

BALSAMINVM, seu Balſamina fœmina, Matthiol.

Balſaminũ

Forma.

BALSAMINA, Fuch.

implere posſit crassitudine, ſuperius minimo digito multo graciliorem, cui ab inferiore parte vſque ad ſummum vndique cubitum longi, crassi & recti adnascuntur rami. Ii, & caulis, læues sunt. Pingui, carnosa, succosaq; substantia constant, vt portulacæ caules, sed multò robustiores sunt. Pinguia & mollia totam herbam vestiunt folia, salicis vel tenuifoliæ lauri foliis similia, leuiter per ambitum serrata. Flores sunt venusti, magni, in rufo purpurei, purpureis violis non dissimiles, sed multò maiores, à tergo breuem apicem, & incuruam caudam ferentes, quamuis in anteriore etiam parte longiorem apicem gerant, ex singulis floribus singula capitula prodeunt, hirsuta, in quibus milio æqualia sunt semina, nigra, aliquantulum aspera. Radicibus fulcitur crassis & robustis, à quibus numerosæ aliæ tenues, & pingues descendunt.

CAPSICVM. CAP. XXXV.

Nomina

RECENTIORIBVS planta hîc depicta Piper Indicum, Piper Calecuthium, Bresilicum, & Piper Hispanum nominatur, Gallicè *Poiure d'Inde, & Poiure d'Espagne*. Auicennæ zingiber Caninum quibusdam videtur esse, Dodonæo Actuarij Capsicum. Est Fuchsij sententia siliquastrum Plinij, à siliquis nimirum magnis & oblongis, quas producit sic dictum. Quæ & piperitis ab eo dicitur, quòd semen eius Piperis sapore & acrimonia sit, diuersa tamen ab ea quæ ab herbariis vulgò piperitis nominatur. Plinius, Castor inquit, Siliquastrum demonstrabat caule rubro & longo, densis geniculis, foliis lauri: semine albo, tenui, gustu Piperis. Et alio in loco Panax Piperis saporem reddit, & magis etiam siliquastrum, ob id piperitidis nomine accepto. Hanc piperitidē Fuchsius in quatuor distinxit genera. Est enim, inquit, maius & minus siliquastrum. Maius siliquas producit maiores, & colore subnigras, aut fuscas. Minus cōtrà minores profert, & colore puniceas. Tertium longissimas, & colore puniceas. Quantum verò latiores, multóque breuiores producit siliquas. Dodonæus in tria diuisit siliquarū magnitudine & figura distincta. Primum siliquas mediocriter longas & crassas habet, Capsicum appellat, alterum longas & angustas, vnde Capsicum oblongum dictum. Tertium breues, latas & rotundas, & Capsicum latum nominat. Cætera in his omnibus non valde dissimilia sunt. Piperitis caulem emittit cubitalem, aut etiam longiorem, minimi digiti crassitudine, in angulos striatum, viridem, & circa foliorum ramorúmque exortus in purpureo nigricantem, intus ceu sambuci medulla farctum. Habet oblonga folia initio lata, dein in mucronem fastigiata, media lauri & solani foliorum similitudine. Flores ex ramulorum alis erumpunt candidi, quinis senísve foliolis stellæ modo dispositis constantes, paucis in medio staminibus, quibus dilapsis rotunda, & sine commissura ex caliculis succrescunt vascula siue siliquæ, ea quæ iam à nobis dicta est longitudine & latitudine, principio viridia, cum maturuerunt subnigra aut fusca

Fuchs. cap. 280.

Lib.5.c.69. Lib.19.c.20

Lib.20.c.27 Lib.19.c.19.

Ibid.

Genera.

Ibid.

Forma.

CAPSICVM maius & minus, seu Piper maior & minor. Matth.

Locus.
Tempus.
Vires & Temper.

in primo genere, in reliquis punicea, siue coralli expoliti instar rubescentia atque pellucida, quæ aperta plurima in flauo candida, compressa, & lenti similia semina, sed tenuiora ostẽdunt. Radices habet numerosas, tenues, & in minimas fibras diuisas. Caulis, flores, & radices nullam insignem qualitatem habent. Vascula cum seminibus, & quod carnosum in medio est, acerrimo sapore linguam vellicant, & odorata sunt. In hortis ac in fictilibus testaceisque passim prouenit. Aestate floret, decidente flore siliquæ nascuntur. Aliud Capsicum ex Dalechampio his adiicimus, rotundum scilicet & striatum. Id nascitur in hortis, radice in plurimas exiles fibras diuisa, subluteas, caule cubitali, ac interdũ proceriore, virgato, è viridi nigrescente, ramoso, foliis in ambitu laciniatis, ad pediculum latioribus, in extremo acuminatis, superne virentibus, inferne albicantibus, flore paruo, breuibus pediculis nixo, foliolis sex albis constante, in medio luteo, fructu rotundo, rimis profundioribus fisso, rubro, pusillis granis farcto, subflauis, gustu acri. Vis eadem quæ & cæterorum generum. Exotica planta est, & non nisi magna cum diligentia semine terræ credito prouenit. Lobellius ad Solana refert, & Solanum pomiferum Herbariorum vocat, Vulgò Piper de Gui-

CAPSICVM Latum, Dodonæi.

CAPSICVM Oblongius, Dodonæi.

neæ

CAPSICVM Rotundum, Dalechamp.

CAPSICVM Brasilianum, Clusy.

neæ quamuis minime vrat. His addendum Capsicum Brasilianum, quod Clusius obseruauit in nonnullis Lusitaniæ locis, fruticosum, cubitalibus ramis, virentibus, foliis hortensis solani ferè, aliquantulum angustioribus: flore candido, exiguo, vt solani hortensis: fructu in longis pediculis, paruo, initio viridi, deinde nigricante, vti maturuit, rubro, quo clauduntur multa semina latiuscula, alterius Capsici modo, tam feruidi gustu, vt fauces aliquot dies incendat gustatum, floret & fructum profert toto autumno, & in calidioribus regionibus etiam hyeme. Illi vocant *Pimenta de Bresil*, hoc est piper Brasilianum, in qua prouincia copiosè nascitur, & multiplici in vsu est. Hæc Clusius. Valenter excalfacit atque desiccat, inquit Fuchsius, id quod seminis insignis acrimonia, & foliorum amaritudo euidentissimè monstrant, vt certè non temerè plerique hoc semine loco veri piperis vtantur, vt quod eadem facultates haud dubiè habeat. Dodonæus hoc piper Indicum calidum siccúmque esse ordine tertio, eadémque quæ Fuchsius de eius viribus tradidit, quibus addit eo cibos quibus miscetur, croceo colore inficí, ventriculum excalfieri, ciborum coctionem promoueri, strumas, cæteráque œdemata discuti, eodem cum melle illito maculas faciei lentiginésque deleri, frequentem tamen eius vsum noxium esse, quod malefica quadam vi eáque occulta præditum sit, qua canes, si id comederint, interimit. Piperitis, inquit Plinius, quam & siliquastrum appellamus, contra morbos comitiales bibitur: vtilis gingiuis, dentibus, oris suauitati & ructibus. Auicenna zingiber caninum, canes interficere scribit: calidum esse ordine secundo, siccum primo, recens cum semine tritum cutis & faciei maculas lentésque abstergere, duros tumores digerere.

Lib.5.c.69.

Lib.20.c.17

Lib.2.c.748

RHAPH

RHAPHANVS. CAP. XXXVI.

Nomina

Ῥάφανος & ῥαφανὶς Græcis,& ῥαφάνη Homero, Latinis rhaphanus, radix & radicula dicitur. Rhaphanus ἀπὸ τῦ ῥᾶ φαίνεσθαι auctore Athenæo, id eſt, quòd facilè appareat,ſibi nomen aſciuit:nam tertio à ſatu die proſilit.Radicis vocabulum,vt auctor eſt Varro,è Græcia venit in Latium, cùm veteres Græci radicem dixerint, quam nunc rhaphanum. Niſi quis forſitan arbitretur nomen accepiſſe,quod cæteras amplitudine ſuperet,vel quàm pauciſsimis magnitudine cedat. Etenim plerumque in tantam molem accreſcit, vt frigidis locis quibus gaudet, ſicut in Germania,Plinio teſte, infantium puerorum magnitudinem æquet. Id quod etiam hodie in Thuringis, & ad Erfordiam videre licet. Eſt etiam attendendum aliam eſſe herbam,quæ ſimpliciter radicula dicitur,Græcis ſtruthium,& à rhaphano plurimùm diſtat.Præterea Ariſtotelem, Theophraſtum, & alios veteres ῥάφανον, non ἀντὶ ῥαφανίδος, ſed ἀντὶ κράμβης, id eſt, non pro radice,ſed pro braſsica vſurpaſſe, quæ res Pliniũ adeo fefellit,vt radicem cum braſsica confuderit, vt cum de braſsica ageremus demonſtratum fuit, & infrà demonſtrabitur. Rhaphanus ab Arabibus nominatur *fugel*,ſiue *fegiel*, ab Italis *Raphano*, *& Radice*, à Germanis *Rettich*, ab Hiſpanis *Rauano*, *& Rauanillo*, à Gallis *Reifort*, id eſt, radix fortis, hoc eſt,acris.

Lib.2.

Lib.19.c.5.

Genera.

Dioſcorides duo rhaphani genera facit. Vnũ eſt ῥαφανὶς ἥμερος, rhaphanus ſatiuus,alterũ ῥαφανὶς ἀγρία, rhaphanus ſilueſtris. Latini Armoraciam,ſiue Armoracium vocant, hodiéque Romani antiquam rhaphani ſilueſtris appellationem retinentes, rhaphanum ſatiuum primæ literæ metatheſi Ramoraciam vocant. Theophraſtus in plura genera rhaphanum diſtribuit.Diſtinguunt hæc, inquit,foliis, radicibus, coloribus, ſuccis,atque aliis huiuſmodi,vt radicis genera Corinthium,Cleonæum,Liothalaſsium,Bœotium.Corinthia maximè adoleſcit,quę radicem habet nudam:nam ſurſum verſus protruditur non vt cæteræ deorſum.Liothalaſsia, quam nonnulli Thraciam vocant, aduerſus frigora validiſsima.Bœotia dulciſsima eſt,& figura rotunda,nõ vt Cleonæa,longa.

Lib.7.hiſt. cap.4.

Lib.2.

Athenæus Theophraſti locũ hunc citat his verbis. Θεόφραστος ἐν τοῖς περὶ φυτῶν, γένη ῥαφανίδων φησὶν εἶναι πέντε, κορινθίαν, λιοθαλασσίαν, κλεωνάιαν, ἀμωρέαν, βοιωτίαν, &c. Id eſt, Theophraſtus in libris de plantis,raphanidων genera quinque eſſe dicit, Corinthiam,Liothalaſsiam,Cleonæam,Amorheam,Bœotiam, &c. Pergit Theophraſtus Quarum autem læuia folia ſunt,eæ dulciores,& ſuauiores ſunt, quorum autem aſpera, acriores. Præterea genus eſt quoddam, cui folium eſt erucæ ſimile.

Lib. 19. c.5.

Hæc de radice Theophraſtus. Quæ tranſtulit Plinius.Sed quæ ille περὶ ῥαφανίδος ſcripſit,eadem hic de napis tradidit.Iidem naporum genera,inquit, quinque fecere,Corinthium,Cleonæum,Liothaſion (non Liothalaſsium, vt in vulgatis Theophraſti exemplaribus exaratum eſt),Bœotiũ, & quod per ſe viride dixerunt. Ex iis in amplitudinem adoleſcit Corinthium,nuda ferè radice. Solùm enim hoc genus ſupernè tendit,non vt cætera in terram.Liothaſion quidam Thracium appellant, frigorũ patientiſsimum. Ab eo Bœoticum dulce eſt,rotunditate etiam breui notabile,neque vt Cleonæum prælongum. In totum quidem quorum tenuiora folia ipſi quoque dulciores,quorum ſcabra & anguloſa,& horrida,amariores. Eſt præterea genus ſilueſtre,cuius folia ſunt erucæ ſimilia.Hæc ex Theophraſto Plinius, ex quibus perſpicuũ eſt ipſum rhaphanidas Theophraſti napos eſſe exiſtimaſſe. Sicut autem rhaphanidem pro napo hic agnouit, ita mox eodem loco rhaphani genera recenſens his verbis,Genera rhaphani Græci fecere tria, foliorũ differentia,criſpi,atque læuis, & tertium ſilueſtre, rhaphanum pro braſsica à Theophraſto vſurpatum,rhaphanidem Dioſcoridis, & eum quem hodie rhaphanum & radicem appellamus,eſſe putauit,ſicut capite de braſsica docuimus.Mox Plinius eo-

Lib.19.c.5.

dem

dem loco rectè de rhaphano radice hęc tradit. Noſtri alia fecere genera. Algidenſe à loco, longum atque translucidum. Alterum rapi figura, quod vocãt Syriacum, ſuauiſsimum ferè ac tenerrimum, hyemis quoque patiens. Præcipuum tamen eſt, quod è Syria non pridem aduectum apparet, quoniam apud auctores non reperitur: id autem tota hyeme durat. Etiamnum vnum ſilueſtre Græci agrion vocant, Pontici armon, alij leucon, noſtri armoraciam, fronde copioſius quàm corpore. In omnibus autem probandis maximè ſpectantur caules. Immitium enim rotundiores, craſsioréſque ac longis canalibus, folia ipſa triſtiora, & angulis horrida. Rhaphanus ſatiuus foliis eſt magnis, latis, ſcabris multùm laciniatis, napo ſimilibus: caulibus rotundis: floribus candicantibus: ſiliquis tumentibus, in mucronem deſinentibus, in quibus ſemen concluditur ruſum, aut fuſcũ, acre. Huic rhaphano pro vario genere cultuq; radix eſt varia, huic longa, alba, teres, tenera, fragilis, translucida, nec admodum acris, illi craſſa, napi penè figura, durior, acrior, guſtui ingratior. Rhaphanus ſecundus Matthioli eſt Rhaphanus minor purpureus Lobellij & Penę, qui multis hortis Italiæ præſertim, rubello colore colitur & editur, vt minor, ſic ſuauior, minùs acris, lautiórque ex aqua ſalita excitandæ appetentiæ gratia, idque prima menſa. Rhaphanus ſilueſtris habet folia ſatiuo ſimilia, ſed minora,

Forma.

RHAPHANVS ſatiuus, Matthiol.

RHAPHANVS ſecundus, Matthiol.

RHAPHANVS ſilueſt. Dodonæi.

& ma

RHAPHANVS purpureus minor, Lobel.

In hist. pl. cap. 255.

Lib. 2. c. 106

RHAPHANVS Rusticus, Matthiol.

Dodo. lib. 5. cap 57.

In libr. 2. Dioſc. cap. 186. Embl. 101. lib. 2.

& magis inciſa: caulem pede altiorem, flores luteos, ſiliquas paruas, in quibus ſemen minutum admodum includitur, radicem multò minorem, acriorem, vt mendoſum Dioſcoridis codicem eſſe neceſſe ſit, in quo habetur, ἐλάδη ἰσχνὴ, μαλακὴ, ὑπόδλεμος. Id eſt, interprete Ruellio, radix gracilis, tenera, ſubacris. Quare legendum eſſe ex vetere codice cenſet Lacuna, non μαλακὴ, ſed μακρὰ, id eſt, longa. Eſt enim radix ſilueſtris multò durior atque ſtrigoſior quàm ſatiua. Præterea longior, guſtúque magis feruente. Fuchſius pro ſilueſtri rhaphano ſiue armoracia plantã eam depinxit, quæ vulgò rhaphanus ruſticus, ſiue rhaphanus magnus, ſiue montanus nominatur, ῥαφανὶς ἀγεμόδλεπα Gallis *Reiffort ſauuage*, Germanis *Merrettich*, fortaſſe tũ hac appellatione, tum acri admodum huius plantæ ſapore in eam ſententiam inductus. Quæ multùm à vero abeſſe, Matthiolo & pleriſq; doctis herbariis videtur. Nam rhaphanus ſilueſtris folia rhaphano ſatiuo ſimilia habet teſte Dioſcoride, rhaphanus ruſticus folia habet multo maiora, latiora, hippolapatho ſimilia, grandiora tamen & aſperiora: caules teneros, breues, graciles, in quorũ ſummitate oriuntur candidi floſculi, deinde ſiliquæ paruæ in quibus ſemen. Radix longa eſt, craſſa, guſtatu acerrima & valde linguam vellicans. Hæc planta, præſertim radix calida ſiccáque eſt tertio ferè ordine, qua vniuerſa ferè Germania & Pannonia ad carnium & piſcium intinctus & condimenta ſinapi vice vtuntur. Recentiores, inquit Cordus, rhaphano adſcripſerunt acrem iſtam radicẽ, quam Germani *Merretti h* appellant, & ea vtuntur ſupradicti rhaphani loco, ſed malè: nullum enim ex veteribus auctorem habent, qui *Merrettich* rhaphani ſpeciem eſſe indicarit, quam plantam ipſe Cordus maius thlaſpi eſſe indicauit, quod Arabes naſturtium album appellarunt. Cornarius quoque armoracium alium rhaphanum eſſe iudicat ab eo, qui per Germaniãà pleriſq; omnibus rhaphanus ſilueſtris eſſe creditur, nimirum is quem officinæ rhaphanum maiorem, & Germani *Mherratich*, quaſi maiore vi præditam radicem vocant: niſi hæc appellatio ex armoracio per apocopen facta ſit. Creſcit circa margines itinerum, & in locis arenoſis, nonnunquam etiam in pratis. In Germania hodie ſeritur, & edomita feritate miteſcit, meliórque fit. Menſe Aprili exoritur, Iunio floret. Rhaphanus ſatiuus in hortis ſeritur. Seri autem vult auctore Plinio terra ſoluta, humida, ſimum odit, palea contentus.

Locus.

tentus.Rhaphanus ſilueſtris in foſſarum aggeribus,& locis aliis vliginoſis prouenit.Eundem etiam ſatiuum in Italia eſſe Plinius tradit.Cum enim loco iam citato rhaphanum ſilueſtrem armoraciam vocari dixiſſet,aliquanto poſt de eodem rhaphano ſilueſtri ait.Eſt & ſatiui vſus in Italia,& armoraciam vocant, de ſilueſtri armoracia non de ſatiua intelligens,quæ in Italia ſeritur, & ſerendo miteſcit:quemadmodum hodie in Germania ruſticus rhaphanus vt diximus,in hortos transfertur.Rhaphanus ſatiuus vere & æſtate ſeritur,quare æſtate & hyeme colligi poteſt, eſtq; illius vſus quotidianus.Quæ autẽ ſint eius vires,Dioſcorides declarat his ferè verbis,quæ rectiùs fortaſſe conuerti poſſunt quàm Ruellius verterit. Rhaphanus excalfacit,flatus gignit, ori ſuauis eſt,ventriculo non acceptus:ructus mouet, vrinam cit,aluum facilem reddit.Si quis ipſum à cibo ſumpſerit,diſtributioni eius vtilior erit,præſumptus autem cibum attollit ſiue ſubleuat. Prodeſt etiam vomituris datus ante cibum,ſenſus exacuit, decoctus cõtra veterem tuſsim, & craſsitudinem in pectore natam prodeſt. Cortex eius cum oxymelite ſumptus potentiùs vomitiones citat:hydropicis vtilis,admotus cataplaſmatis modo lienoſis confert. Cum melle nomas ſiſtit, ſugillata tollit. Contra viperarum ictus auxiliatur, alopecias pilis explet,lentigines cum loliacea farina exterit. His qui à fungis ſtrangulantur tam cibo quàm potu ſalutaris eſt, menſes trahit, ſemen eius vomitum proritat, vrinámque mouet. Cum aceto potum lienem extenuat.Coctum cum oxymelite calido angina laborantibus vtiliter gargarizatur.Contra ceraſtis morſum potum ex vino auxilio eſt.Cum aceto illitum gangrẽnas validiſsimè emarginat.Silueſtris rhaphani tam folia quàm radix olerum modo in cibo coquuntur. Excalfacit autem,vrinam cit,æſtuoſus eſt.Plinius quæ ſequuntur rectè de rhaphano tradit. Cortice & cartilagine conſtant rhaphani : multiſq; eorum cortex craſsior etiam quàm quibuſdam arborum.Amaritudo plurima illi eſt,& pro craſsitudine corticis. Cætera quoque aliquando lignoſa. Et vis mira colligendi ſpiritum,laxandiq; ructum. Ob id cibus illiberalis:vtique ſi proximè olus mandatur:ſi verò cum oliuis drupis, rarior ructus fit,minúſque fœtidus. Aegypto mirè celebratur propter olei fertilitatem,quod è ſemine eius faciunt.Hoc maximè cupiunt ſerere,ſi liceat : quoniam & quæſtus plus quàm à frumẽto,& minus tributi eſt, nullúmq; copioſius oleum. Sed quod paulo poſt ſubiungit,Odium his cum vite maximum,refugitq; iuxta ſatos , ad braſsicam pertinere non ad rhaphanum capite de braſsica fuſiùs oſtendimus.Vſum verò eius in medicina eodem loco attingit,vbi ait.Crudos ſuadent medici ad colligenda acria viſcerum dandos cum ſale ieiunis eſſe, atque ita vomitionibus præparant meatum. Tradunt & præcordiis neceſſarium hunc ſuccum:quãdo phthiſim cordi intus inhærentem non alio potuiſſe depelli compertum ſit in Aegypto, regibus corpora mortuorum ad ſcrutandos morbos inſecantibus. Et alio in loco eadem prolixiùs exponit.Rhaphani ſatiui decocti mane poti ad ternos cyathos comminuunt & eiiciunt calculos.Iidem in poſca decocti contra ſerpentium morſus illinuntur. Ad tuſsim etiam manè ieiunis rhaphanus prodeſt cum melle. Semen eorum toſtum,ipſúmque commanducatum ad lagonoponon. Aquam foliis eius decoctis bibere , vel ſuccum ipſius cyathis binis contra phthiriaſes:phlegmonis ipſos illinere tuſos,liuori verò recenti corticem cum melle:veternoſis autem quàm acerrimos mandere , ſemenq; toſtum, dein contritum cum melle ſuſpirioſis.Iidem & contra venena proſunt. Cæterò & ſcorpionibus aduerſatur,vel ipſo,vel ſemine infectis manibus impunè tractantibus,impoſitóque rhaphano ſcorpiones moriuntur.Salutares & contra fungorum, aut hyoſcyami venena æquè , vt Nicander tradit. Et contra viſcum quoque dari Apollodori duo iubent,ſed Citieus ſemen ex aqua tritum, Tarentinus ſuccum. Lienem autem extenuant.Iocinori proſunt,& lumborum doloribus.Hydropicis quoque ex aceto,aut

Tempus.
Vires & Temper.
Lib.2.c.106
Lib.19.c.5.
Lib.20.c.4.

sinapi sumpti,& lethargicis. Praxagoras & ilioſis dãdos censet, Pliſtonicus & cæliaccis. Inteſtinorum vlcera sanant,ac purulenta præcordiorũ,ſi cum melle edantur.Quidam ad hæc coquere eos in luto illitas malunt,ſic & fœminas purgari. Ex aceto & melle ſumpti inteſtinorum animalia detrahunt. Item ad tertias decocto eorum cum vino, enterocelis proſunt,ſanguinem quoq; inutilem ſic extrahunt. Medius ad hæc & ſanguinẽ excreantibus coctos dari iubet: & puerperis ad lactis copiam augendam. Hippocrates capitis mulierum defluuia fricari rhaphanis, & ſuper vmbilicum imponi contra tormenta vuluæ.Reducunt & cicatricem ad colorem.Semen quoq; ex aqua impoſitum ſiſtit vlcera,quæ phagedænas vocãt. Democritus venerem hoc cibo ſtimulari putat,ob id fortaſsis voci nocere aliqui tradiderunt, folia quæ in oblongis duntaxat naſcuntur, excitare oculorum aciem dicuntur. Vbi verò acrior rhaphani medicina admota ſit, hyſſopum dari protinus imperant.Hæc antipathia eſt.At aurium grauitati ſuccum rhaphani inſtillant. Nã vomituris ſummo cibo eſſe eos vtiliſsimũ eſt. Silueſtris rhaphanus vtilior vrinæ duntaxat ciendæ. Non eſt hic ſilentio prætereundum longè diuerſam plantam

Lib.26. c.8. eſſe,quæ rhaphanus agria,id eſt,rhaphanus ſilueſtris Plinio dicitur,quæ eſt Apios iſchas.Quod verò Plinius priore loco dixit,cum ſale ieiunis dandos eſſe, atque ita vomitionibus præparari meatum, Dioſcorides habet, præſumptus eleuat cibum. Quare etiam vomituris præſumptus cõmodus eſt. Quod autem Dioſcorides ait,

Lib.2.Alim. Si quis ipſum à cibo ſumat,ad diſtributionem conferre, hoc Galenus refellit his verbis.Mirari ſubit eos medicos,atque idiotas,qui poſt cœnam coctionis iuuandę gratia crudos rhaphanos eſitant, ipſi quidem hanc rem experientia ſatis ſibi exploratam eſſe affirmant,qui tamẽ ipſos ſunt imitati,omnes læſi fuerunt. At poſteriore loco Plinius ſibi ipſe repugnat,cum ſcribit,nam vomituris ſummo cibo eſſe eos vtiliſsimum,cum priore dixiſſet,ieiunis cum ſale dandos eſſe, atq; ita vomitionibus præparari meatum.Sed Galenum audiamus de rhaphano tum vt cibo, tum

Lib.2.Ali. vt medicamẽto loquentem. Vrbani,inquit,homines ſolam radiculam crudam vt plurimùm ante alios cibos cum garo alui deiiciendæ gratia mandunt,quidam autem aceti quidpiam admiſcent. Ruſtici verò cum pane ſæpenumero veſcuntur,vt aliis obſoniis quæ ſua ſponte proueniunt. Radiculæ autem caulem etiam ac folia mandunt,ſed coacti potiùs quàm voluntarij.Radix autem ex iis eſt quibus aſsiduè veſcimur, eſtq; obſonium magis quàm alimentum:nimirum quæ & ipſa cum manifeſta calfactione attenuãdi habet facultatem. Nam qualitas acris in ipſa ſuperat. Vere autẽ caulem quẽdam, qui in altum aſſurgit, gignere conſueuit, quem admodum & alia omnia quæ caulem ſunt productura,quem caulem elixantes mandunt cum oleo & garo & cum aceto, vt rapæ caulem, ac ſinapi,& lactucæ,nutritq; magis caulis iſte,quàm cruda radicula,vt qui in aqua acrimoniã omnem ponat: pauciſsimum tamen & ipſe habet alimentum.Quidam autem non caulem modò, ſed

Lib.8.fim. & radiculas ipſas elixantes mandunt,non aliter ac rapa.Et alio in loco,Rhaphanus excalfacit quidem ordine tertio,deſiccat verò ſecundo.Agreſtis autem in vtroque efficacior eſt.Quin & ſemen ipſum planta efficacius eſt,facultas ei ineſt digerẽdi. Itaque ad ſugillata, & alia id genus liuida ob talem facultatem accõmoda exiſtũt.

In lib.2. Dioſc.cap. 106. Hæc Galenus.Recens minutim inciſa radix, vt ſcribit Matthiolus, albo meraco conſperſa,& in ſartagine calfacta,pubiq; admota,ſuppreſſam vrinam euocat.Idem præſtat eiuſdem ſuccus duarum vnciarum pondere ex vino Cretico hauſtus.Corticis vncia cũ mercurialis pari pondere,croci granis quatuor, pulueris calſiæ odoratæ drachma,ſucci ſabinæ drachmis duabus,omnibus ſimul in mortario contuſis tenuiſsimo linteolo exceptis, vteriq; ceruici admotis,ægrè parturientibus mirificè ſubuenit. Eiuſdem radicis ſuccus cum oleo dulciũ aut amararum amygdalarũ, & vini albi & colocynthidis momento aurium ſonitus tollit,ſi calidus inſtilletur.

RAPVM.

RAPVM. CAP. XXXVII.

QVAE γογγύλη & γογγυλὶς Græcis, Latinis Rapum & Rapa dicitur, vnde deminutum nomẽ apud Horatium rapulum, Arabibus *Seliem, Selgem*, siue *Alsegiem*, Italicè *Rapo*, Germanicè *Ruebem*, Hispanicè *Nabo redondo*, Gallicè *Rabe*, & *Naueau rond*, Græci γογγύλης aut γογγυλίδιος vocabulum à figura quæ plerumque rotunda esse solet, detorserunt: nam quod in rotunditatem circumactum est γόγγυλον, hoc est στρόγγυλον dixerunt. Et Hippocrates gongyli vocabulum pro globulis orbiculisve qui deuorãtur, quasi catapotiis vsurpauit. Rapa verò quod ex terrę rure, quasi ruapa Varrone teste nominata est. Alij quod passim rapiatur rapi nomen inditum esse putant. A' Græcis tamen manasse id nomen facilè videri potest, qui rhaphyn & rhapyn auctore Athenæo dicunt. Rapas Lacedemonios γαστέρας id est, ventres vocare Apollas apud eundem Athenæum tradidit. Sed Nicãder Colophonius γαστέρας à Bœotis brassicas intelligi, rapas verò Zaceltidas appellari voluit. Amerias & Timachides non rapas, sed cucurbitas ita dici arbitrantur. A' rapo rapina Gallis *Rabiere*, & Rapitium deflectitur, vnde rapitios caules dixit Cato. Rapi genera duo sunt Dioscoridis sententia, rapum satiuum & siluestre. Plinius aliter ea distinxit. Genera eorum, inquit, Græci duo prima fecêre, masculum, fœmininúmque, & ea ferendi modo ex eodem semine. Densiore enim satu masculescere, item in terra difficili. Semen præstantius quò subtilius. Species verò omnium tres. Aut enim in latitudinem fundi, aut in rotunditatem globari. Tertiam speciem siluestrem appellauere, in longitudinem radice procurrente, rhaphani similitudine, & folio anguloso scabróque. Apud Athenæũ legimus Theophrasto duo esse raporum genera, marem & fœminam, & ambô ex eodem semine nasci. Hæc autem sunt Theophrasti ea de re verba. Γογγυλίδιος ὁ οἱ μὲν φασὶν εἶναι, οἱ δὲ φασὶν, ἀλλὰ τῷ ἄρρενι, καὶ τῇ θηλείᾳ διαφέρειν. γίνεσθαι δὲ ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος ἄμφω. πρὸς δὲ τὸ ἀποθηλύνεσθαι, σπαγνῶσι δεῖ μανὰς. ἐὰν γὰρ πυκνὰς, πάσας ἀπορρένεσθαι. τὸν αὐτὸν δὲ τρόπον καὶ ἐν γῇ μοχθηρᾷ σπαρῶσι. Rapi genera quidem esse alij aiunt, alij negant, sed mare & fœmina differre, nasci autem ambo ex eodem semine. Vt autem fœminæ fiant, rariùs seri oportet, si densiùs, omnes masculescere aiunt. Eodem modo si in vitiosa terra seueris. Quæ repetit Plinius his verbis. De rapis abundè dixisse poteramus videri, nisi medici masculini sexus facerent in his rotunda: latiora verò concaua, & fœminini, præstantiora suauitate, & ad condiendum faciliora: quæ sæpius sata transeunt in marem. Tria igitur sunt rapi genera quæ nos agnoscimus, & habemus, rapum latum, siue masculum, rapum rotundum, siue fœminam, tertium siluestre. Rapum satiuum profert initio folia magna, lata, aspera, profundiùs in lateribus incisa, rhaphano similia. Deinde caulem erigit, in quo flores oriuntur parui, lutei, hinc siliquæ paruæ fuscum semen includentes, quibus floribus, siliquis, & seminibus brassicæ rapum valde simile est. Radice est crassa, candida, & tanta, vt vidisse sese affirmet Plinius Rapa quadraginta libras excedentia, & Matthiolus innumera, quæ triginta libras penderent, & centum quibusdam in locis, permagno naturæ miraculo, quæ ex tam paruo semine, tribus pene mensibus, tam magnas gignit radices. Idem in Ananiensi agro longa, & colore purpurea sese vidisse ait. Illi orbiculata siue globosa radice, huic teres & oblongior & napo similior effigie, qua sola à superiore differt. Rapum siluestre, Dioscoride auctore, in aruis nascitur, frutex est cubitalis, ramosus, læuis in cacumine, folia habet læuia, digitali latitudine, aut maiora, & fructum in siliquis caliculatis. Cúmq; eorum inuolucra aperiuntur, alia intus siliqua spectatur, quæ quandam capitis speciem præbet, in qua semina paruula concipiuntur, foris nigra, intus alba. Siluestre rapum copiosè nascitur auctore Pena, apud Flandros & Germanos, qui serum,

Nomina Lib.2.Saty.2

Lib.9.

Cap.35.

Genera. Lib.18.c.13.

Lib.9.

Lib.7.hist. cap.4.

Lib.19.c.5.

Forma.

Lib.18.c.13.

In lib.2. Dioscap. 104.

Ibid.

Lib.2.c.104

RAPVM Satiuum orbiculatum.

RAPVM Longum.

RAPVM Siluestre.

RAPVNCVLVS Minor. Matth.

hoc quod folia bubus pabulo cedant. Luxuriat enim tanto foliorum numero, vt radix iam non tuberosa aut raposa, sed exilis, nec ventricosa vspiam sit, alioqui satiuæ rotundæ oblongiori non absimilis, sed discretu facilis, crispiore, rugosioréq; & vberiore folio. Huius generis est Rapistrum vulgò dictum, Lugdunensibus *Rauenon*, passim viarum margines & segetes ornans, præsertim Septentrionalium: floribus numerosis, luteis Brassicæ aut Rapi: folia sunt in caulibus sesquicubitalibus

Rapi

Rapi ſilueſtris, Braſsicæ læuore, & virore, non erucæ, quæ debentur Eryſimo Dioſcoridis: radix tenuis, non fibrata, guſtu Rapi ſilueſtris, cuius facultates etiam ferè habet, ſed vehementiores. Matthiolus Eryſimum Dioſcoridis fecit, cuius depicta eſt in Capite 42. ſub nomine Irio. Fuchſium ſecuti herbarij multi, ſilueſtre rapum eſſe putant plantam, quæ vulgò rapunculus, rapunculum & rapontium nominatur. Gallicè *Raiponce*, Germanicè *Rapunčzeln*, quo in acetariis paſsim omnes vtuntur. Sed horum ſententiæ refragatur Matthiolus, quoniam rapunculi capitula, in quibus ſemẽ concluditur, duplicia nõ ſunt, nec vlla in eius ſemine reperitur qualitas, quæ abſtergere poſsit, vt de rapi ſilueſtris ſemine dicemus. Eſt autem rapunculus planta cubitalis, primùm folia ferens, oblonga, humi iacẽtia, initio violis Martiis ferè ſimilia, deinde caules rotundos, duros, in cacumine ramoſos, in quibus folia ſunt longiora & anguſtiora. In ramulorum ſummitate flores edit purpuraſcẽtes, in cæruleum inclinantes, qui quatuor foliolis conſtant. Semen minutum in ſimplici capitulo continetur, pullo colore. Radix eſt trium, interdum quatuor digitorum longitudine, craſsiuſcula, protuberante media ipſius parte, alba, fragilis, tenera, ſubdulci ſucco prædita, id quod Dioſcorides non prætermiſiſſet, ſi rapũculus rapum ſilueſtre fuiſſet. Naſcitur in aruis non cultis, in ſepibus, & in pratis. Seritur etiam in hortis vt grandiores edat radices, quarum eſu plurimi delectantur, eduntur in acetariis & crudæ & coctæ. Dodonæus Fuchſium, opinor, ſecutus, rapunculum hunc, rapum ſilueſtre minus vocat, & alterum ſtatuit genus, Rapunculum maius ſcilicet, Gallicè *Grande raipon.ce*, quod rapum ſilueſtre maius appellat. Id rapunculi genus caules emittit rectos, cauos, in quibus folia primùm latiora oriuntur, deinde anguſtiora, in quibuſdam plantis, quas maſculas eſſe putant, atria macula notata: in caulium cacumine ſpicę magnæ, floſculis longiuſculis confertę, qui antequam dehiſcãt, corniculis incuruis ſimillimi ſunt, aperti in quatuor foliola anguſta diuiduntur, cærulea, vel purpurea, vel cineritia, vel alba. Iis ſuccedunt ſiliquulæ multę rotundæ, inter ſeſe iunctę, rapunculi ſuperioris capitulis, ſiue caliculis ſimiles, ſed minores. Radix eſt craſſa, candida, ſuccoſa, figura guſtúque ſuperiori proxima. Hanc plantam Dodonæus Alopecuron Theophraſti eſſe affirmat, qua de re alio magis idoneo loco dicetur. His aliam Rapunculi ſpeciem Dalechampius addit, quam à figura Pyramidalem vocat, quoniam pyramidis inſtar latior inferne ſit, ſuperne anguſtior. Radicem ea mittit longam, craſſam, obliquã, ſurculoſam, & pallidè ſubluteam, viuacem, vtpote quæ hyemis ſæuitiam perferat, & quotannis repullulet: caules multos hominis

In libr. 2. Dioſc. cap 104.

RAPVNCVLVS Minor, Dodon.

Locus.

Lib. 5. c. 35.

Rapũc. genus. 2.

Forma rapũc. maior.

RAPVNCVLVS Maior, Dodon.

Ibid.

PIRAMIDALIS Rapunculi genus, Dalechamp

Locus.

Tempus. Lib.18.c.13.

altitudine, per interualla foliis vestitos, rapunculo similibus, infernè prolixa ligula subiuntis aliis, aliis breuiore pediculo fultis, quibusdam caulem attingentibus, supernè verò vel parum à caule diiunctis, vel illum proximè amplectentibus. Ad singulos foliorum exortus vtrinque virgulæ prodeunt, quæ flores sustinent copiosos, cæruleos, candicantes, aspectu pulchro, rapunculi forma: quibus succedunt vascula corticosa, fermè rotunda, minuto semine distenta. Apud nos in hortis satu prouenit. Rapunculi genus esse propter foliorū, floris, seminis similitudinem arbitrantur. Sed ad rapum redeat oratio. Id in hortis seritur, potissimum æstate Iunio ac Iulio mensibus in aruis cultis. Mense Octobri cum radix summoperè extuberauerit, eruitur. Terram, inquit Plinius, non morosè eligit, penè vbi nihil aliud seri potest. Nebulis & pruinis, ac frigore vltrò aluntur amplitudine admirabili. Quare non sunt in Gallia nostra quàm in Lemouicis copiosiora, suauioráque, affatim suppeditante eius regionis cœlo nebulas, frigora, pruinásque. Plinio & Columellæ palma Nursino agro nascentibus, proxima in Algidonatis. Athenæus & Pollux è Mantinea maximè commendarunt. Alpinis quibus rara seges rapa valde vtilia sunt, & necessaria, tam ad hominum alimentum, quàm iumentorum pabulum. Χθαμαζομένη ὁ χαίρει καὶ αὐτὴ γογγυλὶς, inquit Theophrastus, καὶ ῥαφανὶς ὁμοίως ἅμα γλυκαίνεσθαι τε, καὶ τὴν αὔξησιν εἰς τὴν ῥίζαν δέπεσθαι, καὶ ὅτι εἰς τὰ φύλλα. τὰς δὲ νοσιάσεις ἡ τὰ ἰς ἐνδιαις ἐκκαυλεῖ ταχύ. Quæ sic Plinius transcripsit, frigore dulciora fieri existimantur, & grandiora, tepore in folia exeunt. Quæ æstate seruntur vindicantur ab erucarum iniuria, quæ plerumque tenella folia prorsus erodunt, commista sationis tempore semini fuligine, aut eodem semine maioris fœdi sicco per noctem macerato. Id quod Columella experientia sibi comprobatum esse asserit. Rapi cocta radix, inquit Dioscorides, alit, inflationem parit, humentem ac fluxam carnem creat, venerem stimulat. Decocto podagræ pernionésque fouentur: contritóque rapo atque impositò iuuantur. Si excauatæ radici rosaceum ceratum adigatur, & feruente cinere eliquescat, exulceratis pernionibus proficiet. Cimæ eius decoctæ manduntur, & vrinam cient. (Græcè habetur, ὁ ὃ ἐξ αὐτῆς ἀσπάραγος βιβρώσκεται ἐφθὸς, ἐστὶ δὲ διυρητικός. Id est, ipsius asparagus, &c Plinius cymas dixit, vterque turiones caulis inter folia ex summo rapo emicātes intelligit.) Semē antidotis & theriacis, præsertim quæ sensum doloris auferunt, anodyna vocant, idoneum est (τὸ δὲ σπέρμα εἰς ἀντίδοτους, καὶ θηριακὰς ἀνωδύνους ἔυθετον. Id est, semen antidotis & theriacis, quæ dolores leniendi vim habent, admodum vtile est. Quare Ruellius minùs rectè ἀνώδυνα quę sensum doloris auferunt, interpretatus est: sunt enim ea ναρκωτικὰ, id est, stupefacientia, quę sensum non propriè dolorem tollunt eximia sua frigiditate. Anodyna verò quæ non extinguendo sensum aut stupefaciendo, sed partes relaxādo, & demulcendo dolorem leniunt & mitigant.) Potum contra venena salutare est: venerem concitat. Rapum muria conditum minus alimenti sufficit, sed multò magis appetentiam recreat. Siluestre rapum additur in medicamenta quibus ad detergendam cutem in facie, totóque corpore vtimur: præsertim quæ ex

Lib.7.hist. cap.4.

Lib.18.c.13.

Lib.2 c.104 *Vires & Temper.*

lupini,

lupini,aut erui,tritici,aut lolij farina fieri solent. Eundem ferè Rapi vsum tradidit etiam Plinius his verbis. Est & Rapo vis medica. Perniones feruens imposita sanat. Item frigus vellit ex pedibus aqua decoctum. Et ius feruens podagris etiam frigidis medetur. Et crudum tusum cum sale cuicumque vitio pedum. Semen illitum & potum in vino,contra serpentes & toxica salutare esse proditur. A multis verò antidoti vim habere in vino & oleo. Democritus in totum ea abdicauit in cibis,propter inflationes. Diocles magnis laudibus tulit, etiam venerem ab eis stimulari professus:item Dionysius,magisq; si eruca cõdirentur. Tostum quoque articulorum dolori cum adipe prodesse. Siluestre Rapum in aruis maximè nascitur,fruticosum,semine candido,duplo maiore quàm papaueris. Hoc ad læuigandam cutem in facie,totoq; corpore vtuntur,mista vrina pari mensura. Erui, hordei,tritici,& lupini radix ad omnia inutilis. Quæ postrema in publicis exemplaribus deprauatissima sunt:ea enim verba, mista vrina pari mensura, & cætera, ad ea de quibus hic agitur nihil prorsus faciunt. Quare ex Dioscoride sic corrigẽda. Hoc ad læuigandam cutem in facie,totoq; corpore vtuntur, admixto in smegmata, quæ ex erui,lolij,tritici,aut lupini farina fiunt. Alio in loco tradit Rapi siluestris succum acrem,qui circa messem exceptus sit,oculos purgare,mederiq; caligini admisto lacte mulierum. De rapis verò vt cibis idem ita scribit. Quando alius vsus præstantior quàm his non est. Ante omnia namque cunctis animalibus nascuntur,nec in nouissimis satiant ruris alitum quoq; genera,magisq; si decoquantur in aqua. Quadrupedes & fronde eorum gaudent. Est homini non minor rapaciorum(melius ex vetere codice legas Rapitiorum) suis horis gratia, quàm cymarum:flaccidorum quoque,& in horreis enecatorum,vel maior quàm virentiũ. Ipsa verò durant & in sua terra seruata:& postea passa penè ad alium proventum, famemq; sentiri prohibent. A vino atque messe tertius hic transpadanis fructus. De isdem sic Galenus. Huius plantæ oleraceum quidem est quod terra extat, radix autem quæ terra continetur, dura quidem est nisi coquatur,& non esculenta: aquæ autem incocta nulla plantarum congenerum minus nutrit. Hanc quoque variè vulgò apparant,adeò vt aceto vel muria condientes, in totum annum ipsa vtantur. Succum autem in corpus distribuit mediocri crassiorem.Proinde si quis ipsa liberalius vescatur,succum crudum asseruabit,potissimum si ipsam minus iusto in ventriculo confecerit. Quod verò ad ventrem attinet,nemo ipsam, neque detinere, neque sistere dixerit,præsertim cùm cocta bellè fuerit. Coctionem enim diuturniorem postulat:eaq; est laudatissima, quæ cocta bis fuerit. Quod si sumpta crudior fuerit,concoctu est difficilior,ac flatulenta,stomachoq; noxia. Nonnumquam autem & ventrem mordicat. Præterea scribit Galenus Rapi semen venerem excitare, vt pote spiritum flatulentum procreans. Sic & radicem coctu difficilem esse, inflare, & semen generare. His adiungenda Syriconis Serhi de isdem sententia. Rapa admodum nutriunt,inquit,vrinam ciunt,inflant, genitale semen gignunt, fauces leniunt atque thoracem. Crebrior illorum vsus crassum humorem generat,& obstructiones iecoris parit. Ventrem nec sistunt, nec mouent. Si cum aceto & sale edantur, appetentiam excitant. Horum semen tritum, & haustum magna copia venerem suscitat. Aiunt enim qui hoc ipsum semẽ cum calamintha & lemnia terra sumpserit,eo die neque veneno, neque venenati animalis morsu lædi. Appensum inguinum morbis peculiari quadam proprietate medetur. Rapunculum cum sale & aceto estur ad appetentiam excitandam & ciendam vrinam,præsertim modicè elixum. Cum lupinorum aut lolij farina illitum tergit & nitidam reddit faciem, atque etiam totius corporis cutim. Foliorũ & caulium præsertim minoris succus oculis cum lacte mulieris instillatus eorum aciem acuit.

l.20 c.13.

l.4.18.c.13.

Ibidem.

Li.2. Alim.

Li.6.simpl.

NAPVS. CAP. XXXVIII.

Nomina

BOVNIAΣ Græcis,Latinis Napus nominatur, Italicè *Nauone*, Germanis *Steckrueben*,Hiſpanis *Nabicas*,Gallis *Nauet & Naueau*. Βουνιάδος appellationem à tumẽte figura, quam præ ſe fert hæc planta, Græci deflexerunt:namque radix eius in amplitudinem excreſcit, & in rotundum extuberat. Cliuos,colles, verrucoſiq; loca βόυνους nominant. Dioſcorides Napum neque deſcripſit,neque in genera diſtribuit. Apud Athenæum legimus Theophraſtum Βουνιάδα quidem non nominaſſe,cùm Nicander eo antiquior eius mentionem fecerit,ſed marem quoddam Rapum vocaſſe, quod fortaſſe Bunias eſt. Quia,opinor,Napi in raporum genere videntur eſſe, & rhaphano & rapo ſimiles, vt ex Plinio mox dicemus. Foliis etenim & radice rhaphanos referunt, caule,floribus,ſemine rapum æmulantur. Eandem ob cauſſam puto Galenum inter rapum quæ γογγυλὶς vocatur,& Napum quæ βουνιὰς diſcrimen nullum ſtatuere,

Li.2. Alim. cùm ſcribit. Siue γογγυλίδα vocare volueris,ſiue βουνιάδα hanc plántam, oleraceum in ipſa eſt,id quod è terra eminet, quæ verò in terra continetur radix. Et in lib. pharma.ſimpl. Βουνιάδος mentionem nullam fecit, gongylidis, vt ſuprà diximus,

Lib.19. c.5. vires declarauit. Plinius τῆς ῥαφανίδος Theophraſti genera ad Napos tranſtulit, Co-

Genera. rinthium,Cleonæum,Liothaſion,Bœoticum,&c.vt ex vtriuſque locis iam oſtendimus. Ex quibus apertè perſpicitur τὰς ῥαφανίδας Theophraſti,ideſt,radiculas pro

Li.20. c.4. Napis vſurpaſſe. Porrò idem Plinius velut ſuperiorũ Naporum generum oblitus, duas rurſus Naporum differentias ſtatuit his verbis. Naporũ duas differentias & in medicina Græci ſeruant. Anguloſis foliorum caulibus florentis(Cornarius emendat,Anguloſis alterum caulibus florentem)quod Bunion vocant, purgationibus fœminarum,& veſicæ,& vrinæ vtilem decoctum,potum ex aqua mulſa, vel ſucci drachma. Semen dyſentericis toſtum, tritumq; in aquæ calidæ cyathis quatuor. Sed vrinam inhibet ſi non lini ſemen vnà bibitur. Alterum genus Buniada appellant,& rhaphano & rapo ſimile:ſeminis præclari contra venena. Ob id &

Li.4.Dioſ. ca.119. in antidotis vtuntur ipſo. Ex quibus Plinij verbis colligit Matthiolus Bunion eam eſſe plãtam, quam Napum ſilueſtrem *Rura* in Hetruria appellant. Idem in epiſtolis Bunium Dioſcoridis ſilueſtrem Napum eſſe ait.Qua in re Matthiolus cum Plinio vehementer errat: nam à Bunio plurimùm Bunias differt.De quo Bunio in Vmbelliferis dicemus. Item Matthiolus duo tantùm Napi genera reperiri ſcribit,album & flauum. Album flauus craſsitudine ſuperat, & magis colore placet : eſt tamen inſipidior,& guſtui minùs gratus. Fuchſio & Dodonæo duo ſunt Napi genera, ſatiuum, & ſilueſtre:quod ſilueſtre Fuchſius non Bunium, ſed Buniada ſilueſtrem vocat. Dodonæus Bunium longè diuerſum à Buniade ſilueſtri deſcripſit. Napo ſatiuo folia ſunt multa à radice exeuntia,magna,lata,profundiſimè vtrimque inciſa, rapi foliis ſimillima, ſed læuiora. Inter hæc caulis erigitur cubitalis, in quo flores, ſiliquæ & ſemen perinde atque in rapo. Radix ſubeſt longa,rotunda,craſſa, acrior rapi

NAPVS SATIVVS.

Lib.5. Li.4.Dioſ. c.124.

In hiſt. pl. cap.63. Lib.5. c.34. Lib.5. c.23. *Forma.*

radice.

radice. Napus siluestris superiori similis est, sed foliis magis incisis, erucæ non dissimilibus, radice breuiore, sed rotundiore. Satiuus in agris & hortis colitur. Siluestris locis humidis, & secus riuos amnesq; nascitur. Plinius post rapa de Napis hæc scripsit. Napi verò Amiternini, quorũ eadem ferè natura, gaudent æquè frigidis. Et alio in loco. Palma Romæ Amiterninis datur, inde Nursinis, tertia nostratibus. Et Martialis Napos nursinas pilas appellat his versibus.

Locus.

Lib.18.c.12.

Lib.19.c.7.

Nos Amiternus ager fœlicibus educat hortis.
Nursinas poteris parcius esse pilas.

NAPVS Siluestris, Dodon.

Cocta Napi radix inflat, vt rectè scripsit Dioscorides, modicum alit. Semen eius potum venenorum vires hebetat, antidotis admiscetur. Conditur muria radix. Galenus medicamenta simplicia, quæ in theriacam adduntur expendens, siluestris Napi semen ex Creta sumẽdum esse ait. Cui non omnino adstipulandum esse censet Matthiolus, quoniã Andromachus, nec satiui, nec siluestris meminit, sed dulcis seminis Napi, quod de satiui semine potius intelligendum videtur, quia in agresti nulla dulcedo insit, sed potius acris quædam amaritudo: in satiuo verò cõtra. Præterea iunior Andromachus, item Democritus Napi tantũ semen requirũt. Quibus accedit Dioscoridis auctoritas scribentis Napi semen si præbibatur, letalia venena inefficacia reddere, & antidotis admisceri. At fortasse Galeno compertum erat siluestris ex Creta semen peculiari, quadam virtute aduersus venena pollere, atque ob id in theriacam addẽdum, quo tamen destituti satiui semine vtendum in antidotis esse censet Matthiolus. Id semen eodem Matthiolo auctore, necat interaneorum animalia ex limonum aut arantiorum succo potum: ex adianti siue lentium decocto cum alia exanthemata, tum sublimia illa, quæ vulgò Morbillos vocant, ad cutim pellit, tum quod ab imis corporis partibus ad extimas partes morbificam materiam ducit, tum quod propria vi morbi malignitati resistit. Datur vtiliter cochlearis mensura ex vino addita seminis lini drachma ad ciendam vrinam. Ventriculi cruditates vomitione extrahit, si ex oxymelite & tepente aqua hauriatur. Summopere etiam prodest multis diebus eius seminis drachmam ex marrubij decocto propinare ictericis, & aquæ intercuti incipienti.

Li.2.c.105. *Vires & Temper.*

Lib.1 de Antid.

Li.5. Epist.

Li.2. Dios. ca.105.

SINAPI. CAP. XXXIX.

GRAECI σίνηπι & σίναπι, νάπυ Athenienses appellauerunt auctore Athenæo, & Plinio, alij Thapsi, alij Saurion, Latini Sinapis & Sinapi, Arabes *Cardel*, seu *Chardel* Itali *Senape*, Germani *Senff*, & *Senff*, Hispani *Mostaza*, Galli *Seneue*, & *Mousstarde*, inde fortasse deducta appellatione, quod cum musto acre illud Sinapis semen ad intinctus conteri soleat. Dicitur autem σίνηπι auctore Athenæo, ὅτι σινεῖ τὰς ὄψεις τῇ ὀδμῇ idest, quod olfactum luminibus officiat. νάπυ verò quasi νάφυ eodem interprete, quoniam non sine natura sit, sed acri, ac proinde incommoda. Addit quod vel pusilla sit corpore: namque ἀφυὲς dicũt quod natura priuatũ sit, inde piscis apua nominatur detracta aspiratione

Nomina

Lib.9.

Lib.19. c.8.

Lib.9.

aſpiratione. Alij Napi per priuationẽ, videlicet νήπιον, quaſi immite dici volunt, quoniam acrimoniæ vehementis particeps ſit. Sinapis tria genera numerant Matthiolus & Dodonæus, Fuchſius duo duntaxat. Plinius trium generum eſſe dicit. Vnum gracile, alterum ſimile rapi foliis, tertiũ erucæ. Semen optimũ Ægyptium. Sinapi igitur aliud eſt hortenſe ſiue ſatiuum, aliud ſilueſtre. Hortenſe duplex. Vnum ſemine fuſco, ſiue rufeſcente, alterum candido. Hoc album, illud nigrum Galli vocant. Sinapi hortenſe, cæteris maius, nigrũ & vulgare caulem habet hirſutum, ramoſum: folia terræ propinqua rapo, aut erucæ, haud abſimilia, minora tamen & aſperiora, toto ambitu inſecta: folia alia minora & crenata: flores luteos: ſiliquas rotundas & hirſutas, plenas ſemine in rufo nigreſcente, calido & acri, atque ideò celebri apud Gallos adagio, qui inſignem veteratoris aſtutiã indicaturi, Sinapi callidiorẽ eſſe aiunt, quod ignea vi ſemen nares & cerebrum apprehendat, & lacrymas excitet. Alterum hortenſe caule, foliis, & proceritate ſuperiori ſimile eſt: flores eidem lutei, & in ſiliquis ſemen pallidum & minùs acre. Satiuum Sinapi ſemine albo facit Pena ſimile prorſus figura & ſemine Napi vulgaris, ſed albo, duplo maiore. Iſtud vero Matthioli ſecundum, Lobellius & Pena ſilueſtre faciunt apij, aut potius laueris folio, cætera haud admodum diſsimile figura & ſeminis acrimonia. Sinapi tertiũ Matthioli erraticum eſt folio & ſemine tenui, quod Lobellius

Gener. Li. 2. Dioſ. ca. 148. Lib. 5. ca. 55. Ca. 203. Lib. 19. c. 8.

SINAPI Hortenſe.

SINAPI Satiuum.

SINAPI Silueſtre.

bellius & Pena appellant Sinapi siluestre minus Bursæ pastoris folio. Aridis locis iuxta margines & rudera prope vrbes nascitur, foliis valde laciniatis, Bursæ pastoris similibus, sed acutioribus minutioribusq; laciniis: flores veluti in vmbellis, & siliquæ circa summitates eryſimi Dioscoridis: caulis pedalis. Tota planta gustu est sinapi feruidissima. His Sinapi echinatum Dalechampius addidit, quod in agris prope Monspelium gignitur, radice crassiuscula, fibrata, caulibus multis, cubitalibus: foliis longis, angustis, in ambitu nonnihil laciniatis, in caulibus paucis: flore luteo, quinque foliolis constante, echinis quadrangulis semen cõtinentibus, gustu acre. Aliud Sinapi Amarum cognominatum ex eodem, hîc pictum damus: gaudet hæc planta pinguibus & humidis locis, in quibus seri cannabis solet. Ad altitudinem cubiti surrigitur, radicibus paucis, breuibus, gracilibus, albis: caule cubitali, virgato, rubescente, intus fungosa medulla pleno, surculoso: foliis longis, angustis, obscuriùs virẽtibus, hyssopo ferè similibus: flore aureo, densiùs cõgesto, in quatuor foliola explicato: semine minutulo, rufo, siliquis oblongis & prætenuibus incluso: saporis in tota planta & omnibus eius partibus amarissimi. Flos Augusto mense prosilit, & ad Nouembrem vsque particulatim emicat. Frequens hæc planta est in agris Arari vicinis iuxta Insulam & Cœnobium D. Barbaræ, propè Lugdunum. Vtrumque Sinapi satiuum in hortis & aruis colitur. Terram diligit aratam, & si fieri potest congestitiam: quamuis vbicumque nascatur, & nullo cultu plerumque germinet. Siluestre saxosis locis & humidis, & secus vias prouenit. Iunio & Iulio mensibus floret, deinde semen profert. Eius in medicina multæ & magnæ vires. Nam auctore Dioscoride, ad calfaciendum, extenuandum, attrahendum efficax est. Ad eliciendã capitis pituitam manditur: contra præduros tonsillarum tumores, ac veterem callosamq; arteriæ scabritiem succus ex aqua & melle conuenienter gargarizatur: sternutamenta ciet tritum & naribus admotum: comitialibus quoque auxiliatur: fœminas vuluæ strãgulatu oppressas excitat: lethargicis derasso capite illinitur. Ficis admistum & impositum donec rubescat locus, ad coxendicum cruciatus, lienes, & omnis generis veteres dolores confert, cum permutandi mali causa ex alto ad superficiem attrahere volumus. Alopeciis illitum medetur: faciem purgat: fugillata cum melle, adipe, aut cerato rapit: feræ impetigines & lepræ eo cum aceto perunguntur. Contra febrium circuitus aridum bibitur, aut potui polentæ modo inspergitur (Græcè legitur, σίνε)

SINAPI Echinatum.

SINAPI Amarum, Dalechampij.

Tempus. Vires & Temper. Li. 2. c. 149.

πίνεται δὲ καὶ πρὸς περιόδους ξηρὸν, ὡς ἄλφιτα ἐπιπασσόμενον τῷ πόσῳ. Quod sic melius vertetur. Bibitur autem aridum contra circuitus febrium, instar pollinis potui inspersum.) Attrahentibus emplastris, scabiemq; extenuãtibus vtiliter admisceri solet: tritum grauitati aurium, & sonitui cum fico impositum prodest. Succus ad hebetudines oculorum, & genarum scabritias magna vtilitate cum melle illinitur. Expressus recenti semine succus in sole siccatur. Plinius de Sinapi hæc scribit. Id
Lib.19.c.8. esse acerrimum sapore, ignei effectus, ac saluberrimum corpori, nulla cultura, melius tamen planta translata. Quin è diuerso vix est fato semel eo liberare locum, quoniam semen cadens protinus viret. Vsus eius etiam pro pulmentario in patinis decocto, citra intellectum acrimoniæ. Coquuntur & folia, sicut reliquorum
Li.20.c.22. olerum: Alio in loco eius effectus, & vsum fusiùs persequitur. Sinapi Pithagoras principatum habere, ex his quorum in sublime vis feratur, iudicauit: quoniam non aliud magis in nares & cerebrum penetret. Ad serpentium ictus & scorpionum tritum cum aceto illinitur. Fungorum venena discutit. Contra pituitam tenetur in ore, donec liquescat, aut gargarizatur cum aqua mulsa. Ad dentium dolorem manditur. Ad vuam gargarizatur cum aceto & melle. Stomacho vtilissimum contra omnia vitia, pulmonibusq;. Excreationes faciles facit in cibo sumptum: datur & suspiriosis. Item comitialibus tepidum cum succo cucumerum. Sensus atque sternutamentis caput purgat, aluum mollit, mẽstrua & vrinam ciet. Hydropicis imponitur: cum fico & cumino tusum ternis partibus comitiali morbo. Ex vuluarum conuersione suffocatas excitat odore, aceto misto: item lethargicos. Mox Sinapismi vsum qui fit cum ficubus, & sine ipsis ad rubrificationem vsque declarat. Etsi vehementior somnus lethargicos præmat, cruribus, aut etiam capiti illinitur cum fico ex aceto. Veteres dolores thoracis, lumborum, coxendicum, humerorum, & in quacumque corporis ex alto vitia extrahenda sunt, illitũ caustica vi emendat, pustulas faciendo. At in magna duritia sine fico impositum (Legit Dalechamp. At in magna lienis duritia, &c.) Vel si vehemẽter vrigo timeatur, per duplices pannos. Vtuntur ad alopecias cum rubrica, psoras, lepras, phthiriases, letanicos (falsò habent habent vulgata exemplaria lithanicos) opisthotonicos. Inungunt quoque scabras genas, aut caligantes oculos cum melle. Succusq; tribus modis exprimitur in fictili, calescítque in eo in sole modicè. Exit & è caulículo succus lacteus, qui ita cum induruit, dentium dolori medetur. Semen ac radix cum immaduere musto, conteruntur, manusq; plenæ mensura sorbentur ad firmandas fauces, stomachum, oculos, caput, sensusq; omnes: mulierum etiam lassitudines, saluberrimo genere medicinæ. Calculos quoque discutit potũ ex aceto. Illinitur & liuoribus, sugillatisq; cum melle & adipe anserino, aut cera Cypria fit, & oleum ex semine madefacto in oleo, expressoq;, quo vtuntur ad neruorum
Li.8.simpl. rigores, lumborumq; & coxendicum perfrictiones. Horum omnium effectuum causas breuiter reddidit Galenus his verbis. Sinapi calfacit & siccat ordine quarto.
Li.9. med. loc. Alio in loco Sinapi Alexandrinum probat, sicut Plinius Ægyptium. Rectè etiam Symeon Sethi scribit Sinapi vim habere dissoluendi, & discutiendi humiditates quæ in capite, & stomacho sunt. Conferre etiam lienis affectibus ab humiditate & flatu procreatis. Item quartanis morbis, qui ex adusta pituita contracti sunt. Adhæc & podagris à pituita factis. Officere verò visui, & calido capiti, & iecori. Adiuuat concoctionem & distributionem ciborum crassarum partium. Minuit quæ in ventriculo sunt humiditates. Illitum lepris eas in melius mutat. Linguas etiam humiditate grauatas siccat. Si cum melle sumatur, tusses resoluit. Cum caricis verò ischiadicis illitum, & lienosis, vtile est: trahit enim quæ intus sunt ad corporis superficiem. Suffitum verò & incensum serpentes fugat. Nostri musteum semen nocte macerãt aqua, deinde manibus expressum adiecto aceto pila terunt,

acerrimo

acerrimo ciborum cõdimento. Alij per vindemias cùm musto maduerit semen conterunt, ita magnam acrimoniæ vim exuit, totoq; anno seruatur. Nec hodie quicquam hyeme ad intinctus vbiq; cibis frequentiùs immiscetur, gratissimo obsoniorum condimento: nihil quoque frigidis diebus magis epulas videtur commendare. Quod si vel assidua consuetudine, vel vsu, gratia ciborum exolescit, huius acrimonia fastidiosis gustum reuocant, & hoc velut irritamento elangueſcentem appetentiam inuitant, quo velut igniculo morosiùs palatum titillante, vorandi moliuntur auiditatem. Sed huius vis confestim in sublimè fertur, vt ex Plinio diximus, nec aliud magis in nares ac cerebrum penetrat. Quare si modus abfuerit, huius odor naribus raptus, statim sternutamenta ciet, & vellicans sensum lacrymas elidit, quod & testatur Columella canens. Lib.10.

Sæq; lacessenti fletum factura Sinapis.

Vnde Aristophanes Cleonem ira percitum, contracta fronte, & indignabundum excandescentemq; innuens, dixit. In Equit.

Κ'άλεψε νάπυ, καὶ μέτωπ' ἀνέσπασεν.

Conspexit Sinapin & frontem contraxit.

ERVCA. CAP. XL.

ΕΥΖΩΜΟΝ Græcis, Eruca Latinis nominatur, Arabibus *Iergir*, *Ergir* seu *Giargir*, Italis *Ruchetta*, *& Rucola*, Germanis *Rokette*, *& Rokelen*, Hispanis *Oruga*, *& Aruga* Gallis *Roquette*. Εὔζωμον dictum volunt, quod iura commendet, habeatq; peculiarem in eis gratiam: quod dixit Plinius, in condiendis obsoniis tanta est Erucæ suauitas, vt Græci Εὔζωμον appellauerint. Erucam verò, quod erodat: nam si degustaueris, os & linguam satis acriter vellicabit. Ea duplex est, satiua, & Siluestris. Satiua folio est longo angustoq; in profundas, sed rariores crenas diuiso, sisymbrij aquatici modo, sapore acri & amariusculo: caule pedali aut sesquipedali: floribus in cacumine albicantibus aut pallidis, semine in corniculis incluso, vt in irione. Radix est illi alba, tenuis acris. Erratica foliis est satiuæ angustioribus, frequentioribus incisuris laciniatis, gustu acriore, sapidioreq;, caulibus numerosis, floribus luteis, corniculis in vniuersa ferè planta numerosis, sursum spectantibus, semine sinapi simili, acri & amariusculo. Vtraque in acetariis cum lactuca frequentissimè vescimur. Cruda Eruca, inquit Dioscorides, venerem largiore cibo concitat. Semen eius idem præstat, vrinam ciet. Concoctioni prodest, aluo perquam accommodata. Semine ad condimenta vtuntur: quod vti in longum tempus asseruetur, adiecto lacte aut aceto digerunt in pastillos. Gignitur etiámnum siluestris Eruca maximè in Iberia, quæ Occidentem spectat. Cuius semine pro Sinapi incolæ vtuntur. Vrinam vehementiùs pellit, & multò satiua acrior. Erucæ facultatem & vsum medicum, Plinius explicat his verbis. Eruca quoque & nasturtium vel æstate vel hyeme facillimè nascuntur. Eruca præcipuè frigorum contemptrix, diuersæ est quàm lactuca naturæ, conci- Nomina. Li.20.ca.13. Genera. Li.2.ca.114. Vires & Temper. Lib.19. c.8.

ERVCA SATIVA.

ERVCA Siluestris.

Li.20. c.13.

Li.2. Alim.

liatrix veneris: idcirco iungitur illi ferè in cibis, vt nimio frigori par feruor immixtus temperamentum æquet. Et alio in loco. Erucæ semen scorpionum venenis & muriasranei medetur. Bestiolas omnes innascentes corpori arcet. Vitia cutis in facie cum melle illitum: lentigines ex aceto. Cicatrices nigras reducit ad candorem cum felle bubulo. Aiunt verbera subituris potum ex vino, duritiam quamdam contra sensum inducere. Putant subtrita Eruca si fricentur oculi, claritatem restitui. Tussim infantium sedari. Radix eius in aqua decocta fracta ossa extrahit. Tria folia siluestris Erucæ sinistra manu decerpta, & trita in aqua mulsa si bibantur, regio morbo medentur. Galenus quoque scribit hoc olus manifestissimè calfacere: quare solum ipsum mandere, nisi lactucæ foliis misceatur, non esse facilè. Semen autem generare, & coëundi appetentiã excitare. Capiti etiam dolorem inferre, præsertim si quis ipso solo vescatur. Non solum autem supradictorum auctorum, sed Poëtarum etiam testimonio Eruca stimulandæ veneri nata videtur. Martialis.

Et venerem reuocans Eruca morantem. Columella.
Et qua frugifero seritur vicina priapo,
Excitet vt veneri tardos Eruca maritos.

Idem salacem nominauit.

Iamque Eruca salax fœcundo prouenit horto.

Item Ouidius:

Nec minùs Erucas iubeo Vitare salaces.

ERVCA Palustris.

Forma.

Locus.

Tempus.

Erucis annumeranda videtur herba illa, quam alicubi in hortis colunt, & acetariis immiscẽt, & quam vulgares herbarij S. Barbaræ herbam appellant, Dodonæus Barbaræam, Galli *l'Herbe saincte Barbe*, Germani *S. Barbara kraut.* Eruca igitur palustris nominetur. Caulem habet rotundum, solidum, striatum: fòlia Erucæ modo laciniata: flores luteos: siliquas teretes, semine refertas: radicem ex obliquo prodeuntem, & oblongam. Passim in campestribus nascitur, & locis aliis incultis, maximè vliginosis. Majo & Iunio mensibus floret, ac subinde in siliquis semen profert. Pena pseudobuniadem dici posse ait, quod sit incisura, magnitudine, floribus & siliqua napi siue Buniadis. In aruis humidis prouenit. Gustanti primùm subacris esse, deinde parum etiam adstringere videtur, vt calidam & siccam esse nemo dubitare debeat. Vulnerariam herbam esse & temperamentum eius, & experientia docet. His verò

verò potiſsimùm vlceribus medetur quæ impura ſunt, & in quibus caro ſupercreſcit: nam quod quadantenus acris ſit, ſordes extergere, quod valenter ſiccet carnem minuere poteſt. Sunt & qui Erucam cineream vocent herbã hîc poſtremo loco depictam, quod foliis Erucæ ſilueſtri proxima ſit. Radice eſt modicè fibrata, craſsiuſcula: caule ſeſquipedali, anguloſo, lanugine candida & molli obducto: foliis Erucæ ſilueſtris, vt diximus, auerſa parte albicantibus, aduerſa planè cinereis, lanuginoſis, craſsis: flore in vertice caulium velut racematim congeſto, ſpiſſa lanugine pubeſcente, nigris punctis maculoſo. In maritimis Corſicæ prope Aiaceam naſcitur. Præter has Erucã peregrinã Cluſius pictam dedit, quæ aliquot caules ex vna radice exeuntes habet, ſeſquipedales, rotundos, graciles, & in his multa foliola oblonga, anguſta, incaua, nonnihil veluti circumroſa, acri ſapore: flores in ſummis caulibus congeſtos, luteos, Erucæ vulgaris floribus minores: quibus ſuccedunt ſiliquæ, ſeu folliculi ſubrotundi, tumentes, in quibus ſemen ſubrufum, acre. Radix eſt minimi digiti craſsitudine, candida, nonnihil fibroſa. Creſcit quibuſdam Caſtellæ locis incultis & ſecus vias, vbi Maio floret, in Belgio, Iunio & Iulio. Hanc ille inter Erucæ genera referendã cenſet. Lobellius Patauinum marinum Leucoium vocat. Hîc etiã inſeranda fuit propter communes & affines

Forma.

Locus.

ERVCA Cinerea, Dalech.

ERVCA Peregrina, Cluſ.

ERVCA Silueſtris, anguſtifolia.

naturam & effigiem inter Erucam & Eryſimum, quæ Eruca ſilueſtris angu-ſtifolia Lobellio dicitur: Profert enim ex cauliculis inflexis & cubitalibus flores luteos Erucæ ſilueſtris.cornicula ſiliquarum Sinapi ſunt aut Naſturtij ſilueſtris, vbi ſemen acre, vti folia anguſtiora, eiuſdem cum Eruca ſilueſtri coloris, ſed minimè diuiſa, Tarconis ferè paria, quæ Erucam aut Eryſimum ſapiunt, quibus idcirco affinis natura putatur,imo Eryſimum noſtris verum videtur eſſe.

ERYSIMVM. CAP. XLI.

Nomina ΕΡύσιμον Græcis dicitur quod Latinis Eryſimum & Irio teſte Plinio: ἐρύσιμον quidem ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, ideſt,à multiplici foliorum ſectione: nam erucæ modo laciniata conſpiciuntur. Alij ab oleris præſtantia dictum volunt, quaſi ἐρύσιμον, quod eſt pretioſum & nobile. Nonnulli ἀπὸ τοῦ ἐρύειν, quod ob ſuam caliditatem maxima trahendi facultate præditum ſit. Irionem autem Latini ab irruendo nuncuparunt,quod ignea vi, & feruido ſapore irruat in guſtum. Eryſimum ſcribit Dioſcorides foliis eſſe erucæ ſilueſtris:cauliculis in lori modum lentis,& obſequioſis:floribus luteis: ſiliquis in cacumine gracilibus,vt fœnigræci,corniculatis,ſemine naſturtij, exiguo, vrentis guſtus. Theophraſtus(quod & hic diligenter animaduertendum eſt) Eryſimum inter cerealia connumerat,& ſeſamo ſimile facit,atque ideo ab Eryſimo Dioſcoridis prorſus diuerſum, quod folia erucæ ſilueſtris habet, atque inter plantas acres non inter frumentaceas,in quibus de ſeſamo agitur,ab eo recenſetur. Cum Theo-

Forma.

Lib.8.hiſt. ca.3. phraſtus ſcribat, τῶν δὲ θερινῶν κέγχρος μὲν καὶ μελίνη καλαμώδης σησάμη δὲ καὶ ἐρύσιμον ναρθηκώδης μᾶλλον. Ideſt, Æſtiuarum milij, ſcilicet & panici arundinaceus caulis, Seſamo autem & eryſimo ferulaceus magis. Et rurſus, σήσαμον δὲ ὑδεῖς ἔσθ' ὁ χλωρὸν, ὐδὲ θέρμον, εἰ δὲ μὴ ἐρύσιμον μηδὲ ὄρμινον. σκεπτέον καὶ ταῦτα εἰ ὠφελιμα. ἔστι δὲ μὲν ἐρύσιμον ὅμοιον συσάμῳ, καὶ λίπος ἔχει. Id eſt,Seſamū viride nullus edit, neq; lupinum. Si etiam neque Eryſimum, neque orminum, quærendum ſi & hæc amara ſunt. Eſt autem Eryſimum ſeſamo ſimile, & pinguitudinem habet. Plinius vtriuſque Eryſimi meminit. Vno enim loco Theophraſtum ſecutus frugibus annumerat.

Ibid.ca.7.

Lib.18. c.7. Æſtiua quæ æſtate ante Vergiliarum exortum ſeruntur,vt milium, panicum, ſeſama,orminum,irio,Italiæ duntaxat ritu. Et paulò pòſt. Æſtiua frumẽta diximus, ſeſamam,milium,panicum. Seſama ab Indis venit,& ex ea faciunt oleum. Color eius candidus. Huic ſimile eſt in Aſia, Græciaq; Eryſimum: idemq; erat niſi pinguius eſſet,quod apud nos vocant Irionem,medicaminibus annumerandum po-

Li.22. c.25. tiùs quàm frugibus. Alio in loco Dioſcoridis Eryſimum memorat his verbis. Irionem inter fruges ſeſamæ ſimilem eſſe diximus, & à Græcis ſeſamum vocari. Galli Velarum appellant,(vetus Cornarij codex Velam habet). Eſt autem frutico-

Li.6.ſimpl. ſum,foliis erucæ, anguſtioribus paulò, ſemine naſturtij. Galenus quoque inter ſimplicia medicamenta,eryſimū plantis acrimonia, & ignea facultate præditis comparat,inter alimenta ſeſamo. Ex quibus perſpicuum eſt hoc eryſimum ab il-

Li.1. Alim. lo multùm differre. Etſi Plinius ea non diſtinxiſſe,ſed pro eadem planta accepiſſe videatur. Hermolaus & Ruellius ſilueſtrem illam erucam, quam Nobilem vocant Itali,Eryſimum eſſe dixere:quorum ſententiam Matthiolus improbat,& duo alia Eryſimi genera propoſuit. Priori notas ferè omnes à Dioſcoride traditas in eum competere putat. Alterum cui folia ſunt minora, cornicula paulò vegetiora,magis genuinum eſſe cenſet. At Matthiolum reprehendunt Pena & Lobellius,quod Rapiſtrum vulgò à rapi ſapore & aliqua foliorum ſimilitudine ſic dictum loco Eryſini prioris acceperit,quod neque Dioſcoridis Eryſimo reſpõdet, neque cum Matthioli Erucæ ſilueſtris foliis ſimilitudinẽ habet. Tum odor, ſapor

rapi,

IRIO, Matth.

rapi,non adeò,vt in Eryſimo acris reclamant: præterea Eryſimi vires, de quibus mox dicemus. Verum igitur Dioſcoridis Eryſimum radice nititur longa, lignoſa: foliis erucæ ſilueſtris,quæ primùm erumpentia nõ niſi ab exercitatis à foliis burſæ paſtoris diſcerni poſſunt, quæ huic non ita viridia, & extremo magis acuta ſunt, Eryſimo verò rotundiora in ſummo & retuſiora,ſubpinguia, multa in imo terram operientia, eſt & eorum lacinia grandior. Caulis ſeſquicubitalis,interdũ maior,ſemen in ſiliquis erucę ſilueſtris,multò minoribus,acre, feruidum: floſculi in ſummo lutei. In compitis, ſepulcretis & maceriis frequens. Dodonæus in Hiſtoria ſtirp. Eryſimum Theophraſti, ſiue Rapiſtrum plantam eſſe cenſet, quæ Gallis *Velar & Tortelle* nuncupatur, quam Lobellius eandem cum Eryſimo priore Matthioli,ideſt,Rapiſtro aruorum facit, Pena Lampſanam veram,vt diximus hoc libro.Idem Lobellius pro Eryſimo genuino, alterum Matthioli Eryſimum vſurpat,quæ Eruca ſilueſtris quibuſdam videtur eſſe. Eryſimum,vt ſcribit Dioſcorides,iuxta vrbes, itinera, hortoſq; naſci. Cõtra thoracis fluxiones efficax eſt,etſi purulenta extuſsiũtur, inquit: regio morbo & coxendicibus prodeſt:contra venena in delinctu cum melle datur(Græcè legitur, ποιοῦσι πρὸς θώρακος ῥεύματισμοὺς, ἐμπύους, βῆχας, ἰλλερον, ἰσχιάδας, ἐναλφόμενον σὺν μέλιτι, πίνει) ὃ, &c. Ideſt, ea ſemina faciunt ad fluxiones in thoracẽ,

Locus. Vires & Temper. Lib.2.c.215.

IRIO Altera, Matth.

ERYSIMVM Verum.

pectore ſuppuratos,tuſſes, icterum, coxendicum dolores, ſi cum melle delingantur. Bibuntur etiam aduerſus lętalia venena) Illinitur ex aqua aut melle vtiliter cæcis carcinomatis, parotidibus, duritiis mammarum,& teſtium inflammationibus.In totum extenuat,& calfacit.Mitius multò ad clyſteres fiet,ſi aqua madefcat, atque torreatur,vel linteo alligatum pinſita farina oblitum peraſſetur. Ruellius corruptum codicem ſecutus ſic vertit:ſed in vetere legitur non εἰς τὰ κλύσματα, ſed εἰς τὰ ἐκλείγματα. Vertendũ igitur,meliùs multò ad eclegmata,ſiue linctus fiet,&c.

Li.6.ſimpl. Hanc lectionem cõfirmat etiam Galenus de Eryſimi viribus ſic ſcribens. Eryſimi ſemen ſicut guſtu naſturtio apparet ſimile, ita facultate igneum eſt, & calfaciens. Porrò vbi in eclegmate vti ex vſu eſt,præſtat aqua maceratũ refrigerare, aut linteolo inuolutum,& cruſta piſtoria circũlitum torrere.Vtile eſt cum eclegmate ad promouendas craſſorum lentorumq; pectoris pulmoniſq; humorũ expuitiones. Quin & parotidas induratas,& duritias antiquas vberum & teſticulorum iuuat. Refert Dioſcorides quod cum aqua & melle cataplaſmatis modo illitum occultis

Li.22.c.25. proſit cancris. Eadem tradidit Plinius, & præter ea quædã alia habet. Eryſimum vtiliſsimũ tuſsientibus cũ melle, & in thoracis purulentis excreationibus. Datur & regio morbo,& lumborum vitiis,pleuriticis,torminibus,cœliacis. Illinitur verò parotidum & carcinomatum malis.Teſtium ardoribus ex aqua aliàs cum melle.Infantibus quoque vtiliſsimum. Item ſedis vitiis & articularijs morbis cũ melle & fico. Contra venena etiam efficax potũ medetur & ſuſpirioſis:item fiſtulis cum axungia vetere,ita ne intus addatur. His facultatibus quã maximè Eryſimi noſtri virtutes reſpondent:conſtat enim tenui quadam moderatè & incidente ſubſtãtia, cum humidis & abſtergentibus partibus permixta, vt craſſam viſcidamq; pituitã citra nimiam exſiccationem incidere,& abſtergere,atque propter flatũ nonnihil commixtum non magno concitu expectorare. Quare arteria cum eſt præſtantiſſimum,aſthmaticis infarctu & obſtructione pulmonum laborantibus vtiliſsimũ, atque etiam voci raucæ,etiam diuturnæ. Hoc primus quod ſciam,in vſum adduxit Præceptor Rondeletius,quem memini pueri phonaſci vocem retuſam admodum & pene cũ ſpiritu amiſſam,clarã ſonoramq; reddidiſſe eius dũtaxat decocto.

NASTVRTIVM. CAP. XLII.

Nomina KÁPΔAMON Græci,Latini Naſturtium dicunt, Mauritani *Naſalch'f*,ſeu *Narf*,Itali *Naſturtio,& Agretto*,Germani *Kreſſen, & Gardẽkreſſ*, Hiſpani *Naſturcyo,& Malpica*, Galli *Creſſon de iardin*, *Creſſon alenois*, *& Naſitort* Officinæ Latinum nomen retinuerunt.Barbari quidam herbarij Creſsionem hortenſem vocant. Nonnulli κάρδαμον Græcis dictum putant, quaſi χαρήδαμον, quòd caput domet:nam arcem mentis obſidens ſua ferit acrimonia,& ignea vi præditum caput tentat. Alij παρὰ τὸ κέρας μύειν, ideſt, quod pupillas coëuntibus oculorum palpebris abſcondat,ita dici aiunt: nam luminibus admotum ſubinde cogit conniuere. A quo καρδαμύττειν verbum declinarunt, quod conniuere dicimus. Nec deſunt qui dictum arbitrentur ἀπὸ τῆς καρδίας, quod cor foueat,& in ſyncope cardiaca plurimùm valeat. Id innuere videtur Ariſtophanes,cum ait, ἐχθὲς ἔφαγον κάρδαμα. Τὶ καρδαμύζεις; Edi heri Naſturtia. Quid Naſturtiaris? Et, ὀξυθύμων καὶ δικαίων, καὶ βλεπόντων κάρδαμα, ideſt, qui acri ſunt animo,iuſtique, quique Naſturtia tuentur,ideſt, acutum cernunt. Naſturtium verò Plinio auctore nomen accepit à narium tormento. Et inde vigoris ſignificatio prouerbio id vocabulum vſurpauit,(Legit Dalechamp. Et inde vigoris ſignificatione prouerbium id vocabulum vſurpauit,)veluti torporem excitantis. Quæ vulgarium Plinij codicum lectio cũ vix tolerari poſsit,voce excitantis ad præcedentẽ

In Theſmop. *In Veſp.*

gignendi

gignendi casum non rectè relata, cum potiùs excitans scilicet significatio, siue prouerbium legi debere videatur, Cornarius multò emendatiùs locum hunc legisse videtur, hoc modo. Et inde vigoris significatio prouerbio eius etiam vsurpauit, velut torporem excitantis. Est enim reuera prouerbium, ἔσθιε κάρδαμον, Ede nasturtium, quod in socordem, ignauum, & hebetem dicebatur, propterea quod vim nasturtio inesse credebant animi vigorem excitandi, vt ex Plinio dicemùs. Dioscorides nasturtij vnius meminit. Plinius duo eius genera cum fecisset, vnum album, alterum nigrius, aliquanto post nasturtij siluestris meminit. Hîc tria nasturtij genera primùm facimus, nasturtium hortense, siluestre, & marinum, de quo in libro de plantis maritimis dicemus. Fuchsius & Dodonæus Iberidem nasturtium siluestre vocant. Nasturtium hortense caules erigit tereres, pedales, aliquando etiam sesquipedales, tenues, in quibus folia parua, laciniata, gustus acris & feruidi, flores paruos, albos: folliculos rotũdos ac pressos, in quibus semen includitur, in rubro nigricãs. Passim in hortis satum prouenit: floret æstate, Iunio potissimùm mense. Haud multò post semine prægnans est. Nasturtium siluestre radice est longa, tenui, candida, fibrata: caulibus multis fruticat dodrantalibus, & si pinguius solum fuerit, pedalibus, folio est satiui, copioso, densiùs per ramos congesto: flore in vmbella ex albo purpurascente: semine in latis vaginis, thlaspeos modo bifidis, gustus acris, & satiuum nasturtium odore imitante. In agris frumentariis prouenit, & lapidosis, macrisq;. Nasturtium, inquit Plinius, in Arabia miræ amplitudinis dicitur gigni. Idem cum Dioscoride dicit esse Babylonicum. Omnium semen Dioscoride auctore est acre, excalfacit, stomacho aduersatur, aluum turbat, tineas excutit, lienem imminuit, partus examinat, menses cit, venerem stimulat, sinapis & erucæ simile intelligitur: lepras & impetigines absterget. Illitum cum mele lienem extenuat, fauos expurgat: pulmonum vitia extrahit sorbitionibus incoctum: serpentium venenis potum resistit, atque eas suffitu fugat: capillorum defluuia cohibet: carbũculos ad suppurationem perducit, & rumpit: coxendicibus cum polenta commodè ex aceto illinitur: tumores collectionésque discutit: ad suppurationem perducit furunculos, illitum cum muria. Herbæ ad omnia eadem effectus, licet minor. Plinius diffusiùs nasturtij vires declarat, & in quibusdã à Dioscoride dissentit. Nastur-

Genera. Lib. 20. c. 13.

Forma. Cap. 111. Lib. 5. c. 65.

Vires & Temper. Lib. 19. c. 8. Lib. 2. c. 141.

Lib. 20. c. 13.

NASTVRTIVM, Hortense.

NASTVRTIVM Siluestre, Dalech.

tium,inquit,venerem inhibet,animum exacuit.Album purgat,bilem detrahit potum ex aqua decem denarium pondo. Cum lomento ſtrumis illitum opertúmq; braſsica præclarè medetur. Nigrius capitis vitia purgat. Viſum compurgat,commotas mentes ſedat ex aceto ſumptum:lienem ex vino potum,vel cum fico. Tuſsim ex melle, ſi quotidie ieiuni ſumant. Semen ex vino omnia inteſtinorum animalia pellit, efficacius adhibito mentaſtro. Prodeſt & contra ſuſpiria , & tuſsim cum origano,& vino dulci.Pectoris doloribus decoctum in lacte caprino. Panos diſcutit cum pice,extrahitq; corpore aculeos.Et maculas illitum ex aceto. Contra carcinomata adiicitur ouorum album.Et lienibus illinitur ex aceto.Infantibus verò è melle vtiliſsimè.Seſtius adiicit vſtum ſerpentes fugare,ſcorpionibus reſiſtere. Capitis dolores contrito,& alopecias emendari addito ſinapi, grauitatem aurium trito impoſito auribus cum fico.Dentium dolores infuſo in aures ſucco. Porriginem & vlcera capitis cum adipe anſerino , furunculos concoquit cum fermento. Carbunculos ad ſuppurationem perducit,& rumpit.Phagedænas vlcerum expurgat cum melle.Coxendicibus & lumbis cum polenta ex aceto illinitur:item lichenibus vnguibus ſcabris: quippe natura eius cauſtica eſt. Silueſtri verò ad omnia ea effectus maior. Hæc Plinius. Dioſcorides tradidit naſturtij ſemen σιωσίαν παρμᾶν, id eſt, venerem ſtimulare. Plinius contra venerem inhibere. Cui aſſentitur Florentinus in Geoponicis Conſtantino attributis, φασὶ δὲ, inquit, τὸς ἐσθιοντας χορδαμον, ὀξυλέρους τὴν δύναμιν γίνεσθαι. Et addit, ἀφροδισίων ἐφεκτικώτερόν ἐστι. Sed quum hæc tum Dioſcoridi,tum experientiæ repugnent, dicendum aut eos naſturtij virtutes nõ rectè intellexiſſe, aut codices eo in loco deprauatos eſſe. Galenus perſpicuè eius vires & facultates explicat.Naſturtij ſemen,inquit,adurentis ſeu cauſticę facultatis particeps eſt,velut napy.Proinde coxendicis & capitis dolores leuat,atque adeò quodcumq; rubrificationem poſtulat & excalfacit ſicut napy. Miſcetur quoque remediis iis,quæ exhibentur aſthmaticis , tanquam ſcilicet id,quod craſſos ſuccos valenter incidere valeat , velut & napy. Nam per omnia ei ſimile eſt.

Lib.12.c.27.

Lib.7.ſim.

NASTVRTIVM Peregrinum,Myconij.

Porro & herba arefacta ſimilem ſemini vim poſsidet. Humida verò adhuc ac viridis, propter aquęę humiditatis mixtionem,multò ſemine inferior eſt, adeoq; tunc mordacitas eius moderata eſt, vt cum pane eo vti liceat. Hæc Galenus.Noſtri cum lactuca in acetariis naſturtio per æſtatem libẽter veſcuntur. Adiiciemus hîc ex doctore Myconio rarum & peregrinum Naſturtium quod Perunianum cognominat, atque ita deſcribit.Herba eſt bicubitalis multos ab vno trunco caules ex viridi rufeſcentes , leues,geniculatos , rotundos,ſolidos, & ex iis ramulos itẽ multos hac illac ſpargẽs , & longiùs porrigens, vt adminiculis egeat , quibus fulciatur,& ob id vicinas plantas amplectatur. Ex iis folia longis pediculis nixa pendent , rotunda, læuia,neruoſa , neruis à centro foliorum ad circunferentiam ductis veluti lineis, & qua foliorum extremitates attingũt, veluti in ſpinas deſinentibus, folia non prorſus rotunda ſunt, ſed quadam ex parte anſerinum pedem æmulãtur, caua ſunt acetabuli figura , ſupernè viridia, infernè minùs. Horum ferè medio ſiue centro

pediculus

NASTVRTIVM, Indicum, Dodon.

NASTVRTIVM Siluestre, Clusij.

pediculus inferitur, prope cuius è caule exortum, alius pediculus emergit longus, cui flos insidet luteus, calathi specie, ex quinque foliolis contextus, quę rursus ambiunt alia quinque folia exterius rubescentia, quemadmodum & totus calathus rubescit. Calathi forma est consolidæ regali adsimilis, nisi quod recta protenditur. In tribus inferioribus foliolis, florum ad latera diuisuræ quædã sunt & sectiones, in quorum medio macula rubra conspicitur, & supra eorundem trium foliolorum medium secundũ longitudinem à centro ad folij extremum decurrit stamen quoddam instar fimbriæ ex multis tenuibus, breuibus & luteolis pilis contextæ, vt in iride visitur. Cæterùm per omnia foliola à calathi fundo ad apicẽ vsque, lineæ quędã dicuntur rubręflos inodorus est, qui autumno exoritur, quo abeunte vas quoddã relinquitur, ex tribus veluti vasis compactum, viride, asperum, vt in secunda heliotropij specie. Semẽ cùm legitur viride est & molle, deinde nigrescit & rugatur. Radix subest candida, non admodũ altè depacta, multifida, fibrata. Sapor radicis, caulium, foliorum, florum, idem qui nasturtij. Odore etiã nasturtio proxima est. Quare nasturtium Myconio iure dictum, veteribus ignotum. Perunianum verò à Peru vnde aduectum, nobis non nisi in hortis diligenter cultũ & satum prouenit. Vires nasturtio similes esse gustus demonstrat. Quare in acetariis & medicamentis idem qui nasturtij vsus. Dodonæus plantam pictam Nasturtij Indici nomine accepit, quã ex icone minùs affabrè delineata ità describit. Speciem cõuoluuli exhibet, folia eius lata, angulosa, & pulchrè depinguntur virentia: flos luteus retro propendens habet corniculũ instar floris regij, quem Delphiniũ appellant. Clusius aliud Nasturtiũ siluestre Valentinũ depinxit, atq; sic descripsit. Vnicus huic caulis, atque statim à radice supra solum in ramulos diuisus, hirsutus & asper, virens, rotũdus, pedalis, foliis tenuibus & multifidis, nasturtij ferè vulgaris æmulis, sed tenuioribus, viridibus, acri gustu & sapore, vulgaris nasturtij modo fert extremis ramis spicatim pallidulos floseculos, deinde exiguas siliquas, duabus valuulis constantęs, cũ ligula prominente, in quibus semen continetur nasturtij. Radix singularis, candicans, quæ singulis annis perit. In regno Valentino reperitur. Martio floret. Quod pleraſque notas cum nasturtio communes habeat, nasturtij nomine donauit eũ (quantum ex gustu diiudicare licet) per similes facultates habere potest.

CARDA

CARDAMINE. CAP. XLIII.

Nomina
Lib.2.c.121.
Ibid.

CArdamo cardamine est affinis, atque ideo sic dicta, auctore Dioscoride. quod gustu cardamum, id est, nasturtium repręsentat. Sisymbrium cardaminem Dioscorides, alij sion appellant. Sed cardamine solo nomine sisymbrio similis est: nam nasturtij potiùs quam sisymbrij species est. Cardaminen magno consensu Ruellius, Matthiolus, Fuchsius eam herbam esse putant, quam Officinæ nasturtium aquaticum appellant, vulgus *Cressionem*, Galli *Cresson*, Germani *Brunnenkroß*, Itali, *Crescione*, quod notæ omnes à Dioscoride expositæ huic maximè faueant. Est enim herba riguorum vernacula, & laueris comes: nusquam nisi in aquatilibus nascitur, tum nasturtium resipit, vnde cardamines, id est, nasturtiariæ, & in Officinis nasturtij aquatici nomen. Adhæc folio est, cum inter initia emicat orbiculato, cum adoleuit in folium erucæ laciniatum degenerat. Postremò nec ei desunt vires à Dioscoride & aliis veteribus asignatæ, vt dicemus. His paucis in re notissima delineamentis Dioscorides contentus cressionem nostrum expressit. Cæterùm caule prosilit cauo, sesquipedali, ima parte multis radicularum fibris subinde capillato, è cuius alarum cauis cirri frequẽtes sinuatim erumpunt, candidulo flore: semine in siliquis exiguo & acri. Ramuli in aquis cum insenuerunt etiam candicantibus capillamentis articulatim confibrantur, quæ seniles canos aliquatenus repręsentant. Plinius eiusdem meminit, cùm enim de priore sisymbrio dixisset, subiicit, Quod in riguis nascitur simile nasturtio est. Pena & Lobellius id Sion erucæ folium Cratenæ esse arbitrantur, vt annotauimus in lib. de Palust. Est & Cardamine altera eiusdem generis auctore Matthiolo, hîc secundo loco appicta, sed foliis & caulibus longè minoribus, ramulis numerosis, in cacumine tantùm comantibus, in quibus flosculi exeunt albicantes. Hæc non solùm in aquosis & riguis prouenit, sed & in hortis, & secus itinera, acri sapore. Pena & Lobellius cum Matthioli Cardamine, siue Sisymbrium aquaticum primum, id est, vt vulgi verbis vtar, Cressionem nostrum, fecerint Sion Cratenæ, erucæ folium, istam secundam cardaminen Matthioli siue sisymbrium aquaticum secundum statuunt cardaminen primam siue sisymbrium aquaticum primum Dioscoridis. Idem Dodonæus in Historia stirp. Gallicè *Passerage sauuage*, à caloris acrimonia, aut *Petit Cresson aquati*

SISYMBRIVM, Cardamine I. Cressio vulgaris, Matth.

Lib.2.c.60.
In lib 2. Dioscor. cap. 120. & 121. cap. 275.

Forma.

SISYMBRIVM, Cardamine II. Matthioli.

Lib.20.c.22

Genera.

lib.2 Dioscor. cap.121.

SISYMBRIVM Cardamine III. Dodon.

CARDAMINE IIII. Dalechamp.

aquatique, Germanicè *Gauchblum*, *vnd wilder Kreſz* dicitur, à quibuſdam herbariis flos cuculi. Naſturtium ſilueſtre & Iberis Fuchſio, Naſturtium ſilueſtre Cordo, & pratenſe Trago, folia primùm rotunda emittit. Deinde caulem rotundum erigit, ferè pedalem, in quo erumpunt folia oblongiora, vtrinque profundiùs inciſa, foliis erucæ ferè ſimilia: in cacumine flores candicantes, deinde ſiliquę paruæ, quæ ſemen continent. In pratis humidis prouenit, & circa foſſas & ſtagna. Cardamine altera ſiue ſiſymbrium, cardamine ſecũdum, Lobellio auctore, exit pratis vdis Angliæ, Germaniæ, Belgij, & frigidarũ regionum, vbi Cardamine quam foliis imis refert. In pedali caule vt plurimùm ſingulari folia exitiora naſturtij hortenſis ſimilia, flores lactei purpurantes erucæ aut napi, cardamines prioris maiores, guſtu, vti vniuerſa planta, & viribus ſiſymbrium referentes. His accedit ex eodem Lobellio Cardamine trifolia, quibuſdam Belgij cultoribus & ſtirpium ditioribus hortis repertu facilis, naſturtij cardamines guſtu & facie plantula palmaris, foliis quadantenus ſiſymbrij cardamines, ſed poſita terno, oxys Plinianę ritu, humi procumbente, flos in pediculis albus, iſopyri vulgaris aut cardamines. Radix multum fibrata. His alias duas cardamines ſpecies Dalechampius addidit, cardaminen minimam aquaticam, & cardaminẽ odoratam. Cardamine minima aquatiqua, radice eſt tenui, lõgiuſcula,

CARDAMINE Altera, ſiue Siſymbrium.

CARDAMINE, V.
Dalechamp.

CARDAMINE Trifolia,
Lobelij.

giuſcula,parum fibrata, candida, foliis eius quam ſiſymbrium cardaminem vocat Dodonæus,minoribus: flore paruulo,candido,minore quàm in ſuperiore,ſtrigoſiore,& graciliore: ſiliquis tenuibus eiuſdem guſtus. In marginibus & aggeribus foſſarum prata cingentium naſcitur. Cardamine odorata radice eſt craſsiuſcula, ſenſim gracileſcente, dodrantali, granulis plurimis candidis, & coriandri ſemine non maioribus,tuberoſa, albæ ſaxifragæ modo, multum fibrata, foliis ſiſymbrij
Ibid. cardamines Dodonæi,humi ſtratis,amplioribus, nigricantibus,guſtu acribus,ſed odore cùm manduntur,tam ſuaui,vt ad cinnamomum accedat. Quam ob cauſam cardaminen odoratam, ſeu naſturtium odoratum vocauerunt, flore ac fructu eſt
Lib.25.c.11. eodem. Quidam Caltitrichon Plinij eſſe putant, cui folia ſunt lenticulæ ſimilia, caules iuncei,tenuiſsimi,radix minima.Naſcitur in opacis & humidis guſtatu feruens. In Sequanorum ſiluis abietibus & piceis conſitis cardaminen hanc odoratam vidit Dalechampius, muſcoſo ſolo. Cardamine,inquit Dioſcorides,excalfacit,vrinas mouet,cruda eſtur,lentigines purgat,cutiſq; vitia in facie,noctibus impoſita,matutiniſq; detracta. Galenus, ſiſymbrium cardamine quoniam cardamo, id eſt, naſturtio ſimile quiddam guſtu præſe fert, cùm ſiccum eſt, tertij eſt ordinis calfacientium & deſiccantium: cùm humidum, & viride, ſecundi. Quare Creſionis noſtri cum lotium hæret, decocto, vel crudi eſu medici vrinas mouent & calculos comminuunt.Eſtur quotidie crudum & coctum primis menſis. Cum rhaphano & petroſelini radicibus ex albo meraco & butyro calfactum, & pubi admotum vrinas remorantes educit.Succus ex aceto illinitur vtiliter veternoſis.

.ib.2.c.121.

ires &
emper.
.ib.8.fin.

THLASPI. CAP. XLIIII.

Nomina

SInapi, erucæ naſturtio ſimilis eſt herba,quæ Græcis τὸ θλάσπι, & ἡ θλάσπη & θλασπίδιον dicitur,& σίνηπι ἄγριον,Latinis Thlaſpi,& thlaſpe,Capſella & Scandulaceum.Sunt huius temporis herbarij, qui naſturtium tectorum vocent: quoniam ſubinde in parietinis naſcitur

ali,

alij silueſtre. Vulgus noſtrũ ſinapi ruſticum appellat, quoniam digitis friatum ſinapim ſubolet. Germani *Baurnſenff, & Baurnkreſz*, Hiſpani *Paniqueſo del flor blanquo*, Galli quidam *ſeneue ſauuage*. Thlaſpi autem Græcis à fructus forma dictum eſt, qui naſturtio ſimilis eſt, ſed latior, & veluti infractus & contuſus. θλᾶν enim contundi & infringi ſignificat, infringendóque quod globoſum tumidúmque erat, malleo vel lapide cum dilatatione exæquare, vel à ſeminis inuolucro foliaceo tranſuerſim per mediúmve incuſſo aut diffracto. Duo thlaſpeos genera memorat Dioſcorides, vnum anguſtifolium, alterum Cratenæ latifolium. Eadem Plinius habet, nulla thlaſpeos Cratenæ mentione facta. Periti herbarij multò plura genera ex ſeminis forma, à qua huic herbæ nomen inditum fuiſſe diximus, obſeruarunt, vt ex ſingulorum hiſtoria intelligetur. A' thlaſpe Dioſcoridis exordiemur, quæ herba eſt anguſtis foliis, digiti longitudine in terram verſis, ſubpinguibus, in cacumine diuiſis, binûm dodrantum cauliculo, tenui, non ſine adnaſcentibus ramis (Græcè legitur ἀποφυάδας ὀλίγας ἔχοντα, id eſt, qui adnata, ſiue ramulos, ſiue propagines paucas habet) fructu circa ipſum totum, ab extremo in latius ſe pandente: ſemine naſturtij, incluſo vaſis Lenticulæ effigie, niſi quod infringitur (Græcè habetur, ἐν ᾧ σπερμάτιον ἐμφερὲς καρδαμῴ, δυσκοιδὲς, διοτι ἐν τεθλασμένον. Id eſt, in quo ſemen exiguum, ſimile naſturtio, diſci figura, veluti compreſſum. Ruellius legiſſe videtur φακοειδὲς, quod verterit lenticulæ effigie, nec temerè, quum thlaſpi ſemen illi pulchrè reſpondeat, vel ex Plinio ita interpretatus eſt, vulgaria tamen Dioſcoridis exemplaria δυσκοιδὲς habent) vnde nomen accepit, flos albicat. Naſcitur in ſemitis & parietibus, ſepibúſque. Semen aſperi guſtus (ita Ruellius ex Plinio vertit, quod Græcè dicitur σπέρμα δριμύ, id eſt, ſemen acre) excalfaciens. Alterum thlaſpi tradit Cratenes, quod aliqui Perſicam ſinapi vocant, latis foliis, radicibus magnis. Quę omnia Plinius ex Dioſcoride trãſcripſiſſe videtur, aut certè vnde ille exſcripſerat. Thlaſpi, inquit, duorum generum eſt, anguſtis foliis, digitali longitudine & latitudine, in terram verſis, in cacumine diuiſis, cauliculo ſemipedali, non ſine ramis, peltarum ſpecie, ſemine incluſo lenticulæ efficie, niſi quod infringitur, vnde nomen, flos albicat. Naſcitur in ſemitis & ſepibus. Semen aſperi guſtus. Alterum thlaſpi, aliqui Perſicon napy vocant, latis foliis, radicibus magnis. In quibus Plinij verbis mancum id videri poteſt, non ſine ramis, pellarum ſpecie, ita vt vox fructu deeſſe videatur, quæ pellarum ſpeciei comparetur. Galenus de thlaſpi hæc etiam prodidit. Vtuntur thlaſpi quod è Creta adfertur, quódque vbique naſcitur, colore inter luteum & flauum medium, figura rotundum, exiguum adeò, vt ſæpe grano milij cedat. Melius eſt autem è Cappadocia comportatum thlaſpi imponamus. Hoc ad nigredinem inclinat, figuram non exquiſitè rotundam habet, & antedictum magnitudine per multum ſuperat, atque ab vno latere paruam quandam veluti compreſsionem præ ſe fert, vnde ei nomen inditum eſt. Naſcitur luteum vt hoc, ita & illud in Cappadocia plurimùm. Ideóque non abſolutè quod inde aſportatur, optimum cenſendum eſt, ſed quod peculiariter in Sauro naſcitur, nec Cretico, nec paſsim naſcenti ſimile. Hæc de thlaſpi Galenus. Ex quibus colligitur duplex eſſe thlaſpeos genus, ſemine, figura, & colore diſtans præter illud quod Dioſcorides & Plinius ſecundum fecerunt. Primum Dioſcoridis & Plinij thlaſpi, Matthioli, Fuchſij, & aliorũ peritorum herbariorum iudicio, id eſt, cuius effigiem hîc propoſuimus, quod etſi caule iam edito folia non habeat in cacumine diuiſa, tamen cum cæteræ omnes notæ, quas thlaſpi ſuo Dioſcorides aſsignat, ei conueniant, credendum id legitimum eſſe, præſertim cùm antequam caulem emittat, vt obſeruare perfacilè eſt, ineunte vere folia proferat humi accubantia, vtrinq; circa cacumen diuiſa. Sed hæc fugaciâ ſunt, ſtatimq; conflaceſcunt. Quæ autem in caule ſunt, anguſta ſunt, vt Dioſcorides ait, ſubpinguia, digitali longitu-

Lib. 2. c. 150. *Genera.* Lib. 27. c. 13. *Forma.* *Locus.* Lib. 27. c. 13. Lib. 1. Anti.

THLASPI. I. Matth.

THLASPI Angustifolium, Fuchsij.

THLASPI. II. Matth.

THLASPI. III. Matthiol.

dine. Ad hæc caule est tenui, duorum dodrantum longitudine, non sine adnatis ramulis, circa quos totos fructus spectantur, folliculi scilicet compressi, aut disco similes, aut lenti, in quibus semen concluditur nasturtio simile, acri sapore. Pena & Lobellius hoc Thlaspi vulgatissimũ esse aiunt Vaccarię folio. Sunt qui hoc thlaspi esse Cratenæ, cuius Dioscorides & Plinius meminerunt, falsò credunt. Nam & foliis

THLASPI IIII.
Matthiol.

liis latis,& radicibus magnis caret, quæ thlaſpi Cratenæ habet. At ſi qua ſit planta hodie nota, quæ thlaſpi Cratenæ merito cenſeri poſsit,eam eſſe putat Matthiolus, quam rhaphanum ruſticum appellauimus & deſcripſimus : huic enim folia lata ſunt,radices magnæ,& iſchiadicis confert. Cordus id maius thlaſpi ſine dubio eam herbam eſſe putat, quam Germani *Merretuch* appellant,Arabes naſturtium album à candore radicis, eóſq; reprehẽdit,vt diximus,qui acrem iſtam radicem rhaphano adſcripſerunt, eáque malè vtuntur,cum rhaphano vtendum ſit. Alterũ thlaſpi genus ex Matthiolo etiam depinximus, quod eius ſemen thlaſpi haud abſimile videatur. Naſcitur in agro Pragenſi, locis ſaxoſis & aſperis,floret medio vere,Iunio menſe ſemen profert guſtui acre. Addidit Matthiolus & tertium & quartũ thlaſpeos genera hic quoque appoſita.Plura periti herbari obſeruarunt, & in lucem protulerunt:quorum declaratio in librum de plãtis, quæ in aſperis, aridis & montoſis naſcuntur,reiicienda. Eſt & thlaſpi marinum,minimum,de quo in libro maritimis ſtirpibus dicato,dicemus. Quare de thlaſpeos viribus Dioſcoridem nunc audiamus. Semen,inquit,bilem vtrinque extrahit potum acetabuli menſura : prodeſt iſchiadicis infuſum:ſanguinem potu educit, internas ſuppurationes rumpit : mẽſes ciet, ſed partus enecat. Alterum thlaſpi vtile iſchiadicorum infuſioni. Eadem Plinius iiſdem verbis habet.Eadem & Galenus,thlaſpeos ſemen, inquit, facultatem habet acrem, adeò vt internos abſceſſus potum diſrumpat:menſes ciet, & fœtum necat. Per ſedem infuſum ſanguinolenta euacuat, iſchiadibus prodeſt. Eſt enim alioqui tum ſupernè tum infernè bilioſorum humorum euacuatorium oxybaphi menſura epotum.

In lib.2. Dioſc.cap. 186.

Cap. de rapha.

Locus.

Tempus.

Lib.5.c 62. In hiſt. plã. cap.114.

Lib.2.c.150. *Vires & Temper.*

Lib.17.c.13. Lib.6.lim.

ARABIS SIVE DRABA. CAP. XLV.

ARABA ſiue Draba,ſiue Arabis herba dicta reperitur, & à Serapione naſturtij generibus adnumeratur,quam naſturtium orientale vocat, ob inſignem eius acrimoniam, quidam Babylonicũ naſturtium vocant. De draba hæc in Dioſcoridis exemplaribus leguntur. Draba herba ad cubiti altitudinem aſſurgit, tenues ſpargens ramos, & ex vtroque latere folia ſeu lepidij,ſed molliora & candidiora. In cacumine verò ſambuci vmbellam gerit, candidos flores habentem. Herba hæc cum ptiſana coquitur in Cappadocia maximè. Semen aridum pro pipere obſoniis admiſcetur. Sed hoc caput Dioſcoridi falſò adſcriptum fuiſſe Marcel. Verg. Matthiolus,atque alij viri docti non ſine ratione ſuſpicantur.Primùm plantę appellationem ſi rectè expendamus,neque Græcam,neque purè Latinam eſſe comperiemus, cùm neque apud Galenum, Oribaſium, Paulum, Aëtium, neque apud Plinium,aliósve Græcos aut Latinos auctores ſcriptum de ea quicquam reperiatur. Deinde in exemplari Dioſcoridis Græco manuſcripto,bis hæc herba ſecundo Dioſcoridis libro habetur, tum ſtatim poſt thlaſpi, tum in fine libri poſt glaſtum ante telephium intruſa,

Nomina

Forma.

ARABIS SEV DRABA,
Dodon. seu Thlaspi Creticum.

ARABIS SEV DRABA,
Matthiol.

ARABIS SEV DRABA
altera, Pena & Lobell.

Lib. 4. c. 63.

In lib. 2. Dioſc. cap. 187.

quod apertè oſtendit ſuppoſititiam eſſe in Dioſcoride hanc herbam. Cæterùm ſiue à Dioſcoride, ſiue à quouis alio herbario literis prodita ſit hęc herba, illam putat eſſe Dodonęus, quam hîc pictam damus, quam recentiores herbarij thlaſpi Creticum vocant. Pedalis eſt herba, foliis anguſtis, iberidis foliis ferè ſimilibus, in caulículorum ſummitate vmbellas ferens, in quibus floſculi oriuntur candidi, aut quaſi in purpura albicantes: deinde ſiliquę paruæ, compreſſæ, thlaſpeos ſiliquis ſimiles, minores tamen, in quibus ſemen includitur, guſtu acre & feruens, ſicuti thlaſpeos ſemen. Huic herbæ thlaſpeos vires Dodonæus tribuit. Cordus Plinium eius herbæ mentionem feciſſe nomine Dryophoni exiſtimat, cuius verba cùm de dryopteri dixiſſet, hæc ſunt. Dryophonon ſimilis herba eſt, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circundatis vtrimque foliis, pollicari amplitudine, qualia oxymyrſines, ſed candidioribus, mollioribúſque, flore candido ſambuci. Edunt cauliculos decoctos. Semine verò eius pro pipere vtũtur. Drabam aliam exhibuit Matthiolus, quã legitimam eſſe cenſet, in qua cùm leuiuſcula ſentiatur acrimonia, quam inſignem in Draba requirit Serapio, an ea ſit eius draba quæ in Italia naſcitur, affirmare non audet, niſi forte drabę pro regionum diuerſitate accidat, quod aro accidere ſcripſit Galenus. Drabam aliam Lobellius monſtrat, quæ inter Narbonenſium Drabam

&

& Myagrum media est & congener. Dignoscitur reptatu dodrantalium cauliculorum densissimorum, & radicis exilitate, flos albidus est, quatuor foliolis constans. Hæc Lobellius.

IBERIS. CAP. XLVI.

QVAE ἰβερὶς Græcis herba dicitur, ab Iberia regione nomen inuenit. Paulus lepidium, & ἀγριοκάρδαμον, id est, siluestre nasturtium appellari scripsit. Aëtius Cardaminen, quia odorem, saporem, & figuram cardami, hoc est nasturtij habet, & Galenus odore & viribus cardamo simile lepidium esse dicit. Quare in Dioscoride ἰβερὶς ἤτοι καρδαμαντικὴ pro καρδαμώνη falsò legi Cornarius existimat. Galenus etiam lepidium eandem esse herbam cum iberide declarat his verbis. Damocratis extat libellus Clinicus inscriptus, in quo versibus Iambicis de tribus differit medicamentis. Ac primò quidem eo quod ex herba quam ipse iberidem appellat, constat. Mox subiungit Galenus. In Iberide medicum quendam amicum suum hac herba curatum esse, quam ipse Damocrates iberidem appellat, vt qui ipso visu herbam cognorit, nomen autem eius nullum audierit, quinetiam idipsum ignorarit is qui eum vsum eius docuit. Verùm ex signis quæ scribit, videtur iberidē appellare, quæ à Græcis lepidium appellatur, à regione in qua amicus eius curatus est, appellatione ducta. His subiicit Galenus Damocratis iambos quibus iberidē descripsit. Addit rursus his Galenus. De hac iberide etiam Archigenes scribit, lepidium ipsam appellans. Dicit autē & splenicis, & ischiadicis ipsam cōuenire. Ad ischiadas & perfrigerationes Hygieni Hipparchi. Herbam iberidem quam aliqui lepidium vocant aut agriocardamum colligito, &c. Cùm igitur iberis & lepidium eadem sit herba, perspicuum est iberidis caput calci primi libri Dioscoridis à nimis curiosis librariis vel medicis, nō à Dioscoride adiectum fuisse, cùm is iberidi locus non rectè assignetur, sed libro secundo, in quo cum permultis plantis quæ acri facultate præditæ sunt, de lepidio tractat. Eius effigiem his iambicis versibus Damocrates depinxit.

Nomina
Lib. 3. c. 17.
Lib. 3. c. 184. & lib. 12. c. 12.
Lib. 7. sim.
Lib. 10. ph. loc. cap. 2.
Gal. lib. 10. ph. loc.
Locus.

Herba hæc ubiq; multaq; frequens nascitur,
Monumenta iuxta antiqua, muros & veteres,
Tritasque quondam publicè pedibus vias,
Quas iuxta aratrum duxit haud quis agricola.
Semper virescens foliis nasturtij,
Florentibus vere, attamen maioribus:
Caulem cubitalis longitudinis gerit,
Paulò minorem, aut rursus ampliorem, ab hoc
Aestate pendent folia, donec multa hyems
Sarmentitiam deducat hæc ad imaginem, &
Deiecta & exsiccata depereant gelu.
Adnata radici tamen cernes alia.
Aestate florem fert colore lacteo
Multum, tenuem, variúmque valde, cauliculus.
Ad quem sequitur semen penitus sic exiguum,
Visum ferè vt fallens, oculos quoque effugiat
Odorem habet radix inde acerrimum,
Vero similem quàm maximè nasturtio.
Forma.

Hos versus apertè declarat Plinius his verbis. Inuenit nuper & Seruilius Damocrates è primis medentium quam appellauit iberidem, quamquam ficto nomine, inuentioni eius assignato carmine. Nascitur maximè circa vetera monumēta, parietinasq;, & inculta itinerum, floret semper folio nasturtij, caule cubitali, semi-

Lib. 25. c. 8

Lib.1.c.vlt. ne tam paruo, vt vix aſpici poſsit. Radici odor naſturtij, &c. Huic deſcriptioni etiã ſimillima eſt ea quę in Dioſcoride reperitur, ſiue ab eo poſita ſit, ſiue ab alio auctore inſerta. Iberis folia habet naſturtij, vere virẽtiora, caulem cubitalẽ aut minorẽ. In incultis naſcitur. Aeſtate lacteum florem promit, quo tẽpore efficatior eſt. Radices duas naſturtio ſimiles habet calfacientes & adurentes. In qua deſcriptione corruptus eſt locus, μῆκος ὁ ὅσον πηχυαῖον, ἢ ἔλατλον, id eſt, caulem cubitalem aut minorem. Deeſt enim vox κυλοῦ, & πλέου, vt ſic legatur, μῆκος ὁ κυλοῦ ὅσον πηχυαῖον, πλέον ἢ ἔλατλον, Id eſt, caulem longitudine cubitalem, maiorem, aut minorẽ, ſic enim Damocrates habet. Sic & Aëtius, verſus Damocratis, ſed lege carminis ſoluta recitans, & Archigenes in Epiſtola ad Ariſtonem referente Aëtio, in qua iiſdem planè verbis iberidem deſcribit, vt vel ex Dioſcoride exſcripſiſſe videatur, vel ex ipſo Archigene ad finem libri primi Dioſcoridis caput de iberide aliquis attexuerit. Veterum Græcorum iberis ſiue lepidiũ doctiſſimorum herbariorum iudicio, ea eſt quam hic pictam exhibemus, *Naſturtio ſaluatico* Italorum, *Paſſerage ſauuage & Creſſon ſauuage* Gallorum, caulibus rotundis, cubitalibus, ſurculoſis: foliis anguſtis, floribus candidis, & ſiliquis in quibus ſemen: radice craſſa, candida, guſtu acerrima. Ab herbariis colitur in hortis. In Italia tamen & Gallia Narbonenſi locis incultis ſponte naſcitur. Huic iberidi cùm minimè conueniant quę de lepidio quodam Plinius tradit, id exire in cubitalem altitudinem, foliis laurinis, ſed mollibus, item Paulus fruticoſam quandã apud ſuos naſci iberidem ſimilibus lauri foliis, & multò amplioribus, attendẽdum id lepidium à ſuperiore iberide ſiue lepidio prorſus eſſe diuerſum: preſertim cùm Dioſcorides Lepidiũ ſuum βοτάνιον vocet, id eſt, Herbulam. Eſt autem id primum ſiue maius lepidium Pauli & Plinij ea planè herba quæ à recentioribus Piperitis nuncupatur, (non eſt autem piperitis Plinij, de qua iam diximus) quod acerrimo guſtu linguã vellicet, Officinis rhaphanus ſilueſtris, non ille quidem de quo poſt ſatiuum diximus, neque rhaphanus ruſticus, ſed qui nominatur à Gallis *Paſſerage*, à feruido guſtu, à Germanis *Pfeffkraut*. Lepidiũ maius Cordi & Tragi. Folia huic longa ſunt, lata, laurinis ſimilia, ſed latiora & longiora, & toto ambitu parum crenata: caules rotundi, fractu contumaces, fere bipedales: in quorũ ſummitate flores parui & candidi, deinde ſemen minutum, radix longa eſt, & ſimplex, quæ

IBERIS ſiue Lepidium. Matth.

Lib.12. c.2.

Lib.3.c.184.

Matth. lib. 1. Dioſcor. cap.vlt.

Forma.

LEPIDIVM PAVLI & Plinij.

Lib.19.c.8.

Lib.3 c.77.

Cap. de ſiliq.

Forma.

quæ ſub terra ſerpit, vnde quotannis ſurculi multi enaſcũtur. In hortis herbariorũ paſsim colitur, ſemelq; ſata haud facilè extirpari poteſt. Sed de Iberidis, ſiue lepidij prioris viribus dicamus. Lepidiũ, inquit Galenus, ex quarto eſt ordine excalfacientiũ, ſimile naſturtio, tũ odore, tũ guſtu, tũ viribus: ſed minùs eo deſiccat. Qui verò qualitates has ſequãtur effectu, hi ſunt ex capite de Iberide, quod in Dioſcor. additũ fuiſſe diximus. Radices iſchiadicis cũ ſalſa axungia emplaſtri modo vtiles, quaternis horis alligatæ, vt dein in balneas deſcẽdatur, & poſtea oleo cũ lana locus perungatur. Idẽ auxiliũ de Iberidis radice præſcripſit Damocrates, his verſibus.

Vires & Temper. Li. 7. ſimpl.

Gal. lib. 10. ph. loc.

Hanc erutam larga ſatis cape copia
Aeſtate, nam tunc optima & fortiſsima eſt
Adhuc recens ſiccata fit: ſed debilior.
Tuſam hinc probè (nam difficulter tunditur)
Pauca ſubactámque excipies axungia.
Crurique toti, & maximè coxendici
Adhibebis, tũ ligabis, & ſines duas
Horas mulieribus, viris ſed quatuor.
Hinc balneo inductos, nec vllo ex vnguine
Nec ſmegmate vllo pinguiore collines,
Sudore ſed modico exiliente, in ſolium
Merges iubens perferre: nam mordacitas
Ingens, caloris ſenſus atque exoritur.
Verùm hinc rigatos leniter perducito.
Illati enim quamuis manibus ſint plurium,
Exibit attamen pedibus ſuis valens,
Quicúmque conſilium hoc bonum ſuſceperit.
Ad multum oleum miſcebis hinc vinum modicum,
Et concuties, & illines lotos eo.
Ac mox madore terſo, & pinguitudine Totum teges crus mollibus tu velleribus.

Hoc ſanè vtendi modo, inquit Galenus, & inueteratos capitis dolores, & aliàs omnes quacumque corporis parte inueteratas & ægrè ſolubiles affectiones ac reſolutiones ſe curaſſe Damocrates, & omnino vitia in quibus alij ſinapiſmo, alij remedio ex thapſia vtuntur, ſe hac herba perſanaſſe ait. Idem omnino ad iſchiadas remedium Aëtius bis habet. Idem & Plinius his verbis. Radici Iberidis odor naſturtij. Vſus æſtate efficacior, & recenti tantùm. Tunditur difficulter: coxendicibus, & articulis omnibus cum axungia vtiliſsima, viris plurimùm quaternis horis, fœminis minùs dimidio adalligata, vt deinde in balneis deſcendatur in calidam, & poſtea oleo ac vino corpus perungatur: diebusq; vicenis interpoſitis idem fiat, ſi qua admonitio doloris ſuperſit. Hoc modo rheumatiſmos omnes ſanat occultos. Imponitur non in ipſa inflammatione, ſed imminuta. Ex his grauiſsimorum auctorum ſcriptis locum in Dioſcoride capite de Iberide corrupto legi putat Cornarius, Καὶ ἐλαίῳ μετ' ἐφύδ τοῖς τόποις ἐπιχεέσθω, & poſtea oleo cum lana locus perungatur, pro ἢ ἔλαιον μετ' ὄινυ τοῖς τόποις ἐπιχεέσθω, hoc eſt, oleũ cũ vino locis illinatur: ſic enim habent Damocrates & Plinius, vt ex ſuperioribus intelligitur. Sic & Aëtius: ἐξελθὼν δὲ οἰνελαίῳ λιπαρῷ πεφαντληθεὶς, καὶ πιεμαξάμενος, σκέπε τὸ ἰσχίον ἐφύοις καθαροῖς. Ideſt, Egreſſus autem vino & oleo multo perfuſus ac deterſus, coxendicem lanis puris tege. Et alio in loco. A balneo ad oleum multum paucum admodum vinum admiſceto, & illinito. Superiores auctores radicis Iberidis vſum ſolummodo iſchiadicis præſcribunt, Paulus etiã foliorum: ſic enim ſcribit. Quæ verò Iberis apud nos fruticoſa naſcitur ſimilibus lauri foliis, & multò amplioribus, reſpondere multa experimenta teſtantur, non ſolùm in coxarum,

Lib. 10. ph. local.

Li. 4. c. 184. & 12. ca. 2. Lib. 25. c. 8.

In li. 10. ph. loc. Gal.

Lib. 12. c. 2.

Lib. 3. c. 77.

sed in aliis quoque diuturnis affectibus. Per æstatem verò longè sunt efficaciora. Atqui si folia tunc non produxerit, cortex ipsius radicis contunditur cum adipe suillo, vt emplastri speciē repręsentet, inde linteolo dēsiori illitum locis maximè
Li.2. c.170. dolentibus imponitur,&c. Dioscorides etiam lepidij folia ad coxendicis dolores adhibet. Vis foliorum acris & excalfaciens, inquit, quapropter trita ischiadicis præsentissimum est auxilium, si cum helenij radice, quarta parte horæ illinatur: lienosis simili modo prodest: lepras eximit. Radix appensa collo, dolore dentium liberare existimatur. In quibus verba illa, si quarta parte horæ illinatur, quæ Græcè leguntur ἐπιλιβέμενον πρὸς τέταρτον ὥρας, mendo non carere suspicatur Cornarius. Cùm enim cæteri omnes auctores, vt diximus, emplastrum ex lepidio impo-
Embl. 159. lib.2. situm, quatuor horas sinendum præscribant, credibile non est rectè hìc legi, vt ad quarttam horæ partem imponatur: neque enim tam breui tempore vires suas exerere potest: & fieri potuit, vt τέταρτον pro τέσσαρας sit suppositum, quod facilè euenire potuit, si quaternarij numeri nota, δ, interpreti fuit exprimenda. Porrò reliquum lepidij in medicina vsum, & ex eius radice amuletum Plinius aliter
Li.20. c.17. quàm Dioscorides refert his verbis. Lepidium inter vrentia intelligitur. Sic & in facie cutem emendat exulcerando, vt tamen cera & rosaceo facilè sanetur. Sic & lepras & psoras tollit semper facilè, & cicatricum vlcera. Traduntin dolore dentium adalligatam brachio qua doleat, compescere dolorem.

CORONOPVS. CAP. XLVII.

Nomina ΚΟΡΩΝΟΠΟΥΣ, Latinè Cornicis pedem significat, atque etiam refert, foliis ita fissis & dispositis vt Cornicis pedem repręsentent. Est enim Coronopus Dioscoridis acetarium olus, quo horti omnes hodie scatent, Manardi, Scaligeri, Matthioli, Fuchsij, Cordi, & aliorum doctissimorum herbariorum sententia, quod vulgò herbariorum à foliorum integrorum figura Cornu cerui, Gallis *Corne de Cerf*, Italis *Herba stella*, Germanis *krautfuoß* dicitur: etsi eius breuissima sit apud Dioscoridem descriptio: oblonga herbula est, inquit, per terram strata, fissis foliis, coquitur in olere. Radicem habet tenuem, adstringentem, quæ in cibo cœliacis facit (vel vt in vetere codice legitur, ἧς ἡ ῥίζα ἑψομένη ἢ ἐσθιομένη ποιεῖ πρὸς κοιλιακούς, ideſt, cuius radix elixa si edatur, cœ-
Li.22. c.19. liacos iuuat.) Prouenit in aggeribus & locis incultis, & secus vias. Breuiter etiam eadem tradit Plinius. Coronopus oblonga herba est cum fissuris. Seritur interim,
Li. 21. c.16. quoniam radix cœliacis præclarè facit in cinere tosta. Et alio in loco. Aculeatarum caules aliquarum per terram serpunt, vt eius quam Coronopum vocant.
Lib.7. hist. cap.9. Quæ ex Theophrasto expressa sunt, qui Coronopum inter ἐπιγεόφυλλα, ideſt, ea quæ ab radice foliata sunt recensetitemq; inter aculeatas & sponte crescentes herbas. Etsi verò Dioscorides Coronopum aculeatam esse herbam non dicat, neque de ea libro tertio cum cæteris aculeatis herbis agat, sed libro secundo cum oleribus, iisq; quæ in ciborum vsum veniunt, nemo tamen iure eorum sententiam reprehendere possit, qui Coronopum hìc depictum Dioscoridis Coronopum esse existimarunt. Theophrastus enim ad Coronopi foliorum præsertim recentium
Li.2. Dios. c.123. formam alluserit, vt rectè censet Matthiolus, quæ ea sunt laciniarum tenuitate, vt aculeata videantur, cùm tamen pungere non possint, vt cum acanthinis similiter
Ca.169. luserit Dioscorides, vel vt ait Fuchsius, foliorum fissuras aculeos appelles licet.
Forma. Coronopus igitur siue Cornu cerui, folia fert longa, angusta, hirsuta, & in singulis lateribus terna, quaternáve foliola, ita vt folia integra Cerui cornibus ramosis simillima sint, per humum strata, & in stellæ figuram dispositа, ex quorum medio rotundi & hirsuti oriuntur cauliculi spicam, florem, semen edentes, omnia hæc plantagini proxima, vt nullum ferè discrimen obseruari possit. Vnica nititur radice, innumeris tamē capillamētis stipata. Hāc Dioscorides & Plinius, vt diximus,

cœliacis

cœliacis prodesse scripserunt, quibus subscripsit Galenus. Coronopodis radix comesta, inquit, cœliacis prodesse creditur. Aëtius idem tradit. Paulus colicos iuuare scribit, non cœliacos. Nec librarij est hic error ex vocum affinitate decepti, sed ipsius auctoris Pauli, qui cùm alaudam colicis auxiliari scripsisset, mox subiunxit, κορωνόποδος ἡ ῥίζα ἡ ἀλλὰ καὶ πᾶσα ὠφελεῖν ἐσθιομένη. Idest, Ipsa etiam Coronopodis radix colicos iuuare creditur. Li. 7. simpl. Lib. 7. Corn. Emblem. 6. li. 1.

CORONOPVS, Matth.

Scribit Matthiolus inueniri Coronopũ sponte nascentem diluto extenuatoq; solo, in Comitatu Goritiensi, quam ibi vulgus Serpentinã appellat, quòd eius radix in vino pota viperarũ, aliorumq; venenatorum animalium morsibus maximè aduersetur, adeò vt ipsa sola (id quod se experientia compertum habere affirmat) liberet demorsos. Huius etiã meminimus in libro de iis quæ in asperis nascuntur, capite de Holostio. Est & Serpẽtina minima, nullatenus distans à superiore, præterquàm exilitate: cauliculis enim vix vnciã, aut sesquiunciam æquat. In celsis montium iugis sterilis Sauenæ in Gallia Narbonẽsi copiosè prouenit. Ea est, opinor, quam Pena pingẽdam curauit: & quam Monspelienses Holostium suspicabantur, sed perperam propter radicis notam planè contrariam. Eadem etiam aut eam proximè referens, quæ à Clusio nomine Holosti Salmaticensis depicta est & descripta, vt ostẽdimus loco supra citato. Ex his quæ de Coronopo diximus, perspicuum

SERPENTINA Omnium minima, Lobellij.

CORONOPVS Siluestris, siue Serpentina.

est vche

est vehementer eos errare, qui Coronopum, plantam eam esse putant, quæ herbariorum vulgò Pes Coruinus, à nonnullis Pes gallinaceus dicitur, quo nonnunquam ad exulcerandas corporis partes, necessitate ita postulante vtuntur medici, cùm reuera ranunculi species sit, vt suo loco dicetur. Fuere alij eruditi viri qui multùm temporis & diligentiæ in plantarum natura cognoscenda posuere, qui aliter de Coronopo senserunt. Leonicenus imprimis Coronopum eam herbam esse putat, quam ipse lingua vernacula Capriolam vocat, alij Itali sanguinellam, quod eam pueri æstate in nares immittant, vt sanguinem eliciant. Cuius sententiam minimè probat Manardus. Nam etsi herba hæc in culmi fastigio quinque graciles veluti spicas gerat, quæ cum dilatantur, formam Pedis cornicis, vel alterius auis repræsentent, tamen cum hominum cibis nõ expetatur, folioq; sit nullis incisuris dissecto, nec seratur in hortis, & arida fœni modo assurgat, Coronopus nullo modo dici potest. Quod si quis obiiciat Plinio & Theophrasto Coronopum aculeatam esse herbam, atque ideo Capriolam, siue Sanguinellã esse posse, facilè is refelletur, quod Capriolę caulis calami modo geniculis interreptus humi minimè repat, sed rectus in altum assurgat, & culmorum more spicas ferat. Dodonæus quem Coronopum esse diximus, non Dioscoridis Coronopum, sed Pseudocoronopum vocat, atque aliam plantam exhibet, quam ad Coronopum Dioscoridis proximè accedere ait, quæ à Ruellio graphicè depicta est his verbis. Herbula protritis itineribus & semitis passim viret, quasi pedibus calcari lætetur, humi semper sparsa proserpit, folio in multas partes laciniato, sessilibus cauliculis, flore candido, exili inuolucris seminum orbicularibus, per ambitum echinatis, in quibus duplices prominulo ventre sinus extuberant, singuli singulorum seminum eo capaces. Vulgus quod folium multipliciter confectum in Ceruini cornu imaginem effigietur, hoc ei nomen non immeritò dicauit. Verùm quænam haberetur apud veteres, hæc herba Ruellius affirmare non audet. Pena verò hanc multò melius Coronopi speciem habendam esse censet, quàm Serpentariam Matthioli, quæ incerta est, & foliis longè dissimilibus, & potius holostij species. His idem Pena nouam antiquis & recentioribus indictam subdidit, quæ collibus & cautibus Massiliæ vicinis ad maris allisiones inter tragacanthum passim luxuriat, densissimo sparsoque foliorum stipatu, sedi minimi saxei montani, vel pinastri ritu, positu, & rigiditate

CORONOPVS Ruellij, ex Dodon.

CORONOPI Massilienſium, Penæ.

Li. 2. c. 62.

CORONOPVS Repens, Lobell.

rigiditate, innumera etiam ſobole cauliculorum dodrantalium, ſemen puſillum plantaginis, aut ſerpentinæ vulgaris ſpicis includentiũ. Radix longiuſcula, lignoſa, craſsior, guſtu nonnihil calida, aromatica.

MENTHA. CAP. XLVIII.

MENTHAE nomen ſuauitas odoris apud Græcos mutauit, inquit Plinius, cùm alioqui Mintha vocaretur. Vnde veteres noſtri nomen declinauerunt. Quæ ſic ſcripſit Plinius, quòd ἡδύοσμος Græcis nunc appelletur ab odoris iucunditate, quæ antea μίνθη dicta nobis Mentham fecit, Arabes *Nabatnaho* vocant, Itali *Mentha*, Germani *Muntz*, Hiſpani *Hierua Buena*, Galli *Menthe*. Dioſcorides duorum duntaxat Menthæ generum meminit, ſatiuæ ſiue hortenſis, cuius vt vulgò cognitæ deſcriptionem prætermiſit, & ſilueſtris, quam Mentaſtrum Latini vocant. Recentiores plures Menthæ hortenſis ſpecies eſſe annotarunt. Matthiolus plures Menthæ hortenſis ſpecies eſſe ait. Vna enim, inquit, breuioribus & criſpioribus conſtat foliis, alia rubenti caule & flore, alia albicante. Fuchſius genera quatuor, ſed diuerſa depinxit, totidem Dodonæus, ſilueſtris duo. Matthiolus primã Menthæ ſpeciẽ breuioribus

Nomina Lib 19 c.8.

Lib.3. ca.35. *Genera*

Cap.110. Lib.2.c.62.

MENTHA Satiua Criſpa, Dodon. prima.

MENTHA Satiua, Matth. prima, Dodon. III.

& criſpio

& crispioribus constare foliis scribit, de qua mox ex Dodonæo & Fuchsio dicemus, aliam rubente caule & flore, aliam albicante, quas duas postremas depinxit. His addidit Mentham Græcam, quæ Saluia Romana nominatur, de qua alio capite tractabimus. Fuchsij & Dodonæi mentha satiua prima ea est quæ mentha crispa, Gallicè *Menthe crespue*, Germanicè *Deyment*, & *Kranßdeyment* vocatur.

MENTHA Satiua altera, Matth.

Forma.

Mentha vulgata serpens rotundiore folio Lobellij. Cauliculos edit quadrāgulos, nigricantes, lanugine pubescentes: folia ferè rotunda, serrata, saturatæ viriditatis, crispa, mollia, odoratissima: flores purpureos, internodia geniculatim coronantes verticillato semper ambitu. Radice est fibrata per terrā longiùs euagante. Altera eorumdem satiua Mentha Germanorū *kranßmuntz & kranßbalßam*, ideſt, Balsamū crispū, Lobellij. Mentha rotundifolia altera, flore spicato, siue cruciata Mentha, superiori valdè similis est, foliis rotundis, nigricātibus, odoratis, cauliculis quadratis, radicibus per terram serpentibus: sed in fastigiis flores sunt spicati. Hæc est Mentha secunda satiua Matthioli. Mentha satiua tertia eiusdem Dodon. Mentha Sarracenica, & Mentha Romana quibusdam dicitur, Gallicè *Menthe de Noſtre Dame*, & *Mente Romaine*, Germanicè *Balsammuntz*, & *Unſer frauenmuntz*. Lobellij Mentha Romana Officinarum, siue præstantior, angustifolia, satiua prima Matthioli, folio longiore & acutiore constat, salicis folio simili, sed candidiore molliore, & hirsuto: flosculis purpureis cauliculorum cacuminibus spicatim insidentibus, radice tenera, fibrata. Aliam Menthæ Romanæ, siue Sarracenicæ speciem ex Myconio hîc appinximus: quæ à Pyreneorum montium incolis, vbi frequens nascitur, vocatur *Herba del Moro*, ideſt, Herba Sarracenica. In locis frigidis maximè prouenit, in pratis, & iuxta fluenta, vix alibi. Herba est cubitalis, interdū minor. Ramulos à radicibus multos edit, aliqua ex parte per caulis longitudinem, velut striis notatos, nonnihil lanuginosos, in quibus folia parua, breuia, non admodum lata, viridia, in ambitu serrata, odorata, medio inter ageratum vulgare & Menthastrum odore, & tam simili Menthæ Romanæ vulgò dictæ, vt hæc illi commodè possit succedere. Flores in cacumine multi, anthemidi similes, in medio luteoli, in ambitu candidi, odorati. Radices subsunt candicantes. Floret Iulio & Augusto mensibus. Iuribus carnium eam incoquunt ad saporis gratiam. Myconius Menthæ Romanę

MENTHÆ Sarracenicæ, ſpecies altera Myconij.

speciem

ſpeciem eſſe credit, ſapore, odore, & ſimili fermè foliorum figura inductus, niſi docti alij herbarij aliter ſenſerint. Quarta Mentha Germanis *Hertzkraut*, & *Balſamkraut* dicitur, Gallicè *Herbe de cœur*. Lobellij Mentha Romana anguſtifolia, ſiue cardiaca: foliis itidem longioribus eſt, caulibus & radice proximæ dictæ ſimilis, ſed flores purpurei geniculatim internodia haud ſecus quàm in prima ſpecie caules coronant. Mentha ſilueſtris ſiue Menthaſtrum ἡδύοσμος ἄγριος Græcis, Gallis *Menthe ſauuage*, & *Menthe cheualine*, Germanis *Roßmuntz*, & *wuilderbalſam*, Italis *Mentaſtro*, hirſutiore eſt folio, vt ait Dioſcorides, & prorſus maiore quã ſiſymbrij, grauiore odore, quare minùs ad ſanorum vſus expetitur. Idipſum eſt herbariorũ ſententia quod hîc exhibemus. Cauliculos habet quadrangulos, hirſutos: folia longiuſcula, rugoſa, mollia, tam ſupernè quã infernè lanugine caneſcentia, & hirſutiora, ſiſymbrio procerius, odore magis viroſo, floſculis ſpicatim cauliculorum faſtigia coronantibus, radice eſt tenera & fibrata. Alterum Menthaſtri genus Dodonæi, ſiſymbrium eſt, de quo proximo capite agemus. Lobellius Menthaſtra alia oſtendit. Campenſe & Zuuolenſe, Menthaſtro vulgari perſimile, ſed foliis nigrioribus, longioribus, profundius crenatis, minuſq; incauis & hiſpidis, & florum ſpicatorum diuiſura. In agro Friſio ſecus Campen & Zuuolen oritur.

MENTHA Satiua quarta, Dodon.

MENTHASTRVM vulgare, Matth.

MENTHASTRVM Campenſe & Zuuolenſe, Lobellij.

MENTHASTRVM niueum Anglicum, Pena & Lobellij.

MENTHASTRVM minus spicatum, Lobellij.

Menthastrum niueum Anglicũ, quod cultiores horti alunt in Anglia, vt ait Pena, vulgato longè minus & odoratius, cuius folia partim sunt viridi colore, partim niueo candore & læuore nitidissimo, cuiusmodi in hyssopo & saluia illic euenire ipsemet Pena annotauit. Menthastrum minus spicatum, odore mitius minusq; graue, folio Heliotropij Tricocci. Satiuæ Menthæ passim in hortis proueniunt. Amant apricum locũ, non pinguem, non stercoratũ: humidis facilius adolescunt. Menthastrum vliginosis locis gaudet: passimq; irrigua hoc Menthastro pubent. Florent omnes mẽse Augusto. Superest vt Mẽthæ vires declaremus, primùm ex Dioscoride. Mentha hortensis calfaciendi, adstringendi, atq; exsiccandi vim habet. Sistit sanguinem poto ex aceto succo: tineas in ventre teretes enecat: venerẽ stimulat. Singultus, vomitiones, choleraq; sedant terni ramuli cum acidi granati succo poti. Suppurationes discutit, si cum polenta illinatur. Imposita fronti capitis dolores mulcet: mammas si tendantur, aut lacte turgeant compescit: cum sale canum morsibus illinitur: aurium doloribus cum aqua mulsa subuenit: vuluę ante coitũ admota conceptioni resistit: linguæ scabritiem cõfricta læuigat: Lac coire densariq; in caseum non patitur, si folia (aliàs κλωνάρια, ideſt, ramuli) potionibus lactis immergantur. In summa stomacho vtilis est, & in condimentis peculiarem gratiam habet. Ex Plinio. Grato Mentha mensas odore percurrit in rusticis dapibus. Semel sata diutina ætate durat. Et aliquanto post. Menthæ ipsius odor animum excitat, & sapor auiditatem in cibis, ideo embammatum misturæ familiaris. Ipsa acescere aut coire, densariq; lac non patitur. Quare lactis potionibus additur, ne huius coagulati potu strangulentur. Datur in aqua aut mulso: eadem vi resistere & generationi creditur, cohibendo genitalia densari. Aequè maribus ac fœminis sistit sanguinẽ, & purgationes fœminarum inhibet: cũ amylo ex aqua pota cœliacorũ impetus. Syriation & vomicas vuluæ curauit. Ille & iocinorũ vitia ternis obolis ex mulso datis. Itẽ sanguinem excreantibus in sorbitionem. Vlcera in capite infantiũ mirè sanat; arterias humidas siccat, siccas adstringit. Pituitas corruptas purgat in mulso & aqua. Voci succus sub certamine vtilis duntaxat, qui & gargarizatur vua tumente, adiecta ruta & coriãdro ex lacte. Vtilis & contra tonsillas cũ alumine, linguæ asperæ cum melle: ad conuulsa intus

Tempus. Lib. 3. ca. 35.

Vires & Temper.

Li. 19. c. 20.

Li. 20. c. 14.

intus per ſe,vitiiſq; pulmonis. Singultus & vomitiones ſiſtit cũ ſucco granati, vt Democritus monſtrat. Recentis ſuccus nariũ vitia ſpiritu ſubductus emẽdat. Ipſa trita choleras,in aceto quidẽ pota. Sanguinis fluxiones intus. Ileum etiam impoſita cum polenta: & ſi mammæ tendantur. Illinitur & tẽporibus in capitis dolore. Sumitur & contra ſcolopendras,& ſcorpiones marinos, & ad ſerpẽtes. Epiphoris illinitur,& omnibus in capite eruptionibus: itẽ ſedis vitiis. Intertrigines quoque, vel ſi teneatur tantũ,cohibet. Auribus cum mulſo inſtillatur. Aiunt & lieni mederi eã in horto guſtatã,ita ne vellatur, ſi iis qui mordeat dicat ſe lieni mederi per dies nouẽ. Aridæ quoque farinã tribus digitis apprehenſam & ſtomachi dolorem ſedare in aqua,& ſimiliter aſperſam in potionem, ventris animalia expellere. His Plinius partim plures virtutes Mẽthæ quã Dioſcorides tribuit, partim Dioſcoridi apertè refragatur,qui Mentham ἀφροδισια ἐρεθιζειν, ideſt, venerem ſtimulare dixit, Plinius eam veneri officere,adducta etiã cur id faciat cauſa, inquit Cornarius. At Plinius non dixit veneri officere,ſed generationi reſiſtere:quod ait Dioſcor. ἀσυλλητίαν ἐργάζεσθαι, Idem Florẽtinus in Geoponicis habet,Si Mentha in lac iniiciatur,etiamſi coagulũ poſtea immittatur,lac non coagulabitur.Et addit, Inepta etiã ac incõmoda rebus venereis habetur. Dioſcoridi etiã Hippocrates & Ariſtoteles aduerſantur,vterq; diuerſam rationem ſecutus. Sic enim Hippocrates, Mẽtha calfacit,vrinã ciet,& vomitus ſiſtit.Et ſi quis ſæpe comedat, ſemẽ genitale colliquefacit vt diffluat,arrigere prohibet,& corpus debile facit. Ariſtoteles in Problematis ſic proponit. Cur dicitur Menthã belli tempore,neque edendã, neque ſerendã eſſe?Num quia perfrigerat corpus? Indicat autẽ id ſeminis corruptio. Hoc autem contrarium eſt fortitudini atque audaciæ,ſicut ipſe oſtendit alio Problemate, cũ ait,eos qui natura ſunt frigida formidoloſiores eſſe,contrà qui calida,audaces. At Hippocrates immodicũ Menthæ eſum veneri reſiſtere intelligit, quòd caliditate ſua ſanguinẽ extenuet,& ſemẽ genitale colliquet, eamq; ob cauſam arrigere prohibeat.Ariſtoteles verò, Menthã corpus ex accidẽte refrigerare, atque debilitare, quòd ſemen corrũpat. Galenus Menthæ facultates,& cauſam cur ad venerem inciteat,exponit his verbis. Hedyoſmos,alij verò Minthen odoratã vocãt. Eſt enim & alia quædã Mentha inſuauis odoris,quã calaminthẽ vocãt. Vtraque guſtu acri, & facultate calida eſt,ex tertio ordine calfacientium. Infirmior tamen eſt Mẽtha odorata quàm calaminthe, & minùs calfacit. Vt enim in vniuerſum dicam, hæc ſeu ſilueſtris quædã eſt, illa ſeu domeſtica. Quamobrẽ ſanet ob eam quæ ex cultu accedit humiditatem,mediocriter item ad venerẽ excitat. Id quod omnibus accidit quæ humiditatẽ ſemicoctam & flatuoſam continent. Ob talem ipſius herbæ temperaturã in abſceſsibus ea quidã cũ polenta miſta vtũtur. Id quod in calaminthæ facere nequeas,propterea quod valentiùs tum excalfaciat,tum deſiccet quàm id genus medicamenta poſcant. Habet verò etiam quiddã amarũ in ſe & acerbũ. Illo quidem lumbricos interficit,acerbitate verò,ſi cum oxycrato bibatur, recẽtes ſanguinis erectiones reprimit. Subſtantia eſt,vt ſi qua alia herba, tenuium partiũ. Nec omittenda ſunt quæ Symeon Sethi de ea prodidit. Iuuat iecur frigidum, & ventrẽ corroborat ac ſtomachũ,coctionẽ facit,vomitũ ſedat ac ſingultũ. Prodeſt etiam ad cordis morſus,& appetitionem ſuſcitat. Flatus diſcutit, & lumbricos interimit, potiſsimũ ſilueſtris Menthæ ius. Venerem ſtimulat,& iecoris obſtructiones tollit. Verùm hac veſci ad ſatietatem non oportet: quoniam ſanguinem extenuat,& ſeroſum facit,& ipſum in flauam bilem mutat.Dein efficit vt ſanguis,qui maximè eſt tenuium partium, diſcutiatur,& craſſus ac melãcholicus relinquatur. Quare oportet bilioſos ab ea abſtinere. Cõtrita cũ ſale & rabioſi canis morſui impoſita,medicamentum fit ſalubre. Arida verò trita,& poſt cibum ſumpta ad concoctionem facit,& lienoſos iuuat. Cum vino pota difficulter parienti ſuccurrit.

Li.12. c.24.

Lib. 2. de diæt.

Sect.20. Prob.2.

Li.6.ſimpl.

Ferunt etiam quod manſa lippienti impoſita fiat remediũ:quodq; eius decoctum abſorptum confeſtim ſanguinem ex faucibus eiicientes ſanet. Huius ſemẽ ventrẽ
Li.3.Dioſc. cap 35. purgat,& pulmonem lædit. Scribit Matthiolus aquã è tota Menthæ planta deſtillatam,quatuor vnciarũ pondere epotam ſiſtere ſanguinem (quod mirum fortaſſe multis videbitur) è naribus profluentem. Sunt & expendenda quæ de Mẽthaſtro
Lib.19 c.8. ſcribit Plinius.Genus eius(Menthæ)ſilueſtre Menthaſtrum eſt,& hoc propagatur vt vitis,vel ſi inuerſi rami ſerantur.Et aliquãto poſt. Menthaſtrũ ſilueſtris Mẽtha
Li.20. c.14. eſt,differens ſpecie foliorũ,quaſi figura ocimi,pulegij odore, propter quod quidã pulegiũ ſilueſtre vocãt. Legitur tamen in excuſis exẽplaribus pulegij colore,quod
Lib.3. c.36. falſum eſſe odor vtriuſque arguit,& ex Dioſcoride perſpicuè oſtẽditur, qui capite de calamintha,primã & ſecundam eius ſpeciẽ iiſdem planè deſcribit verbis, quas
Li.6 ſimpl. duas ſpecies Plinius in vnã Menthaſtri ſpeciẽ cõfudit. Et Galenus loco antea citato calamithẽ velut ſilueſtrẽ quãdam Menthã ſatiuæ oppoſuit. Poſtea tamen de
Cap.110. calaminthe ſuo ordine ſeorſum tractat. Neque ſanè mirũ,inquit Fuchſius, quandoquidẽ auctores ſocietate quę eſt inter Menthã,Menthaſtrũ,& Nepetã decepti, tum ſpecies,tũ nomina cõfundunt. Plinius Menthaſtri deſcriptioni mox vires &
Lib.3. c.36. eius in medicina vſum ſubiungit,qui à Dioſcoride capite de Mẽtha prætermiſſus eſt,ſed eadem capite de calamintha ferè omnia calaminthæ ab eo attributa reperiuntur. Sic igitur Plinius habet.Iis(Menthaſtri foliis)cõmanducatis & impoſitis
Li.20.c.14. ſanari elephantiaſin, Magni Pompeij ætate fortuitò cuiuſdã experimẽto propter pudorẽ faciei illita compertũ eſt. Eadem illinũtur bibunturq; aduerſus ſcolopendras & ſerpentiũ ictus,drachmis duabus, in vini cyathis duobus. Aduerſus ſcorpionũ ictus cũ ſale,oleo & aceto.Itẽ aduerſus ſcolopẽdras ius decocti. Aduerſusq; omnia venena ſeruantur folia arida ad farinæ modũ.Subſtratũ vel accẽſum fugat ſcorpiones. Potũ fœminas purgat à partu:ſed partus necat. Orthopnoicis, torminibus,cholericis efficaciſsimũ:itẽ lũbis,podagris impoſitũ. Succus auribus verminoſis inſtillatur:in regio morbo bibitur:Strumis illinitur. Sõnia veneris inhibet. Tineas pellit ex aceto potum.Contra porriginẽ ex aceto infunditur capiti in ſole.

SISYMBRIVM. CAP. XLIX.

Nomina ITALI Siſymbrium, vt Græci σισύμβριον vocãt,Arabes *Sinasbarium*, ſeu *Sinasbar*. Siſymbriũ autem dici putat Varro à Siſymbrio,quæ fuit veteribus comœdiis meretricula. Coronã etiam veneris nõnulli appellarunt,ꝙ ob odoris ſuauitatẽ quã præ ſe fert, eo iuuẽtus,quæ amoribus gaudet coronata,in comeſſationibus ſuis blando odoris oblectamento ſuas illecebras cõmendaret. Dioſcorides duo facit Siſymbrij genera. Vnum Siſymbriũ
Li.2.ca.121. ſilueſtre,alterũ Siſymbrium cardaminẽ. De hoc quod ſolo nomine priori ſimile
Genera. eſt,iam diximus,de illo nũc dicendũ. Eſt id Siſymbriũ Mẽthę ſpecies. Vnde Gallis dicitur *Menthe aquatique*, Germanis *Fiſchmuntz & Vuaſſermuntz*. Lobellij aquati-
Forma. ca,ſiue Siſymbria Mentha, Balſamine Officinarum. Eſt enim hæc planta primæ menthæ hortenſi ſimilis,quadrato caule,quadãtenus purpuraſcente,foliis mẽthę, ſerratis,latioribus,& odoratioribus:floribus purpureis,albicãtibus, cauliculorum ſummitati inſidentibus,rotundorũ capitulorũ inſtar:radicibus longis, per terram ſerpentibus. In aquoſis naſcitur. Quæ cũ Dioſcoridis Siſymbrio conueniunt, ſic
Locus. ſcribentis. Siſymbriũ in ſolo inculto naſcitur,menthæ hortẽſis ſimilitudine,odoratius,latiore folio:inſeritur coronis.Idem Siſymbrium intelligit Plinius,cum ait.
Li.2.ca.121. Li.20 c.22. Siſymbrium ſilueſtre à quibuſdã Thymbræum appellatũ,pedali non amplius altitudine.Et alibi. Serpyllo & Siſymbrio montes pleriq; ſcatent,ſicut in Thracia,vbi
Lib.19. c.8. aquæ ex iis deferunt auulſos ramos, ferunt q;. Item Sicyone ex ſuis montibus, & Athenis ex Hymetto. Simili modo & Siſymbrium ferunt. Lætiſsimum naſcitur in

puteorum

SISYMBRIVM Siluestre.

SISYMBRIVM Hortense.

puteorũ parietibus, & circa piſcinas ac ſtagna. Quæ ex Theophraſto expreſſa ſunt: ſed perperam. Nam Theophraſtus lib.6.hiſt.c.7. Serpyllo nõ Siſymbrio alicubi mõtes planaq; ſcatere tradit, vt in Thracia. Præterea ſerpyllũ ſilueſtre eſſe, quod quidã è mõtibus delatum ſerunt, vt Sicyonenſes & Athenienſes ex Himetto, &c. Vt legendum ſit, ſi Theophraſtum ſequamur. Serpyllo mõtes alicubi planaq; ſcatent, ſicut in Thracia, vbi quidam, non aquæ deferunt ex iis auulſos, &c. At idem Theophraſtus locis aliquot ſatiui Siſymbrij mentionem fecit. Quod Matthiolus & periti herbarij eam eſſe putant, quam Officinæ Balſamitam appellant, vulgus Mentham Romanam, ſiue criſpam, Galli *Baulme creſpu*, Florentinus in Geoponicis videtur Balſamum hortenſe appellaſſe. Lobellio eſt Siſymbria Mentha agreſtis ſatiua, cruciatæ Menthæ, ideſt, ſecundæ Mẽthæ ſatiuæ Dodonæi ſuperiori capite deſcriptæ congener aut eadem. Italis etiã *Balſamita*, ſeu *Mentha creſpa*. Folia enim profert rotunda, vulgaris menthæ foliis latiora, criſpa: caulẽ quadrangulũ, rubentẽ, virentemq;, odoreq; eſt quàm mẽtha vehementiore. Denique Balſamita facilè in menthã degenerat, niſi diligens adhibeatur cultura, quod de Siſymbrio prodidit Theophraſtus. ἡ δὲ τοῦ σισυμβρίου εἰς μίνθαν δι' ἀργίαν γενομένη. συμβαίνει γὰρ ὅταν μηδεὶς ἐξεργάζηται μηδ' ἀποδιδῷ τὴν οἰκείαν θεραπείαν, ῥιζοῦσθαι μᾶλλον εἰς τὸ κάτω. ῥιζούμενον δὲ, καὶ τὴν δυνάμιν ἐκβίαιον τρέπον πρὸς ἀσθενέστερον εἶναι γίνεσθαι, καὶ τὴν δεμιλησίαν ἀποβάλλειν τῆς ὀσμῆς, ὥσπερ ἐξ ἀμφοῖν ὄντων ἡ ὁμοιότης, τὸ δὲ βλαστῆσαι, καὶ τῆς ὀσμῆς. τῆς γὰρ δεμιλησίας ἀφαιρουμένης, ἡ καλάμινθος ὀσμὴ μαλακή τις οὖσα, καὶ ἀνειμένη, προσεμφερὴς τῇ μίνθῃ γίνεται). Id eſt, Siſymbrij in menthã mutatio ex neglectu euenit. Cum enim quis non excolit, neque ſolitã curam adhibet, radicatur magis in inferiora: cũ autem radicatur, & illuc totam vim conuertit, debilius Siſymbriũ ſolet reddi, odoriſq; ſui acrimoniam amittere, quaſi ex ambobus illis germine atque odore ſimilitudo proueniat: ſublata enim acrimonia, reliquus odor mollis & remiſſus, fit menthæ ſimilis. Plinius non in mentham, ſed in calamintham degenerare Siſymbriũ dixit. Sed cum id, ex Theophraſto hauſiſſe certum ſit, mẽdoſe calaminthã pro mẽtha legi viri docti exiſtimant: Degenerare autẽ odore quẽ vehementiſsimũ habet, Siſymbrium in menthã, non tota ſpecie & natura in ipſam tranſire quidã credunt. Quæ de re Scaligeri eruditiſsimi & integerrimi viri ſententia hæc eſt. Quidam præcipiti ingenio maleferiati, qui ad primã quamq; inſpectionẽ transfugiunt à receptis

Lib.6. hiſt. ca.7.

cap.28.lib.

Forma.

Lib.9. caul. ca.8.

Li.19.ca.10.

Lib.1.de pl.

opinionibus,ac temerè constituunt effata vniuersalia:Sisymbrium menthæ odorẽ tantũ capere,non autẽ speciem sibi vindicare.Nos verò,inquit, Sisymbrio perire pristinam faciem,nitorẽ,rotunditatẽ,odorem,saporẽ,atque abire in mentham,& vidimus sæpenumero,& meminimus,& profitemur. Sisymbrium siluestre calfaciendi vim habet,vt auctor est Dioscorides.Contra stillicidia vrinæ calculosq; semen ex vino bibitur: tormina & singultus sedat. Folia in capitis dolore fronti & temporibus illinuntur:itẽ cõtra vesparũ apumq; ictus. Vomitiones potu cohibet. Plinius prolixiùs tam Sisymbrij siluestris, quàm Sisymbrij cardamines facultates simul declarat. Breuius verò & apertiùs Galenus huius de quo agitur, his verbis. Sisymbrium tenuium est partium,digerentis, excalfacientis, & resiccantis facultatis est,& temperaturæ in tertio ordine: sed & semen eius tenuium est partium, & calidum:quocirca ipsum quidam cum vino exhibent singultientibus,& tormina patientibus. Hæc Galenus. Sisymbrium tam hortense quàm sponte nascens, vt tradit Matthiolus,flatus & lumbricos pellit cũ herba ipsa in puluerem trita, tum decoctũ eius potum. Valet ad vteri inflationes, si cũ parthenio in calente tegula calfactũ,& odorato mero aspersum ventri applicetur.Valentius vteri doloribus à partu subuenit,si cum parthenio, anthemidis flore tenuiter cõcisa tribus aut quatuor ouis excepta, in patella cum oleo lilino ad ignem fiat placenta, quæ calida vmbilico applicetur. Illinitur tam recẽs,quã sicca herba calfacta,& vino Cretico aspersa ad ventriculi dolores.Succus testibus illitus seminis profluuium cohibet.

Vires & Temper. Lib.2.c.121.

Li.10.c.22.

Li.8.simpl.

Li.2.Dios. cap.111.

COSTVS HORTENSIS. CAP. L.

Nomina

QVae hic exhibetur herba, viuacissima passim in hortis prouenit,à quibusdã mentha Græca,& mentha Sarracenica, in Hetruria Saluia Romana,quòd foliis saluiam potiùs,quàm mentham referat, ab aliis Herba D.Mariæ,à quibusdã Lassulata nominatur. Dodonæus Balsamitam vocat,Galli *Coq*. Hanc faciunt peregrino illi Costo vel nomine affinem,& Costum hortensem appellant. Quorũ iudicio subscribere videtur Florentinus in Geoponicis,cũ Costũ & balsamũ in hortis seri viuiradice Nouẽbri mẽse prodit, odoratu perquam suauẽ:vti sampsuchum Aprili & Maio. Nam balsamum sua ætas sisymbriũ hortẽse, vt diximus,& Costũ herbã de qua hîc agimus, videtur innuisse. Costus hîc folio est saluia longiore,latioreq;,betonicæ æmulo, per oras serrato,in viridi albicante:caulibus cubitalibus,& aliquãdo maioribus,in quorũ cacumine flores lutei,capitelli similes,vt in tanaceto, sed minores:radice fibrata,& surculosa.Tota herba amara est,& subastringens, grauitérque odorata. Hæc est Matthioli. Mentha Græca, & multorum herbariorum Costus hortensis. Atque ita se sentire cum Ruellius duobus locis apertè declarasset, alio Costum hunc hortensem, Gallorum *Coq*, siliquastrum, siue Piperitidem Plinij esse putat, quam Castor demonstrauit caule rubro, longo, densis geniculis, foliis lauri,semine albo, tenui,gustu piperis, vtilem gingiuis, dentibus, oris suauitati, & ructibus. Quæ siliquastri effigies, inquit, cum Costum nostrum in hortis nascentem exprimat, nulla refragante delineatione, cui etiam

Lib.2.c.64.

COSTVS Hortensis.

Formæ.

Lib.1. c.32.
Lib.2.c.91.
Li.10. c.17.

etiam vires adſtipulantur, hunc Plinij ſiliquaſtrum, ſeu piperitidem eſſe credit. Sed cùm ſiliquaſtrum ſiliquas magnas & oblongas producat, vnde ſiliquaſtri nomen inuenit,& ſemen eius guſtatum ſaporem piperis præ ſe ferat,vnde etiam piperitis nuncupatur, vt capite de ſiliquaſtro diximus hac in re Ruellium hallucinatum eſſe conſtat. Sunt quibus Coſtus hic noſter potiùs Leucas Plinij eſſe videatur,dequa pauca hæc ſcripſit. Leuce mercuriali ſimilis, nomẽ ex cauſa accepit,per medium folium candida linea tranſcurrente. Mox ſubiicit,fortaſsis eadem ſit quæ Leucas appellatur, contra omnia marina venena efficax. Speciem eius auctores non tradunt,nec aliud quàm ſilueſtrem latioribus foliis eſſe efficaciorem,hanc ſemine acriorem. Tota Coſti hortenſis planta auctore Matthiolo, excalfacit,ſiccat, aperit,attenuat,roborat,abſtergit,& prouocat, auxiliatur vteri affectibus. Medetur hydropicis,& præſertim anaſarca laborantibus: quia refrigeratũ hepar excalfacit,& vaſorũ obſtructiones aperit. Illinitur ex oleo irino lienoſis,& ex vino feruefacto vrinam ægrè reddentibus. Lentigines,alphos, & alia cutis vitia abſterget illitus noctu ſuccus, folia adduntur in placentas quæ à mulieribus vteri affectibus obnoxiis eduntur.Sunt qui ea tenui pulticula illita frigunt patellis in oleo aut butyro,& iis in cibis vtuntur.Huius epotus ſuccus alui tineas,& lumbricos necat:frigido vtero ſubuenit: ventriculum roborat tam hauſtus quàm illitus, & vomitiones compeſcit. Tota planta tum ſubſtratu,tum ſuffitu ſerpentes fugat, & eorum venenis reſiſtit.

Lib.27.c.11.

Lib.3.c.35. Dioſc.

Vires & Temper.

OCIMVM. CAP. LI.

VOD ὤκιμον Græci dicunt,Latini ſimiliter Ocimum appellant,Mauritani *Berendaros*, *& Bedarog*, Itali *Baſilico*, Germani *Baſiluen & Baſilgram*,Hiſpani *Albahara*, Galli *Baſilic*, quod nomen apud omnes ætatis noſtræ herbarios,& Officinas,& multas gentes increbruit, à recẽtioribus Græcis deriuatum,qui βασιλικὸν vocant,id eſt, regium,quod ob præſtantem odorem baſilica,id eſt, regia domo dignum ſit. Sunt tamen qui Ocimum cariophyllatum duntaxat ſic nominant. Ocimum autem quibuſdam à naſcendi celeritate dictum videtur, quia à ſatu tertio ſtatim die erumpit. At veriùs id ocymo etymum videtur conuenire, quod pabuli & farraginis quoddam genus eſt,ſic nominatum ab ὠκὺς Græca dictione,quę citum ſignificat.Quare ſunt qui ſignificantiùs per ζ, ſcribendũ putent ozimum,ab ὄζω, quod valet redolere:quoniam tota herba ſuauiſsimũ odorem ſpiret.Sunt qui ſtatuunt Ocimi duo genera,vnum latiora folia habens,alterum anguſtiora. Fuchſius tria, ocimũ exiguum,alterum mediocre, tertium magnum, foliis tantùm diſtantia, quæ in primo genere ſunt admodum exigua, in altero paulò latiora, in tertio latiſsima,quibus tribus vnus idémque eſt odor.Matthiolus quoque tria haberi Ocimi genera tradit, eáque in ſecunda in Dioſcoridem cõmentariorum editione accuratiùs quàm in prima diſtribuit,hoc modo.Primum Ocimum eſt maximum. Secundum medium ſiue mediocre:cuius duæ ſunt ſpecies,alterum enim vulgaris ocimi, alterum citrei mali odore eſt, quod eam ob

Nomina

OCIMVM Maximum.

Dodo. lib. 2.cap.60. cap.107.

Genera.

cauſam citratum vocarunt Arabes. Tertium ocimum minimum eſt, quod Itali *Baſilico Gentile* vocant. Quorum omnium meminit Serapio de ocimo differens,

Lib.2.c.135. appellans medium de quo tractauit Dioſcorides, ocimum non caryophyllatum, caryophyllatũ verò omnium tum minimum, tum odoratiſsimum, poſtremum citratum ab odore. Ocimum pedali altitudine proſilit, ſurculoſum, ramulis rotundis, folio diluti viroris, floret particulatim, primò parte inferiore, demùm ſuperiore: floſculo candido aliquando purpureo: ſemine paruo & nigro. Radix vna deſcendit craſsior & lignoſa, cæteræ, à lateribus funduntur exiles ac prolixæ. Ocimum maximũ Matthioli folia habet amarantho longe maiora, lata, longa, craſſa, citreæ malo ſimilia. Secundum foliis eſt & ramulis minoribus, cuius vna ſpecies vulgare ocimum, altera citream malum odore adeo refert, vt nulla ferè inter ea odoris differentia percipi poſsit, vnde citratum Meſues, atque alij eiuſdem familiæ auctores, vt diximus, appellarunt. Tertium foliis conſtat anguſtis, minutis, &c. odoris præſtantia ſuperat. Ocimum in hortis ſatum fœliciter prouenit. Paſsim etiam in figulinis vaſis extra feneſtras ædium fouetur. Iunio & Iulio menſibus floret, dein ſemen producit. Ocimum quandoque in ſerpyllum degenerare auctor eſt Theophraſtus, & cauſam ad Solem refert. τὸ δὲ ὤκιμον, inquit, τὸ ἐν ἡλίῳ πολλάκις κείμενον ἀφερπυλλοῦται, διὰ τὸ ξηραίνεσθαι μᾶλλον. καὶ γὰρ τὸ φύλλον ἔλαττον γίνεται, καὶ ἡ ὀσμὴ δριμυτέρα τῶν ξηρῶν. ἔλαττον γὰρ καὶ ἡ τροφή. Id eſt, Ocimum quod in ſole ſæpe ſitum eſt, abit in ſerpyllum, quia magis ſiccatur. Etenim folium minus redditur, & odor vehementior eſt ſiccorum: minùs enim ea aluntur. Ocimum vt tradit Dioſcorides, copioſiore cibo oculorum aciem hebetat, aluum mollit, flatus mouet, vrinam pellit, lac euocat: ægrè tamen conficitur. Illitum cum polline polentæ aceto & roſaceo, pulmonum inflammationibus auxilio eſt (Græca pulmonum vocem non habent, nec eam Cornarius in conuerſione ſua expreſsit) Draconis marini & ſcorpionis ictibus per ſe prodeſt, & cum vino Chio oculorũ doloribus (quæ aliter ex Græco ſunt diſtinguẽda, Draconis marini & ſcorpioni ictibus, per ſe autem in vino Chio, &c.) Succus viſus caliginem abſtergit: deſtillationes exſiccat. Semen potum conuenit atram bilem gignentibus, difficili vrinæ, inflatiſq; naribus hauſtum ſubinde mouet ſternutamenta, quod idem herba efficit. Sed oculos premi neceſſium eſt cum

OCIMVM Medium, Fuchſij.

Forma.

Locus.

Lib.5. cauſ. cap.8.

OCIMVM Medium, Matthiol.

Lib.2. c 135. *Vires & Temper.*

OCIMVM Paruum.

OCIMVM Caryophyllatum.

cum ſternutamentum vrget. Sunt qui in cibis abdicandum cenſeant, quandoquidem mandu catum & in ſole poſitum vermiculos creat. Aphri autem adiiciunt, ſi feriantur à ſcorpione qui ocimum ederunt, nullo conflictari dolore. At non ſolùm vt noxium in cibis, ſed & vt in medicina inutile & pernitioſum veterum quidam grauiter repudiarunt, quod declarat Plinius his verbis. Ocimum quoque Chryſippus grauiter increpuit, inutile ſtomacho, vrinæ, oculorum quoque claritati. Præterea inſaniã facere & lethargos, & iocinoris vitia: ideóque capras id aſpernari. Hominibus quoq; fugiendum cenſet. Addunt quidam tritum ſi operiatur lapide, ſcorpionem gignere: commanducatum & in ſole poſitum vermes afferre. Aphri verò, ſi eo die feriatur quiſpiam à ſcorpione, quo ederit ocimũ, ſeruari non poſſe. Quinimo tradũt alioqui manipulo ocimi cum cãcris decem marinis vel fluuiatilibus trito, conuenire ad id ſcorpiones ex proximo omnes: Diodotus in Empiricis, etiam pediculos facere ocimi cibum. Secuta ætas acriter defendit id eſſe capras nec cuiquam mentem motam: & ſcorpionum terreſtrium ictibus, marinorúmque venenis mederi ex vino, addito aceto exiguo. Vſu quoque compertum deficientibus ex aceto odoratu ſalutare eſſe: item lethargicis & inflammatis refrigerationi. Illitum capitis doloribus cum roſaceo, aut myrteo, aut aceto. Item oculorum epiphoris impoſitum ex vino, ſtomacho quoque vtile, inflammationes & ructum ex aceto diſſoluere ſumptum. Aluum ſiſtere impoſitũ, vrinã ciere. Sic & morbo regio, & hydropicis prodeſſe, choleras eo, & deſtillationes ſtomachi inhiberi. Ergo etiam cœliacis Philiſtio dedit, & coctum dyſentericis & colicis Pliſtonicus. Aliqui & in teneſmo, & ſanguinẽ excreantibus in vino, duritia quoque præcordiorum. Illinitur mammis, extinguitq; lactis prouentum. Auribus vtiliſsimum infantium, præcipuè cum adipe anſerino. Semen tritum & hauſtum naribus ſternutamenta mouet, & deſtillationes quoque capiti illitum. Vuluas purgat in cibo ex aceto. Verrucas miſto atramento ſutorio tollit. Venerem ſtimulat, ideo etiam equis aſiniſq; admiſſurç tempore ingeritur. Hęc Plinius. Auicenna etiam libro de viribus cordis à Dioſcoride diſſentire videtur: ſcribit enim Ocimum ſanguinem turbidum & melancholicum generare: quoniã ſuperuacua humiditas quæ in ipſo eſt, parit inflationem in vęnis. Nec aliter videtur ſenſiſſe Galenus, cum ait. Ocimum ex ſecundo eſt ordine excalfacientium, habet autem Lib.10.c.12

Lib.8.ſim.

bet autem recrementitiam humiditatem, proinde nec commodum est quod in corpus sumatur. Cæterùm foris illitum ad digerendum, & concoquendum vtile
Lib.2.Ali. est. Et alio in loco. Ocimo plerique vt obsonio vtuntur, ex oleo & garo esitantes. Vitiosi autem est succi, quod impulit quosdam, vt falsa de eo prodiderint, affirmantes quàm celerrimè paucis diebus scorpiones generare, si tritum in ollam nouam immittatur, & potissimùm si quis quotidie ollam ad Solem calfecerit, quod falsum est. Verè autem dixeris olus stomacho esse noxium, prauique succi, & concoctu difficile.

OCIMOIDES. CAP. LII.

Nomina GRAECIS ὠκιμοειδὲς dicitur haud alia ratione, quàm quod ocimo foliis potissimùm simile sit, ocimastrum à Latinis appellari in nothis Dioscoridis legimus, quasi siluestre ocimum, & sic ipsum videtur appellasse Plinius. Itali *Basilico saluatico* vocant, Hispani *Allahaqua*
Lib.20.c.13. *montesina*, Galli *Basilic sauuage*. Ocimoides depinxit Dioscorides foliis ocimi, &
Lib.4.c.25. *Forma.* ramis dodrantalibus, hirsutis, siliquis hyoscyamo similibus, semine vt gith, nigro
In lib.4. Dioſc.cap. 26. prægnantibus, radice tenui & superuacua. Id Ocimastrum esse putat Matthiolus, quod hìc exhibemus, passim copiosè nascens in Italia, præsertim inter segetes, propè septa, & in agrorum marginibus, foliis sanè ocimo satiuo similibus, ramulis hirsutis, quadratis, dodrantalibus aut cubitalibus, in quorum vertice flores exeunt candidi, quandoque purpurei, quod Dioscorides omisit, è quibus vascula enascuntur vt in hyoscyamo, capaci ventre, arctis faucibus, per ambitum denticulatis, viperinis dentibus similia, in quibus semen includitur nigrum, melanthio
Cap.343. ferme similè. Ocimastrum aliud depinxit Fuchsius, cui quidem Dioscoridis descriptionem adeò conuenire putat, vt nulla prorsus reclamare nota videatur, siquidem folia fert ocimi, ramulos palmares, quadratos, hirsutos, flores purpureos, forma ocimi floribus similes, qui tamen colore, qui illis candidus est, constat: deci-

OCIMOIDES Maius, Matthiol.

OCIMASTRVM Fuchsij.

dentibus

OCIMOIDES Minus, sive album.

SESAMOIDES Paruum, sive Ocimoides minimum.

dentibus floribus siliquas hyoscyamo similes, seminis nigri, melanthio similis plenas ostendit. Radice etiam nititur tenui & superuacua. His omnibus accedit odor, qui planè ocimum referre videtur. Dodonæus Acini nomine depinxit. Alia ocimastri genera Dalechampio videntur esse. Primum ocimoides minus, fortasse Perdicium secundum Plinij. Id ex radice longa fructicat, crassiuscula, intus lignosa, carnosa pulpa foris obducta, nodosa, flagella multa huc illuc diffundente, ex quibus rami multi assurgunt cubitales, vel etiam proceriores, rotundi, geniculati: foliis binis ex singulis geniculis enatis, figura foliorum calthæ, aut violæ quam Cheiri vocant Officinę, eiusmodi multis ad radicem iacentibus, & proximè terram stratis, circa caules longioribus & acuminatis: caulibus in summo sic pinguibus, vt dum attrectantur, melle perunctì censeri possint, in ramulos plures fissis, rotundos, sesquipedales, geniculatos, ad genicula superiora, quà folia prodire dictum est, nascẽtes, flore albo, ex quinque foliolis constructo, ea forma, vt singula foliola ex coniunctis duobus transcurrente linea diuisis composita videantur, vt in Dodonæi vaccaria, quam Officinæ Ben album vocant: calice post floris lapsum oblongo, in metam fastigiato, viridi, semine pleno, gustu lẽto & amaro. In asperis, sabulosis, frigidis & ventosis prouenit, floret Maio mense. Id Clusius à Salmanticensibus Sesamoides magnum dici scripsit, eoq; nomine depinxit. Cui dissimilem omnino plantam subiungit, quæ etiam Salmanticensibus Sesamoides paruũ nuncupatur, tametsi eius descriptioni minimè conueniat. Est verò ea dodrantalis, tres aut quatuor virgulas teretes ab vna radice producens circa quas folia lini exigua, densa, inordinata, & in extremis plurimos flosculos, spicæ aut racemi instar cõfertos, ex herbaceo purpurascentes primùm, deinde tenuibus capillamentis ex albo pallescentibus ornatos, in quorum medio veluti quatuor grana viridia conspiciuntur, quæ decidẽte flore in paruas siliquas excrescunt, semine exili nigricante plenas. Radice candida, satis crassa & dura quæ perennis est, & ante hyemẽ repullulat. In collibus Salmanticæ proximis prouenit, lapidoso solo, vbi Maio floret, deinde semen profert. Ocimoides minimum dicenda potius quàm Sesamoides. Ingrato est gustu & amariusculo. Pena plantas duas pictas dedit, quas à plebecula Muscarias, Viscarias, siue Muscipulas vocari ait, quia veluti glutine quopiam adeò sunt perlitæ,

Lib. 22. c. 17

Forma.

Locus.

Tempus.

vt

MVSCIPVLA Altera flore muſcoſo, Penæ.

OCIMASTRVM Valentinum, Cluſij.

vt non ſolùm manum, ſed etiam muſcas & papiliones præteruolantes implicet. Priorem putamus eſſe. Ocimoides minus ſiue album à nobis modò deſcriptum. Alteram non multùm diuerſam eſſe ſcribit, folio, caliculis, ſemine, & cauliculis, ſed perquàm exiguo flore racemoſo, ex luteo herbaceo, quam hîc appinximus. Alterum Ocimoides repens appellari poteſt, quod & cucubalum Plinij multi eſſe cenſent. De quo in libro, de iis quæ in vicina adminicula ſcandunt, tractauimus.

Lib.27. c.8. Lib.2.ſtirp. Hiſp.c.53. Hæc de diuerſis ocimaſtri generibus. Quibus addemus Ocimaſtrum Valentinum Cluſij, quod eſt pedali altitudine, ramis quadrangulis, hirſutis: foliis per ſingula genicula ex aduerſo ſitis, ocimi magnitudine & forma, guſtu adſtringẽtibus: circa ſummos ramos flores proueniunt orbiculatim compoſiti marrubij modo, candidi, ocimi floribus ſimiles in vaſculis pungentibus, ſemine marrubij, nigro: radix vrticæ aut Lamij æmula. Prouenit copioſè circa riuos ex flumine ductos ad vrbem Valentiam in Hiſpaniis, vbi eam initio Aprilis florentem & ſemine prægnantem obſeruauit Cluſius, nec vſquam alibi. Iſtic Ocimaſtrum appellant, etſi non admodum Dioſcoridis deſcriptioni conueniat. Marrubium Hiſpanicum odore Stœchadis Lobellius appellat. Cæterùm ocimaſtri Dioſcoridis ſemen in vino potum vim habet qua viperarum cæterarúmq; ſerpentium morſibus medeatur. Datur iſchiadicis cum vino, melle, myrrha, & pipere. Ocimoides, inquit Galenus, quidam philetærium cognominant. Radix ſuperuacua eſt, at ſemen tenuium partium, ac deſiccantis citra mordicationem facultatis eſt. Plinius, cùm de ocimo ſcripſiſſet, ſubiicit. Silueſtri ocimo vis efficacior ad eadem omnia, peculiaris ad vitia quæ vomitionibus crebris contrahuntur: vomiciſq; vuluæ, contráque beſtiarum morſus radix in vino eſt efficaciſima. Sed cum hæc cum iis quæ Dioſcorides & Galenus de ocimoide tradiderunt non conſentiant, ocimum ſilueſtre Plinij, illorum ocimoides, ſiue ocimaſtrum vix eſſe poteſt.

Lib.4.c.125. *Vires & Temper.* Lib.8.ſimp. Lib.20.c.13.

DRACO HORTENSIS. CAP. LIII.

LITORES hodie in hortis ſerunt herbam Græcis & Mauritanis indictam, præterquam Simeoni Sethi, à quo Tarchon dicitur, vulgò Draconem vocant, Galli *Dragon*, alij Targon, Italis *Dragoncello & Dragone*, vnde Dracunculus hortenſis à Matthiolo, & recentioribus herbarijs nominatur. Herba eſt folio anguſto, oblongo, quadantenus nigricante, folio hyſſopi vulgaris haud abſimili, eo & radice linguam amburens, aceti & ſalis guſtu: caule rotundo, cubitali, in ramulos diuiſo, in quibus capitula minima, ex quibus dehiſcentibus floſculi emicant lutei, quandoque candidi, deinde ſemen minutum, nigrum, radice eſt longa, gracili, fibrata, humi repente. Sunt qui plantam iſtam cultorum mangonio factitiam eſſe, nec talem natura prouenire credunt: eam enim naſci lini ſemine excauatis cepis impoſito, ac in terra condito. Sed qui huiuſce rei periculum facere voluerunt, operam perdiderunt. Saporis acrimonia commendationem attulit ad vſum acetariorum, ex qua ex ordine eſſe vehementer excalfacientium facilè eſt coniicere. Draco hic hortenſis Chryſocome Dioſcoridis eſt Dalechampio, palmum alta (cultu procerior) coma hyſſopi, corymbis onuſta (κορυμβώδη legit, non κορυμβοειδῆ) radice denſa (δασεῖαν ſic vertit nõ hirſutam) tenui, inſtar veratri nigri, cypero pari, guſtu non inſuaui, ex dulci ſubauſtero. Quæ omnia conueniunt. Naſcitur ſponte in ſaxoſis montibus foro Sebuſianorum propinquis, vulgò *Bourg en Treſſe*, haud procul pago Cæſarea, vulgò *Ceſeria*, qua itur in oppidulum comitatus Burgundiæ *Chauanas*. Fabuloſum eſt quod aiunt naſci lini ſemine cepa incluſo & ſic ſato.

Nomina

Forma

DRACO, Hortenſis.

Dioſc. lib. 4. cap. 50.

CARYOPHYLLATA. CAP. LIIII.

QVO NOMINE herba hæc ab antiquis Græcis & Latinis ſcriptoribus nuncupata ſit, nondum compertum eſt, niſi fortaſſe ſit Geum Plinij, cui radiculas tribuit tenues, bene olentes. Sunt qui falſò Dioſcoridis Lagopum eſſe credunt, quia in ſegetibus non naſcitur. Recentiores Latini Caryophyllatam vocant à radicum odore, vulgus Benedictam à Diuina efficacia, & Sanammundam. Duo eſſe eius genera animaduertit Fuchſius, non tamen multùm à ſeſe diſſidentia. Primum genus caryophyllatam hortenſem vocat, cui ex cultura aliqua teneritas accedit in foliis, floribus, & paniculis, cuique flos paulò minor & pallidior quàm ſilueſtri. Alterum caryophyllatam ſilueſtrem appellat, cui flores multò maiores, & magis crocei. Duo quoque genera hìc depicta ſunt. Caryophyllata vulgaris, & Caryophyllata montana. Caryophyllatæ vulgari folia ſunt in ſummis pediculis tripartita, hirſuta, ſubaſpera, agrimoniæ foliis quadantenus ſimilia, quibus bina alia ſuccedunt in eodem pediculo multò minora, omnia in ambitu inſecta: caulis ramoſus, rotundus, ſeſquicubitalis, geniculatus, hirſutus: flores pentaphylli æmuli, quibus villoſa ſuccedunt capitula, in quibus ſe-

Nomina

Lib. 26. c. 7.

Matth. in lib. 4. Dioſc. cap. 17.

Genera.

Cap. 143.

Forma.

CARYOPHYLLATA,
Matthioli.

CARYOPHYLLATA
Montana, Dalech.

men:radices copiosæ,tenues,subrufæ,caryophyllorum odore.Colitur in hortis ab herbariis. Nascitur etiam sponte secus vias, circa agrorum & hortorum sepes, & opacis locis gaudet.Caryophyllatæ montanæ radix nigra est,supernè crassa, paulatim gracilescens,vndique fibrata,inodora,fatuiq; gustus:folia non ita multa, caryophyllatæ superiori similia, in ambitu serrata:caulis pedalis, tenuis, in quo pauca folia & paruà:flos luteus, lineis puniceis plurimis distinctus,capite in medio extuberante, quod succusso flore arrectis nigricantibus pilis horret. Aquosis locis gaudet. Aliam Caryophyllatam montanã exhibet Matthiolus. Caryophyllatã maiorem rotundifoliam vocat Lobellius. Hæc folia habet crassiora,crispiora, hirsutioráq; quã vulgaris,multa ab vna radice enata, longis pedi culis nixa subaspera,laciniata,humi strata:caules tenues in cacumine non brachiatos, in quibus rara paruáque folia spectantur. In caulium singulorum verticibus singuli flores insident, pulchri,triplo ferè quàm in vulgari maiores,aurei, qui tandem flaccescentes pinnatum efficiunt orbem,magno naturæ artificio,radice firmatur spithamæ longitudine minimi digiti crassitudine,sed non fibrata,rufáque:odore caryophyllorum,& gustu adstringente. Efficaciorem esse putat vulgari. Caryophyllatam aliam Pena descripsit, siue Geum Alpinũ recentiorum, folia habet in imo plura,hederacea, nonnihil cristata,asari

Locus.
Forma.

CARYOPHYLLATA
Montana, Matth.

In lib.4. Dioscor.cap. 17.

CARYOPHYLLATA, *siue Geum Alpinũ Pena.*

ta, asarinæ rotunditate, aut saxifragiæ albæ, sed maiora: caulem è radice geniculata, & ex fusco rufóve albicante rectum, gracilem, cubitalem, summo ramulis diuisum, & floscul is albis, stellatis onustum. Tota nonnihil calfacit, exsiccatque, gustu caryophyllatæ aut saniculæ. Recentiores, & peruetustus herbarius calidam & siccam esse caryophyllatam in secundo ordine statuunt, folia sanè in gustu non mediocrem adstrictionem ostendunt. Radix itidem haud parum adstrictionis habet. Ea luto & sordibus elu ta siccatur, & imbre aceti respersa arcas & vestes iucundo odore commendat. Decoctum huius sumitur ad perficiendas concoctiones, sedandósque coli dolores. Pectoris lateríque dolores & cruditates iucũdo sapore discutit. Manuscriptus herbarius facultatem habere dissoluendi, digerendi, & obstructiones tollendi scribit, fomentum item ex vino decoctionis eius menses ciere. Contra venena etiam cum vino sumptam valere, concoctionem roborare, dolorem ventriculi & intestinorum à frigiditate aut flatibus ortum, decoctũ in vino sanare ait. Mirificè etiã ad inferna vulnera huius herbæ decoctum cõfert. Externa verò ex ea collini debent. Scribit etiam Matthi lus recẽtiores caryophyllatæ potu vti ad thoracis interna vulnera: succum eius admista ærugine cuniculosis, contumacibúsque vlceribus vtiliter iniici. Eandem olfactu spiritus recreare, & frigidum cerebrum roborare. Epotam prodesse cœliacis, dysentericis, fœminarum profluuiis, & cruenta expuentibus. Tam intus sumptam, quàm foris illitam enterocelis auxilio esse. Temperamentum ei excalfaciens & exsiccans, maximè radicibus, quæ odoratæ & adstringentes gustu deprehenduntur, quibus qualitatibus attenuat, discutit, adstringit, & roborat.

Fuchs. cap. 144. *Vires & Temper.*

In lib. 4. Dioscor. cap. 17.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER SEXTVS,

In quo describuntur & depinguntur planta Vmbelliferæ.

FOENICVLVM, CAP. I.

VEMADMODVM earum rerũ quæ abscónditæ sunt demonstrato & notato loco facilis inuentio est, sic, cùm rei herbariæ studiosi stirpes peruestigare cupimus, natales singularum locos scire debemus: sic enim diuersarum diuersis in locis à natura procreatarum scientiam percipiemus & consequemur. Quare primam stirpium differentiam à locis petitam primùm exposuimus: deinceps verò differẽtias aliàs, quæ tum à partibus earum insignibus sumuntur, tum à notis quibusdam illustribus, tum ab occultis & admirabilibus viribus, persequemur. Exordiemur autem ab iis quibus vmbella summatim insidet, quáq; venustè coronantur, veluti Fœniculum, anisum, anethum, daucum & alia pleráque. Est autem vmbella floris seminis've pedamentum, in multos digestum longiores pediculos, qui simul ex fastigio eodem tanquam centro orti, in latius continuò radiãtur, singuliq; florem vel semen sustinent in orbem circumactum. Quod quoniam vmbellæ, qua mulieres vultum vindicant à sole, & æstum arcent, circinatam effigiem gerit, Græci primùm hunc floris habitum σχιάδιον, mox Græcos imitati Latini dixerunt vmbellam, à qua vmbelliferæ plãtæ cognominantur: inter quas vulgatissimæ notionis est Fœniculum, quod Græcis μάραθρον dicitur, Actuario μάλαθρον, Latinis Fœniculum, Arabibus *Rauenigi*, Gallis *fenouil*, Germanis *fenchel*, Italis *finochio*, Hispanis *Hinoio*, *& funcho*. Μάραθρον autẽ, ἀπὸ τῦ μαραίνεσθαι, id est, à marcescendo Græcis dictum putant, quod eius è marcidi & arentis multus sit vsus ad condienda plurima. Fœniculum autem à Latinis, quod satum magno cum fœnore semen reddat, vel potius Græcorum imitatione Fœniculum dictum, quod quasi fœnum in hyemes arefactum & marcidũ reponatur. Eius genera tria assignat Dioscorides, marathrum siue fœniculum, hippomarathrum, id est, fœniculum erraticum siue siluestre, cuius aliud genus est semine coriandri. Apud nos in triplici differentia visitur, vulgare, dulce, & erraticum siue hippomarathrum. Fœniculum vulgare siue satiuum (quamquam & sponte virens reperitur in agris squallidis & siccioribus, vt in Narbonensi) caule assurgit geniculato, rotundo, multùm ramoso, hominis plerunque altitudine, læui exterius & herbaceo cortice, medulla intus fungosa, foliis longis, mollibus, minutissimè dissectis, vt capillamentorum congeriem potiùs quàm folia dixeris, odoris iucundi: vmbella in summis caulibus rotunda, ampla, lutea, in orbem radiatim circinata, in qua semen pallidum

Nomina

Genera.

Lib. 3. c. 67.

Forma.

FOENICVLVM Vulgare.

FOENICVLVM Siluest. Loniceri.

pallidum siue luteum, oblongum: radice candida, longa, odorata. Dulce caule est breuiore & exiliore, foliis anethi, semine maiore, gustu anisi dulci, colore albido, minùs acri, hyemes non perinde fert ac vulgare, nec perinde frequens seritur, vt potè semine è Syria vel Græcia delato, tum pharmacopœis, tum coquis in apparãdis cibis vsu frequentissimum. Siluestre Fœniculum nominant Officinæ auctoribus Ruellio & Lonicero, satiuo procerius, brachiali crassamento, foliis etiamnum maioribus, semine miliaceo, radice alba, odorata. Tantæ amplitudinis in Mauritania, vt caulis duodecim cubitis assurgat, crassitudine palmorum quatuor. Fœniculum passim in hortis satum prouenit. Agreste in petrosis & calidis inuenitur. Floret Iunio & Augusto mensibus, Augusto semen maturũ est: Fœniculum herba si edatur, inquit Dioscorides, aut semen cum ptisana bibatur, lac attrahit. Comæ decoctum in renum doloribus subditum proficit, quippe quod vrinam excitet, (Sic Ruellius græca conuertit quæ in vulgatis codicibus leguntur. τὸ δὲ ἀφέψημα τῆς κόμης ὑποτεθὲν, νεφριτικοῖς καὶ τοῖς περὶ κύστιν χρήσιμον, quæ sonant, Comæ autem decoctum subditum, renum vitiis ortis circa vesicam confert, &c. In veteri autem codice legũtur, τὸ δὲ ἀφέψημα τῆς κόμης πιθὲν, νεφριτικοῖς, καὶ τοῖς περὶ κύστιν χρήσιμον, διυρητικὸν ὑπάρχον. Hoc est, Potum autem ipsius comæ decoctum, renum atque vesicæ vitiis est vtile, cùm vrinam cieat. Quę lectio est omnium inculpatissima, & eam Cornarius agnouit, non enim renibus & vesicæ supponi potest hoc decoctum, maximè vt vrinam citet. At, dicet aliquis, imponi quidem posset his locis coma, vna cum decocto, aut etiam decoctum, spongia ex ipso imbuta, atque sic ἐπιτεθὲν legendum esset. Sed neq; hic vtendi modus vrinam ciere posse videtur. Quare omnino πιθὲν legendum, vt is effectus sequatur. Eandem comprobat Serapio, locum hunc Dioscoridis sic interpretatus: Et quando sumitur decoctio summitatum Fœniculi in potu prouocat vrinam, & ideo confert doloribus renum & vesicæ.) Contra serpentium ictus in vino potum prodest, menses ducit, in febribus nauseam & stomachi ardorem ex aqua frigida potũ sedat. Radices contritæ & cum melle illitæ, morsibus canum medentur. Succus caulibus & foliis expressus, in sole siccatus, medicamentis quæ ad excitandam oculorum aciem conficiuntur, vtiliter adiicitur. Extrahitur etiam succus ex semine viridi, foliis, ramulisq; ad eadem vtilis, & radix exprimitur in pri-

Lib. 3. c. 48. T. 1. fo. 233.

Locus.

Tempus.

Vires & Temper.

Lib. 3. c. 67.

And. Lac.

Embl. 71. lib. 3.

ma germinatione.In Occidentali Iberia liquorem gummi ſimilem reddit. Caulem medium dum herba floret incolæ demetunt, igniq; admouent, quò facilius vi caloris exudans gummi remittat.Hoc efficacius ſucco eſt ad medicamenta oculorum.Hippomarathrum eſt fœniculum ſilueſtre,magnum fert ſemen cachryi ſimile,radix ſubeſt odorata,quæ pota vrinæ ſtillicidium ſanat, radix appoſita menſes ducit.Semen autem & radix aluum ſiſtunt potu, & contra ſerpentium morſus auxiliantur,calculoſq; atterunt,& morbum regium expurgant.At foliorum decoctum potum lac attrahit,& mulieres à partu purgat. Vocatur & alterum hippomarathrum,folia habens anguſta, parua, oblonga,ſemen rotundum,ad coriandri ſemen accedens,acre,odoratum,calfaciendi vi prædictum, facultas eius ſuperiori reſpondet, ſed efficacia debiliore.Plinius eadem ferè de iiſdem tradidit his verbis, Lib.20.c.23 Fœniculũ nobilitauere ſerpentes, guſtatu, vt diximus, ſenectam exuendo, oculorumq; aciem ſucco eius reficiendo. Vnde intellectum eſt,hominum quoq; caliginem præcipuè eo leuari. Colligitur hic caule turgeſcente,in ſole ſiccatur,inungitúrque ex melle.Vbique hîc eſt.Lauditiſsimus in Iberia è lacrymis fit,& ex ſemine recenti,fit etiam ex radicibus prima germinatione inciſis. Dixerat autẽ de ſerpen Lib.8.c.27. tibus multò ante.Anguis hyberno ſitu mẽbrana corporis obducta, fœniculi ſucco impedimentũ illud exuit,nitiduſq; vernat.Et paulo poſt. Idẽ hyberna latebra viſu obſcurato,marathro herbæ ſeſe affricans oculos inungit ac refouet.Quo loco græ Lib.20.c.23 ca μαράθρου voce vſus eſt.Iſtis ſubiũgit. Eſt & in hoc genere ſilueſtre,quod alij hippomarathrum,alij Myrſineum vocant,foliis maioribus, guſtu acriore,procerius, brachiali craſsitudine,radice cãdida.Naſcitur in calidis,ſed ſaxoſis.Diocles & aliud hippomarathri genus tradit, longo & anguſto folio, ſemine coriandri.Medicinæ in ſatiuo,ad ſcorpionum ictus,& ſerpentium,ſemine in vino poto. Succus & auribus inſtillaturvermiculóſq; in his necat. Ipſum condimentis prope omnibus inſeritur:oxyporis etiam aptiſsimè quin & panis cruſtis ſubditur. Semen ſtomachum diſſolutum adſtringit,vel in febribus ſumptum,nauſeam ex aqua tritum ſedat, pulmonibus & iocinoribus laudatiſsimũ. Ventrem ſiſtit cùm modicè ſumitur, vrinã excier,& tormina mitigat decoctũ,in lactiſq; defectu potum mãmas replet,radice cũ ptiſana ſumpta.Renes purgat,ſiue decocto,ſiue ſucco,ſiue ſemine ſumpto. Prodeſt & hydropicis radix ex vino cocta:item conuulſis. Illinuntur folia tumoribus ardentibus ex aceto.Calculos veſicæ pellunt, genituræ abundantiam quoquomodo hauſtum facit.Verendis amiciſsimũ, ſiue ad fouendum radice cum vino cocta, ſiue contrita in oleo,illitum.Multi tumoribus & ſuggillatis cum cera illinunt.Radicis ſucco, vel cum melle contra canis morſum vtuntur, & contra multipedam ex vino.Hippomarathum ad omnia vehementius,calculos præcipuè pellit. Prodeſt veſicæ cum vino leni, & fœminarum menſtruis hærentibus. Efficacius in eo ſemen quàm radix. Modus in vtroque,quod duobus digitis tritum additur in potionem. Petridius qui Ophiaca ſcripſit, & Miction (Alij Micon legunt)qui Rhizotomumena,aduerſus ſerpentes nihil hippomarathro efficacius putauere. Sanè Lib.7.ſim. & Nicander non in nouiſsimis poſuit. Galenus vtriuſque facultates diſtinctiùs explicat,à Dioſcoride tamen non diſſentit. Fœniculum, inquit, tam valenter excalfacit, vt ex tertio ordine excalfacientium cenſeri poſsit, deſiccat verò non æquè, ſed ipſum quiſpiam in hoc primi eſſe ordinis poſuerit, quare lac procreat, quod ſi admodum deſiccaret, non ſanè efficeret, ſuffuſis eadem ratione auxiliatur,vrinas menſéſque ciet. Porrò eſt & alterum fœniculum, quod ob magnitudinem hippomarathrum nuncupant, cuius radix ac ſemen amplius quàm domeſtici deſiccandi vim habet. Quocirca ventrem quoque hoc nomine ſiſtere videtur. Nec ſanè manifeſta illis ineſſe videtur adſtrictio. Huius non radix modo, ſed & ſemen cachryi adſimile eſt,potéſtque & calculos frangere, & ictericos ſanare, menſéſque

ſeſq; & vrinas mouere, non tamen lac congerere ſicut illud ſuperius. Aliud eſt hippomarathrum, cuius ſemen rotundum eſt & acre, ſimile ſemini coriandri, facultate quidem hippomarathro ſimile, ſed debilius. Hæc Galenus.

ANETHVM. CAP. II.

ANHΘON Græcis, ſimiliter Anethum Latinis, Mauritanis *Xebet, Iebet*, ſiue *Sebet*, Italis *Anetho*, Germanis *Dyllen*, & *Hochkraut*, Hiſpanis *Eneldo*, Gallis *Anet*. Ἄνηθον autem quaſi ἀνίκητον, ideſt, inuictum quidã dictum volunt, quia appetentiam cibi excitat, ſed etiam ἀνηθέϊη congreſſus eſt, familiaritas, & coitio venerea, ad quam laceſsit Anethi eſus, vt antiqui prodiderunt, tametſi plurimo vſu genituram tandẽ exhauriat. Dioſcoride teſte. Anethum caules fert rotundos, geniculatos, ramoſos, ſeſquicubitali proceritate, folia exilia, fœniculi haud abſimilia, ſed duriora & craſsioribus ſtaminibus: floſculos luteolos in vmbellis caulium faſtigiis inſidentibus, vt in fœniculo ſemen minutum, latum, & quaſi foliatum: radicẽ lignoſam, neque adeò prolixam, neque adeò multis ſubnixam fibris. Adeò fœniculo ſimile eſt, vt pharmacopeos ſæpè fallat, niſi ſapore facilè diſcerneretur, ingrato calidiore, & colore obſcurius virente. Hortis iam frequentiſsimum eſt, interdum etiam ſponte fœniculi modo prouenit. Iunio & Iulio menſibus floret. Facultatibus his pollet, auctore Dioſcoride. Anethi aridi comæ ac ſeminis decoctum potum lac attrahit, inflationes ac tormina ſedat: aluum vomituſq; ſiſtit (Sic vertit Ruellius quæ in vulgari codice leguntur, κοιλίαν τε, καὶ τὸς ἐπιπολαίους ἐμέτους ἵστησι. Ideſt, Aluum & vomitus leues ſupprimit: quãuis in veteri exemplari legamus, κοιλίαν τε καθαίρει καὶ τὸς ἐπιπολαίους ἐμέτους ἵστησι: quod eſt, aluum purgat, & vomitus leues ſupprimit, vrinas ciet, ſingultus lenit, oculos hebetat, & genituram extinguit aſsiduè potum. Vtile etiã eſt ipſius decoctum mulieribus præfocatione vuluæ laborantibus ad deſeſsiones: ſemen eius vſtum & illitum condylomata tollit. Plinius cũ Aniſum & Anethum culinis & medicis naſci dixiſſet, poſtea Anethum quoque ructus mouet, inquit, & tormina ſedat: aluum ſiſtit. Epiphoris radices illinuntur ex aqua vel vino. Singultus cohibet ſemen feruens olfactum: ſumptum ex aqua ſedat cruditates. Cinis eius vuam in faucibus leuat: oculos & genituram hebetat. Anethum, inquit Galenus adeò excalfacit, vt habendum ſit, aut ſecundi ordinis intenſi, aut primi finientis. Itaque meritò in oleo decoctum digerit, dolorem ſedat, ſomnum conciliat, & crudos incoctoſq; humores concoquit: fit enim ex eo oleum cuius propinqua ſit temperies pus mouentibus, & concoquentibus medicamentis, niſi quatenus paulò illis tum calidius, tum tenuiorum partium eſt, ac digerendi facultate præditum. Vſtum autem tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium ſit. Propterea vlceribus nimis humidis mollibuſq; prodeſt, potiſsimum iis quæ in pudendis cõſiſtunt. At quæ in præputio ſunt inueterata, iis probè cicatricem obducit. Cæterùm viride humi-

Nomina

Pet. Pe. in Hol. fol. 347.

Forma.

Locus.

Tempus.

Lib. 3. c. 8.

Vires & Temper.

Lib. 19. c. 8.

Li. 20. c. 18.

Li. 6. ſimpl.

ANETHVM.

dius est,& minùs calidum. Itaque magis quàm siccum concoquit, & somnum conciliat, sed minùs digerit. Idcirco mihi videntur veteres in conuiuiis vsi esse coronis ex eo concinnatis.

ANISVM. CAP. III.

Nomina

ΑΝΙΣΟΝ & ἄνησον Græcis,Latinis & Officinis Anisum,Mauritanis *Aneisum,& Anexissum*, Italis *Aniso*,Hermanis *Anisz & Enisz*,Hispanis *Matuhalua,& Yerua dulce*,Gallis *Anis*. Ἄνισον quidam,auctore Plinio,quasi ἀνίκητον vocauere, quia appetētiam cibi præstaret.Sed verisimilius est sic dictum ὅτι ἀνίησι τὰς ἐμπνευματώσεις,idest, quod remittit & laxat tensiones flatulentas internas & externas. Anisum foliis est apio hortensi recens prodeunti par,caulem edit rotundum,tenuiter striatum,inanem, multis ramulis brachiatum: folium cùm primùm enascitur,rotundum, sed deinde apij modo dissectum, verùm minus & magis candicans: in caulium summitate elegantes vmbellæ spectantur, floribus candidis decoratæ,deinde semine grauidæ, candicante, oblongo,odore & sapore dulci suauiq;. Ex Syria & Creta originem habet, sponte illic prouenies, nunc passim in hortis etiam Septentrionalium regionum satum fruticat. Iunio & Iulio mensibus floret, semineq; prægnans est. Cuius facultates has esse tradit Dioscorides. Anisum in vniuersum vim habet excalfaciendi, siccandi, facilem respirationem reddendi (ἄνησον Græcè legitur, Ruellius vertit oris halitum iucundiorem facit, Plinium secutus, qui sic vocem ἄνησον reddidisse videtur) dolorem sedandi,discutiendi,vrinam ciendi, diffundendi.Hydropicis potum sitim arcet. Prodest ad venenata animalia,& ad inflationes. Aluum & album mulierum profluuium sistit. Lac ad mammas elicit,& venerem stimulat. Suffitum naribus dolorem capitis sedat:tritum & cum rosaceo instillatum aurium medetur rupturis. Hæc Dioscorides.Quæ particulatim & pluribus verbis Plinius declarauit. Anisum aduersus scorpiones in vino bibitur, Pythagoræ inter pauca laudatū siue crudum, siue decoctum. Item viride aridúmve omnibus quæ condiuntur, quæq; intinguuntur desideratum:panis etiam crustis inferioribus subditū. Saccis quoque additur. Cum amaris nucibus vina cōmendat,quin ipsum oris halitū iucundiorem facit,fœtoremq; tollit manducatum matutinis cum smyrnio, & melle exiguo ore mox vino colluto:vultum iuniorem præstat. Insomnia leuat suspēsum in puluino,vt dormientes olfaciant. Appetentiam ciborum præstat:ob has causas quidem Anicetum id vocauere.Dolores capitis leuat suffitum naribus.Epiphoris oculorum è vino radicem eius tusam imponit lollas. Ipsum cum croco pari modo & vino,& per se tritum cum polēta ad magnas fluxiones,extrahendisq;, si qua in oculos inciderint. Narium quoque carcinodes consumit illitum ex aqua.Sedat anginas cum melle & hyssopo, & aceto gargarizatum. Auribus infunditur cum rosaceo.Thoracis pituitas purgat tostum:cum melle sumptum melius. Cum ace-

Lib.2. c.17.

Petr. Pe. in Ad. fol. 322

Forma.

ANISVM.

Locus.

Tempus.

Lib.3. c.56. *Vires & Temper.*

Li.20. c.17.

tabulo

tabulo Aniſi nuces amaras quinquaginta purgatas tere in melle ad tuſsim. Præcipuum autem eſt ad ructus,ideò inflationibus ſtomachi,& inteſtinorum torminibus,& cœliacis medetur. Singultus & olfactum decoctum potumq; inhibet. Potũ ſomnum conciliat,calculos pellit, vomitiones cohibet,& præcordiorum tumores. Et pectorum vitiis,neruis quoque quibus ſuccinctum eſt corpus vtiliſsimum. Prodeſt eius & capitis doloribus inſtillari ſuccum cum oleo decocti. Non aliud vtilius ventri & inteſtinis putant:ideò dyſentericis & in teneſmo datur toſtum. Dalion herbarius dedit bibendũ cum Anetho parturientibus. Phreniticis quoque illinunt recens cum polenta. Sic & infantibus comitiale vitium, aut contractiones ſentientibus. Pythagoras quidem negat corripi vitio comitiali in manu habentes,ideoq; quamplurimum domi ſerendum. Parere quoque faciliùs olfactãtes. Soſimenes contra omnes duritias ex aceto vſus eſt, & contra laſsitudines,in oleo decoquens,addito nitro. Semine eius poto laſsitudinis auxilium viatoribus ſpopondit. Heraclides ad inflationem ſtomachi ſemen tribus digitis cum caſtorei obolis duobus ex mulſo dedit. Similiter ad ventris, aut inteſtinorum inflationes, & Orthopnoicis, quod ternis digitis prehenderit ſeminis tantumdem hyoſcyami cum lacte aſinino. Multi vomituris acetabulum eius,& folia lauri decem, trita in aqua,bibenda inter cœnam ſuadent. Strangulationes vuluæ ſi mãducetur & linatur calidum,vel ſi bibatur cum caſtoreo aceto & melle ſedat. Vertigines à partu cum ſemine cucumeris & lini pari menſura ternũm digitorum, vini albi tribus cyathis diſcutit. Tlepolemus ad quartanas ternis digitis ſeminis aniſi & fœniculi vſus eſt,in aceto,& mellis cyatho vno. Lenit articulares morbos, cũ amaris nucibus illitum. Sunt qui & aſpidum venenis aduerſari naturam eius putent. Vrinam ciet,ſitim cohibet, venerem ſtimulat. Cum vino ſudorem leuiter præſtat. Veſtes quoque à tineis defendit. Efficacius ſemper recens, & quò nigrius. Stomacho tamen inutile eſt,præterquàm inflato. Hæc Plinius. Galenus, Aniſi ſemen, inquit, maxime vtile eſt,acre & ſubamarum, vt propè ad vrentium accedat caliditatem. Eſt autem & in ſiccando tertij ordinis,ſicut & in calefaciendo. Proinde & vrinã ciet,& digerit,& flatus ventris reprimit. Hæc Galenus. Sed cum nullum ſanè ex omnibus flatus diſſoluentibus oleraceis ſeminibus gratius ſit ventriculo, minùs habeat acrimoniæ,aut plus ſuauitatis quàm aniſi ſemen,neutiquam,vt ex Dioſcoride Galenus arbitratur, tertio gradu hodie guſtanti apparet calidum. Quare id de Aniſo in Syria, aut ſponte alibi in regionibus calidis nato intellexiſſe videtur, nunc cùm nuſpiam ſponte proueniat,ſed in hortis duntaxat etiam Septentrionalium regionum colatur,mutatione cœli,ſoli & cultus,nonnihil caloris depoſuiſſe neceſſum eſt. Simeon Sethi ad vetuſtos ex frigore iecoris affectus Aniſum prodeſſe ſcripſit,& ad ſpirãdi difficultatem quæ ex pituita proficiſcitur. Flatus qui in ventriculo ſunt digerere,obſtructiones tollere,& lactis copiam facere. Li. 6. ſimpl.

CARVM. CAP. IIII.

Κάρος Græcis & κάρον ſiue καρῶον, Latinis Carũ,vel Careũ, Officinis Carui nominatur,Arabibus *Caruia, Karauia*,ſeu *Carui*,Italis *Caro*,Germanis *Matthkumich*,Hiſpanis *Alcaraueas*, Gallis *Carui*. Carum autem à Caria regione in qua laudatiſsimum naſcitur, appellationem accepit. Id paſtinacæ ſilueſtri haud abſimile caules ab vna radice multos emittit quadrangulos,geniculatos,cubitales, folia paſtinacæ ſilueſtris, vmbellas in ſummis caulibus,candidis floribus refertas,ſemen anguloſum,copioſum,ſubnigricans, acre, & linguam vellicans, radicem oblongam & luteam,craſsiuſculam. In prati hodie prouenit,optimũ,vt dictum eſt,in Caria. Maio & Iunio mẽſibus floret, & ſemine prægnans

Nomina

Forma.

Locus.

Tempus.

CARVM, *Matth.*

Lib.3. c.57. *Vires & Temper.* prægnans est. Carum, inquit Dioscor. calfacit, vrinam ciet, stomacho vtile est, ori gratum (legitur enim Græcè ὄζομον, Ruellius vertit os commendat, quod est idem ac si dicas suauem anhelitum reddit) concoctionem adiuuat. Miscetur etiam commodè antidotis & oxyporis. Anisi vicem præstat, (Sic Ruellius, cùm legatur in veteri codice ἀναλογοῦ ἀνίσῳ, ἢ ἀνήθῳ. quod est, anisо, aut anetho proportione respondet) Radix elixa pastinacæ siluestris modo edendo est. De eodem breuiter sic Plinius. Peregrinum & Careum, gentis suæ nomine appellatum, culinis principale. In quacunque terra seri vult, ratione eadem qua Ohusatrum. Laudatissimum tamen in Caria, proximum in Phrygia. Cari semen, inquit Galenus, calfacit & exsiccat tertio quodammodo ordine, moderatè acrem qualitatem possidens. Quare & flatus extinguit, & vrinam ciet, non semen tantum, sed & planta. Idem alibi radicem Cari melioris succi esse ait, quàm pastinacæ, tamen æquè cõcoqui. Notissimum est Officinis Carum, præsertim eius semen quod aperit, prouocat, dissoluit, incidit. Auxiliatur frigidis vteri affectibus, confert omnibus frigidis morbis capitis, visum acuit. Herba pro olere editur, radix cocta estur perinde vt pastinaca. Seminis farina miscetur cataplasmatis, quæ ad suggillata parantur. Integrum semen Germani cum pane subigunt, ciborumq; condimentis indunt, quemadmodum nos anisum & fœniculum.

Lib.19. c.8.

Li.7. simpl.

Li.2. Alim.

Matthi. in ca.57. lib.3.

AMMI. CAP. V.

Nomina AMMI Græcis, Ammi Latinis dicitur, Officinis corruptè Ameos, Arabibus *Nanochach. Anazue*, seu *Nanachue*. Cui idem quod superioribus non euenit: harum enim descriptiones à Dioscoride prætermissæ, quin etiam vulgo notæ essent efficere non potuerũt, illius integra facies ab eodem non delineata quodnam genuinum sit ex multis generibus, quæ ab herbariis proponũtur, ambiguum reliquit. Ait enim ille duntaxat σπερμάτιον, ideſt, paruum semen esse vulgo notum, multò minùs cumino, gustu origanum resipiens, vt videatur Ammi appellatio perpusillum quasiq; arenaceum exilitate & colore semen esse. Fuchsius & eum secutus Dodonæus Ammi commune, siue Ammi Officinarum, verum Ammi esse autumant: quod caule rotundo & herbaceo constat, surculis multis & exiguis: folio oblongo, angusto, per ambitum incisuris diuiso: flore paruo, candido, vmbella anethi: semine exiliore multò quàm cuminum, acri & subamaro, origanum præ se ferente: radice candida & multifida. Quidam Bupleuron Plinij esse volunt, vt Bupreſtin Auriculam leporis descriptã post hac cap.23. de Panace. Esse autem hãc herbam verũ Ammi, inquit Fuchsius, seminis in gustu sapor qui subamarus & acris est, omnium maximè ostendit: talem enim in eo saporem Galenus requirit: origanum etiam gustu referre videtur. Quibus accedit antiqui & manuscripti herbarij testimonium, cuius pictura & testimonium satis docent hanc herbam esse Ammi genuinum. Inter cætera enim semen Ammios piper gustu referre, ideoq; à nonnullis piperculam dictam esse ait.

Ca.21. hist. Lib.2.c.79.

Forma.

Ibidem.

Id quod

AMMI, Fuchs.

AMMI, Matthioli.

Id quod verisimum esse comperies, si semen gustaueris: miram enim huic acrimoniã inesse senties. Nusquam apud nos sponte sua nascitur, inquit Fuchsius, satum tamen facilè & magna copia prouenit, sic vt deinde extirpari vix queat. Augusto mense floret, ac deinceps vbi defloruit semen abundè producit. Sed hæc improbat Matthiolus his verbis. Quod Ammios nomine passim in Officinis habetur, cùm probatissimum, Plinio teste, omnino sit candidius, id nigricat, adeoq; vulgaris petroselini semen æmulatur, vt visu ab eo discerni minimè possit, sed in hoc gustum consulere oportet: nam cùm haud leuiter sitacre, facultatis discrimen gustu facilè deprehenditur. Præterea cùm hoc nullũ origani saporem gustu representet, perspicuum est non esse legitimũ. Hæc ille. In quibus animaduertendum Plinium candidioris notæ non præstantiam seminis Ammios, sed huius à cumino discrimen indicasse. Sunt enim hæc eius verba. Pleriq; alterius naturæ (à cumino Æthiopico) in totum putant, quoniam sit exilius & candidius. Illi verò legitimum Ammi substituit Matthiolus, quod ex horto Patauino Anguillara misit. At Pena istud in Patauinis hortis cultum, etiamq; nõ procul Ageno & Garumna in Aquitania à se collectum, foliis & vmbellis Dauci cretensis, semine & radice hortẽsis apij, neutiquam illis in Ammi semine viribus expetitis præditum est. Aliud semen non multis ab hinc annis cœptũ fuit deuehi ex Siria aut Creta Venetias, hortensi apio par, sed flauum, gustu aromaticum, feruidum, origanum præferens. Ex eo in horto Condenbergij, sapore pastinacæ, aromatico semine prouenisse ait Lobellius Ammi Creticum aromaticum, quod & pinxit Matthiolus. Aliud Ammi perpusillum ex Lobellio hîc appinximus, radice superioris simili, foliis fœniculi, semine perpusillo in vmbellis multis. Sunt qui aliud Dauci genus faciunt, id nimirum quod Matthiolus crithami terrestris nomine descripsit his verbis. Nascitur, inquit, in Bohemia, præsertim in agro Pragensi non solùm inter segetes: sed in agrorum marginibus & secus vias, foliis longis, angustis, firmis, ternis ex vno pediculo, ipsoque longo prodeuntibus, vtrinq; denticulatis, falcis frumentariæ modo. Cæterùm quæ in caulium summis partibus habentur minora breuioráque sunt: caulem gerit ramosum alis concauum, geniculatum, in cuius summitate ramuli exeunt diuulsi, in quibus floridæ albicantesq; vmbellæ, postremò semen paruum, oblongum, acre & odoratum. Radice nititur simplici, pastinacæ

Locus.

Tempus.

Ca. 61. li. 3.

Li. 20. c. 19.

In Adsoh. 323.

Ca. 131. li. 3.

AMMI Perpusillum, Lobel.

AMMI quorundam, Dalech.

pastinacæ haud absimili, minore tamẽ, sapore imprimis dulci, sed si diutius man-
Lib.3.c.61. datur, acri & odorato. Ammi, inquit Dioscor. vim habet excalfactoriam & exsic-
Vires & Temper. cantem. Facit ad tormina, vrinæ difficultatem, venenatorum morsus cum vino potum, menstrua ciet. Miscetur rodentibus ex cantharidibus confectis medicamentis, vt inde exortis vrinæ difficultatibus resistat. Suggillata cum melle illitum tollit. Colorem potum & inunctum in pallorem mutat. Suffitum cum vua passa
Li.20. c.15. aut resina vuluas purgat. Eadem tradit Plinius. Inflationes & tormina discutit. Vrinam & menstrua ciet. Suggillata & oculorum epiphoras mitigat cum lini semine. Scorpionum ictus in vino potum drachmis duabus, priuatimq; cerastarum cum pari portione myrrhæ. Colorem quoque bibentium similiter (nimirum vt cuminum,) mutat in pallorem. Suffitum cum vua passa aut resina vuluas purgat. Tra-
Li.6 simpl. dunt facilius concipere eas, quæ odorentur id per coitum. Galenus herbæ quam vocant Ammi, semen maximè vtile esse scribit, facultatis excalfactoriæ & desiccatoriæ, tenuiumq; partium. Sed & gustu subamarum est, & acre. Hinc perspicuum est quod digerat, & vrinam moueat. Fuerit autem in calfaciendo resiccandoq; ex ordine tertio intenso.

CVMINVM SATIVVM. CAP. VI.

Nomina

KYMINON Græcis, sic & Latinis Cuminum, Officinis Cyminum, Arabibus *Camum* seu *Kemum*, Italis *Cumino*, Hispanis *Comino*, Gallis
In Ad.fol. 330. *Comin*, Germanis *kimmel*. Est autem tantæ feracitatis, inquit Pena, inter oleracea Cuminum, vt etiam maledictis satũ vberrimè luxuriet.
Genera Vnde Cuminum quis, quasi prægnans à verbo κύω manasse putet. Eius genera
Pe. ibid. tria sunt Dioscoridi, satiuum, & siluestre duplex. Satiuum aliquantùm diuersum diuersis è locis Syriæ, Græciæ, Ciliciæ allatum obseruatur. Quod enim albicat hirsutumq; est semen, præstantius habetur. Aliud neutiquam hirsutum est. Nec putandum discrimen aliud fuisse Æthiopici aliúsve, quàm loci prærogatiua.

Visusq;

Visusq; est Hippocrates satiuum istud albicans hirsutumq;, basilicum seu Æthiopicum statuisse. Cuminum satiuum caule est longo, recto, multis adnatis ramusculis, foliis minutim discisis, fœniculi similibus, flores in vmbellis emicant veluti in fœniculo, in quibus tandem copiosum semen. Radix albicat, & summo repit cespite. Tractu gaudet calido & putrescibili, quamobrem frequentissimum in maritimis nascitur. Prouenit, inquit Dioscor. in Galatia, in Asia, Cilicia. Omnibus præfertur Æthiopicum, quod Hippocrates regium appellat. Secundum locũ tenet Ægyptiũ, reliqua sequuntur. Cuminum siluestre eodem Dioscoride auctore, frutex est paruus, caule palmum alto, tenui, in quo foliola quaterna aut quina, tenuia, veluti, serrata, & gingindij diuisura: in cacumine capitula quina aut sena habet, rotunda, mollia, in quibus semen est aceroſum, gustu satiuo acrius. Nascitur in collibus. Plurimum efficaciusq;, inquit Dioscorides, in Lycia, Galatia Asiæ, & in Carthagine Hispaniæ. Alterum siluestris Cumini genus satiuo non dissimile est, quod à singulis floribus elata promit cornicula, in quibus semen est melanthio simile. Cuminum satiuum vulgo satis notum, hìc ex Matthiolo pictum damus. Item prius siluestris genus ex Cortusiana liberalitate. Alterum verò siluestris genus, idem Matthiolus cum Ruellio & Gesnero eam plantam esse putat

Forma.

Locus.

Lib. 3. c. 59.

Cap. 59. li. 3.

CVMINVM Satiuum Matthioli.

CVMINVM Siluestre, I. Matthioli.

CVMINVM Siluestre, II. Matthioli.

quam herbarij Consolidam Regiam siue Regalem appellant, Galli *Pied d'Alouette*, Germani *Ritterſporn*, ideſt, equitis calcar. Caulem fert ſimplicem, ramulis multis brachiatis, tenuibus, longis, diuiſis, ſilueſtris nigellæ modo. Flores edit purpureos, nigræ violæ æmulos, ex quorum altera parte prodeunt cornicula ſurſum ſpectantia, quæ calcaris veterum formã exprimere videntur, vnde illi nomen à Germanis inditum. Semen fert in corniculis melanthio ſimile. Hanc plantam Dodonæus nomine buccini, ſeu Delphini alterius pinxit & deſcripſit, & huic prorſus ſimilem, ſed omnibus partibus maiorem & habitiorem Cõſolidam Regalem hortenſem, Delphinij nomine. Fuchſius perperam nomine Chamæmeli eranthemi. Sed in poſtrema Commentariorũ editione Matthiolus ſententiam retractat, aliudq; Cuminũ ſilueſtre alterum, ab eodem Cortuſo acceptũ, idq; verum depinxit, Hypecoum Cluſij & Dodonæi. Eadem cumini ſilueſtris genera Pena: his ferè verbis explicauit, atq; ita delineauit. Speciem præ ſe ferunt, inquit, vtriuſque ſilueſtris Cumini duæ plantæ, quæ locis glareoſis prope Aquas Sextias Gallicæ prouinciæ vbertim creſcunt. Primæ foliola gingidij, vel ſilueſtris paſtinacæ modo diuiſa ſunt, radix albicat, parua, cauliculi inflexi, exiles ſcandicis ſeu pectinis venerei modo, ſed albidis, rotundis, villoſiſq; glomerulis, globulos arctij imitantibus, tenera pappoſáve lanugine cinctos, in ſphęrulam denſam, magnitudine pinpinellæ, platani modo globulariǽve Monſpelienſibus dictæ. Semen dẽtis leonis vel platani, ſed multò minus. Alterius ſilueſtris duæ ſunt plantæ quæ effigie ſatis congruere videtur. Ea quæ minùs cognita, exigua & pulchra, non procul Aquis Sextiis oriunda, complura gerit cornicula, ſiliquata, adunca, ſcorpioidis dictæ modo, ſed craſſiora, ſemine intus præſepiolis diſtincto, colore flauo, oblongo: cauliculi graciles, teneriuſculi, & folia parua, carei aut ſcandicis, pectinis venerei, fumariǽve inciſuris profundis: exigua radix, lutei flores Maio menſe, Chelidonij maioris, aut erucæ, ſed minores. Eidem eiſdemq; natalibus ſiliquata perquàm ſimilis ſociatur altera non niſi folio tenuiore, diſtans, anguſtiore, ſeſeli Maſilienſis diuiſura, ad imum plantæ iuxta radicem albicantem, chœrephyllo ſimilem plurimum naſcente, cauliculis ferme glabris, ſiliqua maiore: ſemine ibi contento, galegæ, ſubfuluo. Regia verò conſolida alibi dicta, Cumini foliis, floribus purpureis, & interdum

CVMINVM Silueſtre alterum, Matth.

Lib. 2. ca. 15.

Ca. 8. hiſt.

In Ad.

CVMINVM Silueſtre ſiliquatum, Penæ.

terdum candidis,ſpecioſis,coronariis,in calcaris antiqui ſpeciem,è quibus cornicula oblonga,recta promuntur,ſemine nigellæ nigro, adeò hortis mulierculiſq; familiaris eſt,vt minimè notionis dilucidioris egeat. Haſce itaque plantas Pena propoſuiſſe ſe ait,vt quiſque pro arbitrio de illis ſtatuat. Cum enim Cumini ſatiui ſapore odoréve grato non polleant,nedum id ſuperent, dubium eſt illáne ſit Cuminum ſilueſtre. Alteri quidem lutei flores inſunt, & ſemina melanthij deſunt. Sola horum Regia conſolida vocata videtur adhuc Cumini ſilueſtris coniecturã fouere:tametſi vſus medicamentis,aut cibis, vel nullus vel incertus. Hæc Pena. Nunc de viribus dicendum. Cuminum ſatiuum, inquit Dioſcor.ori gratum eſt (vetus codex & Oribaſius habent ἀςόμαχον, ideſt,ſtomacho gratum) Calfacit,adſtringit,exſiccat,ad tormina inflationéſque conuenit coctum, & cum oleo infuſum,aut cum hordeacea farina impoſitum.Orthopnoicis datur in poſca, demorſis à ſerpente in vino. Teſtium inflammationibus auxiliatur impoſitum cum vua paſſa,aut lolij farina ceratóve.Fluxum muliebrem cohibet, item ſanguinis è naribus profluuium tritum cum aceto & admotum. Siue bibatur,ſiue illinatur corporis colorem in pallidius mutat. Cumini ſilueſtris prioris ſemen bibitur ex aqua aduerſus tormina inflationeſq;, ad venenatas beſtias, & ſtomachi humiditatem cum vino:ſingultus ex aceto ſedat. Tollit & ſuggillata commanſum,ac cum melle & vua paſſa impoſitum. Inflammationes etiam teſtium ſanat cum iiſdem illitum. Alterius Cumini ſilueſtris ſemen ſerpentium morſibus optimum eſt præſidium. Vrinæ ſtillicidio vexatis, & calculoſis auxiliatur, & iis qui ſanguinis grumos meiunt.Sed iis apij ſemen feruefactum poſtea bibendum eſt. Cumini vtriuſque eaſdem vires Fuchſius declarauit.Plinius his verbis, Cumino ſatiuo magnus vſus in ſtomachi præcipuè remediis. Diſcutit pituitas & inflationes tritũ & cum pane ſumptum,vel potum ex aqua vinoq; : tormina quoque & inteſtinorum dolores. Verumtamen omne pallorem bibentibus gignit. Ita certè ferunt Porcij Latronis clari inter magiſtros dicendi, aſſectatores ſimilitudinem coloris (palloris alij legunt)ſtudiis contracti imitatos:& paulò ante Iulium vindicem aſſertorem illum à Nerone libertatis,in captatione teſtamenti ſic lenocinatum. Narium ſanguinem paſtillis inditum, vel ex aceto recens ſiſtit.Teſticulorum epiphoris per ſe impoſitum,tumentibus cum melle prodeſt. Infantibus imponi in ventrali ſatis eſt.Morbo regio in vino albo à balneis datur. Æthiopicum maximè in poſca,& in ligmate cum melle. Africano priuatim vrinæ incontinentiam cohiberi putãt. Satiuum datur ad iocinoris vitia toſtum,tritum in aceto:item ad vertiginem.Iis verò quos acriore vi vrina mordet,in dulci tritum vino. Ad vuluarum vitia in vino, prætérque impoſitis cum vellere foliis:teſtium tumoribus toſtum tritumq; cum melle,aut cum roſaceo & cera. Silueſtre ad omnia eadem efficacius. Præterea ad ſerpentes cum oleo, ad ſcorpiones,ad ſcolopendras. Siſtit & vomitionem nauſeaſq; ex vino, quantum apprehenderint tres digiti. Propter colum quoque bibitur, illinitúrque,vel penicillis feruens adprimitur faſciis. Strangulationes vuluæ potum in vino aperit,tribus drachmis in tribus cyathis vini. Auribus inſtillatur ad ſonitus,atque tinnitus cum ſeuo vitulino vel melle. Suggillatis illinitur cum melle, & vua paſſa, & aceto: lentigini nigræ ex aceto. Cymini ſemine maximè vtimur,inquit Galenus,quemadmodum Aniſi,Liguſtici, Cari,Petroſelini. Eſt verò & facultatis excalfacientis, ſicut illorum vnumquodque,tum vrinam mouentis, & flatum extinguentis, ex tertio ordine excalfacientium.

Lib.3. c.59. *Vires & Temper.*

Li.10.c.14

Li.7.ſimpl.

APIVM. CAP. VII.

Nomina

GRAECIS σέλινον, & σέλινον κηπαῖον, Latinis dicitur Apium, & Apium hortense, aut satiuum, Arabibus *Charß*, *Charfi*, seu *Chares*, Italis *Apio domestico, & Petrosello*, Germanis *Peterßilien, & Peterlin*, Hispanis *Perexil*, Gallis *Persil*. Selinum autem Græci vocant, quasi ἕλους σῶμμον, hoc est paludibus impulsum: quapropter Homerus ἐλεότρεπτον σέλινον cognominat, quod paludosis gaudeat, & in iis enatum lætius exurgat. Mauult tamen Pena Selinum quasi lunaticum, dictum ab illo formidando affectu, quem accersit esu, quã à palustri solo, vbi non semper nascitur. Multa alia sunt Apij genera á locis & magnitudine nomen sortita. Apium siluestre, Gallis *Persil sauuage*, Eleoselinum, Oreoselinum, Petroselinum, Hipposelinum. Apium hortense siue satiuum verum antiquorum, omnium ferè herbariorum sententia, & coniectura potius quã vlla à veteribus expressa figura, vulgare nostrum Petroselinum hortis frequentissimũ, cibisq; gratissimum esse creditur, caule concauo, inquit Ruellius, tenuiter striato, rotundo, multisq; ramis brachiato, sæpe cubitalem æquante altitudinem: foliis tripartito dissectis, & leuiter crispis, oris leuiusculè laciniatis: flosculo candido, &

Fuchs. cap. 183. hist.

In Ad.

Genera

Lib. 3. c. 46.

Forma.

APIVM Hortense.

APIVM Silvest. Dalech.

quo minutiorem haud temerè reperias, nudo semine, radice singulari, suauiter olente. Aliud est hortense Apium crispatum, perelegans & rarum, à superiore nihil distans, nisi foliorum crispatis oris, argutioribusq; & minutioribus incisuris: σέλινον ἄγριον, Apium siluestre, cuius meminerunt Theophrastus & Dioscorides, hîc ex Dalechampij opinione depictum est, descriptumq; radice gracili, longa, candida, odorata, folio Apii hortensis, perquàm tenui, caule palmum alto, flore pusillo, albo in exiguis vmbellis, quas herbacei cortices glumis spicarum non dissimiles sustinent, & subtus ambiunt, semine minutulo. In asperis collibus prouenit. Donæus longè aliud siluestre Apium exhibuit, quod foliis est magnis, valde incisis, planè siluestris pastinacæ, sed multò maioribus, caulibus rotundis, cauis, qua-

Lib. 7. hist. ca. 4.

Li. 3. c. 69.

Forma.

Locus.

Lib. 5. c. 45.

ternos

APIVM Siluest. Dodon.

ternos quinósve pedes longis, ima parte ex fusco rubentibus, in quorum summitate rotundæ vmbellæ flores albos gerunt, deinde semen cõpressum, hirsutum, anetho, haud disimile, sed maius: radix in duas trésve alias secatur radices, non in altum descendentes, sed obliquè huc illuc sparsas, calefaciendi vi præditas, & linguam vrentes. Ex tota herba, tam ex caulibus quàm ex foliis succus albus manat non aliter quàm ex tithymalis. Thysselium fortasse Plinij. Thysselium est, inquit, non disimile Apio: huius radix commanducata purgat capitis pituitas. Silaus Plinij quibusdam, perperam Meum Batauis & Antuerpiensibus. Ελφοσέλινον, palustre apium, Gazæ paludapiũ, Officinis Apiũ, Mauritanis *Asilu*, Italis *Apio palustre*, Germanis *Epffich*, seu *Eppich*, Hispanis *Perexil d'agua*, Gallis *Persil de marez*, *Ache*, *Api*. Satiuo grandius, sed ingrati tum saporis, tum odoris, in aquosis locis nascitur. ὀρεοσέλινον, Latinè etiam Oreoselinum, & Apium Montanum, Gallicè *Persil de montaigne*. Id, inquit Dioscor. Caulis est vnus dodrantalis extenui radice. Circa ipsum sunt ramuli & capitula cicutæ similia, multò tamen tenuiora, in quibus semen oblongum, acre, tenue, odoratum, cumino simile. Nascitur in petrosis & montibus. Quod ex herbariorum sententia hîc depinximus, radice crassa, longa extrinsecus nigra, intus candida, acri, odorata, aromatica, foliorum densa coma circa radicem humi iacentium, Apio hortensi similium, sed

Thysselium Plinij Lib. 25. c. 11.

Forma.

Oreoselinum. Lib. 3. c. 64.

Forma.

APIVM Palustre, Matth.

APIVM Palustre, Fuchs.

APIVM Montanum, Dalech.

latiorem iucundè olentium in pediculis infernè rubentibus: caule cubito altiore, è medio foliorum ambitu prosiliente, ferulaceo: Flore in vmbella candido, semine Apij, acri, odorato & amaro. Prouenit in asperis, saxosis, lapidosis, apricis, nonnunquam etiam ex saxorum rimis emicat. Floret Iulio mense. Sed cum in hac planta quædam Dioscoridis historiæ repugnent, nihilominus herbarij, vt diximus, plantam istam Oreoselinum, & horum quidam Oreoselinum maius appellant: aiuntq; deprauatos esse Dioscor. codices, præsertim vbi legitur, περὶ δὲ αὐτὸν κλωνάρια καὶ κεφάλια μικρὰ περιφερῆ, in aliis κωνείου παρεμφερῆ. Nam cùm Theophrastus & Plinius scribant, vt dicemus, Apio montano inesse folia Cicutæ, cumq; nihil edat capitulis papaueris simile, perspicuũ est legendum esse non κεφάλια μικρὰ, sed καὶ φύλλα κωνίῳ παρεμφερῆ, idest, & folia cicutæ similia. Alij aliud Oreoselinũ proponunt in Sequanorum montibus ad pratorum saxosos margines nascens, caule & foliis Cicutæ, nunc humile, nunc procerum pro loci natura: radice tenui, candida. Flore in vmbella albo, semine oblongo, nigro, acri, odorato, Cymino simili. Parisienses pro Oreoselino plantam mõstrant raram & nobilem in sabuloso Surenæi montis vertice, nec vsquam alibi nascentem, radice longa, crassa, acri, odorata, sapore & odore Empetro nostro simillimo, coma Apij, humi procumbente, densa: flore in vmbella candido, semine acri, & odoris suauis. Πέτροσέλινον, & πετροσέλινον μακεδονικὸν, Latinè Petroselinum & Petrapium, & Apium saxatile, & Petroselinum Macedonicum, quòd copiosius in Macedonia proueniat, in præruptis locis, ait Dioscorides, semine amnij, odoratiore, acri & aromatico. Verùm id Petroselinum esse putat Dalechampius, quod hîc depinximus, in saxosis tumulis prope Gratianopolim nascens, atque adeò rupibus ipsis paucula terra opertis hærens, qua sol flagrantissimus illidit radios, radice breui, parum fibrata, nigra, nec, quod mirum est, acri, nec odorata, supernè festucis comata, folio Apij hortensis, non illo quidẽ latiusculo, coriandro simili, prope radicẽ luxuriante, sed Altero illo tenuiore, anetho propemodũ simili, summis Apij caulibus & ramis conspicuo ac exili, cùm teritur Apij hortẽsis odorem sic spirãte, vt siquis clausis oculis naribus admoueat, apium hortense olfactu esse iudicet, flore in vmbella non prorsus candido, sed nonihil rubente, semine apij hortensis, primùm

PETROSELINVM Dalechampij.



Petroselinum.

Lib. 3. c. 64.

Forma.

mùm ſubrubro, deinde nigreſcente, ſi guſtes, amaro initio, at cùm pluſculò manditur acri & valde vrente, odorato quod Galenus in hoc ſemine requirit. Aliud Petroſelinum Macedonicum depinxit Matthiolus, quod iam in quibuſdam Italiæ hortis colitur petito ex Macedonia ſemine, foliiſque exit apio paluſtri ſimilibus, ſed minoribus, caule craſſo, ramoſo, alis frequentibus cauo, floribus albis, ſemine hortenſi apio ſimili, odorato & amareſcente, ἱπποσέλινον Græcis, Latinis Oluſatrum nominatur, Gazæ Equapium, à magnitudine ſic dictum. Eſt enim maius Apio hortenſi & candidius, inquit Dioſco. caule cauo, alto, tenero, veluti lineas habente, foliis latioribus, ſubpuniceis, in quibus eſt coma veluti roriſmarini, flore plena, in corymbos priuſquam defloreſcat, compacta. Semẽ eſt nigrum, oblongum, acre, ſolidum, aromaticum: radix odorata, candida, non craſſa, ori grata (εὐστόμιος enim legitur in vulgatis exemplaribus, in antiquo εὐστόμαχος, id eſt, ventriculo grata) Naſcitur in locis vmbroſis, & iuxta paludes. Matthiolus pro Hippoſelino monſtrat Leuiſticũ vulgare hîc depictum, cùm nullam aliam plantam norit quæ legitimum referat, & Braſſauolam reprehendit, qui herbam Maceronẽ Italis vulgò vocatam Hippoſelinũ eſſe falſò exiſtimat: fortaſſe, inquit, peruerſa Marcelli interpretatione deceptus, qui præter Dioſcoridis ſententiam hippoſelino radicem intus candidam, foris nigram reddidit, cùm tamen in Dioſcoride nulla nigri coloris fiat mentio. Eius Marcelli lapſus in cauſa eſſe potuit, quod apud Theophraſtũ legerit Hippoſelini radicem Raphani modo craſſam eſſe, ſed nigram, cùm Theophraſtus illic non Dioſcoridis Hippoſelinum, ſed Smyrnium potiùs deſcripſerit, vt dicemus. At non ſolum Marcellus & Braſſauola, ſed Dodonæus, Pena & plerique alij herbarij plantam, quam recentiores Petroſelinũ Alexandrinum, Officinæ nõ ſine errore Petroſelinum Macedonicum vocant, Galli *Alexandre*, Hippoſelinum verum eſſe aſſerunt. Caules edit alásve multas ſtatim à radice, folia Apij paluſtris, ſed maiora, rotundiora ex atro virentia. Caulis eſt ſtriatus, bicubitalis, cõcauus: Apij vmbellæ corymborum inſtar pendulæ, maturitatẽ aſſecutæ, onuſtę ſemine copioſo, atro, vnde illi Oluſatri nomen, pleno, grani, ſemiſphærica figura, ſed paulùm quid vtrinque retuſa in baſi, medicato guſtu, acri, ad Smyrnium accedente, radix eſt ſatis craſſa longáque, hortenſi magis ſuccoſa, veſca, tenerior quàm

PETROSELINVM Macedon. Matthiol.

HIPPOSELINVM, Matth. ſiue Leuiſticum vulgare.

In cap. 64. lib. 3.

Hippoſelinum.

Ibid. *Forma.*

In cap. 64. lib. 3.

Lib. 1. c. 45. In Ad. fol. 35.

ſuapte ſponte nato,foris color pullus, intus albus,odora, guſtu grato & nonnihil medicato:non ſolùm Italis,ſed & Gallis, Germanis, Anglis auidiſsimè in acetariis expetita,quæ etiamnum tempore Dioſcoridis cruda coctáve edebatur. Quamobrem à ſedulis olitoribns paſsim in hortis colitur. Leuiſtici nullus vſus in acetariis,non eſt enim herba oleracea, ſed ingratiſsima & acerrima guſtu:ſemen multum diuerſum ſapore,odore,& tota vmbella. Quãtum ad Marcelli interpretationem attinet,ea peruerſa exiſtimanda non eſt, ſi radices foris nigras,intus albas in quopiam exemplari à vulgaribus diuerſo legit & ſcripſit. Theophraſtus apij genera diſtinxit his verbis. τῶν ὃ σελίνων καὶ ἐν τοῖς φύλλοις,καὶ ἐν τοῖς καυλοῖς αἱ διαφοραὶ.τὸ μὲν γὰρ πυκνὸν & ὅλον,καὶ δασὺ τὸ φύλλον ἔχει. τὸ δὲ μανώτερον καὶ πολλαὶ ὑτερον, καυλὸν δὲ μείζω. τούτων δὲ πάλιν τὸ μὲν λευκόκαυλα,τὸ δὲ πορφυρόκαυλα, ἢ ποικιλόκαυλα. τὸ δὲ ὅλον ἅπαν τὸ τοιοῦτον ἐμφερέστατον τῷ ἀγρίῳ. Quæ Plinius reddidit his verbis. Et ſatiui autem differentiæ in folio denſo, criſpo,aut rariore & læuiore,item caule craſsiore & tenuiore, & caulis aliorum candidus eſt, aliorum purpureus, aliorum varius. Idem Theophraſtus aliquanto pòſt,τὸ δὲ ἱπποσέλινον καὶ ἑλειοσέλινον,καὶ ὀρεοσέλινον,καὶ πρὸς ἑαυτὸ διαφορὰν ἔχει, καὶ πρὸς τὸ ἥμερον. τὸ μὲν δὴ ἑλειοσέλινον τὸ παρὰ τὰς ὀχέους, & ἐν τοῖς ἕλεσι φυόμενον, μανόφυλλον ὃ δὲ δασὺ γίγνεται, προσεμφερὲς δὲ τῷ σελίνῳ καὶ τῇ ὀσμῇ, καὶ τῷ χυλῷ, & τῷ σχήματι.τὸ δὲ ἱπποσέλινον φύλλον μὲν ἔμφερες τῷ ἑλειοσελίνῳ, δασὺ δὲ, καὶ μεγαλόκαυλον,& τὴν ῥίζαν ὥσπερ ῥαφανὶς ἔχει τὸ πάχος, μέλαιναν.μέλας γὰρ καὶ ὁ καρπὸς, μέγεθος δὲ μεῖζον ὀρόβου. τὸ δὲ ὀρεοσέλινον μείζους ἔτι διαφορὰς ἔχει. τὸ μὲν γὰρ φύλλον ἔοικε κωνείῳ, ῥίζα δὲ λεπτὴ, τὸν δὲ καυλὸν ἔχει καθάπερ ἄνηθον, πολὺν ἐλάτη. διδόασι δὲ τοῦτον ἐν οἴνῳ αὐστηρῷ, τῶν γυναικείων χάριν. Ex quibus Plinius hæc mutuatus eſt. Id quod ſponte in humidis naſcitur, eleoſelinum vocatur, vno folio, nec hirſuto. Rurſus in ſiccis hippoſelinum,pluribus foliis,ſimile eleoſelino. Tertium eſt oreoſelinum,cicutæ foliis, radice tenui, ſemine anethi, minutiore tantùm. In quibus error eſt in Plinio,qui de eleoſelino μονόφυλλον pro μανοφύλλῳ legit,atque ita deceptus vno folio pro raro folio conuertit. Deinde falsò legitur in Theophraſto de oreoſelino καυλὸν pro καρπὸν. Non enim caulis, ſed ſemen anethi ſemini ſimile eſt,veluti Plinius rectè reddidit, ſemine anethi. Ex vtroque verò perſpicuum eſt in Dioſcoride de oreoſelino tractante legendum καὶ φύλλα κωνείῳ ἐμφερῆ, pro κεφάλαια μηκωνίῳ ἐμφερῆ id eſt, folia cicutæ ſimilia, pro capitula papaueri ſimilia, vt iam diximus. Præterea Theophraſtus ex hippoſelini radice raphani modo craſſa, nigra,& ſucco eius myrrhæ ſimili apertè docet,id ſe cum ſmyrnio,quod etiam monuit Dioſcorides,confudiſſe, quod etiamnum hodie Græci faciunt. Nunc ſingulorum vires expendendæ. Apij hortenſis herba, inquit Dioſco. ad eadem ad quæ coriandrum conuenit:ad inflammationes oculorum cum pane aut cum polentæ polline illinitur:æſtum ſtomachi mitigat:mammas ex concreto lacte induratas laxat:ſiue crudum,ſiue coctum edatur vrinas ciet. Decoctum ipſius radicíſque potum letalibus medicamentis reſiſtit,vomitus mouet,aluum ſiſtit. Semen vehementiùs vrinam ciet,contra venenatarum beſtiarum morſus, & epotum lithargyrum auxiliatur,flatus diſſoluit. Admiſcetur commodè medicamentis dolorem ſedantibus, & thoracis & tuſsis remediis. Galenus verò, Apium vſque adeò calidum eſt, inquit,vt & vrinas & menſes cieat:flatus quoque, diſcutit, & magis ſemen quàm herba ipſa. Quæ ſiue de apio noſtro hortenſi vulgariq;, ſiue de apio paluſtri intellecta,ſi vera ſunt, vt certè vera eſſe experientia certò comprobat, qui apium calidum ad eadem ad quæ coriandrum conuenit, quod idem Dioſcorides refrigerandi vi præditum eſſe ſcripſit? Qui calidum inflammationibus oculorum proderit? æſtuanti ſtomacho,mammis lacte turgentibus? Hunc nodum ſic ſoluit Petrus Pe. eſſe præſidia non parum multa,quæ contrariis aut valdè diuerſis polleant facultatibus,& tamen eidem medeantur affectui eiuſdem incremẽti & modi. Id in capitis

Lib.7. hiſt. cap.4.

Lib.19.c.8.

Lib.7. hiſt. cap.6.

Lib.19.c.8.

Cor. Emb. 65.lib.3.

Vires & Temper.

Lib.3.c.64.

Lib.8.ſim.

fo. 314. & 315.

fracta

fracturis & vulneribus, inquit, facilè de Galeni Celſiq; lectione, & medicamentorum collatione diſcas, quorum hic ſiccantibus frigidis, ille verò calidis digerentibus, etiámque humectantibus fœliciter vſi fuere. Teſtium tumoribus violaceo farinis excepto leguminum quidam, alij verò Cretenſi feruido vino excepto cumini puluere medentur. Sic nihil mirum coriandri ſucco refrigerante, & paullum quid adſtringente partim diſsipari, partim repelli materiam eiuſque incrementum, vel apio calfaciente digerentéque in habitum per poros laxatos diffluri. Galenus in Conſilio pro puero epileptico apium probat & laudat. Contra Auicenna tanquam venenum fugiendum eſſe ſuadet. Aiunt enim Arabes tum oculis, tum epilepticis noxium eſſe, quod eius vſus epilepſiæ paroxyſmum inuehat. Sed Galeni apium, noſtrum eſt hortenſe & vulgare petroſelinum, incidendi vi præditum, quod in epilepſia tuto dari poteſt. Auicennæ verò & cæterorum Mauritanorum apium, id eſt, quod Officinis hodie quoque apium dicitur, Græcis Eleoſelinum, de quo mox. Apio, inquit Plinius, gratia vulgo eſt, namque rami largis portionibus per iura innatant, & in condimentis peculiarem gratiam habent. Præterea oculis illitum cum melle, ita vt ſubinde foueantur feruenti ſucco decocti, aliiſque membrorum epiphoris per ſe tritum, aut cum pane vel polenta impoſitum mirè auxiliatur. Piſces quoque ſi ægrotent in piſcinis, apio viridi recreãtur. Galenus alibi, familiariſsimum, iucundum, & ſtomacho gratum apium eſſe ſcribit. Hippocrates, Apium, inquit, magis vrinam ciet quàm aluum mouet: & radices magis quàm ipſum, aluum mouent. Idem in libro de internis affectionib. vbi à pituita in aquam intercutem tranſitus fit, ex oleribus raphanorum & apij vſum præſcribit. Ex quibus colligere licet apium hîc intelligi vulgare noſtrum petroſelinum hortenſe. Videmus enim etiam hoc tempore eius folia ramulóſque per iura tum carnium, tum piſcium innatare, aquæ butyróque incoqui, & iuſculum iucundum inde effici, ſicuti idem Plinius apium ſuauiores aquas potui incoctum præſtare dicit. Eleoſelinum id eſt, paludapium, ſiue apium paluſtre, ad eadem ad quæ apium efficax eſt, inquit Dioſcorides, ſed eſt ingrati tum ſaporis tum odoris, vt ſi quod fuerit apium Chriſippi, Dionyſiiq; medicorum conſiliis à cibis abdicatum, quia propenſius paroxyſmum epilepticum excitet, viſus quoque claritati ſit inimicum, iſtud paluſtre apium ſit meritò cenſendum. Eſt tamen efficax valde, ideóque Arabibus & pharmacopœis nonnullis vſitatius in ſyrupis ad obſtructiones tollendas præſcribi ſolitis vt in Byſantino, & quinque radicum. Plinius, Eleoſelino, inquit, vis priuata contra araneos. Oreaſelinum vrinam ciet, auctore Dioſcoride, ſemine ac radice ex vino potis: menſes trahit. Miſcetur antidotis & medicamentís vrinam cientibus & excalfactoriis. Petroſelinum eodem auctore, vrinam ciet & menſtrua: contra ſtomachi & coli inflationes & tormina prodeſt: laterum, renum & veſicæ doloribus in potu ſubuenit. Admiſcetur antidotis vrinam cientibus. Petroſelini ſemen, inquit Galenus, maximè vſui eſt, tum tota etiam herba vnà cum radice ſimilem, ſed imbecilliorem facultatem ſortiatur. Eſt autem guſtu acre cum amaritudine, ſic & facultate calidum vnà cum incidendi effectu. Hinc menſes & vrinas affatim prouocat, flatus extinguit, fuerit itaque & ipſum tertij ordinis tum excalfacientium, tum deſiccantium. Hippoſelinum, vt ſcribit Dioſcorides, oleris modo editur, vt apium radix tum cruda tum cocta eſtur, folia cum caulibus decocta manduntur, & per ſe aut cum piſcibus præparantur, crudáque muria condiuntur. Vim ducendi menſes ſemen habet in mulſo potum, calfacit frigore prehenſos tum potum tum illitum: vrinæ ſtillicidio auxiliatur. Radix eadem præſtat. Plinius, Oluſatrum, inquit, quod hippoſelinum vocant, aduerſatur ſcorpionibus. Poto ſemine torminibus interaneis medetur: itémque difficultatibus vrinæ ſemen eius decoctum ex mulſo potum. Radix eius in vino deco

Lib. 20. c. 2.
Lib. 2. Ali.
Lib. 2. de Diæt.
Lib. 20. c. 11.
Petr. Pe. Pl. lib. 20. cap. 11.
Lib. 20. c. 11.
Lib. 3. c. 64.
Lib. 8. fin.
Ibid.
Lib. 20. c. 11

no decocta calculos pellit, & lumborum ac lateris dolores. Canis rabiosi morsibus potum & illitum medetur. Succus eius algentes calfacit potu. Hæc ferè omnia ex Dioscoride qui quos ῥιγοῶντας dixit, ille algentes conuertit, id est, aut frigore aut rigore prehensos. Nam de vtrisque intelligi posse videtur, tum de his qui ab externi aëris frigidi occursu frigus contraxerunt, tum de iis qui rigorem febres præcedentem patiuntur. His addit Theophrastus, γίνεται δὲ καὶ τὸ σλάκρυον ἐξ αὐτῆς ὅμοιον τῇ μύρρᾳ. οἱ δὲ φασὶν ὅλως μύρραν. Quæ Plinius sic. Sed præcipuè oliusatrum myrrhæ naturæ est, hipposelinũ Græci vocant, alij smyrnium. E' lacryma caudicis sui nascitur, feritur & radice. Succum eius qui colligunt, myrrhæ saporem habere dicunt. Auctorque est Theophrastus myrrha sata natum. Ex quibus colligere licet Theophrasto hipposelinum dici, quod ab aliis smyrnium vocatur.

Lib. 7. hist. cap. 6.

Lib. 19. c. 8.

SMYRNIVM. CAP. VIII.

Nomina Μύρνιον Græcis, Smyrnium Latinis dicitur, in Cilicia petroselinum, & quibusdam hipposelinum agreste auctore Galeno. Smyrnium dictum est, quod semini idem sit odor qui myrrhæ, vel radici, vt scribit Plinius. Monuit Dioscorides hipposelinum à quibusdam Smyrnium vocari, quum tamen aliud sit quod propriè Smyrnium dicitur, quod ex descriptionum collatione cognosci potest. Smyrnium, inquit, caulem gerit apio similem, propagines multas habentem, folia latiora, ad terram confracta, subpinguia, robusta, cum acrimonia odorata, medicatáque, & colore sublutea, vmbellam in caule qualis anetho inest, semen rotundum, brassicæ simile, nigrum, acre, myrrhæ sapore, vt alterum pro altero vsurpetur. Radix est acris, odorata, tenera, succosa, fauces mordens, cortice extrinsecus nigro, intus cum virore pallido, aut subalbicante. Nascitur in petrosis locis, siccis collibus & limitibus agrorum. Plinius idem Smyrnium describens in paucis à Dioscoride variat. Smyrnium, inquit, caulem habet apij, folia latiora, & maximè circa stolones multos, quorum à sinu exiliunt pinguia, ad terram infracta, odore medicato, & cum quadam acrimonia iucundo, colore in luteum languescente, capitibus caulium orbiculatis vt anethi, semine rotundo, nigro, quod arescit incipiente æstate. Radix quoque odorata, gustu acri mordet, succosa, mollis, cortex eius foris niger, intus pallidus, odor myrrhæ habet qualitatem, vnde & nomen. Nascitur in saxosis collibus & in terrenis. Idem alibi, & Smyrnium olus feritur iisdem locis, myrrhámque radice resipit. Hæc ille de Smyrnio propriè dicto, qui tamen alibi, vt ostendimus, hipposelino, quod & impropriè Smyrnium appellatur, tribuit myrrhæ saporem, atque cum illo Smyrnium confundit Theophrastum secutus. Hæ quamuis dilucidæ satis delineationes, non æquè omnibus notum Smyrnium reddiderunt. Fuchsius Ruellium secutus Smyrnium eam herbam esse putat, quam hodie Leuisticum nominant, Gallica rura *Leueche*. Matthiolus contendit Smyrnium ei herbæ simillimum esse, quæ in Hetruria vulgò vocatur *Macerone*, quod caule sit apij, stolonibus multis referto, foliis latioribus, subpinguibus, robustis, ad terram versis, odore medicato, cum quadam acrimonia iucundo, colore in luteum languescente. Præterea in caulium summitatibus vmbellam gerit anethi modo, semine brassicæ, maiore, oblongo tamen, nigro, acri, odore myrrham referente. Denique radice nititur odorata, acri, succosa, molli, cortice exteriùs nigricante, interiore parte ex albo viresce nte. In quibus etsi Maceronis semen brassicæ semini compararit, tamen iis respondens qui similitudinem hanc reprehendere possent, quod illius semen rotundum non sit veluti brassicæ, ait, cùm cæteræ omnes notæ illi respondeant, facilè in seminis delineatione mendum subesse potuisse, vel quod non in rotunditate, sed in alio quopiam huic semini

Lib. 3. c. 64.

Lib. 3. c. 65.

Forma.

Locus.

Lib. 27. c. 13.

Lib. 19. c. 12.

Cap. 190. hist.

In cap. 65. lib. 3.

SMYRNIVM,
Matthioli.

SMYRNIVM Verum,
Dioſco. & Dodo.

ſemini cum illo intercedat ſimilitudo. Aliis, inquit Pena iam in procinctu eſt ſmyrnij veri cognitio,& ab hippoſelino & leuiſtico diſtinctio, quibus nota ſit illa planta iamdiu in multis Galliæ & Belgij hortis enata, cuius radix craſsiuſcula, foris nigricans,intus alba: folia ima ampla & multipliciter diſſecta, reliqua rotunda & caules circumambientia, vt ab eis traiecta, in perfoliata herba cernantur, vmbellæ anethi,aut perfoliatæ: flores ex luteo herbacei pallentes, ſemen fuſcum, ſubrotundum raphano minus, braſsicæ par & ſimile, prorſum myrrham ſpirans,acre. Hanc plantam ſic expreſſerunt Dodonæus & Lobelius. Matthiolus Smyrnium Creticum depinxit,quod ab aliis accepit, ſed eſt eius pictura à ſuperiore ſatis diuerſa. Hoc ita deſcribit. Fert folia macerone craſsiora,quina ex ſingulis pediculis,per ambitum ſerrata, altera parte ima ab exortu mutila, longè autem diuerſa in caule: ſunt enim rotunda,& à caule ramiſq; in quibus naſcuntur, perfoliatæ modo transfinguntur, nullis in ambitu denticulis. Caulem edit firmum, ſtriatum,& ſubter folia geniculatũ, è quo in latere quo folia perforantur ramuli exeunt, ex ſingulis foliorum finibus,ſtriati. Vmbellam in caulium ramulorúmque ſummitatibus gerit, racematim diſſectam,floribus albicantibus, ſemine haud braſſicæ ſimili,ſed rotundo,anguloſo, & in acutum deſinente, colore ex flauo nigricante, ſapore acuto

SMYRNIVM Creticum,
Matthiol.

In cap. 65. lib 3.

Matth in cac.65.lib 3

acuto & amariusculo, pediculis longis striatisq;. Quare iudicat smyrniũ suum multò propius ad smyrnij Dioscoridis historiam accedere. Veri smyrnij radix, herba & semen vim habent calfaciendi, inquit Dioscorides, olerum modo comeduntur folia muria macerata, & aluum sistunt, radix serpentium morsibus pota succurrit. Tusses & orthopnœas mitigat. Vrinæ difficultati medetur. Illita recentia œdemata, phlegmonas, & duritias discutit, & vulnera ad cicatricem perducit, feruefacta & subdita abortus facit. Semen eius lienis, renum & vesicę vitiis prodest, menses & secundas pellit. Commodè ischiadicis cum vino bibitur, inflationes stomachi mitigat: sudores & ructus ciet. Potum peculiariter hydropicis, & febrium circuitibus prodest. Eadem & quædam alia huic tribuit Plinius his verbis. Vis eius calfacere, extenuare, vrinam & menses cient folia & rádix, semen aluum sistit, radix collectiones & suppurationes non veteres, item duritias discutit illita. Prodest & contra phalangia & serpentes, admixto cachry, aut polio, aut melissophyllo in vino pota, sed particulatim, quoniam vniuersa vomitionem mouet, qua de causa aliquando cum ruta datur. Medetur tusi & orthopnœæ semen vel radix: item thoracis, aut lienis, aut renum, aut vesicæ vitiis. Radix autem ruptis conuulsis. Partus quoque adiuuat, & secundas pellit. Datur & ischiadicis cum crethmo in vino. Sudores ciet & ructus: ideo inflationem stomachi discutit, vulnera ad cicatricem perducit. Exprimitur & succus radicis, vtilis fœminis, & thoracis præcordiorúmque desideriis: calfacit enim, purgat, & concoquit. Semen peculiariter hydropicis datur potu, quibus & succus illinitur, & malagmate è cortice arido. Et ad obsonia vtuntur cum mulso & oleo, & garo, maximè in elixis carnibus. Quidam, Plinium putant in exemplari Græco vnde hæc sumpsit pro ἐπιθέματα legisse ἐπιθυμήματα, id est, remedia admouenda thoraci & præcordiis. Galenus de Smyrnio scripsit vt alimento, & vt medicamento. Smyrnium, inquit, non est insuaue, ideóque Romæ plurimùm vænit. Multò autem acrius est & calidius quàm apium, quin & odorati quippiam habet. Quapropter efficacius vrinam, quàm apium, hipposelinum, sium, & mulieribus menses mouet. Veris tempore caulem producit, qui crudus edendo est haud aliter quàm folia, quæ sola per hyemem inhærent plantæ nondum caulem habenti, sicut neque tum apium habet. Postea verò caule accedente tota planta iucundior redditur, siue quis crudam ipsam, siue coctam mandat, siue ex oleo & garo, siue acetum, siue vinum velit adiicere. Et alio in loco. Smyrnium quidam hipposelinum agreste cognominant. Ex eodem genere & ipsum cum apio est, & petroselino, apio quidem validius, petroselino autem imbecillius. Menses itaque & vrinas mouet, calidum & siccum tertio ordine. Cilices in Amano monte natum, Petroselinum vocant, minus verò petroselino & smyrnio (nimirum hipposelino, quod & Smyrnium vocant:) acre est. Proinde & vlceribus imponi potest, quia sine molestia desiccet. Sed & digerere quæ indurata sunt potest. Reliqua vis eius apio & petroselino similis est, quare & semine eius vtimur ad menses, vrinas, & asthmata.

Vires & Temper Lib. 3. c. 65

Lib. 27. c. 13

Lib. 2. Ali.

Lib. 8. fin.

SISON. CAP. IX.

Nomina Lib. 3. c. 55 *Forma*

VOD Græcis σίσων, Latinis quoque Sison dicitur, Hippocrates vocat Sinona. Scribit Dioscorides semen esse paruum in Syria proueniens apio simile, oblongum nigrum, feruens. Huius seminis plantam docti quidam herbarij iudicant esse eam, quæ hîc depingitur, & à Dodonæo petroselini Macedonici nomine describitur, ab aliis petroselinum exterum nuncupata. Foliis est longiusculis, in plura scissis, profundius incisis lateribus, & toto ambitu crenatis, caulibus gracilibus bipedalibus, in quibus vmbellæ paruæ albicant:

SISON seu Petroselinum Macedonicum Dodonei.

albicant: semen est fuscum hortensi apio simile, suauius tamen, odore magis aromatico & feruidiore, radix gracilis est, & multum fibrata. Locis asperis, saxosis, & incultis gaudet. Seritur etiam in hortis, in quibus mense Iulio floret, Augusto semē profert. Bibitur ad splenis vitia, inquit Dioscor. vrinæ difficultatem, & ad suppressos menses. Vtuntur ipso incolæ pro condimento, cum cucurbita cocta & aceto sumentes. Habet autem velut granula multa in cacuminibus. Eadem tradit Galenus. Sison, aliàs Sinon calidus, & subamarus gustu est, quare vri nam mouet & concoquit, mensésque prouocat omnésque viscerum obstructiones reserat. Cornarij vetus Plinianus codex, Sinon habet, vbi in vulgatis simul legitur, & quod sequitur ad Sinon pertinens, smyrnio attribuitur. Locus is est. Sinon concoctiones facit, sapore simillima piperi. Eadem in dolore stomachi efficax. Quod sapore piperis esse ait, respondet voci πυρωτικὸν, quam Dioscо. vsurpat, feruidum esse scribens.

Locus. *Tempus.* Lib. 3. c. 55. *Vires & Temper.* Lib. 8. fin. Embl. 53. lib. 3. Lib. 27. c. 13

GINGIDIVM. CAP. X.

GRAECIS γιγγίδιον. & λεπίδιον auctore Dioscoride, Latinis Gingidiū. Nascitur copiosissima in Cilicia & Syria, inquit ille, herbula siluestri pastinacæ similis, sed tenuior & amarior (Græcè legitur λεπτότερον ὁ καὶ πυκνότερον, id est, tenuior densiórque, aut solidior. Cui lectioni retragantur interpretes omnes, qui πικρότερον, id est, amarior conuerterunt, Galenum & Plinium secuti) radice subrotunda, amarescere. Editur crudum & coctū, & sale asseruatum. Est autem stomacho vtile: ciet vrinam, decoctum ipsius ex vino potum vesicæ prodest. Plinius non multò clarius id designauit, Syria in hortis operosissima, indéque prouerbium Græcis, Multa Syrorum olera. Simillimam staphylino herbam ferit, quam alij gingidium vocant, tenuius tantùm & amarius eiusdémque effectus. Estur crudum coctúmque stomachi magna vtilitate. Siccat enim exactos omnes eius humores. Galenus, Plurimū, inquit, in Syria Gingidium nascitur & editur, simile apud nos scandisci. Est autem stomacho valde commodum, siue crudum, siue feruefactum edere ipsum velis, longiorem autem coctura non sustinet. Quidam edunt ipsum cum oleo & garo. Quidam etiam vinum aut acetum addunt, & multò magis commodum est, & auersantibus cibum appetentiam facit, si cum aceto edatur. Est satis clarum hanc herbulam, medicamentum potius esse quàm alimentum. Nam & adstringendi vi, & amaritudine manifesta non modica participat. De hoc itaque vt medicamento rursus agit his verbis. Gingidium quemadmodum gustu amaritudine & adstrictione participat, ita temperamento caliditate & frigiditate. Iuxta ambas autem qualitates siccat, & stomacho commodum est, eo quod non pauca adstrictione participat. Caliditatem equidem non ita manifestam possidet, siccat autem ordine secundo. Gingidium igitur ex Syria venit in Græciam & Latium, Dioscoridis, Galeni, Pauliq; ætate notissimū olus, nunc vix vlli notum. Ruellius gingidium plantam eam esse censet, quæ vulgò

Nomina Lib. 2. c. 131. *Forma.* Lib. 10. c. 5. Lib. 2. Ali. Lib. 6. fin. Lib. 2. c. 70.

GINGIDIVM, Matthioli.

GINGIDIVM Foliis Bauciæ, Syriacum Lobell.

Ca.78.hist. In cap. 131. lib.2. *Forma.*

Chærephyllon, Gallis *Cerfeuil*, Germanis *Kerfel*,& *Kerfelkraut* dicitur:Fuchsius eandem pro Gingidio pinxit & descripsit. Quibus Matthiolus refragatur, legitimúmque Gingidiũ ex Syria allatum, & à Iacob. Anton.Cortuso ad se missum depinxit, descripsitq; his verbis. Gingidium pastinacæ siluestri haud absimile est,amarius tamen,caule rotũdo,ramoso,sesquipedali,striato, subnigricante,geniculatóque:vmbella in cacumine alba, minoribus circumquáque comantibus foliis,è floribus semen prodit,quo maturescente vmbellæ in sese contrahuntur, vt in pastinaca, & tactu glutinosæ sentiuntur, radicem habet candicantem, palmari longitudine, subamaro sapore. Ex Syria in Italiam aduectum semen iam in hortis seritur. Lobellius aliud Gingidium foliis Bauciæ Syriacum mõstrauit. Hæc dodrantalis planta,inquit, Venetias Alepo Syriæ missa Sequini Martinelli opera: flos illi albus & sapor Gingidij, folia verò Bauciæ vel Elaphoboſci minora. Tradit Matthiolus non deesse qui velint plantam Visnagam appellatam, vel legitimũ esse Gingidium,in qua sententia sunt Dodonæus & Anguillara,vel eius alterum genus, quod folia quadantenus magis Pastinacam referre videantur. Illorum opinionem Matthiolus improbat, quod Visnaga plãta sit pastinaca longè maior, & grandes robustásque gerat vmbellas, adeò vt pediculi ex quibus constat dentiscalpij iam multis in vsum venerint.

VISNAGA, Gingidium Matthiol.

Lib.4.c.51.

VISNAGA Gingidium, Dodonæi.

CEROFOLIVM Gingid. multorum, Matth.

nerint. Quare Visnagam potiùs maiorem pastinacam siluestrem vocandam esse censet, quod eam non solùm notis omnibus refert, sed etiam viribus. Hanc Pena vidisse se affirmat multis Italiæ locis, præsertim via qua itur Pæsaro Romam, & Aquitaniæ Ageni secus Garumnam, & Burdegalam, tam bene congruentem descriptioni quàm cæteras. Nam de gingidij vmbella nulla in Dioscoride mentio. Foliis quidem caulibus geniculatis, floribus, & reliqua facie siluestri pastinacæ similis est Visnaga: sed foliis tenerioribus, densioribus, minutius dissectis, caulibus gracilioribus & læuioribus, neque tota hirsuta quemadmodum pastinaca siluestris, sed læuis & nuda, amaro gustu, flosculi in vmbellis candicant velut in pastinaca siluestri semine maturo, adeò rigida & lignea fit vmbella, vt dentiscalpiis apta sit, radix candida est & amara. Cæterùm cùm Cerefolium nostrum in ciborum vsum veniat, & suas quoque in medicina vires habeat, gingidiíque species videatur, de eo hìc differendum. Planta est nemini non nota, passim in hortis nascens, fragilis ac tenera, senis ferè semper ex singulis pediculis emergentibus foliis, vulgaris petroselini modo, in ambitu incisis, caulibus sesquicubitalibus, pinguibus, subrufescentibus, inanibus, geniculatis: vmbellam in summo caule gerit albis floribus ornatam, è quibus tenuia rectáque oriuntur cornicula, multa ex vno pediculo prodeuntia, pilosa, rufescentia, in cacumine aculeata, in quibus semẽ lõgiusculum concluditur pullo colore, radix illi breuis, in multas diuaricata fibras. Tota planta dulcis est & odorata, acriusculo quodam sapore vix sensili, quò fit vt aliis oleribus addita, ea gustui gratiora reddat. Plinius. Rursus alio comitatu, æquinoctio autumni seruntur coriandrum, anethum, atriplex, malua, lapathum, chærephyllum, quod pæderota Græci vocant. Nam quæ sequuntur, & acerrimum sapore, &c. ad sinapi pertinent. Sed hoc Plinij Chærephillum à Cerefolio nostro planè diuersum est.

In Ad. fol. 344.

Matth. ibi.

Lib. 19. c. 8

SCANDIX, Pecten Veneris quorundam. CAP. XI.

Nomina

Lib.2.c.132.

Vsus.

Κάνδιξ Græcis, Scandix Latinis, silvestre olus est, inquit Dioscorides, subacre, amarum, in cibi vsum veniens, crudum & coctum si edatur, ventri & stomacho vtile. Dococtum in potu, vesicæ, renibus, & iocinori prodest.

Lib.8.fin.

Similiter Galenus, Scandix inquit, ex agrestium olerum genere est, subacre, & amarum, adeò vt in siccando & excalfaciendo, aut secundi sit ordinis intensi, aut tertij incipientis. Vrinã valenter ciet, & viscera obstructione liberat, ex dictis qualitatibus constans. Alio in loco gingidium Scãdici simile esse dixit. Vileolus Scandicem esse Plinius ostendit his verbis. Scandix quoque in olere silvestri à Græcis ponitur, vt Opion & Erasistratus tradunt. Item decocta aluum sistit, semine singultus confestim ex aceto sedat. Illinitur ambustis, vrinas ciet. Decoctæ succus prodest stomacho, iocinori, renibus, vesicæ. Hæc est quam Aristophanes Euripidi poëtæ obiicit ioculariter, matrem eius ne olus quidem legitimum venditasse, sed Scandicem. Eiusdem meminit. Reliqua vulgarium in cibo apud eos herbarum nomina Chondrylla, Hypochœris, Caucalis, Antriscum, Scandix, quæ ab aliis Tragopogon vocatur. Qui locus mancus est: legendum enim, Scandix, quæ ab aliis Tragopogon vocatur, &c. Theophrastus Scandicem inter ἑπιγεϊόκαυλα, id est, ea quibus caulis per humum prorepit, enumerat, sed vulgata exemplaria habent ἑπετεϊόκαυλα & Theodorus annicaules conuertit. Locus is est. κοινὴ ὁ διαφορὰ πάντων τῶν ποωδῶν ἡ τοιάδε. τὰ μὲν γάρ ἐστιν ὀρθόκαυλα, καὶ νευρόκαυλα, τὰ δὲ ἑπιγεϊόκαυλα, καθάπερ μηλάχη, σκάνδιξ, σίκυος ἄγριος. Id est, Communis omniũ herbarum differentia est, quod aliæ rectícaules sunt & neruicaules, aliis caulis per humum repit, vt malvæ, scandici, cucumeri silvestri. Hæc scandix notissima olim Græcis omnibus, quę toties Athenis in theatro risum & plausum excitauit, plebis cibus, & quotidianum pulmentũ, vix hodie à quoquam cognita est, tantùm ex capitum in Dioscoride confectione, & stirpium collatione, & ex Galeno Aëtióque gingidio similem esse intelligimus. Sunt qui gingidium Matthioli, Scandicem esse putent.

Lib.5.c.52.

SCANDIX.

Lib.24.c.19

Forma.

Alij herbam hîc depictam, quæ radice est pastinacæ silvestri similis amara & subacri, eodem fere sapore qui & in radice smyrnij siue Petroselini Macedonici deprehenditur: foliis pastinacæ silvestris latioribus, ad apij foliũ magis accedentibus, candidis, minimè hirtis, è caule per interualla sic prodeuntibus, vt in corticosam membranam dilatatũ prope caulem folium alterum intra se concipiat, & foras protrudat: caule striato, cubitali: flore in vmbella candido, non fœniculi modo & aliarum id genus plantarum, quę vmbellam gerunt, pediculis rotatim constructa, sed quamplurimis apicibus ex candido herbaceis velut coagmentata, peculiari quadam compositione, in nullis aliis herbis vix perspecta. Alij, in quibus est Dodonæus, herbam quæ scanaria, Acus pastoris, & Acula vulgò dicitur, Gallis *Aiguille de Berger*, Plinio pecten veneris, proceritate, cauliculis, foliis, floribus, cerefolio nostro haud multum dissimilem, sed grato illo odore destitutam. Cauliculis est rotundis, duris, foliis cerefolio grandioribus, magis inse

PECTEN VENERIS,
scandix quorund.

PERCEPIER,
Anglorum.

gis insectis, magis ad fuscũ vergentibus, floribus candidis in vmbellis, deinde emicantibus ab eodem capitello multis acuminatis rostellis inter se disiunctis, quæ acus seu pectines planè referunt, quibus mulieres linum depectunt & concinnant, radix est alba, digitali longitudine. Veneris pectinem, inquit Plinius, appellant à similitudine pectinum, cuius radix cum malua tusa omnia corpori infixa extrahit. Sed pecten Veneris, inquit Pena, fumariam gustu, foliis & usu representat: vulgus pharmacopœorum etiã Venetiis putat & vsurpat. Acrimoniæ verò & amaroris eiusdem momenti sunt argumenta, qualia sunt Galeni de fumariæ acrimonia. Quã sententiam merito docti viri vellicant, & res ipsa reclamat. Sic chelidonij minoris, ari, & ceparum multò mitiorem experimur acrimoniã, quam illis tribuerint antiqui. Qui verò Saxifragam *Percepier* Anglorum probè perspectum habẽt, superiorum duarum stirpium vtriuis simile esse sciunt, & neutiquam iisdẽ viribus secundum, amaror etiam & acrimonia in eo percipitur, & passim valetudinis causa pro olere manditur, figura ei cerefolij proxima, sed herbula semper est dodrantem alta, nusquam adultior, toto anno suapte sponte erumpit, arido & trito solo luxuriat, sine caule, flosculis herbaceis, vehementer & repente vrinas ciet, muria condita seruatur, & ex ea aqua stillatitia magno vsu elicitur. Hanc plantam Pena proponit magis

Lib. 24. c. 19

In Ad. fol. 324.

SAXIFRAGA Vmbellifera, Anglorum.

quam asserit, vt pote quæ herbariis non valdè nota sit, neque dum, quod sciam, ab vllo alio descripta. In Anglia tamen frequentissimo apud mulierculas vsu recepta. Huc accersenda Saxifraga vmbellifera Anglorum, facie Seselis pratensis Monspelliensium. Hanc ab eximia virtute frangendi calculi sic Angli nominarunt, pratis vdis familiarem, foliis fœniculi, latioribus, pratensis Seselis minoribus. Radix odora, foris nigra, intus alba, Pencedani facie: flores in Vmbellis candidi, semē fœniculi, caulis cubitalis & sesquicubitalis est.

CAVCALIS. CAP. XII.

Nomina

Καυκαλὶς Græcis, ita Latinis Caucalis nominatur, fortassis à seminum effigie, quæ vascula oblonga & semisphærica imitātur, aut quod præarida strepitum edunt hæc semina ventis concussa vindemiis exactis, quemadmodū caucalia vasa sonum edunt, dum aqua confertim egreditur aëre exeunte, & contra strepitum edunt dum implentur. Gaza in Theophrasto Pedem gallinaceum conuertit, nonnulli, auctore Dioscoride, daucum siluestre vocāt. Caucalis inquit ille, cauliculus est dodrātalis, aut etiam maior, subhirsutus, foliis apio similibus, fœniculi modo per extrema multifidis, hispidisq; vel densis, vt alij reddūt (Sic Ruellius secutus vitiatum codicem, qui habet. φύλλα ἔχον σελίνῳ ἐμφερῆ, ἐπ' ἄκρων ὁμαραθρώδως πολυχιδῆ, δασέα. Verùm in exemplari veteri, atq; in recentiorum compluribus legitur, φύλλα ἔχον μαράθρῳ ὅμοια, πολυσχιδῆ. Id est, folia habet fœniculo similia, multifidaq;. Quæ lectio congruit plurimùm constitutioni caucalidis) candida in cacumine vmbella, suauiter olente. Crudum coctúmve olerum modo estur, vrinam ciet. Theophrastus caucalidem inter oleracea recenset.

Lib. 1. c. 133.

Forma.

Lib. 7. hist. cap. 7.

Lib. 21. c. 15.

CAVCALIS, Matthioli.

Plinius velut herbæ vulgaris, & in cibis vsitatæ meminit his verbis. Reliqua vulgariū in cibis apud eos herbarum nomina, chōdrylla, hypochœris, & caucalis, &c. Eandem descripsit alibi. Estur & caucalis fœniculo similis, breui caule, flore candido, cordi vtilis. Succus quoq; eius bibitur, stomacho perquam accōmodatus, & vrinæ, calculisq; & arenis pellendis, & vesicæ pruritibus, &c. Caucalida, inquit Galenus, quidam daucum siluestrem nuncupant. Est enim ei adsimilis gustu & viribus: ex calfacit enim, vt ille, & desiccat: tum vrinam ciet, & muria condita reponitur. Ex his tribus ordine descriptis oleribus, hoc tertium vix cæteris notius est, quia nō multò clarioribus notis designatum fuit à Dioscoride. Præterea vitiata est eius lectio, hęc enim verba, foliis apio similibus, à quopiam in margine adscripta sunt, quæ postea in contextum latinum irrepserunt: nam in Gręcis exemplaribus desiderantur, & superuacanea sunt. Audacius tamen herbarij Caucalides aliquot exhibēt. Matthiolus nasci ait caucalidem hîc pictam in Hetruriæ campestribus, inculto præsertim solo, vt & Ananiensi tractu in Tridentino agro, nullis reclamantibus notis. Petrosello saluatico vulgò vocant. Quippe quod folia quæ per ima prope radicem exeunt, apiū quadantenus effigie referunt, quod vulgò petrosello vocant, etsi quæ superiore parte prodeūt, per ambitū sint fœniculi modo capillamētis diuisa. Caulem mittit

Lib. 7. sim.

In cap. 133. lib. 2.

Pastin

CAVCALIS, *Dodonæi.*

CAVCALIS, *Penæ.*

Pastinacæ, in cacumine vmbellã gerit floribus candicantem, odoratam, dauco non absimilem. Caucalidem flore rubro latioribus foliis vocat Lobellius, qui etiam aliam pinxit vulgarem floribus candidis, foliis minoribus, sed caule proceriore. Caucalidem aliam exhibet Dodonæus, hirsutam nimirum plantam, à Pastinaca siluestri parum distantem, foliis coriandro ferè similibus, magis dissectis. In cauliũ summitate vmbellæ rotundæ, floribus candidis decorãtur, quorum extima folia sunt ampliora: semẽ longum, hirsutũ, veluti Pastinacæ siluestris, cumini semine maius. In campestribus prouenit. Iunio mense floret, paulò post semen maturum est. Plantam aliam pro caucalide exhibet Anguillara, foliis apio minimè similibus. Eam à se iamdiu collectam Pena asserit in præruptis. S. Specus vocati ad fanũ Magdalenæ in prouincia Narbonensi, & liberum facit quid cuilibet ea de re videatur statuere. Hîc ex Pena appingendam curauimus. Est hæc, inquit, caule fœniculi, & foliis & diuisura, cubitum alta: vmbella albet, & odorata est. Radix vnica, recta, humi pacta, candida, sapore pastinacæ. Verùm hoc magis placent vulgares caucalides, inquit Pena: quia sunt caule, foliis, vmbella & semine hispidis, eoq; magis congruunt verbis Dioscoridis. Duæ namq; sunt in nostris vinetis & segetibus differentiæ: altera candida, foliis minoribus, sed caule proceriore, & hæc Matthioli. Altera purpurascẽs vmbellis seu floribus. Folia habet latiora & crassiora, semẽ maius Est istud semẽ argutum & elegãs: nã triquetrã, & spinulis horridã habet glumã, glycyrrhizæ quadãtenus simile, vestibus mordicus hærentẽ. Ea exuta granũ oblongũ, auenæ exenteratæ modo cernitur, haud gustu insuaue, qua quidẽ satis expressa nota insigniuit caucalides Dioscorides, & à similibus discreuit. Matthiolus caucalidẽ suã longè pluribus pollere facultatibus scripsit. Est enim cordi vtilis. Succus calculos & arenas pellit, iocinoris, lienis, renumq; pituitas extenuat. Semẽ potum oculorum aciem acuit, & menses fœminarum adiuuat. Datur viris cõtra seminis profluuium cum aspleno & viticis semine. Steriles facit prolificas assiduè ex vino potum. Præstat aduersus trygonis, draconis, & scorpionis marinorum ictus, vulneri illitum. Herba tota ex aceto mãsa, & vomitione reddita ventrẽ purgat, appetitũ languescentẽ excitat, & nauseæ fastidia discutit. Melãcholicos iuuat tum herba ipsa in cibis deuorata, tum succus potus, tum semen, quemadmodũ totius plantę decoctũ. Quare datur vtiliter quartanariis & scabiosis: quinetiam morbo gallico affectis.

Lib. 5. c. 49.

In Ad. fol. 325.

Ca. 133. li. 2.

Vires.

DAVCVS. CAP. XIII.

Nomina Genera Lib. 25. c. 9.

Αῦκος Græcè, Daucus Latinè, Daucum & Daucium nominatur, Arabicè *Dacu, Gezar*, siue *Giezar*. Dioscorides tria Dauci genera recensет, Creticum, Selinoides, tertiũ foliis coriandri. Plinius, Dauci, inquit, genera quatuor fecit Petronius Diodotus: quæ persequi nihil attinet, cùm sint differentiæ duæ. Probatissimum in Creta, mox in Achaia, & in siccis vbicumque natum, fœniculi similitudine, candidioribus foliis & minoribus hirsutisq;: caule pedali, recto, radice suauissimi gustus & odoris. Hoc in saxosis nascitur meridianis. Reliqua genera vbique nascuntur terrenis collibus, limitibusq;, nec nisi pingui solo, foliis coriandri, caule cubitali, capitibus rutundis, sæpe pluribus quàm ternis, radice lignosa, sed cum inaruit, superuacua. Semen huius cumino simile, prioris milio, album, acre: odoratum omnibus, & feruens. Secundum priore vehementius est, ideóque parcè sumi debet. Si iam maximè tertiũ genus facere libeat, est simile staphylino, quod pastinacam erraticam appellant, semine oblongo, radice dulci. Omnia hæc & hyeme & æstate sunt intacta quadrupedi, nisi post abortus. Ex aliis vsus seminis: ex Cretico radicis & succi, sed magis ad serpẽtes est. Bibitur è vino drachma vna. Datur & quadrupedibus percussis. Hæc Plinius: qui habet de primo genere folia candidiora λευκότερα quæ Dioscorides λεπτότερα, ideſt, tenuiora. Eadem descripsit his verbis Dioscorides. Daucum Creticum folia habet fœniculo similia,

Forma. minora & tenuiora, caulem palmi altitudine, vmbellam Coriãdro similem, flores albos, & in his semen acre, album, hirsutum, in mandendo odoratum. Radix est digiti crassitudine palmi longitudine. Nascitur in petrosis & soli expositis locis. Aliud est eius genus siluestri apio simile, acre, aromaticum & odoratũ, gustantiq; feruidum. Præstantissimum est Creticum. Tertium eius genus folia habet coriandro similia, flores albos, caput & semen anetho similia, & in capite vmbellam pa-

Ca. 69 li. 3. stinacæ similẽ, semine oblongo refertã, & acri velut cuminũ. Tria hæc Dauci genera inueniri affirmat Matth. quorũ illud Italis frequentius esse, quod siluestrem

DAVCVS, I. Matthioli.

DAVCVS, II. Matthioli.

pastinacam

paſtinacam æmulatur. Eſt enim in Senenſi agro præſertim in maritimis frequentiſsimum. Creticum autùm legitimum ex Creta tantùm afferri exiſtimat. Id verò quod coriandri foliis prouenit, ſemine cumino ſimili, non ſolum in multis Italiæ, ſed etiam Germaniæ Bohemiæq; locis reperiri. At primum illud Creticum non ſolùm in Creta naſci Pena aſſerit: non modo enim Germanicas Alpes, ſed etiam Genuenſiũ colles, & Geneuenſium circa Iurã rupes hoc Cretico abundare, indeq; Lugdunũ & ad alia emporia hodie venum deferri: eoq; pluris emi etiam Venetiis, quia ad Theriacam & ſimilia antidota efficacius eſt quouis alio congenere Dauco. Eius folia exilia, inter fœniculum & carottam media ſunt, vmbellę candidæ, flores anethi, copioſum ſemen, oblongũ, vt cumini, ſed lanugine albidum, guſtu acre, odorum, & cuius vſus potiſsimum. Vſui etiam radix paſtinaca minor, guſtu feruidiore, & odoratior. Huic quo minùs ſit Creticũ, ſi quid deeſt, ſolum cælúmve erit. Sanè effigie nihil, viribus autem perparũ abeſt. Daucũ ſecundũ Matth. Veneti pharmacopœi ſaxifragiã dicunt illiq; cõſimiles vires frequẽti experimento tribuunt. Nihil tamẽ obſtat quin ſit Daucus alter Dioſc. Foliis enim eſt coriãdri aut petroſelini ſemine in vmbellis oblõgo, anguloſo fœniculi modo. Radix albicat, aroma olet, ſuauiſque guſtanti eſt, ſuperneq; comata eſt Mei modo. Daucus Selinoides ſecundus dicitur Lobellio, Roſmarinũ ſiue Libanotis prima Theophraſti, folio apij paluſtris, Italis *Valdebona*, vulgò & Saxifragia Venetorum. Vſitatior Daucus Officinarum Italiæ, Galliæ, Germaniæ, eſt Paſtinaca ſilueſtris Dioſcoridis, ſiue Carota ſilueſtris vulgi, vt paulò poſt dicemus. Iſtud frequentius Cretici penuria vſurpant, duplumq; nonnulli ſubſtituunt, freti Galeni ſententia, tametſi non parùm facultatibus & effigie à Dioſcoridis Daucis abſit. Dodonæus pro Dauco tertio eandem Carotam ſilueſtrem deſcripſit & depinxit: Alia ab iis Dauci genera ex Dalechampij opinione hîc proponimus. Secundum ſcilicet, hippoſelino ſimile, quod ἄγριον σέλινον dici Dioſcorides auctor eſt. Caule, folio, radice, quamuis qua parte apio ſilueſtri ſimile ſit hoc Dauci genus, Dioſcorides non expreſſerit. Folium tamen in illo profundius inciſum quam in hoc Dauco, cætera pariter carnoſum & craſſum. Gignitur in glareoſo campo quem Drauus irrigat prope Gratianopolim, radice alba, odorata, acri, paleis in ſummo capillata, caule cubitali, nonnunquam altiore

In Ad. ſol. 25

Liba. c. 87.

Lib. 2. cap. de hippoſ.

DAVCVS II. genus, Dalech.

DAVCVS III. genus. Dalechamp.

tiore,anguloſo,folio prope radicem terræ inſtrato,latiore, hippoſelino ſimili, in exilibus ramulis tenuiore,magiſq; diſſecto apij modo, vmbella apij, flore candido,copioſo,ſemine minuto,oblongo,acri,odorato. Tertium Dauci genus in ſaxoſo colle Gratianopoli imminente naſcitur,quem indigenæ *Chalemont*, ideſt, calidum montem vocant,quod apricus & ad meridiem ſitus ſolis radiis aſsiduè tepeſcat, & interdum æſtuet: quamobrem inſignium plantarum feraciſsimus eſt. Huius igitur plantæ radix ex flauo candicat, breuis & exilis, feſtucis in ſummo villoſa. Folia prope radicem coriandro ſimilia,quanto ſunt propiora caulis & ramulorum ſummitati,tanto tenuiora,adeò vt in plantæ vertice ad tenuitatem fœniculaceorum anethinorúmve gracileſcant:quod eſt, κεφαλὴν δὲ ἔχει & χαρπὸν ὅμοιαν τῷ ἀνήθῳ. Caulis apij,flos in vmbella candidus, anetho paſtinacæ ve ſilueſtri ſimilis:nam paſtinacæ ſilueſtris vmbellam cum anetho comparat Dioſcorides, ſemen oblongum,anethini æmulum ſaporis acris,qualis in cumino guſtanti percipitur.

Lib. 3. cap. de paſt.

DAVCVS Pratenſis, Dalech.

His Dalechampius adiungit Daucum pratenſem,qui in montoſis pratis naſcitur, radicibus multis,candidis, rotundis ab ima caulis parte in diuerſa ſpargis,breuibus, dulcibus, odoratis, foliis proximè radicem ſex aut ſeptem,totidem digitos longis,foliolis per ordinem multis,orbiculatim cauliculos totos ambientibus, myriophyllo ſimilibus,mollibus, lætè virentibus, caule medio fœniculi,cubitali,in ramos duos, vel tres diuaricato,foliis paucis veſtito, interdum nudo, vmbella per initia nonnihil rubeſcente,poſtea,alba,amara,ſubacri,odorata.Floret Maio menſe. Semen omnium,inquit Dioſcorides,vim habet excalfaciendi:menſes, fœtus & vrinas potum extrahit,tormina diſcutit, veteres tuſſes mitigat. Auxiliatur à phalangio commorſis potum cum vino.Diſcutit quoque tumores in cataplaſmate impoſitum. Seminis quidam aliorum vſus eſt duntaxat, Cretici verò etiam radicis,quæ maximè aduerſus beſtias venenatas bibitur cum vino. Quod Dioſcorides habet, ἐμμήνων, ἐμβρύων, & ὕρων ἀγωγόν, Plinius reddidit Daucum & menſes & ſecundas potu facillimè pellit, quaſi qui παλίρων legiſſet pro ἐμβρύων. Dauci herbæ ſemen,inquit Galenus,excalfaciendi vehementer facultatem habet,adeò vt inter prima efficax ſit, tum vrinæ mouendæ medicamen,tum menſibus prouocandis. Multum etiam digerere per halitum foris impoſitum poteſt. Ipſa verò herba ſimilem quidem vim obtinet, tamen ſemine infirmiorem,nimirum ob aqueæ humiditatis mixtionem, quamquam vtique & ipſa calida ſit temperie.

Lib.2.c.69. *Vires & Temper.*

Li.26.ca.15. Li.6.ſimpl.

PASTINACA. *CAP. XIIII.*

Nomina GRAECE σταφυλῖνος, Latinè & Italicè Paſtinaca, Arabicè *Iezar, Gezar*, ſeu *Giezar*, Germanicè *Paſteney, & Paſtnachen*. Hiſpanicè *Cauaoria blanqua*, Gallicè *Paſtenade*. Paſtinaca verò à paſcendo dicta videtur, quia ſponte in agris naſcitur,eamq; plebs ſæpiſsimè depaſcitur, quemadmodum etiam σταφυλῖνος, à radicis ſcapo bryoniæ (quæ etiam στάφυλος dicitur) non ita abſimili, appellationem ſortita videtur. Dioſcorides duo Paſtinacæ genera facit

Lib.3. c.52.

facit, ſilueſtrem & ſatiuam.Plinius quatuor. Ex his Paſtinacæ vnũ genus agreſte ſponte prouenit,Staphylinos Græcè dicitur. Alterum ſeritur radice, vel ſemine primo vere vel autumno,vt Hygino placet Februario,Auguſto,Septembri,Octobri,ſolo quàm altiſsimè refoſſo. Annicula vtilis eſſe incipit, bima vtilior, gratior autumno,patiniſq; maximè, & ſic quoque virus illi intractabile eſt. Hibiſcum à Paſtinaca gracilitate diſtat,damnatum in cibis,ſed medicinæ vtile.Eſt & quartum genus in eadem ſimilitudine Paſtinacæ,quam noſtri Gallicam vocant,Græci verò daucum:cuius genera etiam quatuor fecere. Meminit & alibi Paſtinacæ pratenſis. Hanc quidam eandem eſſe cum ea,quam hibiſcum nomine cum althæa communi vocant,alij diuerſam putant. Vt vt res hæc habeat, hæc Paſtinaca à ſilueſtri Dioſcoridis diſtat. Quartum eiuſdem genus Carota noſtra videtur eſſe, Dauci quartũ genus ab eodem proditum,vt diximus. Paſtinaca ſilueſtris, inquit Dioſcorides, folia Gingidij habet,ſed latiora,ſubamara,caulem rectum,aſperum,qui vmbellam gerit Anetho ſimilẽ, in qua flores candidi,& in medio purpureum quiddam exiguum,veluti crocum referens. Radix eſt digiti craſsitudine, palmi longitudine, odorata,quæ cocta eſtur. Satiuam notis nullis Dioſcorides expreſsit, ſed tantùm ad eadem pollere,inefficaciorem tamen eſſe,& cibo aptiorem ſcripſit. Eam tamẽ quæ hîc picta eſt,inquit Pena:quia poſteritatis conſenſu,& multo vſu recepta eſt, vt genuinam agnoſcunt herbarij. Similis eſt Siſaro facie, ſimilior tamen Elaphoboſco,quẽ ſilueſtrem Paſtinacam ſiue Bauciam Officinæ dicunt. Lutei namq; ſunt Bauciæ flores: radix concolor,& eiuſdem ſaporis. Silueſtris ſimilis eſt tota Carotis ſeu Dauco Staphylino cui Paſtinacam ſilueſtrem ſuccedaneã faciunt pharmacopœi,vt paulò ante monuimus. Vmbellæ denſæ & ſatis magnæ ſunt,flores candicant. Ea ſcatent agri & ſata:ſed minor multò ſuperiore eſt:radix eundem guſtum, ſed medicatũ exhibet,minùs tamen cibis expetita. Satiuam ſcribit Matthiolus in Italia frequẽtiſsimè in hortis ſeri: & Ruellium reprehendit, qui Carotas vulgò vocatas, ſatiuas eſſe Paſtinacas crediderit. Erratica in campis & incultis ſua ſponte naſcitur. Vtraq; albicãtibus conſtat radicibus, quæ coctæ manduntur .Satiuam etiã Allobroges & Sequani in hortis colunt,& ſeruatis Latini nominis veſtigiis *Panetz* vocant. Lobellius Paſtinacã ſatiuam hîc poſitã, Paſtinacam domeſticam vulgi appellat, Paſtinacam ſatiuã Dioſcoridis,Daucum Theophraſti, Gallorum *Paſtenades & Carottes iaunes*. Paſtinacam ſilueſtrem Dioſcoridis,Carottam ſilueſtrem vulgi,*Carotte ſauuage*, quæ Daucus eſt officinarum,cuius iconem hic videtis. Satiuæ vero Paſtinacæ Dioſcoridis,ſiue Carottæ luteæ ſiue Dauci lutei edulis iconem habetis, cap.de Carottis, apud Matthiolum,ca.de Siſaro nomine Siſoris ſecundi. Paſtinacę ſilueſtris ſemen potum & impoſitum menſes mouet auctore Dioſcor. Conuenit etiam in potu vrinæ difficultate laborãtibus,hydropicis,pleuriticis, & à venenatis beſtiis ictis morſis've. Eos verò qui id præſumpſerunt negant ab illis iniuria vlla affici: conceptus adiuuat.Radix vrinas ciet,venerem ſtimulat, partus appoſita eiicit. Folia trita

Genera. Lib.19. c.5

Lib.22 c.15

Cap.de Dau. l.b.3. c.52

Forma.

Ad.fol.516.

PASTINACA Satiua vulgi, Matthioli.

Cap.52.li.3.

Vires & Temper.

Lib.20. c.5.

PASTINACA Siluestris, Matthioli.

trita cum melle imposita phagedænica vlcera purgãt. Plinius vtriusque Pastinacæ vires multò fusius persequitur his verbis. Alterum est genus staphylinos, quod Pastinacam erraticam vocant. Eius semẽ contritum & in vino potũ, tumentem aluum & suffocationes mulierum dolores q; lenit, in tantum vt vuluas corrigat, illitum quoque è passo ventri earum prosit: viris verò prodest cum panis portione æqua tritum, ex vino potum contra ventris dolores. Pellit & vrinam, & phagedænas vlcerum sistit recens cum melle impositũ, vel aridũ farina insperſa. Radicem eius Dieuches cõtra iocinoris ac lienis, ilium, lumborum & renum vitia ex aqua mulsa dari iubet. Cleophantus & dysentericis veteribus. Philistio in lacte coquit, & ad stranguriam dat radicis vncias quatuor: ex aqua hydropicis, similiter & opisthotonicis, & pleuriticis & comitialibus. Habentes eam feriri à serpentibus negantur: aut qui ante gustauerint nõ lædi. Percussis imponitur cum axungia. Folia contra cruditates manduntur. Orpheus amatorium inesse staphylino dixit, fortasis quoniam venerem stimulari hoc cibo certum est: ideò cõceptus adiuuare aliqui prodiderunt. Ad reliqua & satiua pollet: efficacior tamẽ siluestris, magisq; in petrosis nata. Semen satiuæ quoque cõtra scorpionum ictus, ex vino aut posca salutare est. Radice eius circũscalpti dentes dolore liberantur. Hæc Plinius. Staphylinus satiuus imbecillior, inquit Galenus, agrestis ad omnia potentior est. Vrinas menses q; prouocat: cum herba quidem tota tum maximè semen ac radix. Habet porrò etiã absterſorium in se quidpiam: quamobrem vlcerum phagedænica quidam foliis eius cum melle, quo pura reddant, illinunt.

Li.8. simpl.

ELAPHOBOSCVM. CAP. XV.

ΕΛΑΦΟΒΟΣΚΟΝ Græcè, sic Latinè Elaphoboscũ, & Cerui ocellus dicitur, significat autem Elaphoboscum cerui pabulũ, quod hanc plantam Ceruæ monstrarint auctore Plinio. Est autem caulis, vt tradit Dioscorides, Libanotidi aut fœniculo similis, angulosis foliis latitudinis duorum digitorum, satis longis velut terebinthi, circumfractis quodammodo asperis. Habet & adnata multa ipse caulis, vmbellas anetho similes, flores subluteos, semen anetho simile. Radix est longitudine trium digitorum, vnius crassitudine, alba, dulcis, edulis. Sed & caulis olerum modo editur dum recens est. Idem sic describit Plinius. Elaphoboscum ferulaceum est, geniculatũ, digiti crassitudine, semine corymbis depẽdentibus simili effigie, sed non amaris, foliis olusatri: & hoc laudatum in cibis. De hoc veterum Elaphoboſco dubitant Herbarij. Pharmacopœi, id quod etiã Pena tradit, duas Pastinacæ sſlueſtris ſpecies ſtatuunt. Vnam Dioſcoridis, cuius ſuperiore capite meminimus, alteram Arabum, quam Bauciam vocant, quęque ſupradictæ diſsimilis eſt, quia foliis, facie, floribus, & caule ſimillima eſt domeſticæ, niſi quod radice eſt minore, guſtu tamẽ magis vegeto, & medicato, paucioribuſq; foliis. Hanc ſi attentiùs expendas, inquit Pena, & cum

Lib.3. c.66.

Li.22. c.22.

Elaphobo

ELAPHOBOSCVM,
Dodon. seu Baucia.

ELAPHOBOSCVM,
Matthioli

Elaphoboſco Dioſcoridis conſeras, nihil prorſum erit quod requiras. Eandem Elaphoboſci nomine pinxit Dodonæus. Sunt qui Paſtinacam pratẽſem Plinij eſſe velint, quam etiam Hibiſcum Paſtinacam appellat, & μαλαχὴν ἀγελαίαν. Lugdunenſes ruſtici hodie vocant, *Panetz ſauuage*, ideſt, Paſtinacam ſilueſtrem, & eius radice veſcuntur vt hortenſis. Matthiolus ſcribit herbam quãdam ſe vidiſſe tum in Tridentino, tum in Goritienſi agro, cuius picturam hic damus, quæ ita notis omnibus Elaphoboſco reſpondeat, vt aut legitimum Elaphoboſcum, aut plãtam illi ſimilem eſſe credat. Cuius deſcriptio ab eo prætermiſſa hæc eſt. Gignitur in aſperis locis, duorum cubitorum altitudine, radice craſſa, odorata, foliis Angelicę, in ſingulis pediculis ferè quinis aut ſeptenis, venoſis, craſsiuſculis, toto ambitu diuiſis: flore in caulis vertice ex luteo palleſcente, in vmbellis multis, diſpari altitudine euectis, his procerioribus, illis ſummiſsioribus, vno tamen ex loco, nempe caulis faſtigio ſeſe attollentibus, eleganti quadam figura, quæ in aliis vmbelliferis non conſpicitur. Incidendi, attenuandi, detergendi, obſtructiones aperiendi facultatem ineſſe ſapor odórque demonſtrant. Tradunt ceruas, inquit Dioſcorides, Elaphoboſci herbæ pabulo reſiſtere ſerpentium morſibus. Vnde & ſemen eius morſis à ſerpentibus datur cum vino bibendum. Plura tradit Plinius. Quippe etiam conditum prorogatur, ad vrinam ciendam, lateris dolores ſedandos, rupta, conuulſa ſanãda, inflationes diſcutiendas, coli quoque tormenta. Cõtra ſerpentiũ omniumq; aculeatorũ ictus. Quippe fama eſt hoc pabulo ceruas reſiſtere ſerpentibus. Fiſtulas quoque radix nitro addito illita ſanat. Siccãda autẽ in eos vſus prius eſt, ne ſucco ſuo madeat, qui contra ſerpentium ictus non facit eam deteriorem.

Lib. 5. c. 39. Lib. 21. c. 15. Lib. 19. c. 5. Li. 20. ca. 4. Ca. 66. li. 3. Li. & c. 22.

CAROTAE. CAP. XVI.

PASTINACAM ſatiuam duplicem ſtatuit Lobellius. Priorem, Paſtinacam ſatiuam Dioſcoridis. Carottam noſtram luteam. Alteram Paſtinacam ſatiuam ex atro rubentme, quam alij *Carottes* ſimpliciter. alij *Paſtenades, & Carottes rouges* appellant, à colore radicis ex atro ru-

Nomina

bescente, atrioréque eius succo. De priore paulò ante diximus, nunc de altera. Carotis nomenclatura indita fuisse videtur, inquit Pena, ab illa quam cum Carui similitudine & cognatione sortitæ fuerunt. Mediæ videntur inter Daucum & Pastinacas naturæ, vtrique congeneres, neutræ tamen dici possunt: quam naturam

CAROTA Vulgaris.

CAROTA, Matth. altera.

nullus significantiùs expressit quã Galenus, qui Carotam Daucum Staphylinum appellauit peritiorum herbariorum sententia. Item hæc quæ Carotis cum Daucis intercedit similitudo, fecit vt Theophrastus Carotam Daucũ nigrũ appellauerit. Ideſt, & Daucum in Patrensi agro prestantius: huic vis excalfaciendi, radix nigra. Carota folia fert nigricantia, dissecta, cerefolij foliis proxima, sed magis fusca, maiora, & minutiùs incisa, cauliculos rotundos, parum hirsutos, cauos, in quibus vmbellæ magnæ flores candidos ferunt, deinde semen hirsutum, Anisi specie haud dissimile, radix crassa, longa huic flaua, illi rubra, tam internè quã externè, admirandæ interdum tum crassitudinis, tum longitudinis. In hortis seritur. Iulio mense floret, Augusto semen fert. Radices frixas vel elixas vulgus esitat satis magno gulæ irritamento, oleo, sale, & aceto additis.

Li. 6. simpl.

Lib. 9. hist. ca. 15. Καὶ λαχανον περὶ τὴν πατρικὴν διαφέρον. τοῦτο ὁ θερμαντικὸν φύσει. ῥίζαν ὁ ἔχει μέλαιναν.

SISARVM. CAP. XVII.

Nomina

Genera

GRAECE Σίσαρον, Latinè etiam Sisarum & Siser dicitur, nonnullis Seruillũ, Seruilla, vel Cheruilla, Gallis *Cheruy*, Germanis *Gerlin, & Gurlin*. Plinius duo facit Sisari genera, satiuum & silueſtre, quod Dioscorides omisit. Huius historiam veterum nullus, quod sciam, literis mãdauit, quia vulgaris esset cognitionis, eáque causa fuit cur id quod illis fuerit notissimũ, nobis hodie sit ignotum, nisi ex vestigiis appellationis & similitudine Sionis aut laueris, & radicum coniectura, inquit Pena: ideò quod vulgò frequens Narbonẽsi agro (nõ perinde in Italia, aut alibi) vescẽdi causa alitur, legitimũ putatur. Sapor illi quam domesticæ Pastinacæ gratior, cui facie similis est, aut laueri, sed in radicibus maius discrimen: sunt enim ex vna quasi radicis basi pendulæ, bulbosæ, œnanthes

In Ad. fol. 317.

Forma.

asphode

SISARVM Maius, Matth.

asphodelíve modo,quæ quia sunt edules, non sine ratione docti quidam ambigunt, sintne illæ quas stultis Hesiodus exprobrat, scribens nescire eos quanta,in Malua & Asphodelo sit vtilitas. Nam Dioscoridis Asphodelus nō homini,sed pecori potius aut sui in alimentū cedat. Matthiolus multis rationibus adductus plantam eandem hîc pictā Sisarum esse censet. Primùm,inquit,quod Sisarū apud veteres plāta sit Pastinacæ congener. Plinius enim post Pastinacam mox de Sisere tanquam cōgenere tractauit,quemadmodum & hoc nostrū Pastinacæ domesticæ cōgener videtur esse. Deinde quod eius radix,vt Plinius ait, neruum seu matricem intus habeat, quæ eximitur cum cocta fuerit.Præterea quod seratur frequētius, auulsis à radice agnatis,vt Inula,Liliū,Arum,quàm semine, quod semine satum nō nisi tertio anno esui idoneum proueniat,radice verò quotānis. Id quod feciſſe veteres de Siseris satione testātur Marcellus & Ruellius:quod innuit Columella sic scribens.Pastinaca & Siser,atque Inula conualescunt altè pastinato & stercorato loco,sed quàm rarissimè ponēda sunt, vt maiora capiant incrementa. Quæ si diligentiùs expēdantur,radice seri Siser,nō semine facilè constabit:quinetiam quod numerosa sit radice Asphodeli modo, rarissimè idem poni oportere,vt latiùs radices fundantur,& incrementum capiant. Nam quò crassiores,eo gustui suauiores. Ad hæc scribit Dioscor.decoctam Sisari radicem,& ori gratā esse,& stomacho vtilem,quod in huius plantæ radicibus perspicuè deprehēditur,cū priùs elixæ,deinde butyro in patellis farina circūlitæ friguntur. Vnicus supereſt scrupulus,quod in nostrate Sisaro nulla percipiatur amaritudo,cū tamen Galeno & Plinio auctoribus,Sisarum amarore non vacet. Verū id à sententia nos abducere non debet,quod certum sit regiones sæpe plantis immutare saporem.Siquidem Cepa,quāquam sui natura acris admodum sit,tamē in Caietano agro vbi omniū maxima prouenit,nulla acrimonia prędita est, id quod multis locis in Raphano videmus,& in Aro,vt Galen.inquit,quod in Cyrenaico agro nascitur. Sisari radix cocta,inquit Dioscorides,ori grata est,& stomacho vtilis:vrinam ciet,& appetentiā excitat. Plinius, inter medica dicendū Siser:& ipsum Tiberius princeps nobilitauit,flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur castellum Rheno impositum,vbi generositas præcipua. Ex quo apparet frigidis locis conuenire.Ineſt longitudine neruus,qui decoctis extrahitur amaritudinis tamen magna parte relicta,quæ mulso in cibis temperata, etiam in gratiā vertitur. Et de siluestri fusiùs. Siser erraticum satiuo simile est: & effectu stomachum excitat,fastidium absterget:ex aceto laserpitiato sumptum, aut ex pipere & mulso,vel ex garo,vrinā ciet,vt Opion credit,& venerē.In eadem sententia est & Diocles.Præterea cordi conuenire cōualescentiū,& post multas vomitiones perquā vtile.Heraclides cōtra argentū viuū dedit, & veneri subinde offensanti, (aliàs offensæ,ideſt,langueſcēti)ægrisq; se recolligentibus. Hicesius ideo stomacho vtile videri dixit, quoniā nemo tres Siseres edendo continuaret:esse tamen vtile cōualescentibus ad vinū trāseuntibus, Satiui priuatim succus cum lacte caprino potus, sistit aluū.Hæc Plinius. Galenus hæc de eodem.Sisari radix cocta stomacho grata

Ibidem.

Ca.107.li.2

Lib.20.c.5.

Lib.2.c.48.

Lib.11.ca.3.

Li.1. c.107.

Vives.

Lib.19. c.5.

Lib.20. c.5.

Li.8.simpl.

est, & vrinam mouet, secundo ordine excalfaciens, adiectam habens amaritudinem quandam cum leuicula adstrictione.

SISER PALVSTRE. CAP. XVIII.

Nomen. Forma.

HIs subiungenda plāta quam herbarij Siser paluſtre vocant. Ea in cœno pigrarum aquarum nascitur, radicibus multis, breuibus, subnigris, carnosis: foliis propè radicem multis, in terra stratis, apio similibus, latioribus, crassiusculis, in caule paucis, tenuibus, ferè capillaceis, qualia in apij hortensis iam adulti summo vertice conspiciuntur: caule pedali: flore in vmbella candido, semine odorato.

ANGELICA. CAP. XIX

Nomina

RECENTIORES omnes vno ore plantam hanc Angelicam, Sancti spiritus radicem, à diuinis & immēsis aduersus grauissimos morbos & venena facultatibus, & à suauissimo radicis odore appellant, Galli *Angelique*, Germani *Angelick*, & *Deshedigengeysts wurtz*, siue *Brustwurts*. Vix autem credi par est, inquit Pena nostrates Angelicas indicis deliciis aut pręsidiis neutiquam posthabendas, antiquitati notas fuisse, nisi sint apud auctores veterinarios Gallorum laserpitia memorata: nec enim siluissent illi tam diuinam fragrantiæ gratiam, & vicarias diuinę beneficentiæ vires, siue Angelicas nostratis Angelicæ. Duo eius genera statuunt Fuchsius & Dodonæus, vnam satiuam, alterā agrestem. Matthiolus plura. Alia satiua est, inquit, alia domestica, alia siluestris, alia in aquosis proueniens. Pena triplicem facit. Satiuæ & procerioris folia sunt lata, hipposelini smyrniive æmula, per ambitum serrata, ex viridi in pallidum langueſcentia, mollia: caulis binûm ternûmve cubitorum, striatus, cauus, pallescēs, ferulaceus, vmbellæ fœniculi, aut pastinacæ satiuæ, lutei flores, semina foliacea, rotūda, compressa & albida, acris gustus, & odoris eximij, radix crassa, & aliquantum supernè tuberosa, multis appendicibus humi mersa, intus candicat, foris pulla, odore perquàm suaui, aromatico, pinguem, gummosum, flauumq; succum remittens. Scribit Pena: Nonnullis in hortis Londini Antuerpiæq; conspici aliam, quæ tota minor est, cuius suauiorem odorem radix spirat, prope quam folia ima ex purpura rubescunt, superna autem ex rubore viresc unt, vmbellæ, cæteraq; semina similia. Celsos vtraq; montes, gelidaq; amat iuga, veluti Imperatoria, cum qua in hortis colitur in Anglia, Belgio,

In Ad. fol. iii.

Genera Ca. 43. hist. Li. 2. ca 93. Cam. li 4.

ANGELICA Satiua Matthioli.

Forma.

Locus.

ANGELICA Siluest. Fuchs.

ANGELICA Siluest. Dodon.

Belgio, Gallia. Angelica siluestris satiuæ similis est, nisi minora folia haberet, acriora, pauciora, minus incisa, caulem graciliorem & breuiorem, vmbellæ magis albicant, radix pluribus fibris, odoréq; cæteris multò minore est, gustu tamen non ingrato, & ferè Pastinacæ. Rarius hortis, sed sæpius vliginosis & pratensibus locis frigidis gaudet. Iulio & Augusto mẽsibus floret. Quidã Phellandryon esse putant à Plinio memoratũ, cap. 12. 27. In palustribus nascens. Apij folio, cuius semẽ bibitur propter calculos, & vesicæ vitia. De alio Phellandryo dicemus in lib. de palustribus. Excalfacit & deficcat ordine secundo completo, aut tertio incipiente. Aperit, extenuat, discutit. Vnicè venenis aduersatur. Pestilentiæ populatim sæuientis arcet contagia. Corpora à lue pestifera vindicat, si tantum, vt affirmant, in ore teneatur. Per hyemem ciceris magnitudine cum vino, per æstatem ex stillatitio rosarum liquore sumpsisse satis est: Nec sensurum eo die contagionem pollicentur quo quis deuorarit: nam vrina & sudore venenum abigit. Lentitiam pituitæ digerit: quapropter tussi quam frigus excitarit, medetur. Crassa quæ in thorace coierint, discutit. Herba ipsa in aqua & vino cocta, vulnera interna glutinat, concretum sanguinem resoluit, stomachum esu corroborat, cor recreat, pituitam ventriculi deiicit, fastidia ciborum discutit, & langueſcentem inuitat appetentiam. Rabiosi canis morsu, aut serpentis ictu liberat, si contrita cum ruta

Tempus.
Temper.
Vires.

ANGELICA Siluestris, Matthioli.

& melle folia indantur,deinde cocta in vino bibantur. Libidinem extinguit ore ieiuno ſumpta.Laſsitudines reficit,thoracem expurgat. Supra febricitantis caput impoſita fertur ad ſe feruorem elicere. Valere contra faſcinationes affirmant, ſi quis eam ſecum geſtarit. Radix in puluerem trita animi deliquiis,& cæteris cordis affectibus ſummopere opitulatur. Datur radicis ſemidrachma vna cum theriacæ drachma ex ſtillatitia ipſiuſmet aqua iis qui peſte laborant,deinde ſudare coguntur,idemq; repetitur eodem modo poſt ſeptem horas. Manſa radix & dentium cauis impoſita,eorum dolorem ſedat,anhelitum adeò commendat,vt præſumpti allij odorem occultare facilè poſsit. Silueſtri in Anglia libenter vtuntur, inquit Ad. fol.311. Petr.Pen.quia aptior eduliis condiendis: corrigit enim prouentum ſaburrámque craſſorum & viſcidorum humorum,atque fœtidum halitum emendat tetri ſpiritus ex praua concoctione manantis, copioſior etiam & gratior eſt. Eſt & alia quædã Angelicæ Aquaticæ ſpecies Matthioli & Geſneri, quam Archangelicam Dodonæus appellat,cuius hæc eſt deſcriptio. Hæc, inquit,

ARCHANGELICA, Dod.

Lib.5. c.25.

Forma.

Eſt foliorum amplitudine,ſatiua haud inferior, ſed tamen ſingularium frequẽtia numeroſior: in plurima enim folia, huius diducũtur. Caulis craſſus, quãdoq; vnà cũ foliorum pediculis rubens,geniculatus quoque,valdè ramoſus è ſingulis ſiquidem articulis tres aut quatuor alas promit, multis idcirco vndequaque vmbellis cingitur,quorũ flores candicant:ſemen latum, longius & craſsius quàm Angelicæ. Alta radix & albida,exigui odoris,maioris tamen, quã folia vel caulis, quæ nullius aut admodũ obſcuri.

Vires.

At Angelicæ,& quidẽ maioris radix , cuius eſt vſus,excalfaciens ac reſiccans eſt ordine ſecũdo intẽſo,aut tertio incipiẽte.Proinde aperit,extenuat digerit,& ſudores mouet:venenis reſiſtit: peſtilẽtes morbos curat ſi tẽpeſtiuè exhibeatur. Datur autẽ puluerís eius drachma cum vino tenui:aut ſi febris vehementior,cũ Cardui Benedicti,aut Tormentillæ ſtillatitia aqua & exiguo aceti,& per ſe quidẽ,aut addita Theriace ex viperis,à cõtagio deinde horũ & præſeruat,in ore detenta,aut cõmanſa ſolùm. Lentos crudoſq; humores eadẽ ad concoctionẽ perducit:craſſorũ,quæ pulmonibus thoraciq; inhęrent expurgationẽ facilẽ procurat:hepar & lienẽ aperit:Virginũ remorãtes mẽſes euocat: ſecundas expellit:aduerſus rigores febriũ huius decoctũ ex vino prodeſt. Valere etiam cõtra faſcinationes radicem affirmant , ſi quis eam ſecum geſtarit, vt Fuchſius ait.

IMPERATORIA. CAP. XX.

Nomen.

Forma.

BRaras & præſtantes facultates Auguſto nomine Imperatoriæ planta hæc donata fuit.Dicta eſt etiam Oſtrutium & Aſtrantiã,Laſerpitiũ à Fuchſio, Smyrniũ à Trago, eſt affinior facie ſatiuæ angelicæ quàm ſilueſtri.Folia tamen propius ſphondylium aut hippoſelinum æmulantur,vt plurimùm terna,ſtatim ab humo cauliculis ſubnecta, robuſta , hirſuta, aſpera.Caulis ſeſquicubitalis,aut bicubitalis eſt, purpuraſcens, rotundus, nodoſus, hirſutuſq;,in cuius cacumine vmbellæ floribus candidis ornãtur, ex quibus ſemen prodit angelicæ ſilueſtris,vel anethi,odoratum. Radix digitum æquat,craſſa , rugoſa,lignoſa,multis fibris in terrã ſparſa,foris fuſca,intus albicans , ſiue ſubuiridis,

multò

IMPERATORIA, Matthioli.

multò vehemẽtioris & acrioris facultatis & odoris quàm angelicæ. Iisdem gaudet natalibus. In Ananiensibus montibus supra Tridentum frequentissima Matthiolo auctore. Tradunt recentiores Imperatoriæ radicem excalfacere tertio excessu completo, vel quarto incipiente, siccare verò secundo. Discutit hæc mirificè tum ventriculi, tum intestinorũ, tum etiam vteri flatus, quapropter coli cruciatibus, & ventris torminibus maximè vtilis est. Cit menses & vrinam, fouentur vtiliter eius decocto dentes, præsertim si in vino austero radix decoquatur. Eadem ex vino pota vteri strangulationibus prodest, conceptum adiuuat quem frigiditas intercipit, concoctionem roborat. Commansa est præstantissimus apophlegmatismus, vt quæ efficaciter cerebri pituitam expurget. In pulueren trita & è vino pota, frigidis succurrit morbis. Quare resolutis, comitialibus, conuulsis auxilio est. Aiunt nonnulli quartana eos sanari, qui pulueris cochlearij dimidium hora vna ante accessionem ex mero biberint. Oris habitum commendat, & omnes roborat sensus. Epidemiis morbis, venenis fermè omnibus, ac venenatorum animalium tum morsibus tum ictibus opem præstat. Asthmaticas iuuat, obstructiones aperit, aqua intercute laborantes & lienosos sanat. Denique excalfacit vniuersas corporis partes quas frigus occuparit. Ex quibus perspicuum est herbam istam tot tantisque viribus præditam non immeritò Imperatoriæ nomen sibi adsciuisse.

Locus.

In ca p. 65. lib. 3. *Temper. & Vires.*

LASERPITIVM. CAP. XXI.

VOD Græcis Σίλφιον, Latinis Laserpitum nominatur, Mauritanis *Silfion*, caulis eius Dioscoridi μάσπετον, Oribasio μαστίηρον, Latinè similiter maspetum & mastierum, Arabibus *Mastastes*, Theophrasto & Plinio non caulis, sed folium maspetum. Quare quidam, inquit Dioscor. caulem σίλφιον, radicem μαγύδαριν, folia μάσπετα vocauerunt. Succus ex silphio laser appellatur teste Plinio, ex caule χαυλίας Theophrasto, ex radice ῥιζίας, hunc radicarium, illum scaparium conuertit Gaza. Breuis extat silphij apud Dioscoridem descriptio his verbis. Laserpitium in Syria, Armenia, Media, & Libya nascitur, caule ferulaceo quod maspetum vocant: foliis apio similibus, lato semine. Theophrastus multò fusiùs id descripsit. τὸ δὲ σίλφιον, inquit, ἔχει ῥίζαν μὲν πολλὴν καὶ παχεῖαν, τὸν δὲ χαυλὸν ἡλίκον νάρθηξ, σχεδὸν δὲ τῷ παχεῖ παραπλήσιον. τὸ δὲ φύλλον ὁ καλοῦσι μάσπετον ὅμοιον τῷ σελίνῳ. σπέρμα δὲ ἔχει πλατύ, φυλλῶδες, ὅιον τὸ λεγόμενον φύλλον. ἐπετειόχαυλον δὲ ἔστιν ὥσπερ ὁ νάρθηξ. ἅμα μὲν σὺν τῷ ἦρι τὸ μάσπετον τοῦτο ἀφίησιν. ὁ καθαίρει τὰ πρόβατα, καὶ παχύνει σφόδρα, καὶ τὰ κρεὰ θαυμαστὰ ποιεῖ τῇ ἡδονῇ. μετὰ δὲ ταῦτα χαυλὸν ἐσθίεται πάντα τρόπον (adde ἀγαθὸν ex Gaza, vt & constet sensus) ἐφθὸν, ὀπτὸν. χαταίρειν δὲ καὶ τοῦτο φασὶ τὰ σώματα τεσσαράκοντα ἡμέρας. ὀπὸν δὲ διττὸν ἔχει, τὸν μὲν ἀπὸ τοῦ χαυλοῦ, τὸν δὲ ἀπὸ τῆς ῥίζης. διὸ καλοῦσιν τὸν μὲν χαυλίαν, τὸν δὲ ῥιζίαν. ἡ δὲ ῥίζα τὸν φλοιὸν ἔχει μέλανα, καὶ τοῦλον πεφυκυῖαν. ἔστι δὲ ὥσπερ μέγα τῶν ῥιζοτομιῶν αὐτῆς, ἐξ ὧν ὁ πόσον ἂν δοκῇ συμφέρειν ταμιευόμενοι πρὸς τὰς νομὰς, καὶ τὸ ὑπάρχον τέμνουσιν. οὐκ ἔστι γὰρ

Nomina

Lib. 3. c. 78. *Forma.*

Lib. 6. hist. cap. 3.

οὔτε παρατέμνειν, ἤτε πλεῖον τῶν τεταγμένων. καὶ γὰρ διαφθείρεται & σήπεται τὸ ἀργὸν ἐὰν χρονίζῃ. Καὶ ἐργάζονται ὁ ἀγωνίες εἰς τὸν πειραιᾶ τὸν δὲ τὸν τρόπον. ὅταν βάλλωσιν εἰς ἀγγεῖα, καὶ ἄλμυρα μίξωσιν, σείουσιν χρόνον συχνόν, ὅθεν καὶ τὸ χρῶμα λαμβάνει, & ἐργασθὲν ἄσηπτον διαμένει. τὰ μὲν οὖν κατὰ τὴν ἐργασίαν καὶ τομὴν ὕστως ἔχει. τόπον δὲ πολὺν ἐπέχει τῆς Λιβύης. πλεῖα γάρ φησιν ἡ τετρακισχιλίας (lege πλείω γάρ φασιν ἢ τετρακισχίλια σταδία, sic

Lib.19.c.3. enim Plinius) τὰ πλεῖστα ὁ γενέσθαι περὶ τὴν σύρτιν, ἀπὸ τῶν ἐυεσπερίδων (lege περὶ τὴν σύρτιν, καὶ κίτιον τῶν ἑσπερίδων. sic enim legitur in manuscriptis exemplaribus, & ita

Ibid. legendum suadet Plinius) ἴδιον ὁ τὸ φεύγειν γὴν ἐργαζομένην. καὶ δὲ συνεργαζομένης, καὶ αὐτὸ συνημερουμένης ἐξαναχωρεῖν, δεομένου ὡς ὁ δηλονότι θεραπείας, ἀλλ' ὄλος ἀργόν. φασὶ ὁ οἱ Κυρωναῖοι φανῆναι τὸ Σιλφιον ἔτεσι πρότερον ἢ αὐτοὶ τὴν πόλιν ᾤκησαν, ἑπτὰ. οἰκῆσαι δὲ μάλιστα περὶ διακόσια εἰς Σιμωνίδην ἄρχοντα Αθήνησιν. οἱ μὲν οὖν τοῦτο λέγουσιν. οἱ δὲ τοῦ Σιλφίου τὴν ῥίζαν φασὶ γενέσθαι πηχυαῖαν, ἢ μικρῷ μείζονα. ταύτην ὁ ἔχειν ἐπὶ τοῦ μέσου κεφαλὴν, ὁ & μετεωρότατόν ἐστι, καὶ χεδὸν ὑπὲρ γῆς. ἐξ ἧς δὴ τμηθείσης ῥεῖν γάλα: μετὰ ταῦτα δὲ ἐκφύεσθαι τὸν καυλὸν, καλεῖσθαι ὁ τοῦτον Μαγύδαριν, καὶ τὸ καλούμενον φύλλον. τέλος ὁ εἶναι σπέρμα. & ὅταν νότος λαμπρὸς πνεύσῃ μετὰ κύνα διαῤῥιπίσας ἐξ ὧν φύεσθαι τὸ Σιλφιον. (Quæ, cùm ex iis quæ in vulgatis codicibus leguntur sensus idoneus vix elici possit, ex Plinio sic videntur emendanda. ἐξ ἧς δὴ τμηθείσης ῥεῖν ὀπὸν ὡς γάλα. μετὰ ταῦτα δὲ φύεσθαι τὸν καυλὸν, καλεῖσθαι δὲ μαγύδαριν. ἐκ ὁ τούτου τὸ καλούμενον φύλλον χρυσοειδὲς. τέλος ὁ εἶναι σπέρμα. καὶ ὅταν νότος λαμπρὸς πνεύσῃ μετὰ κύνα, διαῤῥιπτεσθαι, ἐξ ὧν φύεσθαι τὸ Σιλφιον) τῷ αὐλῷ δὲ ἔτει, τὴν ὁ ῥίζαν γίνεσθαι, καὶ τὸν καυλον. ὐδὲν ὁ τούτου ἴδιον. & γὰρ τῶν ἄλλων. εἰ μὴ τοῦτο λέγουσιν, ὅτι εὐθὺς φύεται μετὰ τὴν ἔκνεψιν, καὶ τέλος ἴδιον, καὶ διαφέρον τοῖς πρόσθεν. ἔτι (Sic enim legendum non ὅτι) φασὶ δεῖν ὀρύττειν ἐπέτειον. ἐὰν ὁ ἐαθῇ, φύσῃ πᾶν τὸ σπέρμα, καὶ τὸν καυλὸν. χείρω δὲ γίνεσθαι καὶ ταῦτα, & τὴν ῥίζαν. ὀρυττομένας ὁ βελτίους γίνεσθαι διὰ τὸ μεζαβάλλεσθαι τὴν γῆν. ἐναντίον ὁ τέλος, τῷ φεύγειν τὴν ἐργάσιμον ἔσθιεσθαι καὶ τὰς ῥίζας προσφάτους, καλεμνομένας εἰς ὄξος. τὸ ὁ φύλλον τῇ χροιᾷ χρυσοειδὲς εἶναι. ἐναντίον ὁ καὶ τὸ καθαίρεσθαι τὰ πρόβατα τὸ φύλλον ἐσθίοντα. φασὶ γὰρ καὶ τοῦ ἥρος & τοῦ χειμῶνος εἰς ὄρος ἀφιέναι. νέμεσθαι δὲ & τέλος ὁ καὶ ἕτερον ὅμοιον ἀδροδόνῳ. θερμαντικῷ ὁ ἄμφω δοκεῖ εἶναι: & χάθαρσιν μὲν οὐ ποιεῖν, ἀναξηραίνειν ὁ, καὶ συμπέπλειν. ἐὰν δέ τι νοσῶν, ἢ κακῶς ἔχον εἰσέλθῃ πρόβατον, ὑγιάζεσθαι ταχέως, ἢ ἀποθνίσκειν, ὡς ὁ ἐπὶ πολὺ σώζεσθαι μᾶλλον. ταῦτα μὲν οὖν ὁ πότερον ἔχει σκεπτέον. ἢ ὁ καλουμένη Μαγύδαρις ἕτερόν ἐστι τοῦ Σιλφίου (γένος deest, quod ostendunt Dioscorides & Plinius) μανότερον ὁ καὶ ἧττον δριμύ, & τὸν ὀπὸν οὐκ ἔχει. διάδηλος ὁ ἔστι καὶ τῇ ὄψει καὶ τοῖς ἐμπείροις (sic enim legendum, nō ἐμπύροις) γίνεται ὁ περὶ ἐυεμὰς, καὶ οὐκ ἐν Κυρώνῃ. φασὶ ὁ καὶ ἐν τῷ Παρνασσῷ ὄρει πολὺν. ἔνιοι δὲ Σιλφιον τέλος καλοῦσιν. εἰ δὲ φεύγει τὴν ἐργάσιμον, ὥσπερ τὸ Σιλφιον, σκεπτέον. ὡσαύτως ὁ καὶ εἴ τι ὅμοιον ἢ παραπλήσιον ἔχει φύλλα δὲ περὶ, & καυλὸν, καὶ εἰ ὅλως ἀφίησί τι δάκρυον. Quæ Gaza sic interpretatus est. De Laserpitio nunc iudicandum est. Laserpitio radix multa crassaq;, caulis quantus ferulæ, & crassitudine ferè proximus, folium quod Maspetum vocant, apio simile est, semen latum, foliaceum scilicet quod folium appellatur, caulis annuus sicut ferulæ. Ergo vere ineunte maspetum hoc exit, & pecus eo purgatur, pinguescitq; vehementer, & carnes mirabilem in modum suaues redduntur. Post hæc caulem edit hominum cibo idoneum omnibus modis elixum, assúmque corpora eo quoque purgari ferunt quadraginta diebus. Succus capitur duplex, alter ex caule, alter ex radice, qua de causa alterum scapariũ, alterum radicarium vocant. Radix nigro cortice tegitur, quem detrahere solent. Sunt veluti certæ mensuræ cædendæ radicis, quibus quantum conferre putetur ad futuram cæsuram reseruantes, reliquum abscindunt. Nec enim deuie (alio pacto, fortè melius) neque plus constituto ordine cædere licet: corrumpitur enim putrescítque si diu mansit. (si inexercitatum aut iners diu mansit, ex Græco) Præparant id conficiúntque in Pyræum portum aduectum hoc modo. Cum in vasa coniecerint, farinámque admiscuerint, quatiunt crebrò & diu hinc etiam colorem capesit, & conditum iam

incor

incorruptum perdurat. Præparatio cæsuráque ita se habet. Locum Africæ amplum occupat,amplíorem quàm quatuor stadiorum millia. In hortis hesperidum ferunt eius magnam partem colligi, sed maiorem apud Syrtes. Peculiare huius culta fugere loca proditur,quamobrem si colatur, miteſcátque solum, deuiat (in deserta fugit, rectius ex Plinio) atque omnino degenerat, vtpote natura culturæ aspernans, ferocitatisque constans vernaculum (ferum ac contumax vertit Plinius)Cyrenenses annis septem prius quàm ipsi vrbem habitarent,laserpitium extitisse affirmant, habitant verò annos maximè trecentos vsq; ad Simonidæ Athenis magistratum. Illi sic referunt. Alij radicem laserpitij cubitalem esse tradunt, aut paulò maiorem. Hanc in medio extuberare in caput, quod sublime penitus extat,vt ferè supra terram esse appareat. Vnde (ἐξ ἧς sub. κεφαλῆς, id est, ex quo capite) primùm quod lac appellant erumpit, dein caulis assurgit, Magydarin vocant,ex quo nascitur id quod folium nuncupant, folium id semen est, quod cum auster ingenuè (λαμπρὸς, vehemens melius) post caniculam flauerit, disicitur, atque ita laserpitium nascitur, eodémque anno radix consummatur & caulis. Sed hoc haudquicquam peculiare notatur,nâm aliis quoq; idem tribuitur, ni dixeris, quod disiectum id protinus nasci potest,ortum peculiarem sortiri, supradictúsque propterea diuersum intelligi posse. Adhæc circumfodiendum id quotannis censent. Nam si cultura ea prætermittatur, semen vniuersum caulémque totum proferri,& deteriora tam hæc quàm radicem reddi existimant. Defossa autem fieri meliora scilicet solo subacto, benéque gluto. Sed huius contrarium illi volunt, qui culta recusare inquiunt (vel ex Græco,hoc autem repugnat eorum sententiæ, qui culta fugere volunt).Mandi quoque radices ex aceto recens decisas referunt, folium colore aurum æmulatur. Contrarium etiam quod pecora folio esitato purgari minimè iudicant (Sic vertendum ex Græco, Alienum etiam quod pecora folio esitato purgari narrant.) Nam & vere & hyeme pecus ad montem dimitti affirmant. Cibus non solùm hoc,sed etiam altero quodam abrotono simili administratur.(Dilucidiùs sic,depasci verò à pecore non solùm hoc, sed etiam alterum quoddam abrotono simile aiunt). Vim ambo calfactoriam sortiri planè videntur,& purgandi quidemvim non habere:exsiccare autem & concoquere vnicè posse. Quod si qua pecus ægrescens,aut alias minùs benè se habens ingressa sit, mox eam sanari, aut mori aiunt, sed magna ex parte posse seruari. Hæc igitur vtro tandem sint modo,quærendum. Quod verò magydarim vocant,nimirum à laserpitio differt(legendum vt emendauimus, alterum est silphij genus) tenerius enim minúsque vehemens id sentitur,& sine lasere est,nec non & aspectu manifesta experto homini constat (Sic melius, Expertis verò vel ipso aspectu & figura planè dignoscitur).Nascitur in Syria,nam apud Cyrenem(non apud Cyrenem,ex Græco & Plinio) & monte Parnaso largè prouenire eandem affirmant. Sed quidam laserpitium id appellant. An culta quoque laserpitij modo fugiat, quærendum. Quin & si quid simile aut proximum habeat, ad folij caulísque rationem, & si quam vllo pacto emittat lacrymam id inuestigandum.His verbis Theophrastus laserpitij historiam luculentissimè exposuit, à quo Plinius hæc mutuatus est. Lib. 19. c. 3. Ab his proximum dicetur auctoritate clarissimum laserpitium, quod Græci silphium vocant,in Cyrenaica prouincia repertum. Cuius succum vocant laser,magnificum in vsu medicamentísque, & ad pondus argentei denarij pensum. Multis iam annis in ea terra non inuenitur, quoniam publicani qui pascua conducunt,maius ita lucrum sentientes depopulantur pecorum pabulo. Vnus omnino caulis nostra repertus memoria,Neroni principi missus est. Si quando incidit pecus in spem nascentis, hoc deprehenditur signo:oue cum comederit, dormiente protinus, capra sternuente. Diúque iam non aliud ad nos inuehitur laser,quam

quod

quod in Perſide, aut Media & Armenia naſcitur largè, ſed multo infra Cyrenaicum, id quoque adulteratum gummi, aut ſagapeno, aut faba fracta, quò minùs omittendum videtur C. Valerio, M. Herennio Coſs. Cyrenis aduecta Romam publicè laſerpitij pondo xxx. Cæſarem verò Dictatorem initio belli ciuilis, inter aurum argentúmque protuliſſe ex ærario laſerpitij pondo cxi. Id quod apud auctores Græciæ euidētiſsimos inuenimus natum imbre piceo repentè madefacta tellure, circa Heſperidum hortos Syrtimq; maiorem, ſeptem annis ante oppidum Cyrenaicum, quod conditum eſt vrbis noſtræ anno cxviii. Vim autem illam per quatuor millia ſtadiûm Africæ valuiſſe. In ea laſerpitium gigni ſolitum, rem feram ac contumacem: & ſi coleretur in deſerta fugientem: radice multa craſſāque, caule ferulaceo, haud ſimili craſsitudine. Huius folia maſpetum vocabant, apio maximè ſimilia. Semen erat foliaceum, folium ipſum vere deciduum (Theophraſto, naſcèns.) Veſci pecora ſolita, primóque purgari, mox pingueſcere, carne mirabilem in modum iucunda. Poſt folia amiſſa, (rectiùs emiſſa,) caule ipſo & homines veſcebantur decocto, aſſo, elixóque: eorum quoque corpora quadraginta primis diebus purgante à vitiis omnibus. Succus duobus modis capiebatur, è radice atque caule. Et hæc duo erant nomina, rhizias, atque caulias, vilior ille ac putreſcens. Radici cortex niger, & ad mercis adulteria. Succum ipſum in vaſa coniectum, admiſto furfure, ſubinde concutiendo ad maturitatem perducebant, ni ita feciſſent, putreſcentem. Argumentum erat maturitatis, color, ſiccitáſque ſudore finito. Alij tradunt laſerpitij radicem fuiſſe maiorem cubitali, tubérque in ea ſuper terram. Hoc inciſo profluere ſolitum ſuccum ceu lactis, ſupernato caule, quem magydarim vocarunt, folia aurei coloris pro ſemine fuiſſe, cadentia à canis ortu, auſtro flante. Ex his laſerpitium naſci ſolitum, annuo ſpatio & radice & caule conſumantibus ſeſe. Hoc & circumfodi ſolitum prodidere, nec purgari pecora, ſed ægra ſanari, aut protinus mori, quod in paucis accidere. Perſico (rectius, Cyrenaico.) ſilphio prior opinio congruit. Alterum genus eſt quod magydaris vocatur, tenerius & minùs vehemens, ſine ſucco: quod circa Syriam naſcitur, non proueniens in Cyrenaica regione. Gignitur & in Parnaſo monte copioſius, quibuſdam laſerpitium vocantibus: per quæ omnia adulteratur rei ſaluberrimæ vtiliſsimęque auctoritas. Probatio ſinceri prima, in colore modicè rufo, & cùm frangitur, candido intus, mox translucente: gutta aqua ſaliuáq; liqueſcit. Vſus in multis medicaminibus. Hæc Plinius. Strabo ſucci Cyrenaici defectus cauſam in Barbaros non in publicanos reiicit his verbis. Cyrenis finitima eſt regio quæ ſilphiū gignit, & Cyrenaicum ſuccum, quem ſilphium poſterius effert vertendum quem liquorem Silphium fundit. Interpretes enim non viderunt eo loco ὀπιοθὲν ἀπὸ τῦ ὀπίζθν duci, nec aduerbium eſſe. Idem Strabo lib. 15. ſcribit Alexandro ab Araçhoſia tranſeunti ad Bactrianos per iter nudum arboribus, copioſiſsimum Silphium occurriſſe. Id propemodum defecit, cùm aliquando Barbari odio quodam ingruiſſent, ac radices eius pene omnes eruiſſent. Ex hac varia apud veteres Silphij hiſtoria, iudicatu perdifficilè eſt quænam ſit hodie planta quæ laſerpitium dici poſsit. Attamen Pena quantum inſpectione aſſequi potuit, id candidis lectoribus impertitur his verbis. E regione Maſsiliæ, inquit, & non procul inſulis quas videtur Dioſcorides vocaſſe Stœchadas, inter multas raras plātas naſcitur ferulacea & viſenda plāta, cuius radix prægrandis, intus alba, foris cineritia, ſucco prægnans mollis, pinguis, odorata, maior quàm thapſiæ aut ferulæ: caulis proceritate & craſsitudine ferulam æquat, folia Eleoſelini, ſed craſsiora, rigidiora. Vmbellæ prægrandes, ferulæ, aut latiores quàm anethi, ſemen angelicæ foliaceum, rotundum, compreſſum, odoratum, colore buxeo, quam hic expreſsimus. Nec minor eſt de ſilphij ſucco inter rei herbarię ſtudiosos ambiguitas & controuerſia, aliis contendentibus

Geograp. lib. vlt.

Laſerpitiū è regione Maſsiliæ repertum.

LASERPITIVM,
Pena.

dentibus gummi illud odoratum quod belzuinum siue benzoinum vocatur laser esse aliis negantibus, quoniam laser ferulaceæ plantæ, belzuinum arboris proceræ multò suauissimũ sit excrementũ, tum etiam quod belzuini qualitates facultatésque, de quibus idoneo loco tractabimus, minimè sint eædem quæ laseris. Eas verò Dioscor. sic declarat. Radix calefacit, ægrè concoquitur, vesicam ladit, sanat strumas & tubercula cerato excepta,& sugillata cũ oleo imposita. Ischiadicis conuenit cum irino aut cyprino cerato, eminentias circa sedẽ cum mali corio in aceto cocta ac imposita tollit,letalibus medicamentis pota resistit. Eadem ori grata est, si ad salem & intinctus admisceatur. Succus cyrenaicus etiam si quis paululum de ipso gustet,sudorẽ toto corpore mouet,& odoris leuissimi est,adeò vt gustanti neque os nisi paululum spiret. (Sic enim hæc Græcè leguntur, ὁ μὲν τοι κυρηναικὸς καὶ ἐπ' ὀλίγον τις ἀὶδὸν γεύσηται, ἐκμάδα κινεῖ καθ' ὅλον τὸ σῶμα. τὴ τε ὀσμῇ προσηνέσταλος, ὥστε γλυκαινόμενῳ τὸ στόμα μηδὲ πνεῖν, εἰ μὴ ἐπ' ὀλίγον. Quæ longè aliter vertẽda censet And. Lacuna hoc modo. Cyrenaicus liquor, si ex eo vel tantillum quispiam gustarit, statim per totum corpus quendam madorem excitat, adeóque leni odore solet demulcere deliniréque gustantem, vt quandiu eo fruitur, nihil prorsus aut perexiguum respiret,&c. Siquidem,inquit Lacuna,quemadmodum vsu venit,vt dum cernimus paulò attentiùs formam aliquam spectabilem,tamdiu cohibeamus respirationem,donec animus exsatiatus per oculos tali obiecto,sese ad perficienda sua munia conuertat, sic etiam dum aliquid grati atque exquisiti saporis nostro occurrit palato,aliquandiu supersedeamus à respirando,quod videlicet respiratio ipsa,vt est necessaria olfactui, ita gustui aduersetur, quodammodo exoluens ipsum atque præpediens. Id quod videtur eo in loco monuisse Dioscorides). Medicus & Syriacus viribus debiliores sunt, & magis virosum odorem reddunt. Est succus flatuosus & acris,curat alopecias cum vino,pipere,& aceto illitus. Acuit visum,& incipientem suffusionem dissipat cum melle illitus. Ad dentium dolores inditur cauernis,& cum thure in linteolo circunligatur,colluitur cum hyssopo & ficis coctis in posca.Prodest in rabiosi canis morsu vulneribus impositus, & contra omnia animalia venenum eiaculantia,& contra sagittas venenatas tum potus tum illitus. Scorpionum plagis oleo dilutus oblinitur. His quæ in gangrænam transeunt prius scarificatis infunditur, carbunculis cum ruta,nitro, & melle,aut per se imponitur. Clauos & callos priùs circumscarificatos tollit præmollitus cerato,aut aridorum ficuum carne : recentes lichenas ex aceto sanat: excrescentem carnem & polypos cum chalcantho (vetus codex habet, μετὰ χαλκοῦ ἄνθους, id est, cum flore æris) aut Erugine per dies aliquot illitus: extuberantia cum forfice extrahit. Auxiliatur & diuturnæ gutturis asperitati,vocémque repentè exasperatam aqua dilutus,& absorptus statim expurgat. Columellas cum melle illitus reprimit. Anginis ex aqua mulsa vtilissimè gargarizatur.In victu sumptus coloratiores reddit. Tussi commodè in sorbili ouo datur,& pleuriticis in sorbitionibus,ictericis,& hydropicis vtiliter cum aridis ficis. Soluit & rigores cum pipere & thure in vino

Lib.3.c.78. *Vires & Temper.*

potus

potus (habetur in veteri non cum thure, ſed σὺν πηγάνῳ, hoc eſt cum ruta) Tetano & opiſthotono detentis oboli pondere cera oblitus deuorandus datur. Hirudines gulæ adhærentes ſi cum aceto gargariſetur, auellit. His qui lac in grumos concretum intus habent, & comitialibus cum aceto mulſo ſumptus opitulatur, menſes ciet cum pipere & myrrha potus, cœliacos adiuuat in acino vuæ ſumptus. At cum lixiuio potus, conuulſa & rupta repentè ſanat. Diſſoluitur in potiones amygdalis amaris, aut ruta, aut calido pane. Cæterùm foliorum ſuccus eadem præſtat, ſed multò inefficacius. Editur hic cum aceto mulſo ad expediendam arteriã, maLib.22.c.23 ximè in voce retuſa. Hæc Dioſcorides. Plinius etiam vſum ſilphij medicũ multis verbis exponit, multa ex Dioſcoridis ſententia præſcribens, in eo præſertim diſſidens medicamẽto, quod ad dentium dolores facit, ait enim, Non cenſuerim quod auctores ſuadent, cauernis dentium in dolore inditum cera includi, magno experimento hominis qui ſe ea de cauſa præcipitauit ex alto. Quippe tauros inflammat naribus illitis: ſerpentes auidiſsimas vini admiſtum rumpit. Ideo nec inungi ſuaſerim cum Attico melle, licet præcipiant. Hæc Plinius. In hoc tamen medi-
Lib.8.ſim. camento Dioſcorid. nõ cera, ſed thure includit. Breuius ſic Galenus Silphi liquor calidiſsimus eſt, imo & folia, & caulis & radix ſat ſtrenuè excalfaciunt. Sed omnia flatulentæ magis eſſentiæ ſunt, ac proinde coctu difficilia: foris tamen impoſita corpori efficaciora, & omnium potiſsimùm liquor, admodum trahentem facultatem habens, attamen & excreſcentias amoliendi, & liquandi vim quandam propter propoſitam temperiem obtinet. His omnibus, præſertim viribus diligentius perpẽſis atque examinatis, planè aſſentiendum iis, qui Aſam Laſerpitum eſſe cenſent, quod vt variis nomenclaturis Græci Silphium plantam vocarunt, eius folia maſpeton, caulem Magydarin, ſemen φύλλον, & Latini ſuccũ Laſer, quod Officinæ balbutientes Aſam pronuntiant: ſic Arabes plantam appellarunt *Aniuden*, & *Angeiden*, ſuccum verò *Altith* & *Antit*, Auicennas etiam *Almharut*, Indorum populi & *Imgu*, & *Imgara*: quamuis interdum *Altiht*. ſucci nomen plantam etiam ſignificet, vt Serapioni, qui ſub hac appellatione hiſtoriam Laſerpitij Græcorum tradidit. Laſer duplex etiamnum Indis cognoſcitur: alterum ſincerum & pellucidum, coloris puri, electro ſimilis, odoris validioris, maioris pretij, quod ex Guzarate, Patane, Mandon, Chitor, Dely regione admodum frigida, & ad Chiruam vſque protenſa afferri putant: alterum impurum & turbidũ, minus odoratum, quod ex Coraſone Ormuſium Perſiæ conuehi narrant, atque in Pegu, Malacam, Tanaſarim, & prouincias vicinas, illinc portari. Sincerum Baneanes Cambayæ olim Philoſophi, nunc mercatores ab animalium eſu abſtinentes, quod inſtitutum ſecutus eſt Pythagoras, pro ſuarum facultatum modo comparant, ac ſuis iuſculis & oleribus immiſcent, confricato primùm eo lebete, nec alio condimento in cibis vtuntur, ſapore ipſis & odore iucundo, nec aliis quamuis inaſſuetis, faſtidiendo. Guſtus eius nonnihil amarus principio, vt oliuæ conditæ, deinde ſi diutius mandatur, valdè gratus. Impuro baiuli & tenuioris fortunæ homines qui ſolo pane & aqua vitam plerúmque tolerant, tum ad medicinam vtuntur, tum ad condimentum, pretij magnitudine deterriti, ne ſincerum emant. Sordidum id Baneanes, qui rationem tractandarum & interpolandarum hoc genus mercium callent, defæcant, & purgant, nec niſi ea diligentia curatum in cibos admittunt. Laſeris vſu ventriculum roborari, diſcutiq; flatus Indis perſuaſum eſt, tum etiam venerẽ concitari. Solent & cum dẽtes eroſi dolent, ad cruciatum leniendum cauernis eorum indere. Narrauit quidam mercator Indus Garciæ, ex cuius hiſtoria nos hæc tranſcripſimus, Laſer è caule plantæ inciſo elici, cuius folia corylo ſimilia ſint, id quod ab Angelicarum noſtrarum foliis non ita diſcrepat, ſi auulſa ſeorſum ſingula contempleris, nulla ſitus ordinis ve ratione habita. Addebat & mercator ille, collectũ

Laſer

Laſer in corium bubullum illitum ſanguine cum farina tritici permixto, incolas prouinciarum apud quos Laſerpitium naſcitur, coniicere, vt meliùs atque diutius conſeruetur, atque ideò ſi quid in laſere fabæ lomento ſimile cõſpiciatur, non vitium adulterati hoc eſſe, ſed inditium potiùs bonitatis & puritatis. In Officinis noſtris duo Laſeris genera viſuntur: alterum frequentius, vilius, colore rufo, gummoſis offis, laxis, non ſolidis, guſtu principio amaro, deinde acri, vehementiori acrimonia quàm in altero genere, diutius in ore & faucibus perdurante, odoris ingratioris: alterum rarius & commendatius, colore ad flauum magis inclinãte, denſius & compactius, intermixtis micis quamplurimis candicantibus, ſimilibus amygdalarum fructulis exutis cortice ſuo, ammoniacíve guttis lacteis, quamobrem Amygdalatum Laſer inſtitores vocant, guſtu minus amaro & acri, odoris leuioris & ſuauioris. Vtrúmque pertentans cum guſtaſſem, frigido cœlo & flante Borea, poſt exiguam ambulationem mador ſtatim per corporis trũcum, brachia & caput diffuſus eſt. Accidit & paulò poſt prandenti mihi, vt vix vnquam libentiùs cibum ſumpſerim, quæ Laſeris viribus apud Dioſcoridem omnia congruunt. Quare rectè ſcribit Garcias vehementer errare eos qui Aſam fœtidam & Laſerpitium differre putant, quod Laſerpitium veterum in cibos admiſſum eſſe aiunt, Aſam verò fœtidam medicamentis ſolùm vtilem, idque raro: in cibis verò planè damnari ob tetrum odorem: quia nullum medicamentum ſimplex per totam Indiam maiore eſt in vſu quàm Aſa fœtida, tum in medicina, tum in condiendis cibis.

Lib. 1. Aro. In cap. 3.

SPONDYLIVM. CAP. XXII.

Φονδύλιον Græcis, & Latinis Sphondyliũ & ſpondylium dicitur. Fortaſſe ob odoris grauitatem, à ſpondyle inſecti genere, odoris grauis, vt Pena tradidit. Sed parum hic digredi libet, & Lectori ex Dalechampio indicare, quod cuiuis fortaſſe notũ non eſt. Sphondyle, ſiue Spondyle Theophraſti, minimè ſerpens eſt, vt Plinius credidit lib. 27. cap. 17. ſed vermis in terra profundiùs deliteſcens, inſtar blattæ flexuoſus, mouens ſeſe quaſi vertebris, aluo candida, rubeſcente parte quę capiti proxima eſt, atque inde naſcentibus vtrinq; pedibus quatuor, ore nigro, dentibus firmiſſimis, quibus radices vitis præcipuè, rodit, arborúmque nedum herbarum. Lugdunenſes ruſtici vocant *Vn Turc*, quaſi Turcam. Huic ſubiungere duo alia plantis malefica & infeſtiſsima animalia alienum non fuerit. Vnum eſt quod Praſocouris à tondenda radice porri vocatur. Lugdunenſes *Courterole*, ἀπὸ τῦ κουρεῖν nomen indiderunt: cæteri Galli *Taillepré*, quaſi Pratiſecam nominant, quod etiam herbarum in pratis naſcentium radices proſcindat. Alterum mus exiguus, pilo fuſco, roſtro acuto, vt talpa & mus araneus, cæcus vt talpa, & perinde terram ſuffodiens, cauda curta, olitorum inimiciſsimus hoſtis & inſidiator, vt qui carduorum & cinararum radices occultus depaſcatur. Ruſtici vocant *Ratecourte* quaſi βραχὺ μῦν. Redeamus nunc ad ſpondylij hiſtoriam. Herba eſt,

Nomina
Lib. 3. c. 74.
Forma.

Lib. 9. hiſt. cap. 14.

SPONDYLIVM, Matth.

Lib.3.c.74. inquit Dioscorides, folia habens platano quadantenus similia, ad Panacis folia accedentia, caules cubitales aut etiam maiores, fœniculaceos, semen in cacumine simile seseli, duplex, sed latius & candidius, & magis paleaceum, & grauis odoris: flores albos, radicem albam, raphano similem. Nascitur in palustribus & aquosis locis. Penę & Lobellio Panax Heracleum, Heraclea fronde Smyrnij vel Imperatorię.

Locus.

Lib.12.c.26 Plinius vbi de Panace egit, Ab hac ferula, inquit, differt quæ vocatur spondylium foliis tantùm, quia sunt minora, & platani diuisura, non nisi in opacis gignitur. Semen eodem nomine filis speciem habet, medicinæ tantùm vtile. Planta hîc depicta Matthioli Spondyliũ est, in montiũ pratis vliginosis copiosum, folio platani aut panacis, caule fœniculi, cubitali & maiore, in cuius cacumine vmbella candidis floribus referta, è quibus semen prodit seseli non absimile, latius tamẽ & squamosum, sapore iniucundo, vt quod cimices fermè resipiat. Radix alba, raphani æmula, gustu non ingrato. Spondylium vulgare Penæ, Lobellij, Dodonæi & Dioscoridis Anguillaræ est Acãthus Germanica Fuchsij. Passum & sponte nascitur, caule bicubitali, rotundo, subhirsuto, foliis similiter nonnihil hirsutis & asperis, ex pluribus ac sæpenumero quinque cohærentibus, & exiguis per ambitum & profundioribus incisuris diuisis, ficulnea ferè referentibus, sed minoribus, flores in vmbellis candidi, semen latum, planum, tenue, radix in plures distributa candicat. Huic similem ostendit Dodonæus pro Spondylio altero, de qua Cap. De Panace differemus. Semen spondylij potum, auctore

SPONDYLIVM, Vulgare.

C.25. hist.

Lib.3.c.54. *Vires & Temper.* Dioscoride, pituitosa per aluum excernit, sanat etiam potu hepaticos, ictericos, orthopnoicos, epilepticos, & veteri strangulationem. In profundum somnum delatos suffitu reuocat, cum oleo commodè infunditur capitibus phreniticorum, & lethargicorum, item capitis doloribus, cohibet etiam herpetas cum ruta illitum. Radix datur ictericis & hepaticis. Derasa & indita fistulorum callos consumit. Recentis floris succus ad vlceratas purulentásque aures conuenit. Eundem sphondylij vsum præscribit Plinius his verbis. Sphõdylium infunditur capitibus phreniticorum, & lethargicorum: item capitis doloribus longis. Cum oleo vetere bibitur, & in iocinorum vitiis, morbo regio, comitialibus, orthopnoicis, vuluarum strangulatione quibus & suffitu prodest. Aluum mollit. Illinitur vlceribus serpentibus cum ruta, flos auribus purulentis efficaciter infunditur. Radix derasa & in fistulas coniecta, callum earum erodit. Auribus quoque instillatur cum succo. Datur & ipsa contra regium morbum, & in iocinoris vitio & vuluarum. Capillos

Lib.24.c.6.

Lib.8.fin. crispos facit perunctо capite. Galenus verò facultates ita tradit. Spondylij fructus acris & secantis est facultatis. Quare ad asthma & morbum comitialem aptum est medicamentum, prodest & ictericis. Radix similis facultatis ad eadem conuenit, sed & insuper fistularum callos tollit, sed imponere eam circumrasam oportet. Porrò flores etiam succus ad diuturniora aurium vlcera conueniens reponitur.

CORIAN

CORIANDRVM. CAP. XXIII.

KΟριον Græcis & κορίανον, Latinis etiam Corion & Corianum, vulgò & Officinis Coriandrum, Arabibus *Cusbor, Kusbero, & Kuzbara*, Italis *Coriandro*, Germanis *Coriander*, Hiſpanis *Culantro*, Gallis *Coriandre*. Corio nomen feciſſe cimices veriſimile eſt, quos folia & caules eius olent: κόρις enim Græcis id inſecti genus eſt, quod Latinis Cimex dicitur. Dioſcorides & alij veteres Coriandri vnius duntaxat meminere, & Theophraſtus Corianum in iis numerat, quibus generis diuerſitatem deeſſe ſcribit Plinius quóq; Coriandrum inter ſilueſtria inueniri negat. Tamen Nicandri Scholiaſtes duo Coriandri genera poſuit, vnum ſatiuum, alterum ſilueſtre, quod Myconus medicus Barcinonenſis peritiſsimus vnà cum raris aliis plantis depictum & deſcriptum ad nos miſit. Coriandro ſatiuo caulis eſt exilis, rotũdus, ramoſus cubitalis aut ſeſquicubitalis, folia candicantia, multũ inciſa, inferiora ſeu primùm erumpentia cerefolio aut apio proxima, ſuperiora & quæ in caulibus ſunt, tenuiora & magis diuiſa: fumariæ ſimilia: flores in vmbellis candidi, ex quibus racematim ſemẽ oritur, rotundum, cauum, ſtriatum. Radix eſt breuiuſcula, lignea, neq; admodum fibrata. Totus plantæ fœtidus eſt ac cimicum odor, at ſemẽ ſiccum odoratum redditur, & ad multa vtile. Alterum, minus odorum pinxit Lobellius, ima folia habens multum inciſa, & ſemen habet ius, copioſum, in pluribus ſpitameis procumbẽtibus cauliculis. Alitur in hortis. Silueſtri coriano radix eſt ſingularis, tenuis, non altiùs demiſſa, cui radiculæ aliquot tenues adnaſcuntur. Hæc caules multos edit, quinq; angulis conſtantes, ſolidos, geniculatos, ramuli incerto ordine ſimiliter ſolidi è ſingulis geniculis prodeunt, folia ferentes ſummis prioris Coriãdri foliis ſimilia, ſed minora, in quorum cacuminibus vmbellæ veluti in altero coriandro, floribus ex purpureo candicantibus refertæ, quibus diſcuſsis ſemen oritur rotundum, id peculiare habens, quod in ſingulis pediculis duplex ſit, atq; vnum alteri iunctum. Odor totius plãtæ grauior quàm ſatiui Coriãdri, & caput magis tentans. Nicandri Scholiaſtes iſtud ſilueſtre ſatiuo ſimile depinxit, ſed latioribus foliis, & multò longius, multa habens adnata, multas radices, multóſque flores. Cuius cum latiora folia eſſe dicat, ſoli naturæ id tribuendum cenſet Myconius, qui minora huius folia depinxit. Naſcitur locis quadantenus ſic-

Nomina

Genera.

Lib. 7. hiſt. cap. 4.

Lib. 20. ca. 20.

Forma.

In Alexip.

Locus.

CORIANDRVM Satiuum, Matth.

CORIANDRVM Alterum minus odorum, Lobell.

CORIANDRVM
Siluestre, Myconij.

Tempus.

Lib.3. c.62. *Vires & Temper.*

Li.20.c.20.

cis, marginibus & limitibus terrenis. Vberius tamen pullulat, & altius adolescit solo humidiore. Satiuum non nisi satum prouenit,& terram amat pinguem Palladio teste. Sed & macro solo nascitur. Iulio & Augusto mẽsibus floret,autumno dum semine prægnans est, carpitur. Deinceps de Coriandri viribus eò diligentiùs differendũ, quo maior est de iis inter probatissimos auctores cõtrouersia. Primum Dioscorides auctor est id refrigerandi vim habere. Quare illitum cum pane aut polenta erysipelata & herpetas sanare: item epinyctidas, testiũ inflammationes, carbunculósque cum melle & vua passa: cum faba fresa strumas & tubercula discutere. Lumbricos semen cum passo potum pellere, & genituram augere, largius autẽ sumptum mentem nõ sine periculo mouere, quapropter copiosiorem & continuum eius vsum cauere oportere. Succum cum cerussa & lithargyro, nec non aceto & rosaceo illitum, ardentes in summa cute inflammationes iuuare. Hæc Dioscorides. Quibus consentanea ferè scribit Plinius his verbis. Coriandrum inter siluestria non inuenitur. Præcipuum tamen esse constat Aegyptium: valet contra serpentium genus vnum, quod Amphisbænas vocant, potum impositúmve. Sanat & alia vulnera: epinyctidas, pustulas tritum. Sic & omnes tumores collectionésque cum melle aut vua passa, panos verò ex aceto tritum. Seminis grana tria in tertianis deuorari iubent aliqui ante accessionem: vel plura illini fronti. Sunt & qui ante solis ortum ceruicalibus subiici efficaciter putent. Vis magna ad refrigerandos ardores viridi. Vlcera quoque quæ serpunt sanat cum melle, vel vua passa: item testes, ambusta, carbunculos, aures: cum lacte mulieris epiphoras oculorum: ventris & intestinorum fluxiones semen ex aqua potum. Bibitur & in choleris cum ruta. Pellit animalia interaneorum, cum mali punici succo & oleo semen potum. Xenocrates tradit rem miram si vera est, menstrua contineri vno die, si vnũ granum biberint fœminæ, biduo, si duo, & totidem diebus quot grana sumpserint. M. Varro Coriãdro subtrito cum aceto carnem incorruptam æstate seruari putat. In quibus duo potissimum tanquam absurda reprehenduntur. Vnum quod refrigerandi vi Coriandrum præditum esse, alterum quod strumis prodesse aiunt, quæ calidis & digerentibus, minimè verò frigidis curantur. Quare sic scribit Galenus. Lib.7. fim. Vetustiores Græci Corianum nominant, recentiores omnes medici Corion, sicut & Dioscorides, refrigeratoriam esse herbam dictitans, sed perperam. Siquidem ex contrariis constat facultatibus, plurimùm habens amaræ essentiæ, quam ostendimus esse tenuium partium & terrenarum, nec modicum etiam aqueæ humiditatis obtinet, quæ est facultatis tepidæ. Habet autem & adstrictionis pauxillum. Ex quibus omnibus variè quidem agit ea quæ scribit Dioscorides & non tantùm ex refrigeratione. Quibus aliquanto post subiicit. Itáque ne id quod refrigerato iam erysipelati auxilio est, refrigeratorium esse credamus, sicut Dioscorides Corianum, quod vt ipse ait, cum pane aut polenta illitum erysipelas sanat. Nam quod exquisitum est erysipelas, & iam vtiq; inflammatum & flauum nequaquam cum pane sanabit Corianum, sed illud quod iam refrigeratum est. Porrò quod longe à refrigeratione

geratione abſit Coriandrum, vel ex iis quæ ipſe Dioſcorides ſcripſit diſcere licet. Nam ſtrumas, inquit, cum faba freſa diſcutit. Quod verò nullum refrigerantium medicamentorum idoneum ſit diſcutiendis ſtrumis, vel ipſum Dioſcoridem non dubitare arbitror, vt qui ſexcenta ſcripſerit medicamenta ſtrumas ſanare potentia, quæ omnia temperie calida & actionibus digerentia eſſe confeſſus eſt. Hactenus Galenus. Cui apertè refragatur Auicennas his verbis. Scripſit Galenus Coriandrũ diuerſis facultatibus conſtare, nempe terreum in eo cæteris excellere, eſſe ſimul & in eo quãdam aqueam tepidam, & aliam adſtringentem pauxillum. At mea quidẽ ſententia, aquea ipſius qualitas frigida eſt, non tepida, niſi & forſan admiſceatur aliquid excalfacientis ſubſtantiæ, quæ ab eo confeſtim euaneſcat. Quapropter dixit Hunaym, remouet Galenus frigiditatem à Coriãdro, & contradicit Dioſcoridi. At id Archigenes, Rufus & alij poſteriores frigidum eſſe teſtati ſunt, frigidum igitur eſt in fine primi ordinis vſque ad ſecundum: ſiccum in ſecundo. Ego verò ſentio ſiccum eſſe, & ad caliditatem exiguam vergere: Galenus verò cenſet ex omni parte calidum eſſe, quod fortaſſe ipſum dixiſſe putandum, ob tenuem quandam ipſius caliditatem, quæ dum bibitur aut editur, facilè diſſoluitur. Aliter enim non neceſſe foret, ſi homines necat frigiditate ſua, multam ſucci eius quantitatem exhiberi. Quibus paulò poſt ſubiicit Auicennas. Inquit Galenus, ſi Coriãdrum ſtrumas diſſoluit, quomodo frigidum erit? Cui reſpondeo, Poteſt Coriandrum id agere occulta quadam qualitate aut forma, aut quod in eo tenuis quædam inſit facultas, quæ in profundum penetrare poſsit, frigida exterius relicta. Sed cum bibetur, caliditas illa reſoluitur, quo fit vt ſola frigida remaneat, & in corpora agat. Hæc Auicennas non ſine ratione. Quæ, vt tota lis dirimi, ſtatuiq; certi aliquid de iis poſsit, diſtinguenda, & dioriſmis explicanda videntur hoc modo. Coriandri herba tota, aut ſemen vſu frequenti in medicina vſurpatur, & ea quidem aut arida, aut virens adhuc. Iam verò multiplici experimento, & antiquorum certiſsima obſeruatione compertum eſt, eius expreſſum ſuccum, aut herbam confuſam illitu tumorum feruores compeſcere, ſemen multis de cauſis ſtomacho perutile, præſertim ſiccum, concoctionem iuuare, vaporum ſurſum eruptionem, flatuúmq; impetum ſiſtere, temperatæq; qualitatis alimentum eſſe: vnde ad ſanguinis ſeminiſque incrementum, ac ne quidem correctum prodeſſe, vt immerito eius vſum quidam damnent, vehementérque illos errare ſcribant, qui eo tam frequenter ad roborandum caput cui infenſiſsimum eſt, vtantur, cum pharmacopoli aut etiam plebecula, quotidianis epulis aut medicamentis correctum miſceant, nullo vnquam cuiuſpiam detrimento. Plerúmque etiam illud ſaccharathum Officinarum neutiquam correctum eſt, niſi putes ſaccaro ignéque. Igitur non aceti frigiditate, ſed ſeminis ſiccitate & tenuitate, virus fœtidúmque ſpiritum abſtergi putandum.

Lib. 2. c. 143

Pena in Ad. fol. 314.

Quare Coriandri herba præſertim ſucco frigida eſt, ideóque nonnullis in locis, Arabiũ teſtimonio, eius ſuccus epotus exitio eſt, quod de Hiurca ſiue Iucca Americæ recentiores etiam exploratum habent. Herba etenim veſca eſt, & boni alimenti, ſuccus hominem necat. Quapropter & eryſipelatis illitus Coriandri ſuccus reprimet inflammationem exceptus polenta aut panis medulla, quam Galenus haud reiiciet, vt qui, libello de paratu facilibus, ex antiquis doceat hordei farinam, polentam, panem & ſimilia addi ſolita, non tam vt agant, quàm vt ſuccorum qui agere debent vires excipiant. Tametſi videntur etiam iuuare digerendo & ſiccando, vt hordeacea, aut etiam demulcendô, vt panis medulla. Atque hinc reſponſio eruenda de ſtrumis. Multa namque ſunt minimè calida, quæ ſtrumas incipientes diſcutere valent: eóque hic farinam fabæ freſæ addi vult Dioſcorides, tum excipiendo medicinam, tum iuuando actionem, digerit enim faba, &

cum Coriandri ſucco mixta moderatè repellit exſiccando, qua etiam vi phlegmonas teſtium iuuat. Sicca enim id optimè præſtare, modo modice refrigerent, & diſcutiant, præſertim initio, methodus Galeni docet. Sic plantago etiam Dioſcoridi, ſic capilli veneris ſtrumas diſcutiunt. Addi poteſt & his ſtrumarum varietas, quæ interdum ſunt genera phlegmones, exquiſitæ, ſpuriæve, ac ideò talia remedia poſtulant. Quod verò Dioſcorides ſcripſit ſemen Coriãdri largius ſumptum non ſine periculo mentem mouere, id Auicennas de ſucco tradit, qui vnciarum quatuor pondere potus interficit: triſtitiã enim adfert & ſyncopen parit. Denique à liberaliore eius vſu abſtinendũ. Sed Dioſc. de ſemine recenti & viridi intellexiſſe videtur, qui & alibi dixit generatim Coriãdrum potũ vocẽ exaſperare, & inſaniam inducere ſimilẽ iis, qui ex ebrietate læſi ſunt. Præterea ſcribit Dioſcor. Coriandri ſemen genituram adaugere, contra Auicennas, quod ex eo humidũ eſt, & quod ſiccũ, inquit, frangit virtutẽ coitus, & erectionẽ virgæ deſiccando ſperma. Et Serapio ex auctoritate Alcanzi ait: Quando Coriãdrũ ſiccũ infunditur in aqua, & bibitur aqua eius cum ſaccharo, abſcindit erectionem virgæ, & deſiccat ſperma.

Lib. 2. c. 143.

Lib. 6. c. 9.

Ibid.

Cap 34.

PANACES. CAP. XXIIII.

Nomina

GRAECIS πάνακες & πάναξ dicitur, Latinis Panaces & Panax, nomen multis plantis cõmune, quæ neq; facie inter ſeſe, neq; viribus ſimiles ſunt, magnæ tamẽ ad morbos cõmendationis, quod plurimis ſcateãt remediis, à πᾶν & ἄκος, ideſt, ab omni medela ſiue remedio nũcupatę. Dioſcor. tria Panacis genera deſcripſit, ἡράκλειον, ideſt, heracleum, ſiue herculeum, Arabibus *Steuſir*, *Ieuſir*, ſiue *Giauſir*. Ἀσκληπιὸν, vel ἀσκληπιὰς, id eſt, Aſclepium, ſiue Aſclepij, vel Aeſculapij, Arabibus *Panax aſculibet*. Panax χειρώνιον, Chironiũ, Arabibus *Panax Caronion*. Theophr. quatuor, primũ quod in Syria naſcitur, alterũ Chironium, tertiũ heracleũ, quartũ Aſclepiũ. Quibus explicatis ſubiicit. Ἄλλα ὁ πανάκη, τὸ μὲν λεπτόφυλλον, τὸ δὲ παχύφυλλον, &c. Id eſt, Sunt & alia Panacis genera, alia tenuifolia, alia craſsifolia. Panax heracleum, auctore Dioſc. foliis eſt aſperis, in terra iacentibus, valdè viridibus, ad ficulnea accedentibus, in ambitu quinq; partito diuiſis, caule vt ferulæ, altiſsimo, qui lanuginẽ habet albam, & folia circa ſe minora, vmbellã ceu anethi in cacumine, longã, florem luteũ, ſemen odoratũ feruẽnſque: radices ex vno principio multas, cãdidas, graueolentes, craſsi corticis, & ſubamari guſtus. Naſcitur in Cyrene Libyæ & Macedonia. Theophr. ſic deſcribit. Τὸ ὁ ἡράκλειον φύλλον μὲν ἔχει μεγά, καὶ πλατύ, καὶ τρισπίθαμον πανταχῆ. ῥίζαν δὲ ὡς δαλκύλου τὸ πάχος, δίκρανῆ ἢ τρικρανῆ, τῇ γοῦν μὲν ὑπόπικρον, τῇ δ' ὀσμῇ καθάπερ λιβάνῳ τῷ καθαρῷ. Id eſt, Gaza interprete, Panax herculeũ folio conſtat magno & amplo, vt quoquo verſus tres palmos pficiat, radice craſsitudine prope digiti, bifida aut trifida, guſtu ſubamara, odoratu ſincerum thus redolente. Panaces verò Aſclepium ſic delineat Dioſc. Caulem è terra emittit tenuem, cubitalem, geniculatũ, circa quem folia fœniculo ſimilia, maiora tamẽ & hirſutiora, odorata: & in cacumine vmbella in qua flores aurũ referentes, acres, odorati: radix eſt parua, cũ quibus Theoph. deſcriptio non omnino conuenit. Τὸ δ' ἀσκλήπειον, inquit, τὴν ῥίζαν μῆκος μὲν ἔχει ὡς σπιθαμὴν, λευκὴν δὲ καὶ παχεῖαν σφόδρα, καὶ φλοιὸν παχύν, καὶ ἁλικώδη. καυλὸν ὁ ἔχει γονατώδη πανταχόθεν, φύλλον ὅμοιον τῇ θαψίᾳ, πλὴν πλατύτερον. Id eſt, Aſclepiũ cõſtat radice magnitudine palmi, candida, & craſſa vehemẽter, cortice craſſo & ſalſo, & caule geniculato vndiq;, folio Thapſiæ ſimili, ſed craſsiore. Panaces chironiũ, ita tradente Dioſ. in Pelio monte maximè prouenit. Folia autẽ habet amaraco ſimilia, florẽ aureum, radicem tenuem & non profundam, guſtu acrem. Neque his conſentiunt, quæ de eodẽ Panace Theop. literis prodidit. ἔχει δὲ τὸ μὲν χειρώνιον, φύλλον μὲν ὅμοιον λαπάθῳ, μεῖζον δὲ καὶ λιπαρώτερον, ἄνθος ὁ χρυσοειδὲς, ῥίζαν δὲ μακρὰν. φιλεῖ ὁ τὰ χωρία τὰ πίονα. Id eſt, Chironiũ folũ habet ſimile Rumici, maius tamen & hirſutius, florem auri ſpecie: radicem

Lib. 4. c. 48. 49 & 50.

Genera.

Lib. 9 hiſt. cap. 13.

Lib. 3. c. 48.

Forma.

Locus.

Lib. 1. c. 49.

Lib. 9. hiſt. cap. 12.

Lib. 3. c. 50.

Ibidem.

radicem longã. Plinius ſine generũ diſtinctione de Panace hæc ſcribit. Panacẽ & vnguentis eadẽ (Syria) gignit,naſcentẽ & in Pſophidæ Arcadiæ circaq; Erymãthi fontes, & in Africa, & in Macedonia: ferula ſui generis,quinque cubitorum,foliis primo quaternis,mox ſenis in terra iacentibus,ampla magnitudine rotũdis,in cacumine verò oleagineis,ſemine in muſcariis dependẽte,at Ferulæ. Deinde alio in loco eiuſdem genera exponens ait. Panaces ipſo nomine omniũ morborũ remedia promittit,numeroſum,& Diis inuentoribus adſcriptũ. Vnum quippe Aſclepiũ cognominatur,quoniam is filiam Panaceam appellauit,&c. Alterum genus Heraclion vocãt, & ab Hercule inuentũ tradũt. Alij Origanum Heracleoticum ſilueſtre,quod eſt Origano ſimile,radice inutili. Tertium Panaces chironium cognominatur ab inuentore. Foliũ eius Lapatho ſimile,maius tamen & hirſutius. Flos aureus,radix parua.Naſcit pinguibus locis. Hæc Plinius:in quibus multũ à Dioſc.diſſidet,& Theoph.magna ex parte aſſentitur, à quo & ſua mutuatus eſt. Sed quam dixit Theophr.radicẽ Chironij μακρὰν, Plinius μικρὰν legit,ideſt,paruã, Dioſcor. λεπτὴν,ideſt,tenuem, vt fortaſsis Theoph.exẽplaria hìc mendoſa ſint. Panaces Heracleũ in Apulia frequens naſci ſcribit Matth.quemadmodum in Apenninis iugis, & in Argentario promontorio in maritimis Senenſibus. Colitur & in Italiæ viridariis: quod ex eodem pictũ hìc damus. Dodon.idem depinxit. Aliud Panax Heracleum ſtatuunt Lobellius & Pena, caule bicubitali, lanugine quadam incauo,folis quadãtenus Smyrnij aut Imperatoriæ,ſed lacinis ambituq; magis circinato, in viridi pallentibus,rigidis & leuiter hirſutis,floribus in vmbella lata luteis, ſalbos in Belgi, viretis ſe vidiſſe, ait Lobellius) radice Liguſtici vel Angelicæ,non perinde ſucculenta.Hanc Dodonæus Spondylium alterum appellat, ſupra deſcripto ſimilem,ſed rariorem & maiorẽ, cui plures ſæpe caules aſſurgunt, craſsiores altioreſq;,folia ex tribus ferè compoſita,maiora, & ſiculneis ſimiliora, aſpera nonnihil, atque vnà cum caulibus hirſuta:flores, ſemen, radix, vt prioris. Hoc genus,inquit Dodonæus,non Sphondylium alterum, ſed Panaces Heracleũ creditur. Deſideratur tantum floris color, quẽ Dioſcorides luteum eſſe ait. Folia aſpera ſiculneis reſpõdent:caulis hirſutus,radix multiplex, quale Heracleum ſcribitur eſſe Panaces At hìc de florum colore ſcrupulus facilè eximi poteſt. Nam in Belgij viretis flores albi ſunt,teſte Lobellio qui etiam Venetiis in Franciſcanorũ horto ſe luteos vidiſſe refert, & luteos flores

Li.12. c.26.

Lib.25.c.4.

PANACES Herculeum Mat.

PANACES Aſclepium, Matt.

Ca.48.li.3.

Li. de ſuc. ca.9.

In Purg. hiſt.

esse scribit Pena eiusdem sponte enatæ in illo saxoso colle, qui Frontignano redeunti Monspelium ad lævam est. Panaces Asclepium ex eodē Matthiolo hîc exhibemus, quod diuersi generis non est à Ferula, inquit Pena, nec item figura disimile, præsertim istud doctioribus verum putatum, forte quale in Matthiolo pictū videtur. Sed id tantum se vidisse ait Matthiolus, effigiémque eius pinxit omissis notis omnibus. Scribit autem Pena Ferulæ simile esse effigie, sed multò minus, semine non fœniculi, sed vt Ferulæ, lato, foliis & floribus haud disimilibus: caule & radice magnitudine & similitudine Anethi, odorato. Ab hoc differt id quod ex aliis herbariis hîc depinximus in asperis locis & tumulis propè Monspeliū proueniens, radice Apij, candidâ, tenui, acri, odorata, folio tamen Apij, aut Coriandri potius quàm fœniculi, hirsuto, flore luteo in vmbellis circinatæ rotunditatis. Pro Chironio scribit Matthiolus quosdam plantam ostendere, quæ flos solis nuncupatur, quorum sententiæ minimè suffragatur, sed in Symphytorum genere esse putat. Aliis Panaces Chironium videtur esse Bupleuri species, Monspelienſibus Auricula leporis dicta, folio longo, rigido, latiusculo in medio, supernè in angustum desinente, ferè lanceolatæ, multis striis quasi costis distincto, nonnihil concauo aut inflexo, vnde illi Auriculæ leporinæ nomen: caule procero,

In Ad. fol. 350.

PANAX Heraclium, Lobellij. Sphondylium alterū Dod.

Ibidem.

PANACES Asclepium alterum, Dal champ.

PANACES Chironium siue flos solis, Matth.

genicula

PANACES Chironium, quorundam, Dalech.

PANAX Chironium, Dodonæi.

geniculato, in ramulos ſuperiore parte diuiſo, vmbellis in ſummitate puſillis, ſparſis, luteolis floribus, ſemine Aniſi, aut Anethi, oblongo. Alij Daphoboſcum nominant. Quidam Bupreſtin Plinij eſſe putant: Ammi verò vulgare deſcriptũ ſuprà, cap. 5. Bupleuron. Theophraſti autem Chironium Pena coniicit eſſe Herbam Auream Narbonenſium, foliis Limonij, aut Lapathi, aut ſanè vnum eorum quæ Plinius ad Theophraſtum retulit, vt Pharnaceũ, Panaci Chironio hæc ſubiungens, li. 23. ca. 4. Quartum genus Panacis ab eodem Chirone repertum Centaurium cognominatur, ſed Pharnaceum in controuerſiam inuentionis à Pharnace Rege deductum, &c. De hac Herba Aurea Lobellij & Penæ fuſiùs tractauimus in Vmbroſis, capite de Virga Aurea. Diuerſam à ſuperioribus Panacis ſpeciem pinxit Dodonæus, quæ peregrina ſtirps eſt, foliis amplis, multiplicibus nonnihil hirſutis & aſperis, quorum ſingula Lapathi folia æmulantur, ſed minora ſunt: caulis duorum, trium, aut quatuor cubitorum altitudine: flores in vmbellis lutei: ſemen planum, latum, & ſubflauum: longa & candida radix. Panacis ſpeciem eſſe, inquit Dodonæus, ſemen demonſtrat, in Panacis lacryma repertum, ex quo Petro Condẽbergio Antuerpienſi Pharmacopœo primùm enata ſtirps eſt. Ex inciſa radice Panacis Heraclij, inquit Dioſcorides, nõ Aſclepij, vt vult Plinius, colligitur ſuccus recens adhuc germinantibus caulibus, qui dicitur Opopanax, Officinis Opopanacum. Colligitur & ex caule per meſſes inciſo: qui hodie ad nos ex Alexandria Ægypti conuehitur, Officinis notior, quã ipſa Panacis genera. Vim habet, auctore Dioſcoride, calfaciendi, molliendi, attenuandi. Quare febribus per circuitus repetentibus, rigoribus, vulſis, ruptis, laterum doloribus, tuſsi, torminibus, ſtillicidio vrinæ conuenit: contra veſicæ ſcabiem ex aqua mulſa, aut vino bibitur: ducit menſes, & fœtus enecat. Inflationes vteri & duritias diſcutit cũ melle dilutus. Illinitur ex eo iſchiadicus dolor. Admiſcetur acopis & medicamentis capitis, carbunculos rumpit. Podagricis cum vua paſſa illitus ſubuenit: dolore dentium liberat cauis inditus. Viſum acuit oculis illitus. Cum pice mixtus optimum eſt emplaſtrum aduerſus rabioſi canis morſus. Radix deraſa & vuluæ admota partus euocat. Facit & ad vlcera vetera, & oſſa denudata carne obducit trita inſperſa, & cum melle illita. Semen cum Abſinthio ſumptum menſes pellit, cũ Ariſtolochia prodeſt aduerſus animalia

Li. purgan. & de flor.

Vires & Temper. Lib. 3. c. 48.

animalia quæ venenum eiaculantur, & contra vuluæ ſtrāgulatus in vino bibitur.
Li 8.ſimpl. Galenus de eodem ſic ſcribit. Ex Panace Heracleo fit Opopanax, radicibus eius & caulibus ſcilicet inciſis. Porrò Opoponax ipſe longè eſt ad plurimos vſus aptiſsimus, vtpote excalfaciens, emolliens, & digerens: ponatq; ipſum quiſpiam in calfaciendo tertij ordinis, in deſiccando verò ſecundi. Cortex radicis exſiccatorium ſimul & excalfactorium eſt medicamentum, ſed minùs quā ſuccus. Quin & nonnullam habet abſtergendi facultatem. Quare eo quoque vtimur ad nuda oſsium, & ad vlcera maligna & contumacia. Fructus calidus & ipſe eſt, ac menſibus mo-
Lib.9. hiſt. cap.12. uendis medicamen accommodum. Theophraſtus Heraclij radicem vtilem eſſe ſcribit contra morbum comitialem coagulo vituli marini admiſto ad quartam partem, & contra tormina è vino dulci: vtilem etiam ad vulnera ſicca, ex melle ad
Li.2. ſimpl. purg. c.21. madida. Meſues his & multis aliis dotibus adiicit ſucco huic vim ineſſe purgandi pituitam craſſam & lentam clam à remotis partibus, cerebro, neruis, ſenſoriis, iuncturis, thorace. Ob id prodeſſe harum partium affectibus frigidis inde natis, viſui imbecillo, tuſsi antiquæ, difficultati ſpirandi, iſchiadi, gonagræ, podagræ, quam purgandi vim Græci tacuerunt. Panacis Aſclepij flores & ſemina, auctore
Lib.3.c.49. Dioſcoride, vim habent aduerſus vlcera, tubercula, & phagedænas, ſi trita cum melle imponantur. Contra ſerpentes cum vino bibuntur, & cum oleo illinũtur.
Li.8.ſimpl. Id ſemen Heraclio minùs eſt calidum, ait Galenus. Quare floribus & ſemine melle miſtis ad vlcera, phymata, & phagedænas vtuntur Theophraſtus Aſclepiũ ſuũ valere ſcripſit ad ſerpentes, ſi bibatur deraſum, & ad lienem, cũ ſanguis circa eum conſtiterit: ex mulſo, & capiti, tritum ex oleo, & inunctũ, & ſi qua alia parte obſcura laboret quis, & ventris doloribus ex vino raſum. poſſe etiam & longas ægritudines depellere. Inſuper & vlceribus, humidis quidem ſiccum aſperſum, elotumq; vino calido. Siccis etiam ex vino ſubactum, & aſperſum. Chironij verò radix pota, inquit Dioſcorides, ſerpentium venenis reſiſtit: illita coma eadem præſtat. Id
Li.8.ſimpl. ſimilem Aſclepio facultatē habet, inquit Galenus. Theophraſtus Gaza interprete. Vtuntur ea aduerſus viperas & phalangia, & tineas veſtium, & cætera reptilia, data ex vino & vncta oleo. Viperæ autem morſui inſpergitur ex acido, & potui datur. Valere aiunt & ad vlcera ex vino & oleo, & ad tubercula ex melle: quo Theophraſti loco exemplaria Græca habent τὸς σῆλας, Gaza conuertit tineas veſtium, vulgarem lectionem ſecutus: & ſunt quidē σῆλες vermes, qui veſtes & libros corrodunt. Verùm aduerſus hos quomodo Panaces Chironium cum vino bibatur, aut cum oleo illinatur? Quare legendum τὸς σῆπας, aduerſus ſepas. Eſt autem, vt Lucanus ait,

Oſſaque diſſoluens cum corpore tabificus ſeps.

Serpentis genus, ex cuius ictu partes putreſcunt, atque ipſi icti intra tres aut quatuor dies pereunt: de quo Dioſcorides & Aëtius ſcripſere. Ex iis quæ diximus perſpicuum eſt, quam variæ ſint etiam Claſsicorum auctorum de Panacis generibus ſententiæ: de quibus hæc doctiſsimè cōmentatus eſt Dalechampius. Certum eſt, inquit, Dioſcoridi tria genera Panacis conſtitui. Primum Heracleum, cuius ſuccus Opopanax eſt, non Panacis Aſclepij, vt Plinius ſcripſit, ca.4.25. magna inconſtantia, & obliuione, cum cap.26.12. plantam quæ Opopanacem fundit, notis Heraclei delineaſſet. Secundum Panacem Aſclepion, cortice falſo, & craſſo, Theophraſto, non multo, vt vertit Plinius. Tertium Chironium, Amaraci folio Dioſcoridi: Lapathi Theophraſto. Præter hæc tria famoſa, Dioſcorides Origanum ſilueſtre, ſiue Cunilam bubulam, quæ Cunilæ gallinaceæ, ſiue Origano Heracleotico ſimilis eſt, Heracleon Panaces dici tradit: quinetiam liguſticum, Panaces, & Panaceam: quod & Plinius affirmat: Centaurij quoque magni radicem Panaceam, quam & Panaceam, & Pharnaceum, vocari docet etiam Plinius: quamuis in hac re

ſapere

ſapere qui ſeſe putant,arbitrentur Liguſtici cognomen id apud Dioſcoridem ſpurium eſſe,quoniam in exemplari Græco non extat, & quæ de Centaurij radice ad finem capitis leguntur,nō eſſe Dioſcoridis,ſed adiectitia, audaciùs eo loco inculcata. Alterum genus(Panacis)inquit Plinius,cap.4.25.Heracleon vocāt, & ab Hercule inuentum tradunt. Alij(nimirum Crateuas,cap.8.19.)Origanum ſilueſtre Panaces Heracleon vocant,quod eſt Origano ſimile:(Heracleotico,ſcilicet,dicto ab Heraclea vrbe Cretæ,non ab Hercule.)Sic reſtituēdus locus ille corruptus Plinij, qui Panacis nomine appellauit,Heracleon,Aſclepion,Chironium, Origanum ſilueſtre,Liguſticum,Centaurij magni radicem,vt Dioſcorides, & inſuper Achilleā Sideritim,cap.5.25.Theophraſtus cap.12.9.Hiſt.Panacis genera recenſet Syriacum, Heracleon,Aſclepion,Chironium, & alia præterea duo,alterū folio tenui. λεπτόφυλλον:alterum craſſo,παχύφυλλον,non πολύφυλλον,vt vulgò legitur:idemq; Heracleon,Aſclepion,Chironium deſcribit luculenter.Syriaci verò ſe paulò ante meminiſſe,inquit,nimirum eiuſdem libri,cap.7.cū ait,ex India & Arabia ad vnguentorum confectiones odoras aduehi,vnguētis autem ferè immiſceri Caſiam, Cinnamomum,Nardum,Neron,ſiue vt quidam legūt,Maron,Balſamum,Iridē, Nartam,ſiue vt quidā legunt ex Dioſcoride Narcaphthō,Coſtū,Panaces,nō vt Gaza, Liguſticum,Crocum,&c.ac rurſus ca.11.Panacis,inquit,varij ſunt vſus,nec ad eandem rem omnes.Seminis quidem ad prouocandos abortus, neruorum diſtenſiones,& dolores id genus,ad morbos auriū,& vocis exercitationes: radicis verò ad partus accelerandos,ducenda muliebria,& morbos veterinorū. In Syria Panaces gignitur,& per meſſem inciditur. Hæc Theophraſtus de Syriaco, in quibus nulla eius nota deprehenditur. Quodnam id ſit docti ambigunt.Plinius cap.26.12. Heracleum fuiſſe declarat,quoniam cùm Panaces vnguentis Syriam gignere Theophraſtum ſecutus dixiſſet,mox ſubiicit, naſci in Phocide Arcadiæ, (nō Pſophide) Africa,Macedonia:Ferulam ſui generis eſſe quinque cubitorum,(caule Ferulæ, altiſſimo,Dioſc.)foliis primò quaternis,mox ſenis,(lego,primò ternis, mox quinis, ſic enim oriuntur:) (in ambitu quinque partitò diuiſis:Dioſc.) in terra iacentibus, ampla magnitudine,rotundis, (ad ſiculnea multum accedentibus, Dioſc.) in cacumine vero oleagineis, (circa caulem minoribus: Dioſc.)ſemine in muſcariis depēdente,vt Ferulæ:(vt Anethi:Dioſc.)Excipitur ſuccus inciſo caule meſsibus, radice, Autumno.(τέμνεσ) περὶ πυραμηλον.Theoph.) Laudatur candor eius coacti. Sequens pallido ſtatera (Sequitur pallor ſiccato.Dioſcor.)&c.quæ omnia Heraclei deſcriptionem continent,alibi nuſquam traditam à Plinio, quod illic diligenter explicaſſet.Opinionem Plinij laudo & amplector, legēdumq; apud Theophr.arbitror: Πανάκη δὲ καλοῦσι, πρῶτον μὲν τὸ ἐν Συρίᾳ, ἡράκλειον, περὶ ὃ μικρῷ πρότερον εἴρη): ἄλλα δὲ, τὸ μὲν χλοῶδες καλάμινον, τὸ δ' ἀσκληπιον. ἔχει δὲ τὸ μὲν χλοῶδες,&c. vt ſuperuacua reliqua ab inconſiderato quodam infarcta ſint,Syriacum Panaces præter illa tria pro quarto numerante, niſi fortaſſe putet aliquis Heraclei deſcriptionem quæ poſtrema eſt,amouendam ſuo loco,& præponendam hiſtoriæ Chironij & Aſclepij,vt ordine procedat philoſophi oratio.Pari dubitatione de Leptophyllo Panace & Pachyphyllo quæritur, ea quænam ſint.Dodonæus Pachyphyllon eſſe iudicat Cētaurium magnum,cuius radicem etiam Panaceam vocari teſtatur Dioſcorides, Leptophyllon verò, Centaurium minus,vt vtrumque Centaurij genus Panacis cognomine velut decoretur, quoniam nomine promittit omnia morborū remedia.Ego verò,cum extra dubium ſit Origanum ſilueſtre, & Liguſticum, Panaces vocari,nullus autem de Centaurio minore id prodiderit, probabilius eſſe credo,Origanum ſilueſtre παχύφυλλον eo loco à Theophraſto dici, Liguſticū autem,λεπτόφυλλον,non obſcura in foliis eorum hac differentia.

LIGVSTICVM. CAP. XXV.

Nomina

ΛΙΓΥΣΤΙΚΟΝ Græcis,Galeno vnius literæ immutatione λιγυστικὸν, niſi mendoſi ſint illius codices,Latinis quoque Liguſticũ, quod naſcatur plurimùm in Liguria,inquit Dioſcorides, in Apennino alpibus contermino. Vocant autem incolæ Panaces, non ſine ratione, quoniam & radice & caule Panaci Heraclio ſimile ſit, & viribus iiſdem præditũ.

Li.3. ca.51.

Locus.

Gignitur in altiſsimis aſperiſq; ac vmbroſis montibus, maximè circa ſcrobes.

Forma.

Cauliculum profert tenuem,ſimilem anetho,geniculatum, circa quem folia ſunt meliloti foliis teneriora,odorata,propè ſummum caulem graciliora, & magis diuiſa:in cacumine vmbella eſt,in qua ſemen nigrum,ſolidum, oblongum ad fœniculi ſemen accedens,guſtanti acre & aromaticum. Radix candida Heraclei Panacis ſimilis,odorata. Sic Liguſticum depinxit Dioſcorides. De quo breuiter hæc Plinius. Liguſticum ſilueſtre eſt in Liguriæ ſuæ montibus:ferítur vbiq;:ſuauius ſatiuum,ſed ſine viribus. Panaces aliqui vocant. Crateuas apud Græcos Cunilam bubulam eo nomine appellat Liguſticum ex Matthiolo hîc pictũ Siler eſt montanum Officinarum, quod multi eſſe Seſeli Maſsilienſe exiſtimarunt, tamen magis placet etiam Dodonæo Liguſticum eſſe. Folia enim ad meliloti folia accedunt,

Lib.3. ca.51.
Lib.19. c.8.

LIGVSTICVM, Matthioli.

LIGVSTICVM alterum, Lobell.

ipſis tamen molliora & anguſtiora:ſemen craſſum,ſordido Cumini colore ſubnigricans,quo maius & acrius.In Liguriæ montibus gignitur. Lobellius Liguſticum alterum Belgarum oſtendit,plantam non inelegantem multis iam annis à ſe repertam in Taurinis collibus,non procul à Padi fluentis. In hortis Belgicis alitur, caulem ferens cubitalem & ſeſquicubitalem,quem ambiunt folia rutacea, Sileris montani latiora,rotundiora,abſinthij fruticis ferè paria:flores & ſemen rotundũ, nonnihil aromaticum in Vmbellis Smyrnij Cretici. Hæc Lobellius. Ex quibus perſpicuum eſt leuiſticum vulgò vocatum à Liguſtico prorſus diſtare. Nam hoc caule

caule assurgit tenui,& foliis meliloti.Leuisticum caule,procero,geniculato, albo, crasso,concauo,foliis in plures lacinias diuisis,maioribus,& crassioribus,læuibus, splendentibus,ex luteo,veluti ipsi caules,virentibus,floribus luteis, semine nigricante,grandi, carnosa & restibili radice.Id enim est Leuisticũ Herbariorum Gallicè *Leuesche*, Matthioli Hipposelinum,Laserpitium Germanicum,Smyrnium Lacunæ. Tota planta grato est & aromatico odore.Huius etiam meminimus, cap.7. huius libri. Radicis & seminis Ligustici vis auctore Dioscor.excalfactoria est, cõcoquens.Prodest ad internos dolores,tumores,concoctiones,item ad inflationes prẽsertim circa stomachũ,& contra serpentiũ ictus.Vrinas & mẽstrua potu ducit. Eadẽ præstat radix apposita. Radix & semẽ vtiliter oxyporis & cõcoquẽtibus medicamẽtis miscetur. Valdè gratũ est stomacho.Quare pro pipere vtuntur eo indigenæ, obsoniis permiscentes. Plinius,Ligusticum,inquit,aliqui Panacẽ vocãt:stomacho inutile est (falsõ,cum ex ipsius facultatibus,& Dioscor.auctoritate stomacho vtilissimum esse constet.) Item conuulsionibus & inflationibus. Sunt & qui Cunilam bubulam appellauerint,vt diximus falsõ. Galenus scribit Libystici radicem & semen esse ex genere excalfacientium,adeò vt & menses cieant, & vrinas prouocent,flatusq; extinguant. Leuisticum haud multùm viribus differt à Ligustico,eueiq; illud tutæ substitui potest.Quare radix & semen siccata, & cum vino pota,ventriculum exsiccant & excalfaciunt,tormina sedant,flatus dissipant, vrinas & menses cient.

Ibidem. *Vires & Temper.*

Li.7.simpl.

PEVCEDANVM. CAP. XXVI.

GRAECIS πεύκεδανος, Latinis Peucedanus & Peucedanum, Arabibus *Harbatum*,vulgò fœniculus porcinus, Gallis *Fenouil de pourceau*, Germanis *Harstrang*, qua voce pilorum restis significatur, & *Schweinfenchel*, *& Seuufenchel*, idest,radix sulphurea, & fœniculus porcinus. Dictus autem est Peucedanus à πεύκη,quæ Græcis est pinus,quod folio sit pinus: quare Apuleius Pinastellum appellauit. Vel à piceo fœtore Peucedanus nomen inuenit:nam amarorem horrendũ & fœtorem πεύκεδανος vox apud Poëtas significat.Plantæ descriptio hæc est ex Dioscoride. Peucedanum caulem mittit tenuẽ, gracilem, fœniculo similẽ comã habet circa radicẽ copiosam,ac densam, florẽ luteum:radicẽ nigrã,crassam,grauis odoris,succi plenam. Nascitur in mõtibus vmbrosis. Colligitur succus radice tenera incisa cultello,& quod defluit statim in Sole ponitur,in vmbra enim liquescit. Dum autem colligitur,capitis dolorẽ & vertiginem inducit,nisi quis nares prius rosaceo illeuerit,& caput eodem irrigauerit. Inutilis redditur radix succo inde extracto.(Sic enim legendum, ἄχρηστος ὁ γινε) ὀπισθείσα ἡ ῥίζα,non ὀπισθείσα,vt vulgares codices habent, quos secutus Ruellius cõuertit,Assatione radix inutilis fit.)Colligitur etiam succus ex caulibus,& liquor, & ex radice,vt ex mandragora.Inefficacior autem est liquore succus, & citiùs expirat.(Sic enim legitur in vulgaribus codicibus,ἧττον ὁ ἐνεργεῖ τοῦ χυλοῦ ὁ ὀπὸς: quos etiam secutus Ruellius conuertit.Verũ inefficacior succo lacryma habetur. In veteri autem contrarium legi annotat Andr.Lacu.ἧττον ὁ ἐνεργεῖ τοῦ ὀποῦ ὁ χυλὸς:quod est,Inefficacior succo liquor : cui lectioni adstipulatur Galenus de Peucedano scribens:χρώμεθα δὲ καὶ τῷ ὀπῷ καὶ τῷ χυλῷ. Idest, Vtimur etiam succo & liquore, & mox.ἰσχυρότερος ὁ αὐλῶν ὁ ὀπὸς. sed valentior succus. Alibi tamen Dioscorides, ὁ χύλισμα siue τὸν χυλὸν,idest,liquorem siue liquamentum hyoscyami & mandragoræ præfert τοῖς ὀποῖς,idest, succis ab iisdem plantis expressis.) Inuenitur etiam concreta lacryma thuri similis,caulibus & radicibus adhærens.Præfertur succus è Sardinia & Samothrace,grauis odoris,fuluus,linguam calfaciens. Plinius eandem descriptionem declarat,sed in quibusdam à Dioscoride variat Theophrastum in

Nomina

Lib.3. c.77. *Formæ.*

Locus.

Li.8.simpl.

Li.4. c.64. Li 4 ca.71.

Lib.25. c.9.

his secutus. Sed inter primas,inquit,celebratur Peucedanum laudatissimũ in Arcadia,mox Samothrace. Caulis est ei tenuis , longus,Fœniculo similis, iuxta terrã foliosus,radice nigra,crassa,granis odoris,succosa. Gignitur in montibus opacis foditur exitu Autumni. Placent tenerrimæ & altissimæ radices. Hæ conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis,funduntq; succum in vmbra, capite & naribus rosaceo perfusis,ne vertigo sentiatur. Et alius succus inuenitur caulibus adhærẽs, incisisq; manat. Probatur crassitudine mellea, colore rufo , odore suauiter graui, feruens gustu. Et hic in vsu,& radix,& decoctum eius pluribus medicamẽtis. Succo tamen efficacissimo,qui resoluitur amaris amygdalis,aut ruta,bibiturq; contra serpentes,& ex oleo perunctos tuetur. Hæc Plinius. Theophrast. radicem solam probat,semen inutile esse dicit,itemq; succum his verbis. Θερμαντικὸν δὲ ἡ τοῦ πευκεδάνου ῥίζα, ἁλμυρά τι ποιοῦσι ἐξ αὐτῆς ἰδρωτικόν, ὥσπερ ἐξ ἄλλων. τὸ δὲ σπέρμα οὐ χρήσιμον, οὐδὲ ὁ ὀπὸς αὐτοῦ. γίνεται δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ. Quod in Arcadia nasci ait,habet etiam Plinius, & Samothracẽ addit. Quare etiam in Dioscoride pro Σαρδωνίᾳ legendum videtur Ἀρκαδίᾳ. Matthiolus Peucedanũ in Apenninensibus montibus copiosissimè prouenire scribit , cum aliis notis , tum radice

Cap.21.9. hist.

Ca.77.li.3.

PEVCEDANVM,
Matthioli.

PEVCEDANVM,
Dodonæi.

Dioscoridis Peucedano simillimum,quam habet crassam,nigram , succi plenam, grauiter olentem. Multum crescit,inquit Pena, in Hetruriæ æstuosis, & Narbonensis Galliæ glareosis collibus,præsertim in luci Gramuntij aditu,& circum, inter sentes & dumeta. Radix profunda nigricat foris,intus virescens, succumq; remittit gummeum, flauũ,odoris grauis & fœtentis,comatq; supernè densõ capillitio,fusco,ambiente caulem gracilem,sesquicubitalem multis interdũ ab imo furculis diuisis in folia terna,fœniculi modo,quàm ferulæ duplo latiora , longiora, minùs crassa:Vmbellæ latiores luteis floscul is prægnantes, semine angelicæ haud absimili,ingrato.Sic & purgandi vi donata fuit radix herbáve,sed propter fœtorẽ vtriusque minùs in vsum deducta. Peucedanum Italicum , inquit Lobellius , est Narbonensi

In Ad.fol. 450.

PEVCEDANVM Maius Italicum, Lobell.

Narbonensi quadruplò maius omni sui parte. Prouenit copiosè in collibus Lauretanis & agri Romani. Dioscorides & Galenus succo radicíque vires insignes attribuunt his verbis. Succus ex aceto & rosaceo illitus prodest lethargicis, phreniticis, vertiginosis, comitialibus, longis capitis doloribus, resolutis, ischiadicis, conuulsis: omnibus in vniuersum vitiis neruorum ex oleo & aceto illitus prodest. In vteri strangulatione olfaciendus naribus admouetur, & sic quoque in soporem altiùs delatos reuocat. Suffitu serpentes fugat. Aurium doloribus commodè ex rosaceo instillatur, & ad dentium dolorem cauernis inditur. Facit & ad tussim cum vino sumptus. Subuenit difficultati spirandi, torminibus & inflationibus. Aluum leuiter emollit, & lienem liquat. Difficiles partus egregiè adiuuat. Et ad dolores & distensiones vesicæ & renum potus facit. Aperit etiam vterum. Radix ad eadem vtilis est, sed minore efficacia: bibitur autem ipsius decoctum. Eadem arida trita purgat sordida vlcera, & ossium squamas remouet, & vetera ad cicatricem perducit. Miscetur ceratis & malagmatis calfacientibus. Galenus, Peucedani, inquit, radice, quidem maximè, sed tamen etiam succo & liquore vtimur. Sunt autẽ omnia hæc eiusdẽ specie facultatis: sed valentior succus, admodũ excalfaciens & digerens. Quare affectibus omnibus circa neruos consistentibus conuenire creditur, tum morbis in pulmone, thoraceq; ex crassitudine & viscositate humorum prouenientibus. Atque nitro quidem in corpus sumptus, sed tamen etiam olfactu prodest. Porrò quod incidat & extenuet, sæpe etiam dentium perforatorum dolores cauitati impositus, protinus sedauit, quia videlicet tenuium est partium, & excalfaciens. Quinetiam lienes induratos iuuat, nempè incidendo, digerendo, atque extenuando crassos humores. Sed ad hæc & radice vti liceat, quæ & squamas ab ossibus celerrimè detrahit, quia videlicet validè desiccat, minùs tamen quam succus excalfaciens. Et vlceribus contumacibus aptum est remedium arida illita: ipsa enim expurgat, carnem inducit, & ad cicatricem perducit: excalfaciens quidem ordine secundo iam completo, desiccans verò tertio iam incipiente. Plinius easdem atque alias etiam vires describit variis in locis. Peucedanum pectoris doloribus subuenit. Pituitam & bilem detrahit Peucedani radix. Eadem decocta lieni & renibus prodest. Perungunt & radice sudoris causa eliciendi, quoniam caustica vis ei est. Peucedano ad recentia vulnera tanta vis est, vt saniem ossibus extrahat. Cum semine cupressi bibitur, si sanguis per os redditus est, fluítque ab infernis. Strangulatus vuluæ nidore vstum recreat, laxantúrque suffocationes eo, sed quidam admiscent in vino semen cupressi contritum. Potum cum coagulo vituli marini æquis portionibus comitiales sanat. Succus infantium ramici, & vmbilicis eminentibus iungitur. Stranguriæ cum melle medetur. Item semine lethargici excitantur, &, vt perhibent, ex euphorbio, naribus tactis Peucedani succo.

Li 8 simpl.

SESELLI. CAP. XXVII.

Nomina

QVAE planta σέσελι Græcis, similiter Latinis Seseli nominatur, Arabibus *Sisalios*, Barbaris Siselios. Plinius Sili videtur appellasse multis locis: in quibusdam etiam Seseli vocat. Dioscorides tria Seseleos genera ponit, σέσελι ὃ μασσαλεωτικὸν, id est, Seseli Massilienſe, Officinis Siler montanum dictum, σέσελι αἰθιοπικὸν, Seseli Æthiopicum, & σέσελι πελοποννησιακὸν, Seseli Peloponnesiacum: quibus quartum addit in alio capite, σέσελι κρητικὸν, Seseli Creticum, Tordylium nominatū. Quæ singillatim sic deliniat. Seseli Massilienſe folia habet fœniculo similia, sed crassiora, caulem vegetiorem, vmbellam anetho similem, in qua semen oblongum, angulosum, degustanti statim acre: radix longa est, odorata. Matthiolus Seseli Massilienſe, ita depictum exhibet, & in omnibus

Li. 24. c. 19. & lib. 8. c. 22. & li. 13. ca. 26 & li. 27. cap. 7.

Genera

Forma.

Cap. 53. li. 3.

SESELI Massilienſe, Matthioli.

SESELI Æthiopicum Matthioli.

In Ad. fol. 352.

ferè Tridentinis montibus colligi ait, quod tamen legitimum esse negat Pena, quid verò sit, inquit, cùm Matthiolus non descripserit, nobis ignorādum: illud tamen is asserit se in Tridentinis alpibus hanc plantam nusquam vidisse, ac ne in Baldo quidem monte longè illis feraciore. Genuinum verò Seseli Massilienſe passim & copiosè crescere illis in tractibus qui Massilia Aquas sextias ducunt, transque Rhodanum in Monspeliaci agri asperis. Se etiā id collegisse via qua Roma Senas itur propè colles oppidi Montfiascone dicti. Radix illi alba, fœniculi effigie & magnitudine, altè humi depacta & euulsu difficilis, quàm fœniculi odoratior & calidior: caulem vt plurimum sesquicubitalem, ferulaceum, hinc inde alis multis ex geniculis prodeuntibus reflexum emittit, prædurū, rigidum: folia pauciora, sed firmiora, crassiora quā fœniculi, & albida sunt: vmbellæ cōfectæ, anethi, floribus candidis, & semine anisi similiori quā fœniculo, gustu suaui, acri, & medicato, Mei aut Panacis gustu. Planta illic valdè nota est fœniculi tortuosi nomenclatura. Neque quantum illic locorum est Massiliæ circumlustranti, vllā plantam videre

videre eſt,quæ magis quadret Seſeli. Hanc plantam deſcripſeramus & pinxeramus fœniculi tortuoſi nomine. Iſtud Seſeli Maſſilienſe diximus Officinis Siler montanum vocari,& Siſeleos:cũ tamen hoc ab illo multũ diuerſum ſit. Eſt enim Siler montanum,inquit Pena,duũm cubitorum ferulaceus caulis, radix odorata, Liguſtici,folia terna,non modo fœniculo, vt Maſſilienſi Seſeli, maiora, ſed vel peucedano latiora, ac paulò minus Liguſticũ, vel coronarium roſmarinum æquantia,mollia: vmbellæ prægrandes,Angelicæ, quibus ſemen foliaceũ,longius cumino,colore pallido,quod guſtu,etiam ſaccharo conditum, acrius quam Æthiopicum eſt,tanto magis quã Maſſilienſe, cui acrimonia præfert Æthiopicũ. Quare qui Pharmacopœis & recentioribus ſuaſerũt Siler montanum, ſiue Siſeleos nihil aliud eſſe quam Dioſcoridis Seſeli Maſſilienſe,eos quidem hac in re fefellerunt,quãtum verò ad vires attinet, minimè. Eſt enim planta multò maioris acrimoniæ & efficaciæ quàm vllum Seſeli: eoque menſtruis ciendis valdè cõmoda. Id ſuprà pictum dedimus,cap.de Liguſtico,ipſius Liguſtici Dioſcoridis nomine. Seſeli Æthiopicum,vt tradit Dioſcorides, folia habet hederæ ſimilia, Lib.3.ca.53. minora,oblonga,ad foliorum periclymeni ſimilitudinẽ: Frutex eſt magnus (nam emendatiores codices habẽt, θάμνος δὲ μέγας ἐστι, quod & Hermolaus expreſsit,non θάμνος ὑμέλης ἐστι, vt conuertit Ruellius, frutex nigricat) palmitibus in bina cubita extenſis, in quibus rami ſunt duorum palmorum,& capitula velut anethi:ſemen autem nigrum, dẽſum velut triticũ, acrius ac odoratius quam Maſſilienſe,ac vehementer iucundum.Ruellius facit etiam ſemen hoc amarum,quod neque ex vulgari,neque ex veteri codice conſtat.Additur autem ad finem eiuſdem capitis in codice antiquo: ἔστιν δὲ καὶ τὰ ἀυτὰ,ideſt,eaſdem vires habet. Huius Seſeleos imagines duas dat Matthiolus. Vtraque Cap.55.li.5. enim,inquit, verum repræſentare videtur. At priùs à Seſeli Æthiopico multũ diſtat:eſt enim herba quam recentiores libanotidem Theophraſti prodiderunt, eoq; nomine deſcripſit In Ad.fol. 281. & depinxit Dodonæus,viribus & figura alienã Lib.2.c.84. à Seſeli Æthiopico, quem fruticem, adeóque magnum Dioſcoridis correctior codex ſtatuit eſſe,vt ſuprà diximus. Alterum igitur verum Æthiopicum ſufficere debebat in locum illius herbæ,cui videtur poſtpoſuiſſe:quod Pena graphicè ſic depingit. Id ſaxeis illis & deuexis Maſſiliæ maritimis,tum etiam ad Ceſtij montis celſi radices,qua in ſtagnum vergit,fruticat Ibidem.

FOENICVLVS Tortuoſus, Dalechamp.

SESELI Maſſilienſe, Pena.

SESELI Aethiopicum verum.

Li.3. ca.153. *Forma.*

vberi prouentu Iulio & Auguſto, ſpectatu valdè elegans. Multis conſtat virgultis rectis, ligneis, nigricantibus, rigidis, binos ternósve cubitos altis, in varios ſurculos diductis, folia craſſa, rigida, & læuia, viridia vt hederæ, figura oblonga, propiora periclymeno promentibus. Luculentas in ſummis gerit vmbellas, luteis floribus anethi, quas ſemen ſtipat fuſcum, oblongum, copioſum, fœniculo maius. Non ſolũ ſemen, ſed etiam vniuerſus frutex guſtanti aromatis ſaporem acrem, medicatum & ſubamarum, ſed gratum imprimit, ſuauemq; odorem ſpirat à ſummo ad imam vſque radicem, quæ lignoſa eſt. Eximiæ vis eſt eius ſemen ad theriacam, quod etiã, vt Dioſcorides innuit, Maſſilienſi multò odoratius & efficacius eſt. Seſeli Peloponnenſe, vt ſcribit Dioſcorides, folia habet cicutæ ſimilia, latiora (vulgaris enim codex habet πλατύτερα, legitur in vetuſto τραχύτερα, ideſt, aſperiora) & craſsiora, caulem maiorem, quàm Maſsilienſe, ferulaceum, in cacumine vmbellam, in qua ſemen latiùs odoratũ, & carnoſius. Naſcitur in aſperis locis, humidis, & collibus, & in Ida. Eiſdem viribus præditum eſt. Hoc Matthiolus ſic pinxit. Longè aliud propoſuit & deſcripſit Pena his verbis. Ad mõtem Lupi, & iuxtà ædes ſacrificuli in decliuibus ſalebroſis inſulæ montis Ceſtij, qua mare ſe pandit, eſt planta quidem copioſa,, ſed non vbiq; obuia, cuius radix magna, intus alba, foris nigricãs, recta & altè porrecta, ferulę thapſię́ve modo, odorata, & aliquantum acris. Caulis digitum æquat craſsitie, ſeſquicubitum altus, ferulaceus, à quo promũtur alæ turionésve complures in ambitum ſparſi, vbi folia multa, cicutæ magnitudine, ſed incurua, piloſa & criſpa, rugatáque. Vmbellæ multæ anethi luteæ ſunt, ſemen latum foliaceum, compreſſum, angelicæ figura & magnitudine, color illi ex pallore flaueſcit, odor ſuauiſsimus, Æthiopici adeò ſimilis, vt ſtatim odoratu, cùm primum vidiſſet ille, Peloponnenſe coniectarit, quã coniecturam certiore exploratione notarũ & virium, Doctores Monſpelienſes fulcierunt, vt nullus iam ambigat verum eſſe Seſeli Peloponnenſe, cùm tamen antea nonnulli thapſiæ ſpeciem ſuſpicati fuerint. Ab hoc ſola magnitudine diſcrepans Peloponnenſe. Seſeli maius exhibuit Lobellius, in Belgij hortis ex Hiſpano ſemine ortum, altero tanto maius, maioribus latioribuſq; foliis & ſemine. Id Thapſia eſt latifolia Cluſij & quorundam. Maſsilienſis Seſeleos ſemen & radix excalfaciendi vim habent, inquit Dioſcorides, potu ſtrangurię & orthopnœæ

Locus.

SESELI Peloponnenſe, Matthiol.

Cap.13.li.4. In Ad. fol. 317.

Vires & Temper. Lib.3. ca.55.

SESELI PELOPON.
folio cicutæ, Penæ.

orthopnœę medentur, prosunt etiã vteri, strangulationibus & epilepticis, mẽses & partus trahunt, ad omnia terna mala pollent, & tusses veteres sanant. Semen cum vino potum concoquit, & tormina discutit: hepialis febribus vtile, & contra frigora in itineribus cum pipere & vino bibitur. Datur etiam capris, & cæteris pecudibus ad partus facilitatẽ. Plinius de ceruis loquens, fœminæ ante partum, inquit, purgantur herba quadam, quæ Seselis dicitur, faciliore ita vtentes vtero. A partu duas habent herbas, quæ aros & Seselis appellantur. Et alibi. Simplicius ceruæ mõstrauere elaphoboscum, de qua diximus: item Seseli enixæ à partu, quòd apud Aristotelem sic habetur. Ἐὰν δ' ὅταν τέκῃ, ἐσθίει τὸ χοεῖον πρῶτον, καὶ ἐπὶ τὴν Σέσελιν ὃ τρέχουσι, καὶ φαγοῦσαι ὕστερον ἔρχονται πρὸς τὰ τέκνα πάλιν. Galenus scribit Seseleos & radicẽ & fructum vsq; adeò excalfacere, vt admodum vrinã mouere queãt. Sed & tenuium esse partium, & comitiali morbo, & orthopnœę competere. Supradictis generibus subiunxit Dioscorides σέσελι κρητικὸν quibusdam dictum, & τορδύλιον, Paulo γορδύλιον, Latinis etiam Tordylium, & Seseli creticum, Ordelion, Nicandri Anguillaræ. Herbula est succulosa, inquit Dioscorides, semine rotundo, duplici, scutulis simili, subacri, aromatico, luxta Ciliciam in Amano monte nascitur. Hanc esse censet Dodonæus teneram herbulam, hìc appictam, sesquipedalem, surculis exilibus & teneriusculis, in quibus folia pauca, minitius insecta, coriandrinis similia, inferioribus latioribus, & minùs incisis, superioribus tenerioribus, & magis infectis. In surculorum cacuminibus vmbellæ albicant, semẽ rubrum, rotundum, compressum, circulo velut limbo candido circundatum, duplex: alterum enim alteri iungitur, singula scutulis similia, radix gracilis est, tenera, annua. In hortis seduli herbarij colunt. Iulio mense floret, Augusto semen maturum profert. Diuersum ab hoc Tordylium Seseli creticũ monstrat Lobellius. Hoc, inquit Pena, passim in segetibus Narbonensis Prouinciæ & secus vias occurrit, succulosa, hirsuta, rigida, aspera planta, folio rotundiore, cærefolij, vmbellis albidis, purpureis, paruis, quibus succedunt semina copiosa, circinata, quasi toreumatis elaborata, vnde fortè nomen peculiare, orbiculata, compressa, ex geminis valuulis, vt ferulæ semen conflata, clypeoli speciem referentia, gustu Myrrhidis. Lobellius addit aliud Tordylium siue Seseli Creticum maius, fruticosius multò, longioribusq; foliis & bicubitalibus caulibus in pratis Laterẽsibus Monspeliensis agri, & Lugdunensis Galliæ per fœnisecia occurrit. Belgis hortense est. Calidum siccúmque secundo ordine. Hoc bibitur ad vrinæ difficultatem, inquit Dioscoris

Lib. 8. c. 32.
Lib. 25. c. 8.
Lib. 9. hist. animal.
Lib. 8. fin.
Lib. 3. c. 54.
Forma.
Lib. 2. c. 86.
Locus.
Tempus.
Vires & Temper.
Lib. 3. 54.

TORDILYVM,
Dodonæi.

TORDYLIVM SESELI, Creticum Lobelij.

TORDYLIVM siue Seseli, Creticum maius Lobelij.

SESELI, Pratense. Lobelij.

Lib. 3. c. 25.

Seseli Prat.

Forma.

rides, & ad menses ducendos. At succus caulis & seminis adhuc viridis trium obolorum pondere potus cum passo dies decem, nephriticos sanat. Radix efficax est ad educenda quæ in pectore hærent, si cum melle delinguatur. Eadem Paulus gordylio attribuit. Tamen alibi ad sugillata Tordylium recipit hisverbis. Ad diuturna sugillata & liuida Tordylij partes duas, terræ samiæ partem vnam cum melle impone, animaduertens ne locus exulceretur. His addunt Lutetiani & Monspelienses studiosi, inquit Pena, plantam illam quæ in pratis frequentior occurrit, saxifragiæ tenuissimæ similis; quam pratense Seseli vocant. Radix illi dauci vel pencedani, foris nigra, odora: caulis bicubitalis, folia sileris montani, minora, angustiora, rigidiora, vmbella candida, semen Mei, nigrius & maius quàm fœniculi, omnium seseleon minimè odoratum, eóque perparum acre; quamobrem putarunt olim quidam Monspelienses esse massilienſe Seseli Dioscoridis.

FERVLA. CAP. XXVIII.

Νάρθηξ Græcis, Ferula Latinis nominatur. Quemadmodum autem νάρθηξ thyrsum, virgultum, bacillum Græcis significat, ita Latinis Ferula a ferendo dicta est, quod illius scapi pedamenta fruticibus, & senibus baculi ac scipiones essent. Hanc sic breuiter deliniat Dioscorides, Ferula caulẽ sæpe profert ternum cubitorum, folia fœniculo similia, longè crassiora & maiora (codices vulgares habent & rectè quidem παχύτερα ἢ πολὺ καὶ μείζονα. Ruellius conuertit longè asperiora & latiora, perinde ac si legisset βαχύτερα δὲ πολὺ καὶ πλαδύτερα) qua ab imo caule vulnerata sagapenum efficitur. Plinius, Et ferulam, inquit, inter externas dixisse conueniet, arborumque generi adscripsisse: quoniam quarundam naturæ, sicut distinguemus, lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus, ligni autem loco fungosam intus medullam, vt sambuci: quædam verò inanitatem, vt harundines. Ferula calidis nascitur locis, atque trans maria, geniculatis nodata scapis. Duo eius genera. Nartheca Græci vocant, assurgentem in altitudinem, nartheciam verò semper humilem. A genibus exeuntia folia maxima, vt quæque terræ proxima. Cæterò natura eadem quæ anetho, & fructus similis. Nulli fruticum lenitas maior: ob id gestatu facilior baculorũ vsum senectuti præbet. Hæc breuiter Plinius, quæ Theophrastus fusiùs explicauit his verbis. Λεκτέον ὑπὲρ νάρθηκός τε καὶ νάρθηκίας. Εἴτε τὸ αὐτὸ γένος ἐστὶν ἀμφοῖν, διαφέρον τε κατὰ μέγεθος, εἴτε τὸ ἕτερον, ὥσπερ τινὲς φασιν ἡ δι' οὗ φανερὰ φύσις ἀμφοῖν ὁμοία, πλὴν κατὰ τὸ μέγεθος. ὁ μὲν γὰρ νάρθηξ γίνεται μέγας σφόδρα. ἡ δὲ ναρθηκία μικρά. μονόκαυλα δὲ ἄμφω, καὶ γονατώδη. ἀφ' ὧν τὰ τε φύλλα βλαστάνει, καὶ καυλοί τινες μικροί. βλαστάνει δὲ παραλλάξ τὰ φύλλα, λέγω δὲ παραλλάξ, ὅτι οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους τῶν γονάτων, ἀλλ' ἐναλλάξ. περιειληφότα δὲ τὸν καυλὸν ἐπὶ πολύ, καθάπερ τὰ τοῦ καλάμου. πλὴν ἀποκεκλιμένα ταῦτα μᾶλλον, διὰ τὴν μαλακότητα, καὶ τὸ μέγεθος. μέγα γὰρ τὸ φύλλον, καὶ μαλακὸν, καὶ πολυσχιδὲς. ὥστε εἶναι βιχῶδες. ἔχει δὲ μέγιστα τὰ κάτω πρὸς τὴν γῆν, καὶ ἀεὶ κατὰ λόγον. ἄνθος δὲ μηλινοειδὲς, ἀμφορόκαρπον δὲ, παρόμοιον τῷ ἀνήθῳ, πλὴν μεῖζον. ἐξ ἀκρου δὲ γίγνεται, καὶ ἔχει τινὰς ὑμεγάλους καυλοὺς, ἐν ταύτοις δὲ τό τε ἄνθος, καὶ ὁ καρπός. ἔχει δὲ καὶ ἄνθος καρπῶν, καὶ ἐν τοῖς παραγυλίοις διόλου, καθάπερ τὸ ἄνηθον. ἐπετείου καυλὸν δὲ καὶ ἡ βλάστησις τοῦ ἥρος, πρῶτον μὲν τῶν φύλλων, ἔπειτα τοῦ καυλοῦ, καθάπερ τῶν ἄλλων. ῥίζαν δὲ ἔχει βαθεῖαν. ἔτι δὲ μονόῤῥιζον. ὁμοίως οὖν νάρθηξ τοιοῦτος. Id est, Dicendum de ferula & ferulagine, siue idem est vtriusque genus, & magnitudine duntaxat differant, siue diuersum, vt quidam putant. Perspicuum est igitur vtriusq; naturam similem esse, præterquam magnitudinis ratione, Ferula enim valdè grandis assurgit, ferulago humilis. Sed vnicaulis vtraque, & geniculata, ex geniculi folia & cauliculi erumpunt: ac folia alternatim exeunt, dico alternatim, quod non in eadem geniculorum parte, sed ex aduerso sita sint, caulem magna ex parte amplexa, vt in harundine, nisi quod hæc inclinata magis sunt, mollitiei, magnitudinisque causa, est enim folium ferulæ magnum, molle, & multùm incisum, vt capillaceum ferè sit, maxima sunt inferiora & terræ proxima, & sic deinceps proportione, flos est melinus, semen fuscum, anetho simile, sed maius, ferula in cacumine finditur, & cauliculos quosdam habet, in quibus flos & semen, gerunt autem adnati cauliculi & florem & fructum veluti anethum, annuo caule constat. Vere germinant primùm folia, deinde caulis, vt & cæterorum, profundam agit radicem & singularem. Talis ferula est. Ex his liquet duo ferulæ genera esse, vnum νάρθηκα, alterum νάρθηκίαν, quam ferulaginem vertit Gaza. Sunt etiamnum hodie, inquit Pena, duæ in herbariorum hortis huius crasis, naturæ & similitudinis plantæ, quas ideirco furulagines vocant. Ex videntur tantùm distare cultura, statura, elegantia, & succi copia, vt nactę fuerint radices aruum aridum, magisque excoctum, sub cœlo sudo & feruidiore, vt in Africa, Media, Cyrene, & alibi,

Nomina

Lib. 3. c. 75.

Forma.

Lib. 21. 22.

Locus.

Genera.

Lib. 6. hist. cap. 2.

In Al fol. 348.

In ca p. 75. lib. 3.

FERVLA, Matth.

In Ad. fol 348.

NARTHECIVM, Theophr.
Ferulago Gazæ.

alibi, ferulam ex Matthiolo hic pictam damus, cuius Apulia maximè ferax est, inquit, frequens etiam prouenit in agro Romano, Thyrreni maris cõtermino, præsertim apud Centumcellas, & in vniuersis Hetruriæ maritimis. E' quibus prima tantùm germinatione corculum quoddam pastores eximunt, oui luteum induratum referens, quod sub cineribus assatum, prius tamen charta aut linteo conuolutum, deinde pipere & sale conspersum, non modo gustui gratissimus est cibus, sed etiam ad excitandam venerem valentissimus. Plurima etiam & procera, auctore Pena in Gallica prouincia & Narbonensi Gallia, præsertim illis rupibus præruptísque saxis prope subterraneas cryptas, via qua Monspelio Frontignacum itur, itidem in celsis squallidisq; saxorum sinubus, qui soles æstiuos feruidos exceptos totum fermè fouent diẽ. Quinûm cubitorum caulis est, radix magna, recta, & altè in saxorum commissuras hiantes descendens, euulsu difficilis, candida, lacteo pinguiq; succo turgida, odorem vehementem vibrans, folia fœniculo maiora, pinguiora, crassiora, vt & caulis: vmbellæ prægrandes anethi, Iunio & Iulio floscúlis luteis defluentibus. Semen foliaceum, compressum, oblongum, rotundum, angelicæ fermè, duplo maius Νάρθηκιον Theophrasti, ferulago Gazę, in iisdem locis nascitur, in quibus & ferula. Ad hominis altitudinem ea crescit, radice dodrantali, pro magnitudine plantæ totius exigua, & graciliore candida, parum fibrata, gustu subacri, nõnihil odorata cùm manditur: caule fœniculi, striato, ramoso, inani, folio fœniculi, ampliore, minore quàm in ferula, ad ramorum exortus prodeunte, alternis nunc ex hac, nunc ex illa parte, gustu subdulci & suaui: flore luteo in vmbellis, amaro & subacri, odorato: semine oblongo. Peruenustam plantam Lobellius ostendit Galbaniferam ferulam, quæ orta est in Belgicis hortis, semine copioso, lato, foliaceo, aromatico, reperto Antuerpiæ in galbani lacryma. Tota facie ferulam refert: folia exilia: floscúli in vmbellis hilarioribus: radix crassa, succo prægnans. Hæc Lobellius. Scribit Dioscorides ferulæ adhuc viridis medullam potam sanguinem spuẽtibus & cœliacis prodesse, & contra viperarum morsus dari in vino, & sanguinis è naribus eruptiones inditam sistere. Semen potum torminosis auxiliari: mouere & sudores si cum oleo illinatur. Caules si edantur, capitis dolorem facere, muria condiri. Plinius ferulæ duo genera in peregrinis fruticibus diximus. Germen

Vires & Temper. Lib. 19. c. 9.

eius

GALBANIFERA
Ferula, Lobell.

eius in Italia cibus est. Conditur quippe durátq; in vrceis, vel anni spatio. Duo eius genera: caules & racemi. Corymbiam hanc vocát, corymbósque quos condiunt. Et alibi, ferula semen simile anetho habet. Quę ab vno caule diuiditur in cacumine, fœmina putatur. Caules eduntur decocti, commendanturq; musto ac melle, stomacho vtiles. Sin plures sumpti, cápitis dolores faciunt. Radix denarij pondere in vini cyathis duobus bibitur aduersus serpentes. Et ipsa radix imponitur. Sic & torminibus medetur. Ex oleo autem & aceto contra sudores immodicos, vel in febribus proficit. Succus ferulæ aluum sopit fabæ magnitudine deuoratus. E viridi ferula ramusculus vtilis est ad omnia ea vitia. Ad sánguinem sistendum decem grana seminis bibuntur in vino trita, vel medulla. Sunt qui comitialibus morbis dandum putant luna quarta, sexta, septima, ligulæ mensura. Natura ferularum muræni infestissima est, tactæ siquidem ea moriuntur. Castor radicis succum & oculorum claritati cõ ferre multum putauit. Vt autem muræni infestissimam esse ferulam scripsit Plinius, sic asinis gratissimam, Ferulæ, inquit, asinis gratissimæ sunt in pabulo, cæteris verò iumẽtis præsentaneo veneno, qua de causa id animal Libero patri asignatur, cui & ferula. Galenus eius vires generatim & breuiter sic declarat, ferulæ semen excalfacit & attenuat. Cæterùm medulla adstringentis qualitatis particeps est, quo nomine sánguinem spuentibus & cœliacis conuenit.

Lib. 21. 23.

Lib. 14. c. 1.

Lib. 8. fin.

THAPSIA. CAP. XXIX.

Nomina

VT θαψία Græcis, ita Thapsia Latinis nominatur, Arabibus *Iantum, & Driz.* Dicta est autẽ Thapsia quasi Apsia auctore Dioscoride, quod in Thapso eiusdem nominis insula primùm inuenta sit. Potuit etiam dici Thapsia, inquit Pena, propter flámeum calorem: quem corpori admota inurit, adeoq; eminus, præsertim aduerso flatu spectanti. Tota natura ferulæ similis est, ita describente Dioscoride, gracilior tamen ipsius caulis est, folia fœniculo similia, in cacumine vmbellæ singulis furculis insident anetho similes, in quibus flos luteus, semen latiusculum, ferulæ simile, sed minus, radix intus cándida, foris nigra, magna, crasso cortice, acris. Ex hac vulnerata succus colligitur, vel ex eadem contusa exprimitur, quidam étiam folia simul exprimunt, sed debilior est hic succus. Qui succum colligit stare debet non obuersus vento, aut potius cum dies apricus est, & à vento silet: quoniam ob halitus acrimoniam facies vehementer intumescit, & nudæ partes pustulas contrahunt. Quare liquidis ceratis adstringentibus nudas partes ante illinere oportet, & ita ad opus accedere. Plinius his consentanea scripsit. Semen ferulæ Thapsiam quidam vocauere: decepti eo quoniam ferula sine dubio est Thapsia, sed sui generis, foliis fœniculi, inani caule, nec excedente baculi longitudinem. Semen quale ferulæ, radix candida, incisa lacte manat, & contusa succo: nec corticem ab dicant, omnia ea venena. Quippe etiam fodientibus nocet si minima aspiret aura, intumescunt corpora, faciémque inuadunt ignes sacri: ob id cerato prius illinunt. Matthiolus tradit Thapsiam plurimã nasci in Apulia, præ

Lib. 1. fol. 50.

In Ad fol. 100.

Lib 4 c. 161.

Forma.

Lib. 13. c. 22

Cap. 151. lib. 4.

THAPSIA, Matthioli.

In cap. 151. lib. 4.

In Ad. fol. 350.

Ibid.

Lib 4. c. 151. *Vires & Temper.*

THAPSIA Pena, vera.

lia, præsertim Gargano monte, inter permultas alias ferulacei generis plantas, atque etiam in maritimis Hetruriæ, ferulæ adeò similem, vt non nisi à peritis herbariis vna ab altera vix discernatur, spectari etiam hodie in hortis. Sed hæc vulgatior est thapsia Officinarum verior existimata, auctore Pena, & veræ thapsiæ radice non parùm adsimilis. Tamen certum est longiùs à Dioscoridis descriptione abesse. Est enim foliis potius Carotæ, siue Dauci agrestis quàm ferulæ, ex Italia iandiu hortis Belgicis & Francis vulgaris notitiæ. Genuinam verò hãc depinxit ille, valdè similem toto habitu & viribus ferulę, tametsi vsu multò præstantiore, atque purgatrice vi. In Aquitaniæ macilentioribus montosisq; & squallidis inuenit præstantissimus medicus Rondelletius, propè vadum quâ traiicitur in Hispaniam, tum ad radices Pyrenęorum, non procul Perpignano vrbe. Crassior est radicis cortex, fusco foris colore, intus albido, succóq; multo manat lacteo, gummeo: caulis Peucedani, gracilior quàm ferulę, folia fœniculo latiora, breuiora, in vmbellis semen ferulæ minoris, oblongum, angustius, mõtani Sileris. Huius plantæ vires tum perutiles, tum noxias his verbis explicat Dioscorides. Vim purgandi habent tam cortex radicis quàm succus, & lacryma in aqua mulsa pota. Nam sursum ac deorsum bilem purgãt. Dantur radicis oboli quatuor cum seminis anethi drachmis tribus: succi oboli tres, lacrymæ obolus vnus, quod amplius assumitur periculosum est. Huiusmodi purgatio conuenit asthmaticis, laterum diuturnis doloribus, sanguinis reiectionibus. At his qui difficulter vomunt in cibis & obsonio exhibetur. Tam radix quàm eius lacryma ex omnibus simili facultate præditis, vel maximè vim habent corporis miscellam transmutandi, vbi quid ex alto attrahere oportet, aut meatuum statum immutare. Vnde alopecias illitus succus, aut radix viridis affricta replet. Sugillata item liuoréque tollit radix trita, aut succus cum pari portione thuris & ceræ. Sed non vltra duas horas sinere oportet, postea aqua marina calida fouere. Delet quo que maculas à sole contractas cum melle illitus succus, lepras tollit, tubercula rumpit cum sulphure perunctus. In diuturnis affectionibus pulmonum, laterum, pedum, articulorúmque vtiliter illinitur. Valet ad præputia inducenda iis qui non ex circumcisione curti sunt, tumorem excitans, qui cum perfunditur, & pinguibus emollitur, præputij defectum explet. Hæc Dioscorides. Quibus ferè consentiunt quæ scribit Plinius. Quibusdam tamen morbis

Lib. 13 c. 22.

morbis auxiliari dicunt medici (radicem thapſiæ ſub.) permiſtam aliis. Item in alopeciis,ſugilatiſq; ac liuentibus,ceu verò remedia deſint,vt ſcelera contrectent. Sed iſta prætexunt noxio inſtrumento : tantúmque impudentiæ eſt , vt venenum artis eſſe perſuadeant. Thapſia eſt in Africa vehementiſsima. Quidam caulem incidunt per meſſes,in hoc diſsidet à Dioſcoride, qui radicem tantùm incidi ſcripſit,& in ipſa excauant radice,quo ſuccus confluat, arefactúmque tollunt.Alij folia,caulem,radicem tundunt in pila , & ſuccum in caule coactum diuidunt in paſtillos. Nero Cæſar claritatem ei dedit initio imperij , nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem illinens ſibi cum thure ceráque : & ſecuto die contra famam cutem ſinceram circumferens. Ignem ferulis optimè ſeruari certum eſt, eaſq; in Aegypto præcellere. Et alio in loco, Ad lichenas & thapſiæ radice vtuntur trita cum melle. Theophraſtus quoque de thapſiæ viribus hæc tradit. ἡ δὲ θαψίας ῥίζα ἐμετικὴ. ἐὰν ᾖ τις κατέσχῃ , καθαίρει κὴ ἄνω & κάτω. δύναται ᾗ κὴ τὰ τελιώματα ἐξαίρειν, ὑπώπια ᾗ ποιεῖ τ' ἄλλα ἕλκυκτ. ὁ ᾗ ὀπὸς ἰσχυρότερος αὐτῆς. καθαίρει ᾗ & ἄνω κὴ κάτω. σπέρματι ᾗ οὐ χρῶνται.γίνεται ᾗ κὴ ἄλλοθι ὑμοῦ,ἀυλὰρ & ἐν τῇ Ἀτλικῇ.κὴ τὰ βοσκήματα τάυτης οὐχ ἅπλεται τὰ ἐγχώρια,τὰ δὲ ξένα βόσκεται, κὴ διάῤῥοια αὐτοῖς γίνεται , ἢ διαφθείρεται. Quæ ſic conuertit Gaza. Thapſiæ radix vomitoria eſt , & ſi quis continuit tam ſuperius quàm inferius purgat. Ad hæc liuida tollere poteſt. Suppurationes tamen alias exalbidas facit (Græcè legendum, ὑπώπια τ' ἄλλα ἕλκυκτ, Id eſt, ſugillata alia alba reddit), Succus eius validior eſt , & quidem tam ſuperius quam inferius purgat. Nullus ſeminis vſus. Naſcitur tum alibi , tum in terra Attica , in qua pecudes incolæ eam non tangunt,peregrinæ verò depaſcunt,& aut aluus ſoluitur, aut intereunt. Galenus breuiùs & accuratiùs de iiſdem ſcripſit. Thapſia , inquit, acrem habet,ac valenter excalfacientem facultatem cum humiditate cõiunctam, quamobrem ex alto violenter extrahit, & quod extrahit, digerit. Verum pluſculum ad ea efficienda tempus poſtulat , vt quæ larga humiditatè impleta eſt, cuius etiam vitio fit vt celeriter corrumpatur. Meritò deſiit , inquit Petrus Pe.ex iſtius ſucco purgandi antiquorum conſuetudo, vt quò multùm noceatur præcipuis viſceribus , & tormina dira interdum excitentur. Idem tamen ex triplici Officinarum turbith , id quod cineritium dicitur à colore , vulgaris thapſiæ radicem eſſe cenſet.

Lib.16.c.4.

Lib.9. hiſt. cap.11.

Lib.6. ſim.

In Ad. fol. 350.

PSEVDOCOSTVS. CAP. XXX.

SCRIBIT Matthiolus eſſe impoſtores qui ex Gargaro Italiæ monte quotannis deferunt pſeudocoſti cuiuſdam radices amari ſaporis,quę facie quadantenus rhodiam radicem repreſentant,eáſque pro legitimo coſto pharmacopœis rei herbariæ ignaris vendunt,foliis eſt paſtinacæ domeſticæ maioribus,denſioribus,criſpis & aſperioribus , humi accubantibus,caule rotundo,fœniculaceo,geniculato,bicubitali, è geniculis ramuli oriuntur in vniuerſo caule,in quorum ſummitatibus vmbellæ ſpectantur melino colore , nudo ſemine , & ſubrotundo. Radice nititur vegeta,craſſo cortice carnoſóque veſtita, colore cinereo ſplendente. Commendant hanc herbarij qui ex Apulia deuehunt , ad omnes capitis neruorúmque affectus frigidos,ad pectoris vitia, ventriculi cruciatus,viſcerum omnium obſtructiones,& ad renum,veſicæ,& veteri morbos. Quare diuturno capitis dolore affectis , vertiginoſis comitialibus, ſtupidis, veternoſis, conuulſis, reſolutis , aſthmaticis , tuſsientibus , ictericis, hydropicis plurimùm conferre pſeudocoſti radicem affirmant. Præterea flatus expellere , vermes necare , vrinas & calculos eiicere , menſes , ſecundas , & partus educere , ſiue bibatur ipſa radix , ſiue decoctum eius , aut ſi in fomentis,

In cap.15. lib.1.

Forma.

LIGVSTICVM. *CAP. XXV.*

Nomina

ΛΙΓΥΣΤΙΚΟΝ Græcis, Galeno vnius literæ immutatione λιγυστικόν, niſi mendoſi ſint illius codices, Latinis quoque Liguſticũ, quod naſcatur plurimùm in Liguria, inquit Dioſcorides, in Apennino alpibus contermino. Vocant autem incolæ Panaces, non ſine ratione, quoniam & radice & caule Panaci Heraclio ſimile ſit, & viribus iiſdem præditũ.

Li.3. ca.51.

Locus. Gignitur in altiſsimis aſperiſq; ac vmbroſis montibus, maximè circa ſcrobes.

Forma. Cauliculum profert tenuem, ſimilem anetho, geniculatum, circa quem folia ſunt meliloti foliis teneriora, odorata, propè ſummum caulem graciliora, & magis diuiſa: in cacumine vmbella eſt, in qua ſemen nigrum, ſolidum, oblongum ad fœniculi ſemen accedens, guſtanti acre & aromaticum. Radix candida Heraclei Panacis ſimilis, odorata. Sic Liguſticum depinxit Dioſcorides. De quo breuiter hæc Plinius. Liguſticum ſilueſtre eſt in Liguriæ ſuæ montibus: ſeritur vbiq; ſuauius ſatiuum, ſed ſine viribus. Panaces aliqui vocant. Crateuas apud Græcos Cunilam bubulam eo nomine appellat Liguſticum ex Matthiolo hîc pictũ Siler eſt montanum Officinarum, quod multi eſſe Seſeli Maſsilienſe exiſtimarunt, tamen magis placet etiam Dodonæo Liguſticum eſſe. Folia enim ad meliloti folia accedunt,

Lib.3. ca.51. Lib.19. c.8.

LIGVSTICVM, Matthioli.

LIGVSTICVM alterum, Lobell.

ipſis tamen molliora & anguſtiora: ſemen craſſum, ſordido Cumini colore ſubnigricans, quo maius & acrius. In Liguriæ montibus gignitur. Lobellius Liguſticum alterum Belgarum oſtendit, plantam non inelegantem multis iam annis à ſe repertam in Taurinis collibus, non procul à Padi fluentis. In hortis Belgicis alitur, caulem ferens cubitalem & ſeſquicubitalem, quem ambiunt folia rutacea, Sileris montani latiora, rotundiora, abſinthij fruticis ferè paria: flores & ſemen rotundũ, nonnihil aromaticum in Vmbellis Smyrnij Cretici. Hæc Lobellius. Ex quibus perſpicuum eſt leuiſticum vulgò vocatum à Liguſtico prorſus diſtare. Nam hoc

caule

caule assurgit tenui,& foliis meliloti.Leuisticum caule,procero,geniculato, albo, crasso,concauo,foliis in plures lacinias diuisis,maioribus,& crasioribus,læuibus, splendentibus,ex luteo,veluti ipsi caules,virentibus,floribus luteis, semine nigricante,grandi, carnosa & restibili radice.Id enim est Leuisticũ Herbariorum Gallicè *Leueſche*, Matthioli Hipposelinum,Laserpitium Germanicum,Smyrnium Lacunæ. Tota planta grato est & aromatico odore.Huius etiam meminimus, cap.7. huius libri. Radicis & seminis Ligustici vis auctore Dioscor.excalfactoria est, cõcoquens.Prodest ad internos dolores,tumores,concoctiones,item ad inflationes prẹsertim circa stomachũ,& contra serpentiũ ictus.Vrinas & mẽstrua potu ducit. Eadẽ præstat radix apposita. Radix & semẽ vtiliter oxyporis & cõcoquẽtibus medicamẽtis miscetur. Valdè gratũ est stomacho.Quare pro pipere vtuntur eo indigenæ, obsoniis permiscentes. Plinius,Ligusticum,inquit,aliqui Panacẽ vocãt:stomacho inutile est (falsò,cum ex ipsius facultatibus,& Dioscor.auctoritate stomacho vtilissimum esse constet.) Item conuulsionibus & inflationibus. Sunt & qui Cunilam bubulam appellauerint,vt diximus falsò. Galenus scribit Libystici radicem & semen esse ex genere excalfacientium,adeò vt & menses cieant, & vrinas prouocent,flatusq; extinguant. Leuisticum haud multùm viribus differt à Ligustico,eucicq; illud tutæ substitui potest.Quare radix & semen siccata, & cum vino pota,ventriculum exsiccant & excalfaciunt,tormina sedant,flatus dissipant, vrinas & menses cient.

Ibidem. *Vires & Temper.*

Li.7.simpl.

PEVCEDANVM. CAP. XXVI.

GRAECIS πεύκεδανος, Latinis Peucedanus & Peucedanum, Arabibus *Harbatum*,vulgò fœniculus porcinus, Gallis *Fenouil de pourceau*, Germanis *Harstrang*, qua voce pilorum restis significatur, & *Schuuefencheltz*, *& Seuufenchel*, idest,radix sulphurea, & fœniculus porcinus. Dictus autem est Peucedanus à πεύκη,quæ Græcis est pinus,quod folio sit pinus: quare Apuleius Pinastellum appellauit. Vel à piceo fœtore Peucedanus nomen inuenit:nam amarorem horrendũ & fœtorem πεύκεδανος vox apud Poëtas significat.Plantæ descriptio hæc est ex Dioscoride. Peucedanum caulem mittit tenuẽ, gracilem, fœniculo similẽ comã habet circa radicẽ copiosam,ac densam, florẽ luteum:radicẽ nigrã,crassam,grauis odoris,succi plenam. Nascitur in mõtibus vmbrosis. Colligitur succus radice tenera incisa cultello,& quod defluit statim in Sole ponitur,in vmbra enim liquescit. Dum autem colligitur,capitis dolorẽ & vertiginem inducit,nisi quis nares prius rosaceo illeuerit,& caput eodem irrigauerit. Inutilis redditur radix succo inde extracto.(Sic enim legendum, ἄχρηστος ὁ γινε) ὀπισθεῖσα ἡ ῥιζα, non ὀπλισθεῖσα, vt vulgares codices habent, quos secutus Ruellius cõuertit, Aslatione radix inutilis fit.)Colligitur etiam succus ex caulibus,& liquor, & ex radice,vt ex mandragora.Inefficacior autem est liquore succus, & citiùs expirat.(Sic enim legitur in vulgaribus codicibus,ἧττον ὁ ἐνεργεῖ τοῦ χυλοῦ ὁ ὀπὸς: quos etiam secutus Ruellius conuertit.Verũ inefficacior succo lacryma habetur. In veteri autem contrarium legi annotat Andr.Lacu.ἧττον ὁ ἐνεργεῖ τοῦ ὀποῦ ὁ χυλὸς:quod est,Inefficacior succo liquor : cui lectioni adstipulatur Galenus de Peucedano scribens:χρώμεθα δὲ καὶ τῷ ὀπῷ καὶ τῷ χυλῷ. Idest, Vtimur etiam succo & liquore, & mox.ἰσχυρότερος ὁ αὐλῶν ὁ ὀπὸς. sed valentior succus. Alibi tamen Dioscorides, ὁ χύλισμα siue τὸν χυλὸν, idest,liquorem siue liquamentum hyoscyami & mandragoræ præfert τοῖς ὀποῖς, idest, succis ab iisdem plantis expressis.) Inuenitur etiam concreta lacryma thuri similis,caulibus & radicibus adhærens.Præfertur succus è Sardinia & Samothrace,grauis odoris,fuluus,linguam calfaciens. Plinius eandem descriptionem declarat,sed in quibusdam à Dioscoride variat Theophrastum in

Nomina

Lib.3. c.77. *Forma.*

Locus.

Li.8.simpl.

Li.4. c.64. Li 4 ca.71.

Lib.25. c.9.

his secutus. Sed inter primas, inquit, celebratur Peucedanum laudatissimũ in Arcadia, mox Samothrace. Caulis est ei tenuis, longus, Fœniculo similis, iuxta terrã foliosus, radice nigra, crassa, granis odoris, succosa. Gignitur in montibus opacis foditur exitu Autumni. Placent tenerrimæ & altissimæ radices. Hæ conciduntur in quaternos digitos osseis cultellis, funduntq; succum in vmbra, capite & naribus rosaceo perfusis, ne vertigo sentiatur. Et alius succus inuenitur caulibus adhærẽs, incisisq; manat. Probatur crassitudine mellea, colore rufo, odore suauiter graui, seruens gustu. Et hic in vsu, & radix, & decoctum eius pluribus medicamẽtis. Succo tamen efficacissimo, qui resolnitur amaris amygdalis, aut ruta, bibiturq; contra serpentes, & ex oleo perunctos tuetur. Hæc Plinius. Theophrast. radicem solam probat, semen inutile esse dicit, itemq; succum his verbis. Θεριακικὸν δὲ καὶ τὸ πευκεδάνου ῥίζα, ἀλφιτώδη ποιοῦσι ἐξ αὐλῶνος ἱδρωτικὸν, ὥσπερ ἐξ ἄλλων. δοκεῖ δὲ καὶ ἡ πευκεδάνου δὲ πρὸς τὰς ἀσπίδας, ὃ δὲ σπέρμα οὐκ ἐνήσιμον, οὐδὲ ὁ ὀπὸς αὐλῶν γίνεται) δὲ ἐν Ἀρκαδίᾳ. Quod in Arcadia nasci ait, habet etiam Plinius, & Samothracẽ addit. Quare etiam in Dioscoride pro Σαρδωνίᾳ legendum videtur Ἀρκαδίᾳ. Matthiolus Peucedanũ in Anaenensibus montibus copiosissimè prouenire scribit, cum aliis notis, tum radice

Cap. 21. lib. 8.

Ca. 77. li. 3.

PEVCEDANVM,
Matthioli.

PEVCEDANVM,
Dodonæi.

Dioscoridis Peucedano simillimum, quam habet crassam, nigram, succi plenam, grauiter olentem. Multum crescit, inquit Pena, in Hetruriæ æstuosis, & Narbonensis Galliæ glareosis collibus, præsertim in luci Gramuntij aditu, & circum, inter sentes & dumeta. Radix profunda nigricat foris, intus virescens, succumq; remittit gummeum, flauũ, odoris grauis & fœtentis, comatq; supernè denso capillitio, fusco, ambiente caulem gracilem, sesquicubitalem multis interdũ ab imo surculis diuisis in folia terna, fœniculi modo, quàm ferulæ duplo latiora, longiora, minùs crassa: Vmbellæ latiores luteis floscul is prægnantes, semine angelicæ haud absimili, ingrato. Sic & purgandi vi donata fuit radix herbáve, sed propter fœtorẽ vtriusque minùs in vsum deducta. Peucedanum Italicum, inquit Lobellius, est

In Ad. fol. 390.

Narbonenti

PEVCEDANVM Maius Italicum, Lobell.

Narbonensi quadruplò maius omni sui parte. Prouenit copiosè in collibus Laurentanis & agri Romani. Dioscorides & Galenus succo radicíque vires insignes attribuunt his verbis. Succus ex aceto & rosaceo illitus prodest lethargicis, phreniticis, vertiginosis, comitialibus, longis capitis doloribus, resolutis, ischiadicis, conuulsis: omnibus in vniuersum vitiis neruorum ex oleo & aceto illitus prodest. In vteri strangulatione olfaciendus naribus admouetur, & sic quoque in soporem altiùs delatos reuocat. Suffitu serpentes fugat. Aurium doloribus commodè ex rosaceo instillatur, & ad dentium dolorem cauernis inditur. Facit & ad tussim cum vino sumptus. Subuenit difficultati spirandi, torminibus & inflationibus. Aluum leuiter emollit, & lienem liquat. Difficiles partus egregiè adiuuat. Et ad dolores & distensiones vesicæ & renum potus facit. Aperit etiam vterum. Radix ad eadem vtilis est, sed minore efficacia: bibitur autem ipsius decoctum. Eadem arida trita purgat sordida vlcera, & ossium squamas remouet, & vetera ad cicatricem perducit. Miscetur ceratis & malagmatis calfacientibus. Galenus, Peucedani, inquit, radice, quidem maximè, sed tamen etiam succo & liquore vtimur. Sunt autẽ omnia hæc eiusdẽ specie facultatis: sed valentior succus, admodũ excalfaciens & digerens. Quare affectibus omnibus circa neruos consistentibus conuenire creditur, tum morbis in pulmone, thoraceq; ex crassitudine & viscositate humorum prouenientibus. Atque nitro quidem in corpus sumptus, sed tamen etiam olfactu prodest. Porrò quod incidat & extenuet, sæpe etiam dentium perforatorum dolores cauitati impositus, protinus sedauit, quia videlicet tenuium est partium, & excalfaciens. Quinetiam lienes induratos iuuat, nempè incidendo, digerendo, atque extenuando crassos humores. Sed ad hæc & radice vti liceat, quæ & squamas ab ossibus celerrimè detrahit, quia videlicet validè desiccat, minùs tamen quam succus excalfaciens. Et vlceribus contumacibus aptum est remedium arida illita: ipsa enim expurgat, carnem inducit, & ad cicatricem perducit: excalfaciens quidem ordine secundo iam completo, desiccans verò tertio iam incipiente. Plinius easdem atque alias etiam vires describit variis in locis. Peucedanum pectoris doloribus subuenit. Pituitam & bilem detrahit Peucedani radix. Eadem decocta lieni & renibus prodest. Perungunt & radice sudoris causa eliciendi, quoniam caustica vis ei est. Peucedano ad recentia vulnera tanta vis est, vt saniem ossibus extrahat. Cum semine cupressi bibitur, si sanguis per os redditus est, fluítque ab infernis. Strangulatus vuluæ nidore vstum recreat, laxantúrque suffocationes eo, sed quidam admiscent in vino semen cupressi contritum. Potum cum coagulo vituli marini æquis portionibus comitiales sanat. Succus infantium ramici, & vmbilicis eminentibus iungitur. Stranguriæ cum melle medetur. Item semine lethargici excitantur, &, vt perhibent, ex euphorbio, naribus tactis Peucedani succo.

Li 8. simpl.

SESELLI. CAP. XXVII.

QVAE planta σέσελι Græcis, similiter Latinis Seseli nominatur, Arabibus *Sisalios*, Barbaris Siselios. Plinius Sili videtur appellasse multis locis: in quibusdam etiam Seseli vocat. Dioscorides tria Seseleos genera ponit, σέσελι δ' μασσαλεωτικὸν, id est, Seseli Massilienſe, Officinis Siler montanum dictum, σέσελι αἰθιοπικὸν, Seseli Æthiopicum, & σέσελι πελοποννησιακὸν, Seseli Peloponnesiacum: quibus quartum addit in alio capite, σέσελι κρητικὸν, Seseli Creticum, Tordylium nominatū. Quæ singillatim sic deliniat. Seseli Massilienſe folia habet fœniculo similia, sed crassiora, caulem vegetiorem, vmbellam anetho similem, in qua semen oblongum, angulosum, degustanti statim acre: radix longa est, odorata. Matthiolus Seseli Massilienſe, ita depictum exhibet, & in omnibus

Nomina Li. 24. c. 19. & lib. & c. 22. & li. 3. ca. 26 & li. 27. cap. 7.

Genera

Forma.

Cap. 55. li. 3.

SESELI Massilienſe, Matthioli.

SESELI Æthiopicum Matthioli.

ferè Tridentinis montibus colligi ait, quod tamen legitimum esse negat Pena, quid verò sit, inquit, cùm Matthiolus non descripserit, nobis ignorādum: illud tamen is asserit se in Tridentinis alpibus hanc plantam nusquam vidisse, ac ne in Baldo quidem monte longè illis feraciore. Genuinum verò Seseli Massilienſe passim & copiosè crescere illis in tractibus qui Massilia Aquas sextias ducunt, transque Rhodanum in Monspeliaci agri asperis. Se etiā id collegisse via qua Roma Senas itur propè colles oppidi Monthascone dicti. Radix illi alba, fœniculi effigie & magnitudine, altè humi depacta & euulsu difficilis, quàm fœniculi odoratior & calidior: caulem vt plurimum sesquicubitalem, ferulaceum, hinc inde alis multis ex geniculis prodeuntibus reflexum emittit, prædurū, rigidum: folia pauciora, sed firmiora, crassiora quā fœniculi, & albida sunt: vmbellæ cōfectæ, anethi, floribus candidis, & semine aniso similiori quā fœniculo, gustu suaui, acri, & medicato, Mei aut Panacis gustu. Planta illic valdè nota est fœniculi tortuosi nomenclatura. Neque quantum illic locorum est Massiliæ circumlustranti, vllā plantam

In Ad. fol. 352.

videre

videre est,quæ magis quadret Seseli. Hanc plantam descripseramus & pinxeramus fœniculi tortuosi nomine. Istud Seseli Massiliense diximus Officinis Siler montanum vocari,& Siseleos:cũ tamen hoc ab illo multũ diuersum sit. Est enim Siler montanum,inquit Pena,duûm cubitorum ferulaceus caulis, radix odorata, Ligustici,folia terna,non modo fœniculo, vt Massilienti Seseli, maiora, sed vel peucedano latiora, ac paulò minus Ligusticũ, vel coronarium rosmarinum æquantia,mollia: vmbellæ prægrandes,Angelicæ, quibus semen foliaceũ,longius cumino,colore pallido, quod gustu,etiam saccharo conditum, acrius quam Æthiopicum est,tanto magis quã Massiliense, cui acrimonia præfert Æthiopicũ. Quare qui Pharmacopœis & recentioribus suaserũt Siler montanum, siue Siseleos nihil aliud esse quam Dioscoridis Seseli Massiliense,eos quidem hac in re fefellerunt,quãtum verò ad vires attinet, minimè. Est enim planta multò maioris acrimoniæ & efficaciæ quàm vllum Seseli : eóque menstruis ciendis valdè cõmoda. Id suprà pictum dedimus,cap.de Ligustico,ipsius Ligustici Dioscoridis nomine. Seseli Æthiopicum,vt tradit Dioscorides, folia habet hederæ similia, minora,oblonga,ad foliorum periclymeni similitudinẽ: Frutex est magnus (nam emendatiores codices habẽt, θάμνος δὲ μέγας ἐστι, quod & Hermolaus expressit,non θάμνος μικρὸς ἐστι, vt conuertit Ruellius, frutex nigricat) palmitibus in bina cubita extensis, in quibus rami sunt duorum palmorum,& capitula velut anethi:semen autem nigrum, dẽsum velut triticũ, acrius ac odoratius quam Massiliense,ac vehementer iucundum.Ruellius facit etiam semen hoc amarum,quod neque ex vulgari,neque ex veteri codice constat.Additur autem ad finem eiusdem capitis in codice antiquo : ἡ ῥίζα δὲ τὰ αὐτὰ,ideſt,easdem vires habet. Huius Seseleos imagines duas dat Matthiolus. Vtraque enim,inquit, verum repræsentare videtur. At priùs à Seseli Æthiopico multũ distat:est enim herba quam recentiores libanotidem Theophrasti prodiderunt, eoq; nomine descripsit & depinxit Dodonæus,viribus & figura alienã à Seseli Æthiopico, quem fruticem, adeóque magnum Dioscoridis correctior codex statuit esse,vt suprà diximus. Alterum igitur verum Æthiopicum sufficere debebat in locum illius herbæ,cui videtur postposuisse:quod Pena graphicè sic depingit. Id saxeis illis & deuexis Massiliæ maritimis,tum etiam ad Cestij montis celsi radices,qua in stagnum vergit,fruticat

Lib.3.ca.53.

Cap.55 li.3.

In Ad.fol. 281.

Lib.2.c.84.

Ibidem.

FOENICVLVS Tortuosus, Dalechamp.

SESELI Massiliense, Pena.

SESELI Aethiopicum verum.

L.3. ca.153. *Forma.*

vberi prouentu Iulio & Auguſto, ſpectatu valdè elegans. Multis conſtat virgultis rectis, ligneis, nigricantibus, rigidis, binos ternósve cubitos altis, in varios ſurculos diductis, folia craſſa, rigida, & læuia, viridia vt hederæ, figura oblonga, propiora periclymeno promentibus. Luculentas in ſummis gerit vmbellas, luteis floribus anethi, quas ſemen ſtipat fuſcum, oblongum, copioſum, fœniculo maius. Non ſolũ ſemen, ſed etiam vniuerſus frutex guſtanti aromatis ſaporem acrem, medicatum & ſubamarum, ſed gratum imprimit, ſuauemq; odorem ſpirat à ſummo ad imam vſque radicem, quæ lignoſa eſt. Eximiæ vis eſt eius ſemen ad theriacam, quod etiã, vt Dioſcorides innuit, Maſſilienſi multò odoratius & efficacius eſt. Seſeli Peloponnenſe, vt ſcribit Dioſcorides, folia habet cicutæ ſimilia, latiora (vulgaris enim codex habet πολλύλερα, legitur in vetuſto τραχύλερα, ideſt, aſperiora) & craſſiora, caulem maiorem, quàm Maſſilienſe, ferulaceum, in cacumine vmbellam, in qua ſemen latiùs odoratũ, & carnoſius. Naſcitur in aſperis locis, humidis, & collibus, & in Ida. Eiſdem viribus præditum eſt. Hoc Matthiolus ſic pinxit. Longè aliud propoſuit & deſcripſit Pena his verbis. Ad mõtem Lupi, & iuxtà ædes ſacri ficuli in decliuibus ſalebroſis inſulæ montis Ceſtij, qua mare ſe pandit, eſt planta quidem copioſa, ſed non vbiq; obuia, cuius radix magna, intus alba, foris nigricãs, recta & altè porrecta, ferulę thapſię́ve modo, odorata, & aliquantum acris. Caulis digitum æquat craſsitie, ſeſquicubitum altus, ferulaceus, à quo promũtur alæ turionésve complures in ambitum ſparſi, vbi folia multa, cicutæ magnitudine, ſed incurua, piloſa & criſpa, rugatáque. Vmbellæ multæ anethi luteæ ſunt, ſemen latum foliaceum, compreſſum, angelicæ figura & magnitudine, color illi ex pallore flaueſcit, odor ſuauiſsimus, Æthiopici adeò ſimilis, vt ſtatim odoratu, cùm primum vidiſſet ille, Peloponnenſe coniectarit, quã coniecturam certiore exploratione notarũ & virium, Doctores Monſpelienſes fulcierunt, vt nullus iam ambigat verum eſſe Seſeli Peloponnenſe, cùm tamen antea nonnulli thapſiæ ſpeciem ſuſpicati fuerint. Ab hoc ſola magnitudine diſcrepans Peloponnenſe. Seſeli maius exhibuit Lobellius, in Belgij hortis ex Hiſpano ſemine ortum, altero tanto maius, maioribus latioribuſq; foliis & ſemine. Id Thapſia eſt latifolia Cluſij & quorundam. Maſſilienſis Seſeleos ſemen & radix excalfaciendi vim habent, inquit Dioſcorides, potu ſtranguriæ & orthopnœæ

Locus.

SESELI Peloponnenſe, Matthiol.

Cap.13.li.3. In Ad. fol. 317.

Vires & Temper. Lib.3. ca.55.

SESELI PELOPON.
folio cicutæ, Pena.

orthopnœę medentur, prosunt etiã vteri, strangulationibus & epilepticis, mẽses & partus trahunt, ad omnia terna mala pollent, & tusses veteres sanant. Semen cum vino potum concoquit, & tormina discutit: hepialis febribus vtile, & contra frigora in itineribus cum pipere & vino bibitur. Datur etiam capris, & cæteris pecudibus ad partus facilitatẽ. Plinius de ceruis loquens, fœminæ ante partum, inquit, purgantur herba quadam, quæ Seselis dicitur, faciliore ita vtentes vtero. A partu duas habent herbas, quæ aros & Seselis appellantur. Et alibi. Simplicius ceruæ mõstrauere elaphoboscum, de qua diximus: item Seseli enixæ à partu, quòd apud Aristotelem sic habetur. Ὅταν τέκῃ, ἐσθίει τὸ χοεῖον πρῶτον, καὶ ἐπὶ τὴν Σέσελιν ἢ τρέχουσι, καὶ φαγοῦσαι ὀυλως ἔρχονται πρὸς τὰ τέκνα πάλιν. Galenus scribit Seseleos & radicẽ & fructum vsq; adeò excalfacere, vt admodum vrinã mouere queãt. Sed & tenuium esse partium, & comitiali morbo, & orthopnœę competere. Supradictis generibus subiunxit Dioscorides σέσελι κρητικὸν quibusdam dictum, & τορδύλιον, Paulo γορδύλιον, Latinis etiam Tordylium, & Seseli creticum, Ordelion, Nicandri Anguillaræ. Herbula est succulosa, inquit Dioscorides, semine rotundo, duplici, scutulis simili, subacri, aromatico, Iuxta Ciliciam in Amano monte nascitur. Hanc esse censet Dodonæus teneram herbulam, hìc appictam, sesquipedalem, surculis exilibus & teneriusculis, in quibus folia pauca, minitius insecta, coriandrinis similia, inferioribus latioribus, & minùs incisis, superioribus tenerioribus, & magis infectis. In surculorum cacuminibus vmbellæ albicant, semẽ rubrum, rotundum, compressum, circulo velut limbo candido circundatum, duplex: alterum enim alteri iungitur, singula scutulis similia, radix gracilis est, tenera, annua. In hortis seduli herbarij colunt. Iulio mense floret, Augusto semen maturum profert. Diuersum ab hoc Tordylium Seseli creticũ monstrat Lobellius. Hoc, inquit Pena, passim in segetibus Narbonensis Prouinciæ & secus vias occurrit, succulosa, hirsuta, rigida, aspera planta, folio rotundiore, cærefolij, vmbellis albidis, purpureis, paruis, quibus succedunt semina copiosa, circinata, quasi toreumatis elaborata, vnde fortè nomen peculiare, orbiculata, compressa, ex geminis valuulis, vt ferulæ semen conflata, clypeoli speciem referentia, gustu Myrrhidis. Lobellius addit aliud Tordylium siue Seseli Creticum maius, fruticosius multò, longioribusq; foliis & bicubitalibus caulibus in pratis Laterẽsibus Monspelienſis agri, & Lugdunensis Galliæ per fœnisecia occurrit. Belgis hortense est. Calidum siccúmque secundo ordine. Hoc bibitur ad vrinæ difficultatem, inquit Dioſco-

Lib. 8. c. 32.

Lib. 25. c. 8.

Lib. 9. hist. animal.

Lib. 8. sim.

Lib. 3. c. 54.

Forma.

Lib. 2. c. 86.

TORDILYVM,
Dodonæi.

Locus.

Tempus.

Vires. & Temper.

Lib. 3. 54.

TORDYLIVM SESELI,
Creticum Lobellij.

TORDYLIVM siue Seseli,
Creticum maius Lobellij.

SESELI, Pratense.
Lobellij.

Lib. 3. c. 23.

Seseli Prat.

Forma.

rides, & ad menses ducendos. At succus caulis & seminis adhuc viridis trium obolorum pondere potus cum passo dies decem, nephriticos sanat. Radix efficax est ad educenda quæ in pectore hærent, si cum melle delinguatur. Eadem Paulus gordylio attribuit. Tamen alibi ad sugillata Tordylium recipit hisverbis. Ad diuturna sugillata & liuida Tordylij partes duas, terræ samiæ partem vnam cum melle impone, animaduertens ne locus exulceretur. His addunt Lutetiani & Monspelienses studiosi, inquit Pena, plantam illam quæ in pratis frequentior occurrit, saxifragiæ tenuissimæ similis; quam pratense Seseli vocant. Radix illi dauci vel pencedani, foris nigra, odora: caulis bicubitalis, folia sileris montani, minora, angustiora, rigidiora, vmbella candida, semen Mei, nigrius & maius quàm fœniculi, omnium seseleon minimè odoratum, eóque perparum acre, quamobrem putarunt olim quidam Monspelienses esse massiliense Seseli Dioscoridis.

FERVLA. CAP. XXVIII.

Νάρθηξ Græcis, Ferula Latinis nominatur. Quemadmodum autem νάρθηξ thyrsum, virgultum, bacillum Græcis significat, ita Latinis Ferula a ferendo dicta est, quod illius scapi pedamenta fruticibus, & sentibus baculi ac scipiones essent. Hanc sic breuiter deliniat Dioscorides, Ferula caulē sæpe profert ternum cubitorum, folia fœniculo similia, longè crassiora & maiora (codices vulgares habent & rectè quidem παχύτερα ἢ πολὺ καὶ μείζονα. Ruellius conuertit longè asperiora & latiora, perinde ac si legisset ϑαχύτερα δὲ πολὺ καὶ πλαδύτερα) qua ab imo caule vulnerata sagapenum efficitur. Plinius, Et ferulam, inquit, inter externas dixisse conueniet, arborumque generi adscripsisse: quoniam quarundam naturæ, sicut distinguemus, lignum omne corticis loco habent, hoc est forinsecus, ligni autem loco fungosam intus medullam, vt sambuci: quædam verò inanitatem, vt harundines. Ferula calidis nascitur locis, atque trans maria, geniculatis nodata scapis. Duo eius genera. Nartheca Græci vocant, assurgentem in altitudinem, narthecium verò semper humilem. A' genibus exeuntia folia maxima, vt quæque terræ proxima. Cæterò natura eadem quæ anetho, & fructus similis. Nulli fruticum lenitas maior: ob id gestatu facilior baculorū vsum senectuti præbet. Hæc breuiter Plinius, quæ Theophrastus fusiùs explicauit his verbis. Λεκτέον ὑπὲρ νάρθηκός τε καὶ νάρθηκίας. Εἴτε τὸ αὐτό γένος ἐστὶν ἀμφοῖν, διαφέρον τε κατὰ μέγεθος, εἴτε τὸ ἕτερον, ὥσπερ τινές φασιν ἡ δι' οἰῶν φανερὰ φύσις ἀμφοῖν ὁμοία, πλὴν κατὰ τὸ μέγεθος. ὁ μὲν γὰρ νάρθηξ γίνεται μέγας σφόδρα. ἡ δὲ νάρθηκία μικρά. μονόκαυλα δὲ ἄμφω, καὶ γονάλωδη. ἀφ' ὧν τὰ τε φύλλα βλαστάνει, καὶ κάλυκες τινες μικροί. βλαστάνει δὲ παραλλάξ τὰ φύλλα, λέγω δὲ παραλλάξ, ὅτι οὐκ ἐκ τοῦ αὐτοῦ μέρους τῶν γονάτων, ἀλλ' ἐναλλάξ. περιειλημμένα δὲ τὸν καυλὸν ἐπὶ πολύ, καθάπερ τὰ τοῦ καλάμου. πλὴν ἀποκεκλεισμένα ταῦτα μᾶλλον, διὰ τὴν μαλακότητα, καὶ τὸ μέγεθος. μέγα γὰρ τὸ φύλλον, καὶ μαλακὸν, καὶ πολυσχιδές. ὥστε εἶναι βιχῶδες. ἔχει δὲ τὰ μέγιστα τὰ κάτω πρὸς τὴν γῆν, καὶ ἀεὶ κατὰ λόγον. ἄνθος δὲ μηλινοειδές, ἀμαυρόχαρπον ὅμοιον τῷ ἀνήθῳ, πλὴν μεῖζον. ἐξ ἀκρου δὲ σχίζεται, καὶ ἔχει τινὰς ὡς μεγάλους κάλυκας, ἐν αὐτοῖς δὲ τό τε ἄνθος, καὶ ὁ καρπός. ἔχει δὲ καὶ ἄνθος καρπὸν, καὶ ἐν τοῖς παραυλίζουσι διόλου, καθάπερ τὸ ἄνηθον. ἐπετείως καυλοῖ δὲ καὶ ἡ βλάστησις τὸ πρῶτον, πρῶτον μὲν τῶν φύλλων, ἔπειτα τοῦ καυλοῦ, καθάπερ τῶν ἄλλων. ῥιζαν δὲ ἔχει βαθεῖαν. ἔτι δὲ μονόρριζον. ὁ μὲν οὖν νάρθηξ τοιοῦτος. Id est, Dicendum de ferula & ferulagine, siue idem est vtriusque genus, & magnitudine duntaxat differant, siue diuersum, vt quidam putant. Perspicuum est igitur vtriusq; naturam similem esse, præterquam magnitudinis ratione, Ferula enim valdè grandis assurgit, ferulago humilis. Sed vnicaulis vtraque, & geniculata, ex geniculi folia & cauliculi erumpunt: ac folia alternatim exeunt, dico alternatim, quod non in eadem geniculorum parte, sed ex aduerso sita sint, caulem magna ex parte amplexa, vt in harundine, nisi quod hæc inclinata magis sunt, mollitiei, magnitudinisque causa, est enim folium ferulæ magnum, molle, & multùm incisum, vt capillaceum ferè sit, maxima sunt inferiora & terræ proxima, & sic deinceps proportione, flos est melinus, semen fuscum, anetho simile, sed maius, ferula in cacumine finditur, & cauliculos quosdam habet, in quibus flos & semen, gerunt autem adnati cauliculi & florem & fructum veluti anethum, annuo caule constat. Vere germinant primùm folia, deinde caulis, vt & cæterorum, profundam agit radicem & singularem. Talis ferula est. Ex his liquet duo ferulæ genera esse, vnum νάρθηκα, alterum νάρθηκίαν, quam ferulaginem vertit Gaza. Sunt etiamnum hodie, inquit Pena, duæ in herbariorum hortis huius crassis, naturæ & similitudinis plantæ, quas idcirco ferulagines vocant. Eæ videntur tantùm distare cultura, statura, elegantia, & succi copia, vt nactę fuerint radices aruum aridum, magisque excoctum, sub cœlo sudo & feruidiore, vt in Africa, Media, Cyrene, & alibi,

Nomina

Lib. 3. c. 75.

Forma.

Lib. 21. c. 22.

Locus.

Genera.

Lib. 6. hist. cap. 2.

In Ad fol. 348.

In cap 75. lib. 3.

FERVLA, Matth.

In Ad. fol 348.

alibi, ferulam ex Matthiolo hìc pictam damus, cuius Apulia maximè ferax est, inquit, frequens etiam prouenit in agro Romano, Thyrreni maris cõtermino, præsertim apud Centumcellas, & in vniuersis Hetruriæ maritimis. E' quibus prima tantùm germinatione corculum quoddam pastores eximunt, oui luteum induratum referens, quod sub cineribus assatum, prius tamen charta aut linteo conuolutum, deinde pipere & sale consperſum, non modo gustui gratissimus est cibus, sed etiam ad excitandam venerem valentissimus. Plurima etiam & procera, auctore Pena in Gallica prouincia & Narbonensi Gallia, præsertim illis rupibus præruptísque saxis prope subterraneas cryptas, via qua Monspelio Frontignacum itur, itidem in celsis squallidisq; saxorum sinubus, qui soles æstiuos feruidos exceptos totum fermè fouent diẽ. Quinûm cubitorum caulis est, radix magna, recta, & altè in saxorum commissuras hiantes descendens, euulsu difficilis, candida, lacteo pinguiq; succo turgida, odorem vehementem vibrans, folia fœniculo maiora, pinguiora, crassiora, vt & caulis: vmbellæ prægrandes anethi, Iunio & Iulio flosculis luteis defluentibus. Semen foliaceum, compressum, oblongum, rotundum, angelicæ fermè, duplo maius Νάρθηκων Theophrasti, ferulago Gazę, in iisdem locis nascitur, in quibus & ferula. Ad hominis altitudinem ea crescit, radice dodrantali, pro magnitudine plantæ totius exigua, & graciliore candida, parum fibrata, gustu subacri, nõnihil odorata cùm manditur: caule fœniculi, striato, ramoso, inani, folio fœniculi, ampliore, minore quàm in ferula, ad ramorum exortus prodeunte, alternis nunc ex hac, nunc ex illa parte, gustu subdulci & suaui: flore luteo in vmbellis, amaro & subacri, odorato: semine oblongo. Peruenustam plantam Lobellius ostendit Galbaniferam ferulam, quæ orta est in Belgicis hortis, semine copioso, lato, foliaceo, aromatico, reperto Antuerpiæ in galbani lacryma. Tota facie ferulam refert: folia exilia: flosculi in vmbellis hilarioribus: radix crassa, succo prægnans. Hæc Lobellius. Scribit Dioscorides ferulæ adhuc viridis medullam potam sanguinem spuẽtibus & cœliacis prodesse, & contra viperarum morsus dari in vino, & sanguinis è naribus eruptiones inditam sistere. Semen potum torminosis auxiliari: mouere & sudores si cum oleo illinatur. Caules si edantur, capitis dolorem facere, muria condiri. Plinius ferulæ duo genera in peregrinis fruticibus diximus. Germen

NARTHECIVM, Theophr.
Ferulago Gazæ.

Vires & Temper. Lib. 19. c. 9.

GALBANIFERA
Ferula, Lobell.

eius in Italia cibus est. Conditur quippe durátq; in viceis, vel anni spatio. Duo eius genera: caules & racemi. Corymbiam hanc vocãt, corymbosque quos condiunt. Et alibi, ferula semen simile anetho habet. Quę ab vno caule diuiditur in cacumine, fœmina putatur. Caules eduntur decocti, commendanturq; musto ac melle, stomacho vtiles. Sin plures sumpti, cãpitis dolores faciunt. Radix denarij pondere in vini cyathis duobus bibitur aduersus serpentes. Et ipsa radix imponitur. Sic & torminibus medetur. Ex oleo autem & aceto contra sudores immodicos, vel in febribus proficit. Succus ferulæ aluum soluit fabæ magnitudine deuoratus. E viridi ferula rãmusculus vtilis est ad omnia ea vitia. Ad sanguinem sistendum decem grana seminis bibuntur in vino trita, vel medulla. Sunt qui comitialibus morbis dandum putant luna quarta, sexta, septima, ligulæ mensura. Natura ferularum muræni infestissima est, tactæ siquidem ea moriuntur. Castor radicis succum & oculorum claritati cõ ferre multum putauit. Vt autem muræni infestissimam esse ferulam scripsit Plinius, sic asinis gratissimam, Ferulæ, inquit, asinis gratissimæ sunt in pabulo, cæteris verò iumẽtis præsentaneo veneno, qua de causa id animal Libero patri assignatur, cui & ferula. Galenus eius vires generatim & breuiter sic declarat, ferulæ semen excalfacit & attenuat. Cæterùm medulla adstringentis qualitatis particeps est, quo nomine sanguinem spuentibus & cœliacis conuenit.

Lib. 21. 23.

Lib. 24. c. 1.

Lib. 8. fin.

THAPSIA CAP. XXIX.

Τ θαψία Græcis, ita Thapsia Latinis nominatur, Arabibus *Iantum, & Driz.* Dicta est autẽ Thapsia quasi Apsia auctore Dioscoride, quod in Thapso eiusdem nominis insula primum inuenta sit. Potuit etiam dici Thapsia, inquit Pena, propter flãmeum calorem quem corpori admota inurit, adeoq; eminus, præsertim aduerso flatu spectanti. Tota natura ferulæ similis est, ita describente Dioscoride, gracilior tamen ipsius caulis est, folia fœniculo similia, in cacumine vmbellæ singulis furculis insident anetho similes, in quibus flos luteus, semen latiusculum, ferulæ simile, sed minus, radix intus cãdida, foris nigra, magna, crasso cortice, acris. Ex hac vulnerata succus colligitur, vel ex eadem contusa exprimitur, quidam etiam folia simul exprimunt, sed debilior est hic succus. Qui succum colligit stare debet non obuersus vento, aut potius cum dies apricus est, & à vento silet: quoniam ob halitus acrimoniam facies vehementer intumescit, & nudæ partes pustulas contrahunt. Quare liquidis ceratis adstringentibus nudas partes ante illinere oportet, & ita ad opus accedere. Plinius his consentanea scripsit. Semen ferulæ Thapsiam quidam vocauere: decepti eo quoniam ferula sine dubio est Thapsia, sed sui generis, foliis fœniculi, inani caule, nec excedente baculi longitudinem. Semen quale ferulæ, radix candida, incisa lacte manat, & contusa succo: nec corticem ab dicant, omnia ea venena. Quippe etiam fodientibus nocet si minima aspiret aura, intumescunt corpora, faciémque inuadunt ignes sacri: ob id cerato prius illinunt. Matthiolus tradit Thapsiam plurimã nasci in Apulia, præ

Nomina

Lib. 4. fol. 150.

In Ad fol. 350.

Lib. 4. cap. 1.

Forma.

Lib. 13. c. 22

Cap. 151. lib. 4.

morbis auxiliari dicunt medici (radicem thapſiæ ſub.) permiſtam aliis. Item in alopeciis,ſugilatiſq; ac liuentibus,ceu verò remedia deſint,vt ſcelera contrectent. Sed iſta prætexunt noxio inſtrumento : tantúmque impudentiæ eſt , vt venenum artis eſſe perſuadeant. Thapſia eſt in Africa vehementiſsima. Quidam caulem incidunt per meſſes,in hoc diſsidet à Dioſcoride, qui radicem tantùm incidi ſcripſit,& in ipſa excauant radice,quo ſuccus confluat, arefactúmque tollunt. Alij folia,caulem,radicem tundunt in pila , & ſuccum in caule coactum diuidunt in paſtillos. Nero Cæſar claritatem ei dedit initio imperij , nocturnis graſſationibus conuerberatam faciem illinens ſibi cum thure ceráque : & ſecuto die contra famam cutem ſinceram circumferens. Ignem ferulis optimè ſeruari certum eſt, eaſq; in Aegypto præcellere. Et alio in loco, Ad lichenas & thapſiæ radice vtuntur trita cum melle. Theophraſtus quoque de thapſiæ viribus hæc tradit. ἡ δὲ θαψίας ῥίζα ἐμετική. ἐὰν ᾖ τις κεκαυσχὴ, καθαίρει καὶ ἄνω & κάτω. δύναται ᾖ καὶ τὰ ὠτελεώματα ἐξαίρειν, ὑπώπια ᾖ ποιεῖ τ' ἄλλα ἔκλευκα. ὁ ᾖ ὀπὸς ἰσχυρότερος αὐτῆς. καθαίρει ᾖ & ἄνω καὶ κάτω. σπέρμαλι ᾖ οὐ χρῶνται. γίνεται ᾖ καὶ ἄλλοθι ὑμῦ, αὐλὰρ & ἐν τῇ Ἀττικῇ. καὶ τὰ βοσκήματα τούτης οὐκ ἅπτεται τὰ ἐγχώρια, τὰ δὲ ξένα βόσκεται, καὶ διάῤῥοια αὐλοῖς γίνεται, ἢ διαφθείρεται. Quæ ſic conuertit Gaza. Thapſiæ radix vomitoria eſt , & ſi quis continuit tam ſuperius quàm inferius purgat. Ad hæc liuida tollere poteſt. Suppurationes tamen alias exalbidas facit (Græcè legendum, ὑπώπια τ' ἄλλα ἔκλευκα, Id eſt, ſugillata alia alba reddit), Succus eius validior eſt , & quidem tam ſuperius quam inferius purgat. Nullus feminis vſus. Naſcitur tum alibi , tum in terra Attica , in qua pecudes incolæ eam non tangunt,peregrinæ verò depaſcunt,& aut aluus ſoluitur, aut intereunt. Galenus breuiùs & accuratiùs de iiſdem ſcripſit. Thapſia , inquit, acrem habet,ac valenter excalfacientem facultatem cum humiditate cõiunctam, quamobrem ex alto violenter extrahit, & quod extrahit, digerit. Verum pluſculum ad ea efficienda tempus poſtulat , vt quæ larga humiditatè impleta eſt, cuius etiam vitio fit vt celeriter corrumpatur. Meritò deſiit , inquit Petrus Pe. ex iſtius ſucco purgandi antiquorum conſuetudo , vt quò multùm noceatur præcipuis viſceribus , & tormina dira interdum excitentur. Idem tamen ex triplici Officinarum turbith , id quod cineritium dicitur à colore , vulgaris thapſiæ radicem eſſe cenſet.

Lib.16.c.4.

Lib.9. hiſt. cap.11.

Lib.6. fin.

In Ad. fol. 350.

PSEVDOCOSTVS. CAP. XXX.

SCRIBIT Matthiolus eſſe impoſtores qui ex Gargaro Italiæ monte quotannis deferunt pſeudocoſti cuiuſdam radices amari ſaporis,quę facie quadantenus rhodiam radicem repreſentant,eáſque pro legitimo coſto pharmacopœis rei herbariæ ignaris vendunt,foliis eſt paſtinacæ domeſticæ maioribus,denſioribus,criſpis & aſperioribus , humi accubantibus,caule rotundo,fœniculaceo,geniculato,bicubitali, è geniculis ramuli oriuntur in vniuerſo caule,in quorum ſummitatibus vmbellæ ſpectantur melino colore , nudo ſemine , & ſubrotundo. Radice nititur vegeta,craſſo cortice carnoſóque veſtita, colore cinereo ſplendente. Commendant hanc herbarij qui ex Apulia deuehunt , ad omnes capitis neruorúmque affectus frigidos,ad pectoris vitia, ventriculi cruciatus,viſcerum omnium obſtructiones,& ad renum,veſicæ,& veteri morbos. Quare diuturno capitis dolore affectis , vertiginoſis comitialibus, ſtupidis , veternoſis , conuulſis , reſolutis , aſthmaticis , tuſsientibus , ictericis, hydropicis plurimùm conferre pſeudocoſti radicem affirmant. Præterea flatus expellere , vermes necare , vrinas & calculos eiicere , menſes , ſecundas , & partus educere , ſiue bibatur ipſa radix , ſiue decoctum eius , aut ſi in fomentis,

In cap.15. lib.1.

Forma.

PSEVDOCOSTVS,
Matthioli.

In Ad. fol. 34. 318.

balneis, aut deceſsionibus addatur. Præſerunt eandem ad coli cruciatus, decocto eius clyſtere infuſo, & aduerſus articulorum morbos, & coxendicum dolores. Nam cum amara ſit, nonnihil odorata, & acrimonia quadam prædita, hæc omnia præſtare poſſe credibile eſt. Hanc nouam & perelegantem plantam nouit Pena, ab herbariis Illyricis ſæpius oſtenſam, quæ nihil Coſto dignum habet, ſed potius facie eſt elaphoboſci. Coſtum Illyricum hodie vocant. Folia ſunt lineamentis Paſtinacæ maioris, terram fermè radentia, & in ramulis caulem ſeſquicubitalem, fœniculaceum amplexa, vmbellæ ſummæ in congerie ramulorum, lutei flores ſunt, radix pollicem craſſa, admodum amara.

MEVM CAP. XXXI.

Nomina

Lib 1. c. 3.

Forma.

Μῆον & μέῆον Græcis, Latinis Meum ſimiliter dicitur, Arabibus *Me*, Officinis *Meu*, quod deſcribitur à Dioſcoride caule & foliis anetho ſimile eſſe, ſed craſsius anetho, ad cubitos duos aſſurgēs, ſparſis tenuibus radicibus, obliquis & rectis, longis, odoratis, linguam excalfacientibus. In Hiſpania & Macedonia plurimum gignitur. Plinius, Meu, inquit, in Italia non niſi à medicis ſeritur, & iis admodum paucis. Duo genera eius. Nobilius Athamanticum vocant, illi tanquam ab Athamante inuentum, hi quoniam laudatiſsimum in Athamante reperiatur, foliis aniſo ſimile (corrupta hæc videtur lectio, anetho enim legendum pro aniſo) & caule aliquando bicubitali, radicibus multis & obnigris, quibuſdam altiſsimis. Mei veri plurimas plantas ſæpiſsime ſe vidiſſe affirmat Pena in Germaniæ, Galliæ, Italiæ, Hiſpaniæq; locis alpinis. Radix eſt odore ſuaui, ſpicæ, vel angelicæ, caule & foliis anethi, vmbella candida. Iunio & Iulio floret, ſemen hippomarathri, odoratum. Eadem reperitur in celſiſsimis montium iugis, ſterilis Seuenæ, loco præſertim cui nomen Gallicè *Leſperon*, Latinè Calcar, monticolis Siſtre nuncupata vernaculo nomine, vti Platearij & Pandectarij æuo, cui nulla doctiorum omnium ſuffragio deeſt nota veri Mei Dioſcoridis. Hanc Dodonæus peperam libanotidis primum genus facit, *Beoruurtz* Germanis dictam, propter capillatam radicem, inquit Fuchſius, aut quia veteri dolorem qui iiſdem *Bernuter* appellatur, ſanat. Matthiolus in poſtremis commentariis eandem plantam herbariorum quorundam diligentia repertam eſſe ſcripſit, quæ legitimum Meum refert, quibus aſſentitur, ſed inuitus, quod huiuſce plantæ radices odorem non vſque adeò gratum ſpirent, ſed quadantenus grauiter oleant, nec tenues ſint, vt vult Dioſcorides, nec folia anetho ſimilia, ſed potius aſparago. Hanc Apuli Imperatricem vocant. Hæc Matthiolus. At Imperatricis nomine, inquit Pena, vbiq; fermè locorum ignara herbarum plebs ſolita eſt alicuius incognitæ plantæ eximium & gratum odorem & vires inſignes ſignare. Sic enim vulgò etiam Angelicam Imperatricem vocant: alioqui angelicæ aut Imperatoriæ cum Meo nihil eſt affinitatis, niſi odoris, qui in Meo perinde iucundus eſt. Et ſunt folia ſitu & ſimilitudine anethi, non aſparagi, vt aſſerit, cui etiam ſi ſimilia eſſent, tamen aſparagum ipſemet fœniculo aſsimilat,

In Ad. fol. 347.

Lib. 2. c. 84.

Ca. 85. hiſt.

MEVM, Matth.

MEVM, alterum Spurium Italicum, Lobel.

asſimilat, & anethum adeò ſimile Fœniculo ſuo capite aſſerit, vt plerumque colligentes fallat. Idem Matthiolus ſcribit in ſecunda cõmentariorum editione plan tam ſecundo loco appictam (eius tamen pictura in omnibus editionibus omiſſa fuit) à quibuſdã pro Meo vſurpari, quod magis Anethum quàm altera referat, quorum ſententiam nõ improbat, quia priori potius Aſparagi quàm Anethi folia inſunt. Hanc plãtam cuius picturam à Matthiolo diximus omiſſam fuiſſe, ex Lobellio hîc exhibemus, quę ſuperiori Meo, inquit ille, facie non eſt abſimilis, ſed folia, caules cubitales, vmbellę, craſſiora & habitiora, ſubuiroſi odoris. Radix item maior, foris pulla, Peucedani facie & concretione, tetri & iniucundi cùm odoris, tum ſaporis. Meum ſpurium Italicum vocat Lobellius. Sunt herbarij qui Meum aliud hîc depictum pro genuino habeant, quod in Allobrogum & Sequanorum montibus frigidiſsimis & altiſsimis naſcitur, radice dimidio pede longiore, foris nigra, dauci cretici modo, intus cãdida, brachiata, odorata: cauliculis multis, neruoſis inſtar fœniculi, tres aut ſummùm quatuor digitos altis, foliis breuibus, capillaceis, fœniculo ſimilibus, flore candido in vmbellis denſis, ſemine minutiſsimo, amaro & ſuauiter olente. Radices Mei, auctore Dioſcoride, coctæ in aqua vel tritæ citra coctionem & potæ præcluſorum renum, & veſicæ vitia mitigant. Vrinæ

Meum aliud.

Locus.

Forma.

Ibid.

Vires & Temper.

MEVM, Aliud.

difficultati ſubueniunt,ſtomachi inflationibus,torminibus,vteri affectibus,articulorum doloribus. Pectoris fluxionibus tritæ cum melle in eclegmate auxiliantur, ſanguinem pellunt per menſes deſeſsionibus decoctæ. Infantium pubi illitæ vrinas mouent.Quod ſi plus quam deceat ex his bibatur, capitis dolorem inducunt. Plinius eundem vſum medicum docet,ſed is quoque corruptus eſt : ſic enim legi-
Lib.20.c.23 tur in vulgatis exemplaribus.Ciet vrinam in aqua potum,radice trita vel decocta. Inflationes ſtomachi mirè diſcutit,item tormina,& veſicę vitia, vuluarúmque ar-
Cor. Emb. 3.lib.1. riculis cum melle,infantibus cum apio illitum imo ventri vrinas mouet. Qui ſic integer legi debet, vuluarúmque, & dolentibus articulis prodeſt. Thoracis item
Lib.7. fin. fluxionibus cũ melle,infantibus cum apio,&c. Mei radices ait Galenus,ſunt calidæ tertio ordine, ſiccæ ſecundo,quare vrinam menſeſq; ciere volentes hoc vtuntur pharmaco.Sed ſi pluſculum ſumatur,capitis dolorem mouet, vtpote cum pluſculum ſit calidum quàm ſiccum,quippe cùm humiditatem crudiuſculam etiamnum & flatuoſam caliditatem ad caput deferat,atque ita ipſum afficiat lædatque.

MYRRHIS. CAP. XXXII.

Nomina Lib.2. fin. *Forma.*

MYῤῥις vel *μύῤῥα* vocatur, Latinis Myrrhis, recẽtioribus cicutaria dicitur,quod cicutæ ſimillima ſit. Nam caule & foliis cicutam refert, vt ſcribit Dioſcorides, radix ei oblonga, mollis, rotunda, odorata,cibo
Li.24.c.16. non inſuauis.Plinius eadem ferè tradit. Myrrhis quam alij Smyrnizuſam alij Myrrham vocant, ſimillima eſt cicutæ caule,foliiſque,& flore, minor
Lib.26.c.11 tamen & exilior, cibo non inſuauis. Alio in loco cum Geranio odoro confundit his verbis Geranium aliqui myrrhin, alij merthrida appellant. Similis eſt cicutæ, foliis minutioribus,& caule breuiori,rotundo,ſaporis & odoris iucundi.Matthio
In cap. 111. lib.4 lus ſcribit naſci plantam in multis Italiæ locis cicutæ ſpecie, minorem tamen, miniméque graueolentem,cicutariam vocatã,à quibuſdam pro legitima myrrhide cenſeri. Alios pro myrrhide angelicam vſurpare,alios,vt Manardum, illud oleris genus, quod cerefolium vocant. Tandem concludit, ſi myrrhis in Italia proũeniat,nullam ſeſe offerre plantam, quæ propiùs illa referat quam hæc cuius effigiẽ hîc damus. Fuchſius eam myrrhidem eſſe cenſet, quæ recentioribus, vt diximus, Cicutaria, Gallis *Ciciaire*, *& Perſil d'aſne*, Germanis *Vuilderoeffel*, Belgis *Vildekeruel*, id eſt, ſilueſtre cerefolium nũcupatur. Eſt enim foliis & caule cicutę quadamtenus ſimilis, folia minutiſsimè inciſa ſunt quandoque,albis maculis ſignata, caules rotundi, bipedales aut tripedales, in quorum cacuminibus vmbellæ rotundæ, & in iis flores candidi, ſemen magnum & longum, radix ſubeſt rotunda,longa,guſtu ferè paſtinacæ. Tota herba & prima præſertim folia breui quadam lanugine veſtiuntur, ſúntque & odore & ſapore cerefolio proxima. Paſsim in hortis & prati

MYRRHIS, Matthioli.

Cap.198 hi ſtor.

In Ad. fol. 348. nonnullis prouenit. Maio menſe, loca in quibus prouenit, huius floribus quaſi candicant.His aſſentitur Pena ſcribens odoratam hanc ſiue ſalubrem & eſculẽtam poſſe vocari cicutam, quam myrrhidem, ſiue myrrham,propter ſuaueolentiam quiddam

MYRRHIS, Fuchſij.

MYRRHIS Altera parua, Lob.

quiddam myrrhæ reſipientem diuerunt. Nec hæc perinde frequens aut procera occurrit, ſed rarior, & in pratis vel graminoſis marginibus, etiã olitoribus ad veſcendum, in Belgio multa coitur & eſitatur in iuſculis cerefolij vice, cuius nomen apud Germanos aſciuit, vt dictum eſt, quod odore ſaporiſq; ſuauitate cerefolium imitatur, etiam facultatibus diureticis: facie verò eſt ci-

MYRRHIS Lappæ, Dale. harnpij.

cutæ, albicantibus ramis & foliis tenella hirſutie, paſtinacam ſatiuam aut agreſtem referente, radix prægrandis, altè depacta, prolixa, nec facilis euulſu, ferulæ, aut paſtinacæ eſculentæ, quam ſapore & odore, ſed magis medicato, & ad ſmyrnium accedente repreſentat, ſemen admodum longum, cerefolij duplo maius, ſtriatũ, anguloſum, fuſcum, odorum. Lobellius Myrrhidem alteram paruam oſtendit, quæ Daucoides minor eſt cordi Cicutarię odore ſiue Myrrhidis affinis admodum foliis & ramoſis vmbellis minoribus, delicatioribus tamẽ ſemine oblongo, Dauci Cretici, exiliore, non hirſuto, nec ita diſsimili ſapore. In Geneuæ & Salenę vicinis montibus reperitur. Hæc Pena. Radix myrrhidis auctore Dioſcoride, pota cum vino punctis à phalangiis auxiliatur. Purgat menſtrua & ſecundas educit. Eadem cocta tabidis vtiliter in ſorbitionibus exhibetur. Aiunt eandem in peſtilentialibus cõſtitutionibus bis térve die potam in vino, à morbo ſeruare incolumes. Plinius eadẽ & quædam alia addit. Ciet menſtrua & partus cum vino. Aiunt quoq; eandem potam in peſtilentia ſalutarem

Vires & Temper. Lib. 4. c. 111.

Lib. 24. c. 16

esse. Subuenit & phthisicis in sorbitione. Auiditatem cibi facit. Phalangiorũ morsus restringit. Vlcera quæq; in facie aut capite succus eius in aqua triduo maceratus
Lib. 7 sim. sanat. Myrrhis, inquit Galen. radicem habet odoris iucundi & dulcem, quæq; mẽses moueat, tum ea quæ thoracẽ ac pulmonem degrauant purget. Itaq; ex secundo ordine fuerit calfacientium admista quadã partium tenuitate. Dalechampio Myrrhis lappa nominatur ea herba, quæ in frumentariis agris, pingui vliginosoq; solo nascitur, radice candida, apio hortensi simili, cùm manditur: suauiter olente, modice fibrata, foliis coriãdri aut caucalidis, plerumq; latioribus, caule terete, cubitali, nonnunquam breuiore, læui, flore in vmbella candido, suis floscul orum sertis velut continuata, non vt in fœniculo dispersa, sambuco palustri, quem ille ob fragilẽ mollitiem Thraupalum Theophr. esse putat, simillima, inæquãliter flores edente: nam qui exteriorem vmbellæ partem occupant, panduntur & explicantur, compressis reliquis in medio iacentibus, fructum fert rotundum, exiguæ clauæ nõ dissimilem, instar pilularũ platani spinosum, & cum inaruit asperitate sua prætereũtium vestibus adhærescentem, flos tritus myrrhæ odorem validum ac iucundum naribus afflat, huic plantæ peculiarem, quam ob causam myrrham vocant. Hunc florẽ saccharo conditum rosarũ violarumq; modo Rondeletius sæuiente peste dabat, quotidie ieiunis iuglãdis magnitudine prospero successu, fœminę quoq; ex vtero suffocatę eo remedio statim reuocantur. Suppressi virginũ menses, ac propterea languidarũ ac pallidarum eodem remedio aliquot diebus manè sumpto cientur.

LAPPA BOARIA. CAP. XXXIII.

Lib. 26. c. 11 HANC plantam herbarij lappam boariam esse volunt à Plinio memoratam, hac ratione ducti quod huius fructus vestibus adhæreat,
Lib. 11. c. 17. quemadmodũ aparines, quam lappã vertit Plinius, quo loco hæc ex Theophr. interpretatur. Notabile & in lappa quæ adhærescit, quoniam in ipsa flos nascitur nõ euidẽs, sed intus occultus, & intra se germinat velut animalia quæ in se pariunt. Quę sic Theophrastus. ἰδιον ὃ καὶ τὸ περὶ τὴν ἀπαλύνην, ἢ καὶ τῶν ἰμαλίων ἀντέχειαι διὰ τὴν ζαχύτητα. Ἔστι δὲ συσαφαίρελον. ἐν τούτῳ γὰρ ἐγγίνεται τῷ τραχεῖ τὸ ἄνθος, οὐ φαῖνον, οὐδὲ ἐκφαῖνον, ἀλλ' ἐν ἑαυτῷ πεπόμενον καὶ σπερμογονῦν, ὥστε παρόμοιον εἶναι τὸ συμβαῖνον, ὥσπερ ἐπὶ τῶν γαλέων καὶ χρηνῶν (corruptè χρηνῶν pro ἐχιδνῶν) ἐκεῖνά τε γὰρ ἐν ἑαυτοῖς ὠοτοκήσαντα ζωογονεῖ. Καὶ αὕτη τὸ ἄνθος ἐν ἑαυτῷ καλύψασα, καὶ πέπωσα καρποτοκεῖ. Id est, Propiũ & hoc est Aparinæ, quę asperitate sua vestibus adhærescit, vt difficile auellatur, flos enim in eo quod asperum est, nascitur, nõ exiens, neque euidens, sed intus matureścens & semen pariens, vt illi simile sit quod galeis & viperis euenit. Illa enim cum oua intra se pepererint, animalia gignunt. Et hæc florem in se cõtinens cõcoquensq;, fructum deinde parit. Nascitur hęc herba in agris pinguibus & stercoratis, radice apio hortensi non dissimili, odorata cum manditur, caule palmũ alto, foliis coriandri, per obliquum valde & crebro incisis, flore in vmbella ex albo & subluteo subrubescente, fructu oblongo, spinoso, pretereuntium vestibus inhærescente, semine nigro, ad fructus figuram formato, gracili.

Lib. 7. hist. cap 14.

LAPPA BOARIA, Plinij.

Forma.

LIBA

LIBANOTIS. *CAP. XXXIIII.*

LIBANΩTIΣ Græcis, Libanotis & Rosmarinum Latinis dicitur, Arabibus *Xaier Almeriem, Aspinalsach & Calchala.* Λιβανωτὶς στεφανωματίη, Latinis Rosmarinum coronarium, Arabibus *Elkiolgeber*, Gallis *Romarin*, Italis *Rosmarino*, Hispanis *Romero*, Germanis *Roskmarin.* Libanotis autem nuncupata est, quod odorem thuris habeat: λιβανὸς enim Græcis thus est. Dioscorides & Galenus tres statuunt Libanotides, duas fructum ferentes, vnã sterilem: quibus addunt Libanotidem coronariã, quæ propriè Romanis Rosmarinum dicitur, de quo alio loco dicemus. Plinius duas, & Rosmarinum. Duo genera eius, alterum sterile, alterum cui & caulis & semen resinaceum, quod cachrys vocatur. Foliis odor thuris. Theophrastus itidem duas, vnam sterilem, alteram fructiferam. Primum genus fœcundum siue fructiferum est, cuius semen vocatur canchrys, siue cachrys, folia fœniculo similia ferens, vt describit Dioscorides, sed crassiora & latiora, in rotæ speciem per humum sparsa, odorata: caulem cubitalem aut maiorem, multas alas habentẽ, & in summo vmbellam, in qua semen copiosum, candidum, sphondylio simile, rotũdum, anguloſum, acre, resinam olens, dum manditur gustum adurens. Radix est alba, admodum magna, thus redolens. Altera huius speciei supradictæ omnino similis semen fert latum, nigrum vt sphondylium, odoratum, non vrens linguam, radicẽ foris nigram, intus si frangatur albam. Tertia Libanotis quæ sterilis nominatur, superioribus planè similis est, sed neque caulem, neque florem, neque semen profert. Nascitur in petrosis & asperis locis. Theophrastus, τῶν δὲ λιβανωτίδων, inquit (δύο γάρ εἰσιν) ἡ μὲν ἄκαρπος, ἡ δὲ κάρπιμος. καὶἡ μὲν καὶ τῷ καρπῷ, καὶ τῷ φύλλῳ χρησίμη. ἡ δὲ μόνον τῇ ῥίζῃ. καλεῖται δὲ ὁ καρπὸς κάχρυς. ἔχει δὲ αὐλὴν ἡ μὲν φύλλον ἐοικὸς σελίνῳ ἐλείῳ, μεῖζον δὲ πολύ, καυλὸν δὲ μέγεθος πήχεος, ἢ μείζω, ῥίζαν δὲ μεγάλην καὶ παχεῖαν, λιπαρὴν, ὀζουσαν ὥσπερ λιβανωτῖδος: καρπὸν δὲ λευκὸν, τραχύν, τρομώδη. φύεται δὲ μάλιστα ὅπου ἂν ἀυχμηρὰ χωρία, ἢ καὶ πετρώδη. ἡ δὲ ἄκαρπος ἔχει τὸ φύλλον ὅμοιον θελδακίνης ἢ πικρᾶς, τραχύτερον δὲ καὶ λευκότερον, ῥίζαν δὲ βραχεῖαν. φύεται ὅπου πολλὴ ἐρείκη. Ideſt, interprete Cornario, Libanotidum (duæ enim sunt) altera infrugifera est, altera fructifera. Et altera etiam semine & folio vtilis est, altera solum radice: vocatur autem semen cachrys. Habet fructifera folium simile apio palustri, sed multo maius, caulem cubiti magnitudine, aut maiorem, radicem magnam & crassam, albam, velut thus olentem: semen album, asperum, oblongum. Nascitur maximè vbi squallidi ac petrosi sunt loci. At infrugifera folium habet simile lactucæ amaræ, sed asperius & candidius: radicem autem breuem. Nascitur vbi erica plurima. Nam mendosè legitur in vulgatis exemplaribus εἰρη), quæ secutus Gaza vertit. Nascitur id quoque prædicto solo vberrimè. Legendum autem esse non εἰρη), sed ἐρείκη, vt animaduertit Hermolaus, perspicuè docet Dioscorides, hunc Theophrasti locum citans his verbis. Θεόφραστος δὲ ἱστορεῖ μετὰ τῆς ἐρείκης λιβανωτίδα θελδακι ἀγρίᾳ, τῇ πικρᾷ ὁμοια φύλλα ἔχουσαν φύεσθαι, ῥίζαν δὲ βραχεῖαν, Ideſt, Theophrastus narrat cum erica nasci Libanotidem lactucæ agresti, amaræ similia folia habentem, radicem autem breuem. Plinius succinctè admodum hæc de Libanotide tradit. Libanotis odorem thuris (reddit suba.) Myrrhis myrrhæ. Et mox. Libanotis locis putribus & macris ac roscidis seritur semine: radicem habet olusatri, nihil à thure differentem. Vsus eius post annum stomacho saluberrimus. Quidam eam nomine alio Rosmarinum appellant. Quænam autem sint Dioscoridis & Theophrasti Libanotides scitu perdifficile est. Nam diuersi admodum generis plantæ Libanotidis appellationem sortitæ sunt, ob odorem quem spirant, thuris quadamtenus æmulum, cuiusmodi primæ Libanotidis radicem olere Dioscorides est auctor (Theophrastus quoque eũdem odorem radici frugiferæ tribuit, Plinius

Nomina

Lib. 4. c. 72. Li. 7. simpl.

Genera

Li. 24. c. 11.

Lib. 9 hist. ca. 12.

Lib. 3. c. 72.

Forma.

Lib. 9. hist cap. 12.

Embl. 76. lib. 4.

Li. 19. c. 12.

In Ad. fol. 351.

foliis. Idem Dioscorides priorem frugiferam folia fœniculi habere tradit, huic alteram frugiferam & sterilem in omnibus similē. Theophrastus sterilem folia habere lactucæ amaræ similia, sed candidiora & asperiora, radicem breuem. Primam Dioscoridis fertilem Libanotidem ex Matthiolo hîc pictam damus, quam Venetiis se vidisse ait, quæq; satis frequens nascitur in agro Goritiensi suprà Salicanum in monte Gargaro. Alias duas neque depinxit, neque descripsit. Ex tot Ferulaceis, quæ vulgò Libanotides putantur, nullam Pena arbitratur melius conuenire descriptioni, ea quā Patauinus hortus olim habuit, caule quinûm & senûm interdum cubitorum, fœniculi aut ferulæ nitidum, obscurè virentem, alis multis diuisum, è nodosis geniculis exeuntibus: foliis crebris, fœniculi crassioribus, Cotulæ maioribus, auersa parte in viridi cæsiis, vmbellis per æstatem latioribus, ferulæ aut Thapsiæ: floribus luteis, semine fraxini, foliaceo, oblongiore quā ferulę, & cucumeris semine maiore, cōpressiore, striato, aceroso, resinaceo: thuris odore dum friatur, dum manditur os Rosmareo & thuris sapore complente, acriore: reliqua planta tenera, calidiuscula, sed nō ingrato oleraceo Smyrnij gustu, quo facilè dignoscitur à ferula: alioqui lacte turget vt ferula, sed candidiore & feruido minùs, aut graui odore, imo potius odoro. Est potius, inquit Lobellius, Rosmarinum alterum ferulaceum Dioscoridis. Cachrys verior semine est tereti, oblōgo, nucleo pini subpari, bipartito ferulæ ritu, gustu aromatico seseli Æthiopici resinaceo, caule cubitum & sesquicubitū æquante. Folia fœniculo crassiora, pallide virentia. Quidam Seseli Massiliēse statuerunt: & sanè facultates respondent, vti & Rosmarino fœcundo, cuius semen Cachrys dicitur, & appositè substitui possunt. Belgis hortense est. Hæc Lobellius. Dodonæus primū Libanotidis genus id esse perperam existimauit, quod Meum esse paulò ante ostēdimus, quodq; Fuchsius Daucū Creticū Dioscoridis esse credit. Secundum Libanotidis genus Dodonæus id depinxit, quod Fuchsius tertium Dauci genus facit, Germani *Schwartz hirtzwurtz*, ideſt, radicem ceruinam nigram vocant, descripsitq; his ferè verbis. Caule est procero, nodoso velut fœniculi, foliis cerefolio, aut cicutæ non absimilibus, maioribus tamen, latioribus, & carnosioribus. In caulium cacumine vmbellæ flores candidos ferunt, deinde semē odoratum, latiusculum, ferè angelicæ: radix foris nigricat, intus candicat, superiore parte capillata, resinam aut thus redolens. Est Lobellio Libanotis minor. Idem Dodonæus Theophrasti Libanotidē frugiferam

Ca. 72. li. 3.

Lib. 1. c. 84.

LIBANOTIS, siue Rosmarinum, Matth.

CACHRYS Verior, Libanotis Galeni.

Li. 2. c. 84.

Ca. 85. hist. Ibidem.

Li. 2. ca. 84.

LIBANOTIS II. Dod.
Dauci III. Fuchſ.

frugiferam hanc exhibuit, quam diximus à Matthiolo pro Seſeli Æthiopico priore loco depictam. Caulem fert rectum, inquit Dodonæus, geniculatum folia apij paluſtris, maiora, flores in vmbellis ſicut in ſupradictis ſemen longum, craſſum, aſperum, acre, radicem craſſam, ſpiſſam, candidam, ſumma parte villoſam, thuris aut reſinæ odore. A qua ſententia haud valdè alienus eſt Pena. Hæc ſcribens. Non multum videtur abeſſe à Theophraſti Libanotide, planta foliis hippoſelini, paucioribus, parum in ambitu ſerratis, ſemine in vmbella foliaceo, lato, oblongo, odore & ſapore angelicæ, radice ferulæ, quæ comam promittit villoſam, furuam, Peucedani fermè vel Dauci, alba intus, foris pulla, odorata, medicata, fermè ſilueſtris angelicæ. Ea Dauci alterum genus eſt Fuchſio, quæ Germanis dicitur *Veiſzhirtzwurtz*, ideſt, radix ceruina alba. Libanotis Theophraſti Lobellio. Sterilis Libanotis Theophraſti foliis lactucæ ſilueſtris, orba caule, flore, & ſemine vix cuiquam hodie nota. Aliam Libanotidem Theophraſti maiorem monſtrat Lobellius, foliis magis carnoſis, rotundioribus, amplioribus, nitētibus, ſemine criſtato: cætera ſimilia & reuera eadem ſuperiori. Hæc ſecundū eſt Liguſticū Matthioli. Herbarij quidam Libanotidem aliam quam minimam vocant, ſtatuunt, hìc depictam, quæ iiſdem in montibus & locis in quibus thlaſpi montanum, prouenit, radice craſſa,

Cap 27. de Seſel.

In Ad. fol. 313.

LIBANOTIS III.
Dodonæi.

DAVCI Alterum genus, Fuchſ.

in multas

LIBANOTIS, Theoph. maior, Ligusticum II. Matth.

LIBANOTIS minima.

in multas partes diuisa candicãte, supernè capillata, odorata, thus redolente, foliis circa radicẽ densis, humi stratis, tenuibus, fœniculaceis, paucis in caulibus, tribus aut quatuor, læuibus, palmũ altis, per interualla nonnihil folioſis, flore in vmbella candido, semine exiguo, suauiter olente, acri. De istarum plantarum viribus variis & eximiis quibus quæq; partes præditæ sunt, auctores hæc tradunt, ac primũ Dioscorides. Trita omnium herba, inquit, & imposita cõmuniter hæmorroidas sistit, sedis inflammationes & condylomata mitigat: strumas concoquit, & abscessus, qui ad maturationem ægrè perducuntur. Siccæ radices cum melle vlcera purgant, torminibus medentur, contra serpẽtium morsus cõueniunt cum vino potæ, menses & vrinas cient. Discutiunt & veteres tumores impositæ. Tam radicis quã herbæ succus cum melle mixtus & illitus visum exacuit. Semen potum eadẽ præstat. Auxiliatur comitialibus & antiquis thoracis affectibus: regio item morbo, si cum pipere & vino detur: sudores mouet cum oleo perunctum. Confert & ruptis, conuulsis, podagrisq; tritum impositum cum loliacea farina & aceto. Vitiligines quoque deterget permixtum cum aceto acerrimo. Semine in potionibus vtendũ est eius Libanotidis quæ cachryn non fert: acre enim illud est, & arteriam exasperat. Eundem vsum medicum Plinius docet his verbis. Radix vulnera sanat viridis impositа, & sedis procidentia, condylomata, & hæmorrhoidas. Succus & fruticis & radicis morbum regium, & ea quæ repurganda sunt. Oculorum aciem exacuit. Semen ad vetera pectoris vitia datur potui: & ad vuluas cum vino & pipere. Menses adiuuat. Podagris illinitur cum ærina farina: purgat & lentigines, & quæ excalfacienda sunt, aut cum sudor quærendus, illitum: item conuulsis. Auget & lac in vino potum: item radix. Ipsa herba strumis cum aceto illinitur: ad tussim cum melle prodest. Galenus tres Libanotides esse scribit, vnam sterilem, duas fructum ferentes, omnes verò eiusdem facultatis emollientis & digerentis. Succum tum radicis tum herbæ mixtum melli, obtusam oculorum aciem ab humorum crassitudine emendare. Cachrys semen vim habet calfaciendi & vehementer exsiccãdi,

Vires & Temper.

Li. 24. c. 11.

Li. 7. simpl.

auctore

auctore Dioscoride: quare smegmatis commodè admiscetur. Contra oculorũ fluxiones capiti illinitur, & tertio die defricatur. Dicitur autem canchrys quod cum vrentis sit facultatis, similem inurit escharam cuti atque pilula canchrys: ita enim vocatur pilula, inquit Plinius, in medicina vrendi vim habens. Est igitur nomen id multis commune, id quod & testatur Plinius scribens, Cachrys multa genera habet, vt diximus, Sed hæc quæ ex rore supradicto nascitur, si fricetur, resinosa est. Aduersatur venenis & venenatis præterquam anguibus. Sudorem mouet, tormina, discutit, lactis vbertatem facit. Hæc Plinius: qui cum dixit cachryn resinosam esse, vertit vocem ῥητινίζων apud Dioscoridem, vt & paulò ante cùm dixit semẽ resinaceum, quod de odore intelligendum est. Theophrastus fructiferæ Libanotidis radicem vtilem esse tradit ad vlcera, & ad menses ducendos potam in vino austero nigro. Semen ad vrinæ stillicidia, & ad aures & argema, & lippitudines, & vt lac mulieribus inducat. At sterilis radix purgat, sursum ac deorsum. Quod enim ad germen est purgat sursum quod ad terram, deorsum. Prohibet etiam vermes vestibus interposita.

Ibidem.

Lib. 16. c. 8.

Li. 24. c. 11.

Lib. 9. hist. ca. 12.

CRITHMVM MATTHIOLI. CAP. XXXV.

KPIΘMON & Κριθάμιον Græcis, Latinis Crithmum & Crithamum, vel Crethmum & Crethamum, & Batis Plinio. Fruticosa est herbula, vt depinxit Dioscorides, quamuis herbulæ nomen parũ conueniat cubitali plantæ, ac fruticosæ: vndique foliosa, cubiti ferè altitudine, nascens in petrosis & maritimis locis, foliis referta pinguibus & subalbicantibus, portulacæ foliis similibus, latioribus tamen & longioribus (vetus codex habet nõ παλυλέροις, sed παχυλέροις, ideſt, crassioribus: quæ lectio maximè conuenire videtur fœniculo marino, si id Crithmum est, quia folia habet præpinguia, albicantia, & portulacæ foliis similia, multò tamen crassiora, strictiora & longiora, salso gustu. Flores habet albos, & fructum ceu Rosmarini, odoratum, mollem, rotundum, qui siccatus rumpitur, & intus semen habet, ceu granũ tritici (veteres enim & recentes Dioscor. interpretes ὡς πυρὸν legunt, conuerterunt enim vt triticũ & tritici modo, & tritici figura. Plinius tamen πυρῶδες legisse videtur, conuertit enim semen feruens. Et si quis πυῤῥὸν legat, vt ferè Græca exemplaria habent, & fuluum semen accipiat, etiam sic ad tritici semen similitudo aliqua fuerit: quamquam ad tritici fracti candorem referendam eam similitudinem pleriq; putant, ex eo quod Plinius intus nucleum candidum dixit. Radices digitali crassitudine tres aut quatuor, odoratas, iucundas. Eadem est & apud Plinium & clarissima huius pictura. Eadem vis Crethmo ab Hippocrate admodum laudato. Est autem inter eas quæ eduntur siluestrium herbarum. Hanc certè apud Callimachum apponit rustica illa hecale: speciesq; eius est Batis hortensis. Caulis vnus palmum altus, semen feruens, odõratum, ceu Libanotidis, rotundum, siccatum rumpitur: habet intus nucleum candidum, quem aliqui cachryn vocant. Folia pinguia albicant veluti oliuæ, crassiora & salso gustu: radices digiti crassitudine tres aut quatuor. Nascitur in maritimis petrosis. Istud Crithmum Matthioli, Dodonæi, & plerorumq; aliorum sententia planta ea esse cẽsetur, quæ Officinis Creta marina, voce ex Crethmo corrupta, dicitur, Gallis *Crete marine*, *Bacille*, *& Fenouil marin*, Italis *Finochio marino*, *& Herba di Sanpetro*, Germanis *Bacillen*, Hispanis *Perrexil de la mar*, Empetrum Rondelletij. A quibus dissentit Pena: nam si attentiùs expendamus herbarum descriptiones ab antiquis traditas, videbimus hîc fruticosam dici plantam à Dioscoride, foliis pinguibus, longioribus, & latioribus quàm portulacæ, albicantibus, salsis, &c. Cui descriptioni portulaca marina melius congruit quàm fœniculus marinus, cunctis fermè herbariis hodie Crithmum putatum. Verùm fœniculus marinus neutiquã

Nomina

Li. 2. c. 112.

Forma.

Cor. Emb. in. lib. 2.

Lib. 16. c. 8.

portulacæ

CRITHMVM Matth.
Batis Plinij.

Vires & Temper.

portulacæ ſimilis eſt vt Dioſcoridi placet, ſed potiùs facie tota & vmbellis fœniculo, vt inſpectio ipſa vulgus ignarũ vocare docuit, nec folia albent, ſed virent porraceo colore: nec quia muria conditur, & paſsim eſitatur, ideò eſt Crithmum habendum. Etenim non paucæ aliæ ſunt maritimæ, quæ in acetariis expetuntur, & muria ſeruantur, & iiſdem fœniculo marino facultatibus pollere credũtur. Quare Herbariorum quidam, quod & Pena cenſuit, putãt marinæ portulacæ, quã pro Halimo depinxit Matthiolus, hiſtoriam, Crithmo longè magis congruere, quàm fœniculo marino, Pliniumq; deceptũ, hortenſem Batidem, quæ fœniculus marinus eſt ſatiuus, exiſtimaſſe Chrithmi ſpeciem. Semen Crithmi, inquit Dioſcorides, radix & folia in vino cocta & pota, vrinæ difficultati & regio morbo auxiliantur. Mouent menſes, eſtur crudum coctúmve oleris modo. Conditum quoque muria ſeruatur. Eadem & quædam alia Plinius tradit. Eſtur crudum coctúmve cum olere, odorati ſaporis & iucundi.

Lib. 26. c. 8.

Seruatur etiam in muria præcipui vſus ad ſtranguriam folio, vel caule, vel radice ex vino. Colorem quoque corporis gratiorem facit: verùm æquo largior inflationes. Aluum ſoluit decocto, vrinámque, & à renibus humorem trahit.

Li. 7. ſimpl. Galenus Crithmum ſcribit ſalſum eſſe cum paucula amaritudine: quamobrem vim eius eſſe exſiccatoriam & abſterſoriam: vtramq; tamen in eo imbecilliorem eſſe quàm in amaris. De duobus aliis Crithmi generibus à Matthiolo traditis diximus in libro de Maritimis.

STRATIOTES MILLEFOLIA. CAP. XXXVI.

Nomina

ΣΤΡΑΤΙΩΤΗΣ ὁ χιλιόφυλλος Græcis, Stratiotes millefolia, & militaris millefolia Latinis dicitur, Gallis *L'herbe militaire à Millefueilles*. Stratiotes verò Græcis, ideſt, militaris dicta eſt, quod vulnera ferro ſanet, atq; ideo in militia & caſtris multus eius vſus ſit. Dioſcorides aliquot nomine affines plantas militares, ſiue millefolias cõſtituit. De Stratiote militari aquatico diximus inter paluſtres, de reliquis agimus hoc capite: ac primùm de Stratiote millefolia noſtra, quam deſcribit ille fruticem eſſe paruum, palmi altitudine, aut etiam maiorem, folia habentem pennis auicularum ſimilia. Alij pro νεοῖς φλερῷ, legunt νεᾳ τῇ φλεϊδι. Ideſt, recenti ac tenellæ filici. Sunt autem exortus foliorũ valdè breues & fiſsi: maximè verò ſimilia ſunt folia breuitate & aſperitate cumino agreſti, atque etiam breuiora: vmbella huius denſior eſt ac plenior: in cacumine etiam feſtucas paruas habet, in quibus vmbellæ ſunt anethi modo, flores parui, albi. Naſcitur in agris aſperis, & maximè circa ſemitas. Hanc Stratiotem terreſtrem Matthiolus & periti alij herbarij plantam eſſe cenſent, quæ Officinis & vulgò Millefoliũ nuncupatur, Gallis *Millefueille*, Germanis *Garben, & Tauſentblatt, & Scaffripp*, longè diuerſam à nigriophyllo de quo paulò pòſt dicemus. Dodonæus Achilleæ, Fuchſius Stratiotæ millefoliæ nomine exhibuit. Matthiolus ſcribit huius Millefolij genus quoddam naſci in agro Goritienſi, Saluatino monte, quod ſuperius vincit magnitudine, ſicut ex effigie hîc picta videre licet, vt meritò Millefoliũ maius appellet.

Genera Cap. 4.

Li. 4. ca. 98.

Forma.

Ca. 98. li. 4.

Li. 1. c. 100. Cap. 177. hiſt.

Ibidem.

Pena

STRATIOTES Mill-folia maior, Matth

STRATIOTES Millefolia minor. Matth.

Pena priorem Millefoliam, Stratiotē, siue Millefoliam terrestrem Dioscoridis cū multis esse credit, quæ fideritidi Achilleæ tum figura, tum effectu valdè affinis est, inquit, tamen terrestris Stratiotes minor est, surculis rectis, foliis verò alatis, pennatisve inter filicē, atque filipendulā, sed minoribus multò, & quā Achilleæ breuioribus. Vmbellæ ex disparibus ortu surculis, gracilibus circinantur atque cōflantur, plurimùm & passim pratorum & aruorum marginibus candidæ: sed præter hasce etiam purpurascentes, & luteo aspectu micantes vmbellas in Narbonensis Galliæ montosis, squallidis, editis, sed æstuosis se inuenisse affirmat, & ad Magdalenæ saxeum specum prouinciæ Galliæ, & Italiæ Genuensis asperis, vbi cinereo colore & lanugine pubet tota. Idem Pena ingeniosè admodum subodoratus est mutilam, aut depraua-tam fuisse capitis de Stratiote millefolio lectionem, qua Dioscorides modo folia Stratiotis millefolij pennis auicularū comparat, modo foliis cumini siluestris, suspicatusq; est Stratioten Millefolium, à fluuiatili Aeizoeide diuersum duplicem hîc proponi ex confusa vel ancipiti descriptione, nempè vnum terrestrē, filicis folio, & alterum aquaticū, cumini siluestris, duabus fortè plantis vnam in descriptionem congestis. Quamobrem cum diligentiùs perpendisset, tandem visum illi fuit hanc repetitā foliorum Stratiotis myriophylli cum cumino siluestri collationē, aptiùs nulli quadrare posse, quàm alteri Stratioti myriophyllo, in aquis nascenti, eiusdem cum terrestri speciei & figuræ, cuius folia quā plurima à medio ad imum scitè exprimunt cuminum siluestre, aut coriandrū: superiora verò sunt fœniculi, sed tenuiora, delicatiora, molliora, vt aptè etiam quædam habet lectio, nō amaraci (vt falsò legūt) sed marathri: reliqua minora, sed similia supernè floribus millefolij. Hunc Matthiolus Stratioten aquaticum semperuiuo simile fecit postremis commentariorū editionibus, eoq; nomine perbellè pinxit, cùm tamen perspicuum sit neutiquam esse foliis semperuiuo maioribus, magisq; refrigerantibus, sed potiùs coriandri aut cumini siluestris, & fœniculi. Alium Stratiotem aquaticum ἀφλοιόδη pingit Dodon. cap. 99. lib. 1. & nos in lib. de paluſtribus, vt diximus. Aliud est nomine quidem affine, sed re diuersum Millefolium, dictum Græcis μυριόφυλλον, à numero decem milliū foliorum, & παραθριόφυλλον teste Dioscoride, idest fœniculifolium, quod ita ab eodem delineatur. Cauliculus est singularis, tener, vnica nixus radice, circa quam

Ibidem.

Ca. 97. li. 4.

Li. 4. c. 110.

STRATIOTES Millefolium aquaticum, Matth.

Locus. Li. 24. c. 16.

multa sunt folia, læuia, fœniculo similia, vnde nomen accepit. Caulis ipse subfuluus est, varius, veluti de industria delineatus. Nascitur in locis palustribus. Eadem omnino Plinius habet. Myriophyllum quod nostri Millefolium vocant, caulis est tener, similis fœniculo, plurimis foliis: vnde & nomen accepit. Nascitur in palustribus magni vsus ad vulnera. Hæc planta, neque vulgi, neque Officinarum est Millefolium, quod multis à radice caulibus prosiliat, foliis constet à fœniculo multum distantibus, nascaturq; in pratis & incultis, non autem in paludibus. Sed genuinum Myriophyllū istud est, quod ex Matthiolo depinximus, sæpè à se visum in vallis Ananiæ paludibus, vnico tantū caule, innumeris foliis referto, capillaceis, fœniculi modo, odore non ingrato. Idem sentire videtur Pena. Myriophyllum siue Maratrophyllum palustre facilè est, inquit, à cæteris dignoscere: sæpius enim id reperias in aquis leniter fluentibus & palustribus, innumeris foliorum capillamētis, exilibus, è neruis per æqua interualla pinnatim exeuntibus, teneritudine & diuisura fœniculi pullulantis, aut corrudæ, mollioribus, colore ex viridi fusco, molliusculo, teneroq; caule in aquis fluitante, eq; radice exigua, euulsu facili, pallidula: lutea vmbella emicat, gustu quadamtenus palustris equiseti. Myriophyllum alterū ex Matthiolo hic appinximus, quod idē est cū Viola aquatiqua Dodonæi,

MYRIOPHYLLVM. prius, Matthiol.

MYRIOPHYLLVM. alterum, Matthioli.

à nobis

à nobis depicta & descripta in lib.de paluſtribus. Singularum vires nunc ſunt expendendæ. Stratiotes millefolia,auctore Dioſcoride, valde vtilis eſt ad ſanguinis eruptionem,ad vlcera vetera,recentiaq;,& ad fiſtulas. Stratiotes terreſtris , inquit Galenus,nonnihil habet adſtrictionis:quare & vlcera glutinare poteſt,& vulneribus eſſe vtilis. Sunt qui eo ad ſanguinis eruptiones vtantur , & ad fiſtulas. Scribit Matthiolus dari vtiliter Millefolij ſuccum ad ſanguinis reiectiones. Idem præſtare ſicci farinam ex ſymphyti maioris, aut plantaginis, aqua potam. Eandem naribus inditam ſanguinem inde fluentem compeſcere : dyſentericis vtiliter infundi cum ipſius ſucco. Herbam recentem tuſam,& ſuppoſitā , pubiq; illitā menſium profluuia cohibere. Eandem,cui candida ineſt vmbella,cum floribus tuſam, & cum ſuipſius aqua,aut caprino lacte potam:guorrhœam in viris,in fœminis alba vteri excrementa ſiſtere:idq; valentiùs efficere,ſi cum corallio,ſuccino,& eboris ſcobe propinetur. Mirum in modum conferre eiuſdem farinam ad ſanguinis mictum,ſi vnciæ pondere cum armeniæ terræ drachma ex vaccino lacte potui detur ieiunis,diebus tribus continuis. Commanducata folia præſertim recentia, dentium dolorem mulcere:idem efficere commanducatam radicē , & diu ſub dolente dente retentam. Dari herbæ decoctum cum labruſcæ floribus vtiliter potandum contra vomitū. Myriophyllum verò tradit Dioſcorides , vulnera recentia ab inflammatione liberare,vel viride,vel ſiccum ex aceto impoſitum. Bibitur etiam ex aqua & ſale ad caſus ex alto. Myriophyllum,inquit Galenus , vſque adeò deſiccatoriæ facultatis eſt,vt vulnera glutinet. Plura Plinius tradit. Cum aceto bibitur ad difficultates vrinæ,& veſicæ,& ſuſpiria,præcipitatiſque ex alto: efficaciſſima eadem ad dentium dolores. Hetruria hoc nomine appellat herbam in pratis tenuem , à lateribus capillamenti modo foliosam eximij vſus ad vulnera. Boum neruos abſciſſos vomere ſolidari ea,rurſuſq; iungi addita axungia affirmans. Pinximus & alterum Myriophyllon ex Matthiolo,ſed non vmbelliferum,quod Dodonæo ſecundum genus eſt Potamogeitonis, & quorūdam herbariorum iudicio , Potamogeiton Caſtoris apud Plinium, ca.8.26. folio tenui, velut equinis ſetis , thyrſo lōgo,& læui,in aquoſis naſcens. Stratiotes alia à Cluſio pingitur & deſcribitur palmari magnitudine, duobus tribúsve ab eadem radice cauliculis , quos folia vulgaris Stratiotis foliis ſimilia ambiunt, molliora multò & tenuius inciſa,flores in vmbellis alteri forma ſimiles , ſed lutei : radix vnica,dura, ſurculi tamen alterius Stratiotis & chamæmeli modo ſerpunt, & radices agunt.Creſcit in Murciano regno , & ſupra Auenionem itinere Nemauſenſi lapidoſo & ſterili ſolo. Floret Maio & Iunio. Poteſt & ad Achillæam Dioſcoridis referri , quia flore luteo inueniri ſcribit,vt ſit minus eius genus.

Vires & Temper.
Li.4 ca.. 8
Li.8.ſimpl.
Ca.98.li.4.
Li.4. c.110.
Li.7.ſimpl.
Li.24. c.16.

STRATIOTES Lutea, Cluſij.

ACHILLEA. CAP. XXXVII

Nomina Lib. 4. c. 32.

ΧΙΛΛΕΙΟΣ, & ἀχιλλεῖος σιδηρῖτις Græcis dicitur, Latinis Achillea, & Achillea ſideritis, ob id ſideritidis generibus à Dioſcoride ſubdita, Plinio Millefolium. Virgas fert palmi altitudine, ita deſcribente Dioſcoride, aut etiam maiores, fuſorum effigie, & circum ipſas foliola tenuia ex obliquo crebras

Forma.

ACHILLEA Sideritis, Matthioli.

Lib 25. c. 5.

inciſuras habentia, coriandro ſimilia, ſubfulua (legitur in veteri codice non ὑποπυῤῥα, ſed ὑποπικρα, ideſt, ſubamara) viſcida, odoris multi, non iniucundi, ſed medicati: vmbellam in cacumine rotundã, flores albos, purpureos, & aureo colore. Prouenit læto ſolo. Plinius ſic deſcripſit. Inuenit & Achilles diſcipulus Chironis, qua vulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos vocatur. Hac ſanaſſe Telephũ dicitur. Alij primùm æruginẽ inueniſſe vtiliſsimã emplaſtris, ideoq; pingitur ex cuſpide decutiẽs eã gladij in vulnus Telephi. Alij vtroque vſum medicamento volunt. Aliqui & hãc Panacem Heracleõ, alij Sideritim, & apud nos Millefolium vocãt, cubitali ſcapo, ramoſam, minutioribus quã fœniculi foliis veſtitam ab imo, &c. Quibus verbis, Plinius Stratiotẽ myriophyllũ de quo proximo capite diximus deſignaſſe potiùs videtur, quàm Dioſcoridis Achilleã. Videtur & Millefolij nomẽclatura ſuaſiſſe quibuſdam vulgare noſtrũ Millefoliũ Achilleã eſſe, quæ ſententia facilè refelli poteſt, quod Millefolium vulgare neque coriandro ſimilia folia habeat, neque fœniculo minutiora. Vera autẽ Achillea ex Matthiolo hîc proponitur, quã in Hetruria prouenire ſcribit, & in Goritienſi agro, ſcapis ferè cubitalibus, foliis coriandro proximis, odore quadamtenus graui, non tamen ingrato, vmbella in cacumine rotunda, amplaq;, colore in purpura albicante, punctis quibuſdam aureis picta. Coma huius trita, vt tradit Dioſcorides, cruenta vulnera glutinat, & inflammationem arcet, ſanguinis eruptiones inhibet, & eas quæ ex vtero fluunt appoſita in peſſo. Sed & decoctum ipſius paratur ad inſeſſus mulieribus fluxione laborantibus. Bibitur ad dyſenteriam. Et Galenus. Quidam, inquit, vocant Achilleon Sideritim, quæ propoſitæ quidẽ viribus eſt nõ diſsimilibus, cæterùm adſtrictione exuperat. Quare ad ſanguinis eruptiones, dyſenterias, & muliebre profluuium congruit. Achilleam aliam Pena depinxit, montanam, Artemiſiæ tenuifoliæ facie, perelegantem, & parum frequentem, niſi celſioribus Calcaris & horti Dei montium Narbonenſium

Ca. 32. li. 4.

ACHILLEA Montana, Penæ.



Lib. 4. c. 32.

Lib. impſ.

bonenſium iugis. Radice eſt puſilla, ſenecionis: cauliculis multis, pedalibus, gracilibus, foliis quàm ſuperioris tenuioribus, habitioribus, ſucculentioribus, viridioribusq; : vmbellis in ſummitate Millefolij aureis: ſemine oblongo, tanaceti, aut abrotonij. Floret Iulio & Auguſto.

BOLBOCASTANVM. CAP. XXXVIII.

ALEXANDER Trallianus empyematicis victus rationem præſcribēs, inter permulta alia Βολβοκαστάνων meminit. Quo loco Goupylus vocem hanc deprauatam fuiſſe à deſcriptoribus annotauit, quod caſtaneæ, neque ex bulborum genere ſint, neque bulbis ſimile quicquam habeant, ex glandium enim genere ſunt, ex quo coniicit veterem ſcripturam fuiſſe. Βαλανοκαστάνων. Sed cum natura plantas proferat habitu & figura radicis, bulbos, ſapore guſtúque caſtaneas ſcitè exprimentes, viſum eſt Dalechampio Tralliani lectionem non immutare, & plantas hìc expreſſas Bolbocaſtana ab eo nuncupari, ſexu diſcreta, vt vnum ſit mas, alterum fœmina. Bolbocaſtanum mas in pratis vdis & riguis naſcitur, radice bulboſa, nobis extuberante, extrinſecus in nigro rufeſcente, intrinſecus candida, guſtu caſtaneæ. Prælongum quoddam & gracilè veluti filum ex ſe mittit, ſæpius intortum, paulatim craſſeſcens in

Lib. 7. ca. 2.

Nomina Genera Forma.

BOLBOCASTANVM
mas, Tralliani.



BOLBOCASTANVM
fœmina, Dalechamp.



caulis originem: caulis cubito maior eſt, rotundus, in quo folia pauca, fœniculo ſimilia, veluti & caulis, ex articulis prodeuntia. Vmbella in ſummo candida, ſemen oblongum, apice gemino conſpicuum, ſubacre. Dodonæo eſt Bunium Dioſcoridis, in Hiſtoria ſtirp. in Bolbocaſtanum in Purgant. Hiſtoria, Lobellio Nucula terreſtris perperam Oenanthe Matthiolo. Bolbocaſtanum fœmina in ſiccaneis pratis oritur, radicibus multis, bulboſis, his auellanarum, modo rotundis, illis

BOLBOCASTANVM grandius, Dod. Bunium.

oblongis, dulcibus, castaneæ sapore, fibris quibusdam inter eas & ex iis nascentibus, caule anguloso, cubitali à radice mox crassiusculo, non tenui filo, vt in altero genere cum radice connexo, rubro, foliis fœniculi, paucioribus quàm in mare, & minùs densis, sed carnosioribus, vmbella candida, semine paruo, coacernato, cùm nouellum est, rubescente, subacri, extantibus in singulis seminum apicibus, binis tanquam aculeis. Potest & planta alia hîc picta Bolbocastanum grandius rectiùs appellari, quàm Bunium, vt Dodonæus vocat, quod caule est læui, anguloso, cubitali. Folia ima apij vulgaris folia referunt, nisi quod minora sunt, & minutiùs incisa, quę in caule sunt anethi foliis haud absimilia. Flores candidi in vmbellis anethi similibus, semen exiguũ, odorũ, cumino, aut fœniculo non multũ dissimile, sed minùs radix rotunda est parui mali instar, fusca foris, intus cãdida, gustu Pastinacæ. Locis multis Hollandiæ & Zelandiæ crescit interseta & secus vias, & copiosiùs in Anglia. Iunio flores & semen profert.

Lib. 3. c. 23.

BVNIVM. CAP. XXXIX.

PRIMVM Lector mouendus est in quibusdam etiam veteribus Græcis Dioscoridis exemplaribus libro secundo capiti de lanipsana, caput de Bunio non rectè subditum fuisse à descriptore, nominum τῆς βουνιάδος, ideſt napi, & τῷ βουνίῳ similitudine decepto, cùm tamen reipsa diuersissimæ sint plantæ. Nam præterquã quod absurdum fuerit eiusdem plantæ historiã diuersis libris à Dioscoride conscribi, certè raporum, raphani, naporum, & cæterorũ id genus olerum descriptio, & natura, à Bunio & pseudobunio herbis insigniter medicatis omnino dissidet, nec rectè cõiungi potest. Quare ex vetustiorum etiam codicum fide rectè Bunij & pseudobunij Historia in librum quartũ reiecta est. Eadem nominum affinitas multis etiam doctis herbariis erroris causa fuit: primũ Plinio qui Bunium napi genus facit his verbis. Naporum duas differentias, & in medicina Græci seruant. Angulosis foliorum caulibus florentis, & quod Bunium vocant, &c. Deinde Ruellio qui capite de pseudobunio φύλλα βουνίῳ ὅμοια, folia napi conuertit: item Oribasij interpreti, qui βούνιον napum interpretatus est. Huc etiam impegit Matthiolus, Bunium napum silueſtrem vocans, cùm napus silueſtris βουνιὰς sit, non βούνιον. At Bunium neque Bunias est, neque eadem figura, neque iisdem viribus,

BVNIVM, Dalechamp.

Li. 20. ca. 4.

Li. 4. c. 120.

aut

aut classe,cum buniade. Verum autem bunium Dalechampij iudicio hîc pictum est,quod locis saxosis,asperis,& à sole illustratis prouenit,radice candida, surculosa,odorata , festucis in summo villosa,foliis proximè radicem tam facie similibus apio hortensi, vt spectantes fallant , tenuioribus ad coriandri folia accedentibus, caule quadrato, procero , minimi digiti crassitudine, flore vmbellâque anethi,semine odorato , quàm in hyoscyamo minore. Est hîc obseruandum nec in nostris exemplaribus Græcis , nec in Oribasio in bunij caule ramulos minutis foliis ac floribus scatere, item folia apio quidem similia legi,sed non proximè radicem. *Forma.*

Quare necesse est aut verba hæc redundare , aut Ruellium alio exemplari quàm nostro vsum. Pena verum bunium esse bolbocastanum suspicatur. In Ad. fol. 71.

Bunium,vt tradit Dioscorides , vrinàm ciet, excalfacit, secundas educit,spleni,renibus,& vesicæ vtile. Tam humidi quam sicci,expressique succi caulibus , foliis, radicibusque vsus inualuit ex aqua mulsa. Galenus bunium,inquit, adeò excalfacit,vt & vrinam moueat,& menses prouocet. Lib.4.c.19. *Vires & Temper.* Lib.6.sim.

ELICHRYSVM. CAP. XL.

Ἐλίχρυσον Dioscoridi,Theophrasto ἐλειόχρυσον, aliis ἡλιόχρυσον,Galeno ἀμάραντον , Latinis quoq; elichrysum,eliochrysum, & Heliochrysum nominatur. ἐλίχρυσον verò & ἐλειόχρυσον , quod locis aquosis & palustribus,quæ Græcis ἕλη dicuntur,proueniat. ἡλιόχρυσον quod ad solis qui ἥλιος Græcis est, repercussum aurea luce flores huius plantæ fulgeant,quã ob causam Aureliam vertit Theodorus. *Nomina*

Elichrysum quo deorũ simulacra coronabant, trãdit Dioscorides,ramulum habere candidum,virentem,rectum,solidũ, folia ex interuallis angusta, ad abrotoni folia accedentia , comam aureç lucis,in orbem, vmbellam rotundam velut corymbos aridos , radicem tenuem. Nascitur in asperis & torrentium alueis. Plinius inter vernos flores elichrysum recenset, paulò pòst ait,Heliochrysos florem habet auro similem,folium tenue,cauliculum quoque gracilem,sed durum. Hoc coronant se magi : atque si vnguenta sumantur ex auro,quod apyron vocant,ad gratiam quoque vitæ gloriámque pertinere arbitrantur, quod & repetit aliquanto post. Heliochrysum quod alij Chrysanthemũ vocãt,ramulos habet candidos,folia subalbida,abrotono similia,ad solis repercussum aureæ lucis in orbem veluti corymbis dependentibus, qui nunquam marcescunt. Qua de causa Deos coronãt illo,quod diligẽtissimè seruauit Ptolemeus Rex Aegypti. Nascitur in frutetis. Lib.4.c.51. *Forma.* Lib.21.c.11. Cap.25.

Quæ omnia ex Theophrasto mutuatus est hoc præsertim loco. ἐνδοξεῖ ὃ καὶ ἐάν τις τῷ ἐλιοχρύσῳ τῷ ἄνθει στεφανῶται, μύρῳ ῥαινων ἐκ χρυσίου ἀπύρου. ἔχει δὲ ὁ ἐλειόχρυσος τὸ ἄνθος χρυσοειδὲς, φύλλον δὲ λευκόν. (Plinius legit λεπτὸν, conuertit enim tenue, Dioscorides στενὸν, id est, angustum,) καὶ τὸν καρπὸν δὲ λεπτὸν (legendum καυλὸν pro καρπὸν, iisdem auctoribus, quod Theodorus non animaduertit) καὶ σκληρὸν. ῥίζαν δὲ ἐπὶ πόλαιον & λεπτὴν. χρῶνται δ' αὐτῷ πρὸς τὰ δακετὰ ἐν οἴνῳ, καὶ πρὸς τὰ πυρίκαυστα, καταχρύσαντες & μίξαντες μέλιτι. Id est, Qui etiã elichrysi flore coronantur , vnguento ex auro ignis expertè insperso gloriam & famam bonam assequuntur. Habet elichrysum florem auro similem , folium tenue, caulem tenuem & durum , radicem per summam terram vagantem & tenuem. Hoc vtuntur aduersus serpentium morsus in vino,& ad ambusta igni, si crementur, & melli misceatur. Lib.6.h.st. c.7.& lib 9 cap.21.

Sunt qui plantam quæ Officinis Stœchas citrina nominatur elichrysum Dioscoridis esse volunt,sed proculdubio hallucinantur. Nam folia illi tenuia, abrotoni modo non sunt, sed longa, albicantia , & hirsuta, caules palmares aut maiores , lanuginosi & incani, in quorum summitatibus flores quidẽ sunt aurei,sed globosi,odorati,& in vmbellæ diuulsæ modum sese pandentes. Dodonæus eliochrysum Theophrasti ab elichryso Dioscoridis permultum distare existimat, Matth in c.52.lib.4. Lib.1.c.60.

illudq; ſtœchadem citrinam Officinarum eſſe, minimè verò Dioſcoridis elichryſum. Genuinum autem elichryſum ſiue eliochryſum, Matthiolus id eſſe putat, quod copio ſè prouenit in Hetruriæ pratis, gracili ſolo, incultíſque locis ac ſitientibus collibus, nec non etiam in fluminum alueis, caule conſtat recto æquali, & lignoſo, cubitalem longitudinem non excedente, foliis per interualla emergentibus, abrotoni æmulis, comantibus in cacumine floribus, aureo colore fulgentibus, & in orbem in vmbella cohærentibus, corymbacea facie, qui exſiccati colorem aureum diutius retinent. Quare commodè hyeme cum flores deſunt, puellæ ſiccum elichryſum coronis ſuis inſerunt. Idem approbare videtur Pena his verbis. Eliochryſo aurei floris decus coronamentis, vt Theophraſtus innuit, addi ſolitum, & ad radiorum ſolis repercuſſum coruſcam lucem intuentibus vibrantes corymbi, nomenclaturam ſpecioſam reliquerunt, nobiſq; ſignarunt certiſsima illius cognoſcẽdi indicia, qualia in iſto vulgari cernuntur, vmbellæ corymbaceæ multis è bullis extantibus circinatæ, & aureo aſpectu micantes, tanaceti & agerati diuturnam coloris gratiam ſeruãtes in rectis virgis, gracilibus, virentibus pedem & cubitum altis, duris alis & foliis per interualla, abrotoni, vel artemiſiæ tenuifoliæ, exili & lignoſa radice. Niceæ ad Thyrrhenum mare, Genuę Ligusticæ, & in Gallicæ prouinciæ aſperis, macilẽtis conuallibus, & deſertis incultis fruticat. Pollet multum ad podagras & vlcera maligna, humorum impetum illuc ruentem reprimendo, lotium deriuando, & copiam humorum vehementiùs impellendo, & eadem fermè quæ millefolium promittit. Hæc ex Pena. Dioſcorides verò tradit cõtra ſerpentium ictus, coxendicum dolores, vrinæ ſtillicidia, ruptáque commodè comam è vino potam auxiliari, ciere menſes, grumos ſanguinis in ventre aut veſica liquare cum vino mulſo potã, cohibere quoque defluxiones è capite triũ obolorum pondere ieiunis datam in vino albo diluto. Inſeri etiam veſtibus, vt eas ab erodentium iniuriis tueatur Plinius eundem vſum medicũ partim ex Theophraſto, partim ex Dioſcoride deſcripſit. Ciet vrinas è vino pota & menſes. Duritias & inflammationes diſcutit. Ambuſtis cum melle imponitur, contra ſerpentium ictus & lumborum vitia bibitur. Sanguinem concretum ventris aut veſicæ abſumit cum mulſo, folia eius triũ obolorum pondere ſiſtunt profluuia mulierum

ELICHRYSVM, Matthioli.

ELICHRYSVM Italicum, Matthioli.

Vires & Temper.

Lib. 4. c. 52.

Lib. 21. c. 25.

in

ELICHRYSVM Creticum Matthioli.

in vino albo. Vestes tuetur odore non ineleganti. Sed quod Dioscorides dixit, ἰσχεῖ τὴν κατάῤῥουν, Plinius tantùm ad fœminarum profluuia contraxit, quod mirum videri potest: nam quamuis κατάῤῥους communis quidem defluxionibus omnibus sit appellatio, tamen propriè defluxionem siue destillationem ex capite in os & gulam, & hinc in ventriculum significat. Galenus elichrysum non habet, sed amarantho tribuit, quod Dioscorides elichryso. Amaranthum, inquit, facultatis est incidentis & extenuantis. Coma igitur eius cum vino pota menses educit. Sed & grumos sanguinis liquare ac soluere creditur non solùm in ventre, sed & in vesica. Sed tunc potiùs cum vino bibenda Et omnes simpliciter fluxiones pota desiccat, stomacho infesta. Est altera planta, inquit Matthiolus in Italia nascens, quam Elichrysum alterum vocare voluit, quod folia illi sint etiam angusta, & aurei in summitate flores. Addit & Elichrysum Creticum sine vlla descriptione. Lib.6.fim.

AGERATVM. CAP. XLI.

Γήρατον Græcis, Latinis etiam Ageratum dicitur, quasi non senescens. Ex eo enim nomẽ accepit, teste Dioscor. quod flos diu in sua specie perseueret. Herba est fruticosa, vt idem describit, palmi altitudine, humilis, simplex, maximè similis origano, vmbellam gerens in qua flos aureis bullis similis, minor elichryso. Plinius non multùm à Dioscoride dissidens, Ageratum, inquit, ferulacea est, duorum palmorum altitudine, origano similis, flore bullis aureis. Huius vstæ nidor vrinam ciet, vuluámque purgat, tanto magis insidentibus. Causa nóminis non hæc, sed quoniam diutissimè nõ marcescit. Dioscoridis Ageratum Matthiolus cum multis herbariis eam esse herbam censet, quæ Italis Herba *Giulia* dicitur, quæque à Mesuæ Eupatorij nomine delineatur. Passim nascitur, inquit, in Hetruria, foliis origano proximis, floribus aureis, in vmbella micantibus elichrysi modo. Huic sententiæ subscribit Pena ex floris aurea gratia senectam non sentientis, vmbelliſque corymbaceis, elichrysi æmulis nostrum Ageratum esse Dioscoridis genuinum iudicãs. Quin & decoctum & folium Narbonẽsis Agerati gustanti valde acre & amarum sentiri asserit, & ad ciendas vrinas intro sumptum, foriſq; suffitum admodum efficax esse, odorem etiam suauem quadantenus Romani chamæmeli fragrantia

Nomina Lib.4.c.54.
Forma. Ibid.
Lib.27.c.4.
In cap. 54. lib.4.
Lib.2. fim. cap.25.
In Ad. fol. 207.

AGERATVM, Matth.

AGERATVM, secundum & tertium, Matth.



AGERATVM, Aliud quorundam.

grãtia, indicem certiorem esse facultatis emolliendi vuluæ duritias, vrinásque odore eliciendi, quas Dioscorides in Agerato suo requirit. Præterea, inquit, collatio cum origano hîc valde oportuna est, siue totum fruticem & vmbellas, vt Dioscorides, siue etiam reliquam plantæ faciem perpendas, sunt enim bullatæ vmbellæ elichrysi & origani, quas inter se confert Dioscorides, qui tamen hîc foliorum non meminit, vti neque chrysocomę, quam hyssopo asimilat, hyssopum autem origano. Quod si etiã origano foliis asimilasset, propterea istud nostru m Ageratũ periisset: neque enim adeò procul absunt folia ab origano, quinimo quibusdam Narbonæ locis, & Hetruriæ squallidis, sed depressis, videri ait Agerati fruticis exigui, folia multò minora, & tantillum crenata, rigida, dura, pluráque virgulta, origanis variis ibi fruticantibus, toto habitu non disimilia. Ageratum etiam spectari interdum illic specioso candore nitentibus florum bullis, haud tamen cætera ab illo diuersum. Præterea cultu humidiore adhibito, vel cœlo septentrionali algidiore, valde variare quod colunt vireta Gallica, Germanica, Belgica, latius proceriúsq; fruticans, maioribus ramis, latioribus, longioribus foliis, & altiùs multò crenatis, flaccidis, ad Galli cristam herbam accedentibus. Sed Angliæ hortis viuacius nihil isto etiam Narbonensi semine sato, ramis caducis, magisq; serratum foliis, diu perstans, admodum diuersum. Quæ varietas, opinor, fecit vt quam Dodonæus Balsamitam minorem vocat, Itali herbam Iuliam, Ageratum Dioscoridis, & Mesues eupatorium esse neget. Tam multa de Agerato Pena, in quibus mirum ab eo scriptum de Chrysocomes foliis nihil à Dioscoride proditum fuisse, cum is disertè & apertè tradit ei plantę comam esse κορυμβοειδῆ, corymborum bullis insignem, hyssopo similẽ. Herbariorũ quidam collationem Agerati cum origano, ad ramulos tantùm non ad folia pertinere iudicant, qualem cap. de Symphyto petræo legimus, vt foliorum similitudo minimè sit requirenda. Scribit Dioscorides decoctum Agerati vim habere feruidam, ipsam herbam suffitam vrinas ducere, & duritias circa vterum mollire. Eadem Plinius tradidit, vt diximus. Galenus verò Ageratum esse δυνάμεως διαφορητικῆς, καὶ ἀτρέμα πῶς. Legũt quidam ἐπιφλεγμάντικ, leuiter vrendi, & inflammandi, quod conuenit voci Dioscoridis πυρωτικῆς.) ἀφλεγμάντικ, id est, vim habere discutiẽdi, & leuiter inflammationes arcendi. Quæ vis contraria videtur ei quam

Lib. 2. c. 4.

Lib. 4. c. 54.

Lib. 6. sim.

Dioscо

Dioscorides πυρωτικὴν dixit, id est, feruidam & inflammantem. Quidam legendum censent πνευματικὴν, ad fotus vtilem. Matthiolus postremis editionibus vero Agerato alia duo adiunxit, secundum candidis floribus hîc etiam picta: quibus aliud etiã addunt herbarij, quod aridis gaudet, feréque semper è parietum rimis prorumpit, radice candida, tenui, breui, capillata, ramulis multis, pedalibus, canis, folio stechadis citrinæ, angustiore, longiore, ex interuallis per caulem emergente, albicante, corymbis in caulium & ramulorum vertice aureis, qui tandem in molles pappos abeunt. Agerata alia duo à nobis alibi descripta sunt. Lib. quæ in Asper. c. 56.

STOECHAS CITRINA. CAP. XLII.

QVAE in Officinis Sticas citrina, siue Sticados citrinum dicitur, quibusdam Tinearia & luteus amaranthus, Germanis *Mottenblumen, & Rheinblumen*, Dodonæo Theophrasti Eliochrysum, & Dioscoridis Ageratum esse creditur, cuius sententia neque Matthiolo, neque multis aliis placet. Cauliculos fert graciles, duros, candicantes, lanuginosos, palmum altos, aut maiores, folia parua, angusta, hirsuta, mollia, figura & similitudine foliorum hyssopi vulgaris. In cauliculorum verticibus flores sunt aureo colore fulgentes, globosi, vmbellæ diuulsæ modo sese pandentes, odorati, amariusculi, haud facile marcescentes, radix est breuis, gracilis, subnigra. In asperis & montosis squallidisq; prouenit. Iunio & Iulio floret. Hanc stœchadem Pena & Lobellius veram & hactenus herbariis incognitam Dioscoridis Chrysocomẽ, cui comspicua florum corymbaceorum aurea coma nomen dedit, esse autumant, quam etiam luteum amaranthum vocarunt Græci à colore & fulgore penè immarcesibili, cuiusmodi in istius plantæ floribus esse quiuis agnoscet. Hanc illi sententiam suam confirmãt collatione corymbaceæ comæ hyssopi veræ Dioscoridis, quam Pena se ostendisse, putat, cum corymbis stœchadis citrinæ. Præterea reliquis descriptionis & virium notis sic à Dioscoride traditis ex Ruellij conuersione. Chrysocomæ palmi altitu-

Nomina

Lib. 1. c. 60.

Forma.

Chrysocome vera.

In Ad. fol. 212.

Lib. 4. c. 50.

STOECHAS Citrina, Matth.

STOECHAS Citrina, altera

dine

dine fruticat,coma ſpecie corymborum,hyſſopo ſimili,radice hirſuta, veratri nigri modo tenui, cyperum æquante,guſtu non iniucundo, ex dulci ſubauſtero. In petroſis opaciſq; naſcitur. Radix calfacit & adſtringit, his conueniens quos iecur aut pulmonis inflãmatio malè habet:contra purgationes vuluæ decocta cum hydromelite aſſumitur.Hæc Dioſcorides quæ ſtœchadi citrinę optimè quadrãt.Sunt enim huius corymbaceæ vmbellę rotundæ,multiſq; quaſi floꝝ bullatis glomis ſparſim tumultuarieq; conditæ, origani non abſimiles, aut hyſſopi Dioſcoridis ab ipſo Pena datæ,lucente nitenteq; per maturitatem coma aureo fulgore,& molliuſculo vellere,puſillo intus ſemine maioranæ,ſed exiliori,ruffo,acri,odorato,in cauliculis rectis,albidis,nonnihil incanis, palmum & ſeſquipalmum altis,foliis oblõgis, anguſtis, leui hirſutie incanis, ſtœchadis, vel linariæ oſyridis, quam doctiores minùs rectè Chryſocomen autumarunt,radix fibroſa, gracilis nigra foris,gummi elemnium,vel ciperum rotundum Syriacum redolens,vti flores & tota plãta, guſtu etiam aromatico, medicato, acuto & feruente non nimio feruore,ſubadſtringente. Iam verò quam vim Chryſocomæ tribuit Dioſcorides, eandem admodum inſignem ſeſe expertum fuiſſe teſtatur,nempe ad iocinoris ex glutinoſis ſuccis, ac vaporibꝰ craſsis intra tunicas diſcurſantibus diuturnos affectus, pulmonibus verò inflammatis non impunè dari,ſed affluxu pituitæ acidæ,ſeroſę vel ſalſæ calefactis, vel eroſis. Quare Ruellium melius conuerſurum fuiſſe ἡπατικοῖς & περιπνευμονικοῖς ἁρμόζουσαν, hepaticis & pulmonariis vel peripneumonicis,quam iis quos iecur aut pulmonis inflammatio male habet. Præſtantiorem autẽ eſſe & ſpecioſiorem Narbonenſis Galloprouinciæ, & Hiſpaniæ aridis & petroſis, vbi odoratiſsima & plurima,æſtate,radice perenni. In Germania ad Rhenum, reliquaq; Gallia paucior,& inefficacior. Quapropter nihil quominus hæc ſtœchas,vera chryſocome ſtatuenda ſit,obſtare videri,niſi verbulum vnum aut alterũ,quibus ſubeſſe mendi quidpiã Monſpelienſes Doctores, qui hanc chryſocomen vocabant, iamdiu ſubolfeciſſe ait,ex Pliniana & codicis calamo exarati cõiectura.Sic enim legunt, ῥίζαν δλασθαν, λεπτὴν ὡς ἑλλεβόρου μέλαιναν, id eſt, radicem denſam tenuem,& nigram vt ellebori,& nigra ſane eſt foris,& ita Plinius habet.Chryſocome ſiue chryſitis non habet Latinam appellationem,palmi altitudine eſt,comantibus fulgore auri corymbis,radice nigra,&c. Mox Dioſcorides κυπέρῳ ἁρμόζουσαν, vel ὁμοίουσα ἐν τῷ γλυκεῖ ὑπαύστηρῷ, id eſt,cypero reſpondentem guſtu,ex ſuaui auſtero,quæ tam odori & ſapori huius quam quod ne maximè congruere illis viſa fuere.Idem Pena Nemauſi & Monſpelij ſe vidiſſe affirmat alteram ſuperiori ſimilem, ſed graciliorem totam, nigriorem,ſqualidiorem,cineritiam,pluribus cauliculis viticeis pedalibus,radice exiliore,minuſq; fibrata quia rarò niſi in rimoſis ruderibus & macerijs vrbium victitet, fuſca foris,minimùm odora:florũ corymbi ſinguli in ſingulis caulibus, nec aggeſti vt ſuperiores:ſemen tamen ſimile, exile,fuſcum. Rariùs hæc alia multo eodem Pena auctore occurrit in ilicetis cocciferis inter *Sommieres* & Mõſpelium,tota pulchella,facie ſtœchadem citrinam præferens,folia tamen ſunt latiora,incana,vti tota planta:cauliculis palmaribus, in quibus flores itidem ſtœchadis alterius citrinæ, grãdiores,longiores,lactucæ agreſtis quadãtenus,radix nõ magna,lignoſa,inodora tota:minùs nota, peruia aut inuentu facilis, ideò nondum vires cognoſcuntur. Prolixè quidem & copioſè Pena hæc omnia diſſeruit, quorum ſumma eſt,ſtœchadem citrinam Officinarum,eſſe chryſocomen Dioſcoridis, Hyſſωpo ſimilem corymbis,non vulgari quidem noſtro, quod Hyſſωpum minimè veterũ eſt,ſed Maioranæ Anglicæ quam verum Hyſſωpum eſſe credit:qua in re primùm examinãdum eſt,an Hyſſωpum noſtrum vulgare legitimum ſit,deinde qua ſui parte Hyſſωpum chryſocome referat, & an ſtœchas flaua ſit. Hyſſωpum nobis duorum generum cognitum eſt ac frequẽs,alterũ ſatiuum,amarius, flore cæruleo ſpicato alterũ ſylueſtre,

Lib.21.c.8.

Stœchas citrina altera Penæ.

Stœch. citrin. altera inodora Penæ.

ſylueſtre,minus amarum flore, puniceo. Qui Hyſſopum eſſe negant hac ratione mouentur,quod vtriuſque folium oblongum, & anguſtum origani generibus ſimile non ſit, nempe minimè rotundum, & ab Amaraco,Pulegio,Dictamno, quorum folia cum origanis comparant, valde diſcrepet. Hic ſanè ſcrupus moleſtus,& difficilis herbariorum ingenia multorum torquet, quibus nondum innotuit tertium Hyſſopy genus à me depictũ & deſcriptũ in libro de Odoratis, quod reliquis generibus ſimile, foliorum figura rotunda, & origano Amaracóve ſimili, hyeme etiam florem cæruleum gignens, ſpicatum,vt reliqua duo genera.Hyſſopi ſpecies illa ſi omnibus hoc argumentum tractantibus comperta fuiſſet,euocãda non erat è Britannia planta quæ Hyſſopi veri locum vſurparet,cum ea ſuum iam habeat,vt quæ origani ſylueſtris genus ſit, ſatu & cultu nonnihil mutatum ab eo quod paſſim occurrit. Verùm nullis corymbis, imo potiùs florum aceruo cumulato, vt in origano ſylueſtri ſponte naſcente, cui corymbos nemo vnquam aſsignauit. Extricato hoc nodo ſequitur, vt diſpiciamus an ſtœchas citrina chryſocome ſit. In hac planta nulla ſeſe offert ſimilitudo foliorum cum alterutro Hyſſopo,ſiue quod rotunda folia mittit,ſiue quod oblonga:præterea coma,nempe foliorũ ramulorũque vagus & luxurians proiectus nõ eſt κορυμβοειδὴς, corymbis inſignis,viſenda, & onuſta,in cacumine tantum aureis bullis emicantibus:quinetiam radix,nec dẽſis,ſic λαοσέαν verto, nec tenuibus ſurculis hęret,Veratri nigri modo,nec Cyperũ æmulatur,nec ſapore eſt ex ſubauſtero dulci,quæ omnia chryſocomes hiſtoria poſtulat.Ego in euoluẽda hac ambiguitate olim monui rei herbariæ ſtudioſos,plantam quam Galli *Targon* vocant,Itali *Dragoncello*, & quam Ruellius vulgi fabulis perſuaſus è ſemine Lini cepę indito,& ita defoſſo gigni credidit, chryſocomes deſcriptioni valde cõgruere, coma plurimis corymbis nitente,foliis hyſſopo vulgari & macrophyllo ſimilem,radice ſurculoſa Veratri nigri modo, Cyperi colore,guſtu non inſuaui,qui ex ſubauſtero dulceſcit,& ea qualitate hepaticis, atq; pulmonum inflãmationibus prodeſt,in petroſis & opacis naſcentem.Id quod valde probabile mihi viſum eſt, tacitũ nolui in chryſocomes natura declarãda,doctioribus iudicãdi arbitrium liberũ eſto. De primæ ſtœchadis citrinæ facultatibus ex Dioſcoride, & Penæ & aliorũ experientia diximus quibus aſſentitur Plin.ſcribens. Chryſocomę radix calfacit & ſtringit.Datur potui ad iocinorũ vitia: itẽ pulmonum,vuluę dolores in aqua mulſa decocta. Ciet mẽſtrua,& ſi cruda detur,hydropicorũ aquam.Eadem tradit Galenus.Chryſocome vocatur & Chryſites. Radix vincentes habet acrẽ ſimul & adſtringentẽ qualitates:quare nõ multi vſus eſt. Vſui tamen eſt decocta in melicrato peripneumoniis & morbis hepaticis.Sed & mẽſtruę purgationis prouocãdę vim quandã habet.Addũt recentiores decoctos flores aut in vino maceratos iocinoris obſtructiones aperire,quare darivtiliter eorũ decoctum,aut dilutũ,regio morbo,aut malo habitu affectis, idẽ potum interaneorũ vermes necare,totã plantam mederi omnibus cerebri morbis à frigida cauſa proueniẽtibus, nempe pituitoſis fluxionibus, diuturnis doloribus,comitialib⁹, reſolutis, & id genus aliis, ſiue eius decoctũ ſumatur in potu, ſiue herba ipſa in puluerem trita ex rhodomelle bibatur, aut oxymelite.In lixiuio addita non ſolũ ſupradictis morbis ſubuenit,ſi eo caput abluatur,ſed furfures etiã abſterget,& pediculos necat. Datur cum herba ipſa, tum eius decoctũ ad vrinæ ſuppreſsiones:renes enim expurgat, & vrinam pellit. Adduntur flores fomen-

In Horto. cap.56.

Lib.11.c.10

Lib.8.fin.

Matth in c.52.lib.4.

STOECHAS viridis, Dalech.

tis,quæ ad veteri morbos frigidos & obstructiones parãtur. Addo stœchadem viridem à Bauhino missam, quæ tota iucunda viriditate nitet, foliis per interualla in caule multis, duobus lõgis,aliquot aliis multò breuioribus, capitulo in caulis summitate longo,rotundo,cum duobus in summo foliolis,ex quo lutei flores exeunt.

OENANTHE. CAP. XLIII.

Nomina Cap.1.& 5. Cap.118.

Ivάνθης nomine prisci tria designarunt:primũ labruscę floré,deinde plantam flore cõmendatã,quã memorat Theophrastus cap.vlt.lib.6.Historię, tũ herbã de qua Dioscor.lib.3.& nos hic tractamus. Cum autẽ οἰνάνθη dicta sit ἀπὸ τοῦ οἴνου ideſt,vino,& ἄνθος ideſt,flore,quasi flos vinosus,sic illæ plantæ nũcupatæ sunt, quod florũ decore, odore & quadantenus colore non sint viti dissimiles. Dioscoridis verò œnanthen quidam etiam dictam putant,quod cum vite florear, leucãthon verò(sic enim etiã appellari scribit Dioscorides) à florũ quos producit candore. Hanc sic ille deliniat,folia habet pastinacę,flores albos, caulẽ crassum,palmi altitudine,semen velut atriplex,radicẽ magnam,capita multa rotunda habentẽ.Nascitur in petris.Plinius,Oenanthe herba,inquit, nascitur in petris,folio pastinacæ, radice numerosa.Herbarij varias plantas,ex quarum radicibus capita multa pẽdent, pro œnãthe aut eius generibus proponunt.Fuchsius & recentiorũ pleriq;, eam quæ vulgò filipẽdula vocatur à numerosis illis & rotundis in radice capitibus tuberibúsve, quæ quasi ex filo quodam pendere videntur, Gallis *filipende & filipendule*, Germanis *Rotsteinbrech*,id est,Saxifraga rubra. Quorũ sententiæ refragatur Matthiolus, quod filipendula, inquit,nusquã magna radice nitatur,quæ rotundis extuberet capitibus,quod semen nõ ferat atriplicis,quod deniq; nõ in petris,sed in pratis & lęto vbiq; solo proueniat.At si,inquit Pena,filipendulæ radicẽ & flores etiam suauiùs multò spirantes quàm vitis siluestris germinationes, præsertim tractibus quibusdã Linguagotticis & Aquitanicis,sæpius naribus admouisset: præterea si verba Dioscoridis accuratiùs expẽdisset, & locis aridis petrosisq; plurimam eruisset,illorum sententiam haud reprehendisset. Nam in Anglia nõ procul Bristoia,ad Vincẽtij rupes & cautes deuexas,etiã in Germaniæ aridis plurimã Iunio & Iulio mensibus reperiri asserit,floribus cãdidis,exiguis,stellatis,cõfertis,bryoniæ & rutæ situ,semine muscoso,squamoso,rotundo,pimpinellæ,cui foliis etiã similis sit, pastinacæq; siluestris diuisura, caule cubitũ & sesquicubitũ alto, radice nõ altè infossi,sed latè sparsa & ampla,è pẽdulis fibris multis, pilularũ cyperi,aut pæoniæ fœminæ, aut asphodeli modo,quę perbellè delineationi Dioscor.cõueniunt.

FILIPENDVLA. Œnãthe multorũ.

Fuch. cap. 211.hist.

Lib.3.c.118. Ibid.

Forma. Lib.21.c.24

Cap.211.hi.

OENANTHE I Matth



In cap. 118. lib.3.

In Ad.fol. 375.

OENANTHE. II.
Matthioli.

OENANTHE. III.
Matthioli.

ueniunt. Nam μεγάλην ῥίζαν, radicem magnam, amplam, fuſamque ex rei cognitione, & aliis collatis locis Pena interpretatur, χαυλὸν παχῶ, caulem craſſum ſanè habet pro altitudine ſui, quam palmarem facit, cuiuſmodi eſt filipendula nonnullis glareoſis & montoſis. Denique κεφαλὰς ἔχουσα στρογγύλας, id eſt, capita multa rotunda habens, cuiuſmodi planè hæc ſunt. His adde quod filipendula eaſdem quas œnanthe vires habeat, vt dicemus. Idem Matthiolus quatuor œnanthes genera poſt filipẽdulam hîc expreſſa pinxit. Quorum primùm quod tuberoſa eſt radice, multis notis genuinam Dioſcoridis œnanthen referre putat, cætera radicibus & vmbellis filipendulæ cognata. Verùm Pena illud primum genus ariſtolochiæ rotundæ & adultę perquam ſimilem ſpecie radicem tãtùm ab œnanthe diſtare putat, quantum bunium à filipendula. Neq; enim tuberoſam œnanthes radicem, ſed capita multa rotunda habere ſcripſit Dioſcorides. Secunda & tertia Matthioli œnãthe, filipendulæ nomẽ etiam ſunt aſſecutæ, inquit Pena, quæ vt œnanthes non ita diſsimiles, ita hîc cõmodè referendæ. At ſi natalia ſpectes, minimè œnanthen dicas. Alterum quippe plurimum ſolo vliginoſo & pratenſi, tamen Matthiolus iſtis nomẽ adſcripſit œnanthes, filipendulæ ademit, quæ præterquam quod viribus, etiam natalibus montoſis & ſaxeis, vt diximus, magis quadrabat, etiam recentiorum conſenſu.

In cap. 118. lib. 3.

In Ad. fol. 325.

Ibid.

OENANTHE. IIII.
Matthioli.

Tertia quæ minor,& veræ œnanthe ſimilior,radicibus amplis, globulis oblongis, prolixis fibris pendulis,turiones promit,imáque folia apij hortenſis, teneriuſcula, ſaturè virentia, cubitalem & ſeſquicubitalem caulem , geniculatum,alis, foliiſque & vmbellis aniſi vel coriandri:flores ſunt albidi,puſilli,æſtate in conuallibus herbidis,& verrucis pratēſibus Angliæ. Monſpellij etiam propè pontem Cellæ nouæ, Magalonæ inter narciſſos , & circum Granuntiam ſiluam.Hæc Pena, qui rariorem multò hîc depictam filipendulam à nullo ſcriptore hactenus memoratam in lucem protulit. In cellorum montium verticibus, vt Narbonæ ad Veganiũ in Dei paradiſo vocato , calcari contermino hanc ipſe eruit .Radix non æquè fuſa aut ampla,aut cirrhoſa, ſed proximè caulem bulboſis, teretibus,longiuſculis,æqualibus ferè proceſsibus,modicè protuberantibus,corrudæ annotinæ paribus, pæonię modò radicata.Caule aſſurgit ſeſquipalmũ alto , craſsiore,rotundo,nonnihil ſtriato & ſulcato , imo medioq; ſui folia alterno ſitu emittente , inter filipendulæ folia millefolij, media,exigua, cornu cerui diuiſura, extremum florum thyrſum , album, ſpinoſum amplexa cuculatis galericulis,crebris, ſpiſsis cõ flatam,in Criſtæ galli,vel Cynoſorchis,vel napelli ſpeciem. Aliam idem Pena hîc quoq; pictam exhibuit, neque etiam admodum notam niſi borrealibus præſertim Angliæ , vbi erũpit riuulis , lutulentisve & riguis ripis,vbi paludapium,cui foliis non abſimilis,vel rutę pratenſi ſimilior , multo pullulatu,viro tetro,colore & facie cicutæ. Caules bicubitales ſpargit è radice in pares aſphodeli albi bulbos multiplicata, & quaſi brachiata,nullius fibrę vinculo aut interuentu (ſecus Matthioli)cõtinuos,teneros,guſtu acres & ingratos,ſucco lacteo primùm, deinde flaueſcente viroſo & exulcerante prægnantes, vmbella cicutæ,cui affinem autumant, qui maleficio parem ſe expertos aſſerunt. Vſos namq; in acetariis nihil factum fuiſſe propius , quàm vt interirent , aiunt:alios qui eſitaſſent vertigine tenebricoſa palantes,nutantes, attonitos, & in gyrum ſe verſantes vidiſſe.Et certè tam non eſt œnanthe quàm ab ea diſtat ruta pratenſis vel cicuta. Hæc Pena. Præterea annotauit Dodonæus ſij min⁹ genus in hortis vel alibi nõ in loco paluſtri ſatum à Matthiolo quartam œnãthen fieri,ab œnanthe tamen multum differentem , id quod etiam lib de Paluſtribus cap.78. indicabimus. Alias duas œnanthes ſpecies Dalechampius exhibuit , quarũ prior Scrophularia

OENANTHE, ſiue filipendula altera montana, Penæ.

OENANTHE, alia Penæ Cicutæ facie.

OENANTES Species, Dalech imp.



OENANTHE, Myconi.

ria vocatur à quibuſdam. Haud procul Monſpelio naſcitur, radice multa, rotunda, & oblonga, nigra capitula habente: caule craſſo, angulo-ſo, pedali, folio paſtinacæ agreſtis, flore in vmbella candido, ſemine oblongo, nec lato, minimè atriplicis ſimili, qua nota ab œnanthe Dioſcoridis diſtat, cæteris ſatis aptè cõgruentibus. Altera eiuſdem œnanthe in Monſpeliẽſis agri aſperis gignitur, radice magna, non numeroſa vt Plinius ait, ſed numeroſa multáve capitula habente, folio paſtinacæ agreſtis, caule craſſo, palmum alto, ſemine atriplicis modo lato. Perdoctus & bonus Myconus medicus Barcelonẽſis tot œnanthes generum numerum quoque auxit, duobus aliis ex Hiſpania miſsis, quarum nec nomina nec vſus adhuc innotuerunt. Hæc in montibus & petroſis nata, folia propè radicem per terram ſpargit, minuta, inciſa, læuia quadantenus hederæ modo, multò tamen minora, vt foliorum hîc depictorum magnitudinem vix excedant, inter ſe coniuncta & congeſta, atq; ideò coriandri foliis aut paſtinacę ſimilia, è longis pediculis pendentia, caule enatis cubitali, ab imo rubeſcente, paucis geniculis cincto, terete, læui, fere ſtriato, & aliquantulum cauo. Radices ſubſunt multæ vt in aſphodelo, ſeptem aut octo, quandóque pauciores, coniunctæ craſſæ, foris luteæ, intus cãdicantes, ex quarum extremis radiculæ tenues & longæ producuntur. In ſummo caule flores velut in vmbella pendent, candidi, ex quinq; foliolis conſtantes, in medio muſcoſi, quibus pereũtibus, in vaſculis ſeu ſiliquis ſemen matureſcit, foliorũ & caulis ſapor ſubdulcis, item radicum cum leui quadã adſtrictione, corticis verò earum amarus. Altera in altiſsimis montium iugis, frigidíſque, ſolo tamẽ pingui, ſed inter ſaxa prouenit: folia habet alia humi ſtrata, alia in caule ſurrecta, minuta, variè inciſa, paſtinacæ ſatiuæ, aut potius filipendulæ: eius enim folia ita refert, vt quod ad ea attinet, hãc ab illa vix internoſcas. Caules profert quandóque duos, ſæpius vnicũ, dodrantalem aut maiorem, rotundum, ſolidum nonnihil hirſutum. In eius vertice flos è folliculo veluti ex veſicula quadam prodit, extrorſum ſe exerens è candido purpuraſcens, qui defluens vas in folliculo relinquit ferè rotundum, quo ſemen coërcetur, minutum, in nigrũ vergens. Radices habet candidas, quandóque rufeſcentes, rotundas, ex radicis fibris pendulas, modo plures, modo pauciores, vt quandóque viginti inueniantur, digiti longitudine, craſsitudine minori. Harum ſapor ſubdulcis, & nonni-

OENANTHE Alia, Myconi.

Vires & Temper. Lib.3. c.118.

Lib.7.

Fuch.c.211. hist.

hil acrimoniæ primo occursu dum gustatur, habens, quæ statim euanescit: foliorum in caulibus subacris, nonnihil adstrictionis præ se ferens, floret Iunio mense. Hanc Myconius filipendulæ genus esse indicat ex foliorum & radi cum similitudine, eodémque sapore. Nunc œnanthes & filipendulæ facultates inter se conferamus. Oenanthes fructus, inquit Dioscorides, caulis & folia cum vino mulso bibuntur ad secundas eiiciendas. Radix è vino vrinæ stillicidio conuenit. Additur in veteri codice καὶ ἰκτέροις, id est, & ictero, sicuti & legit Paulus, verba hæc Dioscoridis sic transcribens. Dioscorides aliam describit œnanthen contrariis duntaxat viribus, vnde secundas eam eiicere, & vrinæ stillicidio, morbóque regio mederi tradit. Filipẽdula amara admodum est, ita vt non temerè hanc recentiores calidam & siccam esse in tertio ordine statuant, expertiq; sint eam in lotij stillicidio & vrinæ remoratu, neque non renum doloribus, atque lapide eorumdem conuenire. Eamdem stomachi inflationes discutere, mederi suspiriosis & anhelantibus, & omnibus morbis quos causa frigida concitauit: farinam eiusdem cibis comitialium inspergunt.

PIMPINELLA SAXIFRAGA. CAP. XLIIII.

Nomina

Lib.pal.ca. 70.

Lib.quę in asper.c.8.

Genera.

Forma.

IT Pimpinellæ & saxifragiæ nomina de multis plantis dicuntur, vt ex superioribus intelligere licet, in quibus de Pimpinellis sanguisorbis, & saxifragis aliis diximus. Hìc de Pimpinella que ab odore, vt volunt, hircina cognominatur, & Officinis saxifraga seu saxifragia, ab expellendorum è renibus calculorum facultate, Simoni Ianuensi *Petra findula*, Gallis *Saxifrage*, Germanis *Bibernell & feldmorem*. Eam herbarij duplicem statuunt, maiorem & minorem. Maior caulem profert longum, cauum, geniculatum, folia ex atro viridia, quæ ex foliolis multis in vno pediculo constant, pastinacæ satiuæ similia, toto ambitu serrata, flores candidos in vmbellis, semen exiguum, apij hortensis seu vulgaris, calidius, & magis linguam vellicans: radicem vnicam, longam vt in apio hortensi gustu acrem, & linguam zimgiberis modo excalfacientem. Pimpinella saxifraga minor superiori caulibus, foliis, floribus & semine similis est, sed omnibus partibus minor, maiore verò & acrimonia & feruore. Radix huic etiam est longa, simplex, gustu acris, & linguam vrens. Thalictrum Rondelletij, Natrix Plinij, Guilland. & Anguillaræ.

Locus. In Ad. fol. 321.

In siluis, inquit Pena tota maior & vmbrosis pratis, sed minùs acris feruidáque quàm minor, & folio longo propiùs exprimit apium quàm Pimpinellam. Creberrimus vsus apud Belgas vtriusque seminis & radicis calculo frangendo, lotióque proliciendo: vehementiùs siquidem vtrumque præstat. Herbariorum quidam esse volunt pseudobunium Dioscoridis, quod palmi altitudine in Creta fruticat, foliis Bunij, non Napj, vt vertit Ruellius, cuius quatuor ramuli ex aqua poti sanant tormina, vrinæ subtilitatem, & laterum dolores: strumas quoque discutiunt cum vino & sale tepentes impositi. Alij potius esse credunt Phellandryon Plinij, de quo supra dictũ est capite

de

PIMPINELLA Saxifraga maior, Matthiol.

PIMPINELLA Saxifraga minor, Dodon. & Lobellij.

de Angelica, & ca. 78. lib. de paluſtribus. Hircinã autem neutiquam à viroſo odore hircúmque olente ſic dictã eſſe ſcribit Pena. (Dauci namq;, paſtinacæ, vel liguſtici quiddã nec inſuaue redolet,) ſed quia illa, vt adulti hirci, eo quo docent practici modo ſanguis & caro, eximiũ ſit calculoſis præſidiũ, etiamq; ictericis & hydropicis. Petrifindula verò vocatur etiã eadẽ prærogatiua. Minor autem hircina Pimpinella, ſeu Bipinella, vt idẽ tradit, ſic dicta eſt quod foliis Pimpinellæ adeò ſimilis exit, vt eadem planè putetur: nec eas ſemper pilis diſcernere licet, inquit, vt putat verſificator, Pimpinella habet pilos, Saxifragia non habet vllos. Nam eodem proximè loci tractu ſe vidiſſe ait Saxifragiã foliorum interna ſuperficie piloſa, nullos tamẽ in Pimpinella ſanguiſorba, vel hortenſi, videri: An ne, non foliis innatos, inquit, ſed inter frangendum tractos villos, tenuiſsimáve & fermè araneoſa ſtamina innuit, qualia in ſcabioſa animaduertas? In caule rotũdo, glabro, cauo, geniculato, flores in vmbellis albi, dauci ſemẽ acre, vel cari, ſed calidius, acrius: radice multò acriore, candida, dauci ſilueſtris, Germaniæ, Belgii, Galliæ, Angliæq; in pratis ſiccis & ſecus ſepes. Hæc Pena, his cõſentanea quæ ab aliis herbariis de iiſdẽ ſtirpibus literis mãdata ſunt: nimirũ Saxifragã hanc cũ acrimoniã non exiguã in guſtu præſe ferat, haud dubiè in ſecũdo ordine calidã & ſiccã eſſe, imo ad tertiũ vſque accedere. Semẽ eius & radicẽ, aut eorũ decoctũ cũ vino potũ ciere vrinã, renum & veſicæ calculũ cõminuere, earũdem partium obſtructionibus, & vrinæ difficultati ſummopere auxiliari. Radix menſtrua ciet, ſecũdas & fœtum mortuum expellit eodẽ modo ſumpta. Eiuſdem ſiccæ farina cum ſaccharo ventriculum calfacit & roborat, concoctionem iuuat, torminibus ventris & colico dolori medetur, flatus diſcutiendo. Radix & ſemen mirum in modum proſunt cõuulſis, apoplecticis, & iis qui febribus diuturnis à frigida cauſa excitatis vexantur, iiſq; qui venenum aliquod hauſerunt, aut à ſerpẽtibus cõmorſi ſunt. Cum vino & aceto pota peſti medetur, ore retenta eius arcet cõtagia, & putrido aëri reſiſtit. Commanducata phlegmatis multi, craſsi & viſcidi copiam à cerebro trahit, dentium dolorem mulcet, & apoplexia detentis vocem reſtituit, foliorum ſuccis faciei maculas omnes exterit, cutemq; nitidam reddit, vlceribus putridis inditus ea terget. Eadem præſtant folia trita & impoſita. Aqua eius ſtillatitia aut ſola, aut cum aceto inſtillata oculis, eorum caliginem diſcutit.

Ibidem.

Temper. Fuchſ. cap. 221. huſt.

Vires. Dodo. li. 2. ca. 88.

CICVTA. CAP. XLV.

Nomina

KΩNEION Græcis, Cicuta Latinis dicitur, Arabibus *Sucaram*, Germanis *Vurtzerling, Schirling, & Vuetterich* quasi tyrannus, quod hominem interficiat, si intra corpus sumatur, Gallis *Cigue & Cocue*, Hispanis *Ceguda*. Nominatur autem κώνϕον, παρὰ δ' κωνᾶν διὰ τὸν γινόμενον ἑλιγμὸν καὶ σκότον τοῖς πίνουσι, ideſt, à circumuertendo, quod vertiginem & imaginem earum rerū quæ aſpiciūtur tanquam circumagantur, ac tenebras inducat iis qui eam biberunt, vt fuſiùs declarat Nicander. Cicuta, ita deſcribēte Dioſcoride, caulem profert geniculatum, vt fœniculum, grandem, folia ferulæ ſimilia, ſed anguſtiora & graueolentia, in cacumine adnaſcentes ramulos & vmbellas gerit, florem ſubalbum, ſemen aniſo ſimile, ſed candidius. Radix caua eſt & nō profunda. Plinius, Cicuta quoque venenum eſt, inquit, publica Athenienſium pœna inuiſa, ad multa tamen vſus non omittendi. Semen habet noxium. Caulis autem & viridis eſtur à pleriſq;, & in patinis. Leuis hîc & geniculatus, vt calami, nigricans, altior ſæpe binis cubitis, in cacuminibus ramoſus: folia coriandri teneriora, graui odoratu: ſemen aniſo craſsius: radix concaua, nullius vſus. Hæc Plinius. Notiſsima omnibus hæc planta paſsim in pratis, locis incultis & vmbroſis, circa ſepes & dumeta fruticat, omniumq; regionum indigena eſt, inquit Pena. Figura cerefolij, ſiue paſtinacæ agreſtis, aut myrrhidis. Iulio menſe flores & ſemina profert. Dioſcorides eius vim exitioſam, & multū in medicina vſum ſic declarat. Cicuta in letalibus eſt medicamentis, ſua frigiditate necans. Remedio eſt meraci vini potus. Succus exprimitur ex eius cacuminibus contuſis, priuſquā ſemen & coma areſcat, expreſſuſq; in ſole ſiccatur. Multus aridi ad medendi rationem vſus eſt. Miſcetur vtiliter collyriis, quæ leuandi doloris gratia adhibentur. Herpetas & eryſipelata illitus reſtinguit. Herba cū coma trita, & teſtibus circumlita, libidinum in ſomno imaginationibus auxiliatur, ſed genitalia illita reſoluit, lac extinguit: mammas in virginitate increſcere prohibet: puerorū teſticulos tabeſcere facit. Pleráq; his cōſentanea tradit Plinius, his verbis. Semini & foliis refrigeratoria vis, quæ ſi enecat, incipiunt algere ab extremitatibus corporis. Remedio eſt priuſquam perueniatur ad vitalia, vini natura excalfactoria. Sed in vino pota irremediabilis exiſtimatur. Succus exprimitur foliis floribuſq; : tunc enim maximè tempeſtiuus eſt. Succus trito ſemine expreſſus. (Melior ſemine trito expreſſus, Cornarius emendat ex veteri codice,) & ſole denſatus in paſtillos necat, ſanguinem ſpiſſando. Hæc altera vis. Et ideo ſic necatorum maculæ in corporibus apparent. Ad reſoluenda medicamenta vtuntur illo pro aqua. Fit ex eo ad refrigerandum ſtomachum malagma. Præcipuus tamen eſt ad cohibendas epiphoras æſtiuas, oculorumq; dolores ſedandos circumlitus. Miſcetur collyriis, & alios omnes rheumatiſmos cohibet. Folia quoque tumorem omnem doloremq; & epiphoras ſedant. Anaxilaus auctor eſt mammas à virginitate illitas, ſemper ſtaturas. Quod certum eſt, lac

In Alexiph. Li. 4. c. 74.

Forma.

Li. 25. ca. 13.

Locus.

CICVTA, Matth.

In Ad. ſol. 326.

Li. 4. ca. 74.

Vires & Temper.

Lib. 25. c. 13.

Embl. 67. lib. 4.

est,lac puerperarum mammis imposita extinguit,veneremq; testibus,circa pubertatem illita.Galenus,Cicuta,inquit,quod extremè refrigerantis sit facultatis, omnes norunt. Sed non vbiq; similiter pernicioſam esse tradunt auctores. Plinius, Maxima vis,inquit,natæ Susis Parthorum (Cornarius legit, Finibus Parthorum. Susa enim vrbs fuit inter Persidem & Babyloniam sita,non vrbs Parthiæ. Tamen Theophrastus scribit Thrasyam Mantinensem ad venenum conficiendum censuisse sumendum Cicutam,οὐχ ὅθεν ἐθύνχανεν, ἀλλ' ὅπου σώσων,ideſt,non vndelibet, sed ex Susis.Et paulò ante dixerat Homeri testimonio, Κώνϕον ἄριστον εἶναι περὶ σοῦσα, καὶ ἐν τοῖς ψυχροτάτοις τόποις. Ideſt,optimam esse Cicutam circa Susa, & in frigidissimis locis)mox Laconicæ,Creticæ, Asiaticæ: in Græcia verò Megaricæ, deinde Atticæ. Matthiolus non adeò exitioſam esse in Italia tradit: eamq; si in Hetruria Asini depascantur,profundissimo somno & torpore corripi, vt non tantùm stupidi,sed planè mortui videantur. Id quod aliquando rusticos fefellit, nam dum asinis quos mortuos credebant, pellem detraherent,accidit, quod in medio ferè operis asini sint experrecti, non sine magno excoriantium terrore, & ingenti spectantium risu.

Li.25.ca.13. Ibidem.

Lib.9.hist. ca.17.

Cap.15.

CICVTARIA. CAP. XLVI.

ASIMILITVDINE quæ huic plantæ est cum Cicuta ab herbariis Cicutaria nomina est, quàm duplicem faciunt. Prior in pratis montium frigidorum luxuriat,radice candida,ramosa,fœniculi modo carnosa, nunc cocta,nunc in surculos diuisa,odorata,acri: foliis oblongis, in ambitu valde incisis: caule cubitali,angulosо,ramosо: flore candido in vmbellis: semine longo,nigro,gemino,filis duobus prætexis munito, acri, odorato. Cicutaria altera quæ rubra dicitur in pratis etiam montium vliginosis ad fontium scaturigines, & riuorum margines fruticat, radice crassa,nigra,geniculata, confi-

Nomina

Genera.

Forma.

CICVTARIA Alba.

CICVTARIA Rubra.

brata:

CICVTARIA Maxima fœtida, Lobellij.

CICVTARIA Latifolia fœtidiſsima cum flore, Lob.

brata: foliis quàm in ſuperiore latioribus, pallidioribúſque: caule pedali, ferulaceo: flore ex albo rubente, in vmbella compreſſa: ſemine ſimiliter oblongo, nigro, gemino, fila duo tenuia protendente, acri, & ſuauiter olente. Cicutarias alias profert Lobellius, Cicutariam maximam fœtidam, cuius caulis ad hominis proceritatem aſſurgit, craſsitudine eſt quatuor digitorum, foliis, ſemine & radice Seſelis Peloponnenſis longè maioribus. Fortaſſe eſt Thapſia tertia Salmaticenſium à Cluſio deſcripta quidem, ſed non picta. Profert etiam Cicutariam latifoliam fœtidiſsimam, perperam Seſeli Peloponnenſe quorumdam, qui nondum inuento gemino Peloponnenſi Seſeli folio Cicutæ latiore & craſsiore (cuiuſmodi huius ſunt) Seſeli Peloponnenſe folio Cicutæ dixere. Facultates tamen reclamant. Vniuerſa námque planta ſimul, ac tangitur, virus halat, qua nota à Peloponnenſi diſcernitur. Radice craſſa & tota facie Myrrhidem odoram veſcam quadamtenus exprimit: ſed folia latiora, longiora, nigriora, & ſemen breuius Angelicæ vel maximæ Cicutariæ fatuæ, par in vmbellis latis excuſſo candido flore. Caulis alis brachiatus, ſeſquicubitum & duos cubitos æquans. Florem, ſemen, caulem ſeorſum depinxit.

CICVTARIA Altera latifolia fœtidiſsima, ſine flore, Lobell.

PERFO

PERFOLIATA Altera.

ANTHRISCVS, Plinij.

CAP. XLVII.

HAEC ad cubiti altitudinem attollitur, caule rotundo, folio deorsum mutante & incuruo, crasso, venoso, pallido, perfoliatæ prioris simili, per cuius imam partem & caulis & rami traiiciunt, sicuti ferè in priore perfoliata, hoc dempto: quod non sic folium rotundo alueo caulem vndiquaque ambit, sed veluti infernè fissum per rimam transmittit, flore in vmbella, prodeunte ex cauo plantæ vertice, foliis, quæ alibi simplicia sunt, illic geminatis, & tanquam lacunam efficientibus: semine paruo, nigro, rotundo. De Perfoliata priore tractauimus in lib. de iis quæ in vmbrosis proueniunt. Cap. 55.

ANTHRISCVS. CAP. XLVIII. Lib. 21. c. 15.

PLINIVS Anthriscum inter vulgares apud Ægyptios in cibis herbas numerat cum phōdrylla, hypochœri, caucalide & scādice. Li. 22. c. 22. Alibi de scandice scribens, ait. Eadem erat Anthriscus, si tenuiora folia, & odoratiora haberet. Anthriscum plantam esse hîc pictam contendunt herbarij quidam, quorum *Locus.* sententiæ nec refragor, nec suffragor. Gignitur in pratorum marginibus, præsertim si gelidis aquis rigantur, & ad riuorum præter- *Forma.* fluentium alueos, radice fœniculi, intus alba, odorata, acri, foliis apii, per oras obliquè dissectis, in singulis pediculis ferè semper quinis, caule cubitali & interdum proceriore, anguloso, flore in vmbella candido, semine oblongo, gemino, apicibus duobus præfixis, exilibus, acri & odorato Quidam pertinaciùs contendunt esse Chærephyllum nostrum.

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER SEPTIMVS,

In quo describuntur & ad viuum depinguntur Plantæ, quæ flore placent.

DE FLORIBVS ET CORONIS, CAP. I.

VM VMBELLAE flores sustineant plantis vmbelliferis eas quæ flore placent meritò subiungemus, quas ἄνθινα vocasse videtur Theophrastus, & floribus dicata conuertit Theodorus. Est autē ὁ ἄνθος, Latinè flos, veluti iuuenescentium plantarum quasi vernatio, vel futuri fructus indicium,& gaudium herbarum arborumq;.Concipiūt enim variis diebus,& pro sua quæq; natura grauida partus gerunt, quod germinatio ideo vocatur. Pariunt cum florent, flósque ruptis constat vtriculis. Sed educatio in fructu est. Quamquam florere quasdam arbores tradunt,fructum tamen nullum edere:ac contra fructiferas esse quasdam flore omni destitutas. Cerasi quidem genus est, quod florem rosæ modo foliolis multis stipatum,ideoq; formosum profert, nullum tamen fructum præbet,velut exhausta secuturi fructus materia in floris ornatum,& dēsam foliorum congeriem. Ilices verò fructu onerantur, quem nullus flos antecedit. Est & genus violæ flammeæ & chamæmeli leucanthemi,quod florem densum & multiplicem edit, nec semen gignit. Præterea tristes quædam sunt plantæ, quæ nullo flore à natura decorantur,vt adiantum,hemionitis,polypodium,filix, trichomanes,Medium,quibus tamen floris loco quidpiam natura concesit, vt filici & trichomani pensiles in auersa foliorum parte vermiculos. Flores Theophrastus anni partibus quibus emergunt,distinxit,vt sint ἄνθη ἐαρινὰ, θερινὰ, μεσοπωρινὰ, idest, Flores verni,æstiui,autumnales,rigida hyeme, nullo flore celebri. Vernos flores hos recenset. Τῶν δὲ ἀνθῶν ὁ μὲν πρῶτον ἀναφαίνει ὁ λευκοΐον, ὅπερ μὲν ἀὴρ μαλακώτερος, εὐθὺς τὸ χειμῶνος, ὅπερ δὲ σκληρότερος, ὕστερον. ἐνιαχοῦ τὸ ἦρος. ἅμα δὲ τῷ ἰῷ ἢ μικρότερόν τι γέρων ὁ ὁ φλογινὸν καλούμενον, ὁ ἄγριον (quem locum deprauatissimum esse vel ipsi asterisci indicant. Quare legit Gaza, ἅμα ὁ τῷ ἰῷ, ἢ μικρόνλι ὕστερον κρίνον ὁ ὁ φλογινὸν. Plinius verò, ἅμα ὁ τῷ ἰῷ, ἢ μικρόν τι ὕστερον ὁ πορφυρινὸν) ταῦτα πάντων οἱ στεφανοπλόκοι χρῶνται, πολὺ διαφέρει τῶν ἄλλων. μετὰ δὲ ταῦτα ὁ νάρκισσος, καὶ ὁ λείριον, ὁ ὁ τοῦ βάλβοκώδιον. ἐμπλέκουσι πάντες ἔνιοι καὶ τοῦτο εἰς τοὺς στεφάνους. ἐπὶ ὁ τέλοις ἡ ὑακίνθη, ὁ ὁ μελάνιον. καὶ τῶν ἀγρίων, ὅτε ἐλαφόκρυσος, ὁ τῆς ἀνεμώνης ἡ λαμωνία καλουμένη, ὁ ὁ ξίφιον, καὶ ὑάκινθος, καὶ κεδὸν ὅσοις ἄλλοις χρῶνται τῶν ὀρείων. τὸ ὁ ῥόδον ὑστερεῖ τούτων, καὶ τελειαῖον μὲν φαίνει), πρῶτον

Lib 6. hist. cap.7. Flos quid.

Plin. li. 17. ca. 5.

Lib.6. hist. cap.7. Florum diuisio. Verni flores.

πρῶτον ὃ ἀπολείπει τῶν ἐαρινῶν. ὀλιγοχρόνιος δὲ ἡ ἄνθησις, ὀλιγοχρόνια καὶ τῶν ἀγρίων τὰ λοιπὰ, πλὴν τοῦ ὑακίνθου καὶ τῆς ἀγρίας καὶ τῆς ἀσπλήνου. αὐλὴ ὃ διαμένει, καὶ ὁ λευκοΐον, καὶ ἔτι μᾶλλον ὁ φλόγινον. τὸ δὲ μελάνιον ὥσπερ εἴρηται, διὰ ἐνιαυτοῦ, θεραπείας τυγχάνον. ὁσαύτως δὲ καὶ ἀνάνθη. καὶ δὴ ὁ ἀνθικὸν μὲν, τοιῶδες ὂν τὴν φύσιν (lege ἐυῶδες non τοιῶδες vt legit Gaza) ἐάν τις ἀποκνίζῃ, καὶ ἀφαιρῇ ὁ ἄνθος, καὶ μὴ ἐᾷ σπερματοῦσθαι, καὶ ὅτε (non ὅτι, vt in vulgatis) τόπον εὕηλον ἔχει, πλεῖστον διαμένει (hæ duæ voces postremæ ipso sensu & Gaza monentibus sunt addendæ) τὸ ὃ ἄνθος βολβυῶδες, καὶ λευκὸν καθάπερ τῶν ἀγρίων (Gaza legit καθάπερ ἀμπέλου ὁ ἀγρίας, vertit enim vt labruscæ) ταῦτα μὲν οὖν ὥσπερ ἐαρινὰ φανέντα). Idest, Primum inter flores Leucoium se ostendit (Gaza Leucoium violam albam conuertit, Plinium, opinor, secutus: alij Leucoium luteum intelligunt, (quibus quidem locis aër tepidior est, hyeme statim, vbi verò inclementior, postea. Vere alicubi cum viola, aut paulò post Lilium exit, & Phloginū siluestre. Hæc aliis quibus coronarij vtuntur longè præcurrunt. Post hæc Narcissus & Lirium exeunt. Ad hæc bulbi κώδιον, idest, caput: quidam enim & id coronis intexunt. Sequuntur Oenanthe, nigra viola, & ex siluestribus eliochrysum, & anemones genus quam pratensem vocant: idem gladiolus, hyacinthus, & quibuscumq; ferè aliis mōtanis vtuntur. Rosa serior iis est, & nouissima quidem erumpit, prima autem inter vernos flores desinit: breui enim tempore durat florum eius prouentus. Nam & reliqua in siluestrium genere parum durant dempto hyacintho, tam siluestri quàm satiuo. Is enim diu durat, & leucoium, diutius etiam phloginum. Nigra autem viola, vt dictum est, annū durat, si cultus adhibeatur: similiter œnanthe, nam ea quoque flore commendatur, natura suauiter olens: Si enim florem auellas auferásque, nec semen parere sinas & locum apricum nacta sit, plurimùm durat. Flos autem racematim coit candidusq; est vt labruscæ. Et verni quidem flores hi sunt. Plinius horum magnam partem ex Theophrasto descripsit his verbis. Florum prima ver nuntiantium viola alba: tepidioribus verò locis etiam hyeme emicat: postea quæ appellatur purpurea: proximè flammea quæ & phlox vocatur, siluestris duntaxat. Codiaminum (legendū bulbi codium ex Theophrasto) bis anno, vere & autumno: æstates hyemesq; fugit. Seriores supradictis aliquanto narcissus & lilium trans maria: in Italia quidem, vt diximus, post rosam. Nam in Græcia tardiùs etiamnum anemone. Est autem hæc siluestrium bulborum flos, aliaq; quàm quæ dicetur in medicinis. Sequitur œnanthe, melanium, ex siluestribus eliochrysos. Deinde alterum genus anemones quæ limonia vocatur. Post hanc gladiolus comitatus hyacinthis: nouissima rosa: eademq; prima deficit, excepta satiua. E cæteris hyacinthus maximè durat, & viola alba, & œnanthe: sed hæc ita si deuulsa crebrò prohibeatur in semen abire. Eundem Theophrasti locum citans Athenæus, alios supradictis flores vernos addit, nisi mendosi sint codices. Πρῶτον δὲ τῶν ἀνθέων ἐκφαίνεσθαι φησὶ Θεόφραστος ὁ λευκοΐον, ἅμα δὲ ὀφθῷ καὶ τὸν φλόμον καλούμενον τὸν ἄγριον (Alij ex Theophrasto legunt, τὸ φλόγινον καλούμενον δ' ἄγριον) ἔπειτα νάρκισσον, καὶ ἶριν, καὶ τῶν ὀρείων ἀνεμώνης γένος ὃ καλούμενον ὄρφον, καὶ ὁ τῷ βολβῷ κώδιον. συμπλέκουσι δὲ καὶ τοῦτο ἔνιοι εἰς στεφάνους. ἐπὶ τούτοις ἥ τε ἀνάνθη καὶ ὁ μελάνιον καὶ τῶν ἀγρίων ὅτε ἐλίχρυσος, καὶ ὁ ἀνεμώνης ἥ τε λιμωνία καλουμένη, καὶ ξίφιον, καὶ ὑάκινθος. τὸ ὃ ῥόδον ὑστερεῖ πάντων. καὶ τελευταῖον μὲν φαίνεται, πρῶτον δὲ πάντων). Idest, omnium primum cerni leucoium Theophrastus tradit, vnáque cum illo verbascum agreste, postea narcissum & iridem, ac ex mōtanis anemones genus, quod montanum vocatur, & bulbi caput: nam etiam hoc quidam coronis implicant. His accedit œnanthe, nigra viola, & ex siluestribus elichrysum, & anemone limonia dicta. Hinc Gladiolus, hyacinthus. Rosa horum tardissima est, postremaq; cernitur, at prima desinit. Æstiui & autumnales flores hi sunt Theophrasto. Τὰ δὲ θερινὰ μᾶλλον ἤπτε λυχνὶς, καὶ ὁ διὸς ἄνθος, καὶ ὁ μήλινθον, καὶ ὁ ἴφυον, καὶ ὁ ἀμάρακος ὁ φρύγιος, ἔτι δὲ ὁ πόθος καλούμενος. ὅτος ὃ ἐστι διτλὸς. ὁ μὲν ἔχων τὸ ἄνθος ὅμοιον Lib. 21. c. 11.

Lib. 15. dipn.

Lib. 6. hist. ca. 7.

τῇ ἰακίνθῳ, ὁ δ' ἕτερος ἀχρὸς, λευκὸς. ᾧ χρῶν) περὶ τοὺς τάφους. καὶ χρονιώτερος ἐστι. λευκὸς δὲ, καὶ ἰώδης τῷ φύλλῳ. καὶ τὸ τρόθιον καλάμωδες, τῇ ὀφθῇ καλὸν τὸ ἄνθος, ἀοσμον δὲ. μεθοπώρου δὲ τὸ λείριον τὸ ἕτερον, καὶ ὁ κρόκος ὅλε ὀρφνος, ἄοσμος, καὶ ὁ ἡμερος. Id est, Æstiui flores sunt,

Lib.21.c.11. lychnis, Iouis flos, cerinthum, iphyum (Plinius legit pro cerintho, alterum genus lilij, & pro iphyum, Tiphyum) & amaracus phrygius, atque pothos duplex, vnus cui flos hyacintho similis, alter decolor, albus, quo circa sepulcra vtuntur, hic verò diuturnior est. Floret etiam iris æstate, & struthium, flos quidem aspectu pulcher, sed sine odore. Autumno verò florent lilij alterũ genus & crocus, tam mon-

Li.15.dipn. tanus inodorus, quàm satiuus. Athenæus hunc Theophrasti locum citans ab eo

Lib.21.c.11. nihil variat. Ex eodem Theophrasto hæc descripsit Plinius. Succedunt illis æstiui, lychnis, & Iouis flos, & alterum genus lilij: item tiphyum & amaracus quem phrygium cognominant. Sed maximè spectabilis pothos. Duo genera huius: vnum cui flos hyacinthi est, alterum candidius, qui ferè nascitur in tumulis, quoniam fortius durat. Et iris æstate floret. Abeunt & hi marcescuntq;. Alij rursus subeunt autumno. Tertium genus lilij, & crocum, in vtroque genere vnum hebes, alterum odoratum. Hic est, vt diximus, ex Theophrasto ortus florum temporum ratione distinctus ordo: quamquam, inquit, nullum intermittitur tempus, nec ipsa hyems floribus orbata est. Nam etsi propter immodicum frigus sterilis videatur, tamen flosculos habet, autumnalibus prorogatis. Quod si ipsa clementior fuerit, multò magis. Verũenimuerò in Græcia dũtaxat, atque dum Theophrastus viueret, præclaroſq; illos de plantis libros conscriberet, supradicti illi flores coronarij habebantur, hoc sæculo multò plures gratissimi iucundissimiq; celebrantur, quos oratione prosequemur, vt delicias nostras posteritas agnoscat, nec dedignetur, iis interim non omissis quos Theophrastus recensuit, & quorum præsertim vsum retinuimus. Atque vt à vernis exordiar. Primus omnium flos consiliginis, quam

Verni flores nostri. Pseudoelleborum nigrũ vocant, herbaceus in hortis nostris prosilit statim à bruma & Ianuario ferè toto durat, non odoris suauitate, non coloris venustate expetitus, sed hoc nomine tantùm, quod vel inuito brumæ rigore existat, atque erumpat, & alios omnes anteeat. Huic proximum est leucoium bulbosum, Ianuario & Februario floreſcens, mox leucoium flammeum, bulbus vomitorius, viola purpurea: caltha quæ hyemauerit, primulæ veris genera, belides satiuæ, leucoia candida, purpurea, punicea, anemone limonia, bulbina, chelidonium minus, fumaria bulbosa. Ianuarij, Februarij, Martij incuntis hæc plerumq; fœtura est. Progrediente Martio luxuriant phlox, vinca peruinca, œnanthe, hyacinthi, lunaria odora & inodora, narcissus duplex, alter orbiculo medij floris rubro, suauis odoris, alter grauiùs olens, luteo, chamæleuce, siue farranum Plinij, cardamine minor (has enim sertis & coronis non excludunt) flore violæ, è puniceo candicante, nam & altera minor humiliorq; est, flosculo candido, exiguo, inutili. Deinceps Aprilis hos largitur cynorrhodi læuis, pæoniæ, iridis maioris cæruleæ & candidæ, gladioli, eliochrysi, violæ matronalis, cuius flos vt leucoiorum, candidus, puniceus, purpureus spectatur, herbæ Catrachio similis quã Galli *Baßinetz* vocant. Florent & hoc mense oxyacantha, & smilax aspera, quorum flore coronarios vti scripsit Theophra-

Lib.6.hist. cap.7. stus. Ex hisce floribus perenniores sunt phlox, quæ tota ferè æstate florere non desinit, viola flammea, leucoia, violæ matronales, viola purpurea multiplex. Aprili succedit Maius suorũ quoque florum opibus & agmine diues: nam eo flores suos expandunt hemerocalles siue lilium fuluum, lilium candidum, lilium martagum nuncupatum, melanthium rubrum, caltha veris principio sata, rosa corneola, iasminum luteum, cyamis maior, purpureus, cæruleus, candidus, orcheon & ranũculorum genera, phalangium flore niueo, caryophyllum syluestre, satiuum, candidũ, rubrum, puniceum, vermiculatum, polyschides, viola barbata, flos Africanus,

polygona

polygonatum,iris parua,myrtus, aſphodelus, aſperula, Iouis flos ſiue Aquilegia candida,purpurea,punicea,pſeudomelanthium. Minùs fugaces ex iis ſunt, caltha ſatiua,Iouis flos,flos Africanus,caryophylla,pſeudomelāthium,cyanus, roſa corneola,melanthium rubrum. Quædam enim floris prouentū in duos trésve menſes prorogant:quædam etiam in totam ferè æſtatem,vt melanthium rubrū & calthæquædam etiam bis florent,vt roſa corneola, quæ autumno etiam floret, & ad Octobris vſque exitū flores producit. Iam verò flores æſtiui (ſic enim nominantur & iure quidem, ij quos Iunius & Iulius menſes fundunt) ſunt,melanthiorum tria genera,lychnis ſatiua,rubra,candida,lauandula,ſpica,ſpartium, & ipſum biferum,quoniam ſub autumni finem florem etiam præbet, ſi cœlū nō repugnauerit, cuminum ſilueſtre geminū,alterum flore rariùs diſiecto,alterū denſiùs cumulato, equitis calcaribus ſimili,maiorana,iaſminum duplex,malua hortenſis,alba,rubra, purpuraſcens,ſimplex,multiplex:ex ſilueſtribus rapūculum maius. trachelia duo, campanula alba & cærulea,dactylis lutea & rubra,ſilybi flos, quod leucacantham vocat Tragus,à puellis Germanis coronis addi ſolitus, Alcea veneta. Ex his diutiùs durant lauandula,ſpica,lychnis, maiorana,cuminum ſilueſtre, quod in faſciculos coaceruatum & ſuſpenſum ſiccatur, minimeq; marceſcente floris purpura, hyeme floribus aliis omnibus deſtituta,cum amaraco & thymo ſertis ac coronis inſeritur, vt elychryſos ſic aſſeruatus. Auguſti verò & Septembris munera ſunt, amaranthus purpureus, petilius maior Plinij,blitum maius,cyclaminus flore violæ,purpureo,odorato,&,vt audio,Tulipa rubra,calathiana Plinij autumnalis:ſunt enim aliæ duæ,hæc verna,illa æſtiua,crocus ſilueſtris inodorus,ſatiuus odoris non iniucūdi,cui ſimillimus colchici flos in pratis nudus poſt foliorū iacturam, adeò vt incautos & ignaros fallat. His quoque menſibus halicacabi fructus matureſcit & fulueſcit,quem folliculi tunica detracta coronarij in ſerta cū cumino ſilueſtri, amaraco & thymo colligant,ceraſum vocantes,ob magnam cū ceraſi fructu coloris & rotunditatis affinitatem. Hactenus flores coronarios recenſuimus: præter quos in coronis locum ſibi vendicant plantæ multæ,vel foliorum varia pictura inſignes,vel ramulis frondeq; ſuauem odorē ſpirantes. Sed de iis libro de odoratis plantis tractabimus. Nunc de florum vſu dicendum nobis eſt:qui quidem latiſsimè patet. Nam flores ſummæ hominum tum voluptatis, tum vtilitatis cauſſa creauit natura. Horum enim illecebris non parum viſus & olfactus capiuntur,vtpote cū miros efflent odores,inenarrabilemq; colorum varietatem repreſentent. Nec enim in vllis rebus aliis laſciuiens natura magno fertilitatis gaudio tam variè luſit,ſiue floris cuiuſque priuatum colorem ſpectes,vt lilij niueum, calthæ luteum,ſiue in ſingulis quibuſdam varietatem, vt in eo quem trinitatis florem appellant,vna parte luteo,altera ſatura purpura nitēte,alia candido vel cæruleo, ſiue figuræ diuerſitatem,ſiue appendicum,ſtaminum, foliorum formā,numerum, picturam multiplicem. Iam verò quanta in medendi arte ex florum odore & facultatibus inſignibus calfaciendi,refrigerandi,reprimendi,corroborandi, digerendi, diſcutiendi,reſoluendi,aperiendi,attenuandi,lenicdi, atque aliis infinitis percipitur vtilitas,quis facilè explicare poſsit? Quæ enim corporis pars male affici poteſt, cui non ex floribus remedia adhiberi poſsint? quis morbus ſine florum remedio tuto curari poteſt:quæ medicamentorum,quæ antidotorum compoſitiones, quibus flores non admiſceantur? In cataplaſmata,malagmata,emplaſtra,vnguenta,fotus,balnea admittuntur:rara ſunt ſine floribus enemata:olea permulta ex floribus cōponuntur,ſerapia,tragemata. Elicitur ex ipſis liquor:vino, melli, aceto induntur,vt in eis vires ſuas relinquant. Sed de florum vſu medico in ſingulorum tractatione dicetur. Nunc ad eorum vſum redeo,qui deliciis maximè cernitur. Veteres floribus in coronas potiſsimum nexis vtebantur puellarum virginumq; orna-

Aeſtiui flores noſtri.

Autūnales flores noſtri. Lib.21.c.8.

Florū vſus.

menta,quod Strabo tradit apud Vibonem in Brutiis repertum, in eumq; locum propter flores migrasse Proserpinam. Hæ & conuiuiis adhibebantur,& amantibus in deliciis erant, στέφανος Græcis corona dicta est, & στέφος & στέμμα à cingendo,
Lib.15. Athenæo teste. Corona verò Latinis à choro dicta videtur,etiamsi citra aspirationem nunc scribatur: tamen Apion in libro de lingua Romana, vt scribit Athe-
Ibidem. næus,choronam cum aspiratione diu appellatam fuisse tradidit,quia chori ductores ea antiquitus in theatris vterentur. Nostris non solùm flores in coronarum vsum venere,sed etiam in serta digeruntur,quæ ferentes & intueantur, & naribus obiiciant:aut in fasciculos componuntur,quos in vasis aut vrceis encaustro picturatis & aqua plenis mersos, super cœnaculorum abacis,cubiculorum mensis, fenestrísque asseruant ad pascendos recreandosq; oculos. Coronis ac sertis herbarũ flores ferè inseruiunt,arborum minimè,præterquam mali aureæ,citriæ,punicæ,& myrti.Fasciculis verò & arborum,& siluestrium herbarum obuios quosque flores immiscent,modò vel forma,vel colore arrideant,vt malorũ,pyrorum,achradum, oxyacanthæ,vacciniorum,persicorum,padi,thraupali,tetragoniæ,violæ calathianæ,sisymbrij siluestris, & reliquorum id genus nullo ferè dempto. Sed coronas
Coronæ variæ, & earum varius vsus. priſci non tantùm capiti imposuere(hoc ipsarum vsu reperto, auctore Athenæo, ob dolorem capitis cũ post liberaliorem meri potum his fortè veluti vinculo capiti adhibitis,eius grauitatem, vel sublatam vel leuatam sensissent, præsertim si hedera,myrto,lauro,rosa caput cingerent) sed etiam collo adalligauere in pectus
Lib.15. demissas,ὑποθυμίδας, vel ὑποθυμιάδας dictas. Athenæus. ὑποθυμὶς δὲ καὶ ὑποθυμιάδες στέφανοι παρ' ἀιολεῦσι ξ ἴωσιν, ὡς περὶ τοὺς τραχήλους περιτιθέμενοι, ὡς Σαπφὼ ἐστὶ μαθεῖν ἐκ τῆς ἀλκαίου ξ ἀνακρέοντος ποιήσεως. Ideſt, Sunt etiam hypothymis & hypothymiades coronæ quædam apud Aeoles & Iones,quas circum colla gestabant, vt ex Alcæi &
Lib.15. Anacreontis poëmate discere licet.Has autẽ ita gestasse tradit Athenæus,quod cor vitæ sedes cum in pectore sit, non solùm coronis hanc principem corporis partẽ ornandam esse iudicauerunt,sed etiam vnguentis pretiosis illinendam ac exhilarandam. Et hypothymides,siue hypothymiades dici videntur, quod earum θυμίασις,ideſt,halitus & odor in nares expiraret.Morem eum Sequani etiamnum retinent,sæpius ex induſiorum lineorum deiectis vinculis serta florum suspendentes,quàm gestantes manu. Ad hæc non omnes eadem de causa coronas sibi aptabant,neque eandem earum deligebant materiam,sicut neque nos nostro sæculo, neque texendarum coronarum eadem omnibus occasio.Religionis causſa & oraculi iussu Cares vitice coronabantur auctore Athenæo, Lacedæmonij calamo ἐν τῇ τῶν προμαχίων ἑορτῇ, ideſt,in festo antesignanorum,& palma, auctore Sosibio, quæ in Gymnopodiis festo Laconico monimentum erat victoriæ ad Tyræam partæ.Naucratitæ myrto,Ægyptij papyro,quam ideo coronariã vocabant, quod
Lib.13. c.11. eius flore deos coronabant,Plinio teste. Samiæ Iunonis æditui, sacerdotes lauro, qua cæteri Græci vtebantur,vt ait Philonides,ad discutiendam post immodicum potum capitis grauitatem, Romani verò triumphantes bellicæ virtutis insigni. Præterea non religione tantùm moti homines sibi coronas aptarunt,sed deorum etiam simulacris,quod hodie quoque fit diebus festis laribus publicis & priuatis, manibus & sepulcris. Mitto celebres illas Græcorum coronas ex apio, pinu,populo, oleastro publicis ludis Græciæ in virtutis præmium viris fortibus dari solitas,& Romanorum triumphales,obsidionales,ciuicas,murales, vallares, nauales, ouales,& laureas,aureas,gramineas,iligneas,querneas,myrteas,vtpote quę ad florum & plantarum naturam ac contemplationem nihil conferant: item sutiles, quæque ex assuto malabatro nardóve fiebant, vel serico pingebantur opere phrygio,natiuos flores imitante serici tinctura & varietate. Dicamus hìc potiùs de pactilibus coronis,quarum summa fuit auctoritas,sic nuncupatis,quod ex floribus & herbis

herbis coronariis compactæ essent, Græci στεπτὰς & εἰλικτὰς, ideſt, tortiles, & φιλυρινὰς vocarunt, quod philyræ, ideſt, tiliæ cortici in tænias diſſecto flores impingerentur. Fuerunt etiam ἀνθίνοις coronę ab Ægyptiis appellatæ è loci flore ibi naſcentis æſtatis tempore in ſtagnis, cuius duo reperiuntur colores, alterius candidus roſæ ſpecie ex qua componuntur coronæ Antinoiæ proprie nominatæ, alterius cæruleus, ex qua texũtur coronæ λοτιναὶ. Fuerũt & ἀκάνιοι coronæ ex Acino plãta nexæ, quarum meminit Andron medicus apud Athenęum. Floribus coronariis ſuprà memoratis priſci alios adnumerarunt teſte Athenęo, vt coſmoſandalum, Theſiũ, philadelphium, chelidonium fronde albeſcente. His adde veteres nectendarum & geſtandarum coronarum adeò curioſos fuiſſe, vt quo tempore flores terra negat, cornuum ramenta in florum ſpeciem tingerent, quemadmodum & noſtri homines hodie pennis auium lignorum ramentis & charthis artificiosè diſſectis tinctiſq; vernos flores ementiuntur in hybernas coronas: ex medulla quoque iuncorum gypſo illita auiculas formantes, quas ſertis & coronis addunt lemniſcorum vice, quibus & laneis & aureis veteres vſi ſunt. Hactenus de coronis & floribus coronariis vniuerſè. Deinceps de ſingulis dicendum, non illis quidem ſupradictis omnibus, quorum plantæ aliæ aliis libris deſcriptæ, aliæ aliis libris deſcribendę, ne ſimiles à ſimilibus diſſociarentur, ſed de iis quæ maximè placent nobis & arridẽt, hodieq; vſu frequentiore vſurpantur quarum loci natales, ortus tempora, tum eximiæ præſtantiſimæq; in medendi arte poteſtates ſingillatim explicabuntur. Atq; ab his quæ omnibus notiores ſunt & vulgatiores exordiemur.

Lib. 15.

Ibidem.

VIOLA PVRPVREA. CAP. II.

ION Græcis & ἴον μέλαν Theophraſto & μελάνιον, Dioſcoridi ἴον πορφυροῦν, Latinis viola nigra, & purpurea, & viola Martia, Officinis viola, herba ipſa violaria, Arabibus *Seneffigi*, *Sonofrig*, ſiue *Benefeſigi*, Italis *Viola porporea, & Viola mammola*, Germanis *Mertzen violen*, Hiſpanis *Violeta*, Gallis *Violette de Mars*. Nicander in Georgicis, vt Hermolaus refert, Ion vocatam credit Violam, quia Nymphæ quædam Ioniæ florẽ eum Ioui primũ dedere muneri. Alij Græci ἴον dictum putant, quod cum Io in vaccam à Ioue cõuerſa eſſet, terra florem illum pabulo bouis eius fuderit, vt Latini quoque detrita, t, litera Violam quaſi Vitulam imitatione Græca videri poſſent appellaſſe. Eadem occaſione Seruius Violam Latinis etiam vaccinium dici refert, locum hunc enarrans Vergilij.

Nomina

Alba liguſtra cadunt, vaccinia nigra leguntur. Ecl. 2.

Vergilius tamen alio in loco vaccinium à viola differre oſtendit.

Et nigræ violæ ſunt, & vaccinia nigra. Ecl. 10.

Vitruuius quoque Violam à vaccinio diſtinguit. Nam ex Viola Silis attici colorẽ, ex vaccinio purpuram elegantem fieri memoriæ prodidit. Petrus Pe. ἴον ἀπὸ τοῦ ἰέναι, quaſi ire aut prouenire, aut primùm prorumpere dictum putat: veris enim præuia eſt Viola, purpura autẽ nigricans, ſeu in nigro purpureus color cauſa fuit cur Viola purpurea Theophraſto, Græciſq; aliis ſcriptoribus & Vergilio nigra diceretur. Nec ſolùm ex ſaturata purpura lucent Violæ, ſed etiam quædã ſunt albæ, exq; vulgatiores, frigidis & vliginoſis locis naſcẽtes, nullo aut ſanè languido odore. Vtriuſque alia eſt ſatiua, alia ſilueſtris. Præterea Viola purpurea ſatiua, tum candida in hortos trãſlata, maximè loco aprico inſolata, floreq; ſæpius vulſo, alioq; cultu, denſo foliorum ſtipatu ferè globoſa fit, ideo duplex Gallis dicta, *Violette de Mars double*, quã olitores delitiis alunt. Pena tradit nuſquam in Europa cultu luculentiores, magnitudine, fragrantia, colore, prouentu ſpectari, quã in Antuerpiæ Officinis quę parant cęruleum violaceum ſyrupum ex pluribus infuſis ſaccharo

Lib. 7. archi.

Genera

addito, soli viginti aut triginta dies expositis. Sed is florũ luxus Violas semine priuat, fraudato seminis genio, quæ si rursus negligantur, nec frequentiùs transplantentur, ad ingenium redeunt. Matthiolus arboreſcentem Violam è Baldo monte ad se missam depinxit, nempe Matrem Violarum, à nobis describendam paulò post fusiùs, quæ ad duorum cubitorum altitudinẽ adolescit, multis ab vna radice sublatis ramis, flore regalis consolidæ floribus ferè simili. Ea nihil aliud est, inquit Pena, quàm Viola purpurea in nemorosis, vmbrosis frigidarum regionum, qualis Anglia, Belgium, vel calidiorum montibus arduis, quales Veganij, & Narbonẽses alij montes, ramosos cauliculos emittens, sesquipalmares, teneros, & ex interuallis folia oblongiora, altiùs serrata, siliquasq; in tria dehiscẽtes, longiores: flores cõcolores, inodoros, nonnihil toto ortu & positu Violam flammeam imitata, neque tamen specie aut natura à Viola purpurea diuersa, quã sic descripsit Dioscorides.

Ca. 117. li. 4.

In Ad. flo. 266.

VIOLA Purpurea, Matth.

Li. 4. c. 117. *Forma.*

Folium habet minus tenuiusq; quàm hędera, nigrius tamen, nec dissimile: cauliculus statim à radice medius prosilit, in quo flosculus suauiter olens, purpureus. Nascitur in asperis & vmbrosis locis. Hanc nostram esse Violam Martiã nemo ambigit, tum floris venustate, tum suauissimo odore plebi & Officinis frequentissimam & vsitatissimam, ad delicias & summas vtilitates. Hæc enim humilis per terram repit fragariæ modo, folia fundens à radice multa, lata, venosa, per ambitum leuiter serrata, hederæ foliis minora, rotundiora, tenuiora, nigrioraq; præsertim parte superiore, inter quæ medij exeunt pediculi tenues, teneriusculi, singuli singulos flores ferentes, pulchros, odoratos, colore in nigro purpureos, nonnunquam pallidiores, nonnunquam candidos, ex quinque foliolis cõpositos, ac deinde pensilles folliculos, vasculaue rotunda per maturitatem in tres partes dehiscentia, semen minutum, album, in rotunditate oblongũ, miliaceum, medullosum complectentia: radices tenues sunt & fibratæ.

Lib. 21. c. 6. Hanc solam Plinius Græco nomine Ion appellari tradit his verbis. Violis honos proximus. Earum plura genera, purpureæ, luteæ albæ: plantis omnes vt olus satæ. Ex iis verò quæ spõte apricis & macris locis proueniunt, purpureæ latiore folio statim ab radice carnosa exeunt, solæq; Græco nomine à cæteris discernũtur, appellata Ia, vt ab his ianthina vestis. Locis opacis iuxta dumos, muros, agrorũ, hortorumq; margines pingui solo plurima frequensq; emicat. Multiplex hortensis est, quæ floribus est pallidioribus, minusq; odoratis. Nascitur etiam locis opacis, ac secus vias & margines agrorum, verũ arido sterilique solo. Floret perpetuò, vt diximus ex Theophrasto, si cultus adhibeatur, sed vere præsertim, & inter vernos flores ferè prima. Folia verò toto anno virent. Viola refrigerandi vim habet, Dioscor. auctore. Folia eius per se & cum polenta illita stomacho æstuanti, oculorum inflammationibus, sediq; procidentiis auxiliantur. Præterea id quod in flore purpureum est, cum aqua potum angina correptis, & comitiali in pueris morbo mederi affirmant. Quam postremã sententiam quidam hinc expungunt tanquã suppositititiã, nec eam Ruellius conuertit, quod eadẽ capite de Astere legatur. Alij cõtra Plinium & eos auctores ex quibus illa descripsit, sequẽdos iudicant, idq; de

Locus

Tempus.

Vires & Temper. Li. 4. ca. 117.

Viola

Viola purpurea rectè legi,& à Dioſcoride ſcriptum eſſe cenſent,capitiq; de Aſtere Attico falſo adiecta,quod neq; Plinius,neq;Græcus alius auctor ea de Aſtere memoriæ prodiderit.De viola verò hæc Plinius.Violæ ſilueſtres ſunt & ſatiuæ. Purpureæ refrigerant,cõtra inflãmationes illinuntur,ſtomacho ardenti imponũtur,& capiti in fronte.Oculorũ priuatim epiphoris,& ſede procidente vuluáve, & cõtra ſuppurationes.Crapulã & grauedines capitis impoſitis coronis olfactúve diſcutiũt.Angi nas ex aqua potæ.Id quod purpureũ eſt ex iis, comitialibus medetur,maximè pueris in aqua potũ.Semen violæ ſcorpionibus aduerſatur, contrà flos albæ ſuppurata aperit,ipſa diſcutit.Hęc Plinius.Et ſanè hoc ex violis purpureis auxiliũ videtur non manifeſtis ipſarum qualitatibus aut facultatibus, ſed φυσικῶς, & cæco effectu anginis & epilepſiæ mederi.Violæ folia,inquit Galenus, aqueam & ſubfrigidam ſubſtãtiam ſuperãtem poſsident.Quare tum per ſe, tum cum polenta illita calidas phlegmonas mitigant.Imponuntur & ori ventriculi æſtuanti,& oculis.Meſues multò accuratiùs violæ vires declarat his verbis.Viola recens frigida eſt & humida,ſiccata minùs tum frigida tum humida.In recente enim excrementoſa in ſuperficie humiditas purgatrix lubricando, caliditatem obtundit, perfectionis ipſius & formæ cauſam.Hæc cùm ſiccando reſoluta fuerit,caliditas priùs obrupta emicat, & ab ea ſapor amarus,fitq; trahendo purgatrix. Viola recens refrigerat, narcoticorum ritu dolores calidos ſedat,inflãmationes omnes extinguit,aſperam arteriam & thoracẽ lenit,expurgat bilem flauã , & ab ea calorem extinguit,& cephalalgiam à cauſa calida:ſomniferæ ſunt, conferunt vuæ, cynanchæ,præter cæteras verò pleuritidi , & cæteris tumoribus thoracicis : phlegmonen hepatis , obſtructionem eius ſiccam, icterum valde iuuant,& febres ſymptomaticas,ſeu inflãmatorias : ſitim ſedant,ſed coryzam excitant.Melior eſt viola matutina,cuius virtutem neq; ſolis calor reſoluit,neq; pluuia diſsipauit. Cum imbecilliter purgẽt, additur à quibuſdam violarum parti dimidium turbith, ab aliis ſcammonium , & finguntur trochiſci. Violæ & oleum violarũ , vt medicamentorum violentiam retundant,ipſis adduntur. Succus violarum & ſyrupus leniendo ſoluit.Violæ melle conditæ magis tergent, minùs refrigerant, cum ſaccharo cõtrà. Oleum ſit omphacinum aut amygdalinum , in quo oleum violatũ fiet.Hactenus Meſues, fit hodie quoque ſyrupus ex violarum recentium diluto , in quo illæ ſæpius macęratæ fuerint quemadmodum ex roſis roſaceus , quo deiiciendæ alui gratia medici in pleuritide vtuntur , vncias quatuor aut quinq; propinantes , violarum deiectoriam vim Galenum & cæteros veteres Græcos nõ nouiſſe perſpicuum eſt. Gignitur viola hîc depicta, ab herbariis mater violarum dicta, in nemoribus & dumetis,radice nigra, multis fibris capilata,caulibus multis, ſeſquipedalibus,nodoſis,teretibus,foliis violæ martiæ longioribus , ad caulium & ſurculorum nodos exeuntibus, flore violæ purpureæ longo pediculo nixo, vt in ſupradicta viola, ſemine eodem, quadrangulis veſicis incluſo. Caules primùm recti ſtant , deinde humi procumbunt,floret hæc planta diutiſsimè : nam dilapſo flore in eius locum alius atque alius ſubnaſcitur.

Lib.21.c.19.

Lib.6. ſim.

Lib. 2. c.11.

Mater violarũ.

MATER Violarum, Dalechampij.

VIOLA FLAMMEA. CAP. III.

Nomina QVAE hîc pingitur viola à florum tricolori varietate Viola tricolor,& herba ſiue flos trinitatis nuncupatur,ab aliis Iacea, ab aliis Viola flammea,quibus phlox Theophraſti eſſe videtur,quam violam flammeam Plinius & Gaza interpretati ſunt, quamquam noſtra exemplaria non φλὸξ, ſed φλογινὸν habeant, quod idem eſſe puto. Phloga Theophraſtus ſcribit vere cum viola,aut paulò pòſt exire,ſilueſtrem eſſe,plurimúmque durare, quæ de tricolori viola verè dici poſſunt. Eſt enim ſilueſtris, inodora, vere aut paulò pòſt erumpens. Alij contendunt phloga herbam eſſe à Dodonæo pro heranthemo demonſtratam.Anguillara amaranthum purpureum eſſe putauit. Sed is nec vernus,nec coloris flammei. Viola hæc Gallis *Penſees*, *& menues penſees* vocatur,Germanis *freyſcampkraut*,quæ cum ſilueſtris ſit,in hortis tamen hodie colitur. Eiuſdem duo obſeruauit & depinxit genera Matth.alterum maius, alterũ minus. Viola flãmea foliis conſtat exiguiis,initio rotundiuſculis,deinde oblongioribus, per ambitum ſerratis,caulibus anguloſis,infirmis,tenuibus,geniculatis,reptantibus, ex quibus inter folia exoriuntur pediculi longiuſculi,quibus flores inſident purpureæ violæ forma & magnitudine ferè pares, ſimiliter in quinque foliola diuiſi, ſingula triplici colore variegata,purpureo videlicet,luteo,candidóque vel cæruleo,ſummis foliolis purpureis,mediis candidis,infimis luteis nigris intercurſantibus lineolis.In hortis hos flores etiam cum pallido,cæruleo,purpureo,luteo promiſcuos videmus,ea colorum varietate ob ſolam venuſtatem, nulla odoris gratia commendata.At in Vellauuiorum montoſis paſcuis propè cœnobium,quod monaſterium Diui Chafredi vocãt, hîc flos totus luteus ſpectatur copioſiſsimus inſigni prorſus de hac re hiſtoria. Montibus enim altiſsimis frigidiſsimis, niue ſex ferè menſes opertis, eo potiſsimum iugo vnde manat Ligeris fons, per æſtatem tanta copia is

Lib.6. hiſt. cap.7.

Lib.2.c.31.

Genera.

In cap. 117. lib.4.

Forma.

VIOLA FLAMMEA ſiue Tricolor maior, Matth.

VIOLA FLAMMEA Minor, ſeu Iacea altera, Matth.

flos

flos prodit, vt terrę conſpectum intuentibus eripiat: collectum verò & in ſaccis conditum incolæ Maſsiliam perferunt, vnde poſt nauibus in Alexandriam & Aegyptum vehitur. Eum fama eſt Aegyptios comparare, vt in aqua, quam ſolam bibere per religionem fas eſt, macerantes, & coquentes, ſalubriorem potum conficiunt, ad caducum morbum pulmoníſque & thoracis vitia decoctum id prodeſſe arbitrantes: tam procul ad eos morborum ſitíſque remedia nos mittimus. φλόγα, quaſi flammeam dictam volunt ab huius ſylueſtris luteo colore, quem Flammeum appellarunt veteres, & qui in hortis cultu mutatur. Semẽ exiguis & rotundis ſolliculis coërcetur, quæ eo maturo dehiſcunt, radices multis fibris conſtant. Minoris huius violæ flores, inquit Matthiolus, minores ſunt, & duobus tantùm coloribus ſplendentes, nempe cæruleo ac candido, aut luteo & albicante. In aruis multis locis naſcitur, & ſitientibus pratis ſua ſponte, atque in hortis ſilueſtri ſpecioſior & elegantior. Vere cum viola purpurea aut paulò pòſt emicat, æſtate deinde tota, & maxima autumni parte, nõnunquam etiam hyeme floret. Dodonæus in ſtirpium hiſtoria violam flammeam ſiccam, calido frigidóque temperatam eſſe tradit, in libro de floribus frigidam quidem obſcuram habere qualitatem, ſed humidam manifeſtiorem, lenti glutinoſiq; ſucci, vt malua participem, emollientis ea de cauſa facultatis, verùm minùs quàm illa, prodeſſe, vt recẽtiores aiunt, febriſcitãtibus maximè pueris & infantibus, quorũ conuulſionibus ac comitialis morbi acceſsionibus ſubuenire creditur, commendatur item ad pulmonis pectoríſque inflammationes, & ad ſcabiem corporíſque pruritum: vlcera quoque glutinare fertur. Pena calidam, guſtúque totam ſubacrem eſſe aſſerit.

Locus.

Tempus.

Lib. 2. c. 2.

Cap. 2.

In Ad. fol. 266.

LEVCOIVM. CAP. IIII.

Οὐ λκόιον nomen, quamuis Græcis albam violam ſignificet, ſi eius vocabuli compoſitionem ſpectes, aliarum tamen violarum præter melania cuiuſcunque coloris ſint, naturam indicat, etiam lutearum quas Arabes nunc *Cheiri* vocant nunc *Alcheiri*, præpoſito articulo, Germani *Veyſſuail*, Hiſpani *Violetas amarillas*, Galli *Gyroflıers iaunes*: & candidarum, & cærulearum, & purpurearum, vt quatuor ſint in totum hæc genera ſola florum varietate diſcrepantia, autore Dioſcoride. Alia enim candida, alia lutea, alia purpurea, alia cærulea quamquam multi de cærulea dubitent, puténtque leucoium cæruleum in Dioſcoridis græcis codicibus aſcititium eſſe, etſi in cunctis pariter legatur, tum quod nuſquam leucoium cæruleum viderint, tum quod Marcelli egregiæ antiquitatis & fidei Latinus Dioſcorides Lõgobardis literis ſcriptus, tres tantùm colores illos omnibus notos numerat, quartus hîc cæruleus nullus in eo ſit. His addit Fuchſius Plinij auctoritatem, qui violæ genera enumerãs, purpureæ, luteæ, albæ duntaxat meminit: neque plures leucoij differentias recenſet Oribaſius, neque Serapio hoc Dioſcoridis caput ad verbum deſcribens. Minimè tamen hîc violam purpuream aut candidam intelligas eam quam ἴον Græcis propriè vocatam diximus, Latinis violam, quam diximus etiam eſſe purpuream & candidam: Homines enim illorum florum capti venuſtate & fragrantia, inquit Pena, vt vſum ad coronamenta, ſic nomen commune ſanxere, poſteáque magis conſuetudinem, aut florum ſimilitudinem quam rationem ſecuti, multos & varios flores violas nuncuparunt, idem nomen variis atque longè diuerſis plantis, quales ſunt violæ & leucoia imponentes. Hæc enim ab illis qualitate facultatibúſque differunt: ideo Dioſcorides locis atque familia diſiunxit. Eſt & apud Theophraſtum leucoium bulboſum. Quæ omnia ſuis locis declarantur. Leucoium album vt Dioſcoridis ætate, ſic etiam hodie vulgò notum, non à florum candore, neque enim ſemper candidos ha

Nomina

Genera

Lib. 3. c. 121.

Cap. 173. hi. Lib. 21. c. 6.

Lib. 7. hiſt. cap. 15.

Forma.

LEVCOIVM, Album.

LEVCOIVM Album & purpureum, Matth.



dos habet, sed à foliorum canitie cinericióve colore dictum, caulem habet bipedalem aut tripedalem, durum, rectum, ramosum, rotundum: folia oblonga, candida, mollia, & veluti lanuginosa verbasci ritu: flores odoratos, ex quatuor foliolis congestos in superiore cauliculorum parte, ex pediculis exeuntes, aut candidos aut rubentes, aut ex purpureo puniceos, aut cineri candidiori proximos: siliquas angustas, oblongas, in quibus semen latum & rotundum: radices validas, fibratas. Hoc minus leucoium ponit Dodonæus, quod non forma sed magnitudine sola differt, caules foliáque similia gerit, sed minora, flores etiam vel candidos, vel rubentes, vel puniceos, siliquas & semina similia. Fuchsius violæ matronalis nomine depinxit. Purpureum huic planè simile est caulibus, foliis vtraque parte canescentibus, solo florum colore distat. Quare Matthiolus vtrumq; eadem pictura expressit. Leucoia ista vere florent, & tota propemodum æstate. In hortis & cultis locis proueniunt. Leucoium luteum, Græcis λευκόϊον, & λευκόϊον μήλινον, Plinio viola lutea, Arabibus & Officinis propriè *Keyri*, Gallis *Giroflee iaune*, vel *Violier iaune*, Germanis *Geel veul*, Italis *Viola balla*, caulibus est ramosis, lignosis, virentibus, foliis oblongis, angustis, in viridi nigricantibus, glabris, numerosioribus, longioribus, magis in acutum desinentibus, quàm superiora. Flores bene lutei, venusti, valde odorati summos

LEVCOIVM Aureum, Matthioli.

Lib. 2. c. 4. & hist. flo. cap. 3.

Can. 117. hist.

Tempus Locus. Leucoium luteum.

Forma.

summos ramulos ornant: deinde siliquæ minores, in quibus semen compressum, luteum. Sponte è rimis peruetustorum murorum saxorumque apricis, & radiorum solis repercussu incalescentibus emicat, atque etiam è ruderibus, seritur etiam & colitur in hortis. Sed illud mense Februario & Martio floret, præsertim hyeme clementiore, hortense seriùs. Leucoium luteum veriùs dici ἴον φλογινὸν Theophrasti, quàm florẽ trinitatis, periti herbarij autumant, quod totus flos flammei sit coloris, idest, lutei: luteum enim florem flammeum à Latinis dici declarant hęc Plinij verba. Lutei video honorem antiquissimum, in nuptialibus flammeis totum fœminis concessum. Flamma enim in humido flaua est: in sicco verò rubra fit, & à flammeo flauóve colore discedens rubra cum splendore cernitur. Sui similis & vna dũtaxat, inquit Pena, quę plurimùm albos, sæpe purpureos, interdum, præsertim annotina flores exoleti coloris in cæruleum vinaceum languescentis fert, cornicula quanta & cuiusmodi cornuti papaueris: geminum autem seminum ordinem membranula secundum ordinem intercurrit: folia accedunt ad calendulam albicantia è radice lignosa. Hæc nõ perinde feruet gustu. Alia viola lutea hic proponitur spectanda verè polyanthes vel multiplex cognominanda, flore nimirum densissimis foliolis stipato & congesto, præstantissimi atque suauissimi odoris, nullis siliquis, nullo semine, abeunte nimirum in floris amplitudinem eo succo, quem siliquarum & seminis materiam esse oportebat. Cultu & mangonio talem euadere aiunt, præsertim si tenellæ plantæ antequam floruerint sæpiùs transferantur. Præterea leucoium puniceum hìc appinximus, rectiùs sic appellatum quam violam matronalem puniceam, quo nomine Fuchsius pinxit. Dioscorides lutei leucoij præcipuum in medicina vsum esse tradit. Huius aridos flores decoctos in desessionibus valere contra vuluæ inflammationes, & menstrua expellere: cerato exceptos rimas sedis sanare, cum melle feruida oris vlcera, semen ipsius duarum drachmarum pondere cum vino potum, aut cum melle appositũ menses, secundas, partus extrahere, radices cum aceto impositas lienem reprimere, & podagricis prodesse. Plinius eadem habet. Viola alba & lutea extenuant, menstrua, vrinam ciẽt, minor vis est recentibus: ideóq; aridis post annum vtendum. Lutea dimidio cyatho in aquæ tribus, menses trahit. Radices eius cum aceto illitæ sedant lienem: item podagram, oculorum autem inflamma

Locus.

Lib. 21. c. 8.

In Ad. fol. 141.

Viola lutea.

Forma.

Cap. 117. hi. Lib. 3. c. 111.

Vires & Temper.

Lib. 21. c. 19.

VIOLA LVTEA, multiplex.

LEVCOIVM, Puniceum, Fuch.

inflammationes cum myrrha & croco, folia cum melle purgãt capitis vlcera cum
Lib.7. fim. cerato rimas ſedis,& quæ in humidis ſunt,ex aceto verò collectiones ſanant. Galenus eadem diſtinctiùs explicat his verbis. Leucoij frutex vniuerſus extergentem facultatem habet,ac tenuium partium,plus tamen flores:& inter hos qui ſunt ſiccíores magis quam virides, adeò vt & oculorum cicatrices craſſas extenuent, tum menſes quoque eorum decoctum mouet, & ſecundas partúmque emortuum elicit: ac ſi bibatur, abortum facit.Eſt ergo id medicamentum vt ſi quod aliud,amarum. At ſi quis virium eius vehementiam multa aqua admiſta retundat,aut id genus aliquo,habebit & ad phlegmonem non malum medicamentum. Sic decoctũ eius ſi non merũ fuerit vteri phlegmonas identidem perfuſum ſanat, potiſsimùm quæ diuturno tempore ad ſcirrhi modum induruere. Sic cum cerato vlcera ægrè ad cicatricem peruenientia curat. Sunt etiã qui cum melle ad aphthas adhibeant. Semen cum eiuſdem ſit facultatis,aptiſsimum eſt duarum drachmarum pondere potum: tum menſibus ciendis impoſitum conuenire creditur, partúmque viuentem interficere,ac mortuum eiicere. Radices ſimilis quoque facultatis, niſi quod craſsioris ſunt eſſentiæ,& magis terrenæ,cum aceto lienes induratos ſanant. Non-
Lib.3.anti. nulli verò & phlegmonas in articulis induratas iis curant. Meſues oleum de Keyri,id eſt, ex floribus lutei leucoij conficit vt chamæmelinum,quod tenuat,digerit: ob id dolores thoracis,renum,neruorum,menſurarum ſedat.

VIOLA MATRONALIS. CAP. V.

Nomina

VIOLA matronalis vel viola damaſcena & marina, Gallis *Violette de damas,& Gyrofflee de damas,* vel *violette & Gyrofflee des dames,* Germanis *Vuinteruiolen*, hoc eſt,viola hyberna ſiue hyemalis.Quidam ob odoris
Lib.21.c.7. præſtantiam violam moſchatellam vocant,alij Heſperida Plinij, noctu magis olentem, inde nomine inuento. Dicitur autem viola matronalis quod

VIOLA Matronalis, alba.

VIOLA Matronalis, purpurea.

eam

eam matronæ colere ſoleant. Damaſcena tanquam ex Damaſco delata. In floribus huius differẽtia eſt. Vnam Fuchſius depinxit floribus candidis, alteram purpureis nomine leucoij albi & purpurei. E' radice fibrata, denſa, ampla, caules emittit rectos, cubitales & ſeſquicubitales, ramoſos, in quibus folia longa, lata, ſubnigra, per ambitum leuiter crenata, crebra, drabæ, aut erucæ, minùs lacinioſa, in caulium ſummitate flores pulchri, quadrifolij, odorati, leucoiis ſimiles, ſæpius candidi, aliquando rubelli, aliquando dilutæ purpuræ, ſemen in ſiliquis oblongis & rotundis coërcetur, paruum, acre, fuſcum aut rufeſcens. Quamuis marinam & damaſcenam tanquam exoticam vocitent, inquit Pena, tamen in Nitiobrigum montoſis, & Veganij ſiluoſis, etiámque in pratis Angliæ fruticat, vnde horti habuerunt, in quibus culta floret Aprili, Maio, & Iunio menſibus, folia guſtu acria & calida ſunt, quin potiùs erucam, thlaſpi, aut Rapunculum guſtu tota ſapit, quibus idcirco affinis natura & facultatibus proxima putatur. Prouenit & ſponte in Sequanorum vallibus, qua œnus fluit, ſub ſepibus.

Genera. Cap. 173. hi. *Forma.* *Locus.* *Tempus.* *Temper.*

VIOLA LATIFOLIA. CAP. VI.

CVM HVIVS plantę floribus magna ſit cum violæ & leucoij floribus affinitas, eam herbarij violarum ambitu comprehenderunt, & violam latifoliam, aut peregrinam nominarunt. Diximus enim nomine Græco τᾦ ἴῳ, & violæ Latino, plantas multas intelligi, quas florum ſimilitudo potius quàm ratio ſimiles fecit. Quidam atque etiam Officinæ voce barbara *Bulbonac* ceu *Bolbonac* rectiùs videntur appellaſſe à radicibus bulboſis: recentiorum plerique Lunariam, alij Lunariam Græcam vocant, alij perperã Rhaphanum ſilueſtrem, Brabanti *Percinkblæmen*, id eſt, florem nummi, à ſiliquarum figura nummum quadantenus referente. Hæc planta caules profert duros, rotundos, ſurculoſos, folia oblonga, latiora multò quàm violæ matronalis, virentia, in ambitu parum crenata, flores Leucoij purpureos & ſubcæruleos, quos ſequuntur latæ, planę, & propemodum rotundæ ſiliquæ, vel orbes foliacei, ex membranis tenuiſsimis veluti laminis compacti, pellucidi, ſemina quaterna aut quina complexi plana, lata, obſcuri coloris, forma quodammodo διχολόμου lunæ, inter quæ media iacet tertia membrana, radices ſunt buboſæ, oblongæ, cãdidæ prorſus, carnoſæ, ſparſæ, quadantenus aſphodeli, aut pæoniæ, ſed minùs protuberantes. Hæc, inquit Pena, in Alpinis Gallo-prouinciæ, conterminiſq; Pedemontij oritur, apud Frãcos verò Flandros & Anglos in hortis tantum colitur, radicibus hic exilioribus quàm illic, flaccidioribus, minúſque protuberantibus, ſed ſimilibus. Primo vere floret, in hortis Aprili menſe, altero à quo ſata eſt anno. Huic aliam ſimilem eſſe tradunt Dodonæus & Pena, foliis latis, & ſiliquis planis ac rotundis, vtriſque paulò minoribus, caulibus durioribus, breuioribus, floribus dilutioribus, radice perenni ac hyeme non marceſcente, fibroſa, non autem bulboſa, quæ in hortis reperitur, ac floret æſtate. Viola latifolia calido acríque guſtu eſt, præſertim ſemẽ, quod

Nomina

VIOLA, Latifolia.

Forma. In Ad. fol. 137. *Locus.* *Tempus.* De ſto. c. 6. fol. 137.

Temper. siccum est, radices acrimoniæ cuiusdam, sed non multæ participes sunt. Lobellio abstergit, modicè calefacit, vrinas cit vti rapunculus. Eduntur in acetarijs, vt rapunculi, & aliæ nonnullæ. Dodonæo & aliis quibusdam veterum thlaspi secundum esse videtur, quod & sinapi persicũ dicitur, & thlaspi Crateuæ. Nam, vt Dioscorides scribit, Alterum thlaspi tradit Crateuas πλαλύφυλλον, καὶ μεγαλόῤῥιζον, id est, latifolium & magnis radicibus, qualis viola hæc latifolia esse videtur. Quæ sententia Petro Pe. non placet, quoniã huius radices non perinde acres sint, vt Crateuæ thlaspeos radices traduntur, quarum vsus ischiadicis vtilis, illarum acrimonia inefficacior. Idem neque istam, Armoraciam, siue siluestrem raphanum Dioscoridis esse putat.

Lib. 2. c. 150

CARYOPHYLLI NOSTRATES. CAP. VII.

Nomina VLGO celeberrimi & notissimi florum elegantia, & suauissimo caryophyllorum exoticorum odore, caryophylli dicuntur, seu caryophyllei flores, quibusdam Ocellus, à floris specie, & Ocellus Damascenus, & Ocellus barbaricus, & Barbarica, Gallis *Gyrofflees, & Oeillets* similiter ab odore & forma, Italis *Garofoli*, Germanis *Negelbluomen* etiam ab odore, & *Grasbluomen*. Fuchsius betonicæ alterius speciem facit, & Betonicam alteram, seu Vetonicam coronariam vocat, quod eius in coronis penè nimius sit vsus. Matthiolus cum aliis Vetonicam coronariam, Officinæ detractis duabus prioribus à betonica literis, Tunicam seu Tunicem, tamẽ Bernardus Gordonius Tunicam polemonium esse tradit. Dodonæus Vetonicã altilem & coronariam appellat. Pena Cantabricam, quam Plinius in Hispania inuentam refert per D. Augusti tempora à Cantabris repertam, nasci vbique caule iunceo, pedali, in quo sunt flosculi oblongi veluti calathi, in his semen perquàm minutum. Alij cantabricam potiùs esse volunt Hispanorum *Scorzoneram*, contra venena omnia famosissimam, de qua nos alibi. Alij iphyum Theophrasti, quod esse ait herbæ graminiue simile, siccum esse, radice lignosa, semine seri, æstate florere. Est autém à Tiphyo seu Tiphyis diuersum, quod animaduertendum est diligenter, ne tanta vocum affinitas imprudentẽ fallat. Iphyum enim coronariũ est. Tiphya verò in coronarum vsum nõ veniunt. Præterea Tiphyis hoc ferè peculiare, quod prima statim germinatione ante foliorum ortum florem promant, quod in Bechio ac petasite videmus accidere, vt non immerito quidam existiment à Theophrasto ea Tiphya nominari. Anguillara luteum asphodelum iphyum esse suspicatus est. Alij cum Ruellio caryophyllos nostrates veteribus incognitos fuisse existimant, mirum creditu tam celebrem florẽ, tam iucundum, fuisse à veteribus silentio prætermissum, qui amplitudine, pulchritudine, varietate rosa non inferior videri possit. Caryophyllus alius satiuus, alius siluestris, hic minor, ille maior, qui foliis est longis, carnosis, duris, angustis, in extremo acuminatis, incanis, cauliculis multis, iunceis, rotundis, geniculatis, læuibus, cubitalibus aut altioribus, coëuntibus pyridatim internodijs, in quorum & iis adnatorum cacuminibus calices sunt longi, teretes, glabri, orbiculo superiore denticulati, è quibus flores omnium speciosissimi prodeunt, ex senis foliolis, qui simplices sunt, ex multò pluribus multiplices, per extremas oras scitè fimbriati, caryophyllorum odoratu, sed longè suauissimo, colore alias purpurascẽte dilutiùs, alias intensiore rubore nitente, alias candido. Sunt & non pauci albi & purpureis punctis aspersis versicolores qua coloris varietate & odoris suauitate cum rosis de principatu certant, ex flore medio staminei exeunt gemini apices candidi: semen in oblongis vasculis minutum & nigrum, radix promissa, simplex, geniculata. Minor siue siluestris caryophyllorum species, priori simillima est caulibus, sed humi stratis foliisq; sed dum colitur in areis hortorum, latioribus, vtrisque tamen minoribus, ex

Cap. 132. hist. In Cap. 153. lib. 2.

Lib. 2. c. 7. Lib. 25. c 8. Pet. Pe. fol. 188.

Lib. 2. c. 149

Lib. 6. hist. cap. 7.

Lib. 1. caus. cap. 10. Lib. & c. 6. hist. cap. 7.

Genera Forma.

CARYOPHYLLVS, *Altilis.*

CARYOPHYLLVS, *Siluestris.*

bus,ex oblongis quoque paruis & teretibus calicibus flores promit minores, non ita folioſos, per ambitum quoque diſſectos ac fimbriatos, candidos aut purpuraſcentes,nec odore perinde fragrantes ac ſuperiores.Caryophylli maiores in hortis coluntur,ſpecioſiſsimi in fictilibus vaſis. Seruntur frequentiùs auulſis exiguis cum foliis ſurculis, ſemine rariùs. Nam è ſemine nati ad naturam agreſtem redeunt, floréſque,minores & ſimplices,etiamſi prius multiplices fuerint, producunt. Siluestris caryophyllus plurimus vbiuis reperitur in ſaxoſis,montoſis & ſiluoſis marginibus calidarum & frigidárum regionum,ſeruntur etiam in hortis. Non deſunt qui olitores credant ſurculis ſtylo perforatis caryophylla aromatica inſeruiſſe,quo iucundum illum odorem flores illicerent,& caryophyllorum ſuauitatem expirantes naribus repræſentarent,vt ex flore minùs odoro quàm odoratiſsimũ, & ex fera ſilueſtriq; herba manſueram facerent, quæ iucundo odore caryophylli ſuauitatem mentiretur. Quod ſi verum eſt,ſilueſtris à ſatiuo niſi cultu & mangonio differt,quod tamen nonnulli inficiãtur. Florent tota æſtate & autumno, viuace horum planta,multíſque annis durante,ſi hyeme à frigoris iniuria defendatur.Sæpe, inquit Ruellius, in cellis vinariis tota planta fruticare viſa hyeme,fauente loci tepore,& flores interdum parere. Aliud tradit non omittendum,ſæpe viſam herbã vno anno florem parere candidum, altero purpureum, tertio colorum varietate promiſcuum: & quod mirabilius videri poſsit, ramum eundem niueum & vermiculatum proferre florem,tam prona huius herbæ natura,vt flos albus in purpureum,& purpureus in candidum ſtudio cultus, aut vbertate commutantis ſoli degeneret. Calidum ſiccúmque eſſe odor & ſapor amariuſculus demonſtrant. Tradunt recentiores flores præſertim purpureos ad animi deliquia,& cordis tremorẽ valere,ad vertigines,epilepſiam,paralyſim,conuulſiones, ex betonicæ vel amaraci decocto potos: Sacchar o conditos perinde ac roſas, vtiles non ſolùm ad ſupradicta,ſed etiam aduerſus venena omnia,& venenatorũ animalium morſus,& ictus. Dari etiam ad interaneorum animalia necanda,& ad peſtis contagia. Valẽtiùs tamen ſuccum id præſtare ex tota planta expreſſum: hauſtum enim quatuor vncia-

Locus.

Tempus.

Lib.

Temp.& Vires.

rum pondere,à morbo qui iam inuaserit liberare. Siluestrium radices trium drachmarum pondere hauſtas ex mero,à vipera demorſos ſanare. Eorumdem ſuccum calculo atterendo & educendo,nec non comitiali morbo laborantibus vtilem eſſe,fit ex altilium floribus detractis vnguibus acetum iis in eo inſolatis, quo naribus illito reuocantur animi deliquio conſternati. Idem quoque vtile eſt peſtilenti auræ arcendę,naribus,arteriis,manibus quotidie eo irroratis.

ARMERIA. CAP. VIII.

Nomina Lib.2.c.149 &lib 3 c.77 Lib 2. c.7.

CARYOPHYLLORVM ſilueſtrium ſiue minorũ ſpecies videntur eſſe, quæ Gallis *Armoiries*, Ruellio Armerię & Armerij flores dicuntur. Primam Dodonæus Vetonicam coronariam ſeu altilem minorem vocat, Germanis *Mutwuillen*, quidam *Hochmut* id eſt, Superbam, Belgæ *Pluymkens* a florum foliolis fimbriatis & plumarum ritu diſſectis. Caryophyllo altili caulibus,foliis,floribus ſimilis eſt, ſed multò minoribus, folia ſunt longiuſcula, anguſtiora,cauliculi tenues,nodoſi,pedales & cubitales,in quibus flores odoris ſuauis,ſuperioribus ſimiles,ſed ſimplices,ex quinis,aut ſenis foliolis, altioribus & anguſtioribus crenulis fimbriati,candidi,aut purpurei, deinde ſiliquæ acuminatæ ſemen comprehendentes. Elegantiæ & odoris cauſa in hortis habetur. Hanc idem Dodonæus in florum hiſtoria caryophylleum minorem, atque etiam Vetonicam altilem,ſeu coronariam minorem vocat, Fuchſius Betonicam ſilueſtrem alteram. Primum verò armerium florem Dodonæus in florũ Hiſtoria eum facit,quem Germani *Donderregele*, *feldtnegele*, Belgæ *Keykens*, quaſi dicas faſciculum florum, in quibuſdam Picardiæ locis *Cuydereles*, vocant, qui cauliculos habet rotundos geniculatos veluti caryophyllei flores,circa inferiora genicula ſæpius rubẽtes, cubito breuiores,folia oblonga,ſed aliquanto quàm maioris caryophylli latiora, colore herbaceo virentia,floſculos in ſummis cauliculis paruulos,exiguis caryophylleis ſimiles,verùm minores,plures ſimul in quandam veluti vmbellam congeſtos, particu-

Cap.19. Cap.132.hi.

Ibid. Armeria Dodo.

Forma.

Forma.

ARMERIA VETONICA, Coronaria.

ARMERIA Prima Dodonæi, ſiue Caryophyllus minor ſilueſtris, Lob.

latim

latim frequentiùs prodeuntes,& ſemper ferè cocci rubore ſplendentes,punctis interim candidis circa medium interdum variegatos,rariſsimè candidos. Ornat hic floſculus Belgicorum hortorũ areas,apud Italos & alibi locis incultis & aridis exit. Iſtam, in ſtirpium hiſtoria Dodonæus, Vetonicã veram,ſeu herbam Tunicã nuncupat.Fuchſius Betonicam ſilueſtrem vnam.Armeria ſecunda ſiue ſilueſtris Dodonęo eſt ſilueſtris Vetonicæ ſpecies,Gallis *Armoiries ſauuages*, Germanis *Gauchblum*, id eſt,flos cuculi,Belgis *Cracyenblœmkens*,id eſt,cornicis flores. Armeriç ſeu Vetonicæ altili affinis eſt, cauliculis geniculatis,foliis breuioribus,latioribus,& multò magis candicantibus quàm caryophylli, aut armeriæ primæ folia,flores frequentiùs rubent,interdum candidi ſunt,altiùs crenati,ſimpliciores,inodori, ſemẽ in oblongis ſiliquis continetur.Exit paſsim in pratis vliginoſis,& locis riguis herbidiſque, Maio & Iunio menſibus.Quibuſdam odontitis Plinij cap.12.27.inter fœni genera: cauliculis denſis,ab eadẽ radice,geniculatis,triãgulis,nigris. In geniculis folia par-

Lib.2.c.7. Cap.132.bi. Armeria ſiue. Lib. 2. hiſt. cap.7. *Nomina Forma.*

Tempus.

ARMERIA Secunda ſiue ſilueſtris, Dodon.

MISCIPVLA ſiue Armeria altera.

ua habet,longiora tamen quàm iolygonon. Semen in alis hordeo ſimile: florem purpureum,puſillum. Naſcitur in pratis.Decoctum cauliculorum eius in vino auſtero,quantum manus capiat, dentium dolori medetur, ita vt contineatur ore.

Locus.

Hanc venenis cõmendant, inquit Pena,qui putant Tunicem eſſe, nec prorſus falluntur, quia nõ fruſtra opem experiuntur, & nonnullis practicis Arabibus etiam Tunix vocatur,non ſecus atq; polemonium Belgarum,ſiue Ocimaſtrum, quod eſt Gordonij Tunica. Tertia quædam eſt Dodonæo in florum Hiſtoria, Armeriorum florũ ſpecies,cauliculis rotũdis,geniculatis,tactu glutinoſis, pedis altitudine:foliis ex ſingulis geniculis binis,oblongis,anguſtis,acuminatis,in virore candicãtibus & quaſi cæſiis:floribus in vmbella ſimiliter pluribus,ſimul congeſtis,pulchris,Armeriis ſimilibus,verũ minoribus & rubentis dilutæ purpuræ colore:ſemine in oblongis vaſculis puſillo : radicibus tenuibus & fibratis. Seritur in Hortis:floret à Maio aut Iunio menſe in autumnũ vſq;.Quidam volunt Limonij,aut Behen vulgò nunc dicti ſpeciem aliquam eſſe. Eſt Lobellio Lychnis ſilueſtris altera,& Behen rubrum

Vires.

Salamanticum Clusij. Dicitur etiam à Lobellio Muscipula seu Armoratia altera, fortasse flos Constantinopolitanus alter minor Gesneri.

VIOLA BARBATA MAIOR. CAP. IX.

Nomina

Genera.

Forma.

ASIMILITVDINE floris violas appellant herbarij plantas hîc depictas, eásque duûm generum. Vna enim viola barbata latifolia, alia viola barbata angustifolia dicitur. Viola barbata latifolia radicibus nititur longis, nigricantibus, tenuissimis fibris capillatis, huc illuc repentibus, surculosis, caulis in cubiti altitudinem assurgit, nonnunquã breuior proceriórve, pro soli pinguis macríve natura, geniculatus, septem plerúmque aut octo internodiis constans, rotundus, folia bina ex singulis internodiis exeunt, latiora quàm in cæteris huiusmodi violarũ generibus, venosa: in caulis cacumine quindecim aut sexdecim, interdum etiam plurium vaginularum coaceruatur faciículus, extantibus vndiq; veluti barbæ pilis elegãtissimè ornatarum, vnde violæ barbatæ nomen positum fuit. Hæ particulatim florent sub finem Aprilis, vt ex tanto numero quinque aut sex dũtaxat dehiscãt, flos puniceus, albis punctis plurimis & minutissimis distinctus, quinque foliolis constat, eminentibus, in medio tenuibus filis propemodum cæruleis, eximiaq; sui pulchritudine oculis intuentium arridet. Semen in oblongis vasculis maturescit.

VIOLA Barbata, Latifolia.

VIOLA Barbata, Angustifolia.

Locus.

Sponte in pratis humidis, & riguis pascuis nascitur, colitur etiam in Hortis ob floris venustatem. Viola barbata angustifolia radice est breui, candida, modicè fibrata, foliis gramineis, sed longioribus, nigrioribus, aliquantùm hirsutis, propè radicem multis, in caule paucis, binis per interualla, ad caulis nodos alarum modo iunctis, caule nunc singulari, nunc multiplici, geniculato, pedali, surculis ex alarum sinu non binis ex aduerso, sed singulis ex altera tantùm parte prodeuntibus, in quorũ fastigio caliculi multi, longi & graciles in multos veluti barbæ pilos extremo orbe diuisi, vnde barbatam appellarunt. Flos est puniceus, elegantissimus, sed minimus, coloris tamen nitidissimi, & imprimis viuidi. Sabulosis, macris, lapidosis, sed apricis gaudet.

Locus.

Tempus.

Floret Maio & Iunio mensibus.

CALTHA

CALTHA HORTENSIS. CAP. X.

QVAE Calendula recentioribus dicitur, quod singulis ferè mensiũ calendis floreat, Italis eadem de causa *Fior d'ogni mese*, Hetruscis, Matthiolo teste, à floris colore *Fior raucio*, Germanis *Ringelblumen*, ab intorto, & in circulum acto semine, Gallis *Soulsi*, ideſt, Solisequiũ, quod sub vesperã flos contrahatur, non est tamen heliotropium, multò minùs scorpioides, sed veterum præsertim Poëtarũ Caltha, dicta fortasse à calatho, qui quasillus Latinis, Seruio teste, poculum & calix est, cuiusmodi ostentant calendulæ florum pocula flaua. Caules tres aut quatuor gerit striatos, fungosa intus medulla, in quibus folia oblonga, ex angusto in latius se expandentia, mollia, nonnihil lanuginosa, flores in summis caulibus pulchri, cum grauitate quadam odorati, qui Occidente Sole contrahuntur, manè eodem Oriente explicantur, singuli in medio sui orbem circinatum vmbonémve gerunt luteum croceúmve permultis foliolis luteis, vel aureis stipatum (vnde Chrysanthemũ Dioscor. vocat Lobellius) in medio multa, breuia, simul compressa, lutea vel subnigra stamina: semen à singulis floribus numerosum, recuruum: radices fibratæ. Cur autem hanc herbam Caltham esse credant herbarij, facit imprimis Plinius, qui Caltham odoris grauis esse scribit, deinde Vergilius, qui de ea sic cecinit.

Nomina

In cap. 186. lib. 4.

Forma.

Lib. 21. c. 6.

Ecl. 2.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

Et Collumella,

Lib. 10.

Candida Leucoia, & flauentia lumina caltha.

CALTHA Poetarum.

Quæ de Calendula rectè dicuntur, cum grauitate quadã odorata, & auri luteo colore splendente. In hortis & cultis copiosissimè, & in multis aruis Galloprouinciæ & Narbonæ & incultis fruticat. Calendulæ flos calidus est secũdo propemodũ ordine, præsertim exsiccatus. Creditur cor roborare, venenis resistere, & aduersus pestilẽtes febres quoquomodo sumptus efficax esse. Fuchsius ex vino potum menses ciere, & suffitum secundas elicere, item ad capillos flauos reddendos conducere scripsit. Herbæ folia calidiora sunt, acrimoniam enim quandam feruidam habent, sed quæ propter humiditatem ei coniunctam non protinus se exerit, ob quam in olere sumpta aluum mouent & leniunt. Fuchsius succum dentium dolores sedare tradit, si os eo colluatur. Alij ad idem puluerem foliorum cum xylino dentibus admouent. Sunt etiam qui herbam acetariis admisceant. Calendula auctore Matthiolo, excalfacit, extenuat, aperit, digerit, & prouocat, quamuis gustu adstrictione non carere deprehendatur. Constat sexcentis fœminarum experimentis eandem valere plurimùm ad menses ducendos, præsertim epoto eius succo, aut herba ipsa recente diutiùs deuorata. Datur quoque succi vncia addita lumbricorum terrestrium puluris drachma vtiliter morbo regio laborantibus. Sunt qui dicunt herbæ huius vsu acui indies oculorum aciem. Constat autem stillatitiam floridę plantæ aquam oculorum ruborem & inflammationem arcere, si oculis instilletur, aut si linteola in ea macerata superponantur. Quidam Caltham, esse Theophrasti Cerinthum, quasi κηρανθὴν, cereum florem, à Cerinthe Plinij diuersum, credunt:

Locus. Temper. & Vires.

Dodon. de flo. ca. 17. Cap. 14. 2. hist.

Ibidem?

Ca. 186. lf.

conueniente colore floris, ac floreſcendi tempore. Nam circa Februarij exitum ſata, ineunte Iunio florere incipit, florem in hyemem vſque prorogans, ac ſi hyemis rigorem pertulerit, ſilueſtris præſertim, cum Leucoio bulboſo & Viola flammea, ſiue cheiri, florem renouat.

MELANTHIVM. CAP. XI.

Nomina MEΛΆΝΘΙΟΝ Græcis & Μελάνσπερμον teſte Plinio, Gith Latinis, Officinis Nigella. Melanthium autem & Melanſpermum, & Nigella à nigro ſeminis colore hæc herba dicta eſt, Arabibus *Xanim, Snnis,* ſeu *Sunizi*, Gallis *Poyurette & Nielle*, Germanis *Schuuartz Rommich,* *Genera.* *& Schuuartz kumel*, Hiſpanis *Negnillia*. Apud Dioſcoridem & alios veteres vnius duntaxat Melanthij mentio extat. Poſteriores quatuor eius differentias obſeruarunt. Nigellam ſatiuam vulgarem, Romanam, odoram, & Nigellam à citreo ſeminis colore citrinam Officinis vocatam, alioqui illi perſimilem: cui perſimilem pinxit Lobellius ſolo floris amœna duplicatione diſtantem: Nigellam ſilueſtrem *Forma.* duplicem. Melanthium ſatiuum frutex eſt paruus, ramulis tenuibus, altitudine palmorum duorum, vel maior, foliis paruis, ſenecionis herbæ ſimilibus, multò tamen tenuioribus, capitulo in cacumine exiguo, ceu papaueris, oblongo, quod interius membranas intercurſantes habet, quibus ſemen includitur, nigrum, acre, Lib. 3. c. 78. odoratum. Qua deſcriptione Dioſcoridis, Melanthiũ ſatis apertè nobis innotuit. Caulem enim fert in hortis noſtris ſurculoſum, pedalem, folia diſſecta, fumariæ ferè, ſed magis virentia. Flores in ramulorum verticibus coloris cærulei diluti, ſingulos in quinque foliola diuiſos rotæ paruæ inſtar, iis diſcuſsis capitula in ſummo corniculata, ſingula intrinſecus quînis aut ſenis loculis diſcreta, in quibus ſemen continetur ceparum ſemini ſimile, acre, odoratum. Eadem planè eſt Nigella citrina, ſi ſeminis colorem exceperis. Eadem folia, capitula, membranulis interſepien-

MELANTHIVM ſatiuum, Matth.

NIGELLA Citrina, flore albo multiplici.

tibus

MELANTHIVM
Siluestre prius, Matth.

MELANTHIVM Siluestre prius, Matth. secund. Eduion.



MELANTHIVM
Siluestre alterum Matth.

tibus distincta, flores purpurei pallẽtes, semen multum, odorum. Idem odor, sapor, vis, vsus. Melanthium siluestre duũm generũ caulibus est hortensi ferè similibus, quemadmodum & floribus differt tantũ foliis tenuioribus, multifidis, capillaceis, & odoris præstantia, acrimoniaq; vincitur, sed in siluestri secundo loco depicto flores & capitula sunt, quàm in satiuo maiora, in eo quod priore loco depictum est, longiora, & veluti in quinque cornutas siliculas diuisa, cornibus in ambitum repandis retróve flexis cuiusmodi Aquilegia fert. Melanthium satiuum non nisi in hortis satum prouenit. Nigella citrina, ex Syria aliisq; Orientis emporiis aduecta, Anglicis iam & Germanicis hortis copiosior est quàm Italicis, vbi quæ cæteris antecellit, Romana vocatur, alioqui Romæ vel in hortis pauca. Siluestria Melanthia inter segetes, & in agris aliis proueniunt. Iunio mense florent, Iulio & Augusto semen edunt. Melanthij semen panibus inspargitur, vt scribit Dioscorides, capitis doloribus illitum frontí, & incipientibus suffusionibus cum irino tritum & naribus infusum prodest. Tollit lentigines, lepras, œdemata vetusta, duritiasq; cum aceto illitum: circũscarificatos clauos excutit cum vetere vino impositum. Dentium doloribus cum aceto & teda decoctũ, si eo colluantur, succurrit: rotundos ventris lumbricos expellit ex aqua vmbilico illitum: tritum autem & in linteo ligatum & olfactum catarrho laborantes

Locus.

Tempus.

Vires & Temper.

laborantes adiuuat. Pluribus diebus potum vrinam,menſes, & lac prouocat:difficultatem ſpirandi cum vino potum.Finit(Andr.lac legit in antiquo codice, πινόμενον δὲ πλείους ἡμέρας,ἔμμηνα,καὶ ὕρα,καὶ γάλα, & ἕλμινθας ἄγει παύει δὲ καὶ δύσπνοιαν μετὰ νίτρου ποθὲν. Ideſt,Potum autem pluribus diebus,menſes, vrinam, lac & lumbricos educit:quod ſi bibatur cum nitro, ſedat reſpirationem difficilem) Phalangiorum morſibus drachmæ pondere cum aqua hauſtum auxiliatur:ſuffitu ſerpentes fugantur. Tradunt largiùs potum enecare. Eadem ferè Plinius tradidit. Gith ex Græcis alij Melanthium,alij Melanſpermum vocant. Optimum quàm excitatiſsimi odoris,& quàm nigerrimum. Medetur ſerpentium plagis & ſcorpionum. Illini ex aceto & melle reperio,incenſoq; ſerpentes fugari. Bibitur drachma contra araneos. Deſtillationem narium diſcutit tuſum in linteolo olfactum. Capitis dolores illitum ex aceto,& infuſum naribus mitigat.Cum irio oculorum epiphoras & tumores lenit: dentium dolores coctum cum aceto. Vlcera oris tritum & commanducatum.Lepras & lentigines ex aceto tritum emendat:difficultates ſpirandi addito vino potum: duritias tumoreſq; veteres, & ſuppurationes illitum. Lac mulierum auget continuis diebus ſumptum.Colligitur ſuccus vt hyoſcyami. Oculos purgat,vrinam & menſes ciet. Similiter largiùs venenum eſt, quod miremur,cum ſemen gratiſsimè panes etiam condiat.Quinimo linteolo alligatis tantùm granis triginta,ſecundas trahi reperio. Aiunt & clauis in pedibus mederi tritum in vrina:culices ſuffitu necare,item muſcas. Galenus eius temperamentum & vires accuratiùs diſtinxit his verbis. Melanthium excalfacit & deſiccat tertio ordine. Videtur etiam tenuium eſſe partium:hoc enim nomine catarrhos ſanat in linteo admotum,atque aſsiduè olfactum. Quinetiam ſi intrò in corpus ſumatur, vel maximè flatus extinguit:vnde cōſtat ipſum eſſentiæ eſſe tenuis, & ad vnguem à caliditate elaboratæ:propterea ſanè etiam amarum eſt. Itaque mirum non eſt ſi lumbricos interimat, non eſum modo, ſed etiam foris impoſitum. Neque ſanè etiam mirandum ſi lepras,clauos,myrmecias eiiciat. Sic verò etiam orthopnœam iuuat,& menſes prouocat, qui ob craſsitudinem aut viſcedinem retenti fuerint. In ſumma vbi inciſione,exterſione,deſiccatione,excalfactione eſt opus, præſtantiſsimum id remedium eſt. Hæc Galenus. Symeon Sethi his addit, ſi cum melle fermentetur, & ex calida aqua hauriatur, calculos in renibus & veſica minuere, vrinam ciere,menſes ducere,& veluti remedium contra venena eſſe,ſi quis ipſum ieiunus aſſumat. Scribit Petrus Pe.Melanthij ſemen pingue oleo efficaciſsimo reddendo aptum quo puerperæ mulierculæ excludēdo partui, atque ſymptomati hiſterico propellēdo multum vtuntur, vocitantq; vulgi perſuaſione Nardinum, nempe odoris ſuauitate & efficacia haud diſpari. Iſtud oleum prælis expreſſum, nigro,ſed limpido colore, pauca quantitate hauſtum ſplenis tumores duritieſq; demollitur, ſicq; foris illitum. Citrina Nigella Itali multùm vtuntur etiam in condimenta,in placentas,ſinapiq; addunt. Silueſtrium ſeminum nullus vſus, quia meliorum copia ſuppetit.

Li.20. c.17.

Li.7.ſimpl.

Fol.329.

LYCHNIS. CAP. XII.

Nomina

QVAM Græci Lychnida vocant,Gaza Lucernulam vertit, Athenęi interpres modo Ballariam,modo Genicularem,alij Vallariā.Hæc multis aliis nominibus tamen inter notha relatis nuncupatur, ἀθάνατος enim dicitur,ideſt,immortalis,quod diutius venuſtatem ſuam retineat:item ἀκυλώνιον,βαλλότιον,γερανοπόδιον,ideſt,gruis pes,κορύμβιον, & hanc eſſe corymben Ruellius eſſe iudicat,cuius Columella hoc ſenario meminit.

Lib.3. c.17. Lib.10.

Nunc veniat quamuis oculis inimica corymbe.

Coronis enim inſerta igneo micans aſpectu oculorum aciem obtundit. Iam &

Lychnis

Lychnis ista Taurion dicitur. Alia tamen, inquit idem Ruellius, quæ Taura, siue Tora vulgò dicitur venenata herba est. Nominatur præterea & σκίπλεον, item μαλάιον. Dioscorides Lychnides duas breuiter perstrinxit, στεφανωμαλίωνν, idest, coronariam, & ἀγρίαν, idest, siluestrem. Herbarij plures adnumerant, omnes à floribus flammeo colore, lucidáve, aut sanguinea purpura fulgentibus, quasi lucidos luculentósve flores dicas, vel quod tomentosis earum foliis veteres ad lucernarũ vsum pro ellychniis vterentur, λύχνος enim lucernam, & ἐλλύχνιον lucernæ funiculum significat. Lychnis satiua siue coronaria, Ocellus, Gallis *Oeillet* dicitur, *& Oeillet Dieu*, Parisiẽsibus *Passeroses*, Germanis *Frunuenroszlin*, *Marienroszlin*, *& Himmelroszlin*, idest, dominarum rosa, mariana rosa, Cæli rosa, & cæli flos, Belgicè *Christus ooghen*, idest, oculus Christi. Lychnis siluestris, Gallis *Oeillet sauuage*, Germanis *Margenroszlin*, *& Wuldemargenroszlin*, Belgis *Ienettekens*. De vtraque Lychnide succinctè hæc Dioscorides. Lychnis coronaria flos est leucoio similis, sed purpureus, qui in corollas nectitur. Lychnis siluestris satiuæ prorsus similis est. Plinius de rosa tractãs, Est & quæ Græca, inquit, appellatur à nostris, à Græcis Lychnis, nõ nisi in humidis locis proueniens, nec vnquam excedens quinque folia, violę magnitudine, odore nullo. Idẽ aliquanto post de floribus singulorum anni temporum agens, inter æstiuos flores Lychnida recenset ex Theophrasto, vt initio diximus. Ex hac Lychnidis cum rosæ & violæ floribus collatione, peritorum herbariorũ cõsensu Lychnides veræ sunt, quas hîc pinximus. Ex his satiua caules profert cubitales, teretes, canos & lanuginosos, geniculatos, ramosos, folia oblonga, magnitudine foliorum leucoij vel saluiæ, flaccida, incana, tomentosa, vti Æthiopis in singulis cauliculorum & ramulorũ summitatibus: flores emicant ex calicibus crenatis, Pseudomelanthij ęmulis, aspectu pulchri, sed inodori, violæ matronalis floribus maiores, rosea purpura rutili atque nitore splendentes, oculorumq; aciem interdum præstringẽtes Pyropi, aut Lychnidis lapidis modo, vnde nomen vtrique cõmune fuit, ex quînis sæpius, rariùs ex senis foliolis congesti, in quorũ medio apices sunt acuti & pungentes. Radix longiuscula, tenuis, fibrata. Reperitur etiam in hortis cui flores candicant, aut dilutè rubent, sed rariùs, & illic neglectæ. Sed illa, vt omnium pulcherrima, inquit Pena, ita sedulo colitur sola, ideoq; flores adeò confertos & multiplices fert, vt postea semine orba sit, exhausta nimirum formæ vi, & pabulo in florum cõmodum absumpto, vt de viola Martia diximus. Sunt qui hanc Lychnidem, διὸς ἄνθος, idest, Iouis florẽ esse credant, qui facilè Theophrasti auctoritate refelluntur, inter æstiuos flores seorsim Lychnida & διὸς ἄνθος recensentis, quod & facit Plinius eadẽ Theophrasti verba referens. Lychnis siluestris geniculatis caulibus, foliisq; mollibus supradictę Lychnidi satis similis est, minùs tamen cana & lanuginosa, foliis item angustioribus, & caulibus gracilioribus, tenerioribusq; ac magis surculosis: floribus etiam minoribus, candidis, aut rubentibus, magis insectis, nullis in medio apicibus, calicibus tamẽ maioribus, rotundis, hirsutis, alioqui similibus: radix longa est, & digiti

Lib. 3. c. 97. *Genera.*

Lib. 3. c. 98.

Lib. 21. c. 4.

Cap. 11. *Forma.*

Locus.

Lib. 6. hist. cap. 7. Li. 21. ca. 11.

LYCHNIS Coronaria, Matthioli.

LYCHNIS Siluestr. purpurea, Dodon.

Lib.3. ca.9. hist.

& digiti sæpè crassitudine. Huic alia prorsus similis est, auctore Dodonæo, atque eadem foret, nisi minor esset, & radix breuior, flores semper purpurei. Istam Lichnidem, ocinoides purpureũ multi esse putant: superiorẽ item Ocinoides album. Alia Lychnis siluestris ex Dalechampio hîc proponitur nõ ei dissimilis, quæ post hac tertia Clusij est, radice breui, candicante, modicè fibrata, foliis circa radicem multis, in orbem humi stratis, oblongis, angustis, acuminatis, nigricantibus, lanuginosis, plantaginis minoris propemodum figura, caule nunc singulari, nunc multiplici, palmum alto, nodoso, villoso, foliis per caulem semper geminis, pari interuallo exeuntibus, gustu fatuis, & subausteris, flore Lychnidis satiuę minore, purpureo, semine copioso in folliculis turbinatis, qui multis lineis virgati sunt, & lacteo viridiq; colore distincti. A Lychnide siluestri purpurea Dodonęi, quod ocinoides purpureum multi esse autumant, hæc planta plurimùm differt. Siluestres duæ priores iuxta pratorum aruorumq; margines, & iuxta satorum sepes exeunt. Transuectæ verò vtriusque in hortos cultu, inquit Pena, flores adeò fœtura luxuriant, vt maximũ Africanũ florem, vel rosam æquent, vel superent. Lychnidem aliam siluestrem ex Mycono hîc proponimus, quæ radice est fibrata, palmum longa, nigricans, neruũ intus habens, in profundum acta, sapore dulci cum adstrictione. Ex ea ramulos fundit multos, rotundos, villosos, incanos, vix palmum excedentes, in quibus folia angusta, pilosa, incana, per cauliculos incerto ordine distributa, leuiter adstringentia in summo caulium vertice flores exeunt campanellæ similes, quales in conuoluulo, rotundi, ex candido nonnihil purpurei. In montibus & locis maximè siccis prouenire Myconus ait, nec alibi à se visam quàm in montibus D. Mariæ à Monteferrato: Floret Maio mense. Lychnidis speciem idem Myconus appellauit à foliorum figura, & florum quadam similitudine: quamquam non tam calida sit ac reliquæ Lychnides à Dioscoride & Galeno explicatæ. Sunt plures Dodonæo Lychnides siluestres, præter quas aliquot alias obseruauit Clusius, quas ex eodem describemus. Prima geniculatos habet cauliculos, in multas calas diuisos, pedales aut maiores: folia in singulis geniculis bina, ternáve, interdum plura, angustiora quàm reliquarum, in virore candicantia & quasi cæsia: flores in summis ramulis, ex quinis, non pluribus foliis bisulcis congestos, interiore parte candidos, exteriore purpurascentes aliquantulum, & antequam omnino tabescant, sese contrahentes & circumuoluentes: calices duros admodum, breues & subrotundos, semen paruum,

Locus.

Fol.142.

LYCHNIS Multiflora Anglica, Penæ.

LYCHNIDIS Siluestris ſpecies, Myconi.

LYCHNIS Siluest. I. Cluſ. & Behen album Salmanticū.

LYCHNIS Siluest. alte. Cluſij, Papauer ſpumeū quorumdam.

paruum, rotundum papaueris rhœadis, ſed cinereum continentes: radicem ſatis craſſam, candidam, multifidam, ſed non perennem. Altera caulibus eſt ſuperiore craſsioribus, rotundis atque etiam geniculatis: foliis per geniculа ſemper binis, ordine diſpoſitis, ſuperioribus colore ſimilibus, ſed multò maioribus: floribus pluribus in vmbella congeſtis, pulchris, rubris, quinquepartitò etiam diuiſis, non tamen biſulcis, ſemen in vaſculis tenerioribus ſuperiori ſimile continetur: radix craſsior eſt, magiſq; fibroſa, hyeme tamen vt illa perit. Tertiæ caulis eſt geniculatus, ſed paucioribus alis concauus: folia etiam bina ex ſingulis geniculis prodeunt, ſed ſuperioribus magis virentia, & firmiora, flos in ſingulis alis, ſecundæ ſimilis ferè, ſed maior & obſoletioris coloris, cuius etiam foliola bifida ſunt: calix craſsior quàm in ſuperioribus, tunica ſiue membrana dura & valde ſtriata tegitur, cinerei coloris, in quo ſemen cinereum reliquis maius: radix eſt ſingularis, non admodum fibroſa, quæ etiam hyeme perit. Quarta ex ſingulis geniculis pedales ramos profert, geniculatos, folia priori ferè ſimilia, ſed aliquantulum latiora, & intenſo virore ferè nigricantia: flores ex quinis etiam foliolis conſtantes, rubentes: ſemen in caliculis ſimile ſuperioribus, ſed minus & ſubnigrum: radix craſsior ſecundæ ſimilis, hyeme etiam perit. Quintæ multi caules ex vna radice pro-

LYCHNIS Siluestr. III. Cluſij
Cauliculis ſtriatis.

LYCHNIS Siluestris
IIII. Cluſij.

LYCHNIS Siluestris
V. Cluſij. Hirta Lob.

deunt etiam geniculati & rotundi, ſed lanuginoſi, longiores, infirmiores, & in terram procumbẽtes: folia in ſingulis bina, oblonga, mollia, & lanugine quadam caneſcentia, inter quæ flores alternatim ſecundum ramulorum longitudinem enaſcuntur, ſuperioribus forma ſimiles, ſed maiores & dilutiore colore rubeſcẽtes: ſemen in valuulis ſuperioribus ſimile, ſubrufum: radix craſſa, & fibroſa. Sexta omnium minima, cauliculo aſſurgit circiter palmum alto, geniculato, tenui, lanuginoſo: foliis ad ſingula genicula binis, oblongiuſculis, exiguis, lanuginoſis: flores inordinati, & alternatim ex ſingulis geniculis prodeunt, parui & pulchertimo rubro colore purpuraſcentes, & caliculo oblongo lanuginoſoq; inſidentes: radix tenuis & inutilis. Naſcuntur ſponte quatuor priores in aruis, & inter ſegetes pingui ſolo, pleriſq; caſtellæ veteris locis. Belgij in hortis florent à menſe Maio in Autumnũ vſque. Omnes cum adoleuerint, lento quodam & glutinoſo humore ſuperiore parte illitæ videntur: quarta maximè, cui plerúmque culices, muſcæ & formicæ tanquam viſco captæ adhærent. Quinta in marginibus quorumdam agrorum iſtic inuenitur: floretq; quo reliquæ tempore. Sexta collibus Salmanticæ vicinis inter ſaxa prouenit, & Maio mẽſe floret. Duas priores Salmãticenſes Behen appellabant, albũ videlicet & rubrum, tertiã ocimoides. Sed omnes ad Lychnidis

ſilueſtris

LYCHNIS Silueſtris minima, Vl. Cluſij.

ſilueſtris genus commodiùs referri poſſe Cluſius exiſtimat, cui valde ſimiles ſunt, notiſq; ferè omnibus conueniunt. Sunt qui alteram & quartam inter Armerios flores numerant: ſemen tamẽ Lychnidi ſimile & minimè planũ, aliæq; notæ eorum ſententiam conuellunt. Quinta Lychnidi Myconi ſatis ſimilis. Sexta ad Saponariam noſtram minorem ſatis accedit, de qua paulò pòſt dicemus. Hæc ex Cluſio. Lobellius Lychnidem ſilueſtrẽ alteram incanam cauliculis ſtriatis pictura hac expreſsit. Papauer ſpumeum quorumdam. Dodrantalis eſt herbula, Lychnidi marinæ facie proxima, (nuſquã niſi in Galloprouinciæ & Italiæ campeſtribus & vinetis ſe reperiſſe ait) quinis & ſenis ſeſquipalmaribus ramulis & foliorum gemino poſitu, effigie & hortu, humile Nigellaſtrum apprimè refert, ſed quini ſtriati confertim ſtipati ſemen claudentes florum caliculi, Lychnidis marinæ. Vniuerſa planta albicat, guſtu præſicco, & nonnihil calido. Videtur quarta eſſe Cluſij ſuprà deſcripta. Silueſtres plurima æſtatis parte, & in autumnum vſque florent. Lychnidis ſatiuæ ſemen, auctore Dioſcoride, cum vino potum à ſcorpione ictis auxiliatur. Silueſtris ſemen duarum drachmarum pondere potum biliosa per aluum ducit, ictis à ſcorpione conuenit. Aiunt huius herbæ appoſitu ſcorpiones torpeſcere, & inertes prorſus reddi. Galenus Lychnidis coronariæ ſemen ſcribit calidum eſſe ſecundo quodammodo ordine, aut iam etiam tertio, ſiccum ſanè eodem modo.

Tempus. Vires. Lib. 3. c. 98.

Li. 7. ſimpl.

FLOS CONSTANTINOPOLITANVS.
CAP. XIII.

LYCHNIDIS generibus, eſt planta illa Chalcedonica miniata, ſiue Conſtantinopolitana, quam Conſtantinopolitanum florem vocant, alij Hieroſolomitanum, alij Creticum: cui caules ſunt multi, bicubitales, graciles, teneri, geniculati, aſperi, ex ſingulis geniculis folia bina, neruoſa, alarum inſtar caulem amplectentia, in acutum deſinentia, latiora propè caulem, nullo pediculo ſubuecta, oblonga, quadantenus Lychnidis ſilueſtris, ſed nonnihil viridiora, hirſutiora, aſperiora, flores in latis vmbellis multi ſimul congeſti, quinque bifidis foliolis conſtantes, colore floris calendulæ, vel lilij purpurei, aut cocci, ſed viuidiore, aſpectu pulcherrimi, cæterùm inodori, adeò vt quemadmodum multi alij coronarij, florũ voluptate duntaxat arrideant, & merito Lychnis omnium pulcherrima ſit habenda: Semen in oblongis & acuminatis vaſculis exiguum, & nigrum: radices oblongæ, in radiculas multas diuiſæ, guſtu aliquantum acres. Peregrinus eſt flos, qui ſeritur in hortis. Iunio & Iulio menſibus floret altero à ſatione anno. Eſſe & huius alteram & minorem ſpeciem refert Dodo. cubitalem aut paulò altiorem, rarioribus floribus, quæ primo anno flores profert, Geſnero teſte. Hãc plantã ſtruthium ſiue

Nomina

Forma.

Locus.

Tempus.

De flo. c. 21

FLOS Constantinopolitanus.

lanariam, Arabum *Condisi* non esse (id quod tamen nonnullis visum fuit) demonstrant Theophrastus & Plinius, qui struthium spinosam siue aculeatam esse stirpem tradunt, qualis huius floris stirps non est, neque isti radix magna, nec oleæ folia vti struthio sunt. Lanas tamen expurgat saponariæ ritu. Dodonæus in eorum sententiam inclinare videtur, qui florē hunc πόθον veteribus dictum esse suspicantur, quod πόθον florem Theophrastus, Plinius, Athenæus inter æstiuos recenseant, duorumq; esse generum referant, vnum hyacintho similem, alterum ἀχρόων, idest, non coloratum siue candidum. Constantinopolitanus autem æstiuis mensibus floret, & colore vel hyacinthum quem purpureum lilium vocant, proximè refert, vel candidus est. Quæ magnam floris Constantinopolitani cum potho similitudinem ostendunt.

AQVILEGIA. CAP. XIIII.

Nomina

AQVILEGIA, Aquileia & Aquilina recentioribus dicitur, veteribus ignota, alioqui coronaria illis futura. Est enim nō vulgari nec inuenusta florū elegātia, Gallis *Ancolye*, Germanis *Agley*, & *Ageley*, quibus-

Forma.

dam Columbina. Aquilegia folia fert ampla, lata, chelidonij maioris, paulo tamen rotundiora, duabus tribusve incisuris, toto reliquo ambitu crenata,

AQVILEGIA, siue Aquilina.

candidiora, & veluti ex viridi cærulea, quæ vulnerata, nec luteum, nec vllum alium succum emittunt: caulem cubitalem, tenuem, rubentem & leuiter hirsutum, in cuius & surculorum verticibus flores erumpunt, qui duplici foliorum genere constant, quinis videlicet foliolis paruis & angustis in stellæ modum radiatis, & quinis aliis ex inferiore parte, vt in consolida regia, corniculis cauis, sursum reflexis, gracilitate ceruicem & rostella columbarum referentibus, vnde Columbinæ nomen: quod de simplicibus intellige. Nam in hortis culta hæc stirps multò pluribus densioribus & nitidioribus, corniculis: flores multiplices stipantur, colore aliàs albi, aliàs purpurei, aliàs cærulei, aliàs rubentes, nonnunquam varij, & cæruleo candidoq; permixtis relucētes exeuntibus è medio staminibus, à quibus parui apices dependent: siliquæ recuruæ vt in melanthio, coniunctæ post singulos flores surgunt, in quibus semen paruum, nigrum & lucidum: radices subsunt crassæ fibratæ viuaces. Eandem

cum

cum multiplici hortensi Aquilinam Lobellius pictam dedit, plenis & multiplis aspectu suauissimis floribus inuersis. Frigidiusculos meridionalium tractus amat, inquit Pena, pratensis etiam est Franciæ & Angliæ, sed squallidiore, minusq; hilari aspectu non culta. In Germania teste Dodonæo, & alibi in apricis collibus, siluosis montibus, & pinguibus pratis gignitur. In Belgij & Galliæ hortis plurima. Maio & Iunio mensibus flores vigent. Scribit Tragus semen drachmæ pondere cum croci obolo in vino potũ iocinoris obstructione & morbo regio laborantibus vtiliter dari, sed eum qui assumpsit, diligenter opertum in lecto sudare oportere. Petrus Pe semen hoc gustu esse tantillùm astringente, temperatæ ex calore siccitatis, ideoq; ad faucium, pharyngis, & tracheæ incendium & vlcuscula eo vul-

Locus. Fol. 339.

Tempus. Li. 2. c. 42.

Vires.

AQVILINA, Plenis & multiplis floribus, Lob.

AQVILEGIA Minor, Dalechamp.

gus vti. Multi Aquilegiam hanc Theophrasti ἀνεμώνης esse putant, idest, Iouis florem. Aquilegia minor ex Dalechampio hic exhibetur, radicibus multis, tenuibus, candidis, tenerrimis ac maximè fragilibus foliis Aquilegiæ, minoribus, supra terram parum extantibus, densis, caulículis exilibus, quaternorum digitorum altitudine, flore violæ, candido, suauissimi iucundissimiq; odoris. In vmbrosis, nemorum recessibus, ad primum fauonij flatum cum hyacinthis inter saxa & lapides ineunte vere prouenit, vt haud procul Gratianopoli, in querceto qua itur Herbescum Episcopi Gratianopolitani arcem.

Forma.

Locus.

SAPONARIA. CAP. XV.

VLGVS Saponariam vocat herbam hanc ab extergendi potestate, qua Saponis ritu pannos eluit purgatq;, nihilominus in coronariis habenda, ob floris tum suauissimum odorem, tum summam pulchritudinem. Virgas fert multas, teretes, graciles, glabras, crebrò genicu-

Nomina

Forma.

latas cubitales,& ſeſquicubitales:folia lata,venoſa,craſſa,pinguia,cruciatę aut plantaginis latifoliæfoliis ſimilia,è ſingulis geniculis bina,deorſũ reflexa:flores in ſummo cauliculorum, & circa ſuperiora geniculą multi,odorati,colore alias pulchro roſeo rubẽtes,aliàs dilutè purpuraſcentes, aut candidi,qui ex oblongis & teretibus cauliculis Lychnidis modo, aut floris Cõſtãtinopolitani exeũt, ex quinq; foliolis cõpoſiti, è quorum medio exigua quædã ſtamina:radices craſſæ,longæ, obliquè ſerpentes,quibus fibræ quædam adhærent. Secus herbidas amnium conualles, & depreſſos vdorum apricorum margines fruticat. Colitur in hortis regionum Septentrionalium, vbi non perinde ſponte obuia fit,in quibus diutius durat. Iunio & Iulio menſibus floret. Hæc ſaponaria calida eſt & ſicca temperie, facultate autem abſtergendi non exigua prædita,à qua etſi Saponaria hæc & quædam aliæ ſtruthia vocari poſsint à verbo στρυθίζειν, quod Græcis lanas purgare & candidas facere ſignificet, tamen noſtram Saponariam antiquorum ſtruthium non eſſe,

Locus.

Tempus.

Temper. & Vires

SAPONARIA
Maior.

PSEVDOSTRVTHIVM,
Matthiol.

Lib.6. hiſt. ca.3. Li.19. ca.3.

neque Arabum *Condiſi*,tum ex Theophraſto & Plinio liquet, quemadmodum ſupra oſtendimus,ex iis quæ ſequuntur.Struthium Græcorum,Latinorum Radix ſiue radicula:in Syria vbiuis colitur,ideoq; Columella Syriacam radicem,ac eius ſemen Syrium vocat,Gaza Lanariam herbam. Gignitur & ibidem ſponte in aſperis & ſaxoſis locis.Radix magna,guſtu acris & feruida ſternutationes irritat. Folium oleæ,ſpinoſum:caulis lanuginoſus, tenuis, ferulaceus, indigenarum cibis expetitur, tingens quidquid ſit cum quo decoquitur:flos aſpectu gratus,inodorus, æſtate prodit. Carere ſemine Plinius tradit .Semen edere Columella teſtatur hoc verſu in Horto,

Iam Siſer: à Sirioque venit quæ ſemine radix.

Ac rurſum cap.3.11.cùm præcipit Rapi, Napi, Radicis Syriacæ Februario ſemen obrui,ſi æſtiuus fructus expectetur. Serapio ex Dioſcoride refert Struthij radicem

eſſe

esse acrem, longam, & teretem, quæ in nostris exemplaribus desiderantur. Arabes *Condes, Condisum, & Asslengi* nominant. Bellunensis radicem esse scribit, plantæ foliis spinosæ carduorum modo, crassitie pollicis, intus subflauam, nigram foris, odore & gustu acrem: eius decocto lanas, laneósque pannos sordidos abstergi Damascenos seplasiarios eius decoctum immiscere confectionibus paratis è melle ac sapa, idque candoris tantum conciliare, vt ex Amylo & saccarho purissimo constare videantur: quinetiam sic durare, vt tenaciores sint, & vix morsu direllantur. Constat eius radice in globos coacta syros vestium, linteorum, indusiorum sordes ac inquinamenta eluere, saponis aut lixiuij modo. Ab hoc igitur Struthio siue Arabum condiso Saponaria tum facultatibus, tum notis multis

STRVTHIVM,
Fuchsij.

SAPONARIA Minor,
Dalechampij.

differt: eam tamen Fuchsius pro Struthio depinxit. Saponariam aliam à quadam similitudine cum superiore hic depictam facit Dalechampius, & minorem cognominat, quæ in asperis & saxosis fruticat, radice crassa, longa, nodosa, brachiata, è rufo nigricante, ramulis multis, amplum terræ spatium occupantibus, gracilibus, nodosis, prolixitate sua & copia terram operientibus, foliis ad geniculorum interstitia prodeuntibus, alsinæ similibus, acutioribus, villosis, flore violæ aut saponariæ, puniceo, numeroso, procul intuenti nitente, semine copioso in vasculis oblongis, ocimoidis minoris figura, floret Maio mense. Totius plantæ sapor amarus est. Cap. 299. histor. *Forma.*

CALATHIANA. CAP. XVI.

Nomina INTER ſtirpes quarum flores calathi ſiue campanulæ effigiem exprimunt, nulla ſanè eſt quam hæc coloris venuſtate non ſuperet, quæq; iuſtiore de cauſa inter coronarias ſit habēda, Calathiana viola Plinio dicta peritorum herbariorum ſententia, & viola autumnalis, Gallis *violette d'automne*, Germanis *Blauvvs lelukens*, id eſt, cæruleū lilium. Cordi Pneumonante, quam à Germanis *Lungenblumen* vocari refert. Eadem Ananienſibus vulgò *Pettimborſa* vocatur, Matthiolo teſte, cum *Mettmborſa* dicere debuiſſent, quod tot viribus polleat, vt non aliter quàm gemma crumenis ſit aſſeruāda, aut quod tot viribus præſtet, vt ex eius vſu medici auri & argenti copiam in crumenis reportent. Eam is graphicè depinxit, & gentianæ minoris ſpeciē facit, gentianam minimam appellans. Caules edit dodrantales, tenues, geniculatos, folia oblonga, anguſta, bina ex aduerſo ſita, ex quorum ſinubus, idq; in verticibus cauliculorum, ſpecioſi flores exeunt, longi, caui retroflexi, ſurſum hiantes, inferius anguſti, ſuperius latiuſculi, calathi ſeu campanulæ ſpecie, in cæruleo ſaturato purpurei, alicubi candidi, duobus tribúsve ſtaminibus candidis: ſemen exiguum in rotundis & oblongis capitulis. Radices tenues, longæ, numeroſæ, & in plures diuiſæ. In totum verò ſine odore, inquit Plinius, minutóque fo-

Lib. 2. hiſt. c. 151.

CALATHIANA, Viola.

In c. 3. lib. 3.

Forma.

Lib. 21. c. 6.

CALATHIANA Verna, Dalechamp.

CAMPANVLA, Pratenſis.

lio cala

lio calathiana,munus autumni, cæteræ veris. Naſcitur campeſtribus vliginoſiſq; locis,& in pratis,atque etiam in excelſorum montium ſiluis carentium,opacis, ac meridionali ſole non illuſtratis partibus, fine Auguſti menſis & Septembris floret. Calathiana viola calida eſt,gentianæ cuius ſpecies videtur, facultate quodammodò ſimilis, multò tamen imbecillior. Recentiores efficacem eſſe aiunt aduerſus peſtilentes morbos,& ad virulentorum animalium morſus & ictus. Huic iungimus ex Dalechampio iſtam, quæ calathiana verna iure dici debet, ſiue Thylacitis,à floris figura,θύλακον, id eſt, ſaccum culeum, folliculúmve referente. In pratis editiſsimorum iugorum Iuræ montis prouenit, radice breui, gracili, candida, parum fibrata, caule ſingulari, palmum alto, nodoſo,foliis paucis,centaurio minori ſimilibus,paulò longioribus,binis ſemper caulem ex aduerſò complectentibus,ve luti cauo alarum ſinu anagallidis modo, ex interiore ſinu pediculus vnus, interdum geminus prodit,floré ſuſtinens,calatho vel folliculo ſimilem,è cæruleo purpuraſcentem,albis intus ſtaminibus,floret Maio & Iunio menſibus. Ad idem genus referenda Campanula pratenſis,in pratis & riguis locis proueniens,radice breui in fibras multas diuiſa,è luteo ſubfuſcas. Cauliculis multis fruticat,pedalibus:folia longa & anguſta ex iis prodeunt, ex aduerſo inter ſeſe ordine diſpoſita, alarum modo explicata,quod in aliis Campanulæ generibus non conſpicitur: flos purpureus violaceus in caulium vertice micat,ſæpius ſimplex & vnicus,interdum geminus,aliis campanulis ſimilis:ſapor vt & in aliis egregiè amarus.

Locus.

Tempus.

Temp.& Vires.

Calathiana alia,ſeu Thylacitus.

Locus.

MARIANA VIOLA CAP. XVII.

BELGAE plantam hanc violam marianam, vulgò *Mariettes* appellãt, & *Violettes de marie*, quod illi muneri,inquit Pena,elegantiæ florum cauſa,primi dederunt Mariæ Hungaricæ heroinæ illi bellicis facinoribus nobilitate:vel,vt ſcribit Geſnerus, hoc nomine recenti ſic nuncupata eſt, a Diua virgine propter pulchritudinem floris confecto,folia primùm habet longa,lata, aſpera nonnihil hirſuta, vulgaris buglosſi foliis nigriora, minora, minúſq; aſpera. Caules deinde profert ſecundo anno culta in hortis rotundos, rectos, ramoſos, aliquantùm etiam hirſutos,circa quos folia ſimilia,ſed minora, flores in ſummis virgis erumpunt oblongi, caui,venuſti & ſuaues per oras inciſuris quinq; diuiſi, colore ſæpius ex cæruleo purpurei,nonnunquam candicãtes, in quibus duo triáve ſtamina candida, hi priuſquam dehiſcant quinquangulares ſunt, ſubnaſcuntur capitula rotunda,breuia,aſpera,quinque etiam angulis conſtantia, concaua, ſuperiore parte latiora & retuſa,in quorum medio ſemen concluditur exiguum,colore caſtaneæ,radices ſunt longę,craſſæ,candidæ,obliquas radiculas ſpargentes, non ingrati ſaporis. Naſci in aridis,ſaxoſis, & opacis locis teſtatur Matth. calidioribus Italiæ,& Galliæ inferioris infrequens eſt. Belgæ in hortis colunt.Iunio,Iulio & Auguſto menſibus flores producit,ſemen interea matureſcit, neque enim ſimul,ſed particulatim floret.Matthiolus cum multis aliis plantam iſtam

Nomina fol.137.

In Hort.

Forma.

Locus.

In cap.18. lib.4.

Tempus.

VIOLA Mariana,
Medium Dioſcoridis.

Medium

Medium Dioſcoridis eſſe exiſtimat, qui in vulgatis Dioſcoridis & Plinij codicibus falſò folia iridis legi in deſcribendo Medio cenſent, cum in aliis codicibus & Oribaſio ſeridis folia legerent. Medion, inquit Dioſcorides, in petroſis & opacis naſcitur, folia habet ὅμοια σέριδι (ſic legitur in veteri codice teſte Andrea Lac.) id eſt, ſimilia ſeridi, caulem tricubitalem, florem grandem, purpureum, rotundum, ſemen cnici, minutum, radicem dodrantalem, craſsitudine baculi, guſtu acerbam. Eadem prorſus Oribaſius habet. Ex qua deſcriptione ſic emendata, violam marianam, vt ſi quæ alia planta, medion referre cenſent, cui lectioni & ſententiæ Pena lubens aſſentitur. Noſtra enim momoria, inquit, cultu hortenſi florum calathis longè ſpecioſiſsimis tantam magnitudinem hæc viola aſſequitur, vt inſtar calicis aut poculi poturis voluptatis cauſſa vinum contineant. Sunt namque nolæ oblongæ effigie, nonnullis laciniоſis crenis, cærulei, aſpectu venuſti, interdum purpuraſcentes, interdum dilutiores & candicantes, emergentes ab imo calice, quibus reflexis aut elapſis, in vtriculis aut florum baſi rapunculo aut trachelio ſimili, clauduntur triquetra ſemina, numeroſa, acetoſæ colore, figura & magnitudine. Bicubitales caules toti, & alæ hirſutæ ab imo folia habent longiora, latiora, quàm Tunicæ, villoſa, rigida minùs quàm Lycopſis aut pulmonaria vulgaris, intybi ſeu ſeridis potiùs domeſticæ quàm ſilueſtris, quæ laciniоſa eſt. Radix autem tenera candida, eſculenta, palmũ longa, rapunculi ſimilitudine, vti ſemen & flores, ſed duplò maior, nec guſtu multùm diſpari: ſiquidem in acetariis rapunculi modo eſitatur. In Belgij & Angliæ ſiluoſis frequens naſcitur, ſed minor & ſtrigoſior culta in hortis paſsim eo poſtea incrementi progreditur, vt longè maior, adultior, ſuauiórque edendo ſit. Calidioribus Italiæ & Galliæ inferioris infrequens magis figura ad Medium quàm facultatibus alludit, ſiquidem dulcis acriuſculáque eſt, miniméque adſtringens percipitur. Dodonæus deſcriptioni Medij, violam marianam non admodùm reſpondere arbitratur, ac potiùs verum Dioſcoridis Rapum ſilueſtre videri.

Lib. 4. c. 18.

In Ad. fol. 137.

De ſto. c. 7.

CAMPANVLA CAERVLEA. CAP. XVIII.

Nomina.

Forma.

VLGVS Campanulam vocat, quidam *Beluedere*, quamquam ab Italorum *Beluedere* prorſus diſtet, Germani *Blauuullokxkens*, id eſt, cæruleam campanulam, Galli *L'herbe aux cloches bleües*. Campanula hortenſis, folia promit circa radicem & imum caulem oblonga, anguſta, obſcurè virentia, inter quæ caulis ſurrigitur ſtriatus concauus, bicubitalis, tricubitalísve, circa quem folia & flores ad vertices in ſingulis pediculis ſinguli, ſimiles, ſed maiores & patentiores quàm rapunculi, calathi vel cãpanulæ ſpecie, ambitu & quaſi vnico folio conſtantes, ſexangulo, ſæpius cærulei, interdum candidi, in quibus & candida aliquot ſtamina. Capitula ſuccedunt rapunculi capitibus ſatis ſimilia, ſed paruis foraminibus peruia, in quibus ſemen perexiguum: radices candidæ, tenues, fibratę. Cauliculis & foliis vulneratis lacteum ſuccum remittit. Eſt huic planè ſimilis Campanula ſilueſtris, niſi minor omnino eſſet, & prima folia terræq; proxima lata eſſent & pauca, violæ nigræ foliis ſatis ſimilia, non tamen tam magna, alia verò folia oblonga & anguſta, flores ſimiles, cærulei, radices tenues. Lac quoq; hæc copioſiùs fundit. Campanula minor rotundifolia à Lobellio & Pena dicitur, atque ita expreſſa eſt. Prior in hortis voluptatis cauſa, & ad coronas ſeritur, altera iuxta aruorum incultos margines & ſepes naſcitur. Illa Iunio & Iulio menſibus floret, hæc etiam Auguſto. Campanula hortenſis Iaſione Theophraſti videtur eſſe, ſic enim is ſcribit de florum differentiis tractans. ἔνια δὲ καὶ μονόφυλλα φύεται, διαγραφὴν ἔχοντα μόνον τῶν πλειόνων, ὥσπερ ὅ τῆς ἰασιώνης. ὑ γὰρ κεχώρισται ταύτη ἐν τῷ ἄνθει τὸ φύλλον ἔχγονον, ὑ δὲ δὴ τοῦ χείλους (lege χωείλους) ὅ κάτω μέρος, ἀλλ' ἐκ τῶν ἄκρων ἀποφὺ

Campan. ſilueſt.

Forma.

Locus.

Tempus.

Lib. 1. hiſt. cap. 21.

CAMPANVLA Carulea, siue hortensis.

CAMPANVLA Minor rotundifolia, Lobellij.

ἀποφύσεις γωνιώδεις. Id est, nonnulli flores etiam vnico folio natura constans, delineationem tantum plurium ostendentes, vt flos Iasiones. Non enim singuli flores in folia diuiduntur neque sanè conceptaculi pars inferior distinguitur, sed ex superiore parte proiecturæ angulosæ exeunt. Quę Plinius non satis perspicuè conuertit his verbis. Iasione vnum folium habet, sed ita implicatum vt plura videantur. Quidam legunt, Iasione vnum folium in flore habet, & cætera. Theophrastus enim non ait Iasiones folium implicatum esse, sed indiscretis foliis sic designatum, vt plura videātur, quamuis vnicum sit, qualis figura floris est in campanulis, tracheliis, digitalibus, & voluuli generibus, cuius speciem esse quidam ideò suspicantur, quod eodem Plinio auctore, Iasione olus siluestre habeatur, in terra repens, cum lacte multo, florem fert candidum, concilium vocant. Sed hæc etiam campanulæ competunt. Nam eius flos vnico folio absoluitur, quamuis plurium similitudinem præseferat, & huius superior pars angulosa est, præterea olus esse potest cùm sit edulis: repunt & in terra radices, quare citissimè stirps vna propagatur. Iam verò hortensis florem interdum candidum esse diximus, siluestris verò vt hortensis candidum esse posse quis negauerit? Matthiolus campanulam pro phyteumate pinxit, quod id, semen, campanula verò capitula perforata

Lib.21.c.17.

Lib.22.c.22

In Cap.125 lib.4.

LACTESCENS Campanula maior, Lobell.

CAMPANVLA Lutea Linifolia, Pena.

forata habeat. His duas alias campanulas subiungemus ex Lobellio & Pena. Prior est Campanula lacteſcens maior, Pyramidalis Lutetiana, quòd plus aliis omnibus lactis fundat lacteſcens meritò dicta, cuius ima folia Solani hortenſis, & Violæ martiæ media læuia, ex atro virentia, radix fibrata, Violæ marianæ, turgida lacteo ſucco, adeò viuaci, vt vel tãtillo fruſtulo infoſſo repullulet. Caules emittit tenues ternûm & quaternûm cubitorum, à medio ſummo tenus foliis anguſtioribus, longioribus, copioſis, floribus amœnis, cæruleis, campanulæ cæruleæ maioribus, nolas item exprimentibus cinctos, in acumen Pyramidis ritu faſtigiatos, vnde Pyramidalis dicta. Belgio eſt hortenſis nullius vſus adhuc comperti. Hæc Lobellius. Alia eſt Campanula Penæ, linifolia, palmaris herbula, perelegans, in deuexis montis Lupi, qua ad Septentrionem vergit, folio lini aut polygalæ: flore luteo peramœno, volubilis, maior quàm pro plantæ magnitudine. Rara eſt herba, & digna cognitu. Hæc Pena.

GENTIANELLÆ. CAP. XIX.

Nomina

GENTIANELLAS has à facie & facultatibus gentianæ ſimilibus Dalechampius appellauit, alteram latifoliam, quæ quorundam eſt Helleborine ſiue Epipactis, alteram anguſtifoliam. Poteſt & hæc thylacitis, minor dici, illa thylacitis maior, quæ radiculas mittit, breues, ex albo in luteum vergentes, fibratas: cauliculos humiles, anguloſos, ex vna radice multos, folia centaurij minoris, aut Anagallidis, maiora, nonnunquam gentianæ aut veratro albo in ea paruitate non abſimilia, vnde Gentianellæ & elleborines nomen: florem ſpecioſiſſimum, ianthinum, calathi figura, ad plantæ portionem amplum, lineis quibuſdam velut æratis intus virgatum, apicibus vt in liliis, extantibus, ſed purpureis, obeliſcum candidum cingentibus, minutis ſeminibus plenum, ac eius ſupremum tegumentum pileo ſimile ſuſtinentibus. Creſcit in aridis, niuoſis, perflatis, montoſis. Amariſſimus eſt totius plantæ ſapor, ideóque iocinoris vitiis, nempe regio morbo & obſtructionibus auxiliatur, pari cum gentiana facultate, cui amaritudine non cedit. Allobroges *Reperet* nominant, vt & proximè deſcribendum, aiúntque etiam nolentes pedere qui ſumpſerint, vi efficaci ad flatus diſcutiendos, quod & de aſinis onopordo paſtis tradit

Forma.

GENTIANELLA, Minima latifolia.

Locus.

GENTIANELLA Angustifolia.

tradit Plinius. Gentianellæ anguſtifoliæ radix latiùs ſpargitur, & ſurculoſior eſt, folium oblongum, anguſtum oleæ ſimile: flos ex oblongo & herbaceo calice profertur anguſtior & breuior quàm in ſuperiore, foris cæruleus, albis lineis virgatus, in quinque foliola diuiſus, ambitu ſerrato. Cæterùm idem ſapor, amariſſimus ſcilicet, idem nomen, *Reperet* enim vt ſuperiorem vocant, eadem vis ac facultas: ad colicos enim dolores, ad tormina, regium morbum, cachexiam à ruſticis laudatur, floret vtráque menſe Aprili. Eandem eſſe opinor, quæ à Cluſio Gentianella verna minor nominatur, à quibuſdam cantabrica. Lib.27.c.12

TRACHELIVM. CAP. XX.

IN iis quoque numerandæ plantæ hîc depictæ, quæ flores campanulæ ſiue nolæ ſpecie habent, & ob venuſtatem coronis inſeruntur, à veteribus ſilentio prætermiſſæ, à recentioribus Trachelij nomine deſignatæ. Eſt autem Trachelium Germanis *Halſzkraut*, id eſt, Ceruicaria, à ceruicibus collíque partibus vicinis, internis & externis, quibus tumefactis & vlceratis multùm opitulatur, vnde Vuularia ab vua etiam dicitur, à Fuchſio Campanula, ob florum ſimilitudinem, qui campanam planè referunt, quibuſdam Archangelica, Gallis *Gantelee*, vel, *Gans de noſtre dame*. Eſt autem trachelium duplex, maius, & minus. Maius caulem profert quadrangularem, hirſutum, rubeſcentem: folia oblonga, hiſpida, rigida, ad imum latiora; ſupernè acuta, & ambitu crenata, vrticæ habitu & ſuperficie: flores, ſecundum caulem calathi aut campanæ figura, rapunculo ſimiles, aut violę marianæ, minores, per ambitum quinque ſimpliciter inciſuris, ſed profundioribus diuiſos, intus aliquantulum hirſutos, candidos plurimùm cæruleos, interdum dilutè purpureos, in medio luteum quid prominens obtinentes. In ſummo caulis vertice primi flores apparent, deinceps verſus imum exoriuntur, quibus marceſcentibus ſemen in rotundis capitulis exiguum & cinericium prouenit vt in rapunculo. Radix eſt candida, & varie intorta. Trachelium minus caule ſuperiori ſimile eſt, ſed breuiori: folia ſunt longiuſcula, minora, candidiora, nec tam altè crenata, rapunculi aut ſaluiæ, piloſa: flores pulchelli, calathi aut campanulæ figura, ianthini, & dilutè pupurei in ſummitate caulis exeunt, magis congeſti quàm in ſuperiore, rapunculi ſapore, primóque vere acetariis etiam adduntur. Trache-

Nomina

Cap.163. Hiſt.

Forma. Dod. lib.2. cap.20.

Forma.

TRACHELIVM, Maius.

TRACHELIVM, Minus.

Locus.

Tempus. Temp.& Vires. Dod.lib.2. cap.20. Fuch. 1.ca. 163.

Nomen

Lib.30. c.2.

CYNOCEPHALVS, Plinij.

Locus. Forma.

lium vtrumq; gignitur in aridioribus locis secus pratorum margines, & crebrò senticosis locis. Seritur etiam in hortis florum gratia. Iunio, Iulio, & Augusto mensibus floret. Gustu adstringit, atque ob id exsiccandi vim illi inesse coniiciendum. Quare decoctum ipsius in aqua vnicè ad dolores & inflammationes colli & faucium internas, & ad oris exulcerationes, aliáque eiusdem mala quæ adstrictione indigent, confert. Vtilis etiam haud dubiè ad alia quæuis vlcera ob insignem quam obtinent in exsiccando facultatem.

CYNOCEPHALVS. CAP. XXII.

PLANTAM hanc cynocephalum ideò vocant herbarij, quòd seminis conceptaculum caluam canis cute & carne exutam repręsentet, siue ea sit cynocephalia à Plinio memorata, qua ad euocandas mortuorum vmbras vtebantur, ob id fortasse, quòd caput canis apud Aegyptios sanctissimi & loco numinis habiti, seminis huius plantæ loculus, vt diximus, referat, ac propterea diuinam ea gens existimaret, & ad incantationes, & contra omnia veneficia valere crederet, siue alia quæuis herba à veteribus non descripta. In agri Monspelienſis sepibus, dumetis, aggeribus, parietinis nascitur, radice fibrata, caulibus multis, cubitalibus, teretibus, ramosis, ex interuallis rami subiecto latiore folio è caule prodeunt, folia in surculis temerè & nullo ordine disposita, nigricantia, longa, angusta, acuminata, sed minimè pungentia: flos calatho similis aut labro, luteis seminibus plenus, sic fissus vt superior pars quasi duorum foliorum coalitum ostendens, inferiore productior appareat: color floris venustus, & in roseo candicans, qualis in maluæ & alceæ flore spectatur. Vasculo copiosum semen continetur, antrorsum oblongo, retrorsum lato, duobus veluti narium foraminibus, & tanquam porrecto rostro, eaq; figura caluam canis prorsus exprimente, vnde & nomen. Quidam antirrhinum verum esse volunt.

DIGITALIS. CAP. XXIII.

VETERES plantæ huius non meminisse id indicio est, quod Græco Latinóque nomine destituta sit, quamobrem Fuchsius Digitalem appositè nominauit, quod digitalis, siue munimenti digiti in suendo speciem flores præbeant, Germanis *fingherhuet*, & *fingherkraut*, Gallis *Digitale*, *Gant nostre dame*, & *Doigtier*, nonnulli campanulam siluestrem, & nolam siluestrem. Duûm est generum. Vna purpureos flores habet, quæ digitalis purpurea, altera luteos, quæ digitalis lutea nominatur. Duas alias species, addidit Dodonæus, digitalem floribus candidis, aliam floribus subluteis, seu pallentibus. Vulgatissima est digitalis purpurea, folia habens longa, lata, ambitu serrata, dilutè virentia, verbasci quodammodo similia, minora tamen, minúsque lanuginosa: caulem rectum, rotundum, cubitalem, aut bicubitalem, à cuius medio sursum versus vno ex latere duntaxat eleganti serie flores multi deorsum versus dependent, calathi oblongi figura, dactylothecis propemodum similes, ex rubro purpurei, punctis quibusdam candidis picti cælatiue, quos vascula sequuntur rotunda, in quibus semen, gustu ingrato, & odore putidiusculo. Radix fibrata est, viscida, nigricans. Huius digitalis feracissimæ sunt regiones, quæ ad Aquilonem sunt: meridianis calidioribus ferè deest. Sed in Francia, Belgio, Anglia vbivis nota, in mõtibus vmbrosis & saxosis locis proueniens. Seritur etiam

Nomina

Genera.

Fuch. c. 341.

De flo. c. 11.

Forma.

Locus.

Pena fol. 245.

Tempus.

DIGITALIS, Purpurea.

DIGITALIS Purpurea, aut alba Lobelly.

DIGITALIS, Lutea.

Tempus. in hortis. Floret Iulio potiſsimum menſe, deinde ſemen producit. Digitalis lutea
Digitalis lut. folia habet anguſtiora, venoſa, glabra, ſaturato virore nigricantia, auerſa tamen
Forma. parte candidiora, per ambitum nonnihil ſerrata, flores luteos, forma ſuperioribus ferè ſimiles. Non deſunt qui digitalem verbaſci ſpeciem faciant, & θρυαλλίδα nominent, quæ & λυχνῖτις dicitur. Sed Lychnitis ſiue Thryallis folia habet pinguia, craſſa, & hirſuta, ad ellychnia in lucernis apta qualia minimè digitalis, quæ tam craſſa & hirſuta non habet, vt in lucernis ellychnij vice eſſe poſsint, cùm per-
Temper. & Vires. quàm amara ſit hæc herba, calidam ſiccamque eſſe & abſtergentem perſpicuum eſt, ita vt vbi opus eſt extenuatione, abſterſione, purgatione, obſtructionis liberatione, efficax eſſe poſsit. Hodie tamen nullus huius in medicamentis eſt vſus. Flos ſolus ſola venuſtate & forma placet.

VINCA PERVINCA. CAP. XXIIII.

Nomina VAE vulgò vinca peruinca, Officinis peruinca, Gallis *Peruenche*, Italis *Prouenca*, Germanis *Yngrien*, quòd ſemper vireat nominatur, à peritis herbariis ea eſſe exiſtimatur quæ Dioſcoridi clematis prior, & clematis Daphnoides, aliis myrſinoides, & polygonoides dicitur. Clematis quidem, vt & cæteræ clematides, à viticularum ſobole ſarmentoſa, quæ κλήματα Græci vocant: Daphnoides à foliorum lauri, quam folia eius habent, figura: vinca peruinca, quòd humi ſerpat, & ſe in modum funiculi porrigat, vicina quæque vinciens, auctore Fuchſio. Vix tamē reperias hanc viticuloſis virgis obuias plantas irretire. Plinius clematida Aegyptiam appellat. Alibi vincam-
Lib.24 c.15. peruincam, & alio nomine chamædaphnem dici tradit, quòd ſcilicet humilis videatur laurus, vt nomen ſonat. Non eſt autem cur eam chamædaphnem putes, in-
Lib.21. c.11. Cap.134 hi. quit Fuchſius, quæ Romanis Laureola aut Laurago dicta eſt. Hæc enim à vinca-peruinca genere & facultatibus diuerſa eſt, & ſeorſum illam chamædaphnem depingit Plinius, vt ſit illi duplex chamædaphne, vna Dioſcoridis & aliorum chamædaphne, altera quam alio nomine vincamperuincam appellant. Clematis daphnoides, vt deſcribit Dioſcorides, ſarmenta habet exigua, iunci craſsitudine, (μικρὰ vulgata exemplaria, Oribaſius & Paulus, alij μακρὰ legūt, id eſt, lōga: & Plinius clematidem hanc longam tenuémque dixit, quam lectionem etiam prouerbiū approbat, quo clematis Aegyptia ioco dici ſolebat in eos qui corpore præter modum procero & gracili, atque atro colore eſſent) folium paruum, lauro figura & colore ſimile, ſed multò minus. Plinius. Eſt & alia clematis, inquit, Aegyptia cognomine, quæ ab aliis daphnoides, ab aliis polygonoides vocatur: folio lauri, longa, tenuíſque, aduerſus ſerpentes, ac præſertim aſpides, ex aceto pota efficax. Aegyptus hanc maximè gignit. Ex quibus poſtremis verbis colligit Cornarius legendum eſſe in Dioſcoride, φύεται ἐν αἰγύπτῳ, ideſt, naſcitur in Aegypto, & non φύεται ἐν τῷ γείτονι, vt publici Dioſcoridis codices habent. Nam alioqui temerè repeteret Dioſcorides in fine capitis,

VINCA PERVINCA.

Lib.24.c.15.
Lib.4.c.6.
Forma.
Lib.24.c.25
Embl.6. lib.4.

PERVINCA Maior, Lobellij.

tis, φύεται ἐν χέρσοις, id est, nascitur in terrenis incultis. Hanc plantam nostram esse vincam peruincam, etiam mulierculis notam tum facies, tum facultates testantur. Multas enim tenues, longas, teneras, flexiles, virentes viticulas humi spargit, & huc illucque serpit, folia laurea, sed minora, semper virentia, ex interuallis bina ex aduerso promit, flores cærulei ex cauliculis quinis foliolis distinguuntur, borraginis floribus quadantenus similes, sed maiores & inodori, aspectu tamen multò gratiores, idcirco in coronas præsertim hybernas adnectuntur, radix fibrata flauescit. Est & Clematis siue Peruinca maior, quæ peramœna florum duplicatione, inquit Lobellius, & incremento, coloris ex purpureo rubentis in Belgij hortis variat. Nemorosis vmbrosisq; tractibus, & senticetis, atque agrorum marginibus gaudet. *Locus.* Perpetuo viresci, Martio tamen & Aprili potissimum floret. *Tempus.* Clematidis folia cum caulibus in vino pota, auctore Dioscoride, alui profluuia & dysenterias sedant, subdita in pesso cum lacte & rosaceo aut cyprino dolores vuluæ sanant. Ipsa commanducata dolorem dentium sinut. Imposita venenatarum bestiarum morsibus opitulatur. Narrant & demorsis ab aspide auxiliari. Galenus eadem omnino tradit. Clematis daphnoides, quam quidam myrsinoides, alij polygonoides appellant, profluuiis alui & dysenteriis cum vino pota prodest, dentiúmque dolores mansa mitigat, nam veteri quoq; e doloribus in pesso admota vsui est. Paulus siccandi facultatem ei tribuit, quod diarrhœam dysenteriámque sanet, & dentium dolores mitiget, & contra venenatorum morsus rectè imponi tradit. Easdem esse peruincæ facultates gustus demonstrat: gustanti enim amara est, nonnihil calida, adstringens. Quare siccat citra mordicationem, & vt ex codice manuscripto citat Fuchsius, sanguinis ex naribus profluuio mirum in modum prodest: item iis qui sanguinem vomunt, aut spuunt. In summa omnem sanguinis fluxum sistere asserit. Quibus accedit pictura & descriptio eiusdem, quæ vtraque ad amussim peruincæ nostræ respondent.

Lib. 4. c. 6. Vires & Temper.

Lib. 7. fin.

Lib. 7.

Cap. 134. hi.

PRIMVLAE VERIS. CAP. XXV.

QVOD primo vere erumpant & floreant primulæ veris Officinis dictæ sunt, & herbæ paralysis, & Artheticæ, cum arthriticæ dicendum esset, Gallis *Brayes de coeu, Prime vere*, Germanis *Schlusselblumen*, Italis *Bracche di cuculo, & fior di primauera.* *Nomina* Harum species & varietates multæ. *Genera.* Est enim quæ flores luteos profert, odoratos, Germanicè *Geelschlusselblumen, Himelschlussel, & Sanctus Peters schlussel.* Est & quæ pallidos in luteo, odoris expertes, Germanicè *Vueiszhimelschlussel, & Schlusselblumen.* Hæ in hortos translatæ & cultæ florum multiplicata fœtura & magnitudine variant. His addit Dodonæus aliam, primulam veris minorem. Pena & Lobellius siluarum primulam. Primulæ veris priori folia candicãt, rugosa sunt, betonicæ *Forma.*

Lib. 1. c. 81. fol. 244.

PRIMVLA Veris prior, Matth.

PRIMVLA Veris altera, Matth.

similia, sed maiora, nec ambitu incisa, digitalis purpureæ vtcunque similia, humi ferè strata, aut parum surrecta, è quibus mediis scapus erigitur tenuis, rotundus, nudus, incanus, palmaris & sesquipalmaris, in cuius nutante vertice flores è caliculis denticulatis vmbellæ instar depẽdent, lutei, odorati, ceræ nouæ odorem & colorem referentes: deinde capitula, in quibus est semen. Radix candida est & fibrata. Huic similis est primula veris altera, nisi foliis esset grandioribus paulò, & latioribus, floribus iisdem, sed in album pallescentibus, aut ferè albis, odoris nullius. Sed quæ, inquit Pena, in hortis Anglicis & Northmanicis colitur, florum maiorum prouentu & fœtu multiplici, triplò aut quadruplò omnium primularum magnitudine & elegantia prima est. Hanc Lobellius sic expressit. Primula siluarum ex superioribus facile dignoscitur, differt enim floribus duntaxat, qui singuli languido pallore, pusilli, palmo breuiores, singulis cauliculis summis insunt, folia, sapor, odor, vsus non dissimilia. Sæpius nemorosis, & vmbrosis conuallibus gaudet, in Anglia, Delphinatu, Sabaudia, Belgis & Gallis hortensis. Eadem huic est, aut certè simillima, quæ Verbasculum minus Dodonæo dicitur, seu Primula veris minor, foliis paruis, albidis, primulæ veris alteri prorsus similibus, è quorum medio cauliculi erumpunt singuli singulos

PRIMVLA Hortensis Anglica, Lobell. & Pen.

fol. 244.

SILVARVM Primula, Lobellij.

PRIMVLA veris minor, Dodon.

gulos flores ferentes, odore, figura, colore eidẽ Primulæ ſimiles. Aliam Primulam ſiluarum Lobellius oſtendit, floribus obſcurè virẽtibus, fimbriatis, rugoſiſq; plicis, Londini hortis frequentẽ, alioqui cæteris ſimilem. His inſerenda ex Lobel. Primula veris flore gemino, altero alteri innato. Præterea ſiluarum Primula veris flore ſpecioſo, multiplici, à Lobellio etiam depicta. Dioſcorides verbaſci differentiis quem φλόμον Græci vocant, ſubiicit. Sunt (inquit) & phlomides duæ hirſutæ, rotundis foliis, ſimiles: quas Ruellius Primulas veris putauit. Ruellij iudicium ſequuntur, Dodonæus & Fuchſius,

Lib. 4. c. 99
Lib. 3. c. 12.
Lib. 1. ca. 81.
Cap. 326. huſt.

SILVARVM Primula floris obſcuri, Lobellij.

SILVARVM Primula veris, flore multiplici.

quibus Matthiolus haudquaquam assentitur,quod istarum Primularum folia non sint hirsuta, inquit,nec etiam rotunda, sed alteri læuia, alteri crispa, lactucæ aut
Ca.99.li.4. dipsaci modo. Adde quod florum quos phlomides proferunt,neque Dioscorides, neque veterum vllus meminit,qui verbasci genera recensent,id quod in herba paralysi Dioscorides non prætermisisset, cum hæc omnium prima aureis floribus
Fol.244. emicet, verq; nouum nuntiet. At harum omnium folia, inquit Pena, cum sint ambitu rotundiore quàm maioris verbasci, & caulis nonnullarũ foliaq; sint hirsuta,cur neget ille phlomidas esse ? Certè vires & tota facies planè thapsi contra suadent, consensusq; experimenti apud omnes regiones,quæ modo vnã quampiã harum habeant,paralysis herbam vocant,quo nomine propter insignes facultates fuit etiam phlomus donatus.Igitur & hæ phlomides. Ea quæ luteos flores ha-
Vires & Temper. bet gustu non ingrato,in olere,placentulis,& acetariis admodũ vtilis capiti, neruis,& humorum ex decubitu putredini,aut inflammationi,eoq; vulneraria habetur. Hæc ex Pena.Verisimile est quod arbitrantur quidam hanc plantam esse verbascum sylvestre,ex Theophrasto memoratum ab Athenæo,lib.15.inter flores vernos, vt Anemonen montanam , Anemonen pratensem,Herculis flammam,&
Cap.326. hist. Lychnida,quam interpres genicularem vertit. Recentiores,inquit Fuchsius, verbasculis hos effectus asignant. Trita imponuntur efficaciter articulorum doloribus. Radicis decocto vesicæ renumq; obstructiones soluuntur. Succus herbæ propinatur & illinitur aduersus rupta,luxata, & liuentia. Quod verò hæc eadem possint,temperamentum eorumdem palam docet:parum enim adstringunt:si gustaueris,amara,& modicè acria sunt,vt hoc nomine desiccandi & detergendi facultatem quam illis Galenus adscribit, habere nemo dubitare debeat. Nostri etiam temporis herbarij calida & sicca esse statuunt. Mulieres formæ studentes,succo è floribus illorum expresso faciem illinunt, qui maculas rugasq;, & alia eiusdem vi-

Sanicula. *PRIMVLA Veris Pachyphyllos,siue Auricula vrsi, Matth.*

Locus.

Forma.

tia mirificè deterget. Primulis adnumeranda, quæ Sanicula à sanandis vulneribus , quibusdam Auricula vrsi,verius Arthritica, vel Paralytica nominanda,Lunaria arthritica Gesneri, Britanica Anguillaræ, Paralytica Alpina Sanicula Penæ & Lobellij, maximè, inquit Pena, propter peculiarem vim ad affectum Arthriticum quẽ amolitur. Amat hæc summa montium præcelsa,& præruptarum rupium supercilia petrosa, qualia sunt in D.Claudij cautibus, Clauenæ & Oeniponti finitimis, vbi ferè totam æstatem perennat nix,qua inuita exacto verè mittit in singulari cauliculo , flores euectos pediculo molliore & inflexo, ferè puniceos,aut ex roseo albicantes, visum exhilarantes,suauiterq; spirantes: folia albida , virentia, crasiuscula,carnosa,& læuiora quam Primulæ veris,nõnihil repanda, & limbo crassiore tantillum fimbriata ac circinata: radix multùm fibrosa,& cognata Primulæ:gustu pariter multum exsiccãte & adstringente, vulnerariis potionibus expetitur , & foris vulnera glutinat. Hæc in montibus arduis calidarum regionum cauliculos & folia emittit maiora,interdum longè minora,specie tamen aut natura minimè diuersa. Qui hanc bene norit, sequentes duas facilè cognoscet. Prior

Paralytica

PARALYTICA Alpina angustifolia, Lobel.

PARALYTICA Alpina minor, siue media, Lob.

AVRICVLA Vrsi Myconi.

Paralytica alpina Sanicula angustifolia maior, folia Gnaphalij mõtani longiora profert: flores multiplici fœtu vmbellæ instar in pedalibus & dodrãtalibus mollioribus pediculis purpurascẽtes, aut ex roseo & albo cõfusis micantes. Sanicula Alpina minor siue media, folio est minore, tantillum crenato, floribus nõ dispariibus in cauliculo palmari & dodrãtali: radix multum fibrata. Est & Sanicula Alpina omniũ minima, vix vnciam & sesquiunciam æquans, foliis itẽ carnosis, sedi folij cotyledonis minoribus, summis oris fimbriatis & denticulatis. Flos purpurascit. Hæc Lobellius. Diuersam ab his plantã Auriculam vrsi vocauit Myconus à foliorum figura pilis multis obsitorum eamq; pinxit & delineauit his ferè verbis. Radices multas emittit tenues, ferè capillaceas, fuscas, petris inhærentes, gustu adstringentes, circa quas folia per humum repunt, borragini quadamtenus similia, in ambitu nonnihil laciniata, aspera, rugosa, crassa, neruosa, pilosa maximè prope radices: ex iis enim ad foliorũ exortum magna pilorum congeries tomento cuidam & veluti iubæ adsimilis enascitur. Eadẽ folia tam supernè quàm infernè villosa sunt atque etiam in ambitu pili vbique rufescunt. Ex foliorũ medio duo aut tres cauliculi emergunt, rotundi, dodrantales, hirsuti, solidi, succosi, purpurascentes, cum dulcedine adstringẽtes, in quorum fastigiis flores sunt cærulei, ex quinque folioli compositi

Forma.

compoſiti,& in horum medio ſtamina lutea,veluti ex vaſculo grani hordei figura,ſed maiore, in imo floris poſito,exeuntia. Naſcitur in vmbroſis montoſiſq; locis,nonnunquam etiam humidis. Aqua ex hac planta per organũ vitreum deſtillata,ad frangẽdum calculũ ſiue in veſica,ſiue in renibus valde efficax eſt. Id quod Myconus vir bonus & doctus ſe experimento confirmaſſe aſſerit. Eadem aqua Hiſpani aduerſus tuſsim vtuntur : quam ob cauſſam plantam hanc *Teruа Tuſſera* nuncupant:alij à foliorum copia,Peluda.

LILIVM CONVALLIVM. CAP. XXVI.

Nomina

PLANTAE iſtius aſpectu pulcherrimæ flores, tum odorati, tum venuſti meritò inter coronarios locum ſibi vendicant. Lilium conuallium à natalibus recentiores vocant, Galli *Grand muguet*, quaſi *Muſquet*,Germani *Meyenblumle*, & *Meyenryſz*, ab iiſdem natalibus. Folia bina,aut terna promit virentia,læuia,latiuſcula, lilij foliis ſimilia,ſed minora,cau-

Forma.

lem tenuem,palmarem,circa quem à medio ſurſum flores parui,rotundi,hiantes, per ſummas oras denticulati, ac reflexi. Arbuti Palmæq; flori ſimiles, candidi & odorati,relinquentes fructus rotundos,rubentes, non diſsimiles bacciş aſparagi, ſed minores,in quibus ſemen durum, & ſubamarum: radices tenues, longæ, aliquantulum geniculatæ,repentes. In ſenticoſis nemoribus, & vmbroſis conuallibus ſponte prouenit. Hortis etiam expetitur. Circa calendas Maij menſis floret, Iulio fructus profert. Non deſunt qui ſentiant Lilium conuallium eſſe ephemerũ Dioſcoridis nõ letale,nullis profecto ephemeri à Dioſcoride deſcripti notis huic Lilio conuenientibus:eo tamen nomine Fuchſius id depinxit ac deſcripſit. Non-

Locus. Tempus.

Li.4.ca.80.

nullis Hemerocallidam faciunt,ſed perperàm. Alij putarunt eſſe Lilium inter ſpinas memoratum à Solomone, propter ſuauiſsimum odorem, etiamq; florem Lilij,qui niueus & pulchellus,Lilio ſimilis quadãtenus eſt, & odore ſuauiſsimus. Dodonæus vernum Theophraſti Lilium,quod ſtatim poſt violã purpureã floret:

Pena fol. 61.

Lib.2.c.26. Lib.6.hiſt. cap.7.

ἐνιαχῆ τῆς ἦρος, inquit, ἅμα δὲ τῷ ἴῳ, ἢ μικρὸν ὕστερον τὸ κρίνον, καὶ δ' φλόγινον, &c. Sic enim Gaza legit. Verè nonnunquam cum viola aut paulò poſt Lilium exit,& viola flammea. Quidam œnanthen Theophraſti à Dioſcoridis œnanthe diuerſam eſſe cenſent, flore albo, racemoſo,inſtar labruſcæ,ſuauiter olente, quam cùm Theophraſtus inter vernos flores numeraſſet,ſubiungit: ὡσαύτως δὲ καὶ ἡ οἰνάνθη, καὶ αὕτη τῆτο δ' ἀνθικὸν μὲν, ὦδες δ' τὴν φύσιν. Sic enim legendum,vt diximus,non ϖοῶδες,vt legit Gaza. Ideſt,ſimiliter œnanthe quoque ex florum genere eſt,ſuauis odoris natura. Et mox, τὸ δὲ ἄνθος βοτρυῶδες καὶ λευκὸν καθάπερ ἀμπέλου τῆς ἀγρίας. Ideſt,flos œnanthes racemoſus, albus vt labruſcæ. Lilij conuallium flores & fructus calidæ ſiccæq; qualitatis participes ſunt. Aiunt flores aduerſus apoplexiã, neruorũ reſolutiones,vertiginem, morbũ comitialẽ, atque alios ex cerebri frigida humidaq; intemperie morbos plurimùm prodeſſe: cor roborare, iecur, cerebrum.Hinc eſt quod eius herbæ ſuccũ aut decoctum ſyncope,vertigine,morboq; comitiali correptis, attonitis & phreniticis exhi-

LILIVM Conuallium.

Lib.6.hiſt. ca.7.

Temper. & Vires

Fuchſ.cap. ca.88.

beant

beant. Cæterùm incipienti elephanto, ne latiùs ſerpat, & altiùs radices agat, viam præcludere ſcribunt. Ocularij medici ad oculorum caligines diſcutiẽdas ea etiam vtuntur. Quin & ictis & commorſis à venenatis animalibus præbent: item ægrè parturientibus. Sunt qui recentes flores vino macerent, & in vitreo vaſe diu inſolent, additis lauandulæ, & roſmarini floribus, aliiſq; nonnullis aromatis, ex quibus omnibus ſtillatitiam aquam vitreis organis eliciunt; qua ad ſupradictos omnes corporis affectus vtuntur.

Matthi. in ca. 120. li. 3.

CARYOPHYLLVS INDICVS. CAP. XXVII.

ASIMILITVDINE noſtri Caryophylli altilis, flos hìc exoticus Caryophyllus Indicus appellatur, & flos Indicus, Germanis *Indianiſch blumen, & Indianiſchnegelim*, ideſt, Indicus flos, & Indicus Caryophyllus, Gallis *Oeillet d'Inde*, cum veriùs flos Africanus Tunetanúsve dicendus ſit, aut Caltha Africana, vt Geſnerus nominat, cognomine Indici nõ probato, quoniam, auctore Dodonæo, primùm ad nos allatus ſit ex Africa, cùm Carolus V. Tunetum traiecciſſet: vnde Brabantis Flandriſq; vulgò *Thunisbloemẽ* vocatur, Punica lingua Pedua, vt tradit idem Geſnerus. Cordus Tanacetum Perunianum nuncupat, à ſimilitudine florum tanaceti, & nomine Peru Americæ prouinciæ, ex qua primùm in Europam illatus eſſe à Germanis creditur. Itali Othõnam. Huius ſpecies ſunt duæ Trago, maior, & minor: Matthiolo tres, floribus tantùm diſtantes. Maiori caulis eſt procerus, bicubitalis aut tricubitalis, rectus, ſtriatus, è nigro rufeſcens, nodoſus ramoſuſq; : è ſingulis nodis bini exeunt ſureuli, foliis denſis, referti, oblongis, anguſtis, per totas oras ſerratis, Tanaceti, propemodùm pennarum inſtar expaſsis, & ex aduerſo ſitis, quæ ſoli aut lumini obiecta cribri modo perforata cernuntur: quamobrem Othonnam Dioſcoridis quidam eſſe coniectantur.

Nomina

De ſto. c. 18.

In Hort. Germ. Li. 1. pl. c. 17.

Genera.

Li. 2 ca. 145. In cap. 186. lib. 4.

Forma.

CARYOPHYLLVS Indicus maior, Matth.

CARYOPHYLLVS Indicus minor, Matth.

Flores in ſummis ramulis ex lõgis calicibus ampli, rotundi, numeroſiore foliolorũ ſtipatu cõfertiores quàm in roſa, inferiore parte pallidè lutei, ſuperiore flauo ſiue aureo

aureo colore rutilantes, luteis in medio ſtaminibus: ſemen villoſum, nigricans, oblongum, compreſſum: radices fibratæ, per ſummam terram vagantes. Flos Africanus minor, ſuperiori prorſus ſimilis eſt caulibus, foliis, floribus, ſemine, ſed omnibus partibus minor, & pedem aut cubitum vix excedens: flores duplici aut triplici foliolorum ordine ſaturè flaui, ſiue crocei, ſic coloratum holoſericum villoſum æmulãtes. Tertium genus omniũ minimum flores ſuperiori ſimiles edit, ſed lõgè minores. Omniũ flores & folia, deniq; vniuerſa planta tetrũ cominus odorẽ vibrat, ſed manè minùs fœtet. In Africa, vt diximus, ſponte prouenit. In Italiæ, Galliæ, Germaniæ, cunctiſq; ad Septentrionem hortis colitur ad delitias & coronamenta, præſertim maior, qui non niſi Auguſto menſe & Autũno floret. Minor Maio & tota æſtate. Fuchſius artemiſiæ genus Tanacetũ facit, corrupto nomine pro Tagete dictum, & huius generis eſſe putat herbam, quæ elegantiſsimos flores profert, Caryophyllos Indos vocatos, nullaq; in re niſi floribus, qui ſunt elegãtiores & maiores ab illa diſtare, niſi quod hæc odore vincit: quare Tagetem Indicam appellat. Hoc Tragus non probat, tum artemiſiæ ſeu Tanaceti non ſolùm forma, ſed etiam odor & ſapor reclamant. Multò etiam minùs tagetes, inquit, apud Apuleium fuerit, cùm eius hiſtoria nulla apud eundem auctorẽ extet. Sunt qui velint florem Africanum, Petilium eſſe florem Plinij. Sed Petilius flos eſt Autumnalis, inquit Plinius, circa vepres naſcens, tantùm colore commendatus, qui eſt roſæ ſilueſtris, foliis paruis, quinis, calice paruo, verſicolore, luteum ſemen includente.

Locus.

Tempus.

Ca. 13. hiſt.

TAGETES Indica, Fuchſ.

Mirum eſt in eo flore inflecti cacumen, & non niſi retorto folia (floris nimirũ) naſci. Andræas Lacu. & Itali, florem Africanũ maiorem aurei fulgoris, & tanto pulchriorẽ, quiq; minùs aut perparum tetri odoris ſpirat, Othonnam Dioſcoridis eſſe cenſent, quibus haud aſſentiuntur multi periti herbarij, quod cum illius deſcriptione flos iſte minùs conueniat. Eſt enim Othõna, inquit Dioſcorides, foliis erucæ, perforatis cribri modo, & velut à tinea eroſis, flaccidis, paucis, flore croceo, latifolio. At floris iſtius folia multa ſunt, Tanaceti quàm erucę ſimiliora, non verè perforata, ſed quæ tantummodo ſoli obiecta, talia appareant. Galenus Lycoperſij cuiuſdam herbæ meminit, cuius ſuccũ Centurio quidam ex Barbarica, circa Ægyptũ regione cõportauerat, odore adeò graui, atque inamœno, vt ne guſtare quidem auſus fuerit ipſe Galenus, ſed letalẽ eſſe coniiceret. Vtebatur autem eo Centurio ille ad ingentes articulorum dolores, atque ipſis etiam ægris refrigerandi facultate pollere viſus eſt. Eſt autem, vt Galenus ait, colore ſubflauo, odore tam graui quàm cicutæ, niſi quod leuem quandam inſtar aromatum adferat gratiam. Nomen herbæ ex qua ſuccus hîc exprimitur, Lycoperſium eſſe dicebat: quali autem præterea ſit forma, Galenus non addidit. Quare an flos Africanus Lycoperſium ſit, decerni non poteſt. Videtur tamen illi ſi non idem, certè ſimillimus, inquit Dodonæus, quod folia & præſertim flores graui admodũ & tetro præditi ſint odore, & qualitate venenata, cicutæ proxima, quod experimentis nonnullis ſibi conſtare, idem Dodonæus, aſſerit, vt in puero qui flores mandere incœperat, labia & os inflata ſe vidiſſe, ſicuti crebro iis accidit

Li. 2. c. 178.

Li. 4 ſimpl.

Cap. 18. de flor.

Ibidem.

qui

qui cicutæ fistulas ludentes, aut medulantes intra labia aliquandiu continuerint: Feli etiam flores recentes cum calicibus recenti caseo permistos olim dedisse,quæ mox valde inflata,& paulò post mortua fuit:mures quoque qui semen arroserunt mortui feruntur reperti. Ex eiusdem esu porcis intumuerunt rostrum ac fauces,& nonnullis exitio fuit. Quæ omnia venenatam & deleteriam huius herbæ facultatem esse demonstrant,vt audiendi non sint, qui hanc tanaceti vel artemisiæ speciem,aut innoxiam stirpem esse autumant. Pena fol. 318.

PYROLA. CAP. XXVIII.

VLGO à Pyri folio herba hæc Pyrola nominatur, Gallis *Pirole*, Germanis *Vuintergruen*,quæ vox hyemis virorẽ significat. Quippe æterno virore,inquit Pena,pene atra,aduersus brumæ rigores perstat, & *Holtz mangolt*,& *Vualdmangolt*,idest,Beta siluestris, quoniam hortensi Betæ primum erumpenti haud dissimilis sit :ob id limonium quidam esse autumant, eóque nomine descripsit & depinxit Fuchsius. Alij Britanicam esse arbitrantur. Folia aliquot in imo profert,septena,octona, nouena,denáue,Betæ quadãtenus similia, rotundiora tamen & minora multò,Pyro propiora, viridiora, nigriora, caulem dodrantalẽ aut pedalẽ, floribus pulchellis, in summitate ornatũ albis,& odore ad flores lilij conuallium accedentibus,è medio stamina apicésve emittentibus:radix est exigua, tenera, subrusa, repens. Montosis,siluosis,& frigidis vdis gaudet, hortósque & mitiora viridaria aspernatur. Superiori & inferiori Germaniæ, adeoq; vniuerso Septentrioni nota,rarior Italis,& Gallis meridionalibus. Perpetuò virer:flores tamen Iunio & Iulio mensibus emittit. Tertio ordine siccã & secundò frigidam recentiores esse tradunt. Omnes enim eius partes adstrictionis vehementissimæ & euidentis refrigerationis esse sentiuntur. Quare eius decoctum interna & externa vulnera potum sanat, item fistulis, atque alijs malignis vlceribus medetur.

Nomina

Fol.111.

Cap.173. hist.

Forma.

Locus.

Tempus.

PYROLA.

ANEMONE. CAP. XXIX.

ANEMΩNH Græcis,similiter Latinis Anemone,quibusdam herba venti,Arabibus *Iackaiak*, *Anahamen*,& *Sakaikanheamen*. Plinius Phænion dici tradit,fortasse à splendore quem longè de se fundit, quamquam exemplaria etiam vetusta magna ex parte Fremium, & non Phænion habent,voce nihil,vt arbitror, significante: & Theodorus apud Theophrastum Anemonem vbique Fremium conuertit. Dicta autem est Anemone ἀπὸ τοῦ ἀνέμου, idest,à vento,quod flos nunquam se aperit nisi spirante vento auctore Plinio. Tamen cùm hiare patereq; flantibus ventis per æstatem floribus multis vsueniat,potuit non inconcinnè dici Anemone, q; eius flos caducus facilè vento decutiatur,quemadmodum & papaueris rhœadis,cui affinis est. Ouidius Adonidis florem Anemonen vocare videtur his versibus. *Nomina*

Lib.21.c.23.

Metam.10.

Sic fata,cruorem

Nectare odorato sparsit, qui tactus ab illo
Intumuit, sicut fulua pellucida cælo
Surgere bulla solet: nec plena longior hora
Facta mora est, cum flos de sanguine concolor ortus,
Qualem quæ lento cælant sub cortice granum
Punica ferre solent: breuis est tamen vsus in illo.
Namque malè hærentem, & nimia leuitate caducum,
Excutiunt iidem qui perflant omnia venti.

Li.2. c.172. *Genera.* Dioscorides Anemonem duplicem statuit: vnam siluestrem, alteram satiuam (sic enim τὸ ἥμερον melius vertas, quàm in cultis nascens, vt Plinius & eũ secutus Ruellius interpretati sunt: nam siluestres plantæ etiam in cultis locis sponte, non satu, nascuntur.) Satiua quædã puniceos fert flores, altera subalbidos, aut lactei coloris, alia purpureos. Plinius ex Dioscoridis sententia eadem genera tradidit his verbis.

Lib.21.c.23. Anemonas coronarias tantùm diximus: nunc reddemus & medicas. Sunt qui Phænion vocent. Duo eius genera. Siluestris prima, altera in cultis nascens, vtraq; fabulosis. Huiusque plures species: aut enim Phœniceum florem habet, quæ & copiosissima est, aut purpureum, aut lacteum. Sed coronarias Anemonas non rectè

Lib.21.c.11. distribuit Plinius, & in conuertendo Theophrasti loco, quo Anemones meminit, lapsus est. Nam in Græcia, inquit, tardiùs etiámnum Anemone. Est autem hæc siluestrium bulborum flos, aliaq; quàm quæ dicetur in medicinis. Sequitur œnanthe, melanion, ex siluestribus heliochrysos: deinde alterum genus Anemones, quæ limonia vocatur. At Theophrastus vnius tantùm Anemones hic meminit. Et paulò ante non Anemonem sed bulbi codion coronis inseri dixit, ex quibus duobus diuersissimis ineptè duplicem Anemonem Plinius statuit. Locũ eum Plinij absque dubio corruptum quidam sic restituunt. Florum prima ver nuntiantium viola alba. Tepidioribus verò locis etiam hyeme emicat. Proximè flammea, quæ & flox vocatur, siluestris duntaxat. Bulbi codion bis anno, vere & autumno: æstates hyemésque fugit. Est autem siluestrium bulborum flos. Serior supradictis aliquanto Narcissus, & Liliũ Theophrasto Lirium transmariam in Italia, vt diximus, post Rosam. Nam in Græcia etiámnum tardius Anemone (nempe Limonia, siue pratensis Theophrasti,) alia quàm quæ dicetur in medicinis. Postea viola quę appellatur purpurea. Sequitur œnãthe, &c. Recentiores quoque herbarij complures Anemones species agnoscunt. Anemones folia, auctore Dioscoride, coriandro similia tenuioribus incisuris, in terram inclinata, cauliculi laniginosi, tenues, in quibus flores veluti papaueris, & media capita nigra aut cærulea, radix magnitudine oliuæ aut maior, velut geniculis distincta. Siluestris per omnia maior est satiua, & foliis latioribus, ac durior: habet & caput oblongius, florem puniceum, radices tenues, & multas. Quibus descriptionibus satiuam à siluestri discreuit Dioscorides, primùm radice in satiua tuberosa, velut geniculis distincta, in siluestri multis radicularum fibris capillata: deinde quod satiua minor foret, angustiore & teneriore folio, capite breuiore, flore vario:

ANEMONE 1. Matth.

Forma. Ibidem.

siluestris

ANEMONE II. Matth.

ſilueſtris autem procerior, latiore & duriore folio, capite longiore, flore tantùm puniceo. Ex iiſdem colligere licet Anemonem Theophraſti, quam Pulſatilem eſſe volunt, à Dioſcoridis Anemone diuerſam eſſe. Ille enim hanc inter ἐπιγεόφυλλα reponit, ideſt, quæ propè terram & circa radicem tantùm folia mittunt, in caule nulla, cuius notæ Dioſcorides non meminit, omneſq; Anemones ſpecies quotquot ab herbariis proponuntur, ſtatim ab radice & in caule & ramis folioſæ ſunt. Plinius breuiùs ſic deſcripſit. Harum trium folia apio ſimilia ſunt, nec temerè ſemipedis altitudinem excedunt, cacumine aſparagi. Flos nunquam ſe aperit niſi vento ſpirante, vnde & nomen acceperunt. Silueſtri amplitudo maior, latioribuſq; foliis, flore Phœniceo. Præterea quoniã Anemonarum genera papaueri rhœadi & argemonæ floribus ſimilia ſunt, Dioſcorides ideo diligenter harum differentias diſcreuit, hoc modo. Papauer & argemone colore puniceo minùs ſaturato ſpectantur, & vtraque tardiùs floret. Adhæc argemone, croceum ſuccum guſtu admodum acrem reddit, Rhœas verò candidiorem & acrem. Inſuper argemone & rhœas in medio capitula habent ſilueſtri papaueri ſimilia, verùm Argemones caput ſupernè aliquanto craſsius eſt, rhœadis ſubanguſtius. At Anemonæ neque ſuccũ remittunt, neque

Lib. 7. hiſt. ca. 9.

ANEMONE III.
Matthioli.

ANEMONE IIII.
Matthioli.

ANEMONE V. Matth.

Cap.172.li.4

ANEMONE Hortensis Tragi.

Lib.1.c.49.

codia siue calices habent, sed quasi asparagi cacumen. Quæ cùm Græcè legantur, ὅτε ὀπὸν ἀνάσει &c. Andr. Lacu. ὀπὸν non succum, sed lacrymam conuertit: nam succus, inquit, siue χυλὸς propriè dicitur is qui ex herbis tusis vi exprimitur, vt ὀπὸς vel lacryma, liquor ille qui ex plantis vitrò destillat. Quare fieri non potest vt hic Dioscorides intelligat Anemonas nullum succum ex se remittere, quum superius dixerit Anemonarum succum infusum naribus, conferre purgando capiti: manare verò ab ipsis lacrymam, vt defluit à papauere opium, hîc inficiatur. Hæc quamuis satis luculenta & distincta sit Anemonarum delineatio, tamen varij varias proponunt & cõfingunt Anemonas. Matthiolus quinque depinxit genera. Primum, inquit, folio prouenit coriandro simili, sed frequentioribus incisuris, caulibus lanuginosis, tenuibus, striatis, in quibus tenuiora per interualla sunt folia, floribus siluestris papaueris magnitudine, quæ sena circùm distinguunt folia, purpurascentibus, capitulo vmbilico tenus emergente, nigrõ colore, nigrísque capillamentis stipato, perinde vt in papauere: radix illi oleæ magnitudine, subrotunda, fibrataq;, & sapore acri. Secundum foliis assurgit maioribus, & frequentiùs laciniatis cynoctoni aconiti modo, caulibus alteri similibus, sed aliquantò crassioribus, inanibus, & in rectum spectantibus, quibus flores insunt dilutiore purpura nitescentes, capitulo circumquáque comato, perinde vt alterum: radicẽ habet breuem, rapunculi ferè figura, fibris adnatis multis, acri etiam gustu. Tertium foliis crescit ranunculi primi æmulis, caulibus tenuibus, sesquipalmaribus, rotundis, in quorum cacuminibus flores exeunt albi, quinque tãtùm foliis distincti, rosarũ magnitudine, & nonnunquã tenui quadam purpura respersi, inferiore præsertim sede: radicem habet fibratã ac tenuem. Nascuntur in collibus. Sunt & Anemones genera alia duo, foliis laciniatis, floribus in altero purpureis, in altero aureis. Tragus Anemones genus esse existimat plantam hîc pictam Anemonem hortẽsem appellans, quæ ex radice recta, læui, & digitum minimum crassa, caulem erigit teretem, & instar been albi, vt vocant, geniculatum, foliis herbacei coloris, iisq; plurimum dissectis instar camomillæ vulgaris, aut cotulæ ad fastigium vsque, quod flore rutilo & quasi aureo forma argemonem planè referente nitet, vestitum. Dodonæus alias & diuersas descripsit & pinxit Anemonas. Prima folia habet pauca, sed in lacinias diuisa,

ranunculi

ANEMONE I. Dodon. latifol. I. Lob. & Cluſ.

ranunculi hortenſis foliis ſatis ſimilia, ſed minora. Flos in breui & palmum alto pediculo emicat ex vndecim aut tredecim foliolis anguſtis,oblongis,acuminatis,in quorum medio capitulum aliquot circumſeptum ſtaminibus, quod exili incaneſcit piloſo flore, cui ſubeſt ſemen. Radix initio oliuæ magnitudine, ſed tempore adaugetur, & grandior facta, veluti geniculis articulatur, obliqua, non rectè deſcendens, fibris aliquot adhærentibus. Color floris elegans eſt,in dilutiore purpura rubens, qui quandóque ab vtraque, aliàs ab interiore tantum relucet parte intenſior,exterius remiſſior & inalbicans.Huius generis & albidi ſunt flores,ſed rariores. Cluſius Anemones latifoliæ alterius pinxit. Lobellio Anemone tuberoſa bolbocaſtani radice. An Anemone lutea Galeni. Secunda folia fert ranunculi hortenſis ſimilia,ſed minora, trigemina cohærentia: flores ex tredecim aut quatuordecim foliolis, ſed haud acuminatis,ac repandis compoſitos, colore cæruleos,& cyaneo flori cõcolores, ſtaminibus luteis medium orbiculũ amplectẽtibus, quod nullis caneſcit pilis, ſed veluti ranunculi, Aſparagi æmulatur germen. Radix obliqua,craſſa,genicula tuberaq; multa habet. Hanc Matthiolus non pinxit. Tertiæ Anemones folia maiora ſunt crebrioribus ac tenuioribus etiam inciſuris diuiſa: pediculus ſimilis,flos maior, cum papaueris rhœadis flore magnitudine ferè certans,ſeptem aut octo foliorum tantum, pulchro violæ nigræ purpureo arridens colore,paulò tamen dilutiore:capitula huius pubeſcunt vt primæ:radix oblongior,craſsior,ſimiliter obliqua, crebrius geniculata,puniceo colore ſubnigricans. Etſi verò Anemone ſecundæ Matthioli videtur vtcunq; ſimilis, tamẽ multùm differt. Eſt huius rubens quoque ſpecies,flore phœniceo, & vt rhœadis colorato: item tertia etiam candida. Quarta Anemone tertiam foliis, cauliculis & radicibus refert: flos mediocris quoque magnitudinis,Rhœadis colore,rubens,denſis & frequentibus ſtipatus foliolis, multiplex, quorum decem aut duodecim exteriora maiora, interiora verò reliqua, exigua. Quinta ſpecies foliis ranunculum refert hortenſem,ſed tamen minoribus, flos paulò maior ſenis ferè conſtat foliolis, candidus aut è purpura rubens,ſed modò dilutiore, modò intenſiore colore:capitula aſpera,parua, nuda: radices tenuiores, ſed obliquæ quoque, nihil aut parum geniculatæ,demiſsis deorſum aliquot fibris. Sexta quintæ ſimilis

Li.4. purg. ca.7

ANEMONE II. Dodo. tenuifol. III. Cluſ. ſiue Geraniifolia, Lob.

ANEMONE III. Dodo.
Angustifolia, Clusij.

est, foliis tantummodo floréque minor, eóque luteo, Ranunculi floribus concolor, radix similis quintæ. Ranunculus nemorosus, quartus Fuchsij lacteus & luteus, cuius meminimus in libro de Palustribus, cap. De Ranunculo. His adiicit aliam quandam tametsi foliis differentem. Neque enim coriandro aut ranunculo similia habet folia, sed potiùs Trifolij instar: cohærent enim terna, non magna, lata, acuminata, indiuisa, margine tantummodo crenato. Cauliculus palmum altus, cui flos insidet candidus, formam florum ranunculi æmulatus, qui marcescens nonnihil purpurei coloris contrahit. Radix etiam obliqua in propagines quasdam extuberat, non absque capillamentis fibrosis subnatis. Anemones quintum & sextum genus, inquit Dodonæus, in pratis & siluis, præsertim locis humidioribus ac vmbrosis in Germania ac Belgio reperiri possunt. Reliquæ peregrinæ sunt. Omnes autem ad ἡμέρους, idest, satiuas, referendas esse censet. Siluestris enim species ab his differt, vt ex Dioscoride diximus. Clusius quoque aliquot Anemones genera obseruauit, non modò florum colore formáque, sed ipsis etiam foliis inter se dissimilia. Vnum foliis constat satis amplis, circinatæ ferè rotunditatis, per ambitum serratis, duris & firmis, longóque pediculo fultis, supernè

ANEMONE Latifolia prima, Clusij.

ANEMONE IIII. Dodonæi.
Multiplex rubra, Clusij.

intensius

ANEMONE Quinta & sexta, Dodonæi.

ANEMONE Trifolia, Dodonæi.

intensiùs virentibus, infernè verò plerumque purpurascentibus Cyclamini ferè modo, feruidissimi gustus: radice tuberosa, oblongiuscula, Tormentillæ vulgaris æmula, fibris aliquot dependentibus, foris nigra, intus alba, solida, ingrati admodum saporis, quæque nauseam mouens quodammodo strangulet, deinde linguam aliquantulum vellicans. Lapidosis quibusdam Lusitaniæ collibus iuxta Tagum, atque etiam inter vepres Clusius se reperisse ait. Exilit Decembri & Ianuario. Alteram Anemonem latifoliam facit quam nuper diximus à Dodonæo primam statui. Tertiam tenuifoliam, quã Dodonæus in Historia purga. secundam ponit. Quartam Anemonem tenuifoliam alteram, quam tertiam Dodonæi esse suprà indicauimus. Aliam multiplicem rubram, quę quarta est Dodonæi modo dicta. Alio in loco idem Clusius ad Anemones genera refert plantas duas minimè silentio prætereundas, quod elegantes sint admodum. Prior multa ex vna radice promit folia, Anemones latifoliæ flore purpureo, aut Saniculæ haud multum dissimilia, dura, neruosa, in tres lacinias profundiores diuisa, deinde per ambitum serrata, supernè nigricantia, infernè candidiora, sapore feruidissimo, & si gustentur, ilicò linguam vrente, ante hyemen etiam germinãtia, quemadmodum in reliquis Anemones generibus. Inter hęc caulis vnus aut alter prodit palmaris, nonnunquã

ANEMONE Latifolia, flore multiplici, Clusij.

ANEMONE Tenuifolia flore multiplici, Clusij.

etiam pedalis, nudus subhirsutus, qui circa cacumen tria exigua folia, ab eodem fere exortu prodeuntia, & simul caulem amplectentia profert, deinde in summo magnum ac latè expansum florem, numerosis foliis constantem, quorum externa & maxima dena aut duodena colore viridi sunt, interna verò minora & angustiora, dilutiore purpura nitentia, circa vmbilicũ simul glomerata. Radix crassa & in aliquot capita extuberans, Anemones latifoliæ purpureæ modo, foris nigra & scabra, intus alba & solida, gustu ingrato & fauces coarctante, multis tenuibus fibris capillata. Altera quina, sena, aut plura habet folia multifida, in multas tenues lacinias diuisa, dilutiore colore quàm superioris virentia, caulem etiam pedalem priori similem, sed non æquè crassum, quem etiam circa summum tria tenuiùs incisa ambiunt foliola, florem etiam, quemadmodum in omnibus Anemones generibus, antequam aperiatur occulentia, qui summo cauli insident, succrescente caule explicatur in dena aut plura folia hirsuta, latiuscula, & maiuscula cocci modo rubentia, quæ numerosa tenuiáque foliola Bellidis multiplicis flori perquàm similia, & colore coccineo saturatiore, amplectuntur. Radix non admodum à superiore discrepat, oblongior paulò, foris etiam rugosa, nigricans, & tenuibus capillamentis fibrata, intus verò candida, & eiusdem cum superiore gustus, vtraque vere floret cum aliis Anemones generibus, quarum viribus etiam respondent. Constantinopoli delatas fuisse ait, Giul Catamer nomine: lingua autem Turcica Catamet siue Catemer plenum siue multiplicem significat. Anemone quædam folia producit nigra, & est acrior, inquit Dioscorides, vim habet vtraque acrem, quare succus radicis ipsius naribus infusus ad capitis purgationes vtilis est, commanducata radix pituitam trahit, decocta in passo, & imposita, oculorum inflammationes sanat, eorumdem cicatrices & visus hebetudinem abstergit, expurgat sordida vlcera. Folia autem & caules cum ptisana decocta, & in cibo sumpta lac attrahunt: in pesso apposita menses cient: imposita lepras eximunt. Plinius eundem vsum medicum tradit his verbis. Prosunt anemonæ capitis doloribus, & inflammationibus, vuluis mulierum, lacti quoque. Et menstrua cient cum ptisana sumptæ, aut vellere appositæ, radix commanducata pituitam trahit, dentes sanat decocta, oculorum epiphoras & cicatrices. Anemonæ omnes, auctore Galeno, extrahendi & attrahendi, & ora vasorum reserandi facultatem habent. Itaque radix commansa pituitam euocat, & succus ex naribus purgat, & oculorum cicatrices extenuat. Insuper sordida vlcera anemonæ purgant, & lepras detrahunt, menseſque appositæ educunt, & lac trahunt.

Lib. 2. c. 172 *Vires & Temper.*

Lib. 21. c. 23.

Lib. 6. fin.

PVLSA

PVLSATILLA. CAP. XXX.

BARBARI pulsatillam nuncuparunt, quòd huius comosi & tremuli seminum pappi huc atque illuc vel lenissimo quoque flatu pultarentur, id est, pellerentur, plerique herbam venti dixere, anemonem aut eius genus esse suspicati, & sanè merito: neque enim multum visa fuit abesse à silvestri anemone quibusdam doctissimis. Quippe foliis est anomones tuberosæ, bulbocastani, aut coriandri, rigidioribus, hirsutioribus, nigricantibus, crassioribus, caulem palmarem, & sesquipalmarem, hirsutum, geranij amplexis, in quibus flores papaueris rhœadis, aut potiùs anemones, quinis aut senis foliis in purpura cæruleis, è quorum medio exeriuntur apiculi, stamináve luea, Aquilegiæ, aut herbæ trinitatis, siue Trifolij hepatici, à quorum delapsu se prodit cæsaries villosa, cirris crebris & cincinnis calamistratis pẽnas delicatiores sericeas pulli coloris implexas, aut carminatum bombacis pensum referentibus, cuiusmodi in caryophilla ta, Scotino, & spongia Bedeguari, quibus conditur semen exiguum, asclepiadis: radice digitum crassa, non admodum acri nec feruida. Hac maior est, inquit Lobellius, foliis, maioríque elegantia floris albi peramœni. Huiusmodi pulsatillam flore candidam pallentem in Mindenis montibus & Aruerniæ nasci Pena auctor est, sicut in Taurinensibus interdum luteam. Rubram etiam pictam dat Lobellius, qualem se habuisse ex Alepo Syriæ scribit Pena. Matthiolus Fuchsium, erroris insimulat, quod anemones purpureæ loco Pulsatillam depinxerit, cui nulla cum anemone cognatio, inquit Matthiolus, illa etenim cùm primum erumpit, folia emittit admodum hirsuta, minutimq; laciniata, quæ sapore sunt perquàm acri, adeò vt non minùs exulcerent quàm ranunculus & flammula. Flos in stellæ modum, similiter hirsutus ineunte vere dehiscit, antequam folia erumpant, nigricanti splendet purpura, è cuius medio quidam aurei floscvli eos referentes qui rosis innascuntur, in quorum vmbilico floccus purpureus visitur, sericinum referens opus. Exteriori verò parte in caulis cacumine circa floris basim villosus alter circumquaque se pandit floccus colore cinereo, sericino stamini mollitia ac lævore minimè cedens. Semen capillato incanóque capitulo iuglandis ferè magnitudine cõtinetur. Radix illi subest pedali lõgitudine exesa nigri chamæleonis modò, cui sapor quidam subdulcis, non autem acris veluti foliis & caulibus.

Nomina

PVLSATILLA, Matth.

PVLSATILLA Alba, Lobellij.

In Cap. 172 lib. 2.

PVLSATILLA Rubra, Lobel.

Lib. 4. c. 6.

Locus.

Forma.

libus. At hanc initiò dixit acrimonia esse ranunculi aut flammulæ. Dioscorides verò vult vtranque anemonem acrem esse, & acriorem illam cui folia nigra sunt, qualia sunt huius pulsatillæ, quæ crustas emarginat admotis foliis, quemadmodum de anemone dicit Dioscorides, qui intrò sumenda folia cum ptissana elixat, quo deponant acrimoniam, ipsa verò radice, vt pote mitiore, cruda mansa pituitã extrahit. Hæc Pena. Hic etiam alteram Dodonæi adiungendam censuimus, cuius hæc sunt verba. Apud Gallos locis incultis, inquit, gigni Ruellius scribit, nouoq; vere iis montes florere. Belgæ in hortis habent, apud Germanos satis frequens locis asperis & lapidosis, & subinde in ipsis rupibus, & quidem flore purpurei ex cæruleo coloris: qui ꝑ locorũ ratione aut intẽtior aut remissior. In syluis siquidẽ ac vmbrosis dilutiore colore quasi inalbicat flos, in Apricis coloratior est: Albidi floris Auerniæ & Narbonensis Galliæ montes suppeditant: lutei Taurinenses Allobrogũ: rubri floris ex Alepo Syriæ vrbe se habuisse Petrus Pena & Matthias Lobellius referunt. Galli *Coquelourdes*, Germani *Kuechenschell* nominant: vulgò Pulsatilla, & à nonnullis Apium risus dicitur. Nec est tamen herba Sardoa quæ propriè Apium risus dicitur. Nec etiam Ranunculi, neque Anemones species, vtrisque tamen, & præsertim facultatibus accedit. Est enim, vehementer acris quamcunque contigerit corporis partem si trita imponatur. Cæterùm siue Pulsatillam inter anemones genera collocemus, siue plantam sui generis esse placeat, ab anemone discrepantem, ex Alpium lætissimis pascuis, propinquis montium verticibus, & ob roscidos cæli madores multò plus herbæ aut fœni præbentibus, quàm si iuges aquas biberent. Da lechampius

PVLSATILLA Altera, Dodo.

PVLSATILLA I. Alpina, Dalechampij.

tria

PVLSATILLA, II. Alpina, Dalechampij.

PVLSATILLA, III. Alpina, Dalechampij.

tria pulsatillæ genera, luteo flore conspicua produxit. Primum radice crassa, nigra, exesa, foliis apij modo dissectis, inter hæc tria genera latissimis, hispidis. Secundum radice tenuiore, breuiore, minùs atra, foliis hortensi apio similibus, paulò latioribus, hirsutis, radicem ambientibus, nullis in caule dodrantali, lanuginoso, media sui parte villoso glomo pubescente, ex quo prodit floris aurei pediculus. Tertium radice quàm in superioribus graciliore, folio pastinacæ siluestris, apicibus in medio flore coaceruatis, luteis, quos in seminis conceptaculum tandem formatos spissa lanugo vestit. Hæc tria genera in monte Muræ, oppidulo Allobrogum vicino, reperiuntur. *Forma.*

PHALANGIVS. CAP. XXXI.

GRAECIS φαλάγγιον & φαλαγγίτης, Latinis similiter Phalangiũ & phalangites herba dicitur, quòd, Galeno auctore, demorsis à phalangiis auxilietur. Eam describit Dioscorides, ramulos duos aut tres aut plures habere, à sese distantes, flores albos, lilio similes, cum multis incisuris, semen crassum, nigrum, velut lentis dimidium (In Græcis exemplaribus legimus non πλατύ, id est, latum, vt ex Plinio conuertit Ruellius, sed παχύ, hoc est crassum, & in quibusdam non ὥσπερ φακῆς ἥμισυ, sed ὥσπερ φακῆς ἢ μεῖζον, id est, lentis magnitudine aut maiori, quæ lectio videtur probabilior) multò tamẽ gracilius, radiculam paruam, tenuem, viridem, dum à terra extrahitur, postea enim contrahitur. Nascitur in collibus. Eadem ferè Plinius tradit. Phalangites à quibusdam phalangium vocatur, ab aliis leucanthemum, vel vt in quibusdam exemplaribus inuenio, leucacantha. Ramuli sunt ei nunquam pauciores duobus, in diuersa tendentes: flos candidus lilio rubro similis, semine nigro, lato ad lenticulæ dimidiæ figuram, multò tenuiore, radice tenui, herbacei coloris. Istud phalangium Dalechampius esse censet herbam hîc expressam, quam reperit in terrenis collibus quà Lugduno *Nomina* *Forma.* Lib. 4. c. 105. Lib. 27. c. 12

PHALANGIVM, Matth.

Lugduno Viennam itur, radice breui, carnosa, in multas radiculas diuisa, cùm eruitur pallida, vel subrutea: sic enim χλωρὸν vertit ille, & non viridem, aut herbacei coloris, vt Plinius, & eum secutus Ruellius, postea autem cùm herba seruatur, albescente, quam notam à Dioscoride traditam Ruellius omisit: sic enim habent Græca exemplaria. ῥιζίον μικρὸν, λεπτὸν, χλωρὸν ἅμα τῷ ἐλκυσθῆναι ἐκ τῆς γῆς, ὕστερον γὰρ ἐκλευκαίνεται, non σωπέλκεται, vt in vulgatis, folia à radice multa, longa, gramini similia, latiora, virgata: caulis pedalis, nudus, in tres aut quatuor ramulos diuisus, florem sustinentes lacteum, lilio albo, non rubro, vt Plinius ait, omnino similem figura & colore, & croceis intus staminibus floris folia multis lineis in lõgum productis incisa conspiciuntur. Eandem plantam pro phalangio Pena & Lobellius representarunt. Eandem etiam Matthiolus quantum ex eius icone sola colligere licet: nam de plantæ habitu ac forma verbum nullum fecit. Ei aliud Lobellio Phalangium, quod ramosum nominat, Dodon. lib. 4. Hist. Stirp. Moly alterum Plinij, non satis rectè, vt multi censent: folia graminis habet humi strata, inter quę caulis erigitur rotundus, læuis, gracilis, circa summum in multos ramulos diuisus, quibus insident flosculi candidi, cariophyllis haud multùm absimiles, sed multò minores: radices sunt longæ, graciles, valde fibratæ. In hortis colitur. Phalangium tertium Cretæ Salonensis Pena & Lobellius statuunt plãtam superiori nõ dissimilem, quæ copiosa nascitur in Galbo

PHALANGIVM, Dalechampij.

PHALANGIVM Ramosum, Lobell.

in Galloprouinciæ planitie illa quæ vocatur *Craux de Salin*: cuius meminimus in Libro de Bulbosis inter Asphodelos. Phalangij folia, inquit Dioscorides, semen, flos cum vino pota contra scorpionum & phalangiorum ictus auxiliantur, tormina quoque discutiunt. Eadem prorsus Plinius tradit. Huius folio, vel flore, vel semine auxiliantur contra scorpionum phalangiorúmque & serpentium ictus: item contra tormina. Galenus, Phalangites sic appellata est, quòd morsis à phalangiis auxilietur. Est autem facultatis tenuium partium desiccãtis, quamobrem & tormina patientibus succurrit. Lib.3.c.105 Lib.27.c.12 Lib.8.simp

BELLIS. CAP. XXXII.

HIC DE bellide sertis & coronis frequentissimè intertexta dicendum ex Plinio. Dioscorides enim, Galenus, atque alij veteres eam silentio præterierunt. Ab eodem Plinio etiam Bellius nominatur, à recentioribus Consolida minor, & Herba margarita, à nonnullis Primula veris, præsertim ea quæ minor est & siluestris, Gallis *Marguerites & Pasquettes*, Germanis *Maszlieben*, & *Massuselen*, Italis *Primo fiore, & fior di primauera*. Potuerunt autem Belides funestæ illæ Beli Danai Regis filiæ quinquaginta, quæ totidem nuptæ maritis, eos quælibet suum iugularunt, his floribus nomen dedisse, quia multi visuntur vna gregatim & belluli, vnde vocantur vulgò *Marguerites*: sunt enim glomeruli multi florum quasi vniones siue margaritæ. Harum differentiæ aliquot reperiuntur. Fuchsius & Dodonæus species duas statuunt, alteram maiorem, alteram minorem: quam iterum in hortensem & siluestrem partiuntur. Matthiolus maiorem, mediam & minorem, atque huius differentias aliquot. Bellis, inquit Plinius, in pratis nascitur flore albo, aliquatenus rubente. Ex quibus perpaucis persuaserunt sibi herbarij eos flores, qui primo vere in pratis abundè erumpunt, bellides esse. Nec obstat, inquit Fuchsius, quod Plinius alibi bellio luteum florem esse tradat, quia non ad ambitum, sed ad discum medium floris, quod sanè luteum est, respexit. Præterea locus hic Plinij adeò corruptus est, vt in eo emendando frustrà hactenus desudarint docti viri. Sic enim in vulgatis legitur. Luteus & Bellio pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronatur, pratenses hi flores, & cætera. Vetus lectio habet teste Hermolao, Alij & Bellio pastillicantibus quinquagenis quinis barbulis coronantur: pratenses hi flores. Legitur à quibusdam, Luteum & bellio, vt subaudiatur vox semen, quæ præcedit. Perottus non pastillicantibus, sed patulicantibus legebat, hoc est, aperientibus se, quod Hermolaus non probat. Sed ad Bellidum delineationes reuertamur. Bellis maior, consolida media vulnerariorum folia profert ex angusto in latum desinentia, subrotunda, crassiuscula, virentia, circumquaque crenata, circa radicem humistrata, in caulibus oblongiora, senecionis similia, caules à radice multos, graciles, teretes, lignosos, pedales & cubitales, in quorum summitatibus flores exeunt in medio lutei, in ambitu foliolis quamplurimis venustis, & candidis ornati, anthemidis similes, sed

Nomina

Pet.Pe. fol.199.

Genera

Cap.53. Lib.2.c.19.

In cap.139. lib.3.

Lib.16.c.c. Lib.21.c.8.

Forma.

BELLIS Maior, Fuchsij.

BELLIS Maior, Matth.

BELLIS Media, Matth.

BELLIDIS Minoris ſpecies tres, Matth.

maiores, & inodori. Radix eſt ſparſa multifidáque, & fibrata. Bellis media foliis eſt minoribus, nec tam altè inciſis, ſed leuiùs ſerratis, in terra iacentibus, cauliculis tenuibus, flexilibus, rotundis, palmaribus, floribus ſuperiori ſimilibus, ſed minoribus, radice tenuiore, tamen multifida. Bellidi minori hortenſi folia ſunt longiuſcula, in ſummo ſubrotunda, leuiùs ſerrata, per humum in orbem ſtrata, erumpentibus è medio pediculis crebris, teneris, piloſis, palmaribus, qui flores ferunt colore & magnitudine differentes. Eſt enim in quibuſdā flos medio luteus, foliolis ambitu cādidis, anthemidis, interdum ſaturatè rubentibus, in aliis verſicoloribus, candidis ſcilicet & rubētibus, quæ frequentiores ſunt & vulgatiores. Quoſdam medio rubros,

BELLIS Siluestris, minor.

dio rubros, ambitu aut albos, aut versicolores esse tradit Matthiolus, radix candida est & fibrata. Huic bellis siluestris minor persimilis est foliis: flosculi similiter ex radice exeunt pediculis breuibus, in medio lutei, toto ambitu foliolis candidis decori vt in bellide maiore, sed multò minores & inodori. Ab hac quæ in hortis coluntur ad coronamenta, non differunt nisi cultu, inquit Pena. Annuâ enim & frequenti transplantatione maiores, habitiores confertiores, duplicati & triplicati, & elegantiores euadunt flores. Quinetiam præter magnitudinem tanta fertilitate luxuriant, vt ex primo flore pediculi surrigantur, quibus insideant alij & secundi flores. Galli ὑποχοεσικῶς vocant *Margaritons*. Idem & in Rosæ purpureæ flore aliquando prope Gratianopolin contigisse Dalechampius obseruauit, pediculo è floris medio prodeunte, qui alterum florem post nascentem sustineret. Idem etiam vidit in eiusdem Rosæ flore, Lugduni in horto Rouillij. Est & Bellis Lutea, de qua diximus Libro de Vmbelliferis. Bellis maior & minor in pratis nascitur, locísque aliis herbidis & palustribus. Iam & in hortis seritur. Minor primo statim vere apparet, tota ferè æstate durat. Maior Maio potissimùm mense floret. Bellidem vtramque calidam siccámque esse ex Plinio colligi Fuchsius tradit, qui illarum ad discutiendas strumas vsum esse scribit. Acidus tamen sapor quem in gustu minor præsefert, aliquam frigiditatis portionem in ea esse monstrat, quamquam bellides exsiccare euidentissimũ est. Omnes vulnerariam herbam esse nouerunt, valeréque potissimum in fracturis capitis admotam. Succus etiam herbæ à vulneratis vtiliter bibitur. Laudatur etiam herba ad membrorum resolutionem, itémque ad podagras, ischiada, & aduersus strumas. Hæc Fuchsius. Dodonæus eadem facultate frigida siccáque esse scribit. Alio in loco bellidis minoris folia humectandi, refrigerandiq; vi prædita esse, & humectare quidem ordine secundo intenso, refrigerare verò eodem remisso. Quod non probat Lobellius: constat enim temperaturæ frigidæ & siccæ potiùs esse. Dolores omnes articularios, ac podagricos ex calido siccóque humore mitigare cum butyro recenti & insulso trita, ac locis dolẽtibus imposita, potissimùm additis maluæ foliis. Eadem oleribus addita facilem aluum facere, (hoc Lobellio suspectum) & in causonide febre, ac in intestinorum inflammationibus magna vtilitate clysteribus admisceri.

fol. 199.

Locus.

Tempus.

Cap. 13. hi.

Temp. & Vires.

Lib. 2. c. 19.

De flo. c. 71.

PÆONIA. CAP. XXXIII.

GRAECIS παιονία, γλυκυσίδη, seu γλυκυσίς, & πεντόροβος dicitur, ab Apuleio σελήνιον, δυχομήνιον, θεοδότιον, σεληνόγονον, Aglaophotis, Latinis Pæonia, ab Apuleio Herba casta, Arabibus *Feonia*, Gallis *Piuoine*, Italis *Peonia*, Hispanis *Rosa del monte*, *Rosa albandeira*, Germanis *Peonienblum*. Pæonia verò ab eius inuentore medicinę peritissimo Pæone appellata est, glycysidè à Theodoro dulcisida, quod grana mali punici acinis similia habere videatur. Nam sidia mali punici grana à Bœotis nominantur. Ab eodem granorum cum eruo similitudine πεντόροβος Est enim ὄροβος eruum, quamquam & Græca Dioscoridis, & Latina Plinij exẽplaria reperiuntur, in quibus non pentorobon, sed pen-

Nomina

PÆONIA Mas,
Matth.

PÆONIA Mas,
Dalechampij.

Genera. toboron dubię lectionis & ſententiæ vox habeatur. Huius duo genera Dioſcoridi,
Lib. 3. c. 140 mas & fœmina. Dodonæus his pæoniam fœminam alteram addit. Pæonia mas fo-
De ſto c. 31. lia fert iuglandis, radice nitit ar digitali craſsitudine, palmi longitudine, intus alba
Forma. & odorata, altè deſcendente, biſida aut triſida, guſtu adſtringente, caulis altitudine
ſeſquipedali adoleſcit, comitãtibus multis ſto-
lonibus, qui, vt caulis, rubeſcũt. In ſummo cau-
le flores emicant egregio rubore inſignes, pu-
niceis magnis roſis ſimiles, extante in medio
veluti corniculo, floſculis illis luteis capillis
annexis circumuallato, quibus ſuccedunt ſili-
quæ foris lanuginoſæ, amygdalis ſimiles ternæ
aut quaternæ, in quibus cum dehiſcunt, multa
grana exigua, rubra, acinis punici mali ſimilia
inueniũtur, & in medio nigra, purpurea, quin-
que aut ſex. Fœminæ folia Smyrnij modo di-
uiſa ſunt, ſuperiore parte viridiora, inferiore
magis albicantia: rãdix nigra, cui appendices
veluti glandes ſeptem aut octo inhęrent, vt in
aſphodelo: flores vt maſculæ pæoniæ colore
aliâs valde rubri: aliàs dilutè rubentes: ſemen
in ſimilibus ſiliquis & ſimile. Plinius in diſcu-
tienda Pæoniæ vtriuſque hiſtoria à Dioſcori-
de diſsidet. Vetuſtiſsima inuẽtu pæonia eſt, in-
quit, nomenq; auctoris retinet: quam quidam
pentorobon appellant, alij glycyſidem. Hæc
quoque difficultas eſt, quod eadem aliter alibi
nuncupatur. Naſcitur opacis montibus, caule

PÆONIA Fœmina
prior.

Lib. 25. c. 4.

inter

inter folia digitorum quatuor, ferente in cacumine veluti græcas nuces quatuor aut quinque. Ineſt iis ſemen copioſum, rubrum, nigrúmque. Et alio in loco. Glycyſide, quam aliqui pæoniam aut pentorobon vocant, caulem habet duorum cubitorum, comitantibus duobus aut tribus, ſubrutilum, cute lauri: folia qualia Iſatis, pinguiora, rotundioráque & minora: ſemen in ſiliquis, aliud grano rubente, aliud nigro. Duo autem genera ſunt. Fœmina exiſtimatur cuius radicibus ſeu balani longiores, circiter octo, aut ſex adhærent. Mas plures habet, quoniam non vna radice nixus eſt, palmi altitudine, candidáque. Ea guſtu adſtringit. Fœminæ folia myrrhã redolent, & denſiora ſunt. Naſcuntur in ſiluis. Hæc Plinius, quorũ alia vt deprauata, corrigenda, alia ex vera plantæ hiſtoria ponderanda. Primùm id falſum eſſe marem fœmina plures habere radices, quoniam vnica nixus eſt, quod omnium qui pæoniam deſcripſerunt teſtimoniis comprobatur. Hoc emendari negatione ſolùm tranſpoſita debet hoc modò. Mas plures non habet, quoniam vna radice nixus eſt. Quod verò ſequitur, fœminæ folia myrrham redolent, & denſiora ſunt, in magna ſuſpicione verſatur, ne σμύρναν pro σμύρνιον agnouerit. Dioſcorides enim, ἡ δὲ θήλεια ἀπέχισαι τὰ φύλλα ὥσπερ σμύρνιον, inquit: niſi quis dicat cum ſmyrnium myrrham redoleat, perinde eſſe vtro modo dicas, vel fœminæ folia myrrham redolere vel ſmyrnium, denſiora verò eſſe non ſine ratione addit Plinius, etiamſi in Dioſcoride id non legatur, quod fortaſſe ſuprapoſitis eiuſdem verbis ſit ſubdendum, ἀλλὰ πυκνώτερα ἔχει. Præterea non ſibi conſtat Plinius, qui priore loco pæoniam caule inter folia digitorum quatuor eſſe ſcribit, poſteriore caulem habere duũm cubitorum, cum ad ſeſquipedem aut palmos duos tantùm aſſurgat auctore Dioſcoride, id quod & planta ipſa teſtatur. Sequitur comitantibus duobus aut tribus ſubrutilum, &c. Legendum foret comitantibus multis ſtolonibus ex Dioſcoride ſcribente παραφυάδας ἔχων πολλὰς. ſubrutilum caulem verè ſcripſit, quod tamen à Dioſcoride prætermiſſum eſt, alij librariorum vitio id eueniſſe exiſtimant, legendúmque, κάυλος ὡς διοσπιθαμαῖος, ὑπέρυθρος φύεται. cauli verò cutem lauri falſò tribuit, vt alicubi φλοιὸν ἔχειν δάφνης, pro δαφνοειδῆ legiſſe videatur, cum caulium pæoniæ cortex daphnoidi multò ſimilior ſit quàm lauro. Quod autem folia pæonię Iſatidis eſſe ait, ex Dioſcoride & plantæ effigie iuglandis reponito, illius enim folia iuglandis foliis haud diſſimilia ſunt, aliquãto rotundiora, minora & pinguiora. Pæonia fœmina altera caules habet & folia priori fœminæ ſimilia, ſed in virore candidiora, auerſaque parte etiam albidiora: flores minores, dilutius rubentes, radices quoque glanduloſas, ſed ſingulas multò longiores ac tenuiores. Hæc pæonia, mare nõdum reperto, à nonnullis herbariis mas credebatur, inquit Pena, quam promiſcuam, quaſi vtriúſque particeps eſſet, & neutram appellant. Quippe quantum à ſolo extat ſi perpendas, marem dicas: ſi erutas radices intueare, fœminam iudices, niſi quia pleniores & habitiores. His adiungitur à Lobellio Pæonia fœmina polyanthes, Belgij hortis ſpecioſo florum incremento, qui duplicatione & fœtura, vti papauera, maximum Althæę hortenſis florem æquant,

Lib. 27. c. 10

fol. 305.

PÆONIA Fœmina altera, Dodon.

Locus.

PÆONIA Fœmina Polyanthes, Lobell.

fol 305.

& interdum superãt. Nascitur pæonia, vt scribit Dioscorides, in altissimis montibus & præruptis: vt Plinius, in opacis montibus; & alio loco, in siluis: vt Apuleius in Cretæ & Siciliæ montibus. Hac ætate in hortis colitur, & vulgatissima quidem fœmina prior, deinde altera, mascula rarissima. Penamarem & fœminam Geneuæ Alpinis, & Narbonæ arduis Veganij culminibus, & ibidẽ siluosis, nõ procul alio celebri monte Lupi vocato se eruisse asserit, vere florentem, & ineunte æstate, ibíque peræq; frequentem vtrámque hortis, tamen notiorem fœminam, eóque vsu frequentiorem. Fœminis à partu non purgatis datur radix, auctore Dioscoride, cit menses amygdalæ magnitudine pota. Ventris doloribus cum vino pota auxiliatur, regio morbo correptis prodest, renum ac vesicæ doloribus. Decocta in vino & pota aluum sistit, rubra grana decem aut duodecim in vino austero & nigro pota, rubentem fluxionem sistunt. Stomachicis & erosionibus comesta prosunt. A' pueris pota & comesta initia calculorum eximunt. Grana nigra nocturnis suppressionibus, ephialtas nominãt, vuluæ strangulationibus, & veteri doloribus in aqua mulsa aut vino quindecim pota auxiliantur. Eundem ferè vsum pæoniæ medicum tradit Plinius, his verbis. Hęc medetur & faunorum in nocte ludibriis. Præcipiunt eruere noctu, quoniam si picus martius videat, ruendo in oculos impetum faciat. Et posteriore loco. Tradunt noctu effodiendas, quoniam pico martio impetum in oculos faciente, interdiu periculosum sit. Radix verò cũ effodiatur, periculosum esse ne sedes procidat: magna id vanitate ad ostẽtationem rei fictum arbitror. Vsus in his diuersus. Rubra enim grana rubentes menses sistunt quindecim ferè pota in vino nigro. Nigra grana vuluis medentur, ex passo aut vino totidem pota. Radix omnes vẽtris dolores sedat in vino, aluúmq; purgat: sanat opisthotonum, morbum regium, renes, vesicam: matricem autem & stomachum decocta in vino: aluum sistit: estur etiam contra malũ mentis: sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. Grana nigra auxiliantur & suppressionibus nocturnis in vino pota, quo dictum est numero. Stomachi verò erosionibus & esse ea, & illinere prodest. Suppurationes quoq; discutiũtur recẽtes nigro semine, veteres rubro. Vtrunq; auxiliatur à serpente percussis: & pueris contra calculos incipiente stranguria. Quę Plinius faunorum in nocte ludibria vocat, eadem posteriore loco noctiuagas suppressiones appellat, Dioscorides τῶν ἐφιαλτῶν ὠνηγμένης. Quid autem sit ephialtes, Latinè incubus Paulus Aegi. declarat, aduersus quem epilepsiæ nuntium cum plurimum valeat pæonia, ephialtion hanc vocauerunt antiqui. Quod de pico martio tradit, Theophrastus sic declarat. Ἀλλὰ ζῶ τοιαῦτα ὥσπερ ἐπιθέτα ἔστ ὠόρρωθεν, οἷον τὴν παιονίαν, ὅιδε γλυκυσίδην καλοῦσι, νύκτωρ κελεύουσιν ὀρύττειν. ἐὰν γὰρ ἡμέρας, καὶ ὀφθῇ ὑπὸ δρυοκολάπτου, τὸν μὲν χαρπὸν ἀπολέγων κινδυνεύει τοῖς ὀφθαλμοῖς. τὴν δ' ῥίζαν τέμνουσι φασὶν ἐκπίπτειν τὴν ἕδραν. Id est, Gaza interprete, At illa veluti adiectitia, & è longinquo ducta appareant, castam enim quam alij dulcisidam vocant, noctu effodiendam præcipiunt: nam si interdiu, & à Pico martio visus quisquiam sit, fructum quidem legens oculis periclitabitur. Radicem autem

Vires & Temper. Lib. 3. c. 140

Lib. 25. c. 4.

Lib. 27. c. 10

Lib. 3. c. 5.

Lib. 9. hist. cap. 9.

secanti

secanti sedes procidet. Sed vanissima sunt hæc: nã pæoniæ fructus & radix quauis hora diei & noctis sine periculo colligi & euelli possunt. Id annotasse præstiterit locum Plinij corruptũ esse quo in vulgatis exemplaribus legitur, Sanat opisthotonum, morbum regium, &c. quem ex veteri codice sic restituit Cornarius. Sanat opisthotonum, morbum regium, renes, vesicam, arteriam, & stomachum decocta in vino: aluumq; sistit: estur etiã cum alimẽtis. Sed in medendo quatuor drachmæ satis sunt. Sed & præter codicis illius fidem, inquit Cornarius, Plinius nusquam alias matricis voce hac significatione, qua etiam hodie vulgus vti solet, vsus est: nec vsquam malum mentis pro aliquo peculiari morbo dixit. Alij insaniam, siue melancholiam morbum interpretantur. Præterea scribit Plinius, sanguinis profluuium sisti herbæ pæoniæ semine rubro. Eandem & in radice vim. Et aliquanto post, Muliebribus morbis mederi maximè in vniuersum pæoniæ herbæ semẽ nigrum ex aqua mulsa. Eandem & in radice vim, menses ciere. Galenus de eiusdẽ facultatibus ita differit. Pæonia radicem habet leuiter astringentem cum quadam dulcedine, ac si plusculum dentibus mandas, acrimoniam quampiam subamaram subesse percipies. Quare menses ciet ex melicrato amygdali pota quantitate. Expurgat etiam iecur obstructum ac renes: sed hæc efficit quà acris & subamara est: quà verò quiddam etiam adstrictorium obtinet, in ventre prouenientes fluxiones sistere potest. Cæterùm eam in vino quopiam austero decoctam potare conuenit. Est porrò omnino & desiccatoria: quapropter haud desperauerim eam ex colo pueris suspensam meritò morbum comitialem sanare. Equidem vidi puellum quandoque octo totis mentibus morbo comitiali liberum, ac postea fortè cum quod à collo suspensum erat decidisset, protinus denuò conuulsione correptum, rursusq; suspenso in locum illius alio, inculpatè postea egisse. Porrò visum est mihi satiùs esse rursum id collo detrahere certioris experientiæ gratia: quod cum fecissem, ac puer iterum conuulsus esset, magnam recentis radicis partem ex collo eius suspendimus, ac deinceps prorsum sanus effectu est puer, nec postea conuulsus. Rationi consentaneum itaque erat, aut partes quaspiam à radice defluentes, ac deinde per inspirationem attractas affectos ita locos curare: aut aërem à radice assiduè alterari & mutari. Hæc Galenus. Seleucus vetus auctor, apud Athenæum interprete Hermolao, glycysiden pomi genus specie fici tradit, quod mulieres maximè deuitant infatuationis metu: ita enim, inquit, μαζίσμον interpretor. At Dalechampius Pæoniæ radicem μαζίσμως ποιεῖν, idest, τῶν τοκῶν φθορὰν, abortum facere, interpretatur: ideoq; fœminas ab ea consultò cauere: quod verisimile est, cum purgationes à partu, mensesque ciat Dioscoridi.

Embl. 142. lib. 3.

Li. 26. c. 11. Cap. 15.

Li. 6. simpl.

Lib. 3.

ASTER ATTICVS. CAP. XXXIIII.

ΑΣΤΗΡ ἀττικὸς Græcis & βουφθάλμιον, Aster atticus Latinis, idest, Stella attica, & Inguinalis. Est autem huic herbæ Asteris nomen à foliorũ in floribus figura stellæ modo radiatorum, quàm Græci Astera vocant: non quia noctu & in tenebris stellarum modo fulgeat. Adiecerunt illi ab Athenensi agro notam veteres Græci, quod illic ob soli tenuitatem frequentior aut melior fortè nasceretur. Bubonium ab iisdem dicta est, quod Inguinibus quæ bubonas illi vocant, tam præsenti remedio medeatur, vt alligata tantùm medicinam in eo malo homini faciat. Aster atticus, vt describit Dioscorides, virga est lignosa, florem habens in cacumine purpureũ luteúmve. (Sic enim habent vulgata exemplaria, tamen Matthiolus legendum censet ἄνθος πορφυρᾶν καὶ μήλινον, idest, florem purpureum & luteum,) velut anthemidis capitulum, in

Nomina

Li. 4. ca. 115.

Forma.

ambitu inciſuris diuiſum, foliola ſtellæ ſimilia: quæ verò circum caulem ſunt fo-
Lib.27.c.5. lia, oblonga & hirſuta. Breuiter ſic Plinius. Aſter ab aliquibus Bubonium appe-
latur, quoniam inguinum præſentaneum remedium eſt: cauliculus foliis oblõgis,
Ca.115.li.4. duobus aut tribus: in cacumine capitula ſtellæ modo radiata. Matthiolus legiti-
mum Aſterem atticum hîc depictum, floribus intus luteis, in ambitu purpureis,
eumdémque Vergilianum Amellum eſſe cenſet: quem duplicem floris colorem
etiam innuit Dioſcorides in fine capitis, his verbis, πορφυρίζον τὸ ἄνθος, ideſt, pur-
pureum in flore, vt & doctiſsimus Marcellus interpretatur, ſcribens herbæ huius
purpureum & luteum florem ad diuerſas floris partes referendum eſſe: ſunt enim,
inquit, purpurei coloris folia, quod verò medium inter ea folia capitulum eſt cha-
mæmeli modo luteſcit. Aſterem Italorum flore purpureo luteo vocat Lobellius:
Matth.ibi. in Galloprouincia, Narbonenſi Gallia & Longobardia reperitur. Herba iſta cau-
les ab radice mittit rectos, ſolidos, ac lignoſos, colore fuſco luteſcente: è quibus
circa cacumen ramuli oriuntur, in quorum ſummitate flores ſpectãtur ſtellæ mo-
do radiati, vt in anthemide, medio lutei, comantibus circumquáque foliolis dilu-
ta purpura nitentibus. Folia profert oblonga, acuminata, oleæ figura, minora ta-
men, hirſuta, aſpera, nigricantia, ſubamaro ſapore, in caule minora ſunt: radicem
habet multifidam, odore non ingrato, & nonnihil caryophylli reſipientem.
Locus. Naſcitur in collibus, & nõnunquam in pratis & ſiluis. Floret æſtatis fine, aut prin-
cipio autumni, vt Auguſto menſe & Septembri: durantq; in magnam autũni partẽ
eius flores, qui tandem flacceſcunt, & in pappos abeunt, ſemine paruo, oblongo,

ASTER Atticus, Matth.

ASTER Atticus alter, Matth.

intybo non multùm diſsimili. Matthiolus Aſterem atticum alterum oſtendit,
Narbonenſi agro prope pratorum margines & fluenta frequentem, auctore Pe-
na, qui Monſpelienſium Aſterem vocat, quo nulla alia planta melius Aſterem
Dioſcoridis deſignat. Florem enim edit æſtate aureum, circinatæ, compreſſæ, nec
admodum extuberantis rotunditatis Buphthalmi, aut Chryſanthemi, quem am-
biunt quina ſenáve foliola, anguſta, mucronata, rigida longiuſcula, ſtellã marinã,

piſcem

piſcem ita nominatum non parùm referentia : caules pedales , ternos aut quaternos,duros,hirſutos,quibus totis inſunt folia oblonga , Lychnidis aut verbaſci Salui folij tenuioris,hirſuta,rigidiuſcula,viridia,in fuſco obſcura: radicem capillatam ſparſam,ſapore aſtringente,amaricante,non acri, nec ita ingrato:ſemen Anthemidis,Auguſto vel Septembri maturum. In Franciæ, Belgij, Germaniæ , Galliæ hortis tantum prouenit.Purpuraſcũt quibuſdam in locis florũ foliola ſubtus. Eandem plantam pro Aſtere attico Lobellius pinxit. Prodeſt æſtuãti ſtomacho impoſita,inquit Dioſcorides,oculorum inflammationibus,bubonibus , & procidenti ſedi. Tradunt,quod in flore purpureum eſt , ſi bibatur ex aqua angina correptis, & puerorum comitialibus opitulari.Recens inguinum inflammationibus illita prodeſt. Sicca ſiniſtra manu dolentis decerpta, inguini adalligata doloribus liberat. Plinius non eadem omnia habet. Bibitur,inquit, & aduerſas ſerpentes. Sed ad inguinum medicinam ſiniſtra manu decerpi iubent , & iuxta cinctus adalligari. Prodeſt & coxendicis dolori adalligata. Galenus, Aſter atticus ſiue bubonium,non ob id tantùm quod illitum, ſed etiam quod ſuſpenſum bubones ſanare creditur, habet quiddam digerens,& præterea quidpiam non minimè refrigerans,ac reprimens,vt mixtæ ſit potẽtiæ,quemadmodum roſa , verum id non adſtringit. Merito etiam Aſter dicendus , cognomento purpureus montanus , qui in ſabuloſis, aridis , & perflatis mõtium tumulis, ac cliuis gignitur,radice nigricante,lignoſa ac dura,fibrata,foliis circa eam multis,humi repentibus , oblongis , anguſtis , in ámbitu non

Vires & Temper.

Li.27. c.10.

Li.6.ſimpl.

ASTER Purpureus montanus.

ASTER Atticus ſupinus,Cluſij.

ASTER Conyzoides,Geſneri.

crenatis

crenatis:caulibus dodrantalibus,parum folioſis: flore in caulis vertice anthemidi cæruleæ quam eranthemum vocant,ſimili, foliolis cæruleis purpureiſve, luteum veluti oculum ſtellatim ambientibus. Hîc addendi Aſteres duo. Prior erit Conyzoides Geſneri,facie,foliis,& ſurculis dodrantalibus Conyzæ minimæ ſimilis,flore Aſteris obſoleto luteo. In pappos euaneſcente. In Anglia, Belgio, & agro Louanienſi reperitur. Alter eſt Aſter humi iacens Cluſij, radice perenni , cauliculis multis ab vna radice exeuntibus,per terram magna ex parte ſparſis, hirſutis: foliis Aſteri ſecundo Matthioli ferè ſi milibus,ſed paulò viridioribus & numeroſis. Singuli rami durum & folioſum ſuſtinent caliculum,in quo flos luteus circinatæ rotunditatis,Buphthalmi aut Chryſanthemi æmulus , quo euaneſcente caliculi illi in dura adeò & lignoſa capitula euadunt , vt vngue vix frangi poſsint , & ſemen quod in eis continetur & firmiter hæret , erui. Inuenitur quibuſdam Caſtellæ nouæ locis.

BVPHTHALMVM. CAP. XXXV.

Nomina Forma. Dioſc. li.3. ca.139.

BOΥΦΘΑΛΜΟΝ Græcè, Buphthalmũ Latinè,& Oculus bouis dicitur,Arabice *Bihar*,Gallicè *Oeil de beuf*.Cauliculos profert teneros tenuéſque,folia fœniculo ſimilia,flores luteos, maiores quàm Anthemis,oculi ſpeciem referentes,vnde nomẽ traxit. Circa oppida naſcitur,& in cãpeſtribus. Eadẽ ferè Plinius tradit.Eſt & Buphthalmos ſimilis oculis, folio fœniculi,circa oppida naſcens,fruticoſa caulibus,qui & manduntur decocti. Quidã Cachlan vocãt. De vero Buphthalmo variæ ſunt recẽtiorum herbariorũ ſententiæ. Nõnulli putant herbã in pratis & agrorũ marginibus naſcẽtem , quam Bellidem maiorem diximus, Buphthalmum eſſe , quod floreſcit intus luteo,foris albis foliolis circundato, anthemide maiore. Alij in quibus eſt Fuchſius , eam quæ Officinis Cotula non fœtida dicitur, cui, vt ſuperiori, flos totus luteus non eſt,cuiuſmodi Buphthalmo eſſe debet, ſed toto ambitu candidus. Matthiolus aliud Buphthalmum , quod legitimum eſſe cenſet, depinxit , toto flore luteo. Dalechampius ab his diuerſum ad Rhodani ripam propè foſſas marianas proueniens,radice breui, tenui, candida,capillata,caule palmum longo,tereti, gracili, ſubrubro, foliis fœniculi per ramulos , è caule prodeuntes ſparſis,flore anthemidis,prorſus luteo,media ſui parte velut exculpto & cauo, oculi figura , vnde & nomen ei poſitum. Idem videtur eſſe Chryſanthemũ Valentinum Cluſij, quod ipſemet ad Buphthalmi genera potiùs referendum cenſet,niſi quis Achilleæ ſpeciem eſſe malit. Lobellius etiã Buphthalmum tenuifolium Narbonenſe vocat. Dodonæus ſtirpem aliam pro genuino Buphthalmo proponit, cui cauliculi exeunt è radicibus,tenues,tres,aut quatuor,aut plures, pedales,vel altiores,circa quos folia virentia, tenuiter diſſecta,ſimilitudine foliorũ fœniculi, ſed multò quã illius minora, flores in ſummo cauliculorum magni, calendulæ ſatis ſimiles,colore luteo magis dilutò , ſtaminibus in medio luteis,quibus capitulũ ſuccedit ex multis ſeminibus ſimul congeſtis commiſſum:radices tenues ſunt & fibratæ , veratri nigri radicibus ſimiles. Naſcitur pleríſque Germaniæ & Bohemiæ locis incultis. Alibi hortenſis eſt.

BVPHTHALMVM, Matthioli.

Ca.52. hiſt.

Ca.339. li.3.

Maio

BVPHTHALMVM verum, Dalechamp.

BVPHTHALMVM, Dodonæi.

BVPHTHALMVM Alterum, Penæ.

Maio menſe aut Iunio floret. Sunt qui velint ſtirpem hanc veratri nigri ſpeciem eſſe, nonnulli conſiliginem, quidam Seſamoides, alij Elleboraſtrum: cui nulla harum appellationũ conuenire poteſt vt perſpicuè docet idem Dodonæus, ſed ſolum Buphthalmi nomen, vt ille exiſtimat. Pena idem Buphthalmum exhibere videtur, quod ex Dalechampio hîc pictum damus. Alterum addit folio & facie Cotulæ fœtidæ, repertum ſecus Arantiorum lucos Olbię in Galloprouincia maritima. Caules promit flexuoſos, cubitales, & duos pedes altos, quos ambiunt folia tenella Anthemidis, lætiora, Cotulæ fœtidæ paria. Flores ſunt radiati, lutei Chryſanthemi aruorum, aut Calthæ ſponte naſcentis. Hanc etiam ſe reperiſſe, ait in agro Romano. Buphthalmi flores, auctore Dioſcoride, cum cerato triti œdemata & duritias diſcutiunt. Aiunt ſi ſtatim poſt exitum à balneo bibatur, bonum colorem morbo regio affectis ad tempus aliquod inducere. Breuiùs Plinius, hęc cum cera ſcirrhomata diſcutit: vbi ſuo more cum cera dixit pro σὺν κηρῷῃ, ideſt, cum cerato. Galenus, Buphthalmum, inquit, ſic appellatum eſt à floribus, qui figura quidem boum oculis videantur adſimiles, colore autem anthemidis floribus ſimillimi ſunt, ſed multò tum maiores, tum acriores, quare & vehementiùs digerunt, adeo vt & duritias ſanent cerato miſti.

De ſto. c. 62

Lib. 3. c. 139. *Vires & Temper.*

Lib. 25. c. 8.

Li. 6. ſimpl.

APHYL

APHYLLANTHES. CAP. XXXVI.

Nomina

THEOPHRASTVS inter ἐπιγεόφυλλα, ideſt, plantas quæ circa radicē folia fundunt, recenſet ἀφύλλανθες: quo loco Gaza φυλλάνθες legit, vertitq; fraudiflorā, deceptus forteſſe deprauata Plinij lectione. Cum verò in omnibus ferè plantis ea ſit florum conſtructio ac figura, vt foliorum certo numero quiſq; flos conſtet ambitum floris occupantium, & medios apices velut circumuallantium, vt in leucoijs omnibus, & aliis ferè innumeris, nunc varia figura ſtamina, fila, & id genus alia in medio extantia amplexantium, vt in voluulo, lilio, & ſimilibus, paucis id contigit, vt florem in foliola non explicatum & expanſum ſortita ſint, quod genus Aphyllanthes Græci vocauerunt, quia flores foliis careant. Aphyllanthis ſpecies tres ex Dalechampio hîc depinguntur, & deſcribuntur. Aphyllanthes primum radice conſtat breui, candida parum fibrata, cauliculis multis, interdum cubitalibus, ſæpius humilibus, anguloſis, infernè rubentibus, hirſutis, foliolis multis per caulem totum ſparſis, oblongis, anguſtis, gnaphalio vulgari ſimilibus, flore in caulis faſtigio ſingulari, cæruleo, non ex foliolis, ſed ex apicibus, ſeu ſtaminibus cæſiis, denſiùs congeſtis compacto, ſcabioſæ florem æmulante, ſapore in caulibus & foliis principio cum herba manditur, nullo, deinde

Li. 21. c. 16.

APHYLLANTHES, I.

Genera.
Forma.

APHYLLANTHES, II.

APHYLLANTHES, III.

ſubdulci

ſubdulci. In aridis & ſquallidis prouenit. Floret Iunio menſe. Hanc plantam Dodonæus tertium ſcabioſæ genus facit. Aphyllanthes ſecundum radice eſt parua, breui, candida, foliis propè radicem multis, ſaluiæ, aut betonicæ, longo pediculo nixis, parum diſſectis, caule pedali nonnunquam altiore, paucis in eo foliolis, flore in ſummo caulis vertice cæruleo, ex apicibus multis coagmentato, deorſum nutante, ſine vllis foliolis. Caulis & folia cùm franguntur lacteum ſuccum reddunt. Quidam morſus diaboli genus eſſe putant. Gignitur in pratis montoſis. Tertium radice eſt parua, fibrata, alba, foliis circa radicem multis, humi ſtratis, ex viridi nigricantibus, ſubrotundis, bellidis, in caule paucis aut nullis, caulibus duobus aut tribus pedalibus, rotundis, flore in cacumine cæruleo, aliis generibus ſupra deſcriptis ſimili, paulò latiore, corymbi forma, ſapore in tota planta amaro. Hanc Bellidem cæruleam vocat Pena, quæ à florum glomis globíſve Globularia à recentioribus nominatur, præſertim à Monſpelienſibus.

Locus. *Tempus.* Lib. 1. ca. 74.

ONAGRA. CAP. XXXVII.

ONAΓPA, ὀνοθήρα, ὀνυεὶς Dioſcoridi, ὀνοθήρα Theophraſto, ὀναγρον, ὀνοθήρα, ὀνοθυεὶς Galeno, Latinè ſimiliter Onagra, ſiue potiùs Oenagra, & Oenothera, Oenotheris, Oenuris à vino dicta. Frutex eſt arboris ſpecie, ita deſcribẽte Dioſcor. admodũ magnus, folia habẽs amygdalæ ſimilia, ſed latiora, & lilij foliis ſimilia, flores roſarũ ſpecie, magnos, radicem albam, longam, quæ ſiccata vini odorem reddit. Naſcitur in montanis locis. Eadem Plinius tradit. Et œnothera, ſiue onuris hilaritatem afferens in vino, amygdalaceo folio, flore roſaceo, fruticoſa, longa radice, & cum ſiccata eſt vinum olente. Hæc in potu data feras quoque mitigat: Quæ ex Theophraſto deſcripta ſunt: ἡ δὲ τῦ ὀινοθήρα ῥίζα, inquit, δοθεῖσα ἐν οἴνῳ πραότερον ποιεῖ καὶ ἱλαρώτερον. ὅ τε ἦθος. ἔχει δὲ ὁ ὀινοθήρας τὸ μὲν φύλλον ὅμοιον ἀμυγδάλῃ, πλατύτερον ὀλίγῳ, τὸ δὲ ἄνθος ἐρυθρὸν ὥσπερ ῥόδον. αὐλὸς δὲ μέγας ὡς πῆχυς, ῥίζα ἐρυθρὰ καὶ μεγάλη. ὅτε δὲ ἀνανθεῖσης ὥσπερ οἶνος (corruptè: legendum enim ex Dioſcoride & Plinio, ὅτε δὲ ἀνανθεῖσα ὥσπερ οἶνος) φιλεῖ ὀρεινὰ χωρία. Ideſt, Gaza interprete. Contra radix œnothere data in vino mitiores hilarioreſq; mores reddit. Conſtat œnothera folio amygdalæ, verùm maiore, flore roſaceo: loca adamat mõtoſa. Omiſit Gaza, αὐλὸς δὲ μέγας. &c. Oenothera magnus eſt frutex, radice rubra & magna, quæ ſiccata vinum olet. Stirpem hanc diu & multùm quæſitam fortaſſe nondum repererunt herbarij: tamen eruditi quidam ex coniectura hanc exhibent, quæ frutex eſt prægrandis, ad hominis enim altitudinem aſſurgit, folio amygdalino, ſed latiore longioréque, ſiue ſaligno, quam ob cauſam quidam Salicariam appellarunt, caules inæqualiter diſtinguente, flore in ſummis caulibus roſaceo Dioſcoridis & Theophraſti ſententia, quorum hîc ἄνθος ἐρυθρὸν ὥσπερ ῥόδον requirit, ille ἄνθη ῥοδοειδῆ, quod de floribus expanſis intelligendum: nam initio concluſi veluti ſpicatim coaceruantur: ſemen minutulum ſiliquis includitur, lanugine obductum. Radice nititur craſſa, longa, ſurculoſa, cortice è nigro rubeſcente, intus candida. Qua ratione Theophraſtum cum Dioſcoride conciliabis, qui radicem candidam

Nomina

Lib. 4. c. 113

Li. 16. c. 11.

Lib 9. hiſt cap. 21.

ONAGRA.

Locus. *Vires.* Lib.4.c.113. Li.24.c.17 Li.26.c.14. Li.8.simpl.

describit, Theophrastus rubrã. Nascitur in montibus. Aqua in qua radix maduerit in potu data auctore Dioscoride, feras mitigat, & cicures reddit: illita quoque maligna vlcera mulcet. Adiecit Crateuas, inquit Plinius, œnotheridem, cuius aspersu è vino feritas omnium animalium mitigaretur. Et, per se œnothera efferantia sese vlcera sanat, ita θηριώδη ἕλκη Dioscoridis exponens. Huius radix, inquit Galenus, arefacta vinosum quiddam redolet. Sed & facultatis vini est maximè.

LINARIA RVBRA. *CAP. XXXVIII.*

Nomina Lib.25.c.9 Lib.4.c.84 *Forma.*

PLANTA hæc herbariorum quorumdam iudicio Therionarca est Plinij, fruticosã, foliis subuiridibus, flore roseo, at Delphinium Dioscoridis. Radicem mittit longam, subluteam, lignosam, singularem: caules multos, rubentes, ramosos: folia Linariæ, longa, angusta, candicantia, seu ex viridi pallentia, densius stipata, gustu acerbissima: flores violæ similes, puniceos, quatuor foliolis constantes, quæ totidem apicibus eiusdem coloris à sese diriminuntur: è medio fila extant pallida: semen paruum in siliquis longis, tenuibus, pappo plenis abditur. Eiusmodi planta cùm hæc sit, à pleriscq; an Delphinium sit Græcorum non sine causa ambigitur, quod huius folia incisa non videantur, qualia Delphinij à Dioscoride describuntur. At si diligenter notas à Dioscoride memoratas expendamus, à Delphinij historia parùm distat, siue natales spectemus, siue caulium numerum & magnitudinem, siue folia ἐπεχισμένα, ideſt, diuisa, non per ambitum insecta, sed ex vno veluti tuberculo multa exeuntia, deinde in longum pectinatim diffissa Pinastri modo, quo vocabulo in ea notione Theophrastus vtitur, siue florem leucoij purpurascentem, siue cum siliquis semen milio proximum. Similitudinem cum Delphino quidam in foliis obseruandam censent, Delphini rostrum acutum & oblongum imitantibus: Alij foliorum colorem Delphino similem esse interpretantur, quod glauca sint eius piscis modo. Fortasse quidem absurdum non fuerit Therionarcam Plinij & Delphiniũ Dioscoridis eandem esse plantã existimare, præsertim cùm eædem vtriusq; facultates ab illis auctoribus tradantur, vt deinceps dicetur: nec alibi Delphinij mentionem Plinius faciat. Planta ista prouenit in asperis & apricis, sicut & Delphinium Dioscoridis. Plinio in Cappadocia & Mysia Therionarca Magica, (non Nostras quæ ab ea differt) nascitur. Therionarca Magica omnes feras torpescere, nec nisi hyænæ vrinæ aspersu recreari auctor est Plinius. Et alio in loco, Serpentes necat, inquit, & cuicumque admota feræ torporem adfert. At cùm Therionarca dicatur, quod sit τῶν θηρίων νάρκη, hac admota non feras omnes torpescere, & serpentes necari, sed venenatas tantùm bestias, & morsu ictúve noxias, meliùs fortasse dixisset Plinius. De Delphinio verò scripsit Dioscorides, semine nihil vtilius bibi posse à scorpione percussis. Aiuntq; obiecta herba scorpiones resolui, atque ignauos torpescere: semota verò ea sese recolligere.

LINARIA Rubra.

Locus. Li.24.c.17.

Li.24.c.17. Lib.25.c.9.

HELE

HELENIVM. CAP. XXXIX.

HELENION, Latinè Helenium & Inula, Apuleio Inula Campana, Officinis Enula cãpana, Arabicè *Iasin*, siue *Kasen*, Italicè *Lella*, *Enola* & *Enoa*, Germanicè *Alant*, Gallicè *Aunee*. Ab Helenæ lacrymis Helenium dictum esse volunt, ex quibus natum fabulantur. Alij quod contra serpentes ex eo primum ab Helena remedium inuentum sit. Alij ab Helena insula, vbi longè optimum luxuriat. Folia habet, vt describit Dioscorides verbasci angustioris folij, asperiora, oblonga: caulem quibusdã in locis non emittit: radicem subalbidam, interdum subrufam, odoratam, subacrem, vegetam, magnam, ex qua agnatæ propagines liliorum aut ari modo seruntur. Montanis vmbrosis & siccis prouenit. Vulgati codices habent ἀνίκμοις, idest, succis, alij ἐνίκμοις, idest, humectis, idq; rectiùs Hæ notæ omnes in Inulam vulgatam prorsus competunt, nisi quod folia ille comparat verbasco τενοφύλλῳ, nostræ autem Inulæ folia non solùm sunt verbasci τενοφύλλα, sed etiã πλατυφύλλα multò latiora, vt hoc loco Græcus codex mendosus sit, & non solùm hoc, sed aliis etiam huius capitis locis, teste Marcello Florentino, affirmante se habuisse vetustissimum & probatissimum Dioscoridis codicem, in quo multò plura legebantur, quàm in cæteris omnibus Græcis exemplaribus. Quod igitur de floribus & aliis partibus illic deesse, hîc ampliore delineatione suppleri sic potest. Helenium folia profert grandia, lata, verbasci latifolij, latiora, longiora, hirsuta, in acutum desinentia, dorso prominente: caulem inter hæc, duos, tres, interdum quatuor cubitos procerum crassum, hirsutum: in summo florem luteũ, siue aureũ, stellatum Chrysanthemi modo, sed maiorem: semen verbasculo simile, tactu pruritum faciens: radicem vegetam, grandem, tortuosam, exteriùs nigricantem, interiùs candicantem, sapore amaro, subacri, ex qua agnatæ propagines seruntur. Sicca multò acriore est odore & sapore, magísque aromatico, quàm cùm recens adhuc est. Loca amat vliginosa, in montibus etiam vmbrosis nascitur, & in siluis. Iunio & Iulio mensibus floret, Augusto semen maturescit. Potum radicis decoctum, auctore Dioscoride, menses & vrinas ciet. Ipsa in eclegmate ex melle prodest tusi, orthophnœæ, ruptis, conuulsis, inflationibus, & serpentũ morsibus. In summa excalfacit. Folia eius ex vino cocta vtiliter ischiadicis illinũtur: radix & stomacho vtilis est in passo condita. Trita potáque ad cruentas excreationes efficax est. Plinius non vno loco Inulæ meminit. Breuior his est, sed terosior, amariorq; Inula per se stomacho inimicissima, eadem dulcibus mixtis salubberrima. Et mox illustrata maximè Iulię Augustæ quotidiano cibo. Superuacuum eius semen: quoniam oculis ex radice eius excisis, vt arundo seritur. Et Inula quoque à ieiunis commanducata dentes confirmat, si, vt eruta est, terram non attingat. Condita tusim emendat. Radicis verò decoctæ succus tineas pellit: siccatæ autẽ in vmbra farina tusi, & conuulsis, & inflationibus, & arteriis medetur. Venenatorum morsus abigit: folia ex vino lumborũ dolori illinuntur. Galenus de eadem

Nomina

Forma. Lib. 1. c. 27.

Locus.

Tempus. Lib. 1. c. 27.

Vires & Temper.

Lib. 19. c. 5.

Lib. 20. c. 5.

Lib. 6. simpl.

HELENIVM, Matth.

ira scripsit, Helenij radix maximè vtilis est, nõ primo statim occursu excalfactis, ac proinde non dicenda calida & sicca exquisitè, ceu piper tum atrum, tum candidum, sed cum recrementitio humore. Quapropter ecligmatis, quæ faciunt ad educendos ex thorace & pulmone crassos lentosq; humores idoneè commiscetur. Rubrificant quoque ea partes frigidis ac diuturnis vexatas affectibus, cuiusmodi sunt ischiades, & exiguæ assiduæq; articulorum procidentiæ ac luxationes. Hæc Galenus. Vinũ quod ex Helenij radicibus passim in Germania paratur, frequenter in potu sumptum, mirificè visum acuit. Aridæ radicis farina denarij pondere diebus aliquot ex vino vetere hausta spleniticos iuuat, Helenij radicũ succus cum pari hyssopi succi pondere, & aquæ stillatitiæ tussilaginis triplicato pondere, saccharíque quantũ sat fuerit, ad mellis spissitudinem decoctus, magnopere asthmaticos iuuat, si frequẽter vtantur. Sicca radix foris vtilis est, sin intro sumas humente adhuc, atque recenti vtendũ, præsertim in pulmonis chronicis affectibus. Aliud à superiore Helenij genus in Ægypto gigni Crateuas tradit, auctore Dioscoride, quod plantæ hîc depictæ aptiùs competere quàm vlli alij quidã existimant. Est enim radice palmum longa, supernè crassa, infernè gracili, multis fibris capillata, lignosa, cortice nigro subrubente, intus pallida, cauliculis plurimis, rotundis, humi quaquauersum fusis, serpilli modo, cubitalibus, foliis lentis serpilli, sed maioribus, longioribus, amplioribus, circa ramulos crebris, nonnihil villosis, flore violæ aureo, quinque foliolis constante, multis in medio filis extantibus, pallidis, antequam dehiscat corticoso loculo abdito. In aridis agris, lapidosis & sabulosis nascitur. Ab hoc Helenio secundo quod descripsimus Helenium Theophrasti φρυγανῶδες vt odoratum multùm differt, quod Marum nostrum quidam esse putant, vulgò *Mastich*.

Matth. in ca. 27 li. 1.

HELENIVM Minus, Dioscorid.

Li. 1. ca. 128.

Forma.

Locus.

HELIANTHE. CAP. XL.

Li. 24. c. 17.

Nomina

HELIANTHEN Plinius inter magicas recenset. Helianthen, inquit, vocat in Themiscyra regione & Ciliciæ montibus maritimis, folio myrti. Hac cum adipe leonino decocta addito croco & palmeo vino perungi Magos & Persarum Reges, vt fiat corpus aspectu iucundum: ideo eandem Heliocallidam nominari. Ex qua breui declaratione iudicare difficilè est quænam hodie sit hæc planta. Plerique tamen Helianthen siue Helianthemon, id est, Solis florem esse putant, eam quæ hîc picta est, interdum humi repens, interdum erecta, si pedamenta quibus fulciatur nacta fuerit: cauliculis numerosis, tenuibus & gracilibus: foliis oblongis, carnosis, hyssopi hortensis ferè aut ledi, sed breuioribus, leuiter hirsutis, quibus lentus inest succus. Flores in cacumine exeunt exigui, veluti paruulæ quædam rosæ, sed minores, pares forma & magnitudine floribus Argentinæ siue Potentillę dictæ, in vna candidi, in altera lutei: radices tenues, lignosæ rufescentes. Nascitur in asperis, siccis & apricis, tam campestribus quã montanis locis. Æstiuis mensibus floret. Dodonæus & Tragus

Forma.

Locus.

Lib. 6. hist. ca. 12.

Hyssopum

HELIANTHEMVM, siue flos Solis:
Hyssopus nemorensis, Dod.

HELIANTHES
Species Penæ.

Hyssopum nemorensem vocant, Germanicè *Heyden ysop*, & *Feld ysop*, pleriq; Latinè Gratiam Dei. Est tamen & alia herba Gratiola à recentioribus dicta. Cordus & pleriq;, vt diximus, Helianthemum & Solis florem appellant. Clusius Cisti humilis nomine depinxisse videtur. Dodonæus quoque in florum historia ad Cisti ledi genus refert. Monspelij etiam Cisti parui speciem fecerunt. Quidam Chrysocomem, eam, scilicet, in cuius floribus luteus, siue aureus color relucet: cui tamen Chrysocomes historia parùm competit. Alij Helenium secundũ Crateuæ. Matthiolus plantam eandem Solis florem à recentioribus appellatam, quæ folium habet oblongum hyssopi ferè modo, surculos multos, tenues, lignosos, florem pentaphylli, sed maiorem, aureo colore, radicem lignosam, rufescentem, gustu adstringentem, à quibusdam pro Panace Chironio censeri refert. Sed cùm Panaci Chironio Dioscorides tribuerit folia amaraco similia, radicem gustu acrem, illorum sententiæ non subscribit. Florem itaque Solis in Symphytorum genere esse censet: quoniam facilè vulnera glutinat, & sanguinem manantem sistit: oris & pudendorum vlcera sanat: in vino decocta, si eo vlcera abluantur. Datur potui ad cruenta sputa, & ad dysenteriam vnà cum radicibus contritus: præterea ad mensium abundantiã. In summa vbi agglutinare, cohibere, & roborare opus sit, ea omnia perinde præstat, ac cætera Symphytorum genera, Matthiolo auctore. Aliam Helianthes speciem raram pingendam curauit Pena, ex iugis arduis mõtis D. Bonauenturæ, non procul Aquisextiis erutam, radice lignosa, paulùm inflexa, supernè & infernè nodosa, è qua emergunt, viticulæ palmares, iunceæ, rectæ, flexiles, albidæ, foliolis lentis aut coluteæ scorpioidis, ex glauco virẽtibus ab imo summo tenus stipatæ, floribus aureis & caliculis Helianthes supra descriptæ: semine item non dispari, pusillo, Cisti ledi, amaro gustu.

Lib. 1. c. 73.

Li. 1 stirp. Hispa. c. 55.

Cap. 50. li 3.

Vires.

ASPERVLA CAP. XLI.

Dodon.

Nomina

Forma.

Locus. *ASPERVLA Cærulea, Lob.*

Tempus. Vires & Temper.

IVM florum venustate, tum grato totius plantæ colore inter coronarias hæc meritò recensenda, quæ Latinis Asperula, tamen non nisi semine aliquantulum aspera, & Aspergula, & Spergula odorata, & Herba stellaris, Gallis *Muguet*, Germanis *Hertzfreydt*. Quorumdam iudicio Alysson Plinij ab Erythodano foliis tantum differens & minoribus ramis: ab Alysso Galeni, lib. 2. de Antid. etiam distans, quod est Marrubio simile, asperius, spinosius circũ globulos: floris colore ad cyaneum vergente. Cauliculos multos edit quadratos, geniculatos: circa singula genicula septena vel octona folia, stellatim radiata, aparinæ, latiora, magísque virentia, non aspera. In summis caulibus flores candicant, odore suaui, vt & tota planta: semen rotundum & nonnihil asperum. Rarò alibi quàm in hortis, vbi odoris commendatione colitur: alioqui locis opacis gaudet, & parietinis vdis. Maio mense floret, odoréque tunc est præstantiore. Caloris & siccitatis particeps est, gallio facultatibus proxima. Vulnera cicatrice obducere aiunt, & vino iniectum cor recreare, & iecur malè affectum roborare. Cærulea in Flandriæ hortis, teste Lobellio, interdum in agris visitur, sed inodora, foliis hirsutis Aspergulæ. Semen item & flores non dissimiles, sed cærulei summis stellatim digestis foliolis procumbunt: radice rubente, tenui & oblonga Perperàm Alysson Galeni.

AMARANTHVS PVRPVREVS. CAP. XLII.

FLOS eximiæ venustatis, & non solùm recens, sed & exsiccatus diutiùs purpureum & flammeum colorem conseruans, ideo ad corollas etiam hyeme conficiendas aptissimus, huic herbæ nomen Amaranthi dedit, quod non marcescat, herbariis quibusdam nostræ ætatis ex amore & anthos dictionem cõponi credentibus, flos amoris vocatur, à Germanis hanc appellationẽ vsurpantibus, *Flor amor*, aliàs *Samatblum*, Gallis *Passeuelours*, indicantibus eo nomine, inquit Ruellius, sericum coccineum, quod Carmesinum nuncupant, cum quo de coloris principatu certat, superari: Italis *Fior veluto*. Caule est cubitali, altiore, striato, prope radicem rubescente, læui, ramoso: circa quem folia oblonga, lata, acuminata, mollia, glabra, virentia, aut in virore nonnihil rubentia, inter quæ secus ramulos pro floribus exeunt spicæ aspectu gratissimæ, sed inodoræ, in purpura splendentes, coccum saturatum qui in holo serico

Li. 2. c. 110.

Forma.

AMARANTHVS Purpureus, Matth.

ſerico villoſo micat, referentes, ac quodammodo coloris gratia ſuperantes, attritu ſimili ferè colore ſuccum reddentes, quę decerptæ diutiùs pulchritudinem ſuam retinent, aliquot etiam annis non marceſcentes, vnde & nomen inuenit. Semen maturatis ſpicis inſidet paruum, nigrum, & multùm ſplendens. Radices breues ſunt & fibratæ. Docti herbarij cenſent hunc eſſe a naranthu n Plinij ſic ſcribentis. Amarantho non dubiè vincimur. Eſt autem ſpica purpurea veriùs quàm flos aliquis, & ipſe ſine odore. Mirum in eo gaudere decerpi, & lætius renaſci. Prouenit Auguſto menſe: durat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus aſſeruatur, mirúmque, poſtquam defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiſcit, & hybernas coronas facit. Summa eius natura in nomine eſt, appellato, quoniam non marceſcat. Hæc Plinius. Eſt hæc planta Trago Circæa, phlox ſiue flammà Theophra. Anguillaræ. Lobellius alium pinxit Amaranthum ſimplici ſpicata panicula, ab imo ad ſummum vſque ſingulis ſpicatis floribus coccineis, ſaturatè punicantibus luxuriat, omnia ſuperiori non diſsimilia, ſed folia anguſtiora, exiliora. Item alium holoſericeis, ſanguineis, reticulatis floribus, hilariore aſpectu. Is eximię venuſtatis & rarior in hortis Italicis colitur, vbere florum prouentu, eorum ſummis in arcum curuatis, colore rubro, vegeto, & planè cruento: ſemine copioſo.

Lib. 21. c. 8.

AMARANTHVS Anguſtifolius, Lobellij.

AMARANTHVS Holoſericeus, Lobilly.

Locus. A'mulierculis magna diligentia in hortis & fictilibus colitur. non solùm ad serta & coronas factitandas, sed etiam ad matricis renúmque profluuia sanguinea, vlceráque sanie manantia. Aiunt enim recentiores facultate frigida siccáque esse, quare florem eius epotum cœliacis & dysentericis prodesse, mensium abundantiam cohibere, & albas vteri fluxiones. Præterea cruenta expuentes iuuare, præsertim cùm in pectore aut pulmone vas aliquod ruptum fuerit, nec id sine ratione: nam Amaranti omnes, auctore Lobellio, refrigerant, adstringunt & siccant.

Matth. in c. 52. lib. 4.

FRAXINELLA. CAP. XLIII.

Nomina *Forma.* FLORES quoque speciosi & suauissimè redolentes, imò totius plantæ pulchritudo hanc nobilitarũt, nec à Græcis, nec ab Arabibus fortasse cognitam, quæ à foliorum Fraxini similitudine Fraxinella dicta est à recentioribus, à nonnullis pumila fraxinus, ab aliis Dictamnum album. Caulem edit sesquicubitalem & bicubitalem, rotundum, asperum, folia Fraxini, in caulis cacumine flores citrei mali non absimiles, odore cum quadam graueolẽtia iucundo, in purpura albicãtes, vt in malua, è quorum medio staminula quædam pendula porriguntur, radicibus nititur multiplicibus, albicãtibus, mutuo amplexu hærentibus, minimum digitum crassis. Singulos flores delapsos quaternæ aut quinæ excipiunt siliquæ scabro exteriùs cortice, tactu viscidæ, grauis odoris, ferè hircini, in quibus semen nigrum, læue, pellucidum. Nascitur in collibus cliuosis & saxosis. Iunio & Iulio mensibus floret. Pena Tragium prius à Dioscor. descriptum lentisci facie, huic planè quadrare asseuerat, cum magnis rationibus, frustra dissentiente, vt is putat, Matthiolo. Cæterùm videtur repugnare quod lacteũ succum non mittit, id quod historia Dioscoridis postulat. Huius radicibus non temerè vsi sunt practici, eodem Matthiolo auctore. Attenuant enim, aperiunt, prouocant, abstergunt. Adduntur vtiliter antidotis quæ ad venena & venenatorũ animalium ictus parantur, necãt interaneorum vermes drachmæ pondere haustæ. Dantur contra frigidos vteri morbos, menses, secundas, & mortuum fœtum educunt, tum suppositæ aut cum pulegio suffitæ, tum ex vino meraco potæ drachmarum duarum pondere. Valent ad aluitormina, & ad renum calculos eiiciẽdos eodem pondere. Miscentur commodè potionibus internorum vulnerum, & foris admotæ vi epispastica præditæ sunt. Quidam iisdem vsi sunt ad morbum hispanicum drachmam quotidie præbentes ex Gaiaci decocto, non sine magno ægrotantium commodo. Datur quoque comitialibus, & in aliis frigidis cerebri affectibus. Præstant contra pestilentiæ contagia, quocúnque modo sumantur. Siliquæ & flores tactu pruritum excitant, & in calidioribus regionibus cutem vlcerant.

FRAXINELLA, Seu Dictamnum album.

Locus. *Tempus.* Lib. 4. c. 44 Dod. lib. 3. cap. 21. Pena fol. 410.

In cap. 44. lib. 4.

In cap. 33. lib. 3.

Vires.

CHRY

CHRISANTHEMVM *Matthioli.* CAP. XLIIII.

CVM multæ sint plantæ aureis floribus decoræ, ideò Chrysanthemi appellatione dignæ, difficilè admodum iudicatu est, quænam planta verum Dioscoridis Chrysanthemum referat, præsertim quum quæ Dioscorides capite de Chrysanthemo refert, eadem omnia capite de buphthalmo tradiderit. Præterea Plinius Chrysanthemi seorsum non meminit, nisi quod elichrysum quibusdā Chrysanthemum vocari dixit. Nec Galenus, nec Aegineta quasi Chrysanthemum foret buphthalmū, aut nominetenus distarent, vspiam Chrysanthemi memineruntsed buphthalmum iisdem quibus Dioscorides verbis posteritati mandarunt, penéque persuaserunt commentitium vel spurium caput de Chrysanthemo esse, vel cuiuspiam librarij industria nominis & ordinis quadam consecutione illecti, illuc inter chrysogonum, chrysocomē, heliochrysum & ageratum apud Dioscoridem adscitum; eodemq; penè orationis filo & viribus quibus buphthalmum. At id negat Matthiolus, & discrimen inter buphthalmum & Chrysanthemum, & particulares vtriúsque notas has ostendit. Primùm inquit, folia buphthalmi sunt fœniculo similia, quæ planè capillacea sunt, Chrysanthemo verò tenera, multifida, minutimq; per ambitum laciniata. Deinde Chrysanthemi caules in cibis manduntur cæterorum olerum modo, quod de buphthalmo scribens ille omisit. Ad hæc flores buphthalmi anthemidis floribus comparauit, Chrysanthemi verò luteos, & vehementer splendentes esse dixit. Iam verò buphthalmi flores cum cerato triti tumores duritiásque discutere tradidit in vniuersum, Chrysanthemi verò flores steatomata discutere priuatim dixit. Cum igitur hæc sint plantarum discrimina caput de Chrysanthemo hoc pacto legendum censet Matthiolus. Chrysanthemū herba est tenera, fruticosa, læues proferens caules, & folia multifida, flores luteos, admodum splendentes. Eius caules manduntur olerum modo, flores cum cerato triti steatomata discutere produntur. Cui descriptioni nulla prorsus reclamat nota inquit ille, huius plantæ quā legitimum Chrysanthemum esse censet, quod frequentissimū prouenit in Senensi agro, præterea in Bohemia, Morauia, & Austria, idq; in campis cuius foliis, infima plebecula in Hetruria pro olere vescitur. Eandem Chrysanthemi segetum nomine pinxit Lobellius. Dodonæus

Lib. 4. c. 53.

Lib. 3. c. 149

Pena fol. 345.

In Cap. 53. lib. 4.

CHRISANTHEMVM, Matthioli.

CHRYSANTHEMVM, Mycon.

Nomina næus etiam Chryſanthemum vocat. Alterum Chryſanthemi genus vocat Myconus hîc depictum, à ſapore, odore, figura florum, & naturalibus iiſdem cum Matthioli Chryſanthemo. Caſtellani apud quos frequens naſcitur. Giralda nominant,

Forma. fruticoſa eſt herba, multos ex radicibus proferens caules, cubitales, rubeſcentes, ſolidos, lineis per longitudinem ceu ſtriis diſtinctos, ſurculoſos, in quibus folia longa, lata, digiti amplitudine, neruoſa per ambitum ſerrata. In caulium ſummitatibus viſuntur flores in ambitu lutei, pulchri, tam interna quàm externa parte Chryſanthemi ſuperioris floribus ſimiles: Radices ſubſunt candidæ lignoſæ, multis capi-

Locus. lamentis fibratæ, per ſumma terræ ſparſæ. In pratis & campeſtribus paſsim prouenit. Floret Maio & Aprili. Sapor idem qui Chryſanthemi.

CHRYSANTHEMVM PERVNIANVM.
CAP. XLV.

Nomina Locus. PLANTAS omnes aureo flore ornatas tum pulchritudine, tũ magnitudine ſuperat planta, quæ (Chryſanthemum Perunianum nominatur, quod in Peru aliiſq; quibuſdam Americæ prouinciis repertum fuiſſe dicatur, & inde ad nos delatum:) planta maxima dicitur ab aliis Solis flos, Sol Indianus, Luſitanis Gigante. Eſt enim procera admodum ſtirps, vt quæ in Hiſpania vſque ad viginti quatuor pedes adoleſcat. Qualem autem vidi

CHRYSANTHEMVM Perunianum, ſiue Planta maxima.

SOLIS FLOS Minor, Lobell.

Forma. Lugduni in horto Rouillij, talem hîc deſcribo. Ad duodecim fere pedes accreuit, caule recto, rotũdo, valde craſſo, nodis multis referto, ex quibus pediculi enaſcuntur, præſertim à medio caule vſq; ad ſummum, digitum craſsi, pedem longi, ſuſtinentes folia in exortu pedem lata, pedem & dimidium longa, acuminata, aſpera, ſupernè ex atro virentia, infernè pallida. Caulis ſummitas in rotundum & tuberoſum capitulum deſinit, quod gliſcente flore in ſcamas multas, denſiùs congeſtas, veluti in cinara craſſas, ex nigro virentes, valde acuminatas ſed non pungentes dehiſcit,

dehiſcit,quæ florem circumplectuntur ex innumeris foliis denſiùs ſtipatum, longis,craſsis,acuminatis Lilij purpurei maioris quodammodo ſimilibus, ſed maioribus,& auri luteo colore ſplendentibus: quæ prorſus aperta & expanſa diſcum,ſiue orbem oſtentant pedem latum, initio luteum, deinde rufeſcentem. Totus flos deorſum valde nutat. Eſt & flos Solis alter minor, caule alis brachiato,foliis ſimilibus,& florem minorem foliis in ſtellæ morem cingentibus

POLYANTHEMVM. CAP. XLVI.

Πολυάνθεμον, & Latinè Polyanthemum à nonnullis batrachium dicitur, id eſt,ranunculus, quod ranunculo perſimilis ſit, Gallis *Baſsinet*, Germanis *Schmaltzblum*.Duũm eſt generum,ſimplex,& multiplex. Hoc caules habet graciles,folia nigricantia, inciſa, ranunculi, tamen latiora, flores denſos & duplices,auri obryzi colore nitentes, ob quam floris gratiam in coronariarum herbarum numerum aſcita fuit: radicem multum fibratam. Denique ranunculum aureum prorſus referret,ſi folia nigris maculis ſignata haberet, & ſi ranũculi modo linguam vreret. In campeſtribus herbidis creſcit,in hortis etiam colitur. Aprili *Nomina.* *Forma.* *Temper.*

POLYANTHEMVM Multiplex, Dodon.

POLYANTHEMVM Simplex, Dodon. Chryſanthemum, Fuch.

menſe floret,ac deinde tota ferè æſtate. Polyanthemum ſimplex caules habet graciles,nudos, folia nigricantia, inciſa, ranunculi non multum diſsimilia,latiora tamen,nec tam altè inciſa, flores auri colore nitent,ranunculi aurei floribus prorſus ſimiles: radix eſt fibrata. Calida ſiccáque eſt facultate, non tamen æquè ac ranunculus. Dodonæus Plinij Polyanthemum eſſe putat, de quo hæc ſcribit. Polyanthemum, quam quidam batrachium appellant, cauſtica vi exulcerat cicatrices,& ad colorem reducit. Eadémque vitiligines concorporat. Dodonæus tamen ſcribit plantam iſtam batrachij modo linguam non vrere. *Temper.* Lib.3.c.74. Lib.27.c.12

CHRY

CHRYSÆA. CAP. XLVII.

CHRYSAEAM hanc vocant Herbarij ob floris aureum splẽdorem. Nascitur in montium pratis, radice subnigra, fibris multis capillata, caulibus multis, cubitalibus, geniculatis: foliis Solani, longioribus, acuminatis, per ambitum laciniatis, per interualla ex caule erumpentibus, ex quorum sinu surculi vel florem sustinentes, vel foliis vestiti prodeunt: flore medio quodam ex albo velut tuberculo candicante, cætera prorsus aureo, sex foliis constante, quorum primum corniculo simile est: huic subiecta sunt duo alarum modo expansa, quibus & alia duo minora, rotundioráve subsunt: sextum violæ foliis simile oppositum corniculo ex aduerso marginem claudit, elegantissima certè & admiranda peculiaríque structura. Hæc Dalechampius

FLOS COCCINEVS. CAP. XLVIII.

IN HORTIS seritur planta hæc voluptatis tantùm causa. Radice assurgit breui, gracili, tenuibus fibris capillata: caule singulari, propemodum cubitali, foliis paucis ex interuallo per caulem dispositis, neruosis, alarum modo caulem amplectentibus, propè ipsum latioribus,, paulatim in acutum finientibus, nullo pediculo subuectis, sed cauli adhærescentibus perfoliatæ modo, gustu amaris: flore in summo caule densiùs congesto, quinque foliolis bifidis constante, qui cocci splendore rutilat: quam ob causam florem Coccineum vocauerunt: semine minutulo, nigro, splendente, vasculis ocimoidis instar concluso, floris venustas ad herbam alendam olitores inuitauit.

HISTO

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER OCTAVVS,

Qui Plantarum Odoratarum exactam & dilucidam delineationem continet & complectitur.

DE PLANTIS CORONARIIS. CAP. I.

NON solùm flores prisci sertis & coronis intexuerunt, sed etiam plantas quasdam totas, vel foliis picturatis insignes, qualis est Symphonia Plinij, vel ramulis frondeque suauem odorem spirantes, στεφανωτικὰς id est, coronarias Græcis dictas, quas Theophrastus τῶν φρυγανικῶν, id est, suffruticum generis esse tradit. Horum genus aliud silueſtre, aliud satiuum esse cùm dixisset, subiungit. Lib.6 hist. Cap.1.

ὀλίγον γὰρ τὸ ἥμερον αὐτῆς (τῆς φρυγανικῆς ὑσίας subaud.) ὅπερ χελιδὼν ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς ἐστὶ. οἷον ῥοδωνία, ἰωνία, διὸς ἄνθος, ἀμάρακος, ἡμεροκάλλες. ἔτι δὲ ἕρπυλλος, σισύμβρυον, ἑλένιον, ἀβρότονον. ἀπάνθα γὰρ ταῦτα ξυλώδη καὶ μικρόφυλλα, διὸ καὶ φρυγανικὰ ἐπὶ τῶν λαχανηρῶν δ' ὁμοίως, οἷον ῥαφανὶς, πήγανον, &c. Id est, Pars enim exigua huius generis (suffruticum subau.) satiua est, quæ coronariis ferè constat, vt rosa, viola, Iouis flos, amaracus, hemerocalles: item serpyllum, sisymbrion, helenium, abrotonum. Omnia enim hæc lignosa sunt, & parua folia habent, sùntque suffrutices. Idem in oleraceorum genere similiter obseruatur, qualia sunt raphanus, ruta, &c. Deinceps de silueſtribus disserit, quorum alia aculeata, alia non aculeata. Aculeatorum multa genera declarat. Non aculeatorum infinitã & inexplicabilem esse naturam ait, sed hæc discerni foliorum diuersitate, magnitudine, paruitate, figura, & aliis id genus, vt cistum (nam pro κισσὸς in Theophrasto lege κίστος) melothrum, erythrodanum, smerçam, cneorum, originũ, thymbram, sphacelum (non phacum, vt in Theophrasti vulgatis codicibus legitur) saluiam, marrubium, conyzam, pulicariam vertit Gaza, melissophyllum, & quasdam alias, quæ neruoso & ferulaceo genere constant, vt marathrum, hippomarathrum, ferulam, ferulaginem, myophonum. Deinde ad satiuorum suffruticum naturam explicandam redit. Τὰ ὂ ἥμερα, inquit, βραχεῖαν τινὰ ἔχει θεωρίαν, εἴπερ ἐν τοῖς στεφανωτικοῖς ἔστι. τὰ δὲ χαθόλου σκεπτέον περὶ στεφανωμάτων εἰπεῖν. ὅπως ἅπαν περιληφθῇ. ὁ γένος. ἡ γὰρ στεφανωματικὴ φύσις ἰδίαν τινὰ ἔχει ζῆξιν. ἐπιμιγνυμένη δὲ, τὰ μὲν τοῖς φρυγανικοῖς, τὰ ὂ τοῖς ποώδεσι. διό ἅ χαὶ ἐκεῖνα συμπεριλαμβάνεται, ἐπιμιμησκομένους ὡς ἂν ᾖ ὁ καιρὸς, ἀρξαμένους πρῶτον ἀπὸ τῶν φρυγανικῶν. διαχῆ ὂ ἡ τούτων διαίρεσις, ἡ χατὰ τὴν χρείαν. τῶν μὲν γὰρ ὁ ἄνθος χρήσιμον μόνον χαὶ τούτων ὁ μὲν εὔοσμον, ὥσπερ ἴον. τὸ δὲ ἄνοσμον, ὥσπερ διὸς ἄνθος, φλὼξ. τῶν δὲ χαὶ οἱ χλῶνες, χαὶ τὰ φύλλα, τὰ ὅλως πᾶσα φύσις εὔοσμος, οἷον ἑρπύλλου, ἑλενίου, σισυμβρίου, χαὶ τῶν ἄλλων. Id est, Lib.6 hist. Cap.6.

Satiua verò breui quadam explicatione egent: coronariorum enim numero comprehenduntur. Vniuersè autem de coronamentis dicendum, vt totum genus complectamur. Coronariorum enim natura ordinem proprium habet, permixta quidem partim suffruticibus, partim herbaceis, quapropter illa quoque comprehendenda, horum mentionē faciendo cùm occasio se obtulerit. Nunc à suffruticibus ordiemur. Diuiduntur illi bifariam vsus ratione, quorundam enim flores tantùm vsui sunt, & horum alius odorus, vt viola: alius inodorus, vt Iouis flos, phlox. Aliorum rami & folia, denique vniuersa horum natura odorata est, vt serpylli, helenij, sisymbrij. Ex quibus hæc quæ sequuntur de coronis Plinius mutuatus esse videtur. Et ferè peractis colorum quoque celeberrimis, transeat oratio ad eas coronas, quæ varietate sola placent. Duo earum genera, quando aliæ flore constant, aliæ folio. Florem esse dixerim genistas (namque & iis decerpitur luteus) item rhododendrum; item zizipha, quæ & Cappadocia vocantur, his odoratus similis olearum floribus. In vepribus nascitur cyclaminum, de quo plura aliàs, flos eius colosinus in coronas admittitur, folia in coronamentis smilacis & hederæ, corymbique earum obtinent principatum. Et mox. Ergo in coronamenta folio venere melothrum, spiræon, trigonon, cneorum, quod Casiam Hyginus vocat: & quod cunilaginem quæ conyza, melissophyllum quod apiastrum, melilotum quod sertulam campanam vocamus. Coronas ex hac antiquitus factitatas, indicio est nomen sertulæ, quod occupauit. Et paulò pòst folio coronat & trifolium. Tria eius genera, &c. Vtuntur è ferulis & corymbis, & hederæ flore purpureo. In qua Plinij oratione pro trigonon repone origanum ex eodem Theophrasto, pro spiræon Theophrastus habet smeræam, deprauatè pro spiræam. Deinde perperàm hederam melothrum, spiræon siue spiræam, origanum, cneorum, conyzam, melissophyllum in coronariis numerat, quæ neque coronariæ sunt, neque in earum numero à Theophrasto recensentur. Triphylli verò genera ne in suffruticum quidem, neque in coronariorum generibus collocat. Præterea his plātas addidit quarum Theophrastus non meminit, rhododendrum, & zizipha Cappadocia tum cyclaminum, melilotum, sed hanc non sine ratione: veteribus enim Græcis & Latinis ea gratia commendabatur. Nam & ex Cratino coronas Melilotinas Athenæus refert, & à sertis sertulam Romani vocarunt. Et Theophrastus odorem in meliloto etiam cùm exaruit, pertinacem esse tradit, vt in iride. At in eo reprehensione carere non potest Plinius, nec eum secutus Gaza, quod cum in Theophrasto pro κίσσος legisset κισσὸς, scripserit hederæ folia in coronamenta venire, eiúsque corymbos in coronis principatum obtinere, coronariúmque esse hederæ florem purpureum, in alio eius genere siluestribus rosis similem, quæ non de κίσσῳ, id est, hedera, sed de cisto Theophrastus tradidit: duo nimirùm esse cisti genera, marem & fœminam, alteri folium maius, durius, pinguius: florem purpurascentem, vtriúsque tamen siluestribus rosis similem, sed minorem & inodorum, quæ omnia de cisto vero dici, Dioscorides, & plantæ ipsius inspectio apertè demonstrant. Plantis illis coronariis à Theophrasto & Plinio enumeratis, permultas aliàs odoratas addere possumus, quarum etiam hodie in sertis & coronis vsus est frequentissimus, videlicet libanotidem coronariam, origanum tam satiuum quàm siluestre, tragoriganum, calaminthen, thymum, ocimum, chamæmeli genera, sampsuchum duplex, atque alias complures, de quibus omnibus hîc non agemus: harum enim quædam aliis locis magis idoneis explicantur, sed de iis potissimùm quæ odore aliquo commendantur, à notioribus, vt semper fecimus, exordientes.

Lib. 21. c. 9.

Lib. 6. c. 22.

Lib. 21. c. 9.

Lib. 6. hist. cap. 2.

SALVIA.

SALVIA, CAP. II.

CVIVIS etiam ex imperita multitudine nota est non solùm facie, sed etiam certissimis remediis herba Græcis ἐλελίσφακος, Latinis & Officinis Saluia vocata, Arabibus *Aeliſphacos, & Eliphacos*, Italis *Saluia*, Germanis *Salbey*, Gallis *Sauge*. Quæ cum retorrida semper & exucca videatur, factum est vt Græcis Eleliſphacon siue Eleliſphacos, quasi in tabem redacta, vel in syderationem flaccescens dicta sit, ἐλελίζειν & σφάκος vocibus in vnam coalescentibus appellationem. Est autem ἐλελίζειν intorquere, contrahere, & σφάκος, seu potiùs σφάκελος malum in plantis, quum per æstatem, & ardentissimum canis æstum vi solis altiùs penetrante, humoréque quo nutriuntur deficiente, languent & arescunt. Latini siderationem nominant. Potuit tamen æquè scitè dici, inquit Pena, à medendis sphacelo penè demortuis partibus, quibus calorem natiuum robúrque insitum reuocaret, qua pollet familiari facultate nostræ vitæ primordiis benefica, vnde Saluia Latinis dicta, quod saluos homines & incolumes efficiat. In nothis Dioscoridis & Apuleio legimus Saluiam Becion appellari. Et Galenus in confectionibus dolorem sedantibus, quæ tabescentibus & sanguinem reiicientibus sunt commodæ, βελίου βοτάνης meminit, & βελίου simpliciter, quam herbam Cornarius Saluiam conuertit, & βηχίου pro βελίου substituendum censet, vt sit βήχιον vna aliqua appellatio ἐλελισφάκου, quam nos Saluiam dicimus. Et Plinius alteram bechij speciem saluiam appellari testatur. Saluiam vnicam Dioscorides descripsit: nota tamen sunt etiam vulgo duo eius genera. Saluia maior, Gallicè *Grandesauge*, & Saluia minor, quæ & Saluia nobilis, Gallicè *Saugefranche, & Sauge menue*. Theophrasto totidem sunt. σφάκελος ὁ, inquit, καὶ ἐλελίσφακος διαφέρουσιν. ὡς ἂν δ' μᾶλλον ἥμερον, τὸ ὁ ἄγριον. λεπτότερον γὰρ δ' φύλλον τοῦ σφακέλου καὶ ἔλαττον, ἔτι ἧττον αὐχμηρότερον (legendum esse ἄυχμηρον sensus docet) τὸ δὲ τοῦ ἐλελισφάκου βαρύτερον. τραχύτερον lege ex Dioscoride. Id est, Sphacelus & Saluia inter se differunt, quod vnum satiuum sit, alterum siluestre, sphacelo foliũ læuius, minus, & non tam squallidum, saluiæ scabrius. Dodonæus species tres statuit, maiorem, minorem, & siluestrem. Hîc accedit saluia baccifera Cretensis. Saluiam maiorem sic descripsit Dioscorides: frutex est oblongus, ramosus, virgas quadrangulas & subalbidas habens, folia malo cotoneæ similia, longiora tamen, asperiora, & crassiora (Serapio legisse videtur καὶ τενέτερα, addit enim & structiora) quæ sensim attritarum vestium modo hirsuta, subalbida, vehementer odorata, sed virosa sunt: semen in summis caulibus siluestris hormini modo habet. Nascitur in asperis locis. Atque hinc in hortos translata, & ab omnibus culta Saluia maior vocata fuit, quæ nunc quoque, in vinetis Aquitanicis, inquit Pena, Linguagothicis, & Pedemontanis fruticat multa. Quare hæc ab illa nisi loco distat, neque ea quæ in campestribus & asperis cum lauandula & nostrate nardo nascitur, Sphacel⁹ est Theophrasti, sed Saluia minor, Saluia pinnata à Lobellio nominata, ramulos habens multos, lignosos, folia in longis pediculis

Nomina

Li. 7. med. locar.

Lib. 26. c. 6.

Genera.

Lib. 6. hist. cap. 2.

Lib. 2. c. 65. & 66.

Lib. 3. c. 14.

Forma.

Locus.

fol. 239.

SALVIA MAIOR.

SPHACELVS Verus,
Theophraſt.

SALVIA Baccifera,
Cretenſis.

longa,anguſta, ſubalbicantia minùs ſcabra, & minora multò quàm ſuperior, ad imum aurita ſiue pinnata, quod Sphacelo peculiare eſt,cætera verò huic eadē quæ ſuperiori,videlicet purpureus flos ſecus cauliculos, in aquilini roſtri ſpeciē falcatus : ſemen nigricans, radix lignoſa. Saluia agreſtis Dodonæi Saluiam hortenſem ſpecie & odore ferè refert, caules profert quadratos,nigricantes, tenui lanugine obſitos,folia Saluiæ maiori ſatis ſimilia, ſed paulò latiora,breuiora, & tactu leniora : flores item ſimiles ſecus caules vno tantum latere ad ſummum vſque exoriuntur,quibus ſuccedit ſemē rotundum,nigricans.Radix eſt fibrata. Iuxta ſepes & in agrorum marginibus prouenit. Sphacelum Theophraſti vocat. Saluia Cretenſis baccifera perpulchra, noſtrati prorſus ſimilis eſt figura, odore,ſapore,& lignoſis ſurculis. Sed hi inſtar gallarum rotundis excrementis piſtaciorum magnitudine,forma, ſapore minùs calido,magis adſtringente,non inſuaui donātur. Plinius vocis φακῆς lentem ſignificantis affinitate deceptus, eleliſphacum lentis ſilueſtris genus facit.Eſt eleliſphacos,inquit,dicta Græcis,ab aliis phacos. Eſt ea ſatiua lente læuior, & folio minore & ſicciore, & odoratiore. Eſt & alterum genus eius ſilueſtris, odore graui, hæc mitior. Folia habet cotoneæ mali effigie, ſed minora & candida,quæ cum ramis decoquuntur. Menſes ciet & vrinas, & paſtinacæ marinæ ictus ſanat

Lib.2. hiſt. cap 66.

SALVIA AGRESTIS,
Sphacelus, Dodonæi.

Pen.in Adueꝛſ.

Lib.21.c.26

nat. Torporem autem obducit percusso loco. Bibitur cum absinthio ad dysenteriam. Cum vino eadem commorantes menses trahit: abundantes sistit decocto eius poto. Per se imposita herba vulnerum sanguinem cohibet. Sanat & serpētium morsus. Et si in vino decoquatur, pruritus testium sedat. Et mox post hæc quasi alia esset veterum, alia sui temporis herbariorum elelisphacos, subdit hæc verba. Nostri qui nunc sunt herbarij, elelisphacum Græcè, Latinè Saluiam vocant, menthæ similem, canam, odoratam. Partus emortuos ea apposita extrahunt, item vermes aurium vlcerumq;. Foliorum & ramorum Saluiæ decoctum, inquit Dioscorides, potu vrinam ducit, menses & fœtus extrahit, pastinacæ marinæ ictibus auxiliatur, capillos denigrat. Vulneribus herba vtilis est, sanguinémque compescit, tetra vlcera purgat, pudendorum pruritus foliorum & ramorum decoctum cum vino, si eo abluantur, sedat. De eadem fusiùs Aetius disserit. Tradunt quidam suffitā Saluiam menses immoderatè fluentes, & omne muliebre profluuium compescere. Agrippa sacram herbam vocauit, quam prægnantes mulieres, si fluidæ laxæque fuerint, vtilissimè comedunt. Continet enim conceptum, vitalémq; reddit, si succi huius heminam cum modico sale quarto postquam à viri cōcubitu abstinuerit die, mulier potauerit, deinde viro misceatur, proculdubio concipiet. Aiunt in quodam Aegypti loco post sæuas pestilentias, ab his qui supersunt ad eum bibendum succum mulieres cogi, plurimósque inde produci fœtus. Dato, inquit Orpheus, sanguinem expuentibus succi Saluiæ cyathos duos ieiunis cum melle bibendos, sanguis illicò cohibebitur. Tabidis pilulæ in hunc modum parantur. Spicæ nardi, zinziberis singulorum drachmas duas, seminis Saluiæ assati, triti & cribrati drach. octo, piperis longi drach. duodecim, cum succo Saluiæ pilulas conficito, & manè ieiunis drachmam vnam exhibeto, eodémque modò vesperi, ac postea aquæ puræ quid piam propinato. Elelisphacos, inquit Galenus, euidenter excalfacit, ac leuiter subastringit. Lib. 3. c. 34. *Vires & Temper.* Lib. 6. fin.

MAIORANA. CAP. III.

QVAE Maiorana Romanis dicitur, Gallis *Mariolaine*, Arabibus *Merzenius*, seu *Mersangius*, Hetruscis *Persa*, cæteris verò Italis *Maiorana*, Germanis *Meyeron, & Meyram*, Græcorum Sampsuchum & Amaracus permultis esse creditur. Dicta est amaracus ab Amaraco Cynaræ Regis Cypri puero, qui casu lapsus dum ferret vnguenta, fregit alabastrum, deinde cùm nimio dolore contabuisset, versus est in sampsuchum, quæ ex eius nomine cœpta est appellari Amaracus. Sed sampsuchi & amaraci vocibus eandem rem significari, testis est Dioscorides, sampsuchum, inquit, optimum est Cyzicenum & Cyprium, secundum locum tenet Aegyptium. Appellatur autem à Cyzicenis & Siculis Amaracum. Item Plinius, Amaracum Diocles medicus & Sicula gens appellauére, quod Aegyptus & Syria sampsuchum. Et aliquantò pòst. Sampsuchum siue Amaracum in Cypro laudatissimum, & odoratissimum. Sed an Maiorana nostras sit sampsucum siue amaracum, non æquè constat, quod ex descriptionibus ponderandum. Sampsuchum, inquit Dioscorides, herba est ramosa, per terram repens, folia habens hirsuta & rotunda, similia foliis calaminthæ tenuifoliæ, valde odorata, calfaciendi vi prædita, & quæ etiam in coronas nectitur. Maiorana verò humilis & fruticosa est stirps, candicans, & suauis admodum odoris, sesquipalmum aut pedem alta, surculis multis, tenuibus, fragilibus, quos folia penè rotunda tenella, incana, & leuiter villosa vndiquáque ambiunt, in quorum cacuminibus flosculi perpusilli ex spicis candidi emergunt, exiguis videlicet, oblongis, & squamatim compactis semen minutissimum, rufescens radix subest lignosa, multiplex

Nomen

Lib. 3. c. 40. Lib. 21. c. 11. Ibid. ca. 22. *Forma.* Lib. 3. c. 40.

AMARACVS siue Maiorana, Matth.

AMARACVS siue Maiorana tenuifolia, Matth.

Cap.296. simpli. & ſuperuacua. Serapio deſcribens eam ex Dioſcoride, herba eſt, inquit, multas virgas habens extenſas ſuper faciē terræ in ortu ſuo. At hæc non repit, ſed in rectum & altum aſſurgit. Hoc quidē verum eſt, ſi crebrò tondeas, & luxuriātem coërceas, ſed ea neglecta humi procumbunt & ſerpunt flexili mollitie nutantes ſurculi, & in terram curuantur. Quare tum hanc ſampſuchi ſpeciem eſſe credunt, tum eam quam maioranam minutam, ſeu moſchatam vulgus noſtrum vocat, *Mariolaine menue & muſquée*, Hetruſci *Perſa Gentile*, ſuperiori ſurculis, foliis, floribus ſimilem, ſed tenuiorem, delicatiorem, odoratiorē. Paſsim in hortis & fictilibus colitur. Gaudet autem locis vmbroſis, aqua, & ſimo. Iulio & Auguſto menſibus floret. Sunt qui maioranam Dioſcoridis Marum eſſe arbitrantur, quod negat Pena Sed vt maioranam ſampſuchi ſpeciem eſſe, ita aliā ſe vidiſſe rariorem multò, & humi ſerpentem, quæ veriùs amaracus dici debet, aſſeuerat. Ea non rectis erigitur aut fruticat ramulis, vti ſuperior, ſed in ceſpitē caducis ſerpilli modo, cui alioqui perſimilis folio, effigie & magnitudine eſt. Fuchſius Sampſuchi delineationem à Dioſcoride traditam Maioranæ vulgo dictę fauere ſcribit. Eſt enim, inquit, ſurculis lentè rubentibus, foliis piloſis & rotundis, iucundo odore, ſemine copioſo, quod bullulis quibuſdam continetur, flore candido & exiguo. Serpit etiam per terram: verùm id non

AMARACVS, Fuchſij.

Maiorana tenuifolia.

Locus.

Tempus.

fol.213.

Amaracus repens. Penæ.

id non vbique fit:interdum enim recta surgit in altum. Eandem pinxit Dodonæus,sed quia non serpit,inquit,id quod de Sampsucho scripsit Dioscorides, Marum potiùs videri quàm sampsuchum.Theophrastus Amaracum, quem sampsuchum semper vertit Gaza,in censu φρυγανικῶν, siue suffruticum satiuorum & coronariorum recenset,& ὁ δὲ ἀμάρακος,inquit,ἀμφωτέρως φύεται, καὶ ἀπὸ παραπαιάδος, καὶ ἀπὸ σπέρματος: πολύσπερμον δὲ, καὶ ὃ σπέρμα, εὔοσμον. ὀσμὴ μαλακωτέρα, δλωὰ δὲ καὶ μεταφύεται. Ideſt,Amaracus vtroque modo prouenit, & auulsione, & semine: semen multum gignit,quod suauis est odoris,quum & ipsa planta suauiter oleat, quæ & transferri potest. Præterea ex æstiuis esse scribit,& vnguentis misceri.Sampsuchus calfaciendi vi pollet, inquit Dioscorides, decóctum ipsius potum incipientibus hydropicis, vrinæ difficultati & torminibus conuenit. Sicca folia cum melle imposita sugillata tollunt:menses trahunt in pessо apposita:contra scorpionis ictum cum aceto & sale imponuntur. Ad luxata verò & tumores cerato excepta, sed & ad oculorum inflammationes cum polentæ pollinæ illinuntur.Miscentur & acopis & malagmatis ad calfaciendum. Plinius eũdem hunc vsum, sed non tam perspicuè interpretatur. Scorpionibus aduersatur ex aceto ac sale illitum. Menstruis quoque multum confert impositum. Minor est eidem poto vis. Cohibet & oculorum epiphoras cum polenta. Succus decocti tormina discutit. Et vrinis & hydropicis vtile.Mouet & aridum sternutamenta. Fit ex eo oleum,quod Sampsuchinum vocatur aut amaricinum, ad excalfaciendos: emolliendósque neruos. Vuluas calfacit. Folia sugillatis & luxatis cum melle & cera prosunt. Sampsuchum, inquit Galenus,tenuium partium & digerentis est facultatis: exsiccat enim & excalfacit ordine tertio.

Temper. & Vires Lib.3.c.40.

Li.21. c.22.

Li.8 simpl.

MARVM. CAP. IIII.

QVOD Græci μάρον, Latini quoque Marum vocant. Sunt, inquit, Pena,qui Regi Thracię,cui nomen Maroni esset,Mari herbæ appellationem acceptam ferant. Verumtamen potuit etiam ab amaraco per apocopen dici, vtpotè cùm amaraci species videatur Marum. Scribit Dioscorides herbam esse vulgò cognitam,surculosam,flore origano similem:folia tamen huius multò calidiora esse, & florem odoratiorem, nascíq; plurimam circa Magnesiam & Tralles. Semel tantùm mari (modò huic illud idem sit)Plinius meminit. In Ægypto nascitur & Marum,peius quàm Lydium,maioribus foliis ac variis. Illa breuia ac minuta,& odorata. Galenus,Paul. Aetius in simplicium censu præterierunt. Et habuisse se testatur Marcellus Græcum & Latinũ vetustissimos Dioscoridis codices,qui nullum hoc loco,neque alibi Marũ ostendunt. Quare fortasse non absurdè quis putarit,inquit Ruellius,hoc Marum Dioscoridis historiæ accreuisse, auxitq; suspitionem, quòd prima Dioscoridis verba postremis parùm videantur respondere, qui tradat omnibus cognitam, cùm tamen non in nostro orbe,sed in Magnesia & Lydiæ Trallibus plurimùm nascatur. Accedit huic opinioni insolens auctoris modus, qui cùm semper cõgeneres herbas simul vno loco recenseat, hanc tamen ab origani familia disiunxit, & inter nostrates alias odoratas herbas,vt meliloton,acinon baccarem numerauit, etsi ad Magnesiam & Tralles nasci dicat.Galenus in Hedychroi cõpositione,lib.de antidotis Mari meminit, his verbis. Aliæ hedychroi descriptiones reperiuntur, inquit,quæ neque amaracum,neque Marum prorsus habent.Quædam alterutrum tantũ continent:neque enim duo hæc norunt vnguentarij,eo quòd herbas solũ è Creta aduectas emant cum seminibus & succis. Ego verò & easdem herbas scio in Asia nasci,ac in aliis quidem regionibus raras esse, in Cyzico autem frequentes.

Nomina Fol.213.

Lib.3. c.43.

Li.12. c.24.

Lib.3. c.36.

Li.1.Antid.

In Italia vt & alias quasdam herbas, ita & amaracum vidi, quæ odore multùm à Maro superatur. Marum enim valde redolet, putaretq; aliquis sola nominis appellatione ductus, vnguentum amaricinum quod in Cyzico faciunt, amaraci plurimum capere, sicq; forsitan ab antiquis vnguentum conficiebatur, sed nunc solũ Marum imponunt. Hanc herbam cùm ipse aliquoties degustassem, & amarã quidem plurimùm, acrem verò parùm deprehendissem, hortatus sum quemdam eorum qui amaricinum conficere solent, vt amaraci tantùm compositioni immitterent, quantùm & Mari. At mihi visum est ad vnguentum minùs quidem odoratum, nihil autem viribus inferius. Hæc Galenus. Quibus declarat Marum ab amaraco parum differre, sed odoratius esse & gratius, Quæ res multis suasit Ma-
Lib.2.c.56. & de flo.c. 75. rum nostram esse maioranam, vt diximus. In hac est sententia Dodonæus, quam confirmat maioranæ nomine, quod à Maro videtur deriuatum, sed apertiùs ipsa Mari suprà posita descriptione, quam exquisitissimè conuenire putat. Et substitutam sampsucho maioranam alienum videri non debere, quando & ipso Galeni tempore Marum sampsuchi loco in amaricinum vnguentum fuerit immissum, vt ex Galeno modò diximus, quod præbuit occasionem posteris, vt Marum siue
Ca.42. li.3. maioranã sampsuchi loco habuerint, eiúsque nomine appellauerint. Eorum sententiæ suscriberet Matthiolus, qui Marum amaracum illam præsertim esse arbitrantur, quæ vehementiorem odorem spirat, maiorémque amaritudinem gustu præsefert, foliisq; est minoribus, candidioribus & tenuioribus, nisi aduersaretur Galenus, inquit, qui loco iam citato testatur se in Italia amaracum vidisse, nulla, quod illic Marum viderit facta mentione, sed tantùm quod in aliis ab Asia regionibus rarum oriatur. Ex quo colligere licet Marum in Italia non nasci. Quare plantam aliam pro Maro depinxit, à Cortuso missam, quæ legitimum Marum prorsus referat, quod foliis sit quàm origani cãdidioribus, odoratis, gustu acutis, amariusculisq;, ramis tenuibus, lignosis, floribus subpurpureis, odore eximio fragrãtibus. Planta est peregrina, quęq; in Italia non proueniat, nisi aliunde translata.

MARVM, Matthioli.

Fol.211.& 213. At plantam istam Pena & Lobellius tragoriganum alterum faciunt, quia feruidior & acrior est, quàm vt Marum deceat, vt dicetur suo loco. Quidam, testeetiam Dodonæo, Ma-
Lib.2.c.58. rum esse existimant id plantæ genus, quod ille origani speciem statuit, quam olitores colunt, & Amaracum Britannicum, siue Amaracum crassum vocant, Galli *Mariolaine d'Angleterre*, & *grosse Mariolaine*. Humilis est herba, origano siluestri haud dissimilis, folio minore, rotundo, nigricante, non hirsuto, sed læui & glabro, flore purpureo, velut in muscariis coacer-
Fol.213. uato: radice lignosa. De hac plura dicemus, Cap. de Hyssopo. At Pena & complures alij genuinum Marũ censent eam esse odoratam herbam, quam Galli præsertim Andes & Ce-
Marũ verum. Lib.3.ca.25. nomani *Mastic* appellant, vel quoniam lentore quodam interdum madescit, auctore Ruellio, maximè si pinguibus locis lætiùs assurgat, vel quod iucundum mastiches odorem spiret, Surculis multis, tenuibus, ramosis, rotundis, lignosis frutiFormam. cat, circa quos folia tenella ferè maioranæ: in summis cauliculis ex hirsutis calicibus

MARVM Quorumdam.

calicibus flores perexigui exeunt, albidi: radices tenues sunt & lignosæ. Tota herba odoratior est & gratior quã origanum, aut sampsuchum, vt Galenus vult, marum. Quod si cui hæc minùs videatur maro congruere, saltem non respuat, inquit Petrus Pena, Syriacam, quæ gratissimo & vegeto est odore, imò & facie tota maioranam præfert, aut origanum, sed gracilioribus, nõ breuioribus, pedalibus & sesquipedalibus sarmentis, minoribus capitulis & foliis, etiam decimum fermè annum, ex quo Venetiis Alepo Syriæ se habuisse ille affirmat, odoris fragrantiam retinentibus. Hoc Marum Syriacum ex Lobellio hic pictum damus. Superiorem Ruellius Tragoriganum Dioscoridis, & Heracleum origanum Plinij esse censet. Dodonæus Dioscoridis Clinopodium, cui tamen parùm congruit, Penæ iudicio, vt dicetur. Non desunt qui eandem Helenium φρυγανῶδες & odoratum Theophrasti esse credant. Marum auctore Dioscoride, vim habet sisymbrio similem: subastringit enim, & modicè calfacit. Qua de causa impositum nomas sistit, & in calida vnguenta additur.

Lib. Antid.

Fol. 213. Marũ Syriacum.

Lib. 3. c. 25.

Lib. 3. c. 57. De flor. ca. 77. Fol. 213.

Lib. 3. c. 42. *Vires.*

MARVM Verum, vulgò Mastic.

MARVM Syriacum, Lobellij.

ORIGA

ORIGANVM, CAP. V.

Nomina

GRÆCIS ὀρίγανος, Latinis Origanus vel Origanum, in Officinis nomen suum retinuit, Mauritanis *Faudenigi*, *Fudenegi*, seu *Faudenegi*, Gallis *Origan* & *Mariolaine bastarde*, Germanis *Volgemuth*, quasi dicas animi bonitatem aut lætitiam, & *Rottdosten*, siue *Castentz*, Italis *Origano*, Hispanis *Oregano*. Origanum verò, quòd cliuosos, editos montososq; natales amaret, nomen apud Græcos inuenit, ἀπὸ τοῦ ὄρεος montem, & γάνος gaudium significante, vel quod visum illustret & acuat, παρὰ τὸ ὁρᾶν, & γανοῦν, ideſt, τὸ λαμπρύνειν. Vel à ῥίγω fit ῥίγανον, & redundante, ο, ὀρίγανον per antiphrasim, natura enim calidum est. De hoc tam diuersa auctores prodidere, vt difficilè sit certi aliquid cõstituere.

Lib. 6. hist. cap. 2. Theophrastus, τῆς ὀρεγάνου δὲ, inquit, ἡ μέλαινα ἄγαρπος, ἡ δὲ λευκὴ καρπιμώτερος. Ideſt, Origani genus quidem nigrum sterile est, candidũ fructiferum. Ex quo hæc transscripsit Plinius, cum duo cneori genera posuisset nigri & candidi.

Genera.

Li. 21. ca. 10. Totidẽ & Origani in coronamentis species, inquit, alterius enim nullum semen. Id cui odor est

Li. 20. c. 17. Creticum vocatur. Et alio in loco, Origanum quod in sapore cunilam æmulatur, vt diximus, plura genera in medicina habet: onitin vel prasion appellant, non dissimile hyssopo. Et paulò ante hunc locum. Est alia cunila Gallinacea appellata nostris, Græcis Origanum Heracleoticum. Idem alibi de panacis generibus agens.

Cap. 16.

Lib. 25. c. 4. Alterum, inquit, genus Heraclion vocant, & ab Hercule inuentum tradunt, alij Origanum Heracleoticum siluestre, quoniam & origano simile, radice inutili: de

Li. 20. c. 17. quo Origano diximus. Et Heraclium quoque tria genera habet, nigrius, latioribus foliis, glutinosum: alterum exilioribus, mollius, sampsucho non dissimile, quod aliqui prasion vacare malunt. Tertium est inter hæc medium minùs quàm cætera efficax. Optimum autem Creticum: nam & iucundè olet: proximum Smyrnæum, deinde Heracleoticum, ad potum vtilius, quod onitin vocant. Cæterùm in tanta tum nominum, tum historiæ ambiguitate vnicum sequi Dioscoridem satius est, qui Origani genera seu potius cognomina tria esse statuit, nempe Origanum Heracleoticum, siue Heraclium ab Herculea Ponti ciuitate, quod illic probatissimum nasceretur, alterum Onitin, siue Onitida, quod ab asinis comedatur. Quare Nicander ὀνοπρέφιλον Origanum cognominauit, ideſt, asinifolium, quod ipsis grato cibo carperetur. His adde siluestre, quod sine cultura & sua sponte prouenit. Hoc aliqui teste Dioscoride Panaces heracleũ, alij cunilã vocant, ex quibus est Nicãder, πανάκεσσόν τε κονίλην,

Ἠδὲ καὶ ἡρακλήιον ὀρίγανον ἀμφενέπουσι.

Hoc est. *Panaceamq; Cunilam.*

Quámque vocant quidã Heracleõ Origanũ inde.

Origanum heracleoticum folium habet simile hyssopo, vmbellam non in rotæ speciem, sed diuisam, semen in summis virgis, non densum. Onitis candidiore est folio, & hyssopo similior, & semen velut corymbos coniunctos habet. Siluestre folia habet Origano similia, ramulos dodrantales, tenues, & in his vmbellas anetho similes, flores candidos: radix tenuis est & inutilis. Hæ igitur tres Origani species ab

ORIGANVM Heracleot. Matthioli.

Lib. 3. c. 28.

In Theri.

In Theria.

hyssopo

hyſſopo non differunt niſi magnitudine & vmbellis. Heracleoticum illud eſt Hiſpanicum, inquit Pena, quod in Flandriam quotannis ſaccis plenis deferri, & ab inſitoribus diſtrahi ſolet. Vtuntur enim vulgò piperis & ſatureiæ ritu in obſoniis. Belgæ hanc plantam colunt pedem altam, foliis & virgultis maioranę maioribus, quibus ſummis non in vmbellam circinatam collecti ſunt flores, ſed in paruis thyrſis ſpicatis, ternis, hinc inde diſſipatis, vt thymi, odore maioranam prouocantibus, præſertim in Luſitania & Lucania. Origani oniti, dis circa Monſpelium, & in Galloprouincia notiſsima ſunt duo genera, maioris & minoris diſcrimine duntaxat diſcrepantia, niſi quod minori amaraci facies & folia, ſed minora & rotundiora, heracleotici fermè. Caules recti, pedales, fruticoſi, ramulis & faſtigiis breuibus, coactis, ſpicatis, confertim in vmbellam collectis, floridum corymbum imitantibus, & per æſtatem purpuraſcẽtibus, admodum glutinoſis. Maius fruticoſius eſt, hirſutius, ſed viribus, ſapore & odore ignauius, alioqui perquàm ſimile, & paſsim occurrens. Agrioriganum vocat Lobellius, hîc depictum Origani vulgaris nomine. Silueſtri Origano longè optimo Veneti Pharmacopœi & medici è Syria aut Creta vtuntur, cui cauliculi exiles, folia parua, capitula numeroſa, collecta, ambitu vmbellam imitantia, onitidi proxima, ſed non perinde accumulata, albi floſculi. Herba eſt guſtanti tota grata & aromatica, dictãni & piperis acrimonia. Origanum heracleoticum calfacit, auctore Dioſcoride. Vnde decoctum eius cum vino potum venenatorum morſibus prodeſt, cum paſſo autem iis qui cicutam, aut meconium, cum oxymelite iis qui gypſum aut ephemerũ hauſerunt. Ruptis, conuulſis, hydropicis cum fico manditur. Aridũm acetabuli menſura potum cum aqua mulſa atros humores per aluum ducit, menſeſq; ciet. Linctum ex melle tuſsibus medetur. Prurigines, ſcabies, regiumq; morbũ decoctum eius cùm in balnea deſcenſum eſt, iuuat. Succus eiuſdem adhuc virentis tonſillas, columellas, oríſque vlcera ſanat. Per nares cum oleo irino infuſus mucum trahit. Cum lacte aurium dolores mitigat. Conficitur ex eo & cæpis & rhu obſoniorum medicamentum vomitorium, omnibus iis in ære cyprio ſub canis ardenti æſtu per quadraginta dies inſolatis. Herba verò ſubſtrata ſerpentes fugat. Eadem vis onitidi, ſed multò inefficacior. Silueſtre priuatim foliis & floribus cum vino potis venenatorum morſibus auxiliatur. Origanum

In Aduerſ

ORIGANVM Onitis.

ORIGANVM Vulgare ſilueſtre.

Li. 3. ca. 28. *Temper. & vires.*

Heracleo

Li.8 simpl. Heracleoticum, inquit, Galenus, efficacius est onitide, sed agreste valentius vtroque est. Omnia verò incidendi & tenuandi, & exsiccandi, calfaciendiq; facultatem habent, hæcq; tertio excessu.

TRAGORIGANVM. CAP. VI.

Nomina TRAΓOPI'ΓANON Græcis, & Latinis Tragoriganum, quasi hircinum origanum dicas, quod pabulo gratum sit hircis, vt onitis asinis, potiùs quàm quòd hircum fœteat. Grata enim & mitis Tragorigani potio Dioscoride teste: qui & eius genera duo descripsit, prius

Genera. fruticem paruũ, origano aut serpyllo siluestri ramulis & foliis similem. Quibusdã

Lib.3.c.29. in locis lætius virentiúsque inuenitur, & latioribus foliis, satis glutinosum.

Forma. Alterum exilibus surculis & tenuibus foliis, quod aliqui prasium vocauere. Tra-

Li.20.c.17. goriganum, inquit, Plinius, simile est serpyllo siluestri. Cæterùm quod Dioscorides Tragoriganum à nonnullis prasion vocari dixit, id nomen Plinius ad Onitin

Ca.29.li.3. retulit, vt superiore capite diximus. Pro Tragorigano plantam hìc pictam Matthiolus exhibuit, quæ in Foroiulienſi agro frequens nascitur, foliis serpylli æmulis, sed gustu pulegij: quam Pena non Tragoriganum, sed calaminthæ speciem al-

Fol.211. & 217. teram esse ait. Tragoriganum alterum ex Dodonæo hìc depictum est, surculis

Trago. Dodo. multis, lignosis, rubescentibus, foliis latiusculis, nigricantibus, vulgaris serpylli maioribus, parum asperis & lanuginosis, flosculis purpureis in vmbellis caulicu-

lorum summitates occupantibus. Permultis Tragorigani species hæc creditur,

Tragor. Monspel. quæ in agro Monspelienſi plurima nascitur, foliis origani siluestris, gustu acribus, suauiter olentibus, vmbella floribus purpureis comante, in rotæ speciem nõ prorsus circinata, summis caulibus insidente, vt in nostrate origano, præter quàm flores insuper caulem verticillatim ambiunt vt in calamintha ex interuallis qua folia

Tragor. Nothum. prodeunt. Istud quoque Tragoriganum Nothum Herbariis dicitur, quod in

TRAGORIGANVM, Matthioli.

TRAGORIGANVM, Dodonæi.

maritimis

TRIGORIGANVM, Monſpelienſe, Dalech.

TRAGORIGANVM Nothum, Dalech.

maritimis fruticat, radice nigricante, lignoſa, parum fibrata, cauliculis multis, dodrantalibus, in ſummo ſurculoſis, foliis per caules & ramos inæqualiter diſpoſitis, longis, anguſtis, candicantibus, hyſſopi ferè, ad maiorum exortum puſillis aliquot congeſtis, flore purpureo, ſpecioſo, in ſummis caulibus ex corticoſo loculo prodeunte, ſemine minutulo. Pena inter multas plantas quas Tragorigano aptare licuiſſet, nullas reperit ſequentibus duabus veriùs aut commodiùs illi quadrare. Fol. 214. Prius erit Cretenſe apud Venetos Tragoriganum, quod ſurculis dodrantalibus, & foliis paulò quàm thymi Cretẽſis maioribus, dẽſis & rigidis, floribus per interualla & verticilla purpureis clinopodij modo fruticat: ſapor illi feruens piperis aut thymi. Alterius Tragorigani effigiem & facultates nulla meliùs videtur exprimere, quàm herbula illa fruticoſa, capite, De Maro depicta, quam à Cortuſo acceptã Matthiolus mari nomine donauit. Vide ca. 4. huius. Ca. 42. li. 3. Nam frutex eſt paruus, ſeſquipalmũ altus, albidus, multis cauliculis tenuibus, ſerpylli foliis, vel illius Tragorigani proximè deſcripti, floſculis ſubter foliis purpuraſcentibus, ſaporis acerrimi, odoris fragrantiſsimi atque vrentis: tritum namq; digitis eminùs non ſecus ac flammula percellit nares, & cerebrum ferit. Hæc Pena. Cluſius duobus Tragorigani generibus à Dioſcoride traditis duas perſimiles plantas ſe vidiſſe ait. Lib. 1. ſtirp. Hiſp. c. 63. Vnam pedis aut ſemipedis altitudine fruticantem, multis tenuibus & lignoſis ſurculis, circa quos folia minora ſunt quàm in maiorana, mediæ inter origanum & ſerpyllum ſilueſtre magnitudinis, incana omnino, odoris iucundi, & guſtu acri: flores verticillatim extremos ſurculos ambiunt candidi, exigui: ſemen minutum, nigrum, calyculis ſuis occultatum. Floret cum Thymo & Stœchade. Tota odorata eſt & perpetua coma. *Forma.* Alteram ſurculis minoribus candidioribuſq;: foliis tenuioribus & longioribus, aliquantulum incanis, acri guſtu, ſed odore minùs iucundo quàm prior: flores etiam verticillatim circa ſummos ramulos naſcuntur ex calyculis prodeuntes, maiores aliis, & aliquo modo galeati, candidi. Radix alteri ſimilis, lignoſa, dura, multifida. Eius genus neque forma, neque magnitudine differens inuenitur, ſed ſurculis nigrioribus, foliis hiſpidioribus & atrioribus, flore purpureo. Vtraq; perpetuo virens. Prior multis Hiſpaniæ locis prouenit ſolo arido & petroſo cum ſtœchade permiſta. *Locus.* Alterius vtramque ſpeciem ſolo Valentino agro obſeruauit Cluſius, Martio florentem & ſponte naſcentem. Quæ flore eſt purpureo, etiam in hortis Belgicis colitur. Auctor eſt Dioſcorides Tragorigana omnia excalfacere, Lib. 3. c. 28.

Temper. & Vires

TRAGORIGANVM II. Clusij.

vrinam ciere, ventri commoda esse, si decocti ipsorum bibatur, bilios enim deiiciunt. Prodesse & splenicis pota cũ aceto, & iis qui ixiam biberunt cum vino: quin & menses trahere, & ad tussim, & ad peripneamonias cum melle in eclegmate dari: gratam esse ipsorũ potionem: quare cibum fastidientibus, & stomacho malè affectis, & acidum ructantibus dari. Item iis quibus à maris iactatione nausea & hypochõdriorum calor excitatur: (Græcè legitur, καὶ ἐφ' ὧν ἄλυσμὸς & νωθρία, quæ Cornarius vertit, & in quibus anxietas & nausea. Est enim ἄλυσμὸς,

Embl. 30. lib. 3.

inquit, vox cum suis coniugiis sæpè ab Hippocrate vsurpata, & à Galeno in Glossis ἀποεία, & ῥιπλασμὸς exposita) Oedemata cum polẽta illita discutiunt. Eadem tradidit Plinius. Vrinam ciet, tumores discutit, contra viscum potum, viperæq; ictum efficacissimum, stomachóque acida ructãti & præcordiis. Tussiẽtibus quoq; cũ melle datur, & pleuriticis, & peripneumonicis. Quod contra viscum dixit, ideſt, quod Dioscorides ait, iis qui ixiam vocarunt: ixiam enim viscum Plinius reddere solet. Galenus

Li. 20. c. 17.

Li. 8. simpl.

cùm de origani viribus dixisset, subiunxit, Tragoriganum hábet astrictionis etiam quidpiam.

PVLEGIVM. CAP. VII.

Nomina

PVLEGIVM Latinis & Officinis dicitur, quod Græcis γλήχων & βλήχων, Mauritanis *Alnam*, *Alnegen*, seu *Alnegen*, Italis *Pulegio*, Germanis *Poley*, Gallis *Pouliot*. Nominatũ autem Plinio videtur Pulegium,

Li. 20. c. 14.

quod flos recentis incensus pulices necat odore. Dicitur etiam Puleium extrita g, litera Ciceroni. Nam & musculorum iecusc̃ula bruma dicuntur

Li. 1. de Diuinat.

augeri, & puleium aridum florescere ipso brumali die. Et Martialis:

Li. 12. epig. 32.

Quadrina nigri, nec corona Pulei.

Blechon autem quod gustatum à pecore capríque balatum concitat, Plinio & Dioscoride auctoribus, vel etiam, vt scribit Pena, quod pulmonibus pituitam crassam saretámque extundat. Dioscorides Pulegij genus vnum, idq; satiuum facit.

Li. 20. c. 14. Fol. 214. Lib. 3. ca. 30.

Plinius fœminam & marem: illam flore purpureo, hunc candido. Neuter verò vt herbam vulgo & omnibus notam descripsit. Vulgatum Pulegium hodie Regiũ

Genera

Forma.

Li. 20. c. 14.

nominatum. Herba est humi repens, caulibus gracilibus, fragilibus, dodrãtalibus, foliis quadamtenus rotundis, ferè maioranæ, paulò maioribus viridioribus, nigricantibus: Flores præsertim hortensis purpurei, eius verò qui in campis prouenit candidi, in toto caule per interualla propè foliorum exortus verticillatim pro-

Locus.

deunt: radix gracilis, capillata, per humum sparsa. Nascitur humecto & vliginoso solo. Tota planta odorata est, & gustu acris, non sine quadam amaritudine. Quo magis mirum vulgare istud Pulegium à quibusdam pro legitimo respui, & secundam calaminthes speciem haberi, cùm omnibus facultatibus, iisdémque efficacissimis præditum sit, quas Dioscorides Pulegio suo tribuit. Extenuat, inquit, calfacit, concoquit: potum menses, secundas, fœtus eiicit, educit & ea quæ in pulmone

Lib. 3. c. 30. *Temper. & Vires.*

hærent, cum Aloë & melle potum: (quem locum vitiatum corrigi debere censet

Cornarius

PVLEGIVM Regium.

Cornarius, etiamsi à nemine adhuc sit animaduersus, cùm falsò μελὰ ἀλόης, pro μελὶ ἀλὸς legatur, quem Plinius ita expresit. Hepaticis cum melle & sale bibendum datur: pulmonum vitia excreabilia facit. Esse autem aloën ineptã ad hoc, vt aliquid ex pulmone sursum educat, vtpotè adstringendi & siccandi vi prædita, satis clarum est. Contra salem cum melle ad id præstandum aptissimum esse experientia constat) & conuulsis auxiliatur. Nauseas etiam & stomachi rosiones siue morsus cum posca potum mitigat. Atram bilem per aluum educit. Cum vino potum venenatorum morsibus succurrit: defectos animo cum aceto naribus obiectum recreat. Siccatum & in puluerem tritum crematumq; gingiuas firmat. Illitum cum polenta inflammationes omnes mitigat. Podagris per se confert, vsque dum rubescat cutis. Cum cerato varos tollit. Lienosis cum sale vtiliter illinitur. Decoctum eius prurigines si eo lauentur, sedat. Inflationes, duritias & conuersiones vuluæ in desessionibus sedat. Plinius eundem medicum vsum fusiùs exponit his verbis. Magna societas cum mentha ad recreãdos defectos animo Pulegio, furculis in ampullas vitreas aceti vtriusque deiectis. Qua de causa dignior è Pulegio corona vertigini, quàm è rosis, cubiculis nostris pronuntiata est. Nam & capitis dolores dicitur leuare. Quin & olfactu capita tueri contra frigorum æstusq; iniuriam, & ab siti traditur: neque æstuare eos, qui duos è Pulegio furculos impositos auribus in sole habeant. Illinitur etiam in doloribus cum polenta & aceto: fœmina efficacior. Est autem hæc flore purpureo: mas candidum habet. Nauseas cum sale & polenta in frigida aqua pota inhibet. Sic & pectoris ac ventris dolorem. Stomachi autem ex aqua item rosiones sistit, & vomitiones cum aceto & polenta. Intestinorum vitia cum melle decoctum & nitro sanat. Vrinam pellit ex vino: & si amminæum sit, & calculos, & interiores omnes dolores. Ex melle & aceto sedat menstrua & secundas: vuluas conuersas corrigit. Defunctos partus eiicit. Semen obmutescentibus olfactu adhibetur. Comitialibus in aceto cyathi mensura datur. Si aquæ insalubres bibendæ sint, tritum aspergitur. Salsitudines corporis (pruritus à salsa pituita concitatos: vel suspicari licet in exemplari Græco fuisse ἁλύκας, idest, anxietates, quas Hippocrates Apho. 56. lib. 7. discuti ait, vino pari aquæ potione diluto: eámque vocem ineptè à Plinio Salsitudines versam fuisse) si cum vino tradatur, minuit. Neruorum causa in contractione cum sale, aceto, & melle confricatur, & in opisthotono Bibitur ad serpentium ictus decoctum, ad scorpionum in vino tritum. Maximè quod in siccis nascitur, ad oris exulcerationes, & ad tussim efficax habetur. Flos recentis incensus pulices necat odore. Xenocrates Pulegij ramum lana inuolutum in tertianis ante accessionem olfactandum dari, aut stragulis subiici, & ita collocari ægrum, inter remedia tradit. Pulegium, inquit Galenus, cùm acre sit & subamarum, valde tum calefacit, tum extenuat. Porrò quod excalfaciat abundè, magnum est testimoniũ, quod illita rubore tingit, & si quis diutiùs toleret, exulcerat quoq;. Extenuare satis indicat, quod humida, crassa, lenta ex thorace & pulmone excreatu facilia reddit, & menses mouet. His assentitur Symeon Sethi. Pulegium,

Embl. 31. lib 3.

Li 20. c. 14.

Li. 20. c. 14.

Li. 6. simpl.

inquit, attenuat & calfacit vehementer: quapropter in humidis & crassis auxiliatur, & in pulmone humida glutinosaq; detergit, & vt excreentur efficit. Cū vino albo coctum & calidè potum, sincetum menses prouocat. Extrinsecus illitum ischiadicis, & aliis partibus frigore affectis auxiliatur. Hæc ille. Mos olim fuit asseruare Pulegium in carnariis, ad multos annos, in coronæ circulum nexum: vnde quadrimam Pulegij coronam dixit Martialis. Et de eadem re Plinius hæc tradidit. Floret ipso brumali die suspensa in tectis arentis herba Pulegij. Et rursus. Miretur hoc qui non meminerit, ipso brumali die Pulegium in carnariis florere: adeò nihil esse occultum natura voluit. Et ferendi igitur hoc signum dedit. Atque alio in loco. Congruit Pulegio, cuius natura in carnariis refloreſcens sæpiùs dicta est. Huiusmodi Pulegium quod in tectis ac carnariis in fumum suspensum est, Aetius παλαιὸν, ideſt, vetus ac inueteratum vocare solet: item γλήχωνος πρεσιώνη, ideſt, Pulegium de superiore anno: quod tale non est, ἄκαπνον, ideſt, fumo non siccatum. Pulegium alterum faciunt Monspelienses & Ceruinum cognominant: quod vt in agrō Monspelienſi vbique obuium est, vliginosis potissimum & stagnantibus locis, ita rarò occurrit in Italia, aut Germania, aut aliis Galliæ regionibus: ideò paucis innotuit. Est autem radice longè latéque serpente, fibrata, candida, tenera, geniculata: caulibus multis, cubitalibus, geniculatis, & quàm alterius rectioribus & rigidioribus, foliis minoribus, oblongis, denſissimè congestis, hyssopo non dissimilibus, acris & iucundi gustus, odore Pulegij regalis, flore purpuraſcente, & colore & situ florem Pulegij regalis imitante. Hoc, etiamsi magna superioris copia suppetat, vtuntur Monspelienses medici, quòd viribus sit, vt putant, efficacioribus, & probatioribus.

Lib. 2. c. 41.

Li. 18. c. 26.

Li. 19. ca. 8.

PVLEGIVM Ceruinum.

Locus.

Forma.

Vires.

DICTAMNVM ET PSEVDODICTAMNVM.
CAP. VIII.

Nomina

Ὁ δίκταμνον & δίκταμον Græcis, vel ὁ δίκταμνος & δίκταμος, & γλήχων ἀγρία, similiter Latinis Dictamnum & Dictamum, vel Dictamnus & Dictamus, & pulegium silueſtre, Arabibus *Meſcatremſir*, *Anegon Araba*, siue *Bari*, Italis *Dittamo*, Gallis *Dictā*. Vni Cretēsis Idæ mōtis portiunculæ, quam Dictæam vocāt, debetur Dictamni nomenclatura, inquit Pena, vel ἀπὸ τῦ τίκτειν dici videtur, auctore Cornario, quòd τίκτουσῶν γυναικῶν βοηθείαν promittat, aut vt Dioscor. ait, ὀξυτόκιον ἔστι. Tria ille Dictāni genera tradidit: Dictāmum verum, Pseudodictamnum, & Dictamnum aliud. Dictamnum, herba est Cretensis, inquit, acris, lævis, pulegio similis, sed maiora tomentoq; lanuginosa folia habet, & in ipsis spissos villos: neque florem, neque fructū profert. Pseudodictamnum multis in locis nascitur, antedicto simile, sed minùs acre. Adfertur è Creta altera Dictamni species, foliis sisymbrio similibus, sed ramis maior, in quibus flos origano silueſtri similis, niger, mollis. Odor foliorum inter sisymbrium & saluiam

Fol. 214. Embl. 32. li. 3.

Lib. 3. c. 31.

Genera.

Forma.

DICTAMNVM Verum.

ſaluiam iucundiſsimus. Plinius eadem habet. Dictamnum, vt indicauimus, oſtendere ceruæ vulneratæ, paſtu ſtatim decidentibus telis. Non eſt alibi quàm in Creta, ramis prætenue, pulegio ſimile, feruens & acre guſtu. Foliis tantùm vtuntur. Plos nullus ei, aut ſemen, aut caulis. Radix tenuis ac ſuperuacua. Et in Creta autem non ſpatioſè naſcitur: mireq; capris expetitur. Pro eo eſt & Pſeudodictamnum, multis in terris naſcens, folio ſimili, ramulis minoribus, à quibuſdam Chondris vocatum. Minoris effectus ſtatim intelligitur. Dictamnum enim minima portione accendit os. Qui legere ea in ferula vel arundine condunt, prælegantq;, ne potentia euaneſcat. Sunt qui dicant vtraque, naſci multifariam, ſed deteriora in agris pinguibus, verum quidem dictamnum non niſi in aſperis. Eſt & tertium genus Dictamnum vocatum, ſed neque facie, neque effectu ſimile, folio ſiſymbrij, ramis maioribus, procedente perſuaſione illa, quicquid in Creta naſcitur, infinitò præſtare cæteris eiuſdem generis alibi genitis. Quæ Plinius ex Theophraſto tranſtulit. Τὸ δὲ δίκταμνον ἴδιον ἡ κρήτης, θαυμαστὸν δὲ τῇ δυνάμει, καὶ πρὸς πολλὰ χρήσιμον, μάλιστα δὲ πρὸς τὰς τόκους τῶν γυναικῶν. ἔστι δ' μὲν φύλλον παρόμοιον τῇ βληχώνι. ἔχει δέτι καὶ τὸν χυλὸν ἐμφερές. τὰ δὲ κλωνία λεπτότερα. χρῶνται δὲ τοῖς φύλλοις, οὐ τοῖς κλωσὶν, οὔτε τῷ καρπῷ. χρήσιμον δὲ πρὸς πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, μάλιστα δὲ, ὥσπερ ἐλέχθη, πρὸς τὰς δυσοκίας τῶν γυναικῶν. ἢ καὶ ἐκτοκεῖν φασὶ ποιεῖν, ἢ πάντα γε τὰς πόνους ὁμολογουμένως. δίδοται δὲ πίνειν ἐν ὕδατι. σπάνιον δέ ἐστι, καὶ διὰ ὀλίγος ὁ τόπος ὁ φέρων. καὶ τοῦτον αἱ αἶγες σὺν ἡδονῇ δάκνουσιν. διὰ δὲ φιλανθὲς εἶναι δοκεῖ τῶν βελῶν, ὅτι φαγοῦσαι ὅταν τοξεύθῶσιν, ἐκβάλλουσιν. δὲ μὲν οὖν δίκταμνον τοιοῦτο γε, καὶ τοιαύτας ἔχει τὰς δυνάμεις. τὸ δὲ ψευδοδίκταμνον, τῷ μὲν φύλλῳ ὅμοιον, τοῖς κλωνίοις δὲ ἔλαττον, τῇ δυνάμει δὲ πολὺ λειπόμενον. Βοηθεῖ μὲν καὶ πρὸς τ' αὐχένα, χεῖρον δὲ πολλῷ καὶ ἀσθενέστερον. ἔστι δὲ δῆλον ἐν τῷ στόματι φανερὰ ἡ τοῦ δικτάμνου δύναμις: θερμαίνει γὰρ ἀπὸ μικροῦ σφόδρα. τιθέασι δὲ καὶ τὰς δεσμίδας ἐν νάρθηκι, καὶ καλάμῳ, πρὸς δὲ μὴ ἀποπνεῖν. ἀσθενέστερον γὰρ ἀποπνεῖ. λέγουσι δέ τινες, ὡς ἡ μὲν φύσις μία ἡ τοῦ δικτάμνου, καὶ ἡ τοῦ ψευδοδικτάμνου. διὰ δὲ εἰς ὀγδοτέρους φύεσθαι τόπους χεῖρον γίνεσθαι, καθάπερ ἄλλα πολλὰ, πλεῖστα τούτων καὶ τὰς δυνάμεις. τὸ γὰρ δίκταμνον φιλεῖ χώραν τραχεῖαν. ἔστι δὲ καὶ ἕτερον δίκταμνον, ὥσπερ ὁμώνυμον, οὐδὲ τὴν ὄψιν ἔχον, οὔτε τὴν δυνάμιν τὴν αὐτήν. φύλλον τε γὰρ ἔχει ὅμοιον τῷ σισυμβρίῳ, τοὺς δὲ κλῶνας μείζους. ἔτι δὲ τὴν χρεῖαν καὶ τὴν δυνάμιν οὐκ ἐν τοῖς αὐτοῖς. τοῦτο μὲν οὖν, ὥσπερ ἐλέχθη θαυμαστὸν ἅμα καὶ ἴδιον τῆς νήσου. φασὶ δέ τινες ὅλως τῶν φύλλων, καὶ τῶν θάμνων, καὶ ἁπλῶς τῶν ὑπὲρ γῆς, τὰ ἐν κρήτῃ διαφέρειν. Lib.25. c.8. Lib.9. hiſt. cap.16.

Ideſt, Dictamnum Cretæ proprium eſt, admirabili facultate, & ad multa vtili, maximè ad mulierum partus. Folio eſt pulegio ſimili, ſapore haud abſimile, ramulis tenuioribus: vſus eſt foliorum, non ramorum, neque ſeminis. Ad multa quidem valet, ſed maximè, vt dictum eſt, ad difficiles partus mulierum: aiunt enim vt facilè pariant efficere, aut proculdubio dolores finire. Dantur bibenda ex aqua. Rara eſt hæc herba: locus enim qui eam producit, anguſtus. Eam capræ ſumma cum voluptate depaſcuntur: verum eſſe aiunt quod de telis fertur, eas Dictamno deuorato ſagittas quibus ictæ fuerint eiicere, Tale eſt

Dictamnum,& his viribus præditum. Pseudodictamnum illi simile est folio, sed ramulis minoribus,& viribus multùm infirmioribus. Tamen ad eadem confert, sed multò inefficacius atque debilius. Vis Dictamni in ore statim percipitur. Excalfacit enim vehementer parua quantitate. Manipulos eius ferula aut arundine includunt, ne expiret:debilius enim redditur cùm expirauerit. Existimant quidam naturam Dictamni & Pseudodictamni eandem esse, sed quia pinguioribus locis nascatur,deterius fieri,quemadmodum & alia multa, quæ loci ratione vires mutant in deterius:Dictamnum enim locis asperis gaudet. Est etiam aliud dictamnum velut homonymum,neque facie, neque viribus iisdem. Folium habet sisymbrio simile,ramos maiores. Vsus & vis non iisdem competunt. Hoc igitur,vt diximus,mirum,simul & proprium est Cretæ Insulæ. Affirmant in vniuersum quidam herbas, frutices, deniq; omnia quæ ex terra oriuntur in Creta præstantiora esse. Hæc Theophrastus. Quæ ferè omnia à Plinio expressa vides, nisi quòd illic de ceruis dixit,& alio in loco,Dictamnum herbam extrahendis sagittis cerui monstrauere,percussi eo telo, pastúque eius herbæ eiecto, id Theophrastus de capris, & hoc prior etiam Aristoteles his verbis : κῆ ἐν Κρήτῃ φασὶ τὰς ἀγρίας τὰς ἀγρίας ὅταν τοξευθῶσι, ζητεῖν δ' δικταμνον. δοκεῖ δὲ τοῦτο ἀλεξητικὸν εἶναι τῶν τοξευμάτων ἐν τῷ σώματι. Ideſt, ferunt in Creta capras agrestes telis ictas dictamnum quærere, quòd eo tela è corpore eiiciantur. Quos secutus Dioscorides,scripsit in Creta capras sagittis percussas dictamni herbæ pastu eas excutere. Id quod etiam cecinit Vergilius his versibus.

Lib.8.c.17.

Lib.9. hist. Animal.

Hic Venus indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis,& flore comantem
Purpureo,non illa feris incognita capris
Gramina, cùm tergo volucres hæsere sagittæ.

Præterea quas Theophrastus dictamni vires ad difficiles mulierum partus efficaces prodidit,eas etiam Dioscorides, & alias complures his verbis. Præstat omnia quæ satiuum pulegiũ, sed multò efficaciùs:non enim potũ modò, sed appositũ & suffitum mortuos fœtus expellit. Purgandi vim habet succus eius illitus, aut cum polenta tritus. Herba ipsa appositа infixos pedibus, aut reliquo corpori aculeos extrahit. Facit & ad lienis dolorem, ipsum enim minuit. Radix eius gustu calfacit, & partus accelerat. Succus eius cum vino potus contra serpentium morsus prodest. Tanta huius herbæ vis est,vt olfactu abigat,& contactu perimat bestias venenum iaculantes. Vulneribus ferro illatis, & venenatorum morsibus infusus succus simúlque in potu acceptus statim sanitatem adfert. Pseudodictamnum eadem præstat, sed multò inefficaciùs. Tertia Dictamni species ad eadem quoq; valet,ad quæ præcedens,sed minùs nares ferit. Miscetur etiam emplastris & theriacis compositionibus. Eadem Plinius sparsim tradidit. Dictamnum potu sagittas pellit, & alia tela extrahit illitu. Bibitur ex aquæ cyatho foliorum obolus. Proximè Pseudodictamnum. Vtraque etiam suppurationes discutit. Et aliquantò pòst de dolore vuluæ & strangulatu loquens. Sed præcipua dictamni vis est, inquit,menses ciet,partus emortuos vel transuersos eiicit. Bibitur ex aqua foliorum obolus:adeò ad hæc efficax, vt ne in cubiculum quidem prægnantium inferatur. Nec potu tantùm, sed & illitu & suffitu valet: proximè Pseudodictamnum. Sed menses ciet cum mero decoctum pondere denarij. Et in fine capitis. Partus accelerat scordotis pota:dictamni folia præclarè dantur ex aqua. Constat vel oboli vnius pondere:vel si mortui sint in vtero infantes, protinùs reddi sine vexatione puerperæ. Similiter prodest Pseudodictamnum, sed tardiùs. Galenus scribit

Vires & Temper.

Lib.3 ca.31.

Li.26.c.14.

Ibid. ca.15.

Li.6.simpl.

dictamnum

dictamnum tenuiore essentia constare quàm pulegium, cætera illi simile esse. At Pseudodictamnum ad omnia imbecillius dictamno esse. Hæc Galenus. Verùm dictamnum maioribus nostris incognitum fuit. Non paucis enim ab hinc annis cum suo flore perrarum & charum erat: quippe perpaucum olim, idque floribus orbatum ex Creta adferebatur. Idcirco floribus carere Dioscorides, & veterum quidam credidere, non autem Theophrastus, qui fructum proferre innuit, ergo & florem, neque Vergilius, vt ex versibus supra citatis liquet. Galenus etiam in Emplastro ex dictamno, quod acceptum refert Damocrati, dictamni florem habentis meminit. Hodie magna eius copia ex Creta Venetias defertur, vnde emunt Officinæ omnes, floribus ornatum speciosis, purpureis, multis, qui elucidis squamis spicatum & concoloribus emergunt. Quinimo Pisanæ oræ & Ligusticæ asperis deuexis satum creuisse audiit Pena, & floruisse exili semine in plantam paris pulchritudinis, qualem ipse vidit, tertio tamen, vel quinto post anno in spurium abiisse. Pseudodictamnum Pisis à clarissimo medico Luca Guino ad

Lib. 5. cõp. med. gene. cap. 10.

Petrus Pe. fol. 214.

PSEVDODICTAMNVM,
Matthioli.

PSEVDODICTAMNVM,
Dodonæi.

Matthiolum missum caule est dodrantali, lanuginoso, albicante, folia ex caulibus erumpunt ex interuallis bina, dictamni tomento pubescentia, è quorum omnium exortu flores purpurei prodeunt, marrubij vel melissophylli modo, sapore pulegij, minùs tamen acri. Pseudodictamnum aliud depinxit, & descripsit Dodonæus, caulibus rotundis, lenibus, villosis, geniculatis, è singulis geniculis folia bina exeunt, quadantenus rotunda, candida, lenia, hirsuta, facie pulegij foliis haud absimilia, nisi quod maiora sunt, prorsus candida, villosa, tactu mollia, non secus quàm verbasci folia, inodora, gustu minimè acria, sed amara: flores dilutè cærulei cauliculos verticillatim coronant, vt in Pulegio & marrubio.

Lib. 2. c. 75.

THYMBRA ET SATVREIA. CAP. IX.

Nomina QVAE θύμβρα Græcis dicitur, Latinis etiam Thymbra, & Cunila quibusdam, & Satureia Plinio auctore. Thymbram, inquit, Cunilam: subaudi, vocant. Hæc apud nos habet vocabulum & aliud, satureia dicta in condimentario genere. Seritur mense Februario origano æmula. Nusquam vtrunque additur, quippe similis effectus. Sed cunilæ ægyptium origanum tantùm præfertur. In quibus Plinius eandem herbam thymbram, cunilam, & satureiam facit. Columella verò à thymbra cunilam quam satureiam vocat distinxit: sic enim ait. Tum etiam thymbræ, vel nostratis cunilæ, quam satureiam rustici vocant. Et paulò pòst, & nostras cunila quam dixi satureiam. Rursus in carmine.

Lib.19. c.8.

Lib.9. c.4.

Et satureia thymi referens thymbræq; saporem.

Lib.10. Si igitur alia est thymbra Dioscoridis, alia satureia, videtur hæc hortensis seu satiua esse, herba vulgo nota, Gallis *Sarriette, sadree, Sauoree*, Italis *Sauoreggia, coniela, Peuerella*, Arabibus *Sabater, seu Sabatar*. Satureia à saturando fortè dicta, quòd eduliis frequenter indatur & incoquatur. Alij à satyris nomen ei positum fuisse putant, quòd venerem stimulet. Martialis non satureiam, sed satureia dixit in plurali neutra voce, dum ait. *Improba nec prosunt iam Satureia tibi:*

Quamuis aliqui legant, *Prodest iam Satureia tibi:*

Lib.3.38. Sicut Aetius τὰ θύμβρα. Verùm vt Cunilæ vox quæ de multis plantis vsurpatur, minùs pariat ambiguitatis & tædij, lectorem monendum censeo, Cunilam sine epitheto, Plinio cap.8.19. Columellæ cap.4.9. vocari Satureiam, siue satiua sit, siue syluestris, cuius vtriusque meminit Plinius cap.16.20. deinde, origanum Heracleoticum Plinio cap. 16. 20. appellari Cunilam gallinaceam: origanum verò syluestre, Cunilam bubulam, assentiente Dioscoride, tametsi hæc origani genera vocari cunilas tradat, absq; epitheto. In hac Cunilæ appellatione, Crateuas falsus est, auctore Plinio, cap.8.19. & cap.15.20. qui ligusticum, ab aliis Panaces dictum, Cunilam bubulam nominauerit. Præter has Plinius cap. 10. 32. Cunilam capitatam memorat, quam Cephalωten vocauit Serenus. Ea meo iudicio Polycnemon est, Cunilæ nomen adeptum, quia folio simile sit origanis, Cunilæ generibus, adiecto epitheto Capitatæ, quia caput suauis & acris odoris habet, corymbi specie. In Cunilorum explicatione vitio vertendum Plinio, quod cap. 16. 20. dum bubulam describit, ex historia Polycnemi deprauata eam prodat, semen habere Pulegij, vtile ad vulnera, commanducatum, & impositum, vt quinto post die soluatur, cum Polycnemon Dioscoridi, cui plus tribuendum, caulem edat Pulegio similem, non semen, & agglutinandis vulneribus, recens, vel aridum, cum aqua efficaciter illinatur, vt tamen quinto die solui debeat: quibus locis ad hunc modum collatis apparet hæc perturbata Plinium confudisse. Idem scriptor Cunilaginem Conyzam nominat, di-

Genera. stinctis etiam illius generibus, eodem prorsus modo quo apud Dioscoridem discernũtur. Is thymbræ genera duo posuit, hanc satiuam, illam siluestrem. & vtrámque paucis notis delineauit. Siluestris gignitur in asperis locis, & tenui solo, thymo simili, sed minor, & tenerior, ferens spicam floribus plenam, coloris herbacei. Satiua siluestri prorsus minor est. Harum neutra satureia nostras dici potest. Quare

Forma. ex Matthiolo alterius imaginem hîc pinximus, quam Thymbræ Dioscoridis maximè congruere putat. Hæc enim foliis ac cauliculis thymum adeò repræsentat, inquit, vt non desint qui pro thymo eam recipiant. Præterea thymo gracilior, longeq; tenerior est. Verùm capitula thymi modo non profert siquidem cauliculi in spicatos processus desinunt, in quibus flores emicant parui, sed purpureo colore. At hanc minimè veram esse thymbram Dioscoridis Pena existimat: videri etenim

potius

THYMBRA,
Vera, Pena.

SATVREIA Dioscoridis,
& Matthioli.

potiùs polium fœminam recentiorum : nec enim vlla spica donatur , aut in cibis commẽdatur : deniq; nullam nisi vagam & incertam est sortita notam. Genuinam autem sic depinxit, & hisce descripsit verbis. In Thyrrheni maris asperis, & salebrosis S. Iuliani Hetruſci, magno prouentu oritur, aspectu perquàm elegans herbula, quam nullus non fatetur satureiam veram : Pisanis etiam vernaculo idiomate *Thymbra di Santo Iuliano* dictam. Virgultis est exilibus , palmum altis , sarmentosis, lignosis, foliis ab imo crebris , thymi Cretici, sed angustioribus, longiusculis, spica in summis caulicu lis tereti, flosculo copioso intertexta, gustu acri & odoro, quę totà ex obsoleta purpura albicat, thymo maiore minor , minori ferè par. Hæc Dioscoridis germana videtur. Matthiolus plan tam ostendit, cui notæ omnes Thymbræ Dioscoridis maximè conueniunt. Etenim foliis ac cauliculis Thymum ita refert, vt nõ desint qui eam pro thymo vsurpent: cauliculi enim in spi catos processus desinunt, in quibus flores emicãt parui, subpurpurei. Præterea, vt Dioscorides ait, non solùm sponte nascitur, sed etiam satiua est. Altera (si Thymbra aut Satureia rectè dici potest) maior fruticosiórque est , & in hortis frequentior, quæ ex eodẽ Matthiolo hìc quoq; exprimitur. Sequuntur cæteræ duę, etsi non spicatæ , vsu tamen saturiæ nomen adeptæ vulgo, quarum vsus in condimentis & lucanicis loco piperis est , eius præsertim, quæ in montosis & saxosis

SATVREIA, Durior.

saxosis Narbonensibus & Pedemontanis copiosè prouenit, Satureia durior à Dalechampio nominata, radice breui, fibrata, nigra, dura, caule lignoso, fragili, surculoso, foliis thymo lõgioribus hyssopo vulgari ferè æqualibus, dẽsiùs stipatis quàm in satureia hortensi, in qua bina ferè ex aduerso sita sunt. Nam in hac quaterna sæpiùs conspiciuntur, minoribus duobus ex maiorum veluti sinu consurgentibus per interualla: inde flores promuntur copiosi, dilutè purpurei. Tota odoris est suauis, sed validissimi, gustus feruidi, & acris, ideò piperella quibusdam dicta. Thymbram non satureiam vocat Dodonæus, hîc ab ipso & à nobis appictam, surculis multis, lignosis, gracilibus fruticantem, foliis paruis, angustis, flosculis purpureis aut cãdidis inter folia secus cauliculos exeuntibus, ab imo cauliculorum ad summum, qui dilapsi in spicarum viridiũ speciem vertuntur, quibus semen valde minutum includitur, radix lignosa. Satureiam hybernã vocant, quod hyemem toleret, floret Octobri. Satureia nostra vulgaris rarò ruri, frequentissimè in hortis visitur, herba æstiua, tenera, superiore maior ac fruticosior: ramulis multis surculosis, in orbem sese diffundentibus, gracilibus, rotundis, nigricantibus, in quibus folia per interualla molliora & angustiora, pauciora quàm in superiore, hyssopi vulgaris foliis quadãtenus similia, sed minora, ex quorum sinu flores pauciores emergunt, in cãdido purpurei, odoris suauis: semen nigricat, radix tenera

THYMBRA, Dodonæi.

Lib. 2. c. 52.

THYMBRAE, Effigies, Dodonæi.

SATVREIA, Vulgaris hortensis, Matth.

est

SATUREIA Lutea, Dalechampij.

est & fibrata. In hortis omnibus quotannis seritur, & moritur: Iunio mẽse floret. Huc referenda quæ à nonnullis Satureia lutea nominatur, in vmbrosis lucorum & siluarum marginibus & cliuis proueniens, radicibus paucis, exiguis, breuibus nigris: caule dodrantali, quadrato, in ramulos paucos brachiato, è foliorum alato sinu emergentes: foliis oblongis, angustis, minimè crenatis, angustis, hyssopo aut satureiæ similibus: flore paruo, oblongo, infra candicante, supra aureo, velut aperto quodam rictu & hiante, gustu subamaro & austero, floret Maio & Iunio. Thymbra siluestris, auctore Dioscoride, eadem potest quæ thymum, si similiter sumatur. Non aptus eius sanis vsus. Satiua propter mitiorem acrimoniam commodior est in cibis. Huius Galenus in simplicium censu non meminit. Paulus eadẽ prorsus quæ Dioscorides de vtraq; scripsit. Satureia nostra vulgaris calida est & sicca ordine tertio. Farina eius in vino pota, vt ex antiquo herbario refert Fuchsius, medetur pulmonis, thoracis, & vesicæ vitiis, ciet vrinas, mẽses pellit. Herba ipsa cum floribus lethargicos excitat olfactu, aut coronæ modo capiti imposita. Succus cum rosaceo auribus infunditur: cum triticea farina coxendicibus illinitur. Satureiæ vsus marcescentes coitus stimulat, quare à satyris traxisse nomen putant. Stomachi concoctiones adiuuat: fastidia discutit: hebetes oculos exacuit.

Vires & Temper.

Lib. 3. c. 38.

Cap. 113. hi.

THYMVM. CAP. X.

GRAECIS θύμος & θύμον dicitur, Latinis Thymus & Thymum, Arabibus *Hasse*, *Alasse*, Gallis & Germanis *Thym*, *& Rhomisch quendel*, Italis *Thimo*, Hispanis *Tomilho salsero*. Thymus autem Græcis ab excitando, quod θύειν dicunt, nomen inuenit. Nonnullis placet potiùs hoc etymum, vt thymos quasi thyæmos, quod est sanguinem impellens dicatur. Dioscorides thymi vnius historiam tradidit. Sunt tamen qui credunt in epithymi historia thymum aliud agnouisse, quod illic θύμον σκληρότερον, id est, thymum durius vocat. Plinius species duas recẽset. Totidem & thymi, candidum ac nigricans. Floret circa solstitium, cùm apes decerpunt, & augurium mellis est. Prouẽtum enim sperant apiarij largè florescente eo. Læditur imbribus, amittitq; florem. Semen thymi non potest deprehendi, cum origani perquàm minutum, non tamen fallat. Sed quid interest occultasse id naturam? In flore ipso satis intelligitur, satóque eo nascitur. Quid nõ tentauére homines? Mellis Attici in toto orbe summa laus existimatur. Ergo translatum est ex Attica thymum, & vix flore, vt dicemus, satum. Sed alia ratio naturæ obstitit, non durãte Attico thymo, nisi in afflatu maris. Erat quidẽ hæc opinio antiqua in omni thymo, ideóque non nasci in Arcadia. Tunc oleam non putabant gigni nisi intra CCC. stadia à mari. Thymo quidem nunc etiã lapideos campos in prouincia Narbonensi refertos scimus, hoc penè sálo reditu, è longinquis regionibus pecudum millibus conuenientibus, vt thymo vescantur. Is locus ex Theophrasto transcriptus est, cuius declarandi gratia, ipsa Theophrasti verba adscribam.

Nomina

Lib. 3. c. 37. *Genera*

Lib. 4. c. 172

Lib. 11. c. 10.

Lib. 6. hist. cap. 2.

adscribam. καὶ θύμων δ' μὲν λευκὸν, τὸ δὲ μέλαν. ἐνανθὲς δὲ σφόδρα, περὶ τροπὰς ἀνθεῖ θερινὰς, ἀφ' οὗ καὶ ἡ μέλιττα λαμβάνει τὸ μέλι. καὶ τοῦτό φασιν οἱ μελιττοῦργοι δῆλον εἶναι πότερον εὐμελιτήσουσιν, ἢ οὔ. καλῶς γὰρ ἀπανθήσαντος, εὐμελιτήσει. βλάπτει δ' καὶ ἀπάλλυσι τὴν ἄνθησιν ὕδωρ, ἐὰν ἐπιγένηται. σπέρμα δ' καρπιμὸν ἡ μὲν θύμβρα, καὶ ἔτι μᾶλλον ἡ ὀρίγανος ἔχει φανερὸν. τὸ θύμου δὲ οὐκ ἔστι λαβεῖν, ἀλλ' ἐν τῷ ἄνθει πῶς ἀναμεμῖχθαι. σπείρουσι γὰρ τοῦτο, καὶ ἀναβλαστάνει. ζητοῦσι δ' καὶ λαμβάνουσιν οἱ ἐξάγειν Ἀθήνησι βουλόμενοι δ' γένος. ἴδιον δὲ ἔχει καὶ πρὸς ταῦτα, καὶ χεδὸν πρὸς τἄλλα, καὶ χῦ τοὺς τόπους. οὐ γάρ φασι δύνασθαι φύεσθαι καὶ λαμβάνειν ὅπου μὴ ἀναπνοὴ δύνηται ἡ ἀπὸ τῆς θαλάσσης. διὸ οὐδ' ἐν Ἀρκαδίᾳ γίνεσθαι θύμβρα τε, καὶ ὀρίγανον. καίτοι τοιαῦτα πολλὰ, καὶ πολλαχοῦ. παραπλήσιον οὖν δ' συμβαῖνον τοῦτο καὶ ἐπὶ τῆς ἐλαίας. οὐδὲ γὰρ οὐδ' ἐκείνη δοκεῖ τριακοσίων σταδίων ἀπὸ θαλάσσης ἐπάνω φύεσθαι.

Id est, Thymum aliud candidum, aliud nigrum. Serò id admodùm floret (non ἐνανθὲς vt in vulgatis codicibus exaratum est, sed ὀψιανθὲς legit Gaza, ad sensum accommodatius: mox enim sequitur ratio seræ florum productionis) Nam circa solstitium æstiuum floret, à quo mel apes colligunt, atq; ex eo præsagiri aiunt, an largior futurus sit mellis prouentus: nam si flos læsus fuerit, mellis copia desit, læditur autem & perit flos superuenientibus imbribus. Semen quidem fœcundum thymbræ & origani perspicuè cernitur, Thymi verò nullum videre licet, sed quodāmodo floribus ipsis permiscetur: flores enim serunt, atque ita oritur. Quærunt autem atque inueniunt qui istud ex Athenis deferre volunt. Est etiam præter hæc ipsa, & reliqua omnia, peculiaris thymo natalium conditio. Nam quo flatus è mari nequeat peruenire, illic nasci duraréque posse omnino negant, quare neque thymbram neque origanum in Arcadia prouenire, quamquam talia multa & multis in locis gignuntur. Simile igitur quod & oleæ vsuuenit: nec enim ea trecentis à mari
Ibid.c.21. stadiis nasci posse videtur. Hæc Theophrastus. Repetit thymi genera Plinius aliquantò pòst. Thymum colligi oportet in flore, & in vmbra siccari. Duo autē sunt genera eius, candidum, radice lignosa, in collibus nascens, quod præfertur: alterum nigrius, floriscq; nigri. Hos auctores secuti herbarij recētiores duo thymi statuerunt genera. Vnum Creticum cognominatum, quod in Creta copiosum nascitur, & κεφαλωτὸν vocatur à capitulis spicatis. Hoc maius est, & candidum, foliis & surculis tanquam lanugine siue puluere obductis & candicantibus: alterum vulgatum, minus, & nigrum dictum, quia saturo colore herbaceo virens ferè nigricet. Prioris Cretici & candidi duntaxat Dioscorides meminit, non solùm de thymo, sed etiam de epithymo tractans, doctorū herbariorum sententia, qui thymū nigrum Theophrasti & Plinij serpyllum, zygida Dioscoridis esse non sine ratione opinantur, vt dicemus. Thymum Dioscoridis frutex est paruus, surculosus, foliolis multis & angustis circundatus, habens in summo capitula floribus purpurascentibus referta. Thymum vulgare humilis est herba, surculis multis, fragilibus, lignosis, foliis perpusillis, gustu acribus, superiori tum facie, tum sapore haud absimilibus, sed non ita candicantibus. Flores verò nō in capitulis aut spicis, sed iuxta foliola purpurascunt, radices tenues sunt & lignosæ. Ex quibus perspicuum est Plinium apertè hallucinatū fuisse, qui cùm

THYMVM, Creticum.

Lib.3.c.37. Lib.4.c.172

Forma.

legisset

THYMVM Vulgare siue Durius, Dodon.

legisset apud Theophrastum, alterum thymi genus nigrum esse, quod herbaceo virore & obscuro ferè nigricet, scripsit loco iam citato id floris esse nigri, qui flos in vtroque purpureus est, sed in Cretico saturatiore, in altero dilutiore purpura. Thymum Creticum gracili solo & petroso prouenit, non solùm in Creta, sed etiam in Græcia & Syria, vnde Venetias asportatur: Nigrum frequens in Narbonę maritimis collibus, & aliis incultis Narbonensis prouinciæ locis, vt eius lapideis campis, quod ait Plinius, vulgò *La crau de Prouence*, atq; etiam in Hispania. Frigidioribus regionibus studiosè colitur in hortis. Thymum, auctore Dioscoride, potum cum sale & aceto pituitã per aluum ducit. Decoctum eius cum melle orthopnoicis & asthmaticis prodest. Lumbricos ventris, mẽses, fœtus, & secundas pellit. Vrinam ciet. Mixtum melle in eclegmate excreabilia facit thoracis vitia. Recentia œdemata cum aceto illitum discutit, sanguinis grumos dissoluit. Thymos & verrucas pẽsiles tollit. Ischiadicis cum vino & polẽta impositum auxiliatur. Vtile est etiam pro condimento in sanitatis vsu. De eadem re hæc multò fusiùs tradidit Plinius. Vtraque oculorum claritati multùm conferre existimantur, & in cibo, & in medicamentis. Item diutinæ tussi eclegmate faciles excreationes facere cum aceto & sale. Sanguinem concrescere non pati è melle. Longas faucium distillationes extra illita cum sinapi, extenuare: item stomachi & ventris vitia. Modice his tamẽ vtendum est, quoniam excalfaciunt, quamuis sistunt aluum: quæ si exulcerata sit, denarij pondus in sextarium aceti & mellis addi oportet. Item si lateralis dolor sit, aut inter scapulas, aut in thorace Præcordiis medentur ex aceto cum melle, quæ potio datur & in alienatione mẽtis, ac melancholicis. Datur ex comitialibus, quos correptos olfactus excitat thymi. Aiunt & dormire eos oportere in molli thymo. Prodest & orthopnoicis, & anhelationi, mulierúmque mensibus retardatis, vel si emortui sint in vtero partus, decoctum in aqua ad tertias. Et viris verò contra inflationes cum melle, & aceto. Et si venter turgeat, testésve, aut vesicæ dolor exigat. E' vino tumores & impetus tollit impositum. Item cum aceto callum, & verrucas. Coxendicibus imponitur & articularibus morbis, & luxatis tritum, ac lanæ insper sum ex oleo. Dant & potionem articularibus morbis trium obolorum pondere in tribus aceti & mellis. Et in fastidio tritum cum sale. Quibus qualitatibus hæc efficiant Galenus docet his verbis. Thymum incidit, & calfacit vehementer, ob id & vrinam & menses prouocat, fœtum euellit, viscera potum expurgat, educendis ex pulmone & thorace confert. Itaque in excalfaciendo exsiccandóque, in tertio ordine statuendum est. Præter quas vires, alias quoque ei tribuit Aetius sic scribens. Hæc experientia de thymo comperta sunt. Dato ieiunis articulari morbo laborantibus, thymi aridi minutissimi drachmas quatuor cum oxymelitis cyatho, bilem enim reliquósque humores, atque acrem saniem euacuat, facit & ad vesicæ affectus. Ventre autem inflato, vbi scilicet intumescere cœperit, drachmam vnam dato ieiunis cum cochleari aquæ mulsæ. Ad lumborum coxendicúmque dolorem, latérisque, thoracis, ac hypochondriorum suspensiones, & inflationes, pon-

Lib. 21. c. 21.

Locus.

Lib. 3. c. 37. *Vires & Temper*

Li. 21. c. 22.

Lib. 6. fin.

Lib. 1.

dere trium drachmarum cum oxymelite temperato, mensura cochlearij ieiuno exhibeto. Similiter etiam & melancholicis, & mente turbatis, timoreq; detentis drachmas tres cum oxymelitis temperati cochleari præbeto. Dato item ieiunis,& ante cœnam,aduersus lippitudines, & vehementem oculorum dolorem.Præterea contra podagram, etiam quæ motum omninò interceperit, cum vino vtilissimè propinatur. Postremò ad tumefactos testes ieiunis trium drachmarum pondere exhibetur. Verùm ab atro thymo abstinere oportet:corrumpit enim temperamentum,bilémque gignit.Eligendum quod purpureo flore est:præstantiùs tamè quod album habet Ex thymo manat oleum aurei coloris, inquit Matthiolus, quod vna cum aqua elicitur, dum per calentis aquæ balneum herba recens viridisq; distillatur.Hoc citreum malum resipit,gustu acerrimum est,& ad ea omnia vtile,quæ vehementer excalfieri postulant.

In Cap. 37. lib.3.

SERPYLLVM. CAP. XI.

Nomina Πρυλλος & ἕρπυλλον Græcè,Latinè Serpyllum,Officinę Latinum nomen retinuerunt,Arabicè *Hemen*,Italicè *Serpillo*, Germanis *Querdel,& Hener Roel*, Hispanicè *Serpollo & Serpam*; Gallicè *Serpollet*. ἀπὸ τὸ ἕρπειν, auctore Dioscoride,nomen à Græcis inditum est, id est, à serpendo. Varro quoque auctor est ab eo quod serpat,tam Græcis quàm Latinis dictum esse, quoniã si qua eius particula terram attingat, ibi radices demittit.Dioscorides duo serpylli genera esse scripsit,hortense odore sampsuchum referens,& idem coronarium, quod serpit:ac syluestre, zygis appellatum, quòd fortè eo iugarentur vites. ζυγεῖν enim Græcis interdum idem quod Latinis ligare, & vincire significat. Istud non serpit.Plinio de iisdem generibus cum Dioscoride conuenit, minimè verò in eo quòd de proserpendo tradunt. Verba eius hæc sunt. Serpyllum à serpendo putant dictum. Quod syluestri euenit,in petris maximè. Satiuum non serpit, sed ad palmi altitudinem increscit.Pinguius volũtarium,& candidioribus foliis,& ramis. Quod itaque Plinius de syluestri, id Dioscorides de hortensi dixit. Theophrastus vtriusq; etiam serpilli meminit,sed hortense non aliud illi videtur esse quàm syluestre in hortos translatum.Sic enim ait, καὶ γὰρ ἕρπυλλος ἔστιν ἄγριος, ὃν κομιζοντες ἐκ τῶν ὀρῶν φυτεύουσι, καὶ ἐν Συκιῶνι, καὶ Ἀθήνησιν ἐκ τοῦ Ὑμηττοῦ. παρ' ἄλλοις δὲ ὅλως ὄρη πλήρη, καὶ τόποι, καθάπερ ἐν τῇ Θράκῃ, καὶ σισύμβριον δὲ καὶ τἄλλα δριμύτερον ἔχοντα τὴν ὀσμήν. Id est, Etenim serpillum est syluestre,quod deferentes ex montibus serunt, vt Sycione & Athenis ex Hymetto. Apud alios verò,vt in Thracia, montes & alia loca serpyllo scatent, & sisymbrio,& reliquis acriori odore præditis. Rectiùs quàm Gaza, qui vertit,serpyllo scatent, sed sisymbrio reliquisq; odor acrior est. Quãtum verò serpyllum,& quomodo serpere possit,declarat Theophrastus his verbis, τοῦ δ' ἕρπύλλου ἴδιος ἡ αὔξησις ἡ τῶν βλαστῶν. δύναται γὰρ ἐφ' ὁσονοῦν προιέναι καὶ μῆκος, χάραχα λαβόν, ἢ πρὸς σίμασίαι φυλευθεὶς, ἢ κάτω καθιέμενος. Id est,Ramulorum serpylli proprium quoddam est incrementum,quippe cùm possit in quantam volueris longitudinem trahi,arrepto pedamento aliquo,aut si prope sepes plantetur,aut ex loco altiore demissum.Serpyllum hortense sic describit Dioscorides.Folia habet & ramos origano similes,(vel vt quidam legunt, tragorigano: nam Tragorigani folium cum serpyllo syluestri idem confert) sed candidiores:ad sepes demissum multò proceriùs assurgit. Syluestre non serpit,sed rectum ramulos emittit tenues, surculosos,foliis refertos rutæ similibus,vel,vt rursum legunt,Tragorigano:τραγοριγάνῳ,non πηγάνῳ. tamen subangustis,oblongioribus,durioribus:flores gustanti acres,iucundè olentes:radix inutilis.Nascitur in petris.Matthiolus serpyllum hortense in Hetruria haud negligi, sed in hortis seri,& diligenter coli tradidit. Syluestre duorum esse generum,vnum flore candido,odore citrij mali:alterũ flore purpureo,gustu perquàm acri,saturei simili.

Lib.3. c.39.

Ibid.

Genera.

Lib.10.c.2.

Lib.6.hist. Cap.7.

Ibid.

Lib.3. c.39.

Forma.

In cap. 39. lib.3.

SERPYLLVM, Matth.

SERPYLLVM Narbonense, Lob.

SERPYLLVM, Matthioli.



simili. Vtrumq; copiosissimè nasci apud Goritienses, in Saluatino mõte lætissimũ, & odoratissimũ. Duo quoq; serpylli genera agnoscit Pena: quoddam satiuũ, quod habitius & grandius est, quoddã siluestre incultis marginibus, sterilib⁹, & collibus gaudẽs. Facies vtriq;, thymi nostratis vulgaris: flores & folia similia, sed maiora, in caulicu lis gracilibus, duris, lignosis, reptantibus: flosculi in capitulis, thymi vulgaris purpura rubentes, nonnunquam albicantes. Serpyllũ vulgare Dodonęus libro de floribus non tam serpillo quã f. 1.

Saxifragæ Dioscoridis respondere putat. Lobellius pinxit. Narbonense Serpyllum foliis & facie perpusilli angusti folij Thymi nostratis, quod rarius est, in Ericetis

Egidij pagi,vulgò *S.Gilles*,agri Monſpelienſis,Thymi anguſtifolij facie prouenies, lignoſis & durioribus ſurculis repens, cuius radix & flores ſimiles noſtrati. Serpyllum quidem certè pauci hodie aut ferè nulli in hortis ſerunt, cùm vbique copioſiſsimum naſcatur, nec ideò tamen deſpicitur. Nam ex eo cum floribus ſiccato & trito à permultis puluiſculus fit,quem vocant *du Pouſſet*,quo iuſcula condiunt. Serpyllum verò zygida Dioſcoridis,periti quidam thymum nigrum eſſe putant,quo Narbonenſis ſcatet Gallia, & quod etiam hodie Monſpelienſes *Serpolet* appellant, Auenionenſes & accolæ,*Farigoule*,Pariſienſes *Thym*. Nam thymi nomine Dioſcorides albi tantùm & Cretenſis meminit, ſtœchadis modo capitula ſpicata gerentis,vt diximus.Hanc etiam plantam,quia naturā thymo proximam habet,à Theophraſto ſerpyllum θυμῶδες dictam volunt, non thymum penitùs redolens,vt conuertit Gaza,ſed thymo figura,folio,rectis virgulis,flore, odore, viribus ac facultatibus ſimile,quas ſic declarat Dioſcorides.Serpyllum ſilueſtre ſatiuo efficacius eſt, magis excalfaciens,& ad medicum vſum aptius.Menſes extrahit, & vrinas cit potu.Torminibus,ruptis,vulſis, iocinoris inflammationibus auxiliatur, aduerſus ſerpētes potū & illitum.Capitis dolores mulcet coctū,adiecto roſaceo,&aceto madefactū. Maximè verò lethargo & phrenitidi cōuenit. Sanguinis vomitus ſedat ſuccus eius quatuor drachmis cum aceto potus. Plinius eadem ferè habet. Aduerſus ſerpentes efficax,inquit,maximè cenchrin, & ſcolopendras terreſtres ac marinas, & ſcorpiones,decoctis in vino ramis foliiſq;.Fugat & odore omnes ſi vratur.Et cōtra marinorum venena præcipuè valet. Capitis doloribus decoctū in aceto illinitur temporibus aut fronti cum roſaceo.Item phreniticis,lethargicis:contra tormina & vrinæ difficultatem,anginas,vomitiones drachmis quatuor datur.Ex aqua bibitur & ad iocinorum deſideria. Folia obolis quatuor dantur ad lienem ex aceto. Ad cruētas excreationes teritur in cyathis duobus aceti & mellis. Serpyllū,auctore Galeno,vſq; adeò excalfacit,vt & menſes & vrinas moueat, guſtu multùm eſt acre.

Lib.6 hiſt. Cap.7.

Lib. 3. c.39. *Temper. & Vires*

Lib.20. ca. 22.

Lib.6. fim.

CALAMINTHA. CAP. XII.

Nomina

Καλαμίνθη Græcis, Latinis Calamintha,Officinis & Arabibus *Calamentum* dicitur,Italis *Calamento*,Gallis *Calamente*. Nominata verò eſt calamintha quaſi vel bona vel vtilis mentha:namq; odore ſuo ſerpentes fugat: quod teſtatur etiam Ariſtophanes his verbis. σὺ δ' ὄζεις καλαμίνθης ὄφεως ἐλαφρικῶς. vel quaſi elegantiore aſpectu, odoreq; delicatiore eſſet quàm mentha,certè habitiore nitidioreq; habitu eſſe nullus inficiabitur,inquit Pena,qui Vincentinam & Veronenſem viderit. Niſi quis putet à καλοῦ,hoc eſt ligno, quaſi lignoſam appellari mentham.Dioſcorides tria calaminthes recenſet genera, calamintham montanam, alteram Latinorum nepetam, tertiam mēthaſtri ſimilem. Plinius prima duo genera in vnā menthaſtri ſpeciem confudiſſe videtur his verbis.Menthaſtrum ſilueſtris mentha eſt, differens ſpecie foliorum quaſi figura ocimi,pulegij colore,propter quod quidam ſilueſtre pulegium vocant. Quo loco falſò pulegij colore,pro pulegij odore legitur, vt ex Dioſcoride intelligere licet.Poſteà nepetæ vires ſeorſum exponit.Calamintham montanam deſcribit Dioſcorides foliis eſſe ocimi,ſubalbidis,ramulis & ſurculis anguloſis, purpureo flore. Alteram pulegio ſimilem,ſed maiorem,quam ideo ſilueſtre pulegium vocarunt,quod odore ipſi ſimilis ſit.Nepetam Latini vocant. Tertiam menthaſtro ſimilem,foliis oblongioribus,caule & ramo ſuperioribus maiorem,ſed viribus inefficaciorem. Calamintham montanam ſæpius à ſe viſam ſcribit Matthiolus in excelſis vallis Anaiæ montibus,foliis albicantibus,ocimo ſimilibus,caule quadrāgulo,flore in purpura rufeſcente.Hanc Lobellius Calamintham montanā vulgarem vocat,mediam odoris

Lib.3. c.36.

Genera.

Lib.20.c.14

In fine ca.

Lib.3. c.36.

Forma.

1 Calam. In cap. 36. lib.3.

CALAMINTHA Montana, Matthioli.

CALAMINTHA Altera, Matthioli.

odoris ſuauitate & magnitudine inter ſuauiorem Calaminthã & Nepetam. Quadrato enim cubitali & ampliore,alarum multis ramulis concauo caule fruticat,foliis rotũdioribus nigrioribus,Nepetæ ſimilibus,ſed maioribus,hirtis nitidioribus, & iucundioris odoris fragrantia,floſculis non diſparibus.Cliuoſis Angliæ,Germaniæ,Galliæ,Italiæ ſponte oritur,vnde in viretis Belgicis alitur ad vſus medicos. Calamintham aliam montanam præſtantiorem oſtendunt Pena & Lobellius Officinis omnibus nondũ notam,quæ eius vice cattaria vtuntur. Non obuia eſt omnibus iſta montana præſtantior,nec niſi in Narbonenſis Ceuenæ vmbroſis, ſaxoſiſq; cliuis frequens, & in Romano Patauinóq; agro virgis quadratis, nitidis, cubitum altis,& quam menthæ gracilioribus, folia edẽtibus ocimi aut meliſſophylli,ſed minora,ſpecioſiora,hirſutiora,flore item meliſſæ,ſed purpureo,quauis calamintha maiore,aſpectuq; hilariore,ſemine portulacæ minuto,odore amaraci,mentha ſuauiore.Alterius calaminthæ frequẽtior eſt vſus, quæ Romanis Nepeta nuncupatur.Hæc inculto ſolo prouenit,vt ſcribit Matthiolus, ſecus itinera & ſepes,atq; etiam in collibus : foliis ſubrotundis,aliquãtum hirſutis, in ambitu minutim inſectis, caulibus cubitalibus,anguloſis, hirſutis, floribus paruis purpuraſcentibus, à medio caule vſq; ad ſummum verticillatim erumpẽtibus, vt in pulegio, ſed in cacumine copioſioribus,

In cap. 36. lib. 3.

CALAMINTHA Montana præſtantior Pen. & Lobell.

radicibus tenuibus & numerosis. Hæc est quã pulegio similem facit Dioscorides. Est enim foliis regalis pulegij, vt ait Pena, aliquantò maioribus, albidis, variegatis maculis, minoribus quàm superioris calaminthæ ex pullo porraceis, odore pulegio simili, sed vehementiore ingratioreq;, præsertim feruidioribus tractibus, squallidis, cliuosis Italiæ, Narbonæ, & Galloprouinciæ, vbi nomine calaminthæ seu nepetæ Officinis vsurpatur, & in reliqua Gallia Lugdunensi præcipuè, vbi etiam totam æstatem flores purpurantes pallentesq; verticillatim virgas cubitales amicientes fundit. Est etiam Lobellij Calamintha altera, odore graui pulegij, foliis maculosis, Nepeta Dioscoridis, quam sic etiam vocasse debuit Matthiolus. Huius alteram speciem Calamintham secundam incanam ex Italiæ collibus attulit, & pinxit Lobellius, gustu pulegij, foliis maioranæ duplò minoribus, candicantibus, vti tota planta in cubitalibus & pedalibus surculis. Exiliores flosculi calaminthæ siue Nepetæ Dioscoridis, odoris grauis pulegij. Cautibus Linguagotticis calidarumq; regionũ oriunda, floribus albis ex collibus Picardiæ & Gallobelgij delatam calaminthã secundam vidit Lobellius. Tertia calaminthæ species Gattaria non est, vt scribit Matthiolus, sed illa quæ in aquosis locis reperitur, menthastri æmula, magis tamẽ subalbidis foliis, & gustu acrioribus, cuius hanc Matthiolus picturã ostendit. Quidam non calaminthæ speciem, sed mẽthastrum album appellant. Pena & Lobellius Polycnemum esse suspicantur, de quo in hoc libro tractabimus suo loco. Alij scordotim alteram Plinij, de qua ille: Scordotis est, inquit, & alterius generis, latioribus foliis, menthastro similis. Plurimos vtraque ad vsus per se, & inter alia in antidotis. Alij Scordotim Plinij Saluiam agrestem Officinarum, siue Saluiam bosci esse aiunt, quam Dodonæus Sphacelum Theophrasti esse credit: alij, quorũ sentẽtia probabilior, Gallitricum Officinarum: alij Stachyn earumdem. Pena & Lobellius aliã mẽthastri foliis aquaticam, hirsutam, calamintham tertiam Dioscoridis esse censent, cuius facilis dignotio menthastrum intuenti, inquit Pena, vtraque enim aquosis viret marginibus satorum aut pratorum. Huius caulis cubitum & sesquicubitum æquat, folia menthastri aut sisymbrij edit, incana: flores mẽthæ spicatos purpura obsoleta, odoris grauis sisymbrij, nec gustu nimis calfaciente. Quidam syluestre Sisymbriũ Dioscoridis esse putant. Hanc videtur Tragus nomine quartæ nepetæ agrestis depinxisse, plantam

CALAMINTHA Aquatiqua, Matthioli.

Lib. 25. c. 6. *CALAMINTHA Secunda incana, Lobellij.*



NEPETA IIII. Tragi, Calamintha menthaſtri folio, Pena.

CALAMINTHA II. & III. Dioſcor.

plantam grauiſsimi odoris, circa humida loca prouenientem, folia habentẽ origani, incana, guſtu impenſè feruentia & amara, flores rubros caulem circundantes. Calaminthæ ſecundæ ſiue Nepetæ genuinæ ramulum, & Calamintham tertiam Dioſcoridis, hîc expreſsimus ex Dalechampio. Ac ſecundæ quidem pulegio ſimilis foliis & albis notulis ſignatis delineatio, ſatis ex ſupradictis perſpicua eſt. Tertiam verò ſic deſcripſit. Naſcitur ferè ſub ſepibus, in locis editis & pinguibus: radicibus multis, tenuibus, ſubnigris: caulibus tribus aut quatuor nonnunquam pluribus, quadrangulis, rubris, villoſis, cubitalibus: foliis primæ Calaminthes, ſed longioribus, & ad menthaſtrum accedentibus, per interualla binis, lanuginoſis, ex quorum alis interdum folioſi ſurculi prodeunt. In caulium vertice, & eorũdem diſcretis ſpatiis verticillatim congeries, vt in Praſio, aſperæ & hirtæ, ex quibus flos exit, non confertim, ſed viciſsim oblongus, ſupernè latus infernè anguſtus, nitidi ruboris. Guſtus plantæ totius amarus principio, tandem ſubacer: odor grauis & ignauus. Omnium Calamintharum folia, auctore Dioſcoride, guſtu feructia admodum & acria ſunt: radix inutilis. Pota aut illita folia demorſis à ſerpente opitulantur. Decoctum potum vrinas & menſes pellit. Ruptis, conuulſis, orthopnœæ, torminibus, choleræ, rigoribúſque auxiliatur: præſumpta in vino venenis reſiſtit. Regiũ morbũ expurgat. Lumbricos & aſcaridas cũ ſale & melle pota enecat. Nec ſecus cruda coctaq; & trita, elephanticos eſitata adiuuat, ſi poſtea ſerum lactis bibatur. Folia trita & appoſita menſes ducunt, & fœtus interimunt. Accenſa aut ſubſtrata ſerpẽtes fugant: nigris cicatricibus candorem reddunt in vino cocta & illita: ſugillata tollunt. Iſchiadicis imponitur, vt humorem ex alto euocet, meatúſque tranſmutet ſummam cutem exurens. Vermes necat ſuccus auribus inſtillatus. Quæ omnia diſtinctiùs & fuſiùs declarat Galenus his verbis. Calamintha eſſentia eſt tenui, & calida ſiccaq; temperie, tertio quodammodo ordine vtraque qualitate. Horum manifeſta ſunt indicia partim guſtu apparentia, partim experientia cognita. Guſtu ſiquidem acris, & palam calida eſt, ac paulum omnino amaritudinis obtinet. Periclitantibus autem & corpori admouẽtibus extrinſecus impoſita, primùm quidẽ valde calfacit, & nonnihil mordet, cutemq; rodit, poſtremò etiã vlcus efficit. In corpus autẽ intrò aſſumpta

Matthi. in ca. 111. li. 2.

Lib. 3. c. 36. *Vires & Temper.*

Li. 7. ſimpl.

tum ipſa per ſeſe ſicca, tum etiã cum melicrato, perſpicuè calfacit, & ſudores ciet, omneq; corpus tum digerit, tum exſiccat. Ea ratione ducti quidã contra corporis concuſsiones, rigoreſque per circuitũ repetentes adhibuerunt, foris quidem oleo incoctam toti corpori inungentes cum frictione non ſegni, intro verò aſſumẽtes, ſicut dictum eſt. Quinetiam & coxẽdicibus eam quidam in ægritudinibus iſchiadicis tanquam ſtrenuum remedium illinunt: trahit enim quæ in profundo hærent ad ſuperficiem, totumq; articulũ excalfacit, cutemq; nõ obſcurè adurit, menſeſq; tum epota, tum appoſita admodum efficaciter prouocat. Bonũ etiam eſt elephanticorũ remediũ, non eò tantum quòd ſtrenuè tenues humores digerat, verũ etiam quòd extenuet & incidat valenter craſſos, qui talem morbũ procreant. Sic & cicatricibus atris colorẽ reddit, & ſugillata digerit. Præſtat autẽ in huiuſcemodi, vbi in vino ipſam decoxerimus, emplaſtri ritu imponere, & viridem magis quàm ſiccam. Quippe arefacta vehementior redditur, & ad vrendum promptior. Porrò talis cùm ſit ad venenatarum beſtiarum morſus aſſumitur, velut etiam cauteria, & quæcũque medicamenta calida ſunt, & acria, tenuiumq; partium, quæq; facilè ex alto ad ſeſe circumiacentem omnem humiditatem poſſunt attrahere. Cæterũ, quæ illi ineſt amaritudo, planè exigua eſt, verũ ad quædam tam efficax, quàm quæ valentiſsima, nimirũ cùm coniuncta ſit vehementi calori cum tenui eſſentia. Quare & aſcaridas & lumbricos ſuccus eius aut infuſus aut epotus necat. Eadem ratione aurium vermes, aut ſi alicubi in corporis parte ſinuoſa aut rugoſa quæ putredine tentetur, talis prouenerit affectus. Sic conceptum ſeu pota, ſeu admota interimit & eiicit. Igitur incidendi quidem ei vis ineſt propter calorem eius, tenuitatem, & amaritudinem, abſtergendi verò propter vnicam amaritudinẽ. Itaque aſthmaticis ob omnia antedicta prodeſt: ictericis verò potiſsimùm ob amaritudinẽ, ſicut omnia ferè alia amara, vtpotè abſtergentia & expurgantia in iocinore prouenientes obſtructiones. Ad omnia iam dicta efficacior eſt montana.

CATTARIA. CAP. XIII.

Nomina

HERBA Felis, Matthioli.

Genera.
Forma.

QVÆ Cattaria, ſiue Menthacatti vulgò dicitur, Gallis *l'Herbe au chat*, Italis *Gattaria*, ſiue *Herba Gatta*, Germanis *Katzenwurtz*, Nepeta non eſt antiquorum, neque alia calaminthæ ſpecies, ſed veluti inter calaminthã & meliſſam, antiquis fortè ignorata, tamen præſtans viribus. Cattariã verò plebs vocauit peramœni ſpectaculi argumento. Vix dum enim conſpectam vbi olfecerit Cattus, amplexatus & diſſuauiatus fuerit, laſciuiẽdoq; illi iam accedẽdo, iam recedendo ſeſe vtriſq; pedibus diu & multum affricuerit, colludendo tãdem miris geſticulationibus vniuerſam auidè ligurit: ſed auidiùs ſi ea ex agris in hortos fuerit tranſlata: tenerior enim tunc eſt, odoréque non perinde vehementi. Eſt enim hortenſis & agreſtis, ambæ ſimiles, caulibus quadratis, numeroſis, rectis, incanis. Foliis per interualla binis, incanis, meliſſæ aut marrubij æqualibus, mollibus & ſubcandicantibus, præſertim auerſa parte: floribus intra & circum ſuperiorum foliorum

exortus

MENTHA Cattaria
Peregrina latifolia, Lobel.

MENTHA Cattaria
angustifolia, Lobellij.

exortus ramulos ambientibus,& extrema ſpica caudata decorantibus,menthæ aut menthaſtri:radicibus multifidis & fibratis. Naſcitur in agrorum marginibus, ſecus vias, vliginoſo etiam ſolo quemadmodum menthaſtrum. Mentha duplicem peregrinam hìc ex Lobellio proponimus,Latifoliam & Anguſtifoliam.Priori folia Cretici marrubij proxima, incana, flores candidi, copioſi Cattariæ vulgaris, verticillatim caulem etiam quadratum ambientes,multis concauum alis, eiuſque ſummum decorantes. Magis intenſus eius odor, grauior vires etiã acriores quàm Cattarię.Altera dũtaxat anguſtioribus minoribuſq; foliis variat,alioqui re ipſavna & eadem quæ ſuperior. Vtraque ſemine Hiſpano ſata. Strenuè excalfacit & attenuat. Quare valet ad omnes capitis,pectoris,vẽtriculi, & vteri morbos,à pituitoſis excrementis aut flatu genitos. Ideò diuturno capitis dolore affectis, vertiginoſis,veternoſis,ſtupidis,reſolutis,conuulſis,comitialibus,aſthmaticis & ſuſpirioſis auxiliatur. Item medetur ventriculi torminibus à flatu prouenientibus. Tota planta menſes elicit tam pota, quàm in deſſeſsionibus addita. Eius vſus ſteriles reddit fœcũdas,ſi ſterilitatis frigiditas humiditaſq; cauſa ſit: valenter enim vterũ excalfacit. Succus naribus infuſus pituitæ copiam expurgat & viſum acuit.

Locus.

Temper. & Vires. Matth. in ca.36. lib.3.

SCORDIVM. CAP. XIIII.

ΣΚΟΡΔΙΟΝ Græcis,Latinis Trixago paluſtris,Plinio Scordotis, Officinis ferè incognita,Germanis alluſione quadam ad Romanam appellationem aptè *Vvaſſer Batenig* nominatur, Gallis *Scordion* & *Chamarraz*. Scordium autem à Græcis dictum fuit ab alliis, quia folia eius affricta allij, quod Græcis σκόροδον vocatur,odorem referunt. Ab eodem mali & ingrati odoris ſenſu iiſdem etiam δύοσμον appellata fuit. Vt verò paluſtris trixago dicta ſit,tum ſimilitudo fecit,tum natalium locus,Trixagini enim quæ Græcis chamædrys dicitur,ſimilis eſt,& in humentibus ac paluſtribus locis naſcitur. Scordiũ, vt depinxit Dioſcorides, folia chamædryj ſimilia habet, maiora tamen, nec ſic in ambitu inciſa,odore aliquantùm allium referentia, guſtu adſtringentia & amara, caules quadran

Nomina.

Li.3.ca.108. Forma.

Lib.25.c.6. quadrangulos, in quibus flos subrubescens. Lenæus apud Plinium Mithridati ipsum adscripsit his verbis. Ipsi Mithridati Crateuas adscripsit vnam Mithridation vocatam. Et mox, Alteram Lenæus Scordotim siue Scordiũ, ipsius manu adscriptam, magnitudine cubitali, quadrangulo caule, ramosam, quercus similitudine, foliis lanuginosis. Reperitur in Põto campis pinguibus, humidisque, gustus amari. Hæc Plinius. Quod dicit quercus similitudine, de chamædri accipiendum videtur, cuius similia esse Scordij folia Dioscorides dixit, chamædryos autem quercui. Hæc herba tum allij tetro odore, tum alexipharmaca vi apud veteres celebris, patrum nostrorum memoria Medicis & Seplasiariis ignota fuit, ei tam salutari atque omnibus putridis marcoribus, vt Galenus ait, aduersanti, siluestre allium substituentibus. In hunc autem errorem incidisse tum vicinitate nominũ deceptos, quia Scordium à Scorodo, quod Græcis allium significat, non distinguerent, tum interpretis Auicẽnæ imperitia constat, qui in altera theriacæ compositione Scordium, in altera siluestre allium indiderit, quæ interpretatio fecit, vt Scordium & siluestre allium nihil inter se differre existimarint. Hodie verò recentiorum & peritiorum herbariorum opera omnibus verum innotuit, quod hîc pictum est, nec aliud in theriacos pastillos inferendum, iis nimirum viribus præditum quas Dioscorides illi assignat his verbis. Calfaciendi vim habet, vrinam cit. Viride tritum & aridum cum vino decoctum contra serpentium morsus & venena letalia bibitur. Ad stomachi rosiones, dyssenteriam, & vrinæ difficultatem pondere duarum drachmarum cum hydromelite. Purgat crassa, & purulenta è thorace. Facit ad veterem tussim, rupta, conuulsa cum nasturtio, melle, & resina in ecligmate aridum commixtum. Hypochondriorum vetustas inflammationes cerato exceptũ lenit. Succurrit podagris cum acri aceto circumlitum, aut ex aqua illitum. Menses suppositum mouet, vulnera glutinat, vetusta vlcera purgat, & cum melle ad cicatricem perducit. Siccatum carnem excrescentem reprimit. Succus præterea ex eo expressus ad prædicta vitia bibitur. Galenus tradidit scriptum esse à viris grauissimis, cum in bello interemptorũ cadauera multos dies insepulta iacuissent, quæcumque supra Scordium fortè fortuna ceciderant, multò minùs aliis cõputruisse, ea præsertim parte qua herbam contigerant. Ob quã rem omnibus sanè persuasum est, tam putrefacientibus animalium venenis, quã medicamentorum deleteriis Scordiũ aduersari. Præterea alibi de facultatibus scribens, ex diuersis tum saporibus, tum facultatibus ait constare. Nam amarum quid obtinet, & acerbũ & acre, maximè Scorodo, hoc est, allio similis eius acrimonia, vnde sanè nomenclaturam sortitũ est. Expurgat igitur, simulq; excalfacit viscera, tum menses vrinamq; mouet. Præterea conuulsa ruptaq; & laterũ dolores ab obstructione & frigore natos sanat epotũ. Deniq; viride quidẽ illitũ magna vulnera cõglutinat, sed sordida purgat, & maligna ad cicatricẽ ducit, illitum aridũ. Scordiũ alterũ Plinij quidam volunt esse Saluiam agrestem, quã Dodonæus facit Sphacelum Theophrasti, Cordus Scordianam vocat. De hac egimus capite secundo libri huius.

SCORDIVM, Matthioli.

Pena fol. 210.

Lib. Antid.

Lib.3.c.108. *Temper. & Vires*

Lib.1.Antid.

Lib.8.simpl.

ALLIA

ALLIARIA. CAP. XV.

VT odore non ita facie nec facultatibus planta hæc scordium æmulatur, quod folia eius trita ingratum ac planè Alliatum odorē referant, Alliaris siue alliaria dicta, à Pandectario Pes asini, à Gallis *l'Herbe aux aulx*, à Dioscoride fortassè præterita. Propter sepes & in agrorū marginibus passim nascitur, foliis cùm primùm erumpunt, subrotundis, violæ similitudine, aliquantò tamen maioribus, quæ cùm adoleuerint in angulos exeunt, per ambitum serrata, melissophylli aut vrticæ quadamtenus similia, sed læuiora, nec ita rugosa, & à pediculo latiora, quæ digitorum attritu gustatuq; Allij odorem & saporem reddunt. Caulem profert bicubitalem, rotundum, flores albos, semen nigrum, minutum, tenuibus siliquis inclusum, radix alba, longiuscula, eiusdem cum foliis odoris. Huius plantæ delineationem non pessimè quadrare Plinij Alectorolopho scribit Pena, quippe folia per initia circinata, hederæ terrestris, longiora, altiusq; serrata euadunt, fimbriata, acutis in ambitu denticulis, tota planta

Nomina
Locus.
Forma.
Fol. 228.

ALLIARIA, Matthioli.

ALLIARIA, Dodonæi.

vrticam referente, præterquàm siliquis, napi semine plenis nigricante, vt vult Plinius. Flores multi, albidi, irionis: alba radix multos caules bicubitales fundens. Tota gustu calidiusculo, humente, melioréque odore & gratiore quàm Allij: quo fit vt mulierculæ, præsertim Angliæ, folia succulenta tusa, salsamentis & intinctibus frequenter misceant, multùm ad incolumitatem annuam tuendam primo vere commēdantes. Erysimum aut erucam facultate refert: quare tussientibus proderit, vt placet Plinio, de cuius Alectorolopho alibi diximus. Ex huius vi calfactoria & exsiccatoria colligi potest, crassos illam humores extenuare, & lentos incidere. Aiunt semen emplastri modo impositum, vuluæq; admotum mulieres veteri strangulatione oppressas liberare, & excitare. Lib. 27. c. 5.

ACINVS

ACINVS. CAP. XVI.

Nomina Li.21. ca.15. & 17.

DIOSCORIDI ἄκινος vel ἄκονος herba dicitur, item Plinio Acinos atque etiam epipetron, quam nunquam florere scripsit. Vnde suspitio oritur Acinon eamdem esse, quæ in Theophrasto epimetron deprauatè pro epipetrō (Acini enim nulla apud eum mentio) nominatur his verbis ἔνια δὲ καὶ ὅλως ἀνανθῆ, καθάπερ καὶ τὸ ἐπίπετρον. Ideſt, quædam omnino non florent, quemadmodum epipetron: quæ sic transtulit Plinius. Acinos quam epipetrón vocant, quæ nunquam floret. Censent tamen peritiores eas, duas & diuersas esse, ac sic legendum: Acinos: & quam Epipetron vocant, &c. Ex quibus coniicias Acynon per, y, legendum esse, ideſt ἄτοκον sterilem. Est autem Acynos auctore Dioscoride, herba tenuium surculorum, coronaria, ocimo similis, sed hirsutior & odorata. A quibusdam in hortis colitur. Plinius eadem ferè tradit. Acinum & coronarum causa & ciborum Ægyptij serunt: eademq; erat quæ ocimum, nisi hirsutior ramis ac foliis esset, & admodum odorata. Hanc à quibusdam siluestre basilicum dici scripsit Ruellius, Latinis ocimastrum, Gallis *Basilic sauuage*. Dodonæus eamdem plantam ocimastri nomine descripsit & depinxit. Et certè non solùm persimilis, sed etiam congener ocimo videtur Acinos, vt verè ocimum siluestre censeri possit, etiam si obstet mutila historia, si codex integer est, quæ illi flores adimit, quos ineſse Dioscorides non negat. Quare fieri potuit, vt quod Plinio in Bechio, & Dioscoridi in Dictamno contigit, idem vsuenerit Plinio, nempe vt nullum agnosceret florem in Acyno: quæ si coronaria fuit, verisimilius est flores habuisse. Sed quemadmodum Bechio & petasitidi, quia præpropere florent, & citissimè defloreſcunt, deesse florem quidam putarunt, sic fortè Acino, quia obscuriùs & seriùs flores promit, ac sæpiùs interdum cùm emerserunt amittit, intempestiua autumni qualibet minima sæuitia, sicuti videre est in nonnullis pusillos &

Forma. Lib.3. c.43. Lib.21.c.27

Lib.3. c.36.

Lib.2.c.60. De flor.ca. 85.

ACINVS, Siue Clinopodium siluestre.

ACINVS, Matthioli.

serotinos

serotinos flores edentibus. Quare Acinos illa quam pinxit Lobellius,Pena descripsit,huic loco admodum congruam, floſculis purpureis,verticillatis,ramulis quadratis,ſiccis & exilibus,foliis hirſutis,lanuginoſis, ocimi, multa ſecus ſepes viuax fruticat, nonnihil aut perparum odora, guſtanti multò ſiccior quàm ocimum, tantillo odore ſubadſtringente vt betonica. Eam infra pro Clinopodio primo Matthioli exhibuimus.Cum igitur iis quas diximus qualitatibus prædita ſit, poſſe ſiſtere menſes, ſi ob partium imbecillitatem fluunt, poſſeq; igni ſacro mederi perſpicuum eſt,cum moderatè repellat digerendo, quas vires acyno Dioſcorides aſsignauit. Aluum,inquit,& menſes potu ſiſtit. Panos & eryſipelata impoſita ſanat. Contraria verò Plinius:Ciet, inquit, menſes & vrinas. Dioſcoridi Paulus aſſentitur ſcribens, Acynos ocimo ſimilis mediocriter adſtringendi vires habet: ideoq; aluum & menſes pota ſiſtit. Impoſita verò panos & eryſipelata perſanat. Matthiolus ab aliis liberiùs diſſentiens, reiecto ocimo ſilueſtri,pro Acino calamenthum illud inodorum viarum,vbiq; frequens, & contemptum, à Manardo iamdiu adductum,profert,illiq; ſine vlla probatione præfert. At qui acrius, menſtruiſq; ciendis aptum calamenthum iſtud norit,neutiquam aſſentietur.

Vires.

Li.21.c.27.

Lib.7.

Ca.43. li.3.

ASARVM. CAP. XVII.

ΑΣΑΡΟΝ Græcis & νάρδος ἀγρία, Latinis Aſarum, & Nardus ſilueſtris,quibuſdam vulgago, Arabibus *Aſaron*, Italis *Aſaro* & *Baccara*, Germanis *Haſelwurtz*, Hiſpanis *Aſarabacchara*, Gallis *Cabaret*. Aſarum autem vocitari dicit Plinius,quoniam in coronis non addatur, vel dici potuit quaſi ἀσάρωτον quod in ornatum non veniat:aut velut ἐις σφὰς, ideſt, coronarum nexus οὐκ ἐλθὸν: quibus refragatur Dioſcorides ſcribens herbam eſſe ὡδὴ στεφανωματικὴν, ideſt,odoratam coronariam: id quòd plantæ ipſius natura confirmare videtur,cui ſemper virentia ſunt folia,vitiles ramuli, flexiles pediculi, flores purpurei,odore nardi. Quare cùm Aſarum coronarium fuiſſe negat Plinius,intelligere potuit,inquit Pena, ex hac nullas aptari ſcopas luſtrales verrendis deorum aris,quales colligebantur ex verbenis, verbaſcis, & ſimilibus comoſis, firmioribuſq;. Aſarum Dioſcorides ſcribit folia habere hederæ, minora multò & rotundiora(Ruellius legit μικνότερα,antiquum exemplar πυκνότερα, ideſt,denſiora, vtrobique deprauatè:etenim Aſari folia,neque denſiora, neque minora ſunt hederæ foliis:quare μαλακότερα legendum cenſet Fuchſius,ideſt, molliora:quod partim Plinij teſtimonio,partim ipſo iudice ſenſu comprobari poteſt) flores inter folia ad radicem purpureos,odoratos,hyoſcyami cytino ſimiles,in quibus ſemen Acino nõ diſsimile,radices multas,geniculatas, tenues,obliquas,gramini ſimiles, longè tamen graciliores,odoratas,calfacientes,& linguam vehementer mordentes. In montibus vmbroſis prouenit,ſed plurimùm in Ponto,Phrygia,Illyrico, & Italiæ luſtinenſi agro. Breuiùs ſic Plinius. Nardi vim habet & Aſarum, quod & ipſum aliqui ſilueſtre Nardum appellant. Eſt autem hederæ foliis rotundioribus tantùm mollioribuſq;,flore purpureo,radice Gallici nardi:ſemen acinoſum, ſaporis calidi ac vinoſi. Montibus in vmbroſis bis anno floret. Optimum in Ponto, proximum in Phrygia,tertium in Illyrico. Foditur cùm folia mittere incipit,& in ſole ſiccatur,celeriter ſitum ſentiens ac ſeneſcens. Iſtud Aſarum plantam eſſe omnibus Officinis Aſari nomine notam nullus ambigit. De eo verò fruſtrà rixantur recentes quidã rei herbariæ ſcriptores Baccar ſiue Baccarem, & Aſarum à Plinio, & Baccaram ſiue Baccarem & Aſarum à ſeplaſiariis pro eodem haberi, atque ab illis & nomina & res ipſas confundi. Sed illi nominum affinitate falluntur. Nam Baccar ſi Plinio ſit, Aſarum,& Baccara, Baccarus, Baccaris Officinarum, atque etiam Italorum,Hiſpanorumq; *Baccara*, & Gallorũ *Cabaret*, leuiuſcula metatheſi à

Nomina

Lib.21.c.6.

Lib.1.ca.9.

Forma.

Cap 3.hiſt.

Locus.

Lib.12.c.13.

Fol.162.

ASARVM, Matthioli.

Lib.3. c.43.

Fol.262.

Temper. & Vires

Lib.1. ca.9.

Lib.21.c.19.

Baccara deductum, & scripturæ dissimilitudine & re differt ab herba, quæ Dioscoridi βάκχαεις, Latinis Baccharis dicitur. Consimilis error est in Casia, quæ κασία est Græcorũ cum duplici sigma: cum simplici verò, Casia, herba est coronaria, cuius meminit Vergilius. Hæc autem nominum similitudo diligenter animaduertenda & distinguenda est, ne fraudi sit nostræ cognitioni. Asarum verò Baccaram siue Baccarum fortè vocatum putat Petrus Pe. quod exiguis vaccis aut vacciniis lagenulas similes ferat: illam alteram βάκχαεν siue πάγχαεν propter odoris commendationem. Asari vires nunc propiùs inspiciendæ: vis est Asaro calfactoria, auctore Dioscoride, & vrinã ciens, conueniens hydropicis & coxendicum morbo diuturno: radices cum aquâ mulsâ potæ pondere drachmarum sex ducunt menses, & veratri albi modo purgant. Asarum, inquit Plinius, iocinorum vitiis salutare esse traditur, vncia sumptum in hemina mulsi misti. Aluũ purgat ellebori modo. Hydropicis prodest & præcordiis, vuluisq; ac morbo regio. In mustum si addatur, facit vinum vrinis ciendis. Eiusdem inter medicamenta purgantia meminit Mesues his verbis. Asarum calidum est secundo, siccum tertio ordine. Tenuat, resoluit, obstructa aperit hepatis, lienis, & horum duritiem soluit, & affectus alios inde natos, febres putridas, & diuturnas, icterum, hydropem præsertim vino infusum. Purgat vomitu & deiectione & vrinis bilem, sed pituitam manifestiùs, etiam ex ilibus, ischio, & aliis articulis: ob id harum partium dolores mitigat præsertim infusum, vel aliter exhibitum. Oleum Asari cum ladano spinæ illitum sudores mouet, & rigorem febrilem inhibet: vrinas mouet, semen auget. Valentiùs agit cum sero lactis, spica, & hydromelite. Mustum his radicibus conditum post tertium mensem hydropas & splenem sanat. Mediocriter coqui & teri potest: quò tenuiùs est tritum, eò magis vrinas mouet, minùs autẽ, aluũ ducit. Datur infuso ab aureis duobus ad drachmas quatuor: puluere autem à drachma vna ad aureos duos. Hæc Mesues. A quo fortasse edocti in Germania rustici inquit Matthiolus, tertianam febrem & quartanam curant, epoto Asari ex vino decocto, melle, maci, cinnamomo, & id genus aromatibus additis. Bibunt enim huius decocti calidi cyathum vnum, alij quotidie, alij alternis diebus, & sic aluum subducunt, quandóque bilem aut pituitam vomitionibus reddunt: accedẽte autem paroxysmo dorsi spinam, & plantas pedum inungunt oleo calido, in quo Asarum diu fuerit infolatum: deinde in lecto se componunt calido: sic enim horror minuitur, & sudor copiosus funditur. Ab his omnibus dissentit Galenus, scribens Asari radices vtiles esse, facultate similes radicibus acori, intensiore tamen, itaque ex his quæ de illis dicta sunt huius faciendam coniecturam. Eum secutus Paulus, ait Asarum similem acoro vim habere, sed magis intensam. At cum nulla acori radicibus purgandi facultas insit, & Asarum, Dioscoride & Mesue auctoribus, quotidiana etiam experientia suffragante, veratri modo purget, & bilem pituitamq; infernè ac supernè propellat, permirum sanè cur acori facultatibus Asari vires, Galenus & Paulus comparauerint. Asaro congenerem plantam scribit Matthiolus in Bohemiæ montibus nasci, quam ideò

Cap 9. li.1.

Li.6.simpl.

Lib.7.

Asarinam

ASARINA, Matthioli.

ASARINA, Lobellij.

Asarinam vocat. Repit humi, folio Asaro rotundiore ac scabriore, leuiter in ambitu serrato: caulículis villosis, floribus melinis Anthemidis modo, sed longè minoribus, non inodoris. Radices habet tenues, longas, per summa terræ repentes, acri gustu cum leuiuscula amaritudine: id quod calidum siccumq; earum temperamentum esse indicat. Vim habet abstergẽdi modicã, sed attenuãdi incidẽdi aperiendi maiorẽ. Pota drachmæ pondere ex mulso vel oxymelite aluũ exoluit, ducitq; crassam pituitam & atros humores. Datur vtiliter hydropicis & regio morbo laborantibus. Sunt qui comitialibus & resolutis propinent, aut herbam per se aut eius decoctum. Cit vrinam & menses: vermes intestinorum necat. Legitur autumno, & siccatur in vmbra cum radicibus. Aliam Asarinam sterilis Seuenæ Narbonensis agri ostendit Lobellius, cuius folia & flores dilutè purpurascentes hederæ terrestri conueniunt, sed maiores & longiores. Rupibus & cautibus Veganio conterminis Seuenæ oritur. Cit vrinam.

BACCHARIS. CAP. XVIII.

EXTAT apud Dioscoridem, Paulum, Oribasium ab asaro seorsum tradita Baccharis, aut βάγχαρις, sic dicta, vt libenter credit Pena, propter eximiam fragrantiæ gratiam in radice cinnamomum redolente ex qua cùm multa alia, tum vnguentum conficiebant, etiam Baccharis apud Comicos nominatum, auctore Athenæo. Galenus quidem in simplicibus Baccharim præteriit, sed in Glossis Hippocraticis βάκχαριν λύδιόν τι μῦρον exponit. Vsurpat id Hippocrates, καὶ προβέσθω βάκχαριν, ἢ ἔλαιον λιπὸν. Baccharis autem, vt describit Dioscorides, plãta est odorata, coronaria, cuius folia aspera sunt, magnitudine inter violam & verbascum media: caulis angulosus, cubitalis, subasper, adnatas propagines habens: flores purpurei, albicantes, odorati, radices veratro nigro similes, odore cinnamomo proximo. Asperum squallidumq; solum amat. Oribasius iisdem planè verbis descripsit. Eamdem herbam Baccharim etiam Vergilius, ex qua serta & coronæ texebantur tanquam ἀπὸ τρόπαιον fascini ex nimia

Nomina

Lib. 15.

Lib. de nat. mulieb. Lib. 3. c. 44.

Forma.

Locus.

Lib. 11.

laude. Sic enim canit.

Eclog.7.

At si vltra placitum laudarit, Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Quare vehemẽter errant qui Dioſcoridis caput de Bacchare ſpurium, atque ideo expungendum cenſent, fruſtraq; probare nituntur Baccharem & aſarum eãdem eſſe plantam, quia quæ de Bacchare diximus ex capite de aſaro exſcripta ſint, vt vtriuſque deſcriptio paucis quæ irrepſere demptis, eadem ſit. Huius erroris cauſam quamuis ſuperiore capite declarauerimus, tamen hinc euidentior omnibus eſſe poteſt, quòd aſaro folia ſint hederę, multò molliora, calfactoriam vim habentia, vrinam cientia, vetuſto coxendicum dolori vtilia: Bacchari media inter violã, putà nigram, & verbaſcum, aſpera, adſtringentia, inflammationibus & eryſipellatis conuenientia, ſomnifero odore: radices huic veratro nigro ſimiles, cinnamomi odore: illi geniculatæ, gramini proximæ, longè tamen graciliores. Adhæc aſarum in vmbroſis montibus, Baccharis in aſpero ſquallidóque ſolo prouenit. Non pa-

Lib.21.c.6. rum etiam diſcrepant Plinio aũctore, Bacchar quoque, inquit, radicis tantũ odoratæ eſt, à quibuſdam nardum ruſticum appellatum. Vnguenta ex ea radice fieri ſolita apud antiquos, Ariſtophanes priſcę comœdiæ Poëta teſtis eſt. Vnde quidam errore falſo barbaricam eam appellabant. Odor eſt ei cinnamomo proximus. Gracili ſolo nec humido prouenit. Et mox. Sed eorum quoque error corrigendus eſt, qui Bacchar, ruſticum nardum appellauêre. Eſt enim alia herba ſic cognominata, quàm Græci aſaron vocant, cuius ſpeciem figuramq; diximus in nardi generibus. Quinimo aſarum inuenio vocitari, quoniam in coronas non additur. Cum igitur Baccharis peculiaris quædam herba ſit ab aſaro diuerſa, quæ nam ea ſit nũc inquirendum. Leonicenus & eum ſecutus Braſauolus Baccharin eſſe putant plantam illam quam herbarij Sclaream ſiue Scarleam vocant, alij Matri ſaluiam. Hos reprehendit Matthiolus, eorúmque Bacchari aliam ſubſtituit in Romanis agris naſcentem ab Andrea Lacu. miſſam, quam pro vera & genuina ab eo pictam hic

In Aduerſ. exhibemus. Sed ne hanc quidem pro legitima habent Pena & Lobellius: quinimo hanc verbaſcum odoratum eſſe cẽſent, cui interdum flores lutei, interdũ purpurei vt blattariæ. Romæq; cùm valde is cupidus & fretus fide Matthioli complures ſciſcitaretur rei herbariæ peritos, nihil aliud eſſe quàm verbaſcum reſpondiſſe affirmat. Quare aliam is adfert, eámque omnium maximè deſcriptioni Dioſcoridis conuenientem, quam olim Barbarorũ doctiſsimi genuinam putabant: multò enim propiùs quàm illam Matthioli ſpeciem verbaſci odorati, ad Baccharem accedere certum eſſe. Etenim fruticoſa eſt, appendicibus multis, foliis aſperis, nigricantibus, primulæ veris, vel ſaluiæ latifoliæ magnitudine, caule bicubitali, floribus purpura obſoleta glomeratis, in pappos abeuntibus cardui modo. Radix ſummo ceſpite ſpargitur, diffuſis fibris, caryophyllatæ modo, cuius odorem præſentiſsimũ habet, vel cinnamomi, cui contulerunt antiqui Baccharis radicem, qui caryophylla non noſſent. Planta valde frequens, valdéque iſto nomine nota circum Monſpelium, & alibi non paucis locis.

BACCHARIS, Matthioli.

Ibidem.

BACCHARIS Monſpelienſium, Conyza Maior, Matthioli.

locis. Hanc Matthiolus Conyzam maiorem fecit, non ſine errore: vt iam monuimus in paluſtribus. Eius enim radix odorem ſpirat non tetrum, ſed aromaticum qualis caryophyllorũ, folia ſunt primulę veris aut verbaſci, non oleæ, glutinis nihil penitus habentia: flores purpuraſcunt. At Conyzæ maiori Dioſcoridis, vt & cæteris conyzę generibus flos luteus, odor grauis, folia pinguia. Quamobrem illa nihil penitus conyzæ ſimile habet, omnia verò Bacchari valde ſimilia, cuius vires nunc ſunt exponendæ. Radix in aqua cocta vt tradit Dioſcorides, auxiliatur conuulſis, ruptis, ex alto delapſis, ſpirandi difficultati, tuſsi veteri, vrinæ difficili. Menſes pellit, & contra ſerpẽtium morſus vtiliter datur in vino. Vna ex teneris radicibus appoſita fœtus extrahit. Puerperis eius decoctum in deſeſsionibus prodeſt. In diapaſmata vtiliter inſeritur, quia multam odoris gratiam habet. At folia adſtringendi vi prædita, impoſita capitis doloribus proſunt, oculorũ inflammationibus, ægilopiis incipientibus, mammis à partu inflãmatis, & eryſipelatibus. Odor ſomnum inducit. De eadem re hæc Plinius. Bacchar & in medicinæ vſu eſt. Aliqui ex noſtris Perpenſam vocant. Auxiliatur contra ſerpentes, capitis dolores feruoréſque: item epiphoras. Imponitur mammis tumentibus à partu, & ægilopiis incipientibus, & ignibus ſacris. Odor ſomnum gignit. Radicem decoctam bibere ſpaſticis, euerſis, conuulſis, ſuſpitioſis ſalutare eſt. In tuſsi vetere radices eius tres quatuórue decoquuntur ad tertias partes. Hæc potio mulieres ex abortu purgat. Laterum punctiones tollit, & veſicæ calculos. Conditur cum diapaſmate (deprauatè: eſt enim ex veteri codice recta lectio, Tunditur in diapaſmata. Sunt autem διαπάσματα, quæ in puluillum deteruntur, vt commodè inſpergi poſsint:) veſtibus odoris gratia inſeritur.

Ca. 119. li. 3.

Lib. 3. c. 119.

Lib. 3. c. 44. *Vires & Temper.*

Li. 21. ca. 19.

STOECHAS. CAP. XIX.

Nomina

STIXAS Græcè & στοίχας, Latinè Stœchas & Stichas, Arabicè *Aſthochados*, Germanicè *Sticaskraut*, Italicè *Stechade*, Gallis *Stichedes*. Arabicæ factionis auctores patriam Stœchada reliquis omnibus prætulerunt. Hinc ſequaces illorum atque Officinæ gentili cognomento Arabicam cognominarũt. Stœchas nomen accipit, Dioſcoride auctore, à Stœchadibus inſulis Gallię è regione Maſsiliæ ſitis, in quibus naſcitur. Idem tradit Plinius. Stœchas in inſulis tantũ eiuſdem nominis gignitur. Quæ verò ſint inſulæ Stœchades, declarat his verbis. Tres Stœchades à vicinis Maſsilienſibus dictæ propter ordinẽ: quas item nominant ſingulis vocabulis, Proten & Meſen, quæ & Pomponiana vocatur, tertia Hypæa. Verior tamen lectio ſic habet. Stœchades à vicinis Miſsilienſibus dictæ propter ordinem quo ſitæ ſunt. Nomina ſingulis Prote, Meſe, &c. Galenus contrà Stœchada multam vbique terrarum naſci dicit, ſed plurimam in Creta, & inſulis Stœchadibus in Iberico mari ſitis, à quibus etiam nomen habet. Eſt autẽ plenior, inquit, & melior quæ in inſulis prouenit, quã Cretica. Stœchades verò inſulæ non é regione Maſsiliæ, vt perperàm ſcripſit Dioſcorides (bidui enim itinere & litore

Lib. 3. c. 27.

Li. 27. c. 12.

Lib. 3. ca. 5.

Pena in Aduerſ.

STOECHAS, Matthioli.

STOECHAS Capitulis foliatis.

Lib.3. c.27. *Formæ.*

Li.27. c.12.

Fol.184.

Vires & Temper. Lib.3. c.27.

Li.27. c.12.

Li.8.simpl.

Li.2. med. pur. cap.13.

inde absunt)sed è regione Olbiæ sitæ sunt, vulgò *Hyeres*, oppidulo olim tam lauto quàm nobili, à quo etiam hodie insulæ Stœchades nomen retinent. Stœchadem breuiter perstrinxit Dioscorides. Herba est, inquit, tenuibus surculis similem thymo comam habens, sed longiore folio, gustu acris, & quodãmodo subamara. Breuius sic Plinius. Stœchas est odorata herba, coma hyssopi, amara gustu. Eam sic fusiùs & clarius delineauit Pena. Ex radice lignosiore cauliculos emittit cubitales, & sesquicubitales, lignosos, in quibus foliola oblonga, satureiæ hortẽsis, lõgiora, albicantia, incana, angustiora & minora quàm lauandulæ, aut rosmarini coronarij: capitula spicata in summis virgis, thymi Cretensis, sed maiora, è quibus flores purpurei aut è cæruleo purpurei exeunt, summis capitulis eminent foliola, siue quædam veluti membraneæ ligulæ cæruleæ aut purpureæ, interdum admodum longæ, sæpissimè breuiores, præsertim in Hispania. Et summi cauliculi interdum foliis stipantur in Gallia Narbonensi, interdum nudi cõspiciuntur. Semen subfuscũ, vrticæ, aut lauãdulæ. Non solũ Stœchades insulæ, sed etiam colles Narbonæ, asperiq; tractus Galloprouinciæ tãto prouẽtu Stœchade simul & spica lauandula, thymo, & satureia duriore scatent, vt etiam clibanis calfaciendis satis suppetant. Stœchadis decoctum auctore Dioscoride, hyssopi modo ad pectoris vitia efficax est. Antidotis commodè miscetur. Liberat ab obstructione, attenuat, extergit, & corroborat viscera omnia, & totum animantis habitũ. Menses ciet potu, inquit Plinius, pectoris dolores leuat. Antidotis quoq; miscetur. Qua de re distinctiùs hæc Galenus. Stœchadis gustu quidẽ qualitas amara est, & mediocriter subadstringens. Cæterùm temperies cõposita, nempe ex terrena essentia frigida, exigua, vnde sanè adstringit, & extenuata altera terrena copiosiore, à qua amara est: ob vtrorumq; verò conuenientiam & coitum, obstructione liberare, extenuare, extergere, roborareq; tũ viscera omnia, tum totum corpus ea potest. Mesues plures & insigniores vires eidẽ assignat. Tenuat, inquit, terget, purgat, resoluit, aperit hepatis & lienis, & aliorum viscerum obstructa, putredinẽ prohibet, omnes internas partiũ intemperies præsertim cum materia, corrigit: cerebrũ, neruos, cor, & alia viscera, partésq; omnes internas vi parum adstringẽte roborat. Purgat autẽ bilem atram, & pituitam etiam ex cerebro, neruis, & sensuum instrumẽtis, eásq; partes roborat: omnibus frigidis affectibus est salubris, fotu, balneo, potu. Oleũ quoq; Stœchadis

cerebrum

cerebrũ & neruos calfaciẽdo,ceu vitã illis reſtituit.Sumpta ſtœchas cum ſcilla, vel aceto ſcillite,epilepſiã & vertiginẽ iuuat.Cum lapide cyaneo aut ſale indo,aut aliis valentibus,cõfert melãcholicis affectibus,quibus timor & mœror comes adeſt.Cũ ſucco bugloſsi aut pomorũ dulciũ, affectus cordis melãcholicos iuuat:dolorẽ neruorũ,articulorũ, muſculorũ ſedat quouis modo adhibita:ſuffitu nariũ obſtructionẽ expedit. Syrupo vel alia forma ſtœchas ſumpta, quartanis & reliquis diuturnis febribus pręſertim pituitoſis ſuccurrit.Calidis,ſiccis,bilioſis,pręſertim quibus multa bilis flaua in vẽtriculo redũdat eſt noxia,quia turbat vẽtriculũ, & ſitim,vomitũ, ardorẽq; moleſtũ excitat:ac quoniã imbecillius purgat, ipſi additur pars ſexta ſalis cõmunis & ſalis gemmæ:additur & myrobalanus nigra,aut cæpula,vt valẽtior fiat eius vacuatio itẽ ſcilla,pręcipuè in capitis affectibus. Eadẽ ſero lactis macerata,vel incocta fit potẽtior: cum vino autẽ,paſsis purgatis,ſucco pomarũ dulciũ cocta innocẽtior. Oleum vetus ſtœchade & pauca ſpica imbutum eſt magnarum virium. Pars ſtœchadis potior flos,paucam decoctionem ſuſtinet,longiorem verò eius folia floribus ignobiliora. Potatur ſtœchadis decoctum ab vnciis quinque ad vncias ſeptem:puluis autem à drachmis tribus ad drachmas quinque.

LAVANDVLA. CAP. XX.

Nomina

DORATA & coronaria ſtirps quæ Officinis & vulgò herbariorum Lauandula ſiue Lauendula,politioribus ψευδόναρδος Græcè,& Pſeudonardus Latinè dicitur, quòd non ſit vera nardus, cuius Dioſcorides,& alij veteres meminerunt,Italis *Lauanda*,Gallis *Lauande*, Germanis, *Lauander*.Lauandula autem nominata eſt , quod balneis & hominum lauacris expetatur,elotáque omnia,ſi permiſceatur, odoris ſuauitate commendet. Hanc duplicem ſtatuunt pſeudonardum ſiue lauandulam : marem, quæ & ſpica à ſpicatis floribus, & Nardus Italica nuncupatur , Italis *Spigo* , Gallis *Aſpic*. Pſeudonardum fœminam quæ lauandula vulgaris eſt,Gallis *Lauande femelle*. Hæc ramulos ſiue virgas profert tenues, quadrangulares, geniculatas,cubitales aut longiores,folia circa ſingula genicula bina , oblonga,carnoſa , vtraque parte albicantia,roſmarini coronarij foliis multò longiora,latioráque, & in ſummo ſpicas oblongas,tenues , floribus refertas purpureis , aut cæruleis,interdum albis,benè odoratis, & odore caput replentibus : radices lignoſas, in fibras diuiſas. Huic ſimillima pſeudonardus mas, ſiue ſpica à ſuperiore differt , quod foliis ſit maioribus , craſsioribus , longioribus , & latioribus, ſtœchadis,fragrantia maiori,& grauiori,illa magis aromatico , & gratiore. Vtraque in Gallia Narbonenſi & Hiſpania pleríque montes & campi deſerti referti ſunt,in reliqua Gallia,Germania, & alibi in hortis ſeritur. Iunio & Iulio flores exeunt. Exiſtimatur à quibuſdam eſſe Cneorum album Theophraſti,& Higini Caſia herba, odorata, cuius aliquoties meminit Verg. vt in Bucol. *Tum caſia atque alijs intexens ſuauibus herbis.*

Genera.

Forma.

Locus.

Tempus.

Mollia luteola pingit vaccinia caltha.

LAVANDVLA, Fœmina.

Præter Lauandulas vulgares Cluſius inuenit aliud genus rarum admodum & planè nouum. Cubitali interdum aſſurgit altitudine , ramulis quadrangulis & hirſu-

LAVANDVLA, Mas.

LAVANDVLA Multifido folio, Clusy.

tis, quos multifolia tenuitérque inciſa ambiunt folia, lanuginoſa, cinereíque coloris, guſtu acri & odore iucundo: flores in ſummis virgulis quadrangulis, nudis & lanuginoſis, ſpicatim vt in Lauandula congeſti, colore cæruleo, odorati: ſpica autem aliquantulum contorta eſt, & in quatuor veluti verſus aut ordines digeſta, alia interdum ex alia naſcens: radix dura, lignoſa, multifida. Primùm eam naſcentem inuenit in colle quodam Malacæ vicino, Februario menſe florentem: deinde circa Murciam Martio, nec alibi præterea. Odor multò mitior, neque ita caput ferit, vti Lauandulæ præſertim Spicæ. Quare credibile eſt eam non eſſe tanto calore
Temper. & Vires præditam. Vtraque calida ſiccáque eſt ordine ſecundo abſoluto, vel incipiente tertio, tenuium item partium, & ex multis aëreis ſpirituoſiſq; partibus conſtat. Quare frigidis capitis morbis quouis modo adhibita cõfert, iis præſertim qui non ex copioſo humore, ſe ex ſola potiſsimum qualitate originem ducunt. Proinde & ſtillatitius eius liquor odoratus, & temporibus & frõti illitus, catalepſi, leuiori hemiplexia, comitiali morbo, & ſyncope laborantes reficit. Sed vbi humorum copia adeſt, præſertim ſanguini permiſtorum, non ſatis tutus huius vſus eſt. Lauandula in vino cocta potáque vrinam & menſes ciet, ſecundas & fœtum expellit. Datur decoctum ex ſolis floribus, aut cum cinnamomo, nuce moſchata, & cariophyllis incoctis, vtiliter potandum cordis tremore, & morbo regio affectis. Lauandulæ fœminæ ſemen & folia affectibus matricis magis commendantur tum fotu inſeſsione, tum pulueribus dilutis, intrò ſumptis, ad ſuffocationem, ex aſcenſu putridi vaporis natam, & ad partus accelerandos.

NARDVS, CAP. XXI.

Nomina NA´PΔOΣ & ναρδοστάχυς Græcis, Nardum ſiue Nardus Latinis & Nardiſpica, Auicennæ & Arabibus *Cembul*, id eſt, ſpica, & *Cembul Indi*, id eſt, *Spica Indica*. Quod corruptè Matthæus Siluaticus *Simibel & Sumbel* profert, Italis *Spigonardo*, Hiſpanis *Azumbar*, *Eſpigaſil*, Gallis *Aſpic d'outre mer*. Dioſcorides duo nardi genera eſſe tradit. Vnam Indicam, alteram Syriacam, & Indicæ aliam eſſe ſpeciẽ quæ Gangitis nominatur à fluuio Gange apud
Lib. 1. c. 8. *Genera* quem naſcitur montem, præterfluente. Eſt etiam quædam Sampharitica à loco ſic dicta.

dicta. Syriaca nardus appellata est, non quòd in Syria inueniatur, sed quòd montis in quo nascitur altera pars ad Syriam conuersa est, altera ad Indos. Hæc nardus Syriaca melior, quæ recens & leuis est, multas gerens comas flaui coloris, valde odorata, cyperum redolens, paruam habens spicam, saporis amari, & linguam resiccantis, quæ satis diu in sua odoris gratia permaneat. Indica gangitis viribus imbecillior, quòd in aquosis locis proueniat, procerior est pluréque spicas habet, ab vna radice comosas, & circumplicatas, ac grauiter olentes. Indica verò montana odoratior est, spicis mutila, odore cyperi cæteris Syriacæ dotibus. Sampharitica valde mutila ac breuis, magnas spicas habet, & caulem medium aliquando candidiorem, hircinum virus supra modum redolentem, quam improbare oportet. De nardo aliter scripsit Plinius his verbis. De folio nardi plura dici par est, vt principali in vnguentis. Frutex est graui & crassa radice, sed breui ac nigra, fragilique, quamuis pingui, situm redolente, vt cyperi, aspero sapore, folio paruo densoque, cacumina in aristas se spargunt: ideo gemina dote spicas ac folia celebrant. Alterum eius genus apud Gangem nascens, damnatur in totum ozænitidis nomine, virus redolens. Et mox In nostro orbe proximè laudatur Syriacum, mox Gallicum, tertio loco Creticum, quod aliqui agrium vocant. Dioscorides radicis tantùm Syriacæ & Indicæ nardi faciem & naturam exposuit, Sampharitici verò fruticis & caulis formam. Plinius fruticis radicem, folia, cacuminum aristas depinxit. Idem, & Syriacam nardum in Syria nasci putauit, non vt Dioscorides ait, in montis Indiæ parte quæ ad Syriam flectitur: hoc enim absurdum videtur. Nam cùm India à Syria longissimè distet, multæq; inter has interiectæ sint regiones, deserta Arabia, Persis, Carmania, Gedrosia, Darangia, aliæq; nonnullæ, qui fieri potest, vt mons ille ad Gangem situs, altera parte Syriam tam facilè respiciat, vt nardus in ea proueniens, Syriaca dici possit? Hanc ob causam Matthiolus eam potius à Syrastene regione quæ ad Indum fluuium est dictam suspicatur, quàm à Syria. Nam, si Ptolemæo credimus, mons est in India, qui à Gange fluuio ad Syrastenem extenditur. Galenus non solùm Syriacæ nardi, sed etiam Creticæ meminit. Pena asserit legitimam è plærisque locis Aegypti & Syriæ in Europam afferri, non modò radicem qualem Galenus vult, sed etiam aliàs distinctas partes, nimirum radicē, spicas comásve, festucas & folia ipsa. Ima radix Nardi, exili & arido stamine à radicula siue torulo exit, cui innituntur spicatæ comæ confertique glomi quasi per cirros, torulos, nucleósve distincti, & conflati capillamentis vt in Meo, è quorū spatiis mediis emergunt nonnulla iuncea folia, marinæ algæ modo, tametsi minora multò. Hasce siccas inter ingentes fasciculorum strues se vidisse refert Venetiis in ædibus periti Pharmacopœi Alberti Martinelli ad Angeli symbolum idē Pena, & his similes à nonnullis aliis studiosis Lugduni fuisse animaduersas. Huic veræ nardo aliam, simillimam, tamen spuriam, Narbonensem subiungit, quæ Gangitis meritò cognominanda est. In Gallia Narbonēsi, inquit, à Gange oppidulo septem plus minùs miliaria disitus est mons perquā amœnus & celsus, herbarum præstantiorum feraciſsimus, cui idcircò vulgò nomen, Dei Paradisus, inditum. In eius cliuo quà ad meridiem maréve mediterraneum vergit, hæc vberi prouentu erumpit, muscosis & vdis tractibus, infima radix pusilla, exilibus fibris, duris & raris, quæ subsunt spicatis comosisq; torulis, minimum digitum crassis, colore pallescentibus ex fusco, ferè palmum altis, non valde mucronatis, sed quadantenus

Forma.

Lib. & c. 11.

In cap. 6. lib. 1.

Lib. 8. sim. Lib. 9. c. 4. me. loc. in Aduers.

SPICA NARDI, Indica.

fol. 43.

NARDVS SPVRIA *Narbonenſis, Pena.*

Cap. 33.

tenus per extrema reciſis: folio eſt viridi, rigido, iunceo, vix pedem alto, numeroſo, quod ab ima radice ortum trans ſpiceam comam imum caulem ambientem ſeſe exerit: multæq; plātæ quaſi vno ceſpitis ambitu implexæ, vnius effigiē præſeferunt. Tota inodora eſt præter capillamenta ſpicea, multò craſsiora quàm Indicæ, odore muſci querni, vel terreſtris. Garcias, in Aromatum Indicorum hiſtoria, refert nardum Indis vocari *Cahzaçara* naſciq; in Mandon & Chitor prouinciis, Regnis Delli, Bengala, & Decan vicinis, iuxta fluuium Gangem, quem incolę Ganga appellant. Præterea non eſſe diuerſa nardi genera, ſed vnicum duntaxat ſibi notū eſſe nardi genus, id ſcilicet quod ex memoratis locis adfertur. Prouenire quidem in monte quodā qui altera parte Orientem ſpectat, altera Occidentem, ad quē ſcilicet Occidentem ſita eſt Syria, multis regionibus ab India diſcreta. Sed tamē multis aliis regionis locis ſatum prouenire, nec facilè ſponte naſci, neque vnam præſtantiorem eſſe altera, ſpicámve habere aliā altera multò longiorem. Radix, inquit, ſpargit ſupra ſolum breuem virgulā, ſiue caulem, circiter tres palmos longum, cum longiſsimis, atque alias inſuper virgulas multò breuiores: in ſumma radice ſpicæ producuntur, item aliæ per virgulas. Tali enim modo venditur in Cambaiete, Aſurate, & Gogua, aliiſq; portubus marinis, vnde mercatores Arabes & Perſæ petunt, potiſsimā tamen partem ad indigenis abſumi ferunt. Inuenitur interdum ſordida & puluerulenta, villis ipſius plātæ in pollinem redactis. Emitur tamen ab iiſdem mercatoribus. Eo puluere manus ablui Garcias intellexit. Hac vnica nardo, inquit ille, quæ iuxta Gangem naſcitur, quamq; in Occidentem exportant, vtuntur medici tum Indici, tum Turci, Perſę, & Arabes. Nam quod ex ingenti pretio, quo antiquitus, teſte Plinio, emebatur, colligere quidam volunt noſtram nardum non eſſe legitimam, hic Garcias reſpondet,

Lib. & ca. 12.

Indias nunc magis apertas eſſe, regionéſq; aromata gignētes, longè cultiores quàm veterum tēpore fuerint, ideò multò plura aromata, maioriq; copia, & multò minùs adulterata ad nos adferri, viliuſq; emi quàm antiquitus: in quorum numero nardum reponit, quæ legitima & ſine mangonio ad nos importatur, licet interdū aut maris humore ſibi aſcito ſitum contrahat, aut ſenio ſuaueolentiam illam amittat, qua initio prædita fuit. Cæterùm fabuloſum eſſe omnino indicat, quod Andreas Lacu. ſuis in Dioſcoridem commentariis ſcribit nardi vſum apud Indos eſſe periculoſum, quoniam ex ea fiat veneni quoddam genus mortiferum, quod non modò hauſtum, ſed etiam cuti in ſudoribus inſperſum, hominem ſtatim necat, idque toxicum Piſon vocari. Nam cum multis in India annis medicinam exercuerit, & non modò verſatus ſit cum omnis generis medicis Aſiaticis, ſed etiam Regibus & Principibus familiaris fuerit, nunquam tamen hoc Piſon vidit, aut eius nomen audiit. Id genus quod *Sepulueda Satiech* aut *Satiach* appellat, id eſſe putat, quod ex Satigua adfertur, celeberrimo regni Bengala portu, & emporio ad fluuij Gangis oſtia. Hæc Garcias de nardo literis prodidit. Ex quibus & aliis ſuprà memoratis intelligere licet nardum cuius vſus eſt in medicina, radicem tantùm & non aliam

Lib. 2. c. 146

plantæ partem, eiúſque radicis partes ſpicas appellari, quas hîc Dioſcorides στάχυς

vocat

vocat, in allij radicibus ex multis particulis coagmentatis ῥᾶγας, & ἀγλιθας, Theophraſtus γάλγεις, Plinius nucleos, Columella ſpicas, Græci item ὄνυχας, & σκελλίδας vocant. Id confirmat Galenus ſic ſcribens. Iubet Andromachus adiicere nardum Indicam, ea verò eſt quam ſpicam vocant, non quòd ſpica ſit, radix etenim eſt, ſed quod ſpicæ formam referat. Præterea hos de Philonio antidoto verſus Lib. 1. Ant.

Et drachmam dictæ falsò radicis, ab ipſa
Terra, piſſæo quæ Ioue clara manet,

ſic declarat. Quin & nardi drachmam coniiciendam iubet, quam radicem falſi nominis appellat, quoniam ſpica nardi nominatur. Vult autem eam Creticam eſſe, quum ait *ab ipſa Terra, piſſæo quæ Ioue clara manet*, quandoquidem fabularum ſcriptores Iouem in Dictæo Cretæ monte educatum aiunt, occultatum ibidem à matre Rhea, ne & ipſe à patre Saturno deuoraretur. Appoſuit autem Ioui epithetum Piſſęi, quemadmodum multi extra poëticã vulgò dicere ſolent, per Aeſculapium pergamenum, per Dianam Ephæſiam, per Delphicum Apollinem. Quidam verò non Creticam terram, ſed Indicam indicatam fuiſſe aiunt, ex qua ebur adfertur: ex hoc enim ſtatuam Iouis in Piſſa factam fuiſſe. Iam verò de eiuſdem temperamento & facultatibus ſcribens perſpicuè radicem nuncupat. Nardi ſpica, inquit, excalfacit ordine primo, deſiccat ſecundo iam completo. Compoſita eſt ex adſtringente mediocriter ſubſtantia, & acri calida non multa, & quadam leuiter amara. Ex his conſtat facultatibus radix, & ad iecur & ad ſtomachum non ſine ratione conuenit tum pota, tum extrinſecus impoſita. Vrinam ciet, morſus ſtomachi ſanat. Ventre ac inteſtinis conſiſtentes fluxiones deſiccat. Ad hæc & eas quæ in capite & thorace. Valentior eſt Indica, quæ nigrior eſt, quàm Syriaca. Nardus, auctore etiã Dioſcoride, vim habet calfaciendi, ſiccandi, vrinam ciendi. Quare pota aluum ſiſtit, & fluxiones ex vtero, ac ſeroſos humores appoſita cohibet. Auxiliatur etiam nauſeis cum frigida aqua pota, & ſtomachi morſibus, & inflationibus, item hepaticis, ictericis, & nephriticis. Aquæ verò incocta, & pro fotu ad inſeſſum adhibita vteri inflammationibus medetur. Valet etiam ad oculorum palpebras largo humore manãtes, cilia adſtringens, & denſiora reddens. Humidis corporibus inſpergitur. Miſcetur & in antidota. Reponitur ad ocularia medicamenta in vaſe nouò non picato, in puluillum detrita, ac cum vino in paſtillos coacta.

Lib. 8. ſim. *Temper. & Vires.*

NARDVS CELTICA. CAP. XXII.

NÁPΔOΣ κελτικὴ Græcè, Latinè Nardus Celtica, & Nardus Gallica, aut potiùs hodie nuncupanda Liguſtica, quòd, vt olim Dioſcoridis tempore, ita nunc quoque in Liguriæ Alpibus naſcatur, eodem teſte patrio nomine Saliunca dicta: perperàm enim in excuſis codicibus ἀλιούγκα pro σαλιούγκα legitur, atque eo corruptiùs vbi ſcribit, ἢ νάρδῳ κελτικῇ ἣν ἔνιοι σεσίνην ἐκάλεσαν. Id eſt, aut nardo Celtica, quam ſeſinen aliqui vocauerunt. Dubium enim nõ eſt, quin σαλιούγκαν pro σεσίνην ſcripſerit Dioſcorides. Nam Scribõnius de eiuſdem veneni remediis ſcribens, ſaliuncam habet. Adiuuantur, inquit, iam læſi ab eo ſaliunca, id eſt, nardo ſilueſtri quamplurima ex vino ſæpius data. Arabes *Cembul Rumim* vocant. Nardus hæc, vt deſcribit Dioſcorides, frutex eſt exiguus, qui vnà cum radicibus in faciſculos manuales colligitur. Folia habet oblõga, ſubflaua, florem luteum. Cauliculorum & radicum duntaxat vſus eſt, & odoris ſuauitas: ideò pridie aqua reſperſis faſciculis, & terra ſeparata, in pauimẽto humecto charta ſubiecta ipſos reponere oportet, poſtridie verò purgare: ſic enim quod vtile eſt cum aceroſo & alieno non excutitur, quia propter humorem firmum eſt. Secretos igitur caules ac radices, foliis abiectis, ſi reponere voles, tere, vino excipe, & digere in paſtillos, *Nomina* Lib. 1. c. 7. Lib. 2. medica. ca. de pharico. Cap. 195. Lib. 1. c. 7. *Forma.*

NARDVS CELTICA, *Matthioli.*

Lib & c.12.

Locus.

In c.7.lib.1.

fol.132.

NARDVS CELTICA, *Altera Penæ.*

fol.132.

pastillos, quos nouo testaceo vase diligenter operto serua. Optima est recens & odorata, multarum radicum, non facilè fragilis, plena. Quædam horum Plinius habet. Ex iis Gallicũ (suba. nardum) cum radice vellitur, abluitúrq; vino. Siccatur in vmbra, alligatur fasciculis in charta, non multùm ab Indico differens, Syriaco tãtùm leuiùs. Pretium xiij. In his probatio vna, ne sint fragilia & arida potiùs, quàm sicca, folia. Prouenit, vt ex Dioscoride diximus, in Liguriæ Alpibus, atque etiam in Istria. Hodie quoque in Genuensibus Liguriæq; alpinis non procul Sauona vrbe. Eiusdem magnus habetur prouẽtus, auctore Matthiolo, in Stiria, Austria, Carinthia, vbi Indemburgẽses rustici è suis montibus quotãnis innumeros comportant saccos fasciculis plenos, quos mercatoribus vendunt, qui in Syriam & Aegyptum merces conuehũt, quòd Syriis & Aegyptiis nardus hæc maximè expetatur ad balnea quibus frequẽter vtuntur. Vera Celtica nardus ex Matthiolo hîc depicta est, cui similem depinxit & descripsit Pena his verbis. Pusilla herbula est, aliquantum proserpens, deinde se surrigens, cauliculo palmum & sesquipalmum alto, ad quem imum folia cespites summos conflant, exigua, tenuia, gnaphalij montani, aut gentianellæ minimæ, pallida & sublutea, infernè angusta, qua radicis ceruici squarosæ, aut squamulis tuniceis obsitæ, spicatim digestæ innituntur, subter quæ multæ fibrę fuscæ villosæq; propagines, asari odore, & modo, in terram sparguntur, gustu acri, subamaro aromatico, spicam nardi spirante. Aliam multò elegantiorem, & multò similiorem gentianæ cruciatæ foliis, à se repertam scribit Pena propè cœnobium quoddam inter Dei viridarium, & calcaris montes, in agro Narbonensi magni & vulgati nominis. Radice est valerianæ maioris, paulò minore, geniculis doronici modo distincta, humistrata, acri sapore, erodente, aromatico & amaro, nardi æmulo, foliis saponarię vulgaris, flaccidis ex flauo pallescentibus, senis, septenis ve, gentianellæ adeò cognatis, vt primo intuitu eandem putes. Caulis cum maximus, cubitum altus, mediocris sesquipalmum: flore radiato, aureo, buphthalmi æmulo. Hanc Rondeletius nardi Gallicæ speciem esse coniiciebat, ex cuius Meiq; radicum decocto paratam potiunculam cuidam ex illo cœnobio dysuria laboranti cùm dedisset, vrinæ copiam elicuit. Nardus celtica, vt tradit Dioscorides, eadem potest quæ Syriaca, magis tamen vrinam mouet, & stomacho vtilior est. Prodest etiam inflam-

Lib.1.c.7. *Vires & Temper.*

mationibus

mationibus hepatis,& ictericis, & ſtomachi inflationibus cum abſinthij decocto pota,item aduerſum lienem,renum & veſicæ vitia,& venenatos ictus ex vino.Miſcetur etiam in malagmata, & potiones ac vnguẽta calfacientia. De eiuſdem viribus eadem ferè Plinius tradit. Cõtexemus & Gallici nardi remedia in hũc locum dilata in peregrinis arboribus. Ergo aduerſus ſerpentes duabus drachmis in vino ſuccurrit.Inflammationibus coli vel ex aqua,vel ex vino.Item iocinoris & renum, ſuffuſiſq; felle,& hydropicis per ſe & cum abſinthio.Siſtit purgationũ muliebrium impetus. Nardus Gallica,inquit Galenus, Indicæ facultatibus quadantenus ſimilis eſt,ſed ad omnia imbecillior, præterquam ad prouocandã vrinam:ſiquidem calidior illis eſt,ſed minùs adſtringit. Haud dubium eſt quin hæc in Liguriæ alpibus vernacula voce ſaliunca dicta, ſit illa quam hi Maronis verſus innuunt, Lib.21.c.20 Lib.8.ſim. Eclo.5.

Puniceis humilis quantum ſaliunca roſetis,
Iudicio noſtro tantum tibi cedit Amyntas.

Quam etiam hodie Valeſij *Selliga* vernaculè quaſi ſaliuncam vocant. Quibus aduerſari videtur Plinius,qui cùm de nardi gallici viribꝰ, quæ ſuprà citauimus, dixiſſet,aliquantò pòſt,eodem tamen capite, Saliuncæ radix,inquit,in vino decocta ſiſtit vomitiones,corroborat ſtomachum, tanquam ſaliunca ſit à celtica nardo diuerſa,quam etiã ſeorſum à nardo gallica depinxit his verbis. Saliunca folioſa quidem eſt,ſed breuis,& quæ necti non poſſit, radici numeroſæ cohæret,herba veriùs quàm flos,denſa veluti manu preſſa, breuiterq; ceſpes ſui generis. Pannonia hanc gignit,& Norici,Alpiumq; aprica:vrbium Eporrhedia,tantæ ſuauitatis,vt metallũ eſſe cœperit.Veſtibus interponi eam gratiſsimum. At Plinius diuerſas apud diuerſos auctores nomenclaturas ſecutus, de nardo celtica & ſaliunca diuerſis locis tractauit,tamen omnia de vna & eadem nardo celtica intelligi debent,quæ etiam ſaliunca nominatur, cuius Pliniana delineatio nardo celticæ bellè quadrat. Quod verò dixit,tantæ ſuauitatis vt metallum eſſe cœperit,vix dicas quomodo accipiendum ſit,& quomodo metallum eſſe cœperit,quidã tamen exponunt,propter odoris ſuauitatem metalli loco expeti, vel vt metallum conquiri, quaſi non ſit minoris indicaturæ & pretij. Vetus Cornarij Plinianus codex habet, vt melatum eſſe cœperit,quę lectio etiamſi nihil nobis ſignificet, corruptum tamen locum eſſe indicat,vt mel atticum eſſe cœperit legẽdum eſſe Cornarius ſuſpicetur. Mellis enim attici, inquit idem Plinius,in toto orbe ſumma laus exiſtimatur.Quidam exponunt in vectigali & reditu publico cenſeri, non aliter quàm metalli fodina. Petrus Pc. fol.132. Lib.20.c.7. Embl.7. lib.1. Lib.21.c.19

HIRCVLVS, Veterum.

HIRCVLUS CAP. XXIII.

Nomina Forma.

DIOSCORIDES refert nardũ celticam adulterari herba ſimili, quæ vnà cum ipſa euellitur,quã ob odoris grauitatẽ τράγον appellant,id eſt, hircum, ſed facilis eſt dignotio. Eſt enim herba ſine caule & candidior, & minùs oblonga folia habet,neq; radicem amaram, neq; aroma redolẽtem, quemadmodum vera nardus celtica habet. Idem prorſus Plinius tradidit. Cum Gallico nardo ſemper naſcitur herba quæ Hirculus vocatur à grauitate odoris & ſimilitudine, qua maximè Lib. & ca. 12.

adulteratur. Distat quòd sine cauliculo est,& quòd minoribus foliis,quódq; radicis neque amaræ,neq; odoratæ. Hactenus Plinius. Huius rarissimæ plantæ,& vix dum vlli visæ cognitionem Carolo Clusio cognitionem acceptam referre oportet, qui in suis Aromatum Indicorum historiæ à Garcia medico descriptę versionibus eam depinxit,& descripsit his verbis. Antuerpiæ inter aliquot nardi celticæ fasciculos
Lib.1.c.7. plantulas quasdam inueni, quæ adamussim quadrabant cum Dioscoridis Hirculo, quem describit,eoq; nardum celticam adulterari refert. Nam plãtula est nardo celticæ similis,candidior tamen,& veluti ex viridi cinerea,sine cauliculo,minoribus breuioribusq; foliis,villosa admodùm secundùm radicem & nigricans, nulla odoris iucunditate. Folia præmãsa nullum aromaticum saporem reddunt,sed lenta & viscida sunt: Nardi verò celticæ folia calida sunt,cum aliqua tamen adstrictione,& odore saporéque iucundo. Hæc ille,qui hirculi iconem hanc exhibuit.

NARDVS MONTANA. CAP. XXIIII.

Nomina NARDOS ὀρεινὴ Græcis,ab aliquibus θυλακίτις, & νῆρις dicta,Galeno πυρίτις,Latinis Nardus montana. Nascitur,inquit Dioscorides,in Ci-
Lib.1. c.8. licia & Syria,ramulos & folia eryngio similia habens, minora tamẽ,
Forma. non aspera,neque spinosa: radices subsunt nigræ,odoratę,duæ aut plures ceu asphodeli,sed graciliores & longè minores. Neque caulem,neque fructum, neque flores fert. In qua historia sibi ipse repugnat Dioscorides,initio scribens nardum hanc caule & foliis eryngio similem esse,in fine capitis neque caulem,neque fructum,neque florem ferre. Quem errorem Marcellus scriptorum incuriæ adscribit, qui vocũ vicinitate decepti χόμλος pro καλάμος, vel καλῶνας scripserunt. Verùm cùm hæ duę voces ramos vel surculos designẽt, qui arboribus potiùs quàm herbis conueniunt, sintq; rami iidem arboribus, qui caules herbis,videtur locus is ne sic quidem à mendo expurgatus. Qua
In cap. 8. lib.1. re legendum censet Matthiolus, οὔτε δὲ χόμλος, οὔτε καρπὸς, οὔτε ἄνθος συμφέρει. Id est, neq; caulis,neque fructus, neque flos confert. Etenim radicis,quæ odorata est, vsus est duntaxat, non aliarum partium. Sed neque ex Cilicia, neque ex Syria nardus hæc ad nos adfertur,tamen nardum montanam hîc depictam Matthiolus esse putat, quæ etsi folia eryngij non habeat, cùm tamen cætera respondeant, præsertim radices odoris fragrantia à cæteris nardi generibus nõ discrepantes,ab hac sententia haud abduci potest. Pena de ista nardo Anguillaræ iudicium & descriptionem sequitur, istámque plantam montanam esse putat, quam inuenit tum in montibus Mindeno conterminis, tum Veganiis arduis,& accliuibus. Natura paruula est, valerianæ minori persimilis flore & folio,sed purpurascente, erucæ diuisura & valerianæ maioris: radici bulbi bini,
Vires. oblongique subsunt orchis ritu, è quibus caules sesqui palmum alti. Nardi montanæ radix efficax est ad omnia,quibus nardus celtica conuenit.

NARDVS Montana, Matthioli.

In Aduer.

PHV. CAP. XXV.

PHV Græcis φῦ, & ἄγριος ναρδος vocatur, Latinis quoque Phu, & silueſtris nardus, Arabibus *Pu*, Officinis & herbariis Valeriana maior, à multis quibus valet facultatibus, & Valeriana hortenſis, & Theriacaria, Gallis *Grande valeriane*, Germanis *Groſz Baldrian*, Italis *Valeriana maggiore*. Phu, folia habet, inquit Dioſcorides, hippoſelino aut elaphoboſco ſimilia, caulem cubitalem aut maiorem, læuem, tenerũ, in purpuram vergẽtem, cauum, geniculis interceptum, flores ad narciſsi flores accedentes, maiores tamen & teneriores, & ex albicante purpureos. Radix ſuperior digiti parui craſsitudine eſt, adnaſcentes etiam radiculas obliquas veluti iũcus odoratus habet, aut veratrum nigrum, inter ſeſe implicatas, ſubflauas, bene odoratas, odore nardum referentes cum quadam viroſa grauitate. De quo hæc breuiter prodidit Plinius. Tertio loco Creticum, quod aliqui agrium vocãt, alij phu, folio oluſatri, caule cubitali, geniculato, in purpura albicante: radice obliqua villoſáque, & imitante auium pedes. Ex quibus delineationibus perſpicuum eſt, valerianã noſtratem hortenſem ſiue maiorem, Dioſcoridis eſſe phu. Caulem enim emittit cubitalem & bicubitalem, glabrum, concauum, éque geniculis folia prælonga, altiùs ſinuata edẽtem, erucæ aut paſtinacæ diuiſura. Flores ſunt non inuenuſti, in ſummis ramulis vmbellatim collecti, purpuraſcentes per initia, odori: radix tranſuerſa, humi immerſa, craſſa, pollicẽ æquat. Sola florum narciſsi collatio obſtat, qui in phu narciſsi florum effigie eſſe deben', nõ autem vmbellæ vel muſcarij, vt in valeriana maiori, quamquam floſculi per ſe omnes qui vmbellam conficiunt, forma narciſsinos referãt, in purpura albicantes, deinde longè narciſſo magnitudine cedunt, quos tamen maiores eſſe Dioſcorides ait. Sed hîc mendum eſſe rectè Ruellius coniicit, quod in magnitudinis deſignatione frequẽs apud Dioſcoridẽ & Theophraſtum eſſe ſolet, vt μακρὰ pro μικρὰ, ἴσσονα pro μείζονα legi debeat, vt & hoc loco, quum reliqua omnia ſic adamuſsim reſpondeant, vt nulla prorſus nota diſſentire videatur. Apud Plinium floris nulla fit mentio. Quidam apud Dioſcoridem non inconſideratè pro ναρκίσσου, legunt κισσοῦ. id eſt, hederæ. Eſt enim Valerianæ flos hederæ flori ſpecie ſimilis. Idem obſeruarunt, quod eſt apud Dioſcoridem, phu πολύμια ἐπιῤῥίζια ἔχειν, καθάπερ χίονον ἢ ἑλλέβορον μέλανα, Plinium legiſſe apud quẽdam ex vetuſtis herbariis, ἢ μελανπόδιον, & ita reddidiſſe, quaſi legiſſet τοὺς τῶν ὀρνίθων πόδας. Præterà facultates conſentiunt. Phu enim auctore Dioſcoride, vim habet calfaciendi, ciendi vrinas arida pota. Decoctum ipſius eadem præſtare poteſt. Valet etiam ad lateris dolorem, menſes cit, & antidotis miſcetur. Eadem ferè Plinius tradit. Eius verò quod phu eodem loco appellauimus, radix datur potui trita, vel decocta ad ſtrangulationes, vel pectoris dolores, vel laterum. Menſes quoque ciet, bibitur cum vino. Phu, inquit Galenus, odoratum quodammodo eſt. Huius herbæ radix Nardo viribus ſimilis, ſed ad pleráque infirmior. Vrinam plus mouet quàm Indica aut Syriaca nardus, ſimiliter autem vt celtica. Sic valerianæ maioris ra-

PHV, Magnum.

Lib. 1. c. 10.

Forma.

Lib. & ca. 11.

Pena in Adu er.

Lib. 2. c. 9.

Lib. 1. c. 10.

Temper. & Vires.

Lib. 1. c. 10.

Lib. 21. c. 20

Lib. 8. ſim

dix calidiuſcula eſt & exſiccãs, lotio ciendo efficax, ſuaueolens nardum, ſed tantillum grauitatis mixtæ prodit. Valeriana, vt tradit Matthiolus, ad venenatorũ ictus ex vino pota valet, & aduerſus peſtilentiam, non modò hauſta, ſed etiam olfacta. Facit ad ſtrangurià decoctum eius potum. Datur quoq; anheloſis & tuſsientibus, præſertim cocta cum dulci radice, vuis paſsis, & ſemine aniſi. Deuorata radix flatus pellit. Tota planta virens cum radicibus contuſa, & capiti dolenti admota, eius dolores, & punctiones mulcet. Facit & ad oculorum vitia albo vino incocta, deinde oculo inſtillata. Miſcetur potionibus vulnerum internorum magna vtilitate. De aliis valerianæ generibus diximus in libro de Paluſtribus, & in libro de iis quæ in aſperis, &c.

In ca. 10. lib. 1.

POLIVM. CAP. XXVI.

Nomina GRAECIS πόλιον, Latinis ſimiliter Polium, Mauritanis *Cahade, Iahade ſeu Giade*. Eſt autem polio nomen poſitum à canitie canísve capillamentis, & tomẽto hirſuto, quæ nõ modò capitula corymbacea, vt ait Dioſcorides, ſed etiam vniuerſam plantam incanam reddunt, perinde ac gnaphalium. Dioſcoridi duo ſunt polij genera, montanum quod τευθρεῖον vocant: alterum maius. Prius tenuis eſt frutex, candidus, dodrantalis, ſemine refertus, capitulum in ſummo habens, corymbi ſpecie, paruum, veluti capillatum, grauiter olens cum quadam ſuauitate. Alterum fruticoſius eſt, nõ vſq; adeò valens odore, & viribus inefficacius. De quibus hæc Plinius. Saliuncam veſtibus interponi gratiſsimum. Sic & apud Græcos polium herbam, inclytam Muſæi & Heſiodi laudibus, ad omnia vtilem prædicantium, ſupérque cætera ad famam etiam ac dignitates: prorſuſq; mirum, ſi modo, vt tradunt, folia eius manè candida, meridie purpurea, ſole occidente cærulea aſpiciuntur. Duo genera eius, campeſtre maius, ſilueſtre quod minus eſt: quidam tenthrion vocant: folia canis hominis ſimilia, à radice protinus, nunquam palmo altiora. Quod polium veſtibus interponi Plinius ait, de Theophraſto mutuatus eſt, ſic ſcribente, πόλιον. τοῦτο δὲ καὶ πρὸς τὰς σῆπας τοὺς ἐν τοῖς ἱματίοις ἀγαθὸν. Id eſt, Polium quod cõtra vermiculos veſtibus interpoſitum valet. Cæterùm in eo Plinius hallucinatus eſt, quod polium cum tripolio confuderit. Non enim polio, ſed tripolio euenit, teſte Dioſcoride, vt colores ter die mutet, neque id quidem à Dioſcoride vt à Plinio foliis, ſed floribus adſcribitur. Præterea capitulum polio ineſt, canorum hominis inſtar capillatum, vt tradit Dioſcorides, non folia. Quod verò de polio ex Heſiodo & Muſæo citat, id Theophraſtus ſcribit his verbis. καὶ ὡς δή φασι τὸ τριπόλιον καθ' Ἡσίοδον & Μουσαῖον, εἰ πᾶν πρᾶγμα σπουδαῖον χρήσιμον εἶναι. διὸ & ὀρύττουσι αὐλῶν νύκλωρ, σκήνην πηξάμενοι. Gaza ſic conuertit. Adde polium, quod Heſiodo & Muſæo auctoribus, ad omnem rem ſeriam, magniq; faciendã perutile prædicatur. Prætereà quod addit, inſupérque ad famam ac dignitates, &c. id etiam alio loco expreſsit: Polio Muſæus & Heſiodus perungi iubẽt dignationis gratia, gloriæq; auidos polium tractare, colere. Polium montanũ quod hîc depinximus, cãdicans, foliis oblongis, leuiter

Genera.

Formà.

Lib. 21. c. 1.

Lib. 1. hiſt. cap. 16.

Lib. 4 c. 130

Lib. 9. hiſt. Cap. 21.

Lib. 21. c. 20

POLIVM, *Matthioli.*

POLIVM Alterum, Matthioli.

POLIVM Luteum, Dalechamp.

leuiter ſerratis,caulem ab imo ad ſummum per interualla veſtientibus, minoribus inter maiora ſubnaſcentibus,caulibus multis,rotundis,rectis, lignoſis,albicãtibus, qui in cacumine capitula gerunt florida,candicantia,thymi ferè.Tota plãta odore eſt ſuaui,acri tamen,& quadantenus graui.Alteram plantam hîc etiam pictam inter polij genera recẽſeri vult Matthiolus , quod quidam Iuam muſcatam vocant, capitulis,foliis,floribus,odore, facultate,polium referens montanum. Ob id affirmat ſecundũ eſſe polij genus à Dioſcoride deſcriptum. Neque enim illo fruticoſius eſt,neque minùs odore & viribus præſtans. Prouenit in collibus,arduis præſertim locis,folioſa herba humi procũbens,foliis roſmarini coronarij,minoribus, duriuſculis, auerſa parte incanis , cauliculis tenuibus , rotundis , ſubalbicantibus, flexilibus , capitulis in cacumine albicantibus , alterius polij capitulis haud multùm diſſimilibus , radice ſimili. Tota planta ſuauiter olet,& minùs quàm alterum Polium nares ferit. Polium aliud ex Dalechampio proponimus , luteum cognominatum. In aridis montibus naſcitur , iiſdemq; locis quibus thlaſpi montanum. Id polio priori prorſus ſimile eſt , niſi quod florum corymbi in illo caui, in hoc luteo colore micãt, ſpectatu iucundi , & validiorem ſuauioremque odorem halant. Sunt & huius folia aliquãtò quàm huius latiora & ampliora. Cluſius Polij genera aliquot recenſet. Quarti iconem hîc exhibemus. Eſt id tenellum , ra-

In cap. 107 lib. 3.

Locus.

Forma.

POLIVM Quartum, Cluſij.

Lib. 1 ſtirp. Hiſpa. c. 65.

mulis exilibus, dodrantalibus, humi diffusis multa lanugine candida tectis, qui subinde ad nodos radices agunt: folia mediæ inter primum & secundum magnitudinis, breuiora tamen, denticulata, admodum tomentosa: quæ causa est, vt in tenellis foliis nulli denticuli conspiciantur, nisi diligenter obseruentur, capitula superioribus paulò minora, totáque tomentosa, in quibus flos purpureus. Hoc Polium vidit ille Murciano regno tantùm, solo arenoso. Vulgus *çamarilla* vocat, & Chamæpityn esse putat. Ab eo quintum genus solùm modò differt, quod tenerius sit eo, & flores albos proferat. Vtrumque nihil ferè nisi tomentum sunt, & odoris suauitate reliqua genera superant. Hæc Clusius. Aliud Polium montanum minimum pingendũ curauit Lobellius, montano vulgari per omnia simile, sed quadruplò minus. In Allobrogum collibus & Delphinatus Galliæ prouenit. Poliorum decoctum potum, vt auctor est Dioscorides, serpentium ictibus auxiliatur, hydropicis, morbo regio, splenicis: item cum aceto, capiti dolorem adfert, & stomacho noxium est, aluum & menses ciet, quin & substratum suffitumq; serpentes fugat, impositum vulnera glutinat. Eadem ferè Plinius tradit. Polium contra serpentes substernitur vel portatur. Medici in vino decoquunt recens, vel aridum, illinuntq; vel splenèticis propinant ex aceto, morbo regio in vino: & hydropicis incipientibus in vino decoctum. Vulneribus quoq; sic illinunt. Secundas mulierum partúsque emortuos expellit. Item dolores corporis, vesicas inanit, & epiphoris illinitur. Nec magis alia herba conuenit medicamento quod Alexipharmacon vocãt. Stomacho tamen inutile esse, capútque eo impleri, & abortum fieri poto, aliqui negant. Quibus postremis verbis vt dubium ponit, quod Dioscorides affirmat. De iisdem hæc prodidit Galenus. Polium amarum est gustantibus, & modicè acre. Quare obstructione liberat viscera omnia, vrinámque & menses ciet: ac viride etiamnum magna vulnera glutinat, & maximè species eius quæ fruticosa, aridum cum fuerit, rebellia vlcera sanat illitum, & magis hoc præstat quod minus est. Poliũ minus quo etiam vtimur ad antidota, & acrius & amarius est quàm maius, adeò vt ex tertio sit ordine desiccantium, ex secundo autem completo excalfacientium.

Lib.3.c.107

Vires & Temper.

Lib.21.c.20

Lib. 8. fin.

POLIVM Montanum Supinum minimum, Lobelij.



CLINOPODIVM. CAP. XXVII.

Nomina

Lib.24.c.15.

Lib.3. c. 93.

Forma.

Locus.

Lib.24.c.15.

In cap. 93. lib.3.

Κλινοπόδιον Græcis, Clinopodium etiam Latinis, quasi Lectipes, quod furculi ctecti pedum effigiẽ referant. Dicitur etiam teste Plinio, Cleonicium, Zopyron, quibusdam ocimoides. Clinopodium, vt describit Dioscorides, frutex est paruus, furculosus, duorum palmorum altitudine, foliis serpyllo similibus, flores lecti pedum speciem præbẽt, ex interuallis marrubio similes. Nascitur in petris. Plinius sic deliniat. Clinopodiũ alij Cleonicium, alij zopyron, alij ocimoides appellant, serpyllo simile, furculosum, palmi altitudine. Nascitur in petrosis, orbiculato florum ambitu, speciem lecti pedum præbens. Duæ plantæ, inquit Matthiolus, ab herbariis pro Clinopodio ostenduntur. Prima foliis est serpyllo haud absimilibus, tamen latioribus, cauliculis quadrangulis, tenuibus, hirsutis, floribus purpureis, caules verticillatim ambiẽtibus. Hanc Pena

& Lobel.

CLINOPODIVM
Prius, Matthioli.

CLINOPODIVM
Alterum, Matthioli.

& Lobel. Acinon faciunt, vt suprà monuimus. Altera foliis est oblõgis, in cacumine mucronatis, in ambitu serratis, floribꝰ interfolia subpurpureis, balaustij effigie. At illa, inquit, lõgè magis quàm hęc Clinopodiũ refert, tum quòd folia magis serpyllum exprimant, tum quòd flores qui in summis caulibus sunt, lecti pedis basim quadamtenus referunt. Verumtamen herbæ gustus eum à sententia deduxit. Cùm enim Galenus scribat Clinopodium ex tertio esse calfacientium & siccantium ordine, quæ qualitates in istis plantis haud percipiuntur, neutra verum Clinopodiũ dici potest. Hodie notissima est herba Clinopodij nomine, vt scribit Pena, etiã Pharmacopœorũ vulgò apud Monspelienses & Lugdunenses, in qua ad veri Clinopodij expressionem nihil desideres. Aridos enim & glareosos occupat tractus, surculis compluribus, sesquipalmo longioribus, radice exigua, foliis paruis, serpylli foliis paribus & similibus, vel calaminthæ montanæ, vel ocimi minimi, nonnullis leuiusculis in ambitũ crenis: cauliculi complures sarmentosi, crebri, ab imo ad summum geniculati sunt, verticillis, & paruis alabastris lamio similibus, quaternis, sed multò minoribus, cruta diuaricata totidẽ exprimẽtibus, purpureis flosculis calaminthæ. Calida planta calorem nõ ita magnum gustãti præbet, sed siccitatem, odorem suauem spirat serpylli quadãtenus. Huius figuram si propiùs intueare, quæ melius Clinopodium exprimat reperies nullam. Nam *Mastic* Gallorum Maro quadrat aptiùs quàm Clinopodio, sicuti vult Dodonæus, nec verticillis aut floribus marrubij tam cõcinnè conditis vel digestis, nominis argumẽtum, nempe lecticę vel triclinij pedem refert. Illud Penæ Clinopodiũ à Lobellio depictũ est Ocimũ siluestre, siue Acinos Dodonæi in florum Historia, perperam Calamintha mõtana Tragi, Clinopodiũ alterum Matth. sed Dodonæi & Lobellij picturæ foliis additi pili: quæ res facit vt Clinopodio Matthioli dissimile videatur. Bibitur herba hæc, auctore Dios. aduersus serpentiũ ictus, cõuulsa, rupta, & strãgurias. Mẽses educit & fœtus. Pẽsiles quoq; verrucas eiicit diebus aliquot potũ. Aluũ sistit decoctũ ad tertias, potumq;, nõ febricitãtibus in vino, febricitantibus in aqua. Horũ quædã Plin. habet. Bibitur ad cõuulsa, rupta, strãgurias, serpentiũ ictus. Itẽ decoctæ succus. Galenus tradit Clinopodiũ excalfaciẽdi vim habere, sed nondũ adurendi: esse verò essentiæ subtilis, & tertij ordinis tum excalfacientiũ, tum resiccantium.

Clinopod. Penæ.

Li. 2. ca. 57.

Lib. 3. c. 93. *Vires & Temper.*

Li. 24. ca. 15.

Li. 7 simpl.

POLYCNEMVM. CAP. XXVIII.

Nomina

GRAECE πολυκνήμων dicitur, Latinè Polycnemum, quasi multitibiam aut multisuram dicas, quod multis geniculis intercepta sit. Frutex est surculosus, vt breuiter describit Dioscorides: folia habēs origano similia, caulem vt pulegij, multis geniculis distinctū, non tamen habet vmbellam, sed paruos in cacumine corymbos, cum acri quadā odoris iucunditate. Polycnemum, inquit Plinius, cunilæ herbæ simile est, semine pulegij, surculosa, multis geniculis, corymbo odorato, acri & dulci odore. Quæ lectio si recta est, in Dioscoride verbum σπέρμα deest, vt legatur, τὸν δὲ καυλὸν πολυγόνατον, σπέρμα δὲ ὥσπερ γλήχωνος. Ideſt, caulem multùm geniculatum, semen veluti pulegium, vt non in caule, sed in semine Polycnemi ad pulegiū facta sit collatio. Huic succinctæ delineationi plantam appictam satis conuenire arbitratus est Dalechampius, quæ in aridis & æstuosis Corsicæ montibus, vnde ad eum allata est, gignitur, radi-

Lib. 3. c. 92.

Forma.

Li. 24. c. 14.

POLYCNEMVM, Dalech.

POLYCNEMVM, Lobellij.

ce breui, fibrata, nigricante, caulibus palmum altis, surculosis, crebrò genicularis, foliis tragorigani, hirtis, odoratis, acribus, eximium ac suauem quemdam odorem spirantibus, flore nō vmbellæ specie, sed in summis caulibus oblongo, ex cæruleo rubescente, ac ex vasculo longo, & herbaceo emergente. Aliud esse Polycnemum opinantur Pena & Lobellius, scilicet Calamintham aquaticam Belgarum quemadmodum capite de Calamintha iam monuimus, notis omnibus cōsentientibus. Est enim fruticosa & exigua planta, radice exigua, caule multiplici, incano, geniculato, quadrato, foliis origani vel pulegij, vnde pulegium agreste propter odorē & folia similia dicitur, floribus corymbi specie, cæsiis vel pulegij, verticillatim caules & surculos ambiētibus, & in summo instar corollæ vel corymbi cōgesti ex pluribus flosculis, veluti in pulegio. Vniuersa planta suauem spirat odorem, sed acrimonia quadam nares ferientem. Inter ver nacta & sata, in marginibus agrorū & pratorum Belgij & Angliæ prouenit. Huius Iconē feliciùs & veriùs expressam, quàm

quàm capite de Calamintha additis floribus & pullis è radice surgentibus, ex Lobellio hîc exhibemus. Polycnemum, inquit Dioscorides, recens vel aridũ illitum vulnera glutinat, sed quinto die soluere oportet. Bibitur cum vino ad vrinæ stillicidia, ruptaq;. Quæ sic breuiter Plinius. Polycnemum ferro factis vulneribus commanducata imponitur: quinto die soluitur. Lib. 3. c. 92. *Vires.* Li. 24. c. 14.

HYSSOPVM VVLGARE. CAP. XXIX.

ΥΣΣΩΠΟΣ Græcis, Latinis Hyssopus & Hyssopum, Arabibus *Cyfe, Iufa*, seu *Iabes*, Italis & Hispanis *Hissopo*, Gallis *Hyssope*, Germanis *Isop.* Officinæ Latinum nomen retinuerunt. Vt Græca Dioscoridis Hyssopus, ita hæc Arabum & Mesuæ auctoritate dudum recepta, & in Officinas deducta, duûm est generum. Hortensis siue satiua, & montana siue siluestris. Hyssopus hortensis, quæ in hortis non solùm Officinarum, sed etiam culinarum causa colitur. Hyssopus Arabum Mesuæ & Officinarum, herba est siue frutex paruus surculis multis ab vna radice prodeuntibus, lignosis, sesquipedalibus, quos totos folia vestiunt circumquáque per interualla, oblonga, duriuscula, odorata, gustu feruida & amariuscula, satureiæ vulgaris siue satiuæ similia, flores surculorũ summitates spicæ modo ornant in cæruleo purpurascentes, radix lignosa & multifida. Eadem hortensis, vt affirmat Pena, in Anglia nullo mangonio dimi- *Nomina.* *Genera.* *Forma.* Matth. in ca. 26. lib. 3. Fol. 185.

HYSSOPVS Satiuus vulgaris.



HYSSOPVS Vulgaris ex Codice Cæsareo.

dio sui, foliis & ramulis adeò candicat sine lanugine, vt quamlibet niuem aut calcem facilè prouocet, semisse altera viridi remanente. Huic similem aliam reperiri quidam ferunt cauliculis breuioribus, & plurima parte humum versus reclinatis: foliis paulò nigrioribus ac crassioribus: floscul is verò in cacumine in breuis spicæ modum digestis, colore quoque pulchrè cæruleis, & superioris forma similibus. Verùm hæc species rarissima. Hyssopum hãc passim Officinæ & vulgò appellant. Germani ac Belgæ *Isspen*, aut *Ysope*, Itali *Hyssopo*, Hispani *Isopo*, Galli *Hyssope*. An autẽ veterum.

veterum legitima Hyſſopus ſit, non parùm, nec temerè, ambigitur. Tametſi enim Hyſſopum veluti omnibus cognitam, nullis notis Dioſcorides expoſuerit, extant tamen quædam de eius forma alibi, quæ vulgari Hyſſopo nequaquam reſpõdent. Origanum Heracleoticum folium habet Hyſſopi ſimilitudine: Chryſocome comam habet corymboidem, ſimilem Hyſſopo. Plinius lib. 27. cap. 12. Stœchadẽ ait odoratam herbam, coma Hyſſopi. Accedit icon ipſius Hyſſopi, quæ in perquàm vetuſto Cæſareæ bibliothecæ exemplarĩ reperitur, foliis latis, Origani ſimilibus, & capitulis in ſummis virgis eminentibus. Atque ex his non eſſe legitimam, quæ vulgò pro Hyſſopo habetur, manifeſtum eſt. Cæterùm quod ad facultates vulgaris Hyſſopi attinet, guſtabilis huius qualitas acris, cum nõnulla amaritudine coniuncta, calidam ipſam eſſe oſtendit, & ſiccam tertio ordine, tenuis quoque eſſentiæ, ac expurgandi vim habere. Non inutiliter idcircò, imò efficaciter, ad omnes pulmonis ac thoracis frigidos morbos in eclegmate, aut alio modo vulgaris Hyſſopus adhibetur. Obſtructiones aperit, craſſa incidit: lenta attenuat, &, vt facilius expuantur, præſtat. Cum carnibus bubulis decocta non inſuauiter ex iure editur, ori ac ventriculo grata: vrinas verò etiã mouet, & ad vrinæ ſtillicidium vtilis eſt.

HYSSOPVS Montana, Fuchſ.

HYSSOPVS Arabum, flore rubro, Lobellij.

Hyſſopus montana coma & floribus, tota denique facie ſatiuæ ſimilis eſt, folio tamen aſperiore, guſtu amariore, nec vſque adeò acri. Hyſſopus duplex, inquit Meſues, hortenſis & montanus. Ille ſemicubitalis, caulibus & ramis paucioribus quàm thymus, foliis thymi, ſed maioribus, flore purpureo. Hic breuior, & foliis minoribus. Hyſſopus prior in hortis omnibus fruticat, montanus in Saluatino monte Comitatus Goritienſis teſte Matthiolo. Pena naſci ait in collibus aſperis Romaniæ & Veronenſis tractus, præſertim ſecus Atheſim, & anguſtias ſaxorum & arcem munitiſsimam, quæ Imperatoriam à Venetorum ditione diſcriminat, è regione montis Baldi. Hyſſopum Arabum flore rubro, & interdũ albo alunt cultiora vireta Belgica, auctore Lobellio, ſed floribus ſæpiùs vnico tantùm ordine digeſtis.

Lib. 2. c. 18.

Locus.

gestis. Hyssopus, auctore Mesue, calidus est & siccus ordine secundo, vel potiùs tertio. Pituitam crassam & putrem purgat, sed minùs quàm thymum. Thoracem & pulmones parteſq; alias respiratorias pituita eadem, & humoribus aliis putribus & pure expurgat, & tenuando ac incidendo, tergendoq; sputum facilè reddit. Ob hæc asthmati, tussi à materiis prædictis est salubris, & epilepsiæ pituitosæ, cæteríſque cerebri affectibus pituitosis præsertim sumptus syrupo, vel decocto, cum oxymelite scillitico, & cum origano, etiam in omni ætate expertus: coctionem quoque iuuat. Propter hæc respirationem leuat, & cutis colorem floridum efficit. Coctus cum vino hepatis, lienis, & aliorum viscerum tumores resoluit sumptus, & cum ficubus & iride, & nitro admotus. Lumbricos necat cum ficubus coctus: cum aceto vel oxymelite dolorem dentium sedat: suffitu aurium tinnitū dissipat. Nam tenuat, terget, digerit, flatus dissipat. Præstantior qui odore & sapore acerrimo est, præsertim qui habitior, & quo tempore florere incipit, quando etiam colligēdus. Imbecilliter purgat nisi cardamomum & ius misceatur (ex Dioscoride legendum, nisi cardamum, id est, nasturtium, & iris misceantur: quamquam vulgati Dioscoridis codices μιγνύσθω καρδαμώμῳ pro καρδάμῳ habeant) miscendum autem esse cardamum res ipsa indicat, & Macri versus:

Lib. 1. c. 18. *Temper. & Vires.*

Cardama si iungas, his solues fortiùs aluum.

Aut cum manna, vel melle, vel vuis passis purgatis, vel scilla coquatur. Mediocrē sustinet coctionem & triturā, vt thymum. Datur decocto à drachmis sex ad drachmas decem, puluere à drachmis tribus vsque ad drachmas septem. Scribit Matthiolus hyssopum tenuium esse partium. Ideoq; incidere, aperire, attenuare, & abstergere. Aduersari serpentium ictibus, si cum sale & cumino tritum ex melle vulneri illinatur: ex oleo inunctum pediculos necare, & capitis pruriginem tollere. Iuuare comitiales quoquo modo sumptum, sed valentiùs id efficere in catapotiis hoc modo paratis. Sumuntur hyssopi, marrubij & castorei singulorum semidrachma, radicis pæoniæ drachmæ duæ, assæ fœtidæ scrupulus: teruntur omnia, & cum succo eiusdem Hyssopi finguntur catapotia septem, è quibus vnum duntaxat quolibet vesperi deuorandum, cùm dormitum se recipit æger. Hyssopum Dioscorides, vt herbam nulli non cognitam non descripsit, sed paulò pòst Origanum heracleoticum folium habere Hyssopo simile dixit tantùm, de vmbella enim circinata Hyssopi nulla sequitur mentio: deinde onitidem folio esse candidiore & Hyssopo similiorem. Hunc Hyssopum ex Dalechampio hîc exhibemus, folio rotundo, origani heracleotici, nihil odore, sapore, floris spica cærulea diuersum à vulgari, sed eâ re tantùm, quòd folium maioranæ pulegióve simile ac rotundum in longū nō porrigitur vulgaris modo. Lugduni colitur in hortis quibusdam. Pena longè diuersum Hyssopum genuinum Dioscoridis statuit, nimirum communem illam Maioranam, in Gallia & Belgio notam, quæ Maiorana crassa, & Anglica vocatur, quia in Anglia lætior, & cibo aptior prouenit, præsertim in hortis. Quod, vt probet, ponit ex Dioscoride Heracleoticum foliis esse Hyssopi similibus, sed vm-

Ca. 93. li. 3.

HYSSOPVS Folio Origani. Dalechamp.

bellam

HYSSOPVS Genuina Græcorum, Pen. & Lob.

HYSSOPVS Nemorensis & lutea.

bellam non circinatam vel turbinatam habere qualem Hyſſopus: deinde Onitidē candidiore folio,& ſimiliorem Hyſſopo quàm Heracleotico: ſemen non eſſe quidem corymbos, ſed ita coniunctum, vt ſpeciem corymborum præbeat. Adhæc ſerpyllo omnibus notiſsimo folia & ramulos origani tribuit Dioſcorides, cui origano Hyſſopum aſsimilauit foliis & vmbella. Præterea Maioranam hortenſem Crateuas, Iſaach, Serapio, Meſues Hyſſopo ſimilem faciunt. Quare cùm communis illa maiorana Anglica ſiue craſſa vmbellā habeat circinatā turbinatámue, denſam & congeſtam ex multis floſculis purpureis: ſemina frequenti pericarpiorum ſerie ac coaceruatione coniuncta in corymbi modum, non ſecus atque in Maiorana, in origano onitide & vulgari: cum folia & tota effigies, odor ſuauis Origani heracleotici, acrimonia nitior, vires ipſę conſentiant, nullam aliam plantam tot notis exprimere genuinum Dioſcoridis Hyſſopum cenſet. Eam elegantiore pictura quàm ea quæ capite de Maro poſita eſt, ex Lobellio hic repræſentandam duximus. Hyſſopus lutea in vmbroſis lucorum & ſyluarum marginibus ac cliuis gignitur, radicibus paucis, exiguis, breuibus, nigris, caule dodrantali, quadrato, in ramulos paucos brachiato, è foliorū alato ſinu emergētes foliis oblongis, anguſtis, minimè crenatis, Hyſſopo aut ſatureiæ ſimilibus, flore paruo, oblongo, infra candicante, ſupra aureo velut aperto quodam rictu hiante, guſtu ſubamaro & auſtero. Floret Mayo & Iunio.

ABROTONVM. CAP. XXX.

Nomina

ABROTONON Græcis, Abrotonum Latinis nominatur, Mauritanis *Cathſum, Keſum*, ſeu *Gaiſſum*, Italis & Hiſpanis *Abrotono*. Dictum eſt autē Abrotonū, vt teſtatur Nicandri interpres διὰ τὸ πρὸς ὀψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι καὶ διὰ τὸ δυσπνοῆ εἶναι, hoc eſt, quòd cōſpectu tenerum, molle, & delicatū appareat etiā, aut quod grauem acrémue, & difficilem halitum ſpiret. Abrotonum duorum eſt generum, veterū & recentiorū omnium ſententia

Genera.

ABROTONVM Fœmina, Matthioli.

ABROTONVM Mas, Matthioli.

sententia. Mas & fœmina. Plinius marem campestre vocat, fœminam montanũ. Abrotonum fœmina Gallis *Petit Cyprez, & Cyprez de Iardin, & Garderobbe*, Germanis *Gurten Cyprez*, Italis *Santolina*. Frutex est arboris specie, subalbus, foliis circum ramulos minutim incisis seriphij modo, corymbis in summo aureis. Prouenit æstate, odoratus cum quadam grauitate, gustu amaro. Abrotonum mas, Gallis *Auronne*, Germanis *Stabuurtz*, sarmentosum est, gracili semine vti absinthium: λεπτόκαρπον enim legimus in vulgatis codicibus, Ruellius λεπτόκαρφον, ideſt, gracilibus ramulis. Plinius. Abrotonũ odore iucundè graui, floret æstate. (Cornarius legit, Abrotonum iucundi odoris est & grauis, floret æstate:) flos aurei coloris: vacuum sponte prouenit: vel, vt in vetustis codicibus legitur: in vacuis sponte prouenit. Cacumine se propagat. Seritur autem semine meliùs quàm radice, aut surculo: semine quoque nõ sine negotio plantaria transferuntur. Sic & Adonium. Vtrumq; æstate: alsiosa enim admodũ sunt: & sole tamen nimio læduntur. Sed vbi conualuere, ritu vitis fruticant. Sic enim exẽplaria vulgaria habent, cùm ex Theophrasto, vt mox dicetur, vt ruta, vel rutæ vice legendum sit, non ritu vitis: quorum postrema ex Theophrasto mutuatus est. Ἀβρότονον δὲ μᾶλλον ἢ ἀπὸ σπέρματος βλαστάνει ἀπὸ ῥίζης καὶ παραφυάδος (sic enim legit Gaza, & rectè, vt contextus apertè demonstrat, non vt in vulgatis codicibus exaratum est, ἀβρότονον δὲ μᾶλλον ἀπὸ σπέρματος βλαστάνει, ἢ ἀπὸ ῥίζης, &c.) χαλεπῶς ὃ καὶ ἀπὸ σπέρματος προμηχθύμενον ἐν ὀστράκοις, ὥσπερ οἱ ἀδώνιδος κῆποι. σπείρεται τῷ ἦρι. δύσεργον καὶ σφόδρα, καὶ ὅλως ἐπίκηρον, ὅπου καὶ ὁ ἥλιος σφόδρα λάμπει. ἐμβιῶσαν δὲ αὐξηθὲν, μέγα καὶ ἴσχυρον καὶ δενδρῶδες, ὥσπερ τὸ πήγανον: πλὴν ξυλωδέστερον πολὺ τοῦτο, καὶ ξηρότερον, καὶ αὐχμωδέστερον, Ideſt, Abrotonum radice aut auulso surculo potiùs quàm semine germinat. Semine verò difficulter exit. Fictilibus vasis depactum qualia sunt, in quibus Adonidis hortos instruunt. Seritur æstate. Est enim alsiosum vehementer, atque morbis obnoxium, etiam vbi sol splendidè illucet: sed vbi conualuerit, creuerítque, magnum ac robustum arboreſcit, instar rutæ, nisi quòd multò est lignosius, siccius, squallidius. Quæ si recta est Gazæ lectio & interpretatio, Plinius contrario planè sensu hæc conuertit. Præterea hæc verba, ὥσπερ οἱ ἀδώνιδος κῆποι, aliter legisse videtur, qui Adonium Latinè reddiderit, perinde ac si herbæ cuiusdam peculiare nomen esset. Totũ eum locum Plinij corruptissimũ quidam

Li. & c. 11.

Forma.

Li. 21. c. 10.

Emb. 26 li. 3.

Lib. 6. hi... cap. 7.

sic restituunt. Seritur autem viui radice, ac surculo, melius quàm semine: & semine quoque non sine negotio plantaria transferuntur: in Adonidis hortos, æstate. Vtrumque alsiosum admodum est, & sole tamen nimio læditur: sed vbi conualuere, instar rutæ fruticant. Abrotono simile odore leucanthemō, flore albo, folioso.

ABROTONVM Fœmina, Dodonæi.



Ca. 334. p. hist. Lib. 1. c. 19.

ABROTONVM Mas, Dodonæi.

Lib 3. c. 25. *Vires & Temper.*

Li. & ca. 21.

Quin Gallorum pumila siue hortensis cupressus sit Abrotonum fœmina, minimè dubitandum: tum quia notis candoris, amaritudinis, fruticis arborei habitu, corymbis aureis, foliis minutissimè scissis seriphij modo illi quadrare videtur, tum quia viribus iisdem nec ignauioribus polleat, quàs Dioscorides & Galenus illi assignarunt. Non solùm in hortis frequens colitur, sed etiam Galliæ Narbonensis vt Nemausensibus vinetis, & campis patentibus fruticat plurima, sesquicubitum alta, ex virore cādida, corymbis bullatis, crebris, fuluo colore nitentibus mense Iulio, cætera hortensi similis, sed odoratior, lignosior, cuius semine lumbricos necant mulierculæ. Hanc plantam non Abrotoni fœminæ, sed chamæcypariss Plinianæ nomine depinxerunt, & descripserunt Fuchsius & Dodonæus, quæ & Santolina nuncupatur, eiusque nullam à Græcis factam fuisse mentionē ait ille. Pro qua pictam dedit Dodonæus plantā quæ est Abrotonum siluestre, quod Fuchsius Abrotonum marem facit. Abrotonū verò fœminā, idem Fuchsius absinthij speciem, de qua paulò pòst dicemus. Aurōne Gallica, hortis ruriq; oriunda, Abrotonum mas meritò censetur, sarmentosum duriúsque, seminibus tenuibus, odorum, subalbidum, amarum, foliis fœniculi modo minùtim incisis, paulò latioribus ornandis hortis, & deambulacris concinnandis apta, flore luteolo, absinthij, minore. Vtriúsque Abrotoni semen feruefactū, vt scribit Dioscorides, itemq; crudum cū aqua potum, orthopnoicis, ruptis, conuulsis, ischiadicis, vrinæ difficultatibus, & suppressis mensibus auxiliatur. Potum in vino exitialium venenorum antidotum est, cum oleo, rigentibus illinitur. Serpentes lecto instratum & suffitum fugat. Cum vino potum aduersus eorūdem morsus, peculiariter autem scorpionum & phalangiorum prodest. Oculorum inflammationibus cum cotoneo cocto aut pane illitum subuenit. Tritum cum farina hordeacea, decoctumq; tubercula discutit. Plinius eadem ferè tradit. Vsus est & foliis, sed maior semini ad excalfaciendum: ideò neruis vtile, tussi, orthopnoicis, conuulsis, ruptis, lumbis

lumbis,vrinæ anguſtiis. Datur bibendū manualibus faſciculis decoctis ad tertias partes:ex his quaternis cyathis bibitur. Datur & ſemen tuſum in aqua drachmæ põdere. Prodeſt & vuluæ.Concoquit Panos cum farina hordeacea, & oculorū inflammationibus illinitur cum cotoneo malo cocto. Serpentes fugat. Contra ictus earum bibitur cum vino,illinituráq;. Efficaciſsimum cõtra ea,quorum veneno tremores & frigus accidunt,vt ſcorpionum & phalangiorum : & contra venena alia potu prodeſt,è quoquo modo algentibus,& ad extrahenda ea quæ inhærent corporibus. Pellit & interaneorū mala.Ramo eius ſi ſubiiciatur puluino,venerem ſtimulari aiunt:efficaciſsimamq; eſſe herbam contra omnia veneficia, quibus coitus inhibeatur.Galenus de iiſdem diſtinctiùs ſic ſcripſit. Abrotonum calidum eſt & ſiccū ordine tertio,cuius temperiem maximè ex guſtu inueniemus : eſt enim admodùm amarum.Itaque nõ inſtrenuè calfacit & ſiccat. Nam ſiue comã eius cum floribus(reliqua enim palea inutilis eſt)cõtuſam vlceri puro illinas,mordax & irritans videbitur:ſiue eo in oleo macerato caput aut vẽtrem perfundere velis,admodùm calfacere reperies. Quin & ſi qui per circuitus rigoribus capiuntur , eos ante inuaſionẽ rigorum hoc voles cõfricare,minùs vtique rigore concutientur:imò & ſenſus quidem protinus vbi admotū fuerit, ipſum calfacere percipit. Porrò quod lumbricos interimat,par eſt,nimirū cùm ſit amarum. Scies autẽ protinus quod & digerẽdi,& incidendi quãdam vim habeat:ſed & quod magis quàm Abſinthio id magis neceſſario inſit,in promptu erit colligere. Primùm quidem ex guſtu (pauciſsimæ ſiquidẽ acerbitatis particeps Abrotonum eſt , nõ paucæ verò abſinthiū.) Deinde ex eo quòd inimicū ſit ſtomacho Abrotonum,velut etiam Seriphiū,gratum verò & amicum abſinthium.Abrotonum vſtum calidum ſiccumq; facultate eſt,magis etiã quàm cucurbita ſicca vſta,& anethi radix. Illa enim vlceribus humidis,ſimul & citra phlegmonẽ callo induratis cõueniunt:ac proinde maximè vlceribus iis quæ in pudẽdorum præputiis ſunt cõpetere videtur. At cinis Abrotoni

Li.6.ſimpl.

ABROTONVM Odoratum humile, Lobellij.

ABROTONVM Inodorum, Lobellij.

vlceribus omnibus mordax est: ac idcirco in oleo tenui, cicino scilicet, aut rhaphanino, aut sicyonio, aut veteri & maximè sabino, ad alopecias accommodatur: tum barbam tardiùs enascẽtem cum aliquo dictorũ oleorum elicit, sed nec minus illis lentiscino maceratũ. Quippe pro eo quod tenuium est partium, rarefaciendi vim obtinet, & mordax est, & calidum. Lobellius & periti alij Herbarij plantam aliam hic appẽctam Abrotoni speciem statuêre: quia ei bellè quadrat. Est enim foliis nõ absimilibus: sed viticulis densissimè stipatis fruticat sesquicubitalibus duorumq; pedum, tenuibus, lignosis, copiosis flosculis Abrotoni ex herbido luteis, odoratis: radice lignosa, flexuosa & prolixa. Belgis hortensis est. Item aliud Abrotonum insipidum & inodorum, figura, folio, flore & semine Artemisiæ tenuifoliæ. E collibus Gallobelgij in hortis colitur.

CHAMAECYPARISSVS. CAP. XXXI.

Li.24.ca.15. *Nomina*

PLINII Chamæcyparissus, ideſt, humilis seu pumila cupressus, Dalechampio ea planta esse censetur, quam Rhotomagẽses, in quorum hortis plurima nascitur, *Grande Camomille* vocãt, ideſt, magnum Chamæmelũ. Plãta est valde surculosa & sarmentosa, radice dẽsa nigra, lignosa, folio crispo, tereti, minutim discisso, obscuriùs virẽte, ramulos squallidos circũdante, copioso flore, aureo, in rotundis corymbis. Resinosum & pingue quidpiam tota planta olet, vt & illius plãtæ flos quã pro pyretro siluestri pinxit Dodonæus. Magna quidẽ est huic plantæ cum Abrotono fœmina similitudo: quare ne quis hanc cum illa confundat, diligẽter considerandæ sunt vtriusque notæ, quibus discernantur. Abrotonũ altius se surrigit, hæc pumila, & breuitate magis coacta nõ attollitur. Abrotono folia sunt lõgiora, incana, spissa, sciſſuríſque magis hiantibus. Huic Chamæcyparissо breuiora, rariora, & ex maioribus interuallis, compressiora. Ad hæc odore discrepãt, qui validior grauiórque est in abrotono, lãguidior & imbecillior in Chamæcyparissо, nõ tamẽ admodum suauis. Aiunt Rhotomagi floris corymbum albis foliolis coronari anthemidis leucãthemi modo, eamq; ob causam chamæmelum magnum ibi dici. Sed cum in hortis nostris satũ adoleuissет, corymbum luteũ absque foliolis, abrotono fœminæ similem genuit. Ad eadem omnia vtũtur Rhotomagenses Pharmacopœi, ad quæ & chamæmelo vulgari, nec fallaci successu. Chamæcyparissus herba, inquit Plinius, ex vino pota contra venena serpentium omnium scorpionumq; pollet.



Lib.3.c.20.

Vires.

Li.24.c.15.

ABSINTHIVM CAP. XXXII.

Nomina

ΑΨΙΝΘΙΟΝ Græcis, & βαθύπικρον, vel βαρύπικρον, Latinè Absinthium appellatur, in officinis appellationem suam retinuit, Arabicè *Assinthium*, Italicè *Assenzo*, Germanis *Vuermuet*, Gallicè *Aluyne*, ab amaro sapore, vt aloës, & *Absinse*, siue *Absinthe*. Nomen Absinthij Græci ab ἀ ψίνθω, ideſt, contrectando per antiphrasim deflexerunt, quòd nullum animal ob eximiam amaritudinem hanc herbam attingat: quam ob causam etiam

bathypicron

bathypicron,seu barypicron nominata est. Veteres Græci Comici ἀπότθιον,quoq; simili etymo dixerunt quasi impotabilem, quòd hãc nemo propter insignẽ amarorem bibere possit. Similiter Germani *Vuermuot* nominarunt, quasi prohibens hilaritatem & alacritatem,ob immensam amaritudinem. Quidam tamẽ exponũt quasi impediens concitationem ad venerem. Absinthij tria sunt genera Dioscoridi.Vulgare,Marinum, quod & Seriphium nominant, tertium Santonicum, in Gallia ad Alpes plurimùm proueniens,quod vernacula voce Santonicum appellant,à Santonide regione ipsum producente. Totidem sunt Galeno, sic scribenti: Li.6.simpl. Absinthij tres statuendæ sunt species: quarum vnam eodem cum genere ipso nomine appellant,cuiusmodi potissimum est Ponticum,alterum Santonicũ,tertium Seriphium. Si verò aliud placet appellare Absinthium,aliud verò Seriphiũ, aliud autem Santonicũ,nihil interest.Plinius,Absinthij genera sunt plura, inquit, Santonicum appellatur à Galliæ ciuitate,Ponticum à Ponto. Et aliquantò pòst. Est & Absinthium marinum,quod quidam Seriphium vocant, &c. Fuchsius absinthiũ vulgare depinxit,& Seriphium,quod est Dodonæo Thalictrum, vt diximus. Tertium Santonicum non pinxit,sed simile Absinthio esse ait, verùm non adeò copioso semine,& subamarum. Dodonæus Absinthium Ponticum, Officinis Brabantiæ Romanum appellatum,id primum proposuit,quod Fuchsius pro abrotono fœmina posuit:Secundum Seriphium seu marinum,cuius semen Officinis omnibus notissimum est,quod semen sanctum,semen lumbricotum, & semen contra nominatur.Tertium Santonicum,vulgare nostrum, eaq; genera non locis natalibus,sed forma ipsa & facie differre ait.Matthiolus Absinthium vulgatum primum depingit & describit:deinde aliud Ponticum,quod non solùm in Ponto,sed etiam in Hungaria,Transsiluania, & Bohemia nascitur, & omnibus planè notis cum Galeni Pontico conuenire scribit:tum aliud marinum siue Seriphium, planè ab aliorũ Seriphio diuersum: item aliud Seriphium Ægyptiũ:postremò aliud, cuius semen lumbricos necans in Officinis vẽditur: ab illis enim dissidet, qui semen illud Absinthij marini semen esse censent.Pena veterum diuisionem secutus, Absinthium nostrum vulgatissimum non esse aliud à Pontico & Romano censet. Id demonstrat Dioscorides,cùm scribit: ἀψίνθιον γνώριμός ἐστι διὰ παντὸς βελτίων τὸ ἐν τῷ Πόντῳ καὶ Καππαδοκίᾳ. Ideſt,Absinthium herba est nota: ex quo præstantiùs id est,quod in Ponto & Cappadocia nascitur. His enim verbis non indicat vulgaris herbæ,quæq; ideo delineatione non egeat, speciei differentiam,sed nataliũ duntaxat dissimilitudinem, quod cùm vbique obuia sit, tamen in Ponto & Tauro Cappadociæ monte,vtpote puriore cælo & aëre perflato,commendatior,magísq; aromatica sit,quemadmodum Iridem Illyricam & pleraq; alia Dioscorides & Galenus eadem commendatione celebrarunt.Idẽ innuit Galenus his verbis. Absinthij tres statuendæ sunt species: quarum vnam eodem cum genere ipso nomine appellant:cuiusmodi potissimum est Ponticum, &c. Hìc absolutè vulgare nostrũ Absinthium vocat,quod in Ponto fœliciùs ex Dioscoride prouenire indicat, sine vllo speciei vel generis discrimine. Quare vulgatius Absinthium Ponticum est, antiquis à præstantia,& regione cognomine sic dictũ, tum recentioribus barbaris ab adstrictione,quam illi Ponticum saporẽ sua non Latina voce appellant, quã laudabant in Absinthio Pontico Dioscorides & Galenus. Inter Arabes Mesues cũ Romano Ponticitatem vindicasset, ideſt,adstrictionem siccam, & valde medico vsu oportunam,idem Ponticum & Romanum esse,nihil fortè huiusmodi meditatus,verisimè literis mandauit.Vnde Pharmacopœorum tam sedula huius Romani conquisitio & exploratio etiámnum durat. Romanum enim ideſt optimũ, vti Romanam camomillam cæteris præstantiorem & genuinã expetunt. Et quod quidem nostro æuo in Romano agro antiquisq; ruderibus passim visitur,nõ aliud

Cap.1.hist.
Lib.2 c.77.
Lib.1. ca.2.
Cap.2.hist.
Cap.23.li.4.
Lib.3. c.23.

à noſtro eſt,& vtrumque cum Pontico idem eſt. Quare id non deſcripſit Dioſcorides,tantùm indicauit quo loci præſtantius nouiſſet. Nec itidem vllum ſpeciei aut figuræ diſcrimen aſsignat Galenus,ſed Dioſcoridis fidem ſecutus, vt plurimũ ſolet,vires præſentiores nõ diuerſas Põticum habere ſcripſit, nec natura, ſed loci præſtãtia,quam etiam multis in regionibus vulgatum obtinet. Eſt enim vbi odore nõ inſuaui,vbi odoratum,& vbi fœtidum percipias. Idem Galenus de Põtico alibi hæc ſcribit. Cùm duplex in omni Abſinthio facultas & qualitas ſit,vtriq; in Põtico adſtringendi qualitas non parua eſt:in reliquis omnibus,ideſt, Seriphio, & mõtano,amara quidem qualitas eſt vehementiſsima,adſtrictio verò(quam ſaltem guſtu agnoſcas)aut planè obſcura,aut planè nulla ſentitur. Proinde Põticum ad iecinoris,ventris phlegmonas eligi præſtat. Porrò,ideſt tum folio, tum flore lõgè quàm cætera Abſinthia minore, odoi quoq; huic nõ modò nõ inſuauis,verùm etiã aromaticum quid præſe ferens,reliquis omnibus planè fœdus. Quare hæc fugere cõueniet,vti autem ſemper Põtico. Hic folia Põtici minora magnopere doctos torſerunt,inquit Pena,ſed legiſſe aſſerit,codice & rei exploratione fretum Rondeletium, maiora, quæ metatheſis vti facilis, ita nimis familiaris fermè omnibus de plantis ſcribentibus. Extat ſæpe in Theophraſto,ſæpiſsimè in Dioſcoride,vt capite de Helenio,Meo,& aliis interdũ,& in Galeno, non ſuo ſed ammanuenſium vitio. Præterea ὠιδίας obiectioni facilè reſpõdet. Nam ſi magis odoratum, odoratum erit & alterum. Et τῇ ὠιδίᾳ nõ gratia odoris vel ſuauitas,ſed fragrantia & vehementia plerũque indicatur,vt in vngue odorato,myrrha,pice,aliiſque. Hactenus de primo Abſinthij genere. Secundum eſt marinum ſiue Seriphium, copioſiſsimum in Tauro monte,iuxta Cappadociam, & in Taphoſiri Ægypti:in quibus hæc ἐν τῷ περὶ καππαδοκίαν τάυρῳ ὄρει,ideſt,in Tauro mõte iuxta Cappadociã,aliena eſſe ab hoc loco,& ex ſuperiore Abſinthio huc tranſlata ac ſuppoſita fuiſſe putat Cornarius:quod oſtendit Plinius, qui ea particula relicta probatiſsimum in Taphoſiri Ægypti eſſe ait. Tertium Aſinthij genus eſt Santonicum, γενώμενον ἐν τῇ κατὰ τὰς ἄλπεις γαλλίᾳ πλεῖστον, ὁ ἐπιχωρίως σαντόνιον καλοῦσι. Ideſt, in Gallia Alpibus finitima plurimum,quod patrio nomine Santonicũ vocant. At Geographiæ peritus nunquam Gallicas alpes in Santonum agro,vulgò *Saintonge* exiſtere credet,vbi creſcat eiuſdem nominis Abſinthiũ. Adhæc in Aldino codice nõ σαντόνιον, ſiue σαντόνικον, ſed σαρδόνιον legitur, hoc modo:περὶ ἀψινθίου σαρδονίου. ἔστι δὲ καὶ τέτταρον εἶδος ἀψινθίου γενώμενον ἐν τῇ κατὰ τὰς ἄλπεις γαλλίᾳ πλεῖστον, ὁ ἐπιχωρίως σαρδόνιον καλοῦσιν, ἐπωνύμως τῇ γενώσει ἀπὸ σαρδονίδι χώρᾳ. Ideſt,De Abſinthio Sardonio. Tertiũ eſt Abſinthij genus,in Galatia ad Alpes plurimũ proueniens, patrio nomine Sardonium nominatũ, cognomine ducto à Sardonide regione,quæ ipſum fert. Tertium hoc Pena vult ad alpes Aſiaticæ Galatiæ naſci,quas Sardonidas vocant indigenæ,ideò Sardinium vocatum:ſic enim hodie legitur,& reſtituitur, facili intellectione,& proximè ſequentis capitis repetitione, vbi in Galatia Aſiatica Abrotonum,vtpotè cõgener,oriri dicit,vt duas Abſinthij ſpecies,ex eodem Galatiæ & Cappadociæ loco cõmendet Dioſcorides, & nulla ratio ſit hæſitationis,aut in Sãtonicum Gallicum deprauationis. Abſinthium Põticum,ſiue Romanũ, ſiue vulgare,caule fruticat ramoſo,foliis incanis,variè inciſis,& figura artemiſiæ,floſculis rotundis,aureis,racematim cõgeſtis,ſemine rotundo,ſimul cohærente: radice diuulſa,firma,lignoſa. Hoc abſolutè Matthiolus Abſinthium vocat. Dodonæus Abſinthium Sãtonicum. Abſinthium Põticum Matthioli folio,caule,flore,ac ſemine cõſtat lõgè quàm vulgare Abſinthium minoribus:ſapore eſt amariuſculo,cui non parua adſtringẽdi vis cõiuncta eſt,odore etiã eſt nõ inſuaui. Aliud Põticum oſtẽdit Lobellius,Tridẽtinum Herbariorũ ex Põti & Tauri mõtibus ipſi & Tridẽtinis impertitum,cuius omnium minima folia ſunt,albida,aromatica,adſtringentia & ſubamara.

Li.6.ſimpl.

Li.11.meth. ca.16.

In Aduerſ.

Embl.25. lib 3.

Fol.317.

Forma.

Cap.23.li.3.

ſubamara. Abſinthium marinum ſiue ſeriphium, vt deſcribit Dioſcorides, herba eſt prætenuibus ſurculis, minori abrotono ſimilis, exiguis referta ſeminibus, ſubamara, ſtomacho noxia, graui odore, & cum quadã calfactione adſtringens. Matthioli ſeriphium hic pictũ, quòd in multis, vt ille ait, tam Tyrrheni quàm Adria- Seriphium

ABSINTHIVM Vulgare.

ABSINTHIVM Ponticum, Matth.



ABSINTHIVM Ponticum Tridentinum Herbariorum, Lobelij.



ABSINTHIVM Seriphium, ſeu marinum, Matth.

ABSINTHIVM Seriphium Aegyptium, Matth.

Lib.1.c.2.

Lib. 1.c.2.

tici pelagi litoribus naſcitur, præſertim Aquileienſibus & Tergeſtinis, cùm primùm è terra erumpit, folio eſt abſinthio ſimili, craſſiore tamen. Sed cùm adoleuerit, & caules edide rit, mutatis in longum foliolis, iis præſertim quæ caulem ambiunt, abrotonum æmulatur, foliis tamen non ſic paruis. Semen exiguum, copioſumq;, abrotoni modo inter folia erũpit, in ſummo caule ferè racemoſum, amari & adſtringentis guſtus. Aliam Aegyptij ſeriphij plantam à noſtrate longè diuerſam ex Aegypto allatam Matthiolus oſtendit. Abſinthium ſeriphiũ Dodonæi hic quoq; expreſſum cãdicat, foliis incanis, abſinthij vulgaris ferè, ſed multò minoribus, tenerioribus, candidioribus & minutiùs inciſis, floſculos multos in capitulis gerit, & ſemen ſecus ſureulos, vti abſinthium vũlgare: ſeſquipedali eſt altitudine, aut maiore, vehementi odore, ſalſo & amaro guſtu. Huius ſemen id eſſe ait Dodonæus, quod Officinæ ſemen ſanctum, & ſemen contra vocant, negat Matthiolus, quod legitima ſemen iſtud proferens planta à Cortuſo ad ſe miſſa, à marino abſinthio permultùm diſtet, vt ex eius pictura quívis perſpicere poteſt. Diuerſum ab his ſeriphium Dioſcoridis, abrotoni fœminæ facie ex Pena hìc proponimus. Cùm enim ſeriphium & abrotonum fœmina mutua collatione Dioſcoridi aſsimilentur, accuratè examinatis notis quibus vtraque dignoſci queat, tandem naturæ cognatione ductus, & virium exploratione,

In cap.24. lib.3.

SERIPHIVM Abſinth. Dodonæi.

SERIPHIVM verum, Pena & Lobelly.

hoc

hoc genuinum abſinthiũ ſeriphium eſſe ſtatuit, quod in Gallica prouincia, montis celſi Magdalenæ accliuibus, quà S. Maximinum oppidum ſpectat, redeunti item Olbia maritima ciuitate, multum obuium fruticat, exilibus, leuibus ſurculis, pedem altis. Radix albicans & prolixa ſurculos ſtatim ab humo numeroſos promit, crebris foliolis, minutim crenatis, incanis, teneriuſcula lanugine vti gnaphalium ad ſummum vſque obſitis, vbi extrema capitula aureis floribus bullata fulgent, ſemine paruo, copioſo referta, ſimilitudine tanaceti, ſed minore. Tota candida, ſapore, & odore illius quod Romanum & Ponticum falſò putatur abſinthium Belgis, adeóque ſimillima abrotono fœminæ vulgari, vt haud facilè vtramuis ab altera diſcernere liceat, niſi quòd hæc tota minor, odoratior, candidior, & tomentoſa, id quod alteri deeſt, cui folia breuiora, ſapor nõ adeò ingratus, aut vehemẽs. Santolina eſt Dodonæo. Santonicum maius Cordo. Tempore degenerat: fragrantia, tomento & candore exuitur in Angliæ & Belgij hortis. Abſinthiũ Galatium ſiue Sardonium, perperàm Santonicum vulgi, abſinthio ſimile eſt, vt ait Dioſcorides, non tamen ita ſemine refertum, ſed amarum. Officinis abſinthium Romanum falſò creditum eſt, quod pro abrotono fœmina Fuchſius depinxit. Tota plãta abſinthio ſimpliciter dicto ſimilis eſt, ſed minor, minuſq; candida, ſeminibus non adeò multis, floſculis exiguis. Nõnullis Germaniç locis frequẽs, in Flandriæ & Angliæ hortis copioſa, & vſu multo expetita, illic vocata *Roomſche Alſene*, id eſt, Romanum abſinthium, publica perſuaſione, quã ſecutus Matthiolus in Hungaria Tranſyluania & Bohemia à ſe repertum prædicat. His addit Pena ſemen contra Officinarum, ſiue Semen ſanctum, ſiue Santolinum, Gallis *Barbotine*, Italis *Semenzina*, horum trium abſinthiorũ nullum videri. Nam tametſi nonnulla amaritudinis & figuræ ſimilitudo illis inſit, non tamen adeò plenè adulta ſunt horum ſemina, aut horridè amara. Id ſemẽ eſt parui & peregrini fruticis, atque ſurculoſi, tàm copioſum, vt foliorum numerum ſuperet. Hunc ex Matthiolo hîc pictum damus. His addemus ex Lobellio Abſinthiũ arboreſcens Abſinthium *del Comaſco* Anguillaræ, vulgari non ita foliis & flore diſsimile, ſed fruticis arborei habitu. Abrotoni modo ad hominis proceritatem aſſurgit, candidiore & minore paulò folio, ſemper virente, guſtu amaro, aromatico, odore non ingrato. Item Abſinthium album, rarius in Gallia, Italia, Anglia, Belgio à nullo adhuc ſcriptore memoratum, vni Cluſio cognitum, & è Vienna Auſtriæ tranſmiſſum, folio Chryſan

ABROTONUM Fœmin. Fuch. Abſinthium Ponticum, Dodonæi.

SEMEN Sanctum, Matth.

Cap. 2. hiſt.

In aduerſ.

ABSINTHIVM Arboreſcens, Lobellij.

ABSINTHIVM Album, capitulis ſcabris, Lobellij.

Chryſanthemi diuiſura, Artemiſiæ marinæ concolori, in cauliculo dodrantali: flos albus Parthenij in vmbellis è ſenis foliolis. Guſtu ſubadſtringit, nonnihil amaricat.

Lib. purgã. Subiiciemus & Abſinthium quod anguſtifoliũ Dodonæus appellat. Ex abſinthio & lauandula confuſis miſcellanea quædam ſtirps videtur, inquit. Cauliculi eius lignoſi, teretes vt abſinthij, flores ſimiles, atque eodem quidem ordine, ſed minores, folia verò oblonga, incana, qualia lauandulæ, odoris eſt haud ingrati Lauendulam obſcurè referens.

ABSINTHIVM Anguſtifolium, Dodonæi.

Plerique abſinthium Santònicum eſſe volunt, alij Artemiſiã marinam, vt proximo capite dicemus. Nunc abſinthiorum vires expendendæ.

Lib. 3. c. 23. *Temper. & Vires* Abſinthium, auctore Dioſcoride, calfacit, adſtringit, bilémque ſtomacho & ventri inhærentem expurgat, vrinas cit. Crapulam præſumptũ arcet. Inflationibus, ventriſq; ac ſtomachi doloribus cũ ſeſeli & nardo Gallica prodeſt, faſtidia diſcutit, morbo regio correptos dilutũ aut decoctũ eius per ſingulos dies cyathis tribus hauſtum ſanat. Mẽſes cum melle ſumptum aut appoſitum euocat, ſtrangulationibus fungorum ex aceto potũ ſubuenit. Ixiæ, cicutæ, muris aranei morſibus, & draconi marino cum vino aduerſatur. Anginis cũ melle & nitro inungitur. Contra epinyctidas ex aqua, ſugillata verò & oculorum caligines cum melle, ſimiliter auribus ex quibus manat ſanies, illinitur. Decocti eius vapor ſuffitúsve dentium auriúmve dolores lenit.

res lenit. Decoctum cum passo dolentibus oculis illinitur. Præcordiis, iocinori & stomacho dolenti, ac longo tempore affecto, cum cerato cyprino tritum illinitur. Stomacho autem cum rosaceo subactum. Cum ficis, nitro, & farina loliacea aquæ intercutem lienosisq; subuenit. Præterea vestiariis arcisque inditum absinthium, vestes ab erodentium iniuria seruat. Culices cum oleo perunctum à corporibus abigit & arcet. Atramentum librarium ex diluto eius temperatum, literas à murium erosione tuetur. Par est etiam succum hæc omnia præstare, attamen in potionibus improbatur: stomacho enim obest, & capitis dolores adfert. Absinthium marinum grauiter olet, cum quadam calfactione adstringit, per se aut cum oryza tritum, & sumptum cum melle ascaridas & lumbricos rotundos necat, leniter aluum subducit. Potest cum sapa (alij edulio conuertunt) coctum eadem præstare. Pecora maximè pinguescunt hoc pabulo. Santonicum eadem quæ Seriphiũ potest. De his fusiùs hæc & quædam alia tradit Plinius. Absinthij genera sunt plura. Santonicũ appellatur à Galliæ ciuitate. Ponticum à Ponto, vbi pecora pinguescunt illo, & ob id sine felle reperiuntur, neque aliud præstantius, multóque Italico amarius, sed medulla pontici dulcis. De vsu eius conuenit dicere, herbæ facillimæ, atque inter paucas vtilissimæ, præterea sacris Romanis celebratæ peculiariter. Siquidem Latinarum feriis quadrigæ certant in capitolio, victórque absinthium bibit. Credo sanitatem præmio dari honorificè arbitratis maioribus. Stomachum corroborat, & ob id sapor eius in vina transfertur. Bibitur & decoctum aqua, ac postea nocte & die refrigeratum sub dio, decoctis sex drachmis foliorum cum ramis suis in cælestis aquæ sextariis tribus: oportet & salem addi. Vetustissimè in vsu est. Bibitur & madefacti dilutũ: ita enim appellatur hoc genus. Diluti ratio, vt (quisquis fuerit modus aquæ) tegatur per triduum. Tritum rarò in vsu est, sicut & succus expressi. Exprimitur autem cum primùm semen turgescit, madefactum aqua triduo recens, aut siccum septem diebus. Deinde coctum in æneo vase ad tertias x. heminis in aquæ sextariis x L v. iterúmque percolatum lentè coquitur ad crassitudinem mellis, qualiter ex minore centaureo quæritur succus. Sed hic absinthij inutilis stomacho capitiq; est, cum sit ille decocti saluberrimus. Namque adstringit stomachum, bilémque detrahit, vrinam ciet, aluum emollit, & in dolore sanat. Ventris animalia pellit, malaciam stomachi & inflationes discutit cum seseli & nardo gallico, exiguo aceto addito. Fastidia absterget, cõcoctiones adiuuat. Cruditates detrahit cum ruta, & pipere, & sale. Antiqui purgationis causa dabant cum marinæ aquæ veteris sextario, seminis sex drachmis, cum tribus salis, & mellis cyatho. Efficaciùs purgat duplicato sale. Diligenter autem teri debet propter difficultatem. Quidam & in polenta dedêre supradictum pondus addito pulegio: alij contra paralysin: alij pueris folia in fico, sic vt amaritudinem fallerẽt. Thoracem purgat cum melle sumptum. In regio morbo crudum bibitur cum opio (lege apio) aut adianto. Aduersus inflationes calidum sorbetur ex aqua: iocinoris causa cum gallico nardo, lienis cum aceto, aut pulte, aut fico sumitur. Aduersatur fungis ex aceto, item visco, cicutæ ex vino, & muris aranei morsibus, draconi marino, scorpionibus. Oculorum claritati multùm confert. Epiphoris cum passo imponitur: sugillatis cum melle. Aures decoctum eius vaporis suffitu sanat: aut si manat sanies cum melle tritum. Vrinam ac menses cient tres quatuórve ramuli, cum gallici nardi radice vna, cyathis aquæ sex. Menses priuatim sumptũ, & in vellere appositum. Anginis subuenit cum melle & nitro. Epinyctidas ex aqua sanat: vulnera recentia priusquàm aqua tangantur, impositum: præterea capitis vlcera. Peculiariter ilibus imponitur cum cypria cera, (legendũ, Cerato Cyprino,) aut cum fico. Sanat & pruritus. Non est dandum in febri. Nauseas maris arcet in nauigationibus potum: inguinum tumorem in ventrali habitum. Somnos allicit olfactum, aut inscio sub capite

Lib. 27. c. 7.

pite positum. Vestibus insertum tineas arcet, culices ex oleo perunctis abigit, & fumo, si vratur. Atramentum librarium ex diluto eius temperatum, literas à musculis tuetur: capillum denigrat absinthij cinis vnguento rosaceo permistus. Est & absinthium marinum quod quidam seriphium vocant, probatissimum in Taphosiri Aegypti. Huius ramum Isiaci præferre solenne habent angustius priore, minúsque amarum, stomacho inimicum, aluum mollit, pellitq; animalia interanea rum. Bibitur cum oleo & sale, aut in farinæ trimestris sorbitione dilutum. Coquitur quantum manus capiat, in aquæ sextario ad dimidias. Hæc Plinius, qui quod pecora absinthio pingueſcere dixit, ex Theophrasto sumpsit, cuius hæc sunt verba, ἔπεσι καὶ ὅτ' ἀψίνθιον τὰ μὴ ἐνταῦθα πρόβατα οὐ φασί τινες νέμεσθαι, τὰ δ' ἐν πόντῳ νέμεται, καὶ γίνεται πιότερα καὶ καλλίω, καὶ (ὡς δή τινες λέγουσιν) οὐκ ἔχοντα χολήν. Id est, Gaza interprete. Nam & absinthium pecora huius tractus pascere quidam negant, pontica autem nimirum pascunt, vt pinguiora atque pulchriora reddantur, &, vt quidam volunt, sine felle. Quæ si vera sunt, hæc verba ad finem capitis de absinthio marino, λιπαίνεται δὲ μάλιστα τὰ πρόβατα νεμόμενα, in Dioscoride accreuisse & redundare videntur, aut ad superius absinthium ponticum referenda esse. Id verò quod Plinius dixit ponticum absinthium esse Italico multò amarius, Matthiolus reprehendit, Pliniúmque Galeni sententiæ refragari ait, quod ex attributis absinthio viribus à Galeno faciliùs diiudicabitur, de quibus ita scribit. Absinthium adstricto riam & amaram, & acrem simul qualitatem possidet, excalfaciens pariter & extergens, & roborans & desiccans. Proinde bilioſos ventris humores per egestionem infernè propellit, ac per vrinas euacuat. Magis autem quod in venis est bilioſum per vrinas expurgat. Ob hæc contentam in ventre pituitam nihil adiuuat sumptum: sic nec si in thorace aut pulmone contineatur. Nam adstringens in eo facultas quàm amara valentior est. Porrò quod insit quoque acrimonia, idcircò maiori portione calidum est quàm frigidum. At si opus est generatim comprehensam eius temperiem secũdum primas qualitates circumscribere ac facultates (etsi anomœomeres dissimilaréque sit) calidum ipsum dixerim primo excessu, siccum tertio. Succus eius longè quàm herba ipsa calidior est. Seriphium idem scribit non æquè ac absinthium adstringere, sed plus excalfacere, amaritudinémque quandam cum salsedine resipere: ideóque stomacho inimicum esse, magis quàm absinthium lumbricos necare, siue foris impositum, siue intrò in corpus assumptum. Et sanè calfacere ipsum in secundo ordine intenso censendum, exsiccare in tertio. Si Ponticum absinthium tantoperè à Galeno laudatum ad bilem, ex Theophrasto, & aliis medicis, id potentius præstat cæteris, potentiore igitur pollet ea facultate, cuius ope potentiùs cæteris agit, quæ sanè est amaror. Eius enim vis est aperire, abstergere, vrinas ciere, bilem purgare, quæ quotidianis & infinitis propemodùm etiam vulgi nedum medicorum experimentis scimus præstare istud nostrum intus foríſque admotum. Vina hodie factitia ex absinthio optima sunt, & idcircò multis in locis Germaniæ plusquàm satis expetita, non Pontico, sed Germanico imbuta, fœtorem nullus incusat: quin potiùs siccum vino inditum odore est aromatico, viribúsque recreandis apto. Quare vbi Galenus vtendum Pontico dicit, potiùs duo videtur respuisse, seriphium & santonicum, quàm istud quod simplici & absoluto nomine vocarat absinthium. Si grauiter olebat Galeno in Græcia, non fœtet Romanum seu vulgare in Italia, Germania, Gallia, & Anglia. Quin cætera potiùs à fœtore & putredine tuetur. Nec huius fœtoris Dioscorides meminit aut Plinius. Absinthij vires & vsum perspicuè declarat Mesues. Absinthium, inquit, cum sit multiplex, Romanum eligimus, foliis albis, leuibus & planis, non asperis, odore iucundo, absinthium marinum nihil imitante, lectum in terra libera, calidum ordine primo, siccum secundo, in quo etiam calet flos. Constat substantia duplici,

Lib. 9. hist. Cap. 18.

Lib. 6. sim.

Lib. 8. sim.

Pena in Aduers.

Lib. 2. c. 2.

vna

vna calida,amara,nitrosa,purgante,obstructa liberante, altera terrea, styptica,partes cogendo roborante, largiore, præsertim siccatum.Cum autem substantia eius calida sit superficiaria,vbi sumptum est absinthiū,ab ea prior fit actio : à terra styptica posterior, per quam comprimendo soluere nonnulli malè sunt opinati. Bilem enim flauam & aquas à ventriculo,intestinis,hepate,venis vacuat,etiam interdum per vrinas.Pituitam enim non vacuat,aut maximè paucam,licet phlegmagogum quoque esse Auenzoar censuerit.Absinthium à putredine vindicat,præcipuè potu quotidiano vnciæ vnius vel duarum vini, aut aquæ cui infusum vel incoctū fuerit, vel aquæ ex eo sublimatæ.Siccum idem pannis interpositum à tineis vindicat,& tutos reddit.Partibus attritis aut contusis præcipuè cum melle aut vino,& pauco cymino calfactum, & appositum mirè confert. Si vino,aut aqua,aut oleo, cui absinthium & radix cucumeris agrestis incocta fuerint, spongia mersa & expressa temporibus alligatur, hemicraniam sanat. Auris quoque suffita vino aut aqua cui incoctum fuerit absinthium,dolore, tinnitu,surditate liberatur. Acetum autem aut vinum cui incoctum sit absinthium cum cortice citri, oris fœtorem à gingiuarum & dentium,vel materiarum in ventriculo putredine emendat. Idem præstat aqua eius distillata. Succus absinthij cum nucleis persicorum,vermes aurium & aliarum partium enecat, & educit, maximè verò hoc electuarium interficit.Absinthij vnciæ duæ, euphorbij drachma vna & dimidia,cornu cerui vsti vncia dimidia,mellis quantum sufficit.Ex absinthio,fumaria,passis vuis purgatis,myrobalanis citreis potio fit cōmoda contra pruritum & scabiem. Absinthium ventriculum & hepar roborat,appetentiam excitat,obstructiones tollit,& inde natos affectus,vt icterum, hydropem:febribus putridis etiam diuturnis confert. Absinthium innocēter sumitur, succo tamen lædit ventriculum, ob nitrosum saporem. Quia autem imbecilliter soluit,rosæ,fumaria, serum lactis,spica,vuæ passæ purgatæ illi miscentur,vt meliùs & tutiùs purget.

ARTEMISIA. CAP. XXXIII.

ARTEMISIA Græcis,Artemisia Latinis & Italis, Gallis *Armoise, & L'herbe S. Iean*,Germanis *Berfuſz & S.Iohans Gurtel*, Officinæ veterum appellationem retinent. Nomen herbæ inditum putant ab Artemisia vxore Mausoli Regis,quæ sibi hanc herbam adoptauit, cùm ante Parthenis,id est,Virginalis,quod virgo Dea illi nomē dederit,vocaretur. Non desunt qui ab Artemide cognominatam arbitrentur, quòd priuatim fœminarū malis,quibus ἄρτεμις, hoc est, Diana præest,medeatur. Artemisiæ tres sunt Dioscoridi species.Vna latioribus foliis ramisque,altera tenuioribus,tertia ex quorundam sententia λεπτόκαφος, seu λεπτόφυλλος, quam & μονόκλωνον vocant, quòd ex eius radice caulis vnicus assurgat.Artemisia prima herba est fruticosa,absinthio similis,maiora & pinguiora folia habens.Et huius quidē alia est lætior speciosiorq;,latiora habens folia & virgas,alia tenuior,quæ flores paruos,tenues,albos habet,& grauiter olet. Quidam,inquit Dioscorides,in mediterraneis nascētem tenui surculo herbā, caule simplici,admodùm paruam,flore refertam,colore flauo,appellant artemisiā monoclonon,id est,vnicaulem. Est hæc iucundioris odoris quàm præcedens. Plinius vti de inuentoribus herbarum agit, Mulieres quoque, inquit, hanc gloriam affectauēre, in quibus Artemisia vxor Mausoli,adoptata herba, quæ antea Parthenis vocabatur. Sunt qui ab Artemide Illithyia cognominatam putent: quoniam priuatim medeatur fœminarum malis.Est autem absinthij modo fruticosa,maioribus foliis,pinguibúsque. Ipsius duo genera.Altera latioribus foliis,altera tenera, tenuioribus, & non nisi in maritimis nascens. Sunt qui in mediterraneis eodem nomine appellent, simplici caule, minimis foliis, floris copiosi, erumpentis cum

Nomina

Lib.4.c.no.

Genera.

Forma.

Lib. 25.c.7.

ARTEMISIA, Prima vulgaris.

Lib.6. fim. In Aduerſ.

vua matureſcit, odore nõ iniucundo, quã quidã botryn, alij Ambroſiã vocant. Talis in Cappadocia naſcitur. In quibus cũ Dioſcoride cõſentit, niſi quod artemiſiã monoclonon Dioſcor. dictã cũ ambroſia cõfundit. Galeno duplex tãtùm eſt artemiſia. Prima artemiſia vulgaris cognitionis & vſus ppetuò fuit, inquit Pena, plurima locis omnibus, ſecus ſepes & itinerũ margines, abſinthio vulgari ſeu Romano ſimillima fruticat, procerior tamẽ, & folia maiora ſupernè nigricãtia, infernè incana habet. Semẽ item illi abſinthij, & flores albidi, odore non inſuaues, ſapor minùs aut parũ amarus. Viribus hæc exploratiſsima, quia in vſu aut ſola aut frequẽtiſsima & vtiliſsima. Secundã eandẽ planè eſſe putat, hoc tantùm diſtantẽ, quòd quibuſdã locis ſterilibus & prȩaridis adeò ſtrigoſa, paruaq; ſit, & odoris quadam grauitate nares feriat, vt alia prorſum putetur: vti abſinthio noſtrati & Pontico ſolo naſcenti euenit. Alij ſecundam Dioſcoridis artemiſiã Leptophyllon vocant, eámque eſſe cenſent, quæ à Matthiolo nomine Ambroſiæ alterius depingitur, vt oſtendimus in Libro de iis quæ in Aſperis, &c. cui Leptophyllon aliam montanam adiiciunt, quæ in montibus naſcitur, radice lignoſa, nigra, principio recta & ſimplici, deinde in tenues fibras ſe dirimẽte, caulibus multis, infernè rubẽtibus, angulosis, pedalibus, folio artemiſiæ minore, vndique fimbriato. Tertia artemiſia Dioſcoridis lepto-

ARTEMISIA, Leptophyllos montana.

ARTEMISIA Tertia Leptophyllos, Penæ.

phyllos

ARTEMISIA Monoclonos, alia.

phyllos ſeu monoclinos, Penæ videtur eſſe herbula ſeſquipalmum cubitúmq; alta, foliis minutis, abrotoni maris, ſimiliter inciſis, paruis, ex atro virentibus in ramulis lignoſis, floribus ſemineq; quã plurimo refertis, paruis, & ex viridi luteolis, flameſcẽtibus. Prope culta & oliueta Mõſpelij, aliiſq; compluribus Narbonæ locis multa & nota, ſed vulgò quodpiã abrotoni genus credita. Hæc eſt, inquit ille, quam Dioſcorides de quorundam ſententia inter artemiſias recenſet, cui odor non abrotoni aut abſinthij, ſed artemiſiæ prioris eſt, & prorſus eadẽ videtur quæ leptophyllos, ideſt, tenuifolia: ſeu leptocarphos proximè ſequẽti capite indicatur, quod in vetuſtiſſimis Latinorum Græcorúmque codicibus deſideratur, accreuitq; Dioſcoridi inutiliter. Sunt tamen qui monoclonon aliam exhibent, quæ in maritimis Adriatici æquoris ſpontè creſcit, in hortos verò tranſlata fœliciter creuit, radice breui, tenui, modicè fibrata, caule ſingulari, pedali, rotundo, ſurculoſo, foliis artemiſiæ vulgaris, nigrioribus, ſubhirſutis, flore palleſcente, in ſummo caule copioſo, velut racematim congeſto, prominentibus tuberculis extante, ſemine minuto, copioſo. Eſt alia quibuſdã Artemiſia Monoclonos, aliis Ambroſia, quæ folia habet Artemiſiæ vulgaris & habitioris ſimilia, ſed longiora profundiùs inciſa, & magis acuminata. Tota vbiq; ſeminibus ſcatet. Eſt & Artemiſia marina à Lobellio

Cap. 111. lib. 3.

ARTEMISIA Monoclonos quorundam, aliis Ambroſia.

ARTEMISIA Marina, Lobellij.

depicta,quę frequens in maritimis reperitur,sarmẽtis multis fruticat ab vna radice lignosa,fibrata surrectis, alternis interuallis, cinericio colore,muscosóque semine, similiori Absinthio communi quàm Artemisiæ:flores lutei sunt & numerosi,folia ima & ferè humi strata,paucioribus sed maioribus incisuris. Media verò aut superna,angustiora,minora,interdũ vna aut altera incisura portulacæ marinæ aut fœniculo marino haud absimilia,carnosa, candicantia, vti vniuersa planta,quæ gratum odorem emittit, Abrotoni maris fermè sapor subsalsus, parùm amarus,cuiusmodi Artemisiæ leptophylli.Hanc superiore capite pictam dedimus nomine Absinthij angustifolij Dodon.nomine,sed in ea manifestas incisuras pictor omisit. Artemi-

Lib.3 c.110. *Temper. & Vires.* sia, auctore Dioscoride, calfacit, extenuat,feruefacta prodest ad muliebres infessus, educẽdos menses,secundas & fœtus. Vteri præclusionem atque inflãmationem iuuat:lapides frangit,& vrinæ suppressionem tollit. Herba ipsa imo ventri illita copiosa,menses mouet. Succus eius cum myrrha subactus & admotus ex vtero elicit quæcunq;,& insessio.Bibitur etiam cõma trium drachmarum pondere, eorundem

Lib.26.c.13. ducendorum gratia. Plinius vsum eiusdẽ medicum sic tradit. Artemisia vuluæ medetur trita ex oleo irino aut fico,aut cum myrrha apposita. Eiusdem radix pota in tantum purgat,vt partus enectos extrahat. Menses & secundas ciet ramorum decoctum insidentibus:item folia pota drachma. Ad eadem omnia prosunt vel imposita ventri imo cum farina hordeacea. Et alibi Artemisia quoq; datur contra calcu-

Lib.26.c.8. los ex vino dulci,& ad stranguriam. Artemisia vtraq; excalfacit,inquit Galenus,&

Lib.6. fim. modicè desiccat,& sunt,quod ad calfactionem attinet,excessus secundi,quod verò ad resiccationẽ,aut primi intẽsi,aut secundi remissi.Sunt autẽ & modicè tenuium partium.Itaque ad renum calculos mediocriter commodæ sunt,& ad fotus vteri.

BOTRYS. *CAP. XXXIIII.*

Nomina BOTPYΣ. Græcis, Botrys Latinis nuncupatur, Officinis incognita, Gallis *Pyment*,Germanis *Truubenkraut*,id est,herba racemi. Botrys verò dicta est à semine,quod racemarim ramulis adnascitur. Hanc Cappadoces Ambrosiam,alij artemisiam vocant,auctore Dioscoride,qui &

Lib.4. c.113. hanc sic delineauit.Herba est tota lutea,frutico sa,sparsa, multáq; alarum caua habens,semẽ totis ramulis adnascitur,folia cichorio similia habet:tota valde odorata est,ideoq; vestibus inter ponitur. Nascitur circa profluẽtes aquas & torrentes.Plinius ita planè describit,vt ex Dioscoride trãscripsisse videatur.Botrys fruticosa herba est,luteis ramulis, semẽ circa totos nascitur: folia cichorio similia. Inuenitur in torrentium ripis. Medetur orthopnoicis. Hãc Cappadoces ambrosiam,alij artemisiam vocãt.Hæc Plinius. In oliuetis Nemausensib⁹,cæterisq; tepidioribꝰ & apricis aruis agri Narbonẽsis & Nitiobrigũ sponte fruticat, Flandris, Germanis, & Anglis in hortis.Augusto & Septẽbri mẽse maximè ad maturitatem peruenit, quibus etiam mensibus, vt Ruellius annotauit, venalis herba per Parisiẽsium vrbem defertur , Parisiensibus matronis quàm Officinis & herbariis notior.Hanc enim odoris gratia vestimentis, pannis,ac linteis curiosè interponunt, vt odoris suauitatem cõtrahant. Botrys, inquit Dioscorides,cum vino or-

Forma.

BOTRYS.

Locus.

Tempus.

thopnœas

thopnœas mulcet. Ea, auctore Matthiolo, excalfacit, attenuat, incidit, expurgat, & aperit. Valet ad omnes pectoris & thoracis affectus pituitosos, & suppuratos adiuuat. Præterea asthmaticos & suspirios os, tum herba ipsa ex decocto dulcis radicis pota, tum ipsius herbæ tantùm decoctum, multis diebus haustum, addito violaceo melle, aut saccharo. Purulenta expuentibus mirificè auxiliari idem affirmat. Herba ipsa recens facit ad vteri dolores, si in tegula vino Cretico irrorata calfiat, & ventri imponatur. Ideò cum parthenio & anthemidis floribus, puerperarum cruciatibus succurrit, vbi simul omnia concisa in oleo liliorum in patella parumper frigantur, deinde ouis gallinaceis excipiantur, simul misceantur, coquantur in placentæ formam, & calida ventri superponantur. Est enim hoc præsentaneum remedium. Suffiuntur eiusdem herbę vapore vtiliter fœminæ ad menses ciendos, & emortuos fœtus eiiciendos.

Vires & Temper.

In cap. 113. lib. 3.

MATRICARIA. CAP. XXXV.

HERBARIORVM vulgò matricaria herba dicitur, Gallis *Espargoutte, & Matricaire*, Italis *Matricaria & Amarella* ab amaro sapore, Germanis *Muotterkraut, & Meltram.* Dicta autē est matricaria, quod vteri, quem matricem vocant, morbis medeatur. Quænā verò apud veteres Græcos planta sit, quæ huic prorsus quadret, magna est inter rei herbariæ peritos contentio. Ruellius, Matthiolus, Dodonęus Partheniū Dioscoridis esse censent, eósque hallucinari, qui cotulam fœtidam vulgò dictam parthenium esse putant. Fuchsius secundam artemisiæ speciem λεπτόφυλλον nominatam, matricariam facit, parthenium verò cotulam fœtidam, quæ lis ex Dioscoridis descriptione, & viribus parthenio attributis dirimenda est. Sed prius scire licet nomen hoc parthenium homonymum esse, sicuti etiam tradidit Galenus in Glossematis Hippocratis, quo auctore parthenium vocatur anthemis, helxine, linozostis, & amaracum, quod confirmat Plinius, Helxinen, inquit, alij perdicium vocant, nonnulli parthenium. Et, Linozostis siue parthenium mercurij inuentum est. De parthenio planta alia intelligere etiam videtur, cum scripsit. Mulieres quoque hanc gloriam affectauêre. In quibus Artemisia vxor Mausoli, adoptata herba, quæ antea parthenis dicebatur. De parthenio autem Dioscoridis videtur hæc intellexisse. Parthenium, alij leucanthemon, alij tamnacum vocant. Celsus apud nos perdicium, & muraliū. Nascitur in hortorum sepibus, flore albo, odore mali, sapore amaro, &c. Quo loco pro tamnacum, legendum ex Dioscoride & Galeno amaracum, & odore malo, non odore mali, nonnihil viroso: Dioscoridi. Verùm hîc Plinius duas herbas in vnam confudit. Nam muralium & perdicium à Celso dictum, est quidē parthenium à Græcis appellatum, sed non hoc de quo hîc Plinius agere voluit ex Dioscoridis sententia, & cuius historiam accuratiùs expendemus. Parthenium, inquit, alij amaracum, alij leucanthemum vocant: folia habet coriandro similia, tenuia, flores per ambitum albos, in medio luteos, odore nonnihil viroso, sapore amaricante. Vtri hæc magis cōpetunt: an matricariæ, an cotulæ fœtidæ? Matricariæ folia coriandro similia non sunt, & λεπτᾷ, id est, tenuia: sunt enim coriandro maiora, nedum tenuiora, artemisiæ: & absinthio propiora, pariaq;, reliquæ partes, similes, demptis floribus, qui sunt anthemidis. At cotulæ fœtidæ & coriandri adulti in ramis media & summa folia contemplare, & fatebere collationem benè congruentem: imò omnia coriandri sunt: folia consimili diuisura, rami, situs, tenuitas, figura, præterquàm ima perpauca folia, quæ latiora sunt, apij, aut œnanthes, eoq; scitè admodum λεπτᾷ addidit, nimirum vt collationē non ad ima, sed ad media pluraq; folia faciendam innuerit. Præterea si gustum consulas, cotulam senties amarore inamœno esse, & perquàm ingrato vti parthenium. Verùm hîc nulla exuperantiæ adiectione, fœtidam nonnihil vi-

Nomina

Lib. 3. c. 69.
In cap. 138. lib. 4.
Lib. 1. c. 11. Cap. 13. hi. Cap. 221.
Lib. 22. c 17
Lib. 25. c. 5. Cap. 7. 25.
Cap. 30. 21.
Lib. 3. c. 138.
Forma.
Pena in Aduers.

rosam,& amaricantem dixit,id est, πικρίζον, quo indicat non excellere amarore, sed quo anthemis leucanthemos,sapore amaricante esse,cui etiam quia simile erat parthenium,seu cotula,idē nomen factum leucanthemi.Iam verò si facultates & vsum medicum respicias,non inficiaberis parthenium esse cotulam fœtidam. Partheniū enim auctore Dioscoride, siccatum, cum aceto mulso aut sale potum, velut epithymum,atram bilē & pituitam deorsum ducit : anhelosis prodest,& melācholicis. Herba sine flore calculosis & anhelosis vtiliter bibenda exhibetur. Valet decoctum eius in vtero indurato & inflammato ad insessus. Imponitur etiam erysipelatis & inflammationibus cum floribus. Sic doctorum medicorum experientia comprobatum est cotulam fœtidam decoctis additā,seroſos, adustos, salsos, melancholicosq; elephantiaseos,& mali mortui humores , per inferiora educere: succum etiam purgare aliquantum per se iuscu lis inditum, magnoperè in syrupo laudari, quia thoracis & pulmonis farctus expedit : vrinam euidenter is ciet,tumores emollit, digerendi vi paulò quàm chamæmelū validiore. Matricariæ nulla prorsus ad huiusmodi humores purgandos,sed vt artemisiæ ad menses ciendos duntaxat vis inest, ad quos non parthenium cōmendat Dioscorides, sed tantùm ad vteri duritiē,& phlegmonas.Ex quibus perspicuum est parthenium Dioscoridis multò magis cotulæ fœtidæ quàm matricariæ herbariorum competere:nisi dicas eam ob odorem vsumq;,quibus virgineis matricis morbis opitulatur, parthenium etiam dici posse. Est autē matricaria fruticosa herba, foliis artemisiæ aut absinthij Romani, caulibus bipedalibus aut tripedalibus , in quibus flores copiosi,in ambitu albi, in medio lutei, chamæmeli,grauiter cū vniuersa herba olentes,amari, odore cotulæ, semen chamæmeli, radix lignosa,fibrosior. Fruticat in siccis passim, viarum & hortorum marginibus ac squallidis. Iunio & Iulio flores edit. Matricaria in vino cocta, & vmbilico imposita mulieribus ab vtero præfocatis multùm confert.Non desunt qui cotulam fœtidam non parthenium Dioscoridis,sed parthenium σμικρόφυλλον Hiprocratis esse velint, vt alibi diximus. At Myconus egregius medicus Barcinonensis aliud parthenium σμικρόφυλλον esse suspicatur , quod ex Hispania missum , & hîc depictum doctis proponitur , vt de eo iudicent. Prouenit,inquit Myconus,frigidis in locis,& sitientibus,montosisq;,sed imis.Herba est surculosa, sesquipalmi altitudine, radice parua,

Lib.3.c.138.

MATRICARIA Parthenium, Matth.

PARTHENIVM Σμικρόφυλλον, *Myconi.*

Forma.



Locus.

Tempus.

Lib.quę in vmbr. Cap.71.

parua,lignosa,candida,parùm fibrata, ex qua cauliculi aliquot exurgunt rotundi, aliquantùm rufescentes, in quibus ima præsertim, & terræ vicina parte folia sunt tenuia, fœniculacea,foliis abrotoni maris similia, vt ouum ouo magis simile non sit. In summis cauliculis vmbellæ, & in iis floscula multi,albi,compacti, quales in vulgari millefolio cernuntur,vt inspicientes prima fronte facilè deludant, millefolium esse iudicaturos. Plantæ sapor amarus est, & odor grauis, similis vulgari parthenio quod matricariam vocant. Quare congeneres esse plantas Myconus putat. Sed quia huius folia parua sunt cum vulgaris partheni, ideſt, matricariæ foliis comparata, existimat si veteribus nota hæc planta fuerit, parthenium esse σμικρόφυλλον, cuius meminit Hippocrates his verbis. Herba est paruis foliis prædita,cui nomen est parthenium σμικρόφυλλον. Hæc verrucas de pudendo tollit. Quanquam id non asserit Myconus, sed doctis æstimandum relinquit. Quis enim sit eius vsus,& quo nomine ab incolis nuncupetur,nondum scire potuit. Li.de vuln.

TANACETVM. CAP. XXXVI.

FICINIS Tanacetum & Athanasia nominatur,Gallis *Tanaisie* & *Athanasie*,Germanis *Reinfarn*. Fuchsius tertiam Artemisiæ speciem facit,quæ Monoclonos dicitur,ab Apuleio Artemisia Tragātes, aut Tagetes, Tanacetumq; corrupto nomine pro Tagetem nominari scripsit,& à Germanis *Reinfarn*, quod filicis ferè speciem referat, alio nomine *Vermiz aut*,quoniam lumbricos ventre pellat. Athanasia ex radice lignosa,gracili, reptante,fibrosa,caules emittit cubitales & sesquicubitales, fuscos, rotundos,striatos,geniculatos,per summa alis diuisos:in quibus folia sunt longa, quæ multis foliolis constant, ex aduerso sitis, & pinnarū instar expansis,incisis. In summitate cauliculorū vmbellæ insident, & in iis flores bullati, aurei, semenq; seriphij absinthij,aut abrotoni fœminę,gustu subacre, & amaricās,cū graueolentia. Nascitur secus vias, sepes, & margines fossasq; agrorū. Plantam etiā hic appictam Tanacetū Alpinū vocant Herbarij, Rhœti Iuā Muscatā, quidam Anthemidem Alpinam. Crescit in altissimis & niuosis Alpium Rhœticarum iugis, radice breui,supernè crassiuscula, in acutū desinente,fibris quibusdam exilibus capillata:foliis densis,humi iacentibus,odore,forma,sapore Tanaceto nō dissimilibus, suauius olētibus, in caule paucis: flore anthemidis, intus melino, per ambitū candido. Magno in pretio est apud Rhœtos Insubriæ vicinos, & ad varias ægritudines cōmendatur,odoris suauitate insignem quandam vim certè promittens. Est & Tanacetum aliud quod lanuginosum vocant, in saxosis & apricis propè Monspelium locis, radice crassa, ramosa, nigricante: foliis propè radicem multis,coaceruatis, Tanaceto vel potiùs Stratiotæ similibus,tam densa lanugine opertis, vt vix foliorū delineatio cōspiciatur,odoratis:caulibus multis,aliquot foliis vestitis,inæqualiter per interualla prodeuntibus:flore aureo in corymbis nitente,summo caulium fastigio incum- *Nomina*

Locus.

ATHANASIA, Seu Tanacetum. Matth.

TANACETVM Paruum alpinum.

TANACETVM Lanuginoſum.

TANACETVM Minus, candidis floribus, Lobellij.

TANACETVM Criſtatum Anglicum, Lobellij.

bentibus. Athanaſiam calidam eſſe ſecundo ordine, ſiccàm tertio colligunt herbarij, ex odoris eius acrimonia, & amarore. Vtuntur ea recentiores ad ventriculi & alui flatus diſcutiendos, item ſemine præſertim ad vermes necandos, & ex ventre pellendos. Vtuntur & ad frangendos renum calculos, & aduerſus ſtranguriam, ſed eam viris tantùm, ſicut matricariam mulieribus commodam aiunt. Specioſius

Tanacetum

Tanacetum criſtatum Anglicũ pingendũ curauit Lobellius,quod in Angliæ hortis in delitiis habetur,multò argutioribus fimbriis,minutioribus, & latioribus foliis. Oſtendit & aliud Tanacetum minùs candidis floribus. Media planta eſt, inquit,inter Millefolium,Sideritidem Achilleam & Tanacetum. Etenim folia Tanaceto proxima odore & figura:cauliculi numeroſi:radix fibrata Sideritidis. Floſculi verò candidi in vmbellis Millefolij vulgaris. Belgio hortenſis eſt.

MELISSOPHYLLVM. CAP. XXXVII.

Nomina

MELΙΣΣΟΦΥΛΛΟΝ Græcis, & μελίφυλλον, & μελιζάνα, Latinis Apiaſtrum & citrago,Officinis Meliſſa, Arabibus *Bederangie*, *Bedaringi*,*Bederenzegum*,*Turingens* ſiue *Trungiam*,& *Marmacor*,Italis *Meliſſa*, Hiſpanis *Torongil*,& *Hierua Cidrera*,Gallis *Meliſſe*. Melyſſophyllum dictu eſt,quia apes hac herba delectantur:neq; enim aliud quàm apũ foliũ ſignificat. Meliphyllum verò,qua voce Nicander vſus eſt,mellis folium indicat,q; hinc apes mellis materiam colligunt.Pari ratione Latini Apiaſtrum haud dubiè dixerunt,quod hæc herba apibus gratiſsima ſit. Citraginem autẽ ab odore citrij,quod ſi nares conſulas,citrium malum oleat, & cordi proſit. Plinius Meliſſophyllum apiaſtrum vocari ſcribit ab Hygino. Ipſe rurſus Meliſſophyllum apiaſtrũ appellat.Idem tamen inter ea quæ apibus gratiſsima ſunt,ſeorſum Meliſſophyllũ, ſeorſum apiaſtrum recenſet. Varro autem apertè dicit & cytiſo obſeuiſſe & apiaſtro, quod alij Meliphyllum, alij Meliſſophyllum, quidam melinon vocant. Apiaſtrum folia & caules habet ballotæ ſimiles,maiores tamen,tenuiores, non ita hirſutos,citrium malum olentes. Hac breui delineatione herbam Meliſſæ nomine etiam mulierculis notam,& in hortis frequentiſsimam Meliſſophyllum eſſe credunt permulti:tamen cũ nonnullis locis lecta quiddã pedoris aut cimicũ ſui odoris gratiæ aſcitum habeat,idcirco dubitatum eſt à multis veráne eſſet,an alius ſpecici noſtras hæc,quæ nulli regioni in hortis deeſt.Quod fortaſſe Fuchſiũ impulit, vt Meliſſæ duo genera faceret, vnũ verũ : alterum adulterinum, quod Germani *Vuauntzenkraut* nominant, quia cimices olere videtur, quæ noſtras eſt Meliſſa paſsim in hortis proueniens,& qua perperàm hodie Officinas pro vera vti cenſet. Contra illius quam pro vera habet, & cuius picturam hîc quoque damus, tam gratum odorem eſſe, vt in ædibus ſtrata eas gratiſsimo odore compleat. Fuchſiũ ſecutus eſt Dodonæus. Sed his reſpondet Pena, Meliſſam noſtratem in quibuſdam Italicis & Pedemontanis hortis meram ſuam ſibi habere gratiam,baſilici,aut citrij,eximeréque quemlibet de odore ſcrupulum, nulliq; nõ cognitum eſſe debere,foliis menthæ aut ballotæ,aut Cattariæ,rugoſis,aſperis, ſed viridantibus,ramulis quadratis marrubij,edentibus orbiculatim flores albidos copioſos,in verticillis, ballotæ aut cardiacæ modo. Altera illa Fuchſij & Dodonæi Meliſſa eſt Calamintha montana præſtantior Penæ & Lobellij, multò accuratiùs depicta,& fuſiùs explicata, capite de Calamintha. Folia Meliſſæ cũ vino pota aut illita,vt ſcribit Dioſcorides

Li.20.ca.11. Lib.21. c.9.

Li.21.ca.12. Lib.3. c.16.

Forma.

Pena id Ad.

Cap 18.9. hiſt.

Li.2. ca.70.

MELISSOPHYLLVM, Matthioli.

MELISSOPHYLLVM,

Fuchſ. & Dodon.

Lib.3 c.101. *Vires & Temper.*

Dioſcorides, contra ſcorpionum phalangiorũ canumq; morſus proſunt. Decoctũ eorũdem, ſi eo perfundantur, idem poteſt. In inſeſsionibus ad ducendos menſes vtile eſt. Dentes eodẽ in dolore colluuntur. Dyſentericis iniectum prodeſt: fungorum ſtrãgulationibus folia cum nitro pota ſuccurrunt. Torminibus auxiliãtur. Dantur in eclegmate orthopnoicis. Illita cum ſale ſtrumas diſcutiunt. Vlcera purgant. Articularios dolores illita mitigãt. Vſum eiuſdem ſic tradit Plinius. Meliſſophyllo ſiue melitæna ſi perungantur aluearia non fugient apes: nullo enim magis gaudent flore. Copia iſtius examina facilè cõtinentur. Idem præſentiſsimum eſt contra ictus earum, veſparumq;, & araneorum, item ſcorpionum. Item contra vuluarum ſtrangulationes addito nitro. Contra tormina è vino. Folia eius ſtrumis illinuntur, & ſedis vitiis cum ſale decocta. Succus fœminas purgat, & inflationes diſcutit, & vlcera ſanat. Articularios morbos ſedat, caniſq; morſus. Prodeſt dyſentericis veteribus, & cœliacis, & orthopnoicis, lienibus, vlceribus thoracis. Caligines oculorum ſucco cum melle inungi eximium habetur. Plinius alibi. Apiaſtrũ Hyginus quidem Meliſſophyllum appellat: ſed confeſſa damnatione eſt venenatum in Sardinia, quo loco Plinius Apiaſtrum, non Meliſſophyllum ab apibus, ſed Batrachium Sardonium, à ſimilitudine foliorum Apij ſic dictum ſignificat: quam rectè, viderint perſpicaciores. Meliſſophyllum marrubio facultate ſimile eſſe ſcribit Galenus, ſed plurimùm ab eo vinci: quamobrem nec eo vti quemquam. Superuacuum enim foret præſente marrubio, cuius tantus eſt vbique terrarum prouentus, velle vti Meliſſophyllo. Cæterùm ſi cui forte ad manũ marrubium nõ fuerit, illo licebit vti ad eadem, modo quantum ab hoc ſuperetur cognitũ habuerit. Sed Meliſſæ alias facultates, eaſq; excellentiores tribuunt Mauritani. Scribit enim Serapio Meliſſophylli proprium eſſe animum hilarem reddere, humenti ac frigido ventriculo auxiliari, concoctionem adiuuare, cerebri obſtructiones reſerare, deficientem animum reuocare, cordis imbecillitatem roborare, eamq; præſertim qua ſomnus frequentiùs noctu intercipi ſolet: quin & eius tremorẽ reprimere, animi ſollicitudines fugare, ac ſollicitas imaginationes tollere, quæ tum ab atra bile, tum ab exuſta pituita gignuntur. Quibus aſſentitur. Auicenna ſcribens Meliſſophyllũ excalfacere ſiccareq; ordine ſecundo, exhilarare, vitaleſq; facultates roborare odoris fragrantia, ſaporis auſteritate, partiumq; tenuitate. Quibus facultatibus cæteris etiam viſceribus competere. Vires deiectorias habere, nec adeò imbecilles, quin atrabiliarios vapores à ſpiritibus & à ſanguine, qui cordi & arteriis ineſt, educere queat, quod in cæteris corporis partibus, ac etiam in toto corpore efficere nequit. Mulierculæ, inquit Pena, teneros turiones tuſos excipiunt ouis ſaccharo & roſacea, placentulaſq; pinſunt parturientibus, puerperis, & enixis, quibus vires impendio deiectæ fuerint, ac ſecundæ non probè eductæ. Stillatitiæ ad cardiacas confectiones multus vſus. Hîc non omittendæ duæ venuſtæ plantæ, quarum vna Meliſſophyllum Turcicum, & Meliſſa Turcica, à Matthiolo Meliſſophyllum Conſtantinopolitanum dicitur, ab aliis Moluca læuis. Caules multos edit cubitales,

Li.21. c.20.

Li.20.ca.11.

Li.7.ſimpl.

Li.de med. cord.

circa

MOLVCA, Siue Melissa Turcica, Dalechamp.

circa quos folia multa, in ambitu profundis incisuris crenata, supra quæ flores orbiculatim ex amplis & patentibus acetabulis exeunt, colore candidulo, lamij floribus similes, attamen paulò minores. Altera Moluca spinosa dicitur, à Turcis *Maseluc*, quæ caules similiter multos & cubitales profert, striatos, quadrangulares: folia vti prioris: flores similes ex acetabulis quoque, sed angustioribus, oblongioribusq;, & eminentes duras, & acriter pungentes spinas in ambitu habentibus. A Moluccis Orientis insulis vtraque nomen habet, in quibus primũ repertæ creduntur. Clusius Molucam spinosam pro Galeni Alysso pinxisse videtur, cuius delineationẽ asserit alysso adamussim sic quadrare, vt quin illud ipsum sit, nullus iam sit dubitationi locus. Sic igitur Alysson Galenus describit. Alysson herba est marrubio similis, asperior tamen, & magis aculeata circa orbiculos: florem ad cæruleum vergentem profert. Clusius verò sic. Herba est pedali altitudine, caule quadrangulo, statim à radice in multos ramos diuisa, omnino candidos, & veluti tomento obductos, circa quos per singula genicula, bina folia inter se opposita semper enascuntur, marrubio similia, breuiora tamẽ & crispiora, magisq; incana, inodora & amara: caliculi per interualla verticillatim ramos ambiunt, quinque pleLi. 2. stirp. Hispa. c. 51.

Li. 2. Anti.

MELISSOPHYLLVM Constantinopolitanum, Matth.

MOLVCA Spinosa, Dodon.

rumq;

MELISSA Moldauica, Matthioli.

MELISSA Turcica Alia Dalechamp.

rumq; aculeis horridi, candidi, è quibus marrubij flos exilit, sed colore ex cæruleo purpurascente: semen in aculeatis cauliculis subrufum, marrubio simile continetur: radix dura, lignosa, multifida. Primo intuitu marrubium esse diceres, nisi aculeati caliculi & flos ipse Alysson Galeni exprimerent. Vno duntaxat loco per Hispanias plantam hanc se vidisse ait Clusius, ad Elda videlicet pagum in cœmeterio, Valentino regno, florentem & semine prægnantem mense Martio. Matthiolus in postrema commentariorum in Dioscoridem editione Melissophyllū aliud proponit odore Citrei mali perquàm iucundo, quod iisdem viribus pollet quibus vulgare nostrum Melissophyllum. Eius effigiem hic expressimus.

MARRVBIVM. CAP. XXXVIII.

Nomina

QVOD Latini Marrubium vocant, Græci πράσιον, Officinæ quoque Prasium, Galli *Marrube* & *Marrubin*, Itali *Marrobio*, Germani *Vveiſz Andorn*. Videtur autem, inquit Pena, Prasinus viror, aut certè virosus odor appellationem dedisse Marrubio, tam nigro fœtido quod ballote dicitur quàm albo odoro. Plinius frequenter errat, cum multis locis vertit ἄνηθον τῦ πρασίου, τὰ τῦ πράσου folia, ideſt, pro prasij, porri folia. Idem duo Marrubij genera tradit ex Castore, nigrum, & quod magis probat, candidum. Totidē sunt Theophrasto. δύο δὲ γένη καὶ τῦ πρασίου. τὸ μὲν γὰρ ἔχει πώδεις τὸ φύλλον, καὶ μᾶλλον ἐπικεχαραγμένον, ἔτι δὲ καὶ ἐντομὰς ἐνδήλους σφόδρα, καὶ βαθείας. ᾧ καὶ οἱ φαρμακοπῶλαι χρῶνται πρὸς ἔνια: τὸ δὲ ἕτερον τροχυλότερον, καὶ ἀνωμώδες σφόδρα, καθάπερ τῦ σφακέλου, καὶ τὰς ἐντομὰς ἀμβλυτέρας ἔχον, καὶ ἐπικεχαραγμένον ἧττον. Ideſt, Sunt & Marrubij duo genera. Vnū folio herbaceo, magis serrato, incisurisq; profundioribus, & proinde conspectioribus: quo pharmacopolæ ad nonnulla vtuntur: alterum rotundius, & valde squallidum, vt sphaceli, incisurasq; obscuriores habens, & minus serratum. Quibus verbis Theophrastus prius Marrubij genus id intelligit, quo de hic agimus. Alterum Dioscoridis Balloten, hoc ab illo discrepantem, quod plusculum ad viro

Fol. 222.

Li. 20. c. 22.

Genera.

Lib. 6. hist. ca. 2.

ad virorem fuſcum porraceum vergit,vnde Marrubium nigrum vocatur, & odorem graué fœtoremq; vibrat. De hoc tractauimus in libro,Quæ in Vmbroſis,&c.
Marrubium quidē ex hiſtoria Dioſcoridis,frutex eſt ab vna radice ramoſus, ſubhirſutus,albicans,virgis quadrangulis,folium pollici æquale,ſubrotundum, hirſutum,rugoſum,guſtu amarum:ſemen per interualla in caulibus:flores aſperi, verticillorum figura. Quæ delineatio adamuſsim Marrubio noſtro reſpōdet. Naſcitur circa domicilia collapſa,& inter rudera. Colligitur herba æſtate,Iulio potiſsimùm menſe, cùm ſemine prægnās eſt. Huius folia arida cum ſemine decocta in aqua, aut viridium ſuccus expreſſus datur cum melle aſthmaticis,tuſsientibus & tabidis. Craſſa è thorace, cum iride ſicca, ducunt. Datur mulieribus quæ nō purgantur, vt menſtrua & ſecundas pellant:item difficilè parientibus,& iis qui à ſerpentibus morſi ſunt,& qui letale quid biberunt. Veſicæ tamen & renibus nocent. Folia cum melle illita ſordida vlcera purgant,pterygia nomaſq; cohibent: dolores laterum mitigant. Ad eadem pollet ex foliis contuſis ſuccus, & ſole coctus. Cum vino & melle illitus oculorum claritatem exacuit. Morbum regium per nares expurgat. Aurium doloribus per ſe aut cū roſaceo inſtillatus prodeſt. Hæc & plura alia quàm Dioſcorides,Plinius tradidit. Marrubium pleriq; inter primas herbas commendauére, quod Græci praſion vocant,alij linoſtrophon, nonnulli philopæda,aut philochares, notius quàm vt indicandum ſit. Huius folia ſemenq; contrita proſunt contra ſerpentes,pectoris & laterum dolores, tuſsim veterem. Et iis qui ſanguinem rèiecerunt eximiè vtile,ſcopis eius cum panico aqua decoctis, vt aſperitas ſucci mitigetur. Imponitur ſtrumis cum adipe. Sunt qui viridis ſemen quantum duobus digitis capiant, cū farris pugillo decoctum, addito exiguo olei & ſalis, ſorbere ieiunos ad tuſsim iubent. Alij nihil comparant in eadem cauſa Marrubij & fœniculi ſuccis,ad ſextarios ternos expreſsis, decoctisq; ad ſextarios duos,cum addito mellis ſextario, rurſus decocto ad ſextarios duos, ſi cochlearis menſurā in die ſorbeatur in aquæ cyatho. Et virilium vitiis tuſum cū melle mirè prodeſt. Lichenas purgat ex aceto. Ruptis,cōuulſis,ſpaſticis, neruis ſalutare. Potū aluum ſoluit cum ſale & aceto. Item menſtrua & ſecundas mulierum. Arida farina cum melle ad tuſsim ſiccam efficaciſsima eſt. Item ad gangrænas, & pterygia. Succus verò auriculis & naribus,& morbo regio,minuendæq; bili cum melle prodeſt. Item contra venena inter pauca potens. Ipſa herba ſtomachum & excreationes pectoris purgat. Cum iride & melle vrinam ciet. Cauenda tamen exulceratæ veſicæ,& renum vitiis. Dicitur ſuccus claritatem oculorū adiuuare. Caſtor Marrubij duo genera tradit:nigrum,& quod magis probat candidum. In ouum inane ſuccum addit is, ipſumq; infuſo melle æquis portionibus tepefactum, vomicas rumpere,purgare,perſanare promittit,illinens etiā vulnera à cane facta, tuſo cum axungia veteri. De quibus explicatè ſic Galenus. Praſium ſicut guſtu amarum eſt, ita ſi quis vtatur,conuenientem huic ſapori actionem poſsidet, iecur ac lienem obſtructione liberans,& thoracē pulmonemq; expurgans,ac menſes prouocans,

Li.3.ca.102. *Forma.* *Locus.* *Tempus.* *Vires & Temper.* Li.20.c.23. Li.8.ſimpl.

MARRVBIVM Album.

sed & illitum detergit,ac digerit,ponátque ipsum quispiam in caliditate quidem secundi ordinis iam completi,in siccitate tertij medij,aut compleri. Succo eius ad aciei oculorum claritatem vtuntur cum melle.Quin etiam & per nares auriginem purgant,& ad aurium dolores inueteratos adhibent, vtiq; in quibus obstructionẽ difficere, meatumq; ipsum, & ramos meningum expurgare est vsus. Marrubij
Ca.102.li.3. decoctum,inquit Matthiolus,datur commodè iocinorosis, & aqua intercute laborantibus: eo quoque foliorum puluere necantur interaneorum vermes. Recentia folia cum veteri axungia trita & illita canum morsus persanant, & mammarum tumores resoluunt. Lichenas purgãt,sanántque,ex aceto illita. Decoquuntur Marrubij duæ vnciæ cum bugloßi, helenij, eupatorij radicum sesquidrachma, rhabarbari drachma, & agallochi pari pondere,in vini albi generosi libris tribus ad tertias,fitq; hoc medicamentum præstantissimum ad icterum à vasorum obstructione prouenientem, si diebus decem continuis huiusce binas vncias potauerint ægri diluculo, addito sacchari tantillo,quod dulcorem addat. Verùm si febris sit,ea omnia aquæ incoquenda sunt. Marrubium aliud Creticum pinxit Pena, quod caule fruticat contorto,gracili, rotundo, multis exilibus alis donato, polij montani non disparibus,& quàm prasij nostratis multò cãdidioribus,teneriuscula lanugine obsitis:folia verò angustiora sunt, oblongiora,& leuiter serrata, in angustum desinentia, Melissæ Turcicæ æqualia: ex interuallis multò argutiora & minora verticilla,sideritidis aut tetrahit non disparia: inde flosculi prætenues emicanta Ibidi,Marrubij, quod odore & lanugine refert. Lobellius aliud ostẽdit Marrubium candidum Hispanicũ,foliis longioribus magísque carnosis,hirtis, albis,& suauiùs redolentibus, in Belgij hortis varium ex Hispano semine. A superiore Cretico differre non videtur.

MARRVBIVM
Creticum, Penæ.

STACHYS. CAP. XXXIX.

Nomina STAXYΣ Græcis,Stachys Latinis dicitur, ideſt,spica, Officinis ignota. Stachys autem dicta est,quod verticillato ambitu florum, & orbibus spicarum caules cingentibus coronetur. Frutex est, vt describit Dioscori-
Li.4.ca.103. *Forma.* des,marrubio similis,sed altior, folia ferens plura,sed rara,hirsuta, dura, odorata, incana. Virgas ab vna radice plures emittit, marrubio candidiores. Plinius de
Li.24.ca.15. eadem sic breuiter. Ea quoque quæ Stachys vocatur, porri similitudinem habet, longioribus foliis pluribúsque,& odoris iucundi, colorísque in luteum inclinati. Pellit menstrua. Quo loco Plinio euenit, quod iam antè minuimus, vt πράσον pro πράσιον agnouerit. Non enim porri similitudinem habet Stachys, sed marrubij,vt Dioscorides dixit, πρασίῳ ἐμφερὴς, ideſt marrubio similis. Coniectura ex caulium spicatis floribus sumpta,non tam vera,quàm solerti, Anguillara Lauan-
Ca.103.li.3. dulam Stachyn esse opinatus fuit. Matthiolus aliam Stachyn verã affirmat esse, quam hîc pinximus,eámque quam legitimam antea putarat,pseudostachyn vocat.

Hanc

STACHYS, Matthioli.

Hanc Lobellius Stachyn facit, Scordotin Plinij, ſuperiorem Stachyn ſpuriam Flandrorum, Sphacelum Guillandino. Fuchſius diuerſam Stachyn propoſuit, eam nimirum quam Germani *Riechenderdorn*, & *Feldandorn*, ideſt, ſilueſtre marrubium vocant. Eſt enim fruticoſa planta, marrubiique ſimilitudinem refert, niſi quod altior eſt, folia quoque plura, ac rara obtinet, item hirſuta, dura, odorata, & albicantia: virgulas denique, etſi pictura id non oſtendat, ab vna radice plures emittit, candidiores quàm marrubium: quibus omnibus florum purpureorum verticillatus accedit ambitus, ac orbes ſpicarum qui caules circumdant. Eandem Stachyn depinxit ac deſcripſit Dodonæus. Aſperis locis, montibus ac collibus prouenit. Floret Iunio ac Iulio menſibus. Hanc potiùs approbat Pena, quàm Matthioli Stachyn, marrubio: quidem non ita diſſimilem, ſed neutiquam ſpicatam, nec adeò congruam, quàm Germanorum *Ferdandorn*, ideſt, ſilueſtre marrubium. Eſt enim marrubio perſimilis, proceriore caule, quadrato, craſsiore, candidiore, hirſutiore, foliis longioribus, nonnihil ad effigiem & inciſuram Betonicæ vel Ballotæ accedentibus, aliquot ramulis quadratis, quos flores purpurei partim verticillato ambitu marrubij aut Lamij ritu diſtingunt, partim ſuperiora ſpicant hyſſopi vulgaris aut

Cap. 292.

Li. 2. ca. 69.

Locus.

Tempus.

Fol. 228.

PSEVDOSTACHYS, Matthioli.

STACHYS, Fuchſij.

STACHYS Lusitanica quorundam, Lobellij.

Li.3. c.109. *Temper. & Vires.* Li.8. simpl.

Betonicæ modo. Hæc passim sponte in Narbonæ asperis non procul à pago *Peraus* & *Magalonæ* occurrit, interdum purpureis, aliàs luteis floribus, odoratior & multò gratior illa, quam Matthiolus priorem & genuinam ratus fuit. Stachys, inquit Dioscorides, vim habet calfaciendi acrem. Foliorum decoctum potu pellit menstrua & secundas. Stachys, inquit Galenus, frutex est marrubio similis, gustu acti & amaro, tertij ordinis excalfacientium. Quamobrem non solùm menses mouet, sed & abortum adfert, & secundas eiicit. His addit Lobellius Stachyn Lusitanicam quorundam, reptatricem Gnaphalij foliis & cauliculis sesquipalmaribus herbulam, candida lanugine stipatis & tomentosis verticillis, eiusdem coloris, perexiguis sub foliolis cinctis visum effugientibus, suauè spirantibus, vti vniuersa planta. Stachyn dixêre Herbarij quidam non imperiti nonnulla de facie & viribus similitudine ducti. Hæc Lobellius.

HORMINVM. CAP. XL.

Nomina

ΟΡΜΙΝΟΝ Græcis, ita Latinis Horminum & Geminalis. Dictum autem est Horminum ἀπὸ τῆς ὁρμῆν, ideſt, impetu agi, & cieri in venerem, quod πρὸς τὴν σωφροσίαν ἀφορμᾶ, inquit Dioscorides, ideſt, quod ad venerem stimulet. Id duplex est Dioscoridi, & Plinio, satiuum, & siluestre. Horminum herbam describit Dioscorides foliis marrubio similem, caule quadrangulo, semicubitali, circa quem eminentiæ siliquis similes prodeunt, ad radicem nutantes, in quibus semen diuersum: in siluestri enim rotundum inuenitur & fuscum, in altero nigrum & oblongum, cuius est vsus. Nusquam nisi in hortis cultu herbariorum visitur. Siluestre foliis est maioribus, & aliquantum laciniatis oris, blattariæ similitudine & colore: quadratis & paucioribus virgulis, sesquicubitum altis: per interualla flores verticillati in spicas longiores abeunt, deorsum inclinatas, cæruleas, purpurascentes, nigro semine, nec absimili priori glutinoso. Vtrique radix lignea. Sed illius odor nullus, huius verò sclaream redolent flores. Rudera & prata macilenta amat. Siluestre Horminum ex Matthiolo hîc apposuimus: item ex Fuchsio, qui Horminum Orualam esse putat. Dodonæus eum secutus in stirp. Historia: idem siluestre

Genera. Lib.3 c.128.

HORMINVM, Matth.

Forma.

Locus.

Horminum

Horminum pinxit. At in Hiſtoria florũ, id quartam Orualæ ſpeciem poſſe dici tradit. Hormini ſemen cum vino potum ad venerem ſtimulat: cum melle purgat argema, & oculorum albugines. Idem illitum cum aqua tumores diſcutit, & aculeos extrahit. Herba illita eadem efficit. Silueſtre vehementiori vi præditum eſt.

HORMINVM Silueſtre, Matthioli.

HORMINVM Silueſtre, Fuchſij.

De Hormino hæc tradit Plinius. Horminum ſemine, vt diximus, cumino ſimile eſt, cæterò porro, dodrantali altitudine. Duorum generum, alteri ſemen nigrius, & oblongius. Hoc ad venerem ſtimulandam vtuntur, & ad oculorum argema, & albugines: alteri candidius ſemen & rotundius. Vtroque tuſo extrahuntur aculei ex corpore, per ſe vel illito ex aqua. Folia ex aceto impoſita panos per ſe, vel cum melle diſcutiunt, item furunculos, priuſquam capita faciant, omnéſque acrimonias. Quo in loco rurſus Plinius impegit, qui πράσω pro πρασίῳ legerit, & porro pro praſio, id eſt, marrubio conuerterit. Hormini Galenus in ſimplicium cenſu non meminit, ſed Paulus his verbis. Horminum marrubio ſpecie ſimile eſt, calidum mediocriter, ſiccum & abſtergens. Venerem ſtimulat, & oculorum craſsitiem cum melle repurgat: œdemata diſcutit, extrahit aculeos. Silueſtre domeſtico eſt valentius. Li. 22. c. 25. Lib. 7.

GALLITRICVM. CAP. XLI.

SPECIES Hormini videtur herba quæ Officinis Gallitricum, Centrum Galli, & Matriſaluia, & Sclarea nominatur, Germanicè *Scharlach*, Belgicè *Sclardey*, quaſi dicas oculum clarificans. Italicè *Schiaria*, Gallicè quadam ad horminum alluſione *Orualle*, & *Toutebonne*. Attamen horminum non eſt, quo nomine deſcripſit & depinxit Fuchſius. Nam folia multò maiora edit, nempe verbaſci, aſpera, admodum hirta rugis, & quaſi *Nomina*. Cap. 214. *Forma*.

verrucis nonnihil hirſuta Æthiopidis aut verbaſci pube, ſilueſtris hormini ſimilitudine, caules quadratos, & in iis flores cæruleos & albicantes, ſaluiæ vel dictamni: ſemen in calicibus nigrum: radice parua, dura, & ſublutea. Tota planta odorem ſpirat non ingratum quidem, ſed tam vehementem vt capitis grauitatem faciat. Seritur in hortis, & oritur anno poſt, Iunio & Iulio floreſcens. Sclarea calida ſiccáque eſt ferè ad tertium vſque gradum, menſes & ſecundas pellit, ad venerem concitat: quare minùs quin ſit hormini ſpecies refragandum. Magno eſt vſui, inquit Pena, quibuſdam Septentrionalium, ad Zythi bieræq; confectionem. Nam lupuli vel penuria, vel vegetioris potionis faciundæ cauſa, cortinis feruentibus addunt, fitq; temetum, quo non multis depletis poculis temulenti fiunt, hilaritate propemodum inſana, in nonnullis tamen riſu quam miſeratione magis digna. Semen inter palpebram & oculum inſertum, atque diutulè reten-

Locus.
Tempus.
Temper. & Vires

In Aduerſ.

GALLITRICVM,
Siue Sclarea.

COLVS IOVIS,
Lobellij.

tum, quantum eſt ſordium illic, illicò euerrit, & rapit quotidiano etiam vulgi experimento. Huc meritò adducenda plenta, quam Herbarij quidam Colum Iouis vocant, ſummo caulis faſtigio colum flauo penſo obuolutam repræſentante. Videtur Oruala tertia Dodonæi in Hiſtor. florum (quatuor enim Orualæ differentias tradit,) quorundam Horminum ſilueſtre pingue, à pingui folio odorato. E radice Lamij ſimili, inquit Pena, caules edit non multos, cubitales & ſeſquicubitales, quadratos, hirſutos, quibus folia vrticæ aut Trachelij, albida, ad baſim ſinuata, latiora, læuia, Gallitrici minora: flores in verticillis lutei, Saluiæ, aut Gallitrici. Scaturigines vdóſque ſiluarum margines amat, Galliæ, Germaniæ, & Italiæ. Guſtu nonnihil calido exſiccante.

ROSMARINVM CORONARIVM. CAP. XLII.

GRAECIS λιβανωτὶς στεφανωματικὴ, qua nectentes coronas vtuntur, Latinis & Officinis Roſmarinus ſiue Roſmarinum coronarium, Arabibus *Elkiageber*, Italis *Roſmarino*, Germanis *Roſzmarin*, Hiſpanis *Romero*, Gallis *Romarin*. Virgas habet graciles, vt deſcribit Dioſcorides, circa quas folia ſunt tenuia, crebra, oblonga, gracilia, intus candicantia, exteriore parte viridia, grauiter odorata, florem, quod Dioſcorides omiſit, in candido cæruleum, radicem nigram, multis fibris capillatam. In Narbonenſi Gallia ſponte ſua prouenit tam copioſè, vt incolæ ligni alius loco id quotidie vrant. Bis anno floret, vere & æſtate. Roſmarinum, vt ſcribit Dioſcorides, calfacit, regium morbum ſanat, ſi quis id in aqua decoxerit, & ante excercitia bibendum dederit: deinde poſt excercitia lauerit, & vinum potauerit. Libanotidis coronariæ quam Roſmarinum vocant, inquit Galenus, decoctum morbo regio laborantes potum adiuuat, omnes enim libanotides abſtergentis & incidentis facultatis ſunt participes. His addunt recentiores roſmarinum ad frigidos vẽtriculi affectus plurimùm valere, ad cœliacum malum, & ad vomitum cibi, ſi cum pane deuoretur, aut bibatur in puluerem contritum, ex meraco: prodeſſe lienoſis, & iocinoroſis, nõ ſolùm excalfaciendo, extenuando, & obſtructiones reſerando, ſed etiam adſtringente vi roborando: ſuccurrere capitis fluxionibus, & omnibus frigidis morbis, epilepſiæ, ſtupori, veterno, partium reſolutioni: capitis lotionibus vtiliter miſceri, & articulorum fomentis: cohibere alba vteri profluuia, ſi quotidie & diu ſumatur: Viſum acuere, ſi toto tempore quo floret quis ieiunus flores cum circunſtantibus foliis cum pane & ſale quotidie vorauerit. Manſum oris halitum commendat. Siſtit dentium & gingiuarum fluxiones in aceto & vino auſtero feruefactum, ſi hoc decocto calido os colluatur. Sicci farina recentia vulnera glutinat, verũ operepretium eſt prius vino in quo ipſum fuerit coctum, abluere, deinde farina inſpargere. Flores ſaccharo cõditi valent ad omnia prædicta, peculiariter autem ad frigidos cordis affectus, ad pectoris vitia, & ad arcenda peſtilentiæ contagia: quin & herbam ſuffitu tuſim & diſtillationem ſedare tradunt, tutam præſtare in peſti lẽtia domum, crematã nidore improbam aëris diluente perniciem. Aloiſius Anguillara apud Theophraſtum Cneurum nigrũ eſſe putat, Caſiámque nigram Hygini, apibus gratiſsimam,

Nomina

Lib 3. c. 73.

Forma.

ROSMARINVM, Coronarium.

Locus.

Tempus.

Lib. 3. c. 73.

Lib. 7. ſim.

ROSMARINVM Silueſtre ſiue Boemicum, Matth.



& ideò prope illarum aluearia ſerendam:nulla vſquam facta coronariæ Libanotidis mentione apud Theophraſtum : vt & Cneorum album lauandulam, ſiue ſpicam,vt iam monuimus.Matthiolus lib.4.in Dioſcoride Cneori quod verum Thophraſti eſſe credit, figuram hanc monſtrat. Scribit naſci in Bohemia plantam, quam ſilueſtre Roſmarinum appellat,quia Roſmarini coronarij faciem quadantenus repreſentet. Cubitali eſt altitudine, fruticoſa, virgis tenuibus, lignoſis,fragilibus, rufeſcentibus , minij ferè colore, folia Roſmarini æmula,prona parte viridia, tranſuerſis vtrinque lineis diſpari ordine ductis ſignata , ſuperna verò rubeſcentia, & rubro appenſa pediculo. In ſummis ſurculis corymbacea eſt coma rubra,vnde flores panduntur ſublutei : radix infirma & ſuperuacua,folia & flores Citreum malum olent , guſtu etiam nonnihil aromatici reſipiunt cum quadam adſtrictione. Vtunrur hac Bohemi aduerſus blattas & tineas.Lobellius Ledon foliis Roſmarini alterum vocat.

ANTHEMIDES. CAP. XLIII.

Nomina

DE Chamæmelo vulgaris vſus ſiue ſilueſtri,in lib.De iis quę in vmbroſis proueniunt,diximus:nunc de vero Dioſcoridis & odoratiore,quæ ἀνθεμὶς nominatur, atque etiam χαμαίμηλον, Latinis etiam Anthemis & Chamæmelum,Arabibus *Debonigi*,ſeu *Babunegi*, Officinis corrupto nomine Camomilla & Camomilla Romana, Italis *Chamomilla*, Germanis *Camillen*, Hiſpanis *Manzanilla*,Gallis *Camomille*,Belgis *Roomſche Camillblæmē*. Chamæmelū ſanè id dictū eſt ab odore ſuaueolentis mali.Anthemidis genera tria proponit Dioſcor. floribus tantùm diſtantia. Totidē Plin.Anthemis,inquit,magnis laudibus celebratur ab Aſclepiade. Aliqui Leucanthemida vocant, alij Leucanthemum, alij Eranthemum,quoniam vere floreat,alij chamæmelum, quoniam odorem mali habeat. Nonnulli melanthemon vocant. Genera eius tria flore tantùm diſtant , palmum non excedentia, paruiſq; floribus vt rutæ,candidis aut melinis,aut purpureis. Anthemidi, vt deſcribit Dioſcorides , ramuli ſunt dodrantales,fructicoſi,alas multas habentes,foliola parua,tenuia, multa, capitula rotunda,flores intrinſecus auri colore , extrinſecus per ambitum albi,aut lutei,aut purpurei,magnitudine foliorum rutæ.Naſcitur in aſperis & iuxta vias. Colligitur vere. Hæc vt ſuauius multò quā ſilueſtris aut vulgaris,de qua diximus, quiddamq; aromaticum amaraci aut abrotoni habet , ita multò ad aſpectum hilarior & comptior eſt,eadem ratione Romana dicta, qua præſtantiores plātas baſilicas aut Romanas vocare ſoliti ſunt, vti abſinthium Romanum,& Baſilicum aſparagum.Tenellis cauliculis repit,inquit Pena,haud diuerſa foliis & floribus vulgatæ ſilueſtris,reſtibili item fertilitate , & perenni radice , qua ſeſe inſtaurat,& fundit propagationes proculcationis contemptrices. In Angliæ hortis viret & colitur,alicubi etiam ſponte oritur.In Galliæ & Italiæ meridionalibus , tametſi Romana dicta, rarior ſponte,in Belgio non niſi in hortis reperitur. Iunio & Iulio menſe floret in noſtris regionibus,quo tempore colligitur. Angliæ cultiores

Genera.
Lib.4.c.157.
Lib.22.c.21

Forma.
Lib.3.c.137.

ANTHEMIS Leucanthemos,Matth.

Locus.

Tempus.

In Aduerſ.

Locus.

Tempus.

ANTHEMIS Leucanth. niuea Anglorũ, flore multiplici.

tiores horti, vt scribit Pena, hanc eandem alunt, sed floribus adeò multiplici folio & radiata serie propagatis, vt candor eximius bullatum centrum prorsus operiat, nec alius aut odor, aut sapor illi. Anthemis Chrysanthemos Dodonæi Chamæmelo vero simili caulículos profert tenues & inualidos, & in terra stratos, folia quoque tenuia, sed candidiora, & paululũ minora, pro floribus capitula rotunda, siue orbiculos luteos tantũ, nullis circundantibus foliolis, habet, radicem similem. Idem Eranthemũ sic depinxit & descripsit. Caulículos profert à radice multos, in alas subinde diuisos, striatos, virentes, folia tenuia chamæmeli aut potiùs cotulæ fœtidæ similia, flores non magnos, forma florum ranunculi, pulchros, minij colore rubentes, quos capitulum sequitur oblongum, ex multis collectum seminibus, rotundis, acuminatis, in virore subnigricantibus, radices fibrosas. Odore est herbaceo, aliquantulum graui, sed minùs quàm cotula fœtida, chamæmeli verò odori nequaquam simili. Nascitur compluribus Europæ regionibus, in aruis cum zea tritico, aut aliis frumentis. Belgæ in hortis serunt, vocántque *Bruyenettekens*. Æstiuis mensibus floret. Esse autem anthemidis genus, quod propriè Eranthemum dicitur, nemo facilè affirmauerit. Nam eranthemo, teste Dioscoride, flos est forma chamæmeli, in medio aureus vel luteus, orbiculato verò ambitu purpureus. Istud autem florem quidem habet purpureum, sed medium eius non est luteum, quod non esse anthemidis speciem

In Aduerſ.

Lib. 2. c. 29.

Lib. 1. c. 31. Cap. 68. de flor.

Forma.

Locus.

ANTHEMIS Chrysanthemos, Dodon.

ANTHEMIS Chrysanthemos, Penæ & Lobell.

ostendit.

ANTHEMIS Eranthemos, Dodonæi.

ADONIS siue Anthemis, Matthio'i.

In cap. 157. lib. 3.

ANTHEMIS Eranthemos, siue consolida regalis, Fuchsij.

Lib. 10. Metamor.

Forma.

Locus.

ostendit. Fuchsius Consolidam regalem Eranthemum facit. Sed anthemidi neque foliis, neque floribus, neque odore similis est: neque flores rubent, sed cærulei sunt. Matthiolus & Herbarij multi eranthemum Dodonæi, Adonidis florem nuncupant. Sed Adonidis flos, inquit Dodonæus, anemone esse creditur. Nam Adonidis florem vento excuti Ouidius cecinit. Venti autem flos anemone est. Aliis φλὸξ Theophrasti videtur esse, à floris flãmeo igneóve colore. Diuersum est à superiore chamæmelum eranthemum Dalechampij, quod hîc depictum est, foliis, ramis, capitulis grandius & amplius reliquis chamæmeli generibus, sed foliorum quæ capitula ambiunt orbe purpureo decorum, flos priusquam dehiscat, corticoso compactilíq; inuolucro propemodum tam crasso & euidente quàm in cyano coërcetur. Rara est hæc planta, nec herbariis omnibus nota. In asperis locis prouenit. Nunc de viribus Anthemidum ex Dioscoride. Vim habent radices, flores & herba calfaciendi extenuandíque. Potu & insessione menses, fœtus, calculos & vrinam pellunt. aduersus inflationes & tenuis intestini dolores bibuntur. Bile suffusos expurgant, & iocinorosis medentur. Decocto earum vesicæ vitia fouentur Efficacius ex omnibus generibus est, quod florem fert purpureum, cæteris maius, idque propriè Eranthemum vocatur. Quod verò Leuchanthemum & Chrysanthemum cognominant,

ANTHEMIS Eranthemos, Dalechamp.

minant, vehementiùs vrinam ciunt. Aegilopiis illitæ medentur. Commanducata oris vlcera sanant. Nonnulli in clysteribus ex oleo vtuntur, terentes ipsas ad pellendos febrium circuitus, quæ in Græcis sic leguntur. Χρῶνται δέ τινες καὶ συγκλύσμασι μετ' ἐλαίου, λειοτριβοῦντες αὐτὰ πρὸς ἀναστολὴν τῶν περιοδικῶν πυρετῶν, & intelligũt anthemidis vsum esse in infusis per clysteres. Sed hos falsa lectione decipi putat Cornarius, legendũ enim esse συγχρίσμασι, vt accipiatur vnctio, siue illitio per totũ corpus ad febres depellendas. Quod perspicuè traditur ab Aetio, ex sententia Nichepsonis ita scribente. Nichepson Ægyptius chamęmeli florẽ purum in summo vigore colligere iubet, & in mortario tũdere, ac probè conterere, & pastillos medioeres fingere, eósque in vmbra diligentissimè siccare, ac reponere. Vsus autem tẽpore vnum ex ipsis terere, oleo primario quod satis est affuso, indéque vniuersum corpus à capite vsque ad pedes illinere in omnibus febrientibus, ac ægrum stragulis coopertum fouere. Sudor enim, inquit, mouebitur bonus in his qui euasuri sunt, & à febre liberabuntur. Ita Plinius planè ex superiorum sententia. Medici verè folia in pastillos digerunt: item florem & radicem. Dantur omnia mixta drachmæ vnius pondere contra serpentium ictus. Pellit mortuos partus, item menstrua in potu, & vrinam calculósque: inflationes, iocinorum vitia, bilem suffusam, ægilopia. Commanducata vlcerum manantes in ore eruptiones sanat. Ex omnibus iis generibus ad calculos efficacissima est, quæ florem purpureum habet, cuius & foliorum & fruticis magnitudo amplior est. Hoc propriè quidam eranthemum vocant. Quæ omnia accuratiùs Galenus declarauit. Anthemis, inquit, calfacit & siccat primo ordine. Est & tenuium partium, ac proinde digerendi, laxandi & rarefaciendi vim obtinet. Et alio in loco. Est chamæmelũ tenuitate rosæ persimile, calore verò ad olei facultates magis accedit, animali familiares, ac temperatas. Quapropter lassitudinibus, vt si quid aliud confert, doloréque, mitigat. Præterea tensa remittit & laxat, quæq; mediocriter dura sunt emollit, quæq; constipata condensatáve sunt rarefacit. Ad hæc febres, quæ citra viceris alicuius inflammationem infestant, dissoluit: præsertim quæ ex humoribus biliosis, aut cutis densitate gignuntur. Qua de re & ab Aegyptiorum sapientissimis Soli consecrata est, febriúmque omnium remedium putatur. Verùm hac quidem in re à veritate aberrant: solas enim quas diximus febres sanare potest, eásque quæ iam concoctæ sunt. Iuuat autem pulchrè reliquas etiam omnes quæ melancholicæ sunt, aut pituitosæ, aut ex visceris inflammatione ortæ. Nam & harum remedium chamæmelum vel strenuissimum est, vbi iam concoctis adhibetur, quapropter & hypochondriis, vt si quid aliud, gratum est. Hæc Galenus. Anthemidis decoctum potum, inquit Matthiolus, lateris dolores sanat. Idem præstat aqua è floribus distillata.

Embl. 139. lib. 3.

Lib. 22. c. 22

Lib. 6. fin.

Lib. 3. fin.

In cap. 137. lib. 3.

RVTA.

RVTA. CAP. XLIIII.

Nomina ΠΗΓΑΝΟΝ Græcis, Ruta Latinis nominatur, Mauritanis *Sadeb*, seu *Sedab*, Italis *Ruta*, Gallis *Rue*, Germanis *Rautem*, & *Weinrauten*, Hispanis *Arruda*. Cur autem dicatur πήγανον declarat Plutarchus his verbis. Φασὶ δὲ καὶ τὸ πήγανον ἀπὸ τῆς δυνάμεως ὠνομᾶσθαι. πήγνυσι γὰρ ξηρότητι διὰ θερμότητα τὸ σπέρμα, καὶ ὅλως πολέμιόν ἐστι ταῖς κυήσεσι. Id est, Aiunt à facultate sua πήγανον dictum, quod siccitate & calore coagulet & cōdenset semen. Hinc verū gerentibus inimicū est. Dioscor. duo rutæ genera primùm statuit, satiuā & agrestē: deinde alio capite aliam addit rutā siluestrem, quā Harmalā quidam vocāt, Syri *Besasan*, Cappadoces *Moly*. Ruta satiua siue hortensis, planta est perpetuò ferè virēs, foliis crassiusculis, subpinguibus, pluribus ab vno pediculo exeuntibus ex angusto exortu in latiusculum desinentibus, colore satu ratè viridi. Ramos emittit copiosos, surculosos, duros, rotundos, & in horum summitate flores luteos; hyperici haud absimiles, è quibus capitula siue calices oriūtur quadrati, in quibus semē pusillum, nigrum, radix lignosa multiplexq;, & intus lutea. Herba est acris & grauissimi odoris. Siluestris ruta, inquit Dioscorides, satiuę similis est, ipsa acrior. Agresti rutæ vires vegetiores, inquit Pena, & odor vehementior multò, in tantum acer afflatuq; periculosus, vt interdum vaporem olfacientis vultui afflet, aut tangētis manui inurat, qua si faciem attigeris erysipelas aut scabies excitetur. Alta cubitum est, caule hortensis, minore, foliis fermè iisdem, exilioribus, siliquula & semine non dispari. Sed frīgoris est valde impatiens, nec perennat, ne in hortis quidē Gallicis & Batauis sedulò culta, floscŭlis herbaceis. Huic siluestri addit Pena aliam minimam, quam Peganion Narbonēse, siue Rutulam vocat, Lobellius Rutulam siluestrem, quæ maximè omnium virulenta est, angustifolia, tota pallido ferè virore albicans, empetri fermè habitu, situ, & rigiditate, cętera non nisi magnitudine multò disparia. Ruta satiua passim prouenit in hortis: amat aprica loca, siccaq;. Matthiolus nasci ait siluestrem in Geritiensi agro copiosissimā, adeò vt qui circunstant montes ea vbique scateant, præsertim Saluatinus. Vtraq; siluestri etiam scatere aridos Monspelienses colles, & saxeos decliues scribit Pena. Præter rutam siluestrem satiuæ similem aliam tradit Dioscorides, vt diximus, quam quidam Harmalā vocant, Syri *Besasan*, Cappadoces *Moly*, quia radicem habet nigrā, florē candidum, Mauritani *Harmel*, & *Alharmel*.

Lib. 3. sym.

RVTA SATIVA.

Genera. *Lib. 3. c. 45.*

Forma.

Lib. 3. c. 45. *fol. 390.*

RVTA Siluestris, Matthioli.

Fol. 390.

Locus.

Ibid.

Lib. 3. c. 46.

Hanc

RVTVLA Siluestris, Pena & Lobellij.



RVTA Canina, Herba S. Antonij, Lobell.

RVTA HARMOLA, Matthioli.



Hanc Matthiolus Cõſtantinopoli ad ſe miſſam depinxit, figura ad deſcriptionẽ Dioſcoridis apprimè congruẽte frutex eſt multos à radice cauliculos emittens, foliis multò quã ſilueſtris ruta longioribus, tenuioribuſq;, odore graui, floribus candidis, è quibus capitula in caulium cacumine oriũtur, paulò maiora quàm ſatiuæ rutæ, quæ tribus maximè partibus cõſtant, quibus triangulũ ſemen, ſub rufo colore, & amaro guſtu, includitur, multi vſus. Recẽtiores alteri plantę Rutæ nomen indiderũt, & Caninã & fœtidam appellarunt, Dodonæus in ſtirpiũ Hiſtoria Galiopſim aut Scrophulariã tertiam, quidã Herbam S. Antonij. Virgulis multis fruticat ſeſquicubitalibus: folia Papaueris Rhœadis aut Argemones inciſura, minora, craſsiuſcula, ex viridi nigricant, vti & floſculi, æſtate inanes, Antirrhini modo. Semen in exili pericarpio Rutæ ferè aut Blattariæ ritu, ſed minore. Tota grauem & viroſum, & rutaceo ingratiorem odorem ſpirat. Raro niſi locis ſiccis & feruidis, ſatis & marginibus oritur, vt Narbonæ, Rauẽnæ, Romæ. Ruta tã ſatiua quàm agreſtis prior, vt docet Dioſcorides, calfacit, vrit, exulcerat, vrinã mouet, menſeſq; ducit. Aluũ ſiſtit pota & comeſta. Letalium venenorum antidotum eſt, ſi ſemẽ acetabuli mẽſura in vino bibatur, folia per ſe ante cibũ ſumpta, & cum nucibus iuglãdibus, aridiſq; ficis, inefficacia venena reddunt. Cõtra ſerpentes ſimiliter ſumpta ꝓſunt. Genituram tam in cibo quã potu extinguit. Cocta cũ

Lib. 3. c. 45. *Temper. & Vires.*

anetho ſicco,tormina ſiſtit,facit etiã ad lateris thoraciſq;, dolores, difficultatẽ ſpirandi,tuſſes,pulmonis inflãmationem,coxendicũ,articulorumq; cruciatus,rigores circuitibus certis repetẽtium febriũ,vti ſupradictũ eſt,pota.Ad inflationes coli,veteri,& recti inteſtini decocta cum oleo & infuſa.Vuluæ ſtrangulatu liberat trita cum melle,ſi à genitali vſq; ad ſedẽ imponatur,feruefacta cum oleo & pota lũbricos excutit.Articulorũ doloribus cum melle,aquæ intercutẽ quæ hypoſarca dicitur,cum ficis illinitur. Eiſdẽ pota auxiliatur,in vino decocta ad dimidias partes , & ſi ea abſtergãtur.Cruda ſaleq; cõdita ac comeſta,viſus aciẽ exacuit,& oculorũ dolores cum polẽta illita ſedat. Cum roſaceo & aceto capitis doloribus ſuccurrit. Sanguinis narium profluuia trita & impoſita ſiſtit. Teſtiũ inflãmationibus cum foliis lauri illita,& exãthematis cum myrto & cerato prodeſt.Cum vino autẽ pipere & nitro cõfricta,albæ vitiligini medetur:cum iiſdẽ illita thymia & myrmecias tollit.Cũ melle & alumine impoſita lichenibus prodeſt.Succus in mali corio calfactus & inſtillatus,auriũ doloribus ſuccurrit.Oculorũ herbetudinibus cum ſucco fœniculi & melle inunctus ſubuenit.Eryſipelata,herpetas, & achoras cum aceto,ceruſſa, & roſaceo inũctus ſanat. Ceparũ & alliorum acrimoniã cõmanducata domat.De iiſdẽ proli-
Lib.20.c.13. xiùs Plinius his verbis.Quæcunq; ruta & per ſe pro antidoto valet,foliis tritis & ex vino ſumptis,cõtra aconitum maximè,& viſcũ:item fungos ſiue in potu detur, ſiue in cibo. Simili modo cõtra ſerpentium ictus , vtpotè cum muſtellæ dimicaturæ cum his,rutã prius edendo ſe muniãt.Valent & cõtra ſcorpionum ictus,& araneorum,apum,crabronũ,veſparum aculeos,& cãtharidas,ac ſalamãdras,caniſq; rabioſi morſus:acetabuli mẽſura ſuccus ex vino bibitur,& folia trita vel cõmanducata imponũtur cum melle & ſale,vel cum aceto & pice decocta. Succo verò perũctos aut eam habẽtes,negant feriri ab his maleficiis.Serpẽteſq; ſi vratur ruta,nidorẽ fugare. Efficaciſsima tamen eſt ſilueſtris radix cum vino ſumpta.Eandẽ adiiciunt efficaciorem eſſe ſub dio potã. Pythagoras oculis noxiã putauit falsò, quoniã ſcalptores & pictores hoc cibo vtuntur oculorũ cauſa,cum pane quoq;, vel naſturtio ſatiuæ atq; ſilueſtris propter viſum. Vt aiunt,multi ſucco eius cum melle Attico inũcti diſcuſſerũt caligines,vel cum lacte mulieris puerũ enixæ, vel pauco ſucco angulis oculorum tactis,epiphoras cum polẽta impoſito.Lenit autẽ capitis dolores pota cum vino,aut cum aceto & roſaceo illita.Si verò ſit cephalæa,cũ farina hordeacea & aceto.Eadẽ cruditates diſcutit,mox inflationes, dolores ſtomachi veteres.Vuluas aperit,corrigitq; cõuerſas,illito cum melle,toto ventre,& pectore.Hydropicis cum ficu,& decocta ad dimidias partes,potaq; ex vino.Sic bibitur & ad pectoris dolores, laterumq; & lumborũ,tuſſes, ſuſpiria pulmonũ,iocinorum, renum vitia, horrores frigidos. Ad crapulæ grauedines decoquũtur folia poturis, & in cibo vel cruda vel decocta cõditáve prodeſt:item torminibus in hyſſopo decocta,& cum vino.Sic & ſanguinẽ ſiſtit interiorem & nariũ indita,ſic & collutis dentibus prodeſt. Auribus quoq; in dolore ſuccus infunditur,cuſtodito,vt diximus,modo. E ſilueſtri verò cõtra tarditatẽ & ſonitum cum roſaceo,vel cũ laureo oleo,aut cumino & melle. Succus & phreniticis ex aceto tritæ inſtillatur in tempora & cerebrũ.Adiecerũt aliqui & ſerpyllũ,& laurum,illinentes capita & colla,dederunt & lethargicis ex aceto olfaciendũ:dederunt & comitialibus bibendũ decoctæ ſuccũ in cyathis quatuor:ante acceſsiones quarũ frigus intolerabile eſt , alſioſisq; cruda datur in cibo. Vrinam quoq; vel cruentã pellit,fœminarũ etiã purgationes,ſecundaſq;,etiã emortuos partus,vt Hippocrati videtur,ex vino dulci nigro pota. Itaq; illini & vuluarum cauſa etiã ſuffire iubet.Diocles & cardiacis imponit ex aceto & melle cum farina hordeacea.Valet contra ileum decocta farina in oleo,& velleribus collecta. Multi verò & cõtra purulentas excreationes ſiccæ drachmas duas,ſulphuris vnã & dimidiam ſumi cẽſent:& cõtra cruẽtas,ramos tres in vino decoctos. Datur & dyſentericis cum

caſeo

cæſeo in vino cõtrita. Dederũt & cum bitumine infriatã potioni propter anhelitũ. Ex alto lapſis ſeminis tres vncias illinũt ex olei libra, viniq; ſextario. Illinitur & cum oleo coctis foliis, partibus quas frigus aduſſerit. Si vrinã mouet, vt Hipocrati videtur, mirum eſt quoſdã dare velut inhibentẽ potui, cõtra incõtinentiam vrinæ. Pſoras & lepras cũ melle & alumine illita emẽdat. Itẽ vitiligines vel rugas, ſtrumas, & ſimilia, cum hircino & adipe ſuillo, ac taurino ſeuo. Itẽ ignem ſacrũ ex aceto & oleo, vel pſymmithio: carbunculũ ex aceto. Nonnulli laſerpitiũ vnà illini iubent, ſine quo epinyctidas puſtulas curãt. Imponunt & mãmis turgẽtibus decoctam, & pituitæ eruptionibus cum cera. Teſtiũ verò epiphoris cum ramis lauri teneris, adeò peculiari in viſceribus his effectu, vt ſilueſtri ruta cum axungia veteri illitos ramices ſanari prodant, fracta quoq; mẽbra ſemine trito cum cera impoſito. Radix rutæ ſanguinẽ oculis ſuffuſum, & in toto corpore cicatrices aut maculas illita emẽdat. Ex reliquis quoq; quæ tradũtur, mirũ eſt, cùm feruentem rutę naturã eſſe cõueniat, faſciculum eius in roſaceo decoctũ addita vncia aloes, peruncti ſudorẽ reprimere, itemq; generationes impediri hoc cibo, ideò profluuio genitali datur, & venerem crebro per ſomnia imaginantibus. Præcauendum eſt grauidis, abſtineãt hoc cibo, necari enim partus inuenio. Eadẽ ex omnibus ſatis quadrupedum quoq; morbis in maximo vſu eſt, ſiue difficilè ſpirãtibus, ſiue cõtra maleficorũ animalium ictus, infuſa per nares ex vino, aut ſi ſanguiſugã exhauſerint, ex aceto, & quocũq; in ſimili morborũ genere, vt in homine tẽperato. Hæc Plinius. A quo citatus Hippocratis locus, is eſt: πήγανον ὑρίεται μᾶλλον, ἢ διαχωρέει, καὶ συστρεπτικὸν ἔχει τὸ πρὸς τὰ φάρμακα τὰ βλαβερὰ ὠφέλιμον προπινόμενον. Hoc eſt, Ruta vrinã magis quàm aluum mouet. Habet & vim quandã condenſandi, & ad medicamẽta noxia vtilis eſt propinata. Sunt tamẽ codices qui vocem προπινόμενον nõ habeant. Galenus breuiùs vtriuſq; vires ſic tradit. Ruta agreſtis ex quarto eſt ordine excalfaciẽtium & ſiccantiũ, domeſtica verò ex tertio. Eſt autẽ non ſolùm guſtu acri, ſed & amaro. Ea digerere atq; incidere craſſos lentoſq; humores poteſt. Ob eandẽ vim & vrinas mouet. Quin & tenuium eſt partiũ, flatuſq; extinguit. Quare ad inflationes cõpetit, ac veneris appetitũ inhibet, digeritq; atq; exſiccat ſanè ſtrenuè. Eſt enim ex eorũ numero medicamẽtorum quæ valẽter deſiccãt. Harmalæ ſemen, auctore Dioſcoride, cum melle, vino, croco, fœniculi ſucco, ac gallinaceo felle tritũ, contra retuſam oculorũ aciẽ valet. Vis eius inquit Galenus, tenuiũ eſt partiũ & calida tertio ordine, quare craſſos & lentos humores diſſecat ac digerit, ac vrinam mouet. Scribit Serapio ex auctoritate Alhaſari harmel purgari melãcholiã & phlegma per aluum, & nullũ eſſe aduerſus epilepſiã medicamentũ valentius. Ex auctoritate Abugerig, prouocare vomitũ & inebriare, ſi potui detur vini modo, id quod maximè cõfert in eo melancholiæ genere, quod illi Eros vocant. Vt autẽ vomitũ prouocet, ſic præparandũ. Coniiciũtur in mortarium ſeminis eius grana quindecim priùs clariſsima aqua abluta, deſiccãtur, teruntur in mortario, cribro tranſmittuntur. Deinde rurſus in mortario piſtillo ligneo, affuſis aquæ fontanæ vnciis quatuor probè miſcentur. Demum percoletur cremor, cui adduntur mellis vnciæ tres, olei ſeſamini aut amygdalini vnciæ duæ. Id omne propinatur melancholicis quibus excitat copioſas vomitiones.

Lib. 2. de diæta.

Lib. 8. ſim.

Lib. 5. c. 46.

Lib. 7. ſim.

Cap. 275. ſimpl.

GALEGA. CAP. XLV.

Nomina

AB EFFECTV & viribus potiùs quã ab odore (nullus enim huic odor rutæ, ſed leguminis, cui videtur ſimilior) huic plantæ rutæ nomẽ inditũ eſt. Eſt enim cõtra venena efficaciſsima. Dicitur aũt ruta capraria, & Galega ab herbariis, ab Italis quibuſdã *Lauaneſe*. Caule & foliis: vi-

Forma.

ciæ ſilueſtri quadãtenus ſimilis eſt, caule ſeſquicubitali, & bicubitali, rotũdo, duro, in quo folia à pediculis exeunt dena aut vndena, ferè viciæ ſilueſtris, ſed lõgiora & maiora: flores in ſummitate cõgeſti, dilutè cærulei, aut cãdidi, è quibus ſiliquæ erũ-

GALEGA.

Locus. ♃

Pena in Aduerſ.

Tempus.

Temper. & Vires

Ibid.

punt longæ,graciles,rotundæ,in quibus ſemen cõcluditur,radix ſatis magna,non facilè emoritur. In ſcrobiũ aggeribus,lociſq; humẽtibus prouenit. In Pedemontana planitie iuxta Eridani fluẽta,& Taurinũ copioſè luxuriat,paſimq; alibi. In frigidioribus regionibus herbarij in hortis colũt.Iulio & Auguſto floret, & ſemẽ maturat.Calida ſiccaq; eſt tẽperie. Huic vis eſt maxima nõ ſolùm aduerſus letalia venena, verũ etiã aduerſus ferarũ omnium venenatos tum ictus tum morſus,ſucco eius epoto,vel herba emplaſtri modo vulneratis partibus impoſita. Quare Veneti pharmacopœi, inquit Pena,atq; circulatorũ illic fex, qui viperas ſtipis colligẽdæ cauſa circũferunt, ſimulatq; demorſi ſunt, nihil certius hac aut præſtãtius habent, eadẽ magis freti quàm decantatis illis theriacis.Epotus recentis herbæ ſuccus datur vtiliter cochlearis menſura ad necãdos inteſtinorũ vermes.Idẽ pręſtat herba ipſa in patella calfacta ex oleo amygdalarũ amararum,aut è lini ſemine,ac vmbilico adalligata.Laudant aliqui ſuccũ ſeſquiunciæ põdere hauſtũ pueris comitiali morbo vexatis.Aduerſus peſtilentiam mirificè valet,quare hanc crudam quidem quotidie in acetariis vorant. Alij olerum modo coctam ex carnium iure edunt,nonnulli ſuccum extrahunt,& ex vino hauriunt. Eiuſdem ſuccus datur in principio peſtilentia affectis, aut eiuſdem decoctum ex aceto,addita theriaca, aut armenia bolo.Sed ægros ſudare oportet. Idem præſtat ad peſtilentes febres,in quibus ex anthemata emerſerint,præſertim epoto herbę decocto ex aqua cum tormentillæ radice,cardui benedicti foliis,& armenia bolo.

ARISTOLOCHIA. CAP. XLVI.

Nomina

Lib.3.c.4.

'Ριζολοχία Græcis, Ariſtolochia Latinis, Barbaris & Officinis corrupto nomine Ariſtologia, Arabibus *Zaraund*, *Maſmocra*, ſeu *Zaraud*, Gallis *Sarraſine & foterne*, Germanis *Oſterlucey*, & *Holtwurtz*. Dicta autem eſt ariſtolochia, auctore Dioſcoride, quod ſit ἀρίστη τοῖς λοχείαις, ideſt, optima puerperis, nõ grauidis, vt Plinius ait, quòd remoratos menſes, hærentes ſecũdas,& reliquias omnes à partu expellat.Sunt enim λοχεῖαι partus dolores,& ipſæ mulieres parturiẽtes,& λόχια partus purgamẽta.Dioſcorides & alij Græci ariſtolochiæ tria eſſe genera ſtatuũt. Vna eſt quæ rotunda,& fœmina dicitur, altera longa & maſcula,tertia clematitis,id eſt,ſarmẽtitia appellatur. Plinius his tribus generib⁹ quartũ addit,ac piſtolochiã & polyrrhizon vocat.Tria genera ſic deſcribit Dioſcorides. Ariſtolochia rotunda,quæ fœmina vocatur,folia hederacea habet,cum acrimonia odorata,ſubrotunda,tenera,multis ab vna radice germinibus, ſarmenta illi ſunt oblõga,flores candidi,pileolis ſimiles,quod in ipſis rubet,grauiter olet. Radix eſt rotunda,rapo ſimilis. Ariſtolochia longa maſcula appellata, à nõnullis dactylitis,folia lõgiora quàm rotunda habet,ramulos tenues,dodrãtales,florẽ purpureum graueolentẽ,qui cum defloruerit, piro ſimilis fit,radix digiti eſt craſsitudine & dodrantalis,aut etiã maior.Tam huius quàm prioris radix colore eſt intus buxeo, guſtu amaro,& odore viroſo.Tertia etiã longa,quæ & clematitis vocatur,caules profert tenues foliis ſubrotundis refertos, (ἀετιζώοις μικροῖς ἐοικόσι habent vulgata exẽplaria,ideſt,ſemperuiuo minori ſimilib⁹,ſed legendũ,vt annotat Dodon.ἀσάρῳ ἐοικόσι,

Lib.3.c.4.

Genera.

Lib.25.c.8.

Lib.3.c.4.

Forma.

μικρᾷ,

ARISTOLOCHIA Fœmina, siue rotunda.

ARISTOLOCHIA Longa, Matth. Clematitis Pena & Lob.

μικρὰ, id est, asaro similibus, paruis.) flores ruræ, radices longiores, tenues, cortice crasso & odorato vestitos. De iisdē & Pistolochia sic scribit Plinius. Inter nobilissimas aristolochiæ nomē dedisse grauidę vidētur, quoniā esset ἀρίστην λοχὼσας. Nostri malū terræ vocāt, & quatuor genera eius seruāt. Vnum tuberibus radicū rotundis, foliis inter maluā & hederā, nigrioribus, mollioribusq;. Alterū masculæ, radice lōga, quatuor digitorū longitudine, baculi crassitudine. Tertiū lōgissimæ tenuitatis, vitis nouellę, cui sit præcipua vis, quæ clematis vocatur, ab aliis Cretica. Oēs colore buxeo, caulibus paruis, flore purpureo, fērūt bacculas paruas vt capparis. Valēt radice tātùm. Est & quę pistolochia vocatur, quarti generis, tenuior quàm proximè dicta, densis radicis capillamētis, iunci plenioris crassitudine. Hanc quidā Polyrrhizon cognomināt. Odor omniū medicatus, sed oblongæ radici tenuioriq; gratior: carnosi enim est corticis, vnguentis quoq; nardinis conueniens. Has quatuor aristolochias medici & pharmacopœi Monspeliēses dudum notissimas & vsu receptas habuerunt. Id quod etiā affirmat Pena. Ac primū, inquit, animaduertat rei herbariæ studiosus tantā esse trium, rotūdę, longæ, & pistolochię Plinianę in foliis, caule & flore similitudinē, & tam parem formā, vt ne perspicaciori quidē & excercitatiori interdū liceat nō decipi. Nam foliū omnibus ferè rotundum, magnitudine fermè pari, è caule lento, flexili: floribus color partim ex luteo nigricat, forma omnibus eadē. Vnde discrimē vel attentiùs intuenti vix patet inter tres istas aristolochias, nisi radix centiorē faceret. Rotundæ radix rapo similis, iam valde nota Italiæ & Galliæ Narbonēsi. Folia aliquantū rotundiora, & nigriora quā longæ aristolochiæ, nō pistolochię, vt plurimū: nam situ mutari possunt & solent, flores itidē vt folia, obscuriores: per messes turgent lagenulæ nuci muscatæ pares, semine fusco prægnātes, ad basim cōpresso, & apice donato. Aristolochiæ lōgæ radix forma digiti cùm pusilla, qualē videtur describere Dioscorides, cùm verò prouecta, quadruplò maior, foris colore fusco vel atro, intus flauo, cētaurij magni colore. Pistolochiæ radix multis est fibrata capillamentis ellebori modo, prolixioribus tamē, & ex atro flauētibus. Adhæc toto habitu aliquāto minor est: verū gratior eius odor multò, & magis aromaticus: nulla alia neq; folij, neq; florum aut pomorū differentia, vti neq; seminis. Clematitis radix est exilis, odorata, multò proceriore fruticat sarmento, viticeo, cubitali, flore luteo, caule cubitali, fructu ob-

Lib. 25. c. 8.

In Adcerſ.

longo,magnitudine parui oui,ſemine intus lato.Hæc in vineis plurima reperitur, & aruis frigidioribus reliquæ Galliæ, ac Italiæ:Germania etiã & Flandria ſpõte natam habẽt.Matthiolus & Pharmacopœi genuinã longã eſſe cẽſent.Hanc falſo multi crediderũt eſſe, quæ ab Andromacho & Galeno ἀριστολοχία λεπτή, id eſt, ariſtolochia tenuis dicitur,theriacis aptior,quæ eſt ariſtolochia polyrrhizos, tũ ſuaui odoris gratia, tum medicata efficatiore facultate præferẽda rotundæ, & longæ,nedum clematidi,quę viribus inferior eſt.Dodonęus Ariſtolochię ſpecies quinq; cõſtituit, Rotundã,Longã,clematitim,Piſtolochiã,Ariſtolochiam Sarracenicã. Cluſius quatuor.Rotundã quidẽ,Longam,Piſtolochiã eaſdẽ,quas Dodonæus, Clematitim verò duplicẽ fecit,priorẽ eam quæ à Dodonæo Ariſtolochia Sarracenica dicitur, alterã quæ eidem Dodonæo etiã eſt Clematitis.Rotũdæ vnicã ſpecię veteres fecerunt Anguillara plures inueniri ſcripſit. Cluſius duas dũtaxat ſe obſeruaſſe ait.Prior hic picta multis ex vna radice germinibus,cubitalibuſq; interdũ palmitibus cõſtat,quadrangulis,quibus ex interuallis folia hærẽt mediæ inter maluã & hederã magnitudinis,mollia,venoſa,ex viridi nigricãtia,breui pediculo:his incumbũt oblongi flores, cauitubę modo, ex purpura nigri teſte Dioſcoride (ἄνθη λευκά, ὅ ἐν αὐτοῖς ἐρυθρὸν ὀυσῶδες, inquit Dioſcorides, id eſt, flores albi,in quibus quod rubrũ eſt grauiter olet:qui florũ color ſequẽti rotundæ magis cõpetit)qũorũ labrũ prominulum ſeu extima pars latior eſt quã in lõgæ aut clematitidis flore,& tota nigricãs.His ſuccedit fructus rotũdus,parui melopeponis forma,q multa grana cõtinet ordine diſpoſita,lata,nigricantia, Radix ampla, tuberoſa, rugoſa, cortice craſſo,foris nigro,intus buxeo colore. Naſcitur pingui ſolo,in pratis,& humidiorioribus agrorum marginibus.Hiſpaniæ,& Galliæ Narbonẽſis,atq; etiã Italiæ. Floret in calidiorib⁹ regionibus ineunte vere,alibi Maio & Iunio. Altera ramulis ſeu palmitib⁹ prioris,foliis ferè Lõgę forma & colore,ſed maioribus, longioreq; quã ſuperioris pediculo:flos longior, ex albo purpura ſcẽs,intus nigricãs , Longę flori ſimilis : fructus priore lõgior,& piri modo turbinatus,gracilior tamen quã Longæ,ſemine prioris,rufo,minore radicis tubere,in reliquis ſuperiori ſimili.Longam Cluſius eandẽ quam Dodonæus & Pena, deſcripſit,cui cauliculi quadrati, duos palmos lõgi,interdum longiores,multis alis brachiati,& humi vti rotundæ diffuſi,folia quàm illius minora,firmiora,dilutiore colore,longioréque pediculo,Soldanellæ ferè forma:flos oblõgus concauus, ex viridi candicãs,rotundæ alterius effigie, ſed extima parte colore magis herbaceo,intus vt in reliquis hirſutus, fructus piri inſtar turbinatus,qui per maturitatẽ reliquarum Ariſtolochiarũ modo dehiſcẽs,ſemen oſtẽdit latũ & rufum.Huius radix digiti eſt craſsitudine Dioſcoridi, & dodrãtali lõgitudine,quod de triẽnibus & iuniorib⁹ plãtis intelligendum putat Cluſius:nam adultarum longè amplior eſt magnitudo: multas enim ſe eruiſſe aſſerit,quæ craſsitudine brachiũ,longitudine dimidiũ cubitũ æquarent.Adultæ verò omnes plerúmque extrema parte obtuſæ ſunt,æquali ferè per totam longitudinẽ craſsitie & citra extremũ ramoſæ: iuniores gracileſcunt, multáſque fibras habẽt. Prouenit locis cãpeſtribus in Gallia Narbonenſi.In longa

Lib.1.Anti.

Lib.1.purg. Cap.1. Lib.2. ſtir. Hiſpa.c.23.

ARISTOLOCHIA Rotunda Dodon.& Cluſij.

etiam

ARISTOLOCHIA
Longa, Dodon. & Cluſij.

etiam differentia quædã obſeruari poteſt. Nam Hiſpanicæ (tametſi huic per omnia ſimilis) flos diligentiùs inſpicientibus nõnihil differre videtur, quippe cuius extima pars interiore parte purpurei coloris ſit, qui in alia herbaceus eſt: radix item huius extrema parte, nõ vt alterius gracilis eſt in nouellis plantis, ſed plerũq; obtuſior. Naſcitur inter vites in Hiſpania, agro Valentino frequẽtiſsima, vbi Martio floret, & ſemen fert: alibi frigoris impatiens. Clematitis ſupradictas magnitudine ſuperat, caule firmo, rotundo & ſtriato, ſupra cubitalẽ altitudinem aſſurgẽte: huius folia reliquis multò ampliora, ex viridi palleſcentia, longo pediculo, forma Longã referẽtia: flos pallidus, copioſus, Longæ propemodùm forma, quo dilapſo fructus ſubſequitur reliquis maior, exigui mali magnitudine, ſemen cõtinens, vt reliquarum Ariſtolochiarũ. Huius radix quæ reliquis cu grauitate quadam odoratior eſt, tenuis, & nunquam ad minimi digiti craſsitudinem accedens, longè lateq; ſerpit, & altiſsimè mergitur, adeo viuax, vt etiam fruſtulatim cõciſa facillimè renaſcatur. Loca amat editiora, & nonnullis Galliæ Narbonenſis vinetis adeò frequẽs, vt vina ab ea ingratum ſaporem contrahant. Inuenitur & in pleriſq; aliis Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ & ſuperioris & inferioris locis. Floret quo reliquæ tẽpore. Hæc pro legitima Lõga à pleriſq; vſurpatur, Gallis *Sarraſine*, Narbonẽſibus *Foterne*.

ARISTOLOCHIA
Longa, Fuchſ.

ARISTOLOCHIA Sarracenica
Dodon. Clematitis prior, Cluſij.

Huc refert Cluſius id Ariſtolochiæ genus quod circa Hiſpalim itinere Olyſſiponenſi, plurimiſq; aliis Bæticæ locis, vbi *Sarza parilla* nominat, in dumetis, veprib⁹, & vetuſtis quibuſdā oliuetis obſeruauit, lōgis, venoſis, tenuibus, ſtriatiſq; ſarmētis, quibus vicinas ſepes & interdū arbuſculas ſuperat, iis ſeſe cōuoluens & implicans cōuoluuli, aut lupuli modo. Folia illi Ariſtolochiæ generibus ſimilia, ſiue potiùs Hederæ, firma, in extremo acuminata, ſupernè læuia & viridia, infernè ex purpura albicātia, pediculo longo: flos Ariſtolochiæ lōgæ, recuruus, oblongus, ex purpura niger, intus tenui lanugine plenus, longiſsimo omnium pediculo inſidens: fructus reliquis Ariſtolochiis ſimilis, ſemē etiam ſimile: radix prælōga, ſarmētitia, Smilacis aſperæ modo (cui perſimilis eſt) nunc per ſumma ſerpens, nunc altè ſub terra ſeſe condens, colore pallido, nō ingrati ſaporis, ſed guſtu aliquātulum adſtringentis cū manifeſto calore. Tota planta odorata eſt, ſempérq; iſtic viret, Ianuario, Februario q; florēs. Naſcitur pingui ſolo, iis qui dicti ſunt locis. Huius neminem meminiſſe ait Cluſius, præter Belloniū, qui in Creta ſe obſeruaſſe ſcribit. Dodonæus tamen eandē Clematitidis nomine depinxit. Piſtolochia Dodonæi & Cluſij eadē eſt, quæ cauliculos magna ex parte pedales habet, nōnunquā maiores, angulosos, ſtriatos, Ariſtolochiæ longæ modo ramoſos, ſed tenuiores: folia lōgæ ſimilia, nigriora, minora, rugoſiora, & aliquātulum in ambitu ſinuoſa: florem rotundę priori ſimilem, minorem tamē,

Li. 1. Obſer. cap. 17.

ARISTOLOCHIA Clematitis, Dodonæi.



PISTOLOCHIA, Cluſij.

PISTOLOCHIA, Dodon.

& aliquando

& aliquando nigrũ, aliquando ex herbido luteũ: fructũ rotundæ ſimilitudine, ſed minorem, ſemen etiã ſimile. Dẽſis eſt radicis capillamẽtis, iunci, vt Plinius ait, plenioris craſsitudine, buxeo colore. Prouenit in oliuetis, & petroſis Hiſpaniæ Galliæq; Narbonẽſis locis. Seriùs floret reliquis Ariſtolochiarũ generibus: ac hoc peculiare eius fructus habet, vt dũ maturuit, ea qua pediculo adhæret parte dehiſcat, Longæ verò ab extrema parte. Ariſtolochia rotunda, vt Dioſcor. ſcribit, cõtra alia venena valet. Longa verò drachmæ vnius pondere cum vino pota & illita, aduerſus ſerpentes & letalia. Menſes, fœtus, & omnia in vtero cõſiſtentia partus purgamenta cum myrrha & pipere pota, & illita pellit. In peſſo ſubdita eadem efficit. Rotunda ad eadẽ omnia ad quæ prædicta conducit, ampliuſq; aſthmati, ſingultui, rigori, lieni, ruptis, conuulſis, lateriſq; doloribus ex frigida aqua pota auxiliatur. Surculos & ſpicula extrahit: ſquamas oſsiũ illita educit, putreſcentia circũ exeſt, ac veluti ſcarificatu ſeparat, ſordida vlcera expurgat: caua cũ iride & melle explet: extergit gingiuas & dentes. Creditur & Clematis ad eadẽ prodeſſe, viribus tamẽ inferior eſt. Valent radice tantùm, inquit Plinius. Rotunda cõtra ſerpẽtes. Oblonga tamen in ſumma gloria eſt, ſi modò à cõcepta admota vuluis in carne bubula mares figurat, vt traditur. Quæ polyrrhizos cognominatur, conuulſis, ruptis, ex alto præcipitatis, radice pota ex aqua vtiliſsima eſſe proditur: ſemine pleuriticos & neruos cõfirmare, excalfacere. Et alio in loco. Plurimis modis Ariſtolochia prodeſt: nã & mẽſes & ſecũdas ciet, & emortuos partus extrahit, myrrha & pipere additis, pota vel ſubdita. Vuluas quoq; procidẽtes inhibet fotu, vel ſuffitu, vel ſubiectu, maximè tenuis. Et vulneribus capitis medetur Ariſtolochia, fracta extrahens oſſa, & in alia quidẽ parte corporis, ſed maximè capite: ſimiliter piſtolochia. Sed de his diſtinctiùs Galenus ſcripſit. Ariſtolochię radix ad medicationes vtiliſsima eſt, amara & ſubacris. Sed ex illis tenuiſsima eſt rotunda, & in omnibus efficacior. Aliarũ verò duarũ Clematis vocata magis odorata eſt. Itaq; ea ad vnguẽta vtũtur, ſed ad ſanationes infirmior. Lõga verò minùs tenuis eſt quàm rotũda, ſed nec ipſa inefficax: verũ abſtergẽdi & calefaciẽdi facultatem habet, minùs tamẽ quã rotũda abſtergit, atq; digerit, ſed nõ minùs calfacit, imo fortaſsis etiã plus. Itaq; in quibus vſus eſt mediocriter abſtergere, cõmodior eſt longa quemadmodũ in carnis exulcerationibus, & in vteri fomentatu. In quibus autem craſſum humorem validiùs extenuare oportet, illic vſus eſt rotũdæ. Quapropter dolores ab obſtructione aut craſsitie craſſorũ flatuũ natos magis curat rotũda, & ſurculos extrahit, & putredines ſanat, & ſordida vlcera expurgat, ac dẽtes gingiuáſq; cãdidas efficit. Auxilio eſt aſthmaticis, ſingultiẽtibus, comitialibus, podagricis cum aqua frigida pota. Ruptis etiã cõuulſiſq;, vt ſi quod aliud medicamentũ, idonea eſt. Paulus Æginet. Ariſtolochiã Clematitim inter medicamẽta ſimplicia quæ bilẽ purgãt, recenſet. Ætius pituitã ac bilẽ vacuare ſcribit. Cũ igitur Clematitis, inquit Cluſius, huiuſmodi facultatibus prædita ſit, & illius vſus in omnibus ferè iis morbis commendetur, quibus vtilem ſuam *Sarzam parillam* ſcribunt Hiſpani: Clematitis itẽ illa peregrina, & Cluſij iudicio legitima, multis notis cum Sarzæparillæ deſcriptione cõueniat, & eodem nomine ab incolis donetur, in ea ferè eſt ſententia Cluſius eam eſſe veram Sarzamparillam, aut illi congenerem plantam.

Lib. 3. ca. 4. *Vires & Temper.*

Lib. 25. c. 8.

Lib. 26. c. 15.

Lib. 25. c. 11

Lib. 7.

RHODIA RADIX. CAP. XLVII.

A Græcis ῥοδία ῥίζα dicitur, à Latinis Rhodia radix ἀπὸ τῶν ῥόδων, ideſt, à roſis, quarum odorem ſpirat, vt Latinè Roſea radix dici poſsit, Gallicè *Racine ſentant les roſes*, Germanicè *Roſenwurtz*. Hanc paucis perſtrinxit Dioſcorides, Rhodia radix, inquit, naſcitur in Macedonia, coſto ſimilis, ſed leuior, & inæqualis, quæ cõtrita roſas redolet. Hanc ſic depinxit, & pluribus notis deliniauit Matthiolus. Caules edit rotundos, quadamtenus

Nomina

Li. 4. ca. 41.

Forma.

Ca. 41. li. 4.

tenus cauos, cubitales, à quibus circũquaque folia prodeunt longiuscula, in acutum desinentia, portulacæ aut sedi instar pinguia, minutimq; per ambitũ serrata. In caulium summitate vmbellam profert viridem, tithymali cyparissiæ modo, sed quæ cũ defloruerit, rubescat. Radix ei inæqualis, strumosa, crassa, qualis pseudocosto, quod ex Gargano monte aduehitur. Illa recens exterius splendescit, intus subalbida: sicca verò, intus rubra, fibris squamosa. Mansa hæc recens, aut trita, odore rosas refert, vnde meritò ei Rhodiæ nomen. Præterea omniũ viuacissima est, quippe quæ è terra effosa, nisi locis admodùm siccis reponatur, post multos menses rursus plãtata repullulet. Nascitur in altissimis mõtium rupibus, saxosis præruptisq; locis. Vtilissima capitis doloribus, inquit Dioscorides, si madefacta fronti & temporibus cum rosacei momento imponatur. Scribit Galenus eam quę in Macedonia nascitur, tenuium esse partium, & discutiẽtis facultatis. In calefaciendo verò secũdi esse excessus, aut tertij incipientis. Cum tamẽ ad omnes capitis dolores valeat, à quacũque causa proueniẽtes, si recẽs cõfracta, & aqua rosacea perfusa cũ calidus fuerit affectus, aut ex amaraci aqua fronti temporibusq; illinatur, præterea cùm cerebrum roboret odoris iucunditate, temperatis qualitatibus præditam esse verosimilius est, quàm secundo excessu, aut tertio incipiente calidam esse.

RHODIA Radix.

Locus.

Lib.4.c.41. *Vires & Temper.*

SALIVNCA Neapolitana. CAP. XLVIII.

Salivncae hoc genus Neapoli missum, in Apuliæ montibus nascitur. Quidam folium odoratũ esse putant, à Malabathro diuersum, quod apertissimè monstrat Iuris consultus, lib.39. Digest. Titulo, de publicanis & vectigali b. Cæterùm eos falli ex eo perspicuum est, quod & folium & Malabathrum Indis peculiaria sint, & ad nos inde vehi soleant. Pharmacopœi quidam Itali eam pro folio Theriacæ immiscent, quàm rectè, ij viderint. In tam exigua planta conspicua est radicis crassities, rugosæ, vtcũque flauescentis, in nodos extuberantis, fibris capillatæ è quorũ lateribus hinc inde folia prodeunt, vt ex ea figura serpere radicem, & æditis illis nodis sese propagare non absre existimem. Folia illa oblonga sunt, angusta, plãtagini vtcũque similia, in fernè arcta, supernè latiora. Sapore & odore planta ista Valerianam refert, vt non dubitem ob odoris suauitatem, & saporis qualitatẽ egregiis aduersus morbos variis facultatibus præditam esse, ac folij loco substitui posse.

HISTO

HISTORIAE OMNIVM PLANTARVM

LIBER NONVS,

In quo plantæ omnes quæ in Paluſtribus proueniunt probè deſcribuntur & ad viuum depinguntur.

IVNCI, CAP. I.

VSTRANDIS agris potiſsimũ per meſſes conceptos æſtus frigidis ſolemur vmbris paluſtrium plantarum, & earum quæ in vmbroſis, vdis, vliginoſis & pinguibus gignuntur, quæ magna ex parte, aut foliũ in medio carinatum, & tanquã ex foliis duobus coagmentatum habent, vt Arundo, butomus, cyperus, aut intrinſecus amplo meatu pertuſum, vt iuncus, animaduertendo errore noſtrorum exemplarium, in quibus apud Theophraſtum legitur, cap. 16. lib. 1. Hiſtor. καὶ τὸ μέσον οἷον τρόπις, ὅθεν τοῖς ἄλλοις, &c. cum legendum ſit, οἷον τρόπις: ἔνδοθεν δὲ τοῖς ἄλλοις, &c. In hoc tamen ſeceſſu minimè ſimus otioſi, ſed varias iis in locis plantas diſquiramus, tum quæ à veteribus, tum quæ à recentioribus ſunt obſeruatæ, facto ab iis quæ notiores ſunt initio. Quæ autem plãta Iunco notior? Dicitur is Græcis Σχοῖνος à loris & funibus, ſicut Latinis Iuncus à iungendo, Arabibus *Dis*, Gallis *Ionc*, Italis *Giunco*, Hiſpanis *Iunco*, Germanis *Bintzen*. Dioſcorides Iunci genera ponit his verbis. Iunci duo genera: vnum lęuis nominati, alterum acuti, qui in mucronem faſtigiatur. Cuius etiam duo aſsignantur genera. Vnum ſterile, alterum fert ſemen nigrum, rotundum, & craſsiore conſtat calamo, carnoſioreq; Tertius eſt Iuncus qui vocatur Holoſchœnos, &c. Galenus aliter ea genera diſtinxit. Schœnos, inquit, quædu oxyſchœnos, alia holoſchœnos nuncupatur (deprauatè tamen in vulgatis codicibus legitur oligoſchœnos) Gracilior duriorq; oxyſchœnos, craſsior laxiorq; holoſchœnos. At oxyſchœni duæ ſunt ſpecies, altera ſterilis, altera ſemen fert, &c. Theophraſtus verò ſic: ἔστι δ' αὐτῶν (κοινὸν) τρία εἴδη, καθάπερ τινὲς διαιροῦσιν. ὁ, τε ὀξὺς καὶ ἄκαρπος, ὃν δὴ καλοῦσιν ἄῤῥενα, καὶ ὁ κάρπιμος, ὃν μελαγκρανὶν καλοῦμεν, διὰ δὲ μέλαινα τὸν καρπὸν ἔχει. παχύτερος δ' οὗτος καὶ σαρκωδέστερος καὶ τρίτος τῷ μεγέθει, καὶ τῇ παχύτητι καὶ σαρκίᾳ διαφέρων ὁ καλούμενος ὁλόχοινος. Quæ Plinius his verbis expreſsit. Tria genera eius (Iunci) acuti, ſterilis, quem marem, & oxyn Græci vocant: reliqua fœminini, ferentis ſemen nigrum, quem melancranin vocant. Craſsior hic & fruticoſior: magíſque etiámnum tertius, qui vocatur holoſchœnos. Sunt igitur Theophraſto & Plinio, Iunci genera duo. Oxyſchœnos mas, Oxyſchœnos fœmina. Tertium holoſchœnos, vt non ſit oxyſchœni ſpecies. Ex quibus ſuſpicari licet corruptos eſſe vulgares Dioſcoridis codices, in quibus Iuncus in læuem & oxyſchœnum diſtribuitur: Oxyſchœnos in ſterilem, frugiferum, & in tertium holoſchœnum. Hîc enim tertia Iunci ſpecies ſtatuitur

Nomina
Lib. 4. c. 47.
Genera.
Li. 3. ſimpl.
Lib. 4. hiſt. ca. 14.
Li. 21. ca. 18.

ſtatuitur holoſchœnos, quæ diuiſionis totius altera pars eſt. Iuncus enim læuis alius oxyſchœnos, alius holoſchœnos. Quare ex Galeno qui caput de Iunco, vt alia transcripſit ex Dioſcoride, ſic emendanda videntur eius exemplaria. Σχοῖνος λεῖα ἄποξυς ἐπ' ἄκρῳ. ταύτης διασὸν εἶδος, τὸ μὲν δὴ αὐτῆ ὀξύχοινος. τὸ δὲ ὁλόχοινος. Τῆς δὲ ὀξυχοίνου δύο εἰσὶν εἴδη. ἡ μὲν γὰρ ἄκαρπος, &c. Ideſt, Iunci læuis in acutum faſtigiati duo ſunt genera. Vnum oxyſchœnos, alterũ holoſchœnos. Rurſus oxyſchœni duæ ſunt ſpecies, altera ſterilis, &c. Vel, vt Theophraſtus & Plinius diuidunt, tria intelligamus Iunci læuis & acuti genera à Dioſcoride conſtitui, ſitq; idem χοῖνος ὀξὺς Theophraſti, qui ὀξύχοινος Dioſcoridis. Igitur acuti Iunci ſiue oxyſchœni duo ſunt genera. Alterum ſterile, alterum frugiferum: tertiũ genus eſt holoſchœnos, carnoſior & craſsior reliquis duobus: vt ſit holoſcœnos ex τῶν ἀποξέων ἐπ' ἄκρου genere, cui generi Theophraſtus etiam & Plinius ſubiiciunt. Hæc ſi quis cum Theophraſto conferat, maximè conſentire perſpiciet. Hanc diuiſionem Aldinum exemplar diuerſum ab aliis quos ſecuti ſunt interpretes, videtur exprimere: ſic enim habet: Σχοῖνος λεῖα. Τὸ μὲν τοι αὐτῆ καλεῖται χοῖνος λεῖα, ὁ δὲ ὀξύχοινος ἄποξυς ἐπ' ἄκρῳ. διασὸν δὲ καὶ ταύτης εἶδος. ἡ μὲν γὰρ ἄκαρπος, ἡ δὲ μέλαινα καρπὸν ἔχει, στερρὸν. παλύτεροι δὲ ταύτης οἱ καλαμοι, καὶ σαρκωδέστεροι. ἔτι δὲ καὶ τρίτη πολλῷ σαρκωδεστέρα, καὶ παχυτέρα. (ſic enim legendum ex Theophraſti & Plinij locis antea citatis, non τραχυτέρα, vt habent omnia Dioſcoridis exemplaria) τοῖν δυοῖν, ὁλόχοινος λεγομένη. Ideſt, Iuncus læuis. Vnus quidem Iuncus læuis vocatur, alter oxyſchœnos in ſummo acutus: duplex autem eſt eius genus. Vnum quidem ſterile, alterum fructum ferens nigrum, rotundum craſsiores huius ſunt calami, & carnoſiores. Eſt & tertium genus multò cornoſius & craſsius reliquis duobus, quod holoſchœnos dicitur. Eadem planè eſt quæ apud Theophraſtum diuiſio: hoc ſolùm intereſt, quod Iuncum læuem & oxyſchœnum veluti duo genera illic fiunt, cum vnicum ſit teſte Galeno, vt diximus. Eſt & id minimè prætereundum pro χοῖνος λεῖα in Dioſcoride ex Hermolai viri eruditiſsimi iudicio legendum videri χοῖνος ἑλεία, ideſt, Iuncus paluſtris. Cui adſtipulatur Paul. Ægi. ſic ſcribẽs. χοῖνος ἑλεία, Ideſt, Iuncus paluſtris: quibus ſubiicit. Paluſtris Iuncus duplex eſt: ſed eius qui vocatur oxyſchœnos, ſemen eſt ſomnificum: holoſchœni autem dicti minus. Rectè verò iuncus paluſtris dici videtur, vt ab aliis ſecernatur qui in aridis, ſaxoſis, ſiccaneíſq; locis proueniunt: qualis eſt Iuncus Arabicus ſiue odoratus, & Hiſpanorum ſpartum, Iuncus propriè aridi ſoli. Sic & Theophraſtus de Iunco tractãs, ὅτι τῶν ἐνύδρων, ideſt, ex aquaticorũ genere eſſe ait. Plinius nõ χοῖνον λεῖαν, vel ἑλεῖαν, ſed θαλαττίαν legiſſe videtur, cum ſcribit. Alterum genus Iuncorum fecit quod marinum, & à Græcis oxyſchœnum vocari inuenio. Nos ex Dalechampij ſententia rem paulò altiùs repetentes, Iuncos ſic partiemur. Iuncorum alij in aridis locis creſcunt, alij in aquoſis. Horum alij in maritimis proſiliunt, alij in aquis dulcibus. Rurſum vtriuſque generis horum, alij ſunt ἀπόξεις ἐπ' ἄκρου, ideſt, in mucronem pungentem deſinũt, alij in faſtigium obtuſiùs. Sed de paluſtribus præſertim hîc agimus. Iunci paluſtris ſiue aquatici,

In Corall. 33. lib. 4. Lib. 7.

IVNCVS Læuis.

Lib. 4. hiſt. cap. 13. Li. 21. ca. 18.

aquatici,alius est λεῖος, læuis,alius τραχὺς, idest,asper : alius fastigio acutiore, alius obtusiore. Iunci palustris læuis & ἀπόξεος ἐπ' ἄκρου, idest,in fastigio: acuti alius est oxyschœnos, alius holoschœnos. Iam verò oxyschœnos duplex est. Alter mas nullo semine fœcundus,alter fœmina nigrum semen ferens, Melancranis nominatur. Ad hæc genera permultæ Iuncorum palustrium species referūtur:de quorum multis hîc tractabimus. Iuncus læuis oxyschœnos, vulgaris, foliorum loco stilos,seu culmos,seu virgas profert rectas,rotundas,tenues,læues enodes, cubitū & sesquicubitum altas, herbaceo colore virentes nitentésque,acutis cuspidibus mucronatas, candida medulla refertas,ellychnium referente,& vsu supplente. Radiculæ ei quàm plurimæ, tenues,fibratæ, inter sese implicatæ. Mas nullum fert fructum,fœmina paulò infra cacumen edit,ab vno latere findente sese Iunco,in paruis breuibúsque petiolis,cohærentium paruarum vuarum modo,in quibus semen nigrū, exiguū, cuspidis effigie. Huic aliud Iunci genus proximum est, paulò breuius & crassius, ex quo medullam prorsus niueam extrahunt,tum ad lucernarum lumina, tum ad candelabra, aliaq; id genus ingeniosè confingenda, quod facilè in spiras duci, atque in se flecti & cōplicari possit. Hæc duo genera in quibusuis stagnantibus & palustribus aquis nascuntur. Iuncus læuis Dodonæi secundo loco hîc pictus est, alba quoque medulla plenus,longa, ad lucernas vtili. Iuncus oxyschœnos eiusdem priore loco depictus superiore paulò asperior & durior,parū medullæ intus habens & minùs solidæ atque inutilis,locis deliuibus & aquosis prouenit. Iuncus oxyschœnos fœmina quam non μελαγκρανισμὸν, vt corruptè legitur in vulgatis exemplaribus, sed μελαγκρανίδα Theophrastus vocat, Gaza atriferum vertit,alij haud fœlicius atricipitem, radices capitatas profert, cæpis & gethyis similes, non omnino rotundas, sed qua parte aliæ aliis adhærent & incumbunt, leuiter compressas, cortice nigro obductas,quæ infernè & ad latera radiculas emittunt,in vnum cespitem, sicuti in asparagis coaceruatas. Inde prodeunt scapi seu scirpi multi, sesquicubitales, nigra tunica propè radices contecti, qui infra cacumen pedis ferè spatio extumescentes veluti clauā concipiunt, deinde pariunt ouo quid simile. Id porrò hians petiolos multos emittit, in quorū vertice mēbranosa & rotunda vascula, obliquè

Forma.

IVNCVS Læuis & Oxyschœn. Dodo.

Lib.4. c.52.

IVNCVS Melancranis.

adnexa in quinque veluti radios fissa, fructum continent angulosum, nigrum, cuspidatum, minutissimis seminibus & luteis plenum, saporis aquei & subausteri. Hæc cùm diligentissimè Theophrastus expresserit, non possum non eius verba adscribere, tum vt Theophrasti Melancranin à nobis hîc depictam, tum vt locum eiusdem leuiusculis aliquot mendis correctis & interpretatione nostra illustriorem factum fuisse omnes intelligant. Κορωνὴν δ' ὁ κάρπιμος ἔχει (κόρωνα δ' ὅλως ὁ κάρπιμος falsò habent exemplaria) ἐξ αὐλῶν τῶν γραμμώδων ἐξοιδήσας, κἄπειτα σκιλὴν καθάπερ ὠά. πρὸς μιᾷ δὲ ἀρχῇ γραμμώδης ἔχει τὸν περιφαχυώδη μίσχον, ἐφ' ὧν ἄκρων παραπλαγίους τὰς τῶν ἀγγείων ἔχει προβολὰς ἐπιφαζόμας (alij ἐπιχανίσκας legunt) ἐν τούτοις δὲ τὸ σπερμάτιον ἀκιδῶδες ἔστι, μέλαν, προσεμφερὲς τῷ τῶν ἀστερίσκων, πλὴν ἀμβλυτέρου. Quæ sic Gaza conuertit. Omnino frugifer in callum de regulari surculo ipso tumescens, mox veluti oua parit, circundantes enim spicatim pediculos Iunco lineari affixos initio gerit: quorum summitatibus paululò laterales orbes vasculorum leuiter hiscentes inducit. His semen exiguum, effigie cuspidis sagittarum ingerit, nigrum, non absimile semini herbæ inguinalis, verùm exilius. Dilucidius verò sic. Fœcundus Iuncus virgato lineis fastigio extumescens, velut clauam in summo gignit, deinde quasi oua parit. Etenim ex vno principio, pediculorum virgas spicarum modo congestas profert, & in earum vertice paulùm à latere hiantia vascula rotunda, in quibus semen cuspidis figura, nigrum, asteriſco simile, sed fugacius. Hactenus Theophrastus, qui de Iunco fœmina adiicit. ἡ μὲν οὖν μελάγκρανις αὐλός τις καθ' αὑτὸν, ὁ δὲ ὀξὺς καὶ ὁλόχοινος ἐκ τοῦ αὐλοῦ φύεται: quæ Plinius sic transtulit. Melancranis sine aliis generibus nascitur. Oxys autem & holoschœnos eodem cespite. At quæ de holoschœno mox subiicit. Fert fructum ouorum cohærentium modo, Theophrastus non de solo holoschœno fœcundo, sed etiam de oxyschœno frugifero dictum esse vult. Iuncus Melancranis nascitur in aquosis & pinguibus locis, sed pura & præterfluente aqua ferè madentibus. Iuncum alium fœcundum hîc ex Dalechampio exhibemus, quem Clauatum meritò nuncupauit. Radix huic geniculata, graminis aut arundinis modo serpit, contra Iuncorum aliorum naturam, ex qua scirpi cubitales exeunt, in ipso exortu cortice rubro aut subrubro contecti, fungosa medulla, sed tenui pleni, extremo fastigio exiguam veluti clauam proferentes, plantaginis flori non absimilem, sed breuiorem & multò minorem, nec ita perspicuis granulorum notis distinctã, quæ Maio & Iunio mensibus florem mittit villosum & candicantem. In cœnosis & stagnantibus aquis nascitur. Sapor totius plantæ aquosus & fatuus. Idem qui Lobellio Iuncus aquaticus minor capitulis equiseti dicitur. Holoschœnus maior, crassior & carnosior est supra descriptus: cuiusmodi est qui hîc exhibetur, radice innixus crassa, lignosa, nodosa, infernè fibras infinitas producente, rufo cortice obducta, ex qua scirpi exeunt permulti, quâ radici inhærent capitati gethyorum modo, & ibidem rusa tunica operti, duobus cubitis altiores, sæpe tricubitales, superioribus duplò crassiores, fungosa medulla farcti, in vertice valido mucrone pungentes, tribus digitis infra verticem scapi dissiliunt, petiolósque multos edunt, foris læues ac teretes, intus veluti canaliculati

Lib. 4. hist. c. 13.

Lib. 21. c. 18.

IVNCVS Clauatus, Dalech.



HOLOSCHOENVS.

HOLOSCHOENVS Altera.

canaliculati,rotunda ferentes capitula, quibus menſe Iunio flos capillaceus & candicans inſidet,egregiè deſiccans cum læui adſtrictione. Gaudet limoſo ſolo ſtagnantibus aquis operto,quod æſtate ſiccari ſolet. Poteſt etiam verus Theophraſti Holoſchœnos dici, qui hîc pictus datur, radice ſuperiori ſimili, craſsitudine ferè cubitali, cortice nigro intecta, intus candida,dulci,guſtu caſtanearum,præſertim ſi quis tenella eius germina deguſtet, ſcapis proceritatem hominis æquantibus,ſæpè excedentibus,minimi digiti craſsitudine, medulla refertis. In ſummo prorſus vertice ſcirpi recluduntur, patefactiq; foras extrudũt petiolos intus canaliculatos, foris teretes vt in ſuperiore genere,ſummo apice multos veluti iulos ſuſtinentes,rufos,ſquamatim compactos, metæ figura, nimirum infernè latiores, ſupernè acuminatos,ſæpè quinos,interdum plures, interdum pauciores, qui ſemen cõtinent milij magnitudine,altera parte cõpreſſum,altera dorſo elato prominens,ſubauſteri ſaporis. In perennibus aquis,interdum in ſolo arenoſo proſilit. Qui natare diſcunt,huius ſcirpos in faſciculos colligunt,& alis ſubiiciunt,quos Galli *Nageoires* vocant,quaſi natantium, vel natare diſcentium adminicula. Theophraſtus cum tam de holoſchœno quam oxyſchœno fœcundis,quę ſuprà poſuimus,dixiſſet, ſubiicit de holoſchœni radice. ῥίζαν δὲ ἔχϕ μακρὰν καὶ παχυτέραν πολὺ τοῦ ὀξυσχοίνου αὐλὴ δὲ ἀναίνεται καθ' ἕκαστον τὸν ἐνιαυτὸν. εἶθ' ἑτέρα πάλιν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς τοῦ σχοίνου καθιέται. τοῦτο δὲ καὶ ἐν τῇ ὄψϕ φανερὸν ἰδεῖν, τὰς μὲν ἀναις, τὰς δὲ χλωρὰς καθεμένας. ἡ δὲ κεφαλὴ ὁμοία τῇ τῶν κρομμύων, καὶ τῇ τῶν γηθύων, συμπεφυκυῖα πως ἐκ πολλῶν εἰς ταὐτὸ, καὶ πλατεῖα κάτωθεν, ἐχομένη κελύφῃ ὑπέρυθρα. συμβαίνει δ' ἂν ἴδιον ἐπὶ τῶν ῥιζῶν, ὅτι ἀναίνονται κατ' ἐνιαυτὸν, ἢ τοῦ ἄνωθεν πάλιν ἡ γένεσις. Lib.4. hiſt. cap.13.

Ideſt,Gaza interprete,Radice lõga adhæret, multóq; craſsiore quã acutus. Hæc omnibus annis moritur,dein altera rurſus à lũci cacumine defigitur: quod vel viſu percipi facilè poteſt: quippe aliæ ſiccæ,aliæ virides demiſſæ cernuntur. Caput cepis & gethyis ſimile, vt pote quod in vnum ex pluribus conglobatum prælatumq; inferiùs,tegumentiſq; ſubrubris intectum conſtet. Ergo proprium his radicibus euenit, ſi quidem per annos exareſcant, ac deſuper generentur. Quæ fortaſsè rectiùs ſic dici poſſent. Radicem longam habet holoſchœnus, & multò craſsiorem Iunco acuto,quæ omnibus annis intermoritur:deinde altera rurſus ex Iunci capite renaſcitur: id quod cuiuis intuenti perſpicuum eſt, alias nimirum

radicum fibras aridas,alias vireſcentes eſſe. Caput cepis & gethyis ſimile, ex pluribus coagmentatum,inferne latum,rubris tunicis opertum. Ergo his radicibus id peculiare eſt,quod ſingulis annis emoriantur, & rurſus ſuperne ex radicis capite repullulent. Horum nonnulla Plinius, & eum,opinor, ſecutus Gaza rectè neque intellexiſſe,neque conuertiſſe videntur. Quas enim ille ex radicum capitibus radices quotannis exareſcentes repullulare ſcribit,Plinius ait naſci ex ſemetipſo cacumine in terram defixo. Grandis Iuncus in lacubus & ſtagnis naſcens, Cordo holóſchœnos dictus,aliis Iuncus latus paluſtris, ex radice obliqua emergit, fibris permultis capillata,ex qua folia lata admodum,& ſcapi, in quibus folia alia etiam lata per interualla diſpoſita, quò propiùs ad verticem accedunt, eò minora, omnia ſenſim in anguſtum deſinentia, enſis figura. In ſummo ſcapo flores eminẽt,deinde ſemen. Hunc Iuncum Cordus Mariſcum. Latinis dici putat,de quo Plinius. Similia præcipit & de Iunco quem Mariſcum appellant, ad texendas tegetes. Alij eum qui proximè depingetur Mariſcum eſſe cenſent. Eſt enim vterque prægrandis & ad texendum aptiſsimus,ductilis ac vietus. Hermolaus holoſchœnum Mariſcum à magnitudine Latinis dictũ putat,quemadmodũ & Mariſcas ficus,auctore Feſto,quæ Græci Buſyca,hoc eſt,grandiores & fatuas ficus. Huic adſtipulatur Gaza, qui Theophraſti holoſchœnum ſemper mariſcũ interpretatus eſt. Cui verò Iuncorum genen ſcirpum adſcribemus? Videtur, inquit idem Hermol. paluſtris Iuncus idem cũ ſcirpo eſſe: de iis enim ſic ſcribit Plinius. Nec in fruticũ, nec in veprium cauliúmve,neque in herbarũ, aut alio vllo quàm ſuo genere numerenturiure ſcirpi fragiles paluſtréſque,ad regulum & tegetes,è quibus detracto cortice candelæ luminibus & funeribus ſeruiunt. Firmior quibuſdam in locis earũ rigor. Namque iis velificãt nõ in Pado tantũ nautici,verùm & in mari piſcator Africus,præpoſtero more vela intra malos ſuſpendens. Et mapalia ſua Mauri tegunt: proximeq; æſtimanti hoc videantur eſſe quo inferiore Nili parte papyri ſunt vſu. Hæc Plinius. Ob quæ, inquit Hermolaus, ſunt apud nos qui ſcirpos,interpretentur,quos Græci biblos,ideſt,papyros vocãt. Sed fruticoſi generis ſunt enodes,& ſine frõde ſcirpi,læues proceriq;,vt Feſtus ait: vnde prouerbiũ quoque natũ,nodũ in ſcirpo quęri,quod in anxiũ dicitur,nimiſq; diligentem ac meticuloſum, quo Terentius in Andria vſus eſt:vbi Donatus, Iunci ſpecies eſt ſcirpus,inquit,læuis atq; enodis. Haudquaquã ſilentio prætereundus eſt Iuncus ille eximius,ab aliis diuerſus,quem Matthiolus à ſpecioſis floribus Iuncum floridum appellauit, Dodonæus in Hiſtoria ſtirp.pro Sparganio depinxit, & deſcripſit,In frument.Hiſt. Gladiolum aquaticum ſeu paluſtrẽ nominauit. Belgæ *Vuatter liſch.* Folia à radice multa emittit,acori paluſtris anguſtiora longioraq;,inter quæ caulis medius exit,duos cubitos longus,læuis,æqualis, ſine vllis geniculis, in cuius ſummo multi erũpunt floſculi, longioribus pediculis inſidẽtes in purpura diluti,in quibus ſtamina exigua crocei coloris:ſequũtur capitula purpurea, ferè rotũda paruarũ pilularũ inſtar,& in eis ſemen minutũ. Radix craſſa, cãdida geni-

culata

L.21. c.18.

IVNCVS Latus.

Ca.42.li.4. Dioſcor. Lib.2..c.18.

In Coroll. cap.55. Li.4.Dioſ.

Ibidem. L.16.ca.5.

Ca.47.li.4. Lib.2. c.38.

IVNCVS Floridus, Matth.

IVNCVS Aſper, Dodon.

culata, quamplurimis fibris capillata. Naſcitur locis paluſtribus in ſtagnãtibus aquis, & lentè fluẽtibus riuulis. A Maio ad Auguſtũ vſque floret. Lobellius & Pena Iuncum Cyperoidem floridum nuncuparunt, quia ad Cyperum accedit foliis & vmbella. Iuncũ aliũ Bombycinũ memorat Pena, De quo hoc ipſo libro dicemus Lini pratenſis nomine. Hactenus de Iunco læui, deinceps de aſpero dicendum. Iuncus aſper meritò dicitur qui hîc exhibetur, foliis valde longis, tactu aſperis, penè triãgulis, fungoſa medulla plenis: radice denſa, dura, fibras plurimas producente, & ſurculos ex obliquo, geniculatos, ex quibus flores & nouellæ plãtæ prodeunt. Secus amnes, & in lacubus maioribus ſtagniſq; prouenit. Hoc Iũci genere ad ſtoreas & tegetes texẽdas ſternendis hyeme cubiculorũ pauimẽtis aduerſus vim frigoris Belgæ vti ſolent: quas tegetes illi *Matten* vocant, Pariſienſes *Nattes*. Dodonæus hunc Iuncũ papyri ſpeciẽ, atque etiã arundinẽ texendis tegetibus aptã vocat. Vluæ grandioris genus quidã eſſe cenſent. Alij Iuncũ Mariſcũ Plinij ad texẽdas tegetes. Alij Bryon lacuſtre Theophraſti, lib. 4. Hiſt. cap. 12. Alij Caricem Latinorũ. Iuncorum vſus ad naſſas marinas, ait Plinius, vitilium elegantiam, lucernarũ lumina, præcipua medulla, amplitudine iuxta maritimas Alpes tãta, vt inciſo ventre impleãt penè vnciarũ latitudinẽ, in Ægypto verò cribrorũ longitudinẽ, non aliàs vtiliorem. Qui locus Cornario ſuſpectus videtur, vt deſit vnciarũ numerus, deinde quæ nã eſt iſta cribrorũ longitudo? Sic ergo ex coniectura reſtituendum iudicat: amplitudine iuxta maritimas Alpes tãta, vt inciſo vẽtre impleant denûm vnciarũ latitudinẽ, in Ægypto verò cybiorũ longitudinẽ, nõ aliis vtiliorẽ. Denûm vnciarũ, ideſt, pollicũ latitudinem dixit. Sunt enim æquè duodecim pollices in pede Romano, ſicut in libra duodecim vnciæ: & procliue fuit vocem penè pro denûm ſubſtituere. Deinde cybiorũ longitudinẽ implere ait (vetus Cornarij codex cimbiorũ vocẽ ſcriptam habet) eamq; longitudinẽ nõ eſſe aliis quã cybiis videlicet, vtiliorẽ, nimirũ vt ipſis excipiãtur ac colligãtur. Cybiũ autẽ appellari cõciſam pelamidẽ Plinius teſtatur. Hermolaus vulgarẽ lectionẽ ſecutus penè vnciarũ latitudinẽ legit, & cribrorũ longitudinẽ nõ aliàs vtiliorem. Ob id, inquit, cribrũ ſignificaturi Ægyptij Iuncũ pingũt, Horo auctore, qui & in Ægypto Iũcis ſcribi, nec aliter affirmat. Neque aliquid immutandũ aut corrigendũ videtur: nã ſeruata vetere lectione, Plinius intelligit tã amplos Iũcos, iuxta maritimas Alpes

Lib. 4. c. 54.

Vſus.
Lib. 21. c. 18.

Embl. 42. lib. 4.

naſci,vt inciſo vētre exempta medulla impleant vnciæ,ideſt,pollicis latitudinē,& in Ægypto tam proceros eſſe,vt dū ex his cribra fiant,ad eorū longitudinē perficiendā Iuncorū quiſque ſufficiāt. πρὸς τὰ πλέγματα, inquit Theophraſtus χεῖροι. μώτερος ὁ ὁλοχοινος, διὰ δ' σαρκώδες καὶ μαλακὸν. Quæ ſic Plinius expreſsit. Vtiliſsimus ad vtilia holoſchœnus,quia mollis & carnoſus eſt. Iūco Græcos ad funes vſos nomini credamus,inquit Plinius,quo herbā eam appellāt. Vnde etiā funābuli ſchœnobatæ à Græcis dicūtur. Democritus vbi reperiatur Iuncus, ſubeſſe ſcaturigines aquarū,ibiq; aquilegia ſtrui poſſe teſtatur. Sed de Iunci in medicina vſu dicamus. Semen tā oxyſchœni quā holoſchœni toſtū, ex diluto vino potū ſiſtit aluū,& rubra fœminarū profluuia,auctore Dioſcoride:vrinā cit,capitiſq; dolores facit.Quæ proxima ſunt radici folia tenera cōueniēter illinūtur aduerſus phalangiorū morſus. Æthiopici Iunci ſemine ſomnus allicitur: ſed modus in potione ſeruādus eſt, ne ſopor fiat.Quæ poſtrema ſic Græcè legūtur,φυλάττεται δὲ μὴ ἐν ταῖς πόσεσι δ' πλῆθος ἀεί, χαροῖ δὲ λίαν. Expēdere autē oportet ſemper quantitatem quam ex eo propinabimus:quandoquidē eſt maximè ſoporiferū. Vel,vt tranſtulit Cornarius, Æthiopicus Iuncus ſomniferū ſemē habet.Sed vitāda copia eſt in potionibus, ne nimium ſoporē inducat. Eſt autē Æthiopici Iunci lectio ſuſpecta:alij Euripici legunt ex Plinio. Inuenio etiámnum, inquit,vnum Iunci genus,quod Euripicē vocant: alij Trepicē legunt,vt non minùs hic,quàm illic mēdoſus locus eſſe videatur.Galenus,Paul.Aetius holoſchœni ſemen ſomniferum eſſe tradūt, itemq; oxyſchœni,ſed minùs quàm holoſchœni. Serapio qui ad verbum Dioſcoridis caput trāſcripſit,nullā Æthiopici ſeu Euripici mentionem facit,ſed,vt Galenus & alij, tertij Iuncorum generis,ideſt,holoſchœni,his verbis. Et fructus ſpeciei tertiæ bibitus inducit ſomnū,& oportet quod caueatur multus vſus eius, quia facit ſubet. Tot igitur, iiſq; probatiſsimis auctoribus in ea lectione conſentientibus, minimè dubitandū eſſe puto,quin in Dioſcoride legēdum ſit holoſchœni ſemine ſomnū allici,niſi fortaſſe æthiopici holoſchœni ſemen id magis efficiat quàm noſtratis: quod tamen ſuperiorum auctorū nullus,nō ſolùm Æthiopici holoſchœni ſemini non tribuit,ſed eius ne meminit quidem.Quæ de eiuſdem plantæ viribus à Plinio tradita ſunt conferamus cum iis quæ ex Dioſcoride exſcripſimus. Iunci radix, ait ille,in tribus heminis aquæ decocta ad tertias, tuſsi medetur. Semen toſtum & in aqua potum,ſiſtit aluum & fœminarū menſes,capitiſq; dolores facit. At qui vocatur holoſchœnos,eius quæ proxima ſunt radicis,cōmanducātur aduerſus aranearum morſus. Inuenio etiámnum vnū Iunci genus, quod Euripicē vocant. Huius ſemine ſomnum allici,ſed modum ſeruandum,ne ſopor fiat. Quod de Iunci radice hic ſcribitur,Dioſcorides non habet:quæ mox ſequuntur cōſentiunt,niſi quod in aqua potum pro μελικράτου Plinius dixit:eſt autem κρᾶμα vinū aqua dilutum. Deinde ῥοῶν ἐρυθρόν menſes,ſuo more interpretatur. Quod ſequitur alienum eſt à Dioſcoridis ſentētia. At qui vocatur holoſcœnos eius quæ proxima radici, &c. In quibus vox folia deeſt ex Cornario reponēda,& Dioſcorides ea nō cōmanducari, ſed imponi vult. Idem Plinius Iuncinum oleū è Iunco fieri ſcribit, quod eſt roſaceo ſimillimum. Sed de Iunci temperamēto & viribus omnium optimè diſſeruit Gal.his verbis.Fructus holoſchœni ſomnū affert.At oxyſchœni duæ ſunt ſpecies, altera ſterilis, cuius quidem in medicina nullus vſus eſt: altera verò ſemen fert:cōciliat verò & huius ſemen ſomnū,ſed minùs quàm holoſchœni: quāquam tamen hoc caput tentet. Vtrumque ſi fructum cum vino bibatur, ventris fluxus deſiccat,& muliebre profluuium rubrum ſiſtit. Ex quibus perſpicuum eſt quod compoſita eorum temperies eſt, ex terrena videlicet eſſentia leuiter frigida, & aquea leuiter calida, vt & inferna deſiccare poſsint, & ſenſim frigidos ad caput vapores ſubmittere,quibus ſomnolentos efficiant.

Lib.4.hiſt. cap.13. Li.21.ca.18.

Lib.19.c.2.

Vires. Li.4.ca.47.

And.Lac.

Li.21.ca.18.

Cap.103.

Li.21.ca.18.

Li.17. ca.7.

Li.8.ſimpl.

CYPERVS

CYPERVS. CAP. II.

ΚΥΠΕΙΡΟΣ, Latinè Cyperus & Cypirus, Plinius tamen cyperum à cypiro distinxit, qui cum Dioscoridis cypero idem esse videtur, nec Galenus, Ætius, Paulus alium vllum quàm cyperum nostrum agnoscunt. Cornelius Cels. quadratum iuncum vocat, Plinius iuncum triãgulum, & iuncum angulosum: eius verò radicem oblongam Cyperida, vt mox dicetur. Gaza apud Theophrastum gladiolum conuertit. Galli *Souchet*, nominant, Germani *Vuildergalgan*, id est, siluestrem galãgam, Arabes *Saheràde*. Videtur autem κύπειρος siue κύπιρος dici à radicis effigie, quæ pyxidulam aut poculum pusillum, vasculúmve imitatur. Sic etiam apud Theophr. κυπερὶς τῆς πτελέας, id est, folliculus vlmi legitur. Cyperus Dioscoridi folia fert porraceis proxima, sed longiora & exiliora: caulem odorati iunci, cubitalem, aut maiorem, angulosum, in cuius cacumine minuta folia cum semine exoriuntur: radices, quarum in medicina est vsus, cohærentes inter sese, oleis oblongis similes aut rotundæ, nigro colore, suaui odore, amaro gustu. In lacunosis & palustribus nascitur. Plinius cyperum iũci genus facit, ideóque iuncis subiunxit. Quidam etiamnum vnum genus faciunt, iunci trianguli, cyperon vocant. Et paulò pòst. Cyperus iuncus est, qualiter diximus, angulosus, iuxta terram cãdidus, cacumine niger, pinguisq;, folia ima porraceis exiliora, in cacumine minora, inter quæ est semen, radix oliuæ nigræ similis, quam, cùm oblonga est, cyperida vocant, magni in medicina vsus. Theophrastus cyperum inter orchomenij lacus plantas recenset, & ἡ δὲ ῥίζα, inquit, τοῦ κυπείρου πολύ τι τῶν ἄλλων παραλάττει τῇ ἀνωμαλίᾳ, τὸ μὲν εἶναι παχύτι καὶ σαρκώδες αὐτῆς, τὸ δὲ λεπτὸν & ξυλῶδες. Id est, cyperi radix multùm inæqualitate à cæteris distat, quod pars quædam crassa carnosaque sit, quædam gracilis atque lignosa. Ex his perspicuum est cyperum hunc nostrum ab illo non differre, folia enim ei sunt longa, angusta, dura, porraceis similia, longiora tamen & tenuiora: caulis cubitalis, aliquando maior, triangularis, alba intus medulla, vt in iunco, in cuius cacumine folia minora, quadantenus stellatim disposita, inter quæ semen prodit spicatum, herbacei coloris, radices subnigræ, cohærentes, oblongis oleis similes, aut rotundæ, aliquando longæ, geniculatæ, summo cespite vagantes, succulentæ, suauissimo odore, inter sese implicatæ, fibris numerosis. Nascitur in palustribus & humecto solo. Solùm est in caule & radicibus discrimen, reperitur enim caulis quandoque quadrangularis, vnde iunci quadrati nomen ei à Celso positum. Dioscorides vtramque differentiam comprehendens, nec triangulum, nec quadrangulum dixit, sed angulosum. Præterea cyperi nostratis radices oblongas oleas non referunt, nec omnino rotundæ sunt, sed longæ sibi cohæsu mutuo implexæ, & multis fibris capillatæ. Sed hoc discrimen plures cyperi species esse, quàm à Dioscoride positæ fuerint tantùm arguit, minimè verò plantam à nobis hic depictam cyperum non esse. Est enim Cyperus peregrinus siue Syriacus rotundus maior & minor, auctore Pena. Nostras, longus odoratus, longus inodorus. His ad-

Nomina

Lib. 3. c. 21. Lib. 21. c. 18.

CYPERVS.

Lib. 2. hist. Lib. 1. c. 4.

Forma.

Lib. 21. c. 18.

CYPERVS Longus odoratior, Lobell.

dit Cyperum gramineum, & Veronenſium Traſos, cyperi congeneres, quos Cyperos eſculentos vocat, de quibus egimus in libro de Bulboſis. Lobellius tres Cyperos propoſuit. Primus eſt Cyperus longus odoratior, Belgis & Anglis *Uvvilden Galegaen*, & Galingua dictus, Hiſpanis *Inuciaoloroſa*. Is maior, habitior, carnoſior, & odoratior eſt: radices illi longæ, inter ſeſe implicatæ polypodij modo, ſuauiſsimi odoris. Alter eſt Cyperus aquaticus ſeptentrionalis, qui in ſcrobib⁹ & riuulis ad Scaldæ amœniſsima fluenta ponè nouam Antuerpiam vrbem, iiſdem foliis & iubata panicula prouenit. Radix nonnullas ſed paucas, teretes, oliuares, oblongiores, inſtar filipendulæ emittit glandulas, guſtu adſtringentes, nulla odoris gratia. Tertius, Cyperus rotundus litoreus inodorus, in borealis Angliç & Belgij fluminum litoreis lenitérque fluentium riuulorum & maris alluuionibus oritur, radicum longè latéque ſparſa ſobole, multis & bicubitalibus implicatarum filamentis, cypero rotundo parium: folia anguloſa ſunt, caulis cubitalis & ſeſquicubitalis, nitidus, triquetrus, in quo racemoſa iuba, congeſta. Guſtu ſubabſtringit: radix frigida & ſicca, odoris & ſaporis expers. Huc accerſit Pena Cyperum Gramineum, ſeu Miliaceum, ſuadente caule natalíque loco. Eſt enim inodori cyperi quadantenus affinis, breuioribus tamen foliis, quæ ab imo orta medio tenus fermè caulem am-

CYPERVS Aquaticus, Lobellij.

CYPERVS, Rotundus inodorus. Lobell.

biun-

CYPERVS Gramineus seu miliaceus, Pena.

briant pedalem, ternis angulis asperum, coma donatum sparsa, eleganti, & maiore quàm pro sui magnitudine, copioso milij aut iunci referta semine, circum cuius imum aliquot foliola enascuntur, vt in Cypero. Collectus est ad Neccarũ flumen agri Heidebergensis. Cypero calida vis inest, vt scribit Dioscо. Venarum spiracula laxat: vrinam ciet: ad calculos, aquámque subter cutem vtilissimè bibitur: aduersus scorpionum ictus remedio est: perfrictionibus vluæ & præclusionibus fotu prodest: pellit menses, contra vlcera oris etiam si depascant, voréntque farina efficax est, malagmatis calfacientibus, & vnguentorum spissamentis benè adiici solet. Galenus de eiusdem viribus ita scribit. Cyperi radices maximè vsui sunt, excalfaciẽtes pariter & exsiccantes absque mordacitate. Itaque vlceribus, quæ præ nimia humiditate cicatricẽ difficilè admittunt, mirificè prosunt: habent enim quiddam etiam adstringens, quapropter vlceribus, oris conueniunt. Quin & incidendi vim quampiam illis inesse testificandum, quia & calculo vexatis congruunt, & vrinam mensesque prouocant. Hæc Galenus. Cyperi radicum farina, addita baccarum lauri eadem mensura, vrina impubis pueri excepta & illita, hydropicos mirificè iuuat.

Lib. 1 c. 4. *Temper. & Vires.*

Lib. 7. sim.

Matth. in cap. 4. lib. 1.

ASPHODELVS PALVSTRIS. CAP. III.

SVBIVNGEMVS iuncis plantã hîc appinctam, ob magnam quę ei est cum iuncis quibusdam, præsertim cum aspero similitudinem. Eam vulgò anonymon, Dodonæus asphodelum palustrem vocat, quòd caulis cum floribus antherico similis asphodeli speciem esse ostendat, tametsi folia gladioli sint aut iridis, pulchrè virentia, aliquantulùm striata; iunci asperi, aut iridis, aut gladioli similia, sed angusta & dodrante breuiora: caulis rectus, pedalis, asphodeli satis similis: flores è senis foliolis, exiguis staminibus in medio, veluti asphodeli, minores tamen, colore è luteo pallentes: semen perexiguum, in oblongis & acuminatis vasculis, radix subest longa, geniculata, non absque fibris, quæ serpit graminis modo. Gaudet locis humidis, & palustribus. Æstiuis mensibus floret. Asphodelus acorifolius, luteus, palustris à Lobellio & Pena dicitur.

Nomen.

Lib. de flo.

Forma.

Locus.

TYPHA

TYPHA PALVSTRIS. CAP. IIII.

Nomina Pet.Pen.in Ad.

ΤΥΦΗ Græcis, Typha Latinis, cui cylindri turbinatáque florum effigies quasi typhonis sese gyrantis turbinem, aut gigantis staturam minacem signaret, nomen dedisse videtur, Galli *Masses* appellant, appositè, inquit Ruellius, quod sceptra regum & clauas argenteas vel aureas, quæ ante primos magistratus gestantur, *masses* vulgò dictas perpolitus caulis lanosa floccorum densitate summatim fastigiatus æmuletur, Hetrusci *Mazza sorda* Matthiolo auctore, quod eius lanugo si in aures incidat, surditatem afferat, Germani *Mosz & Narrenkolben*. Typha hæc aquatica & palustris dicitur, vt ab ea differre intelligatur, quæ cerealis typha nominatur, de qua inter fruges dictũ est. Typha, inquit Dioscorides, folium edit cyperidi simile: caulem album, lęuem, æquabilem: florem in cacumine ambiẽtem densum, qui in pappos resoluitur. Quę descriptio plantã hanc nostram notis omnibus exprimit, foliis enim cyperidis erumpit, ab imo exeuntibus, angustis, mucronatis, dorso eminentiore triquetris, inter quæ è radice iuncea, crassa, geniculata, candida, sapore dulci, caulis emergit altior interdum homine procero, teres, rectus, lævis, glaber, enodis, non inanis, cuius fastigium densa compactáque florum congerie stipatur, & veluti spissa cingitur lanugine, sesquipalmum pedémve longa, quadam tritici turcici, vel potiùs clauæ rotundæ similitudine, quæ lanugo in pappos tandem euanescit vẽtis abrepta, pulla intus, foris nigricans, siue cinerea. Hunc florẽ ἀνθήλην à quibusdam nominari scribit Dioscorides, quamuis lanosam comam in milio, panico, arundine, & qualem in aruis complures herbæ, & in palustribus iunci gerunt, Græci generatim anthelen dixerint, Latini paniculam. In Dioscoridis exemplaribus Latinis legimus caulem typhæ album lævem esse, &c. At Græca omnia quæ videre licuit, vocem λεῖον aut similem minimè habent. Sic enim in omnibus legimus. Τύφη φύλλον ἀνίησι κυπερίδι ὅμοιον, κάλαμον λεῖον, ὁμαλὸν &c. Id est, Typha profert folium cyperidi simile, caulem lævem, æquabilem. Neque Oribasius aliter legit. Est & id annotatione dignum, quod scribit Theophrastus, cap. 11. lib. 4. Histor. ἰδιώτατον δὲ πάντων ἐστὶν ἡ τύφη, ὅτ' ἄφυλλον εἶναι, καὶ τῇ μὴ πολύῤῥιζον. Id est, Maximè peculiare hoc typha habet quod folio careat, & numerosas radices habeat. Quod cùm absurdum sit, quod typha arundinis vel cyperidis folia habeat, necesse est locum hunc Theophrast. esse deprauatum. Quare legit Dalechampius τὸ ἀφύλλανθες εἶναι, quod flos teres, & tornatæ clauæ similis conspicitur, nullis foliis reliquorum more stipatus. Typha in iis est quæ in palustribus & stagnantibus aquis, amnibusq; leniter fluentibus nascitur, vel teste Theophrasto, ἡ ὁ τύφη, inquit, καὶ ἔνια τῶν ἑλείων ἢ λιμναίων ὁμοίως ἀδιάφρακτα & ὁμαλῆ, καθάπερ σχοῖνος. Id est, Typha autem & quædam palustria & lacustria, nullo intercedente nodo qui partes diuidat, æqualia sunt, qualis iuncus est. Iulio mense eius caulis lanosa floccorum densitate obducitur, Augusto in pappos abit. Typhæ flos, auctore Dioscoride, suillo adipe eloto exceptus, ambustis medetur. Ex quibus colligi potest potissimũ typhæ florem non euidenter calefacere, neque

Typha, Aquatica.

In cap. 116. lib. 3.

Forma. Lib. 3. c. 116.

Ibid.

Lib. 11. *Locus.* Lib. 1. hist. Cap. 8.

Tempus. Vires. Lib. 3. c. 1 6. Fuch. c. 317.

neque refrigerare,& modicè abſtergere atque exſiccare. Typhæ lanugine, inquit Matthiolus,additis betonicæ foliis, gladioli & hippogloſſi radicibus, omnibus in tenuiſsimum puluerem redactis, & aſſatis ouorum luteis exceptis vtuntur quidam fœliciter ad enterocelas, quod medicamẽtum quotidie exhibent ieiunis drachmæ pondere,triginta dierum ſpatio, eóque medicamento non modò pueros adoleſcẽtéſque,ſed etiam eos qui ætate ſunt conſiſtente ſanari pollicentur, ſi tamen interim optima ligatura & emplaſtris glutinantibus ima pubes probè muniatur.Sed id nõ lanugini,verùm betonicæ, hippogloſſo,gladiolo fortaſſè acceptũ ferendum,ſatiúſque fuerit hanc abeſſe,quæ ſuffocationis periculum minatur: mures enim ſic enectos vel plebs nouit, & ineptiora cætera medicamenta efficit. Eadem lanugine quidam culcitras replent, & renibus,æſtuantibúſque lumbis haud parùm cõmodi adferunt puluilli thoríve eadem farcti. In agro Gebennẽſi quâ confluunt rhodanus & arua, Typha puſilla,ſiue Typhula exit,planè iunceis culmis,enodibus,rigidulis, cubitum & ſeſquicubitum vix excedentibus, binóque faſtigiolo floris tomentacei donatis:nempe in extremo, vno exiguo & ſemine eroſo, cui adnaſcitur foliolum triticeum, & intorquetur: altero autem inferiùs relicto ſpatio, craſsiore & corpulentiore iuncum ambiente, typhæ non diſsimilem,ſed multò minorem vti & folia, quæ ad imum ſunt aliquantum rigida: radix prolixiùs reptat.

In cap. 116. lib. 3.

Pet.Pen.in Ad.

Pena,ibid.

TYPHA Minor, Penæ.

ARVNDO. CAP. V.

ARVNDO Græcè καλαμος vocatur,Arabice *Caſab*,Gallicè *Canne*,vel *Roſeau*, Italicè *Canna*, Hiſpanicè *Cannas*, Germanice *Korh*. Dioſcorides quinque arundinum genera veluti notiora prodidit.Quædam naſtos vocatur,id eſt,farcta & ſolida, ex qua ſagittæ fiunt,quædam fœmina, ex qua tibiarum linguas efficiunt.Alia ſyringias, quòd fiſtulis addicta ſit,cui multũ ineſt carnis, crebris cincta geniculis, ad librorum conſcriptionem accommodata. Alia craſſa, concaua, apud amnes naſcens à quibuſdam Cypria, ab aliis donax appellata.Alia phragmites ſeu vallatoria, gracilis, candicans, vulgo cognita. Theophraſtus arundinum differentias conſtituit, ex ipſarum corpore ſolido, cauo, ex breuitate,proceritate,craſsitudine,gracilitate,foliorum multitudine,paucitate, natalibus ſiccis, aquaticis, denique ex ipſarum vſu, de quibus poſtremis Theophraſti ordinem ſecuti priùs tractabimus.Ac primùm duo genera facit,αὐλητικον, quam tibialem Plinius interpretatur,& alteram. Sed huius aliam eſſe χαραχιαν, cui nullum nomen Latinum dedit Plinius, Gaza vallarem ſeu vallatoriam interpretatus eſt, craſſam & firmam,ideò vallis & ſepibus hortorum & prædiorum idoneam, vnde ei nomen inditum. Phragmitem Plinius alicubi vocauit.Aliam πλόκιμον,id eſt,textilem,eodem Gaza interprete, fortaſſè quòd ex eius foliis ſtoreæ, tegetes, ſpiræ,atque alia id genus fierent.Theophraſti verba hæc ſunt. Τοῦ δ' καλάμου δύο φασὶν εἶναι γένη. τὸν μὲν αὐλητικὸν, καὶ τὸν ἕτερον. ἓν γὰρ εἶναι δ' γένος τῶ ἑτέρου. διαφέρειν δ' ἀλλήλων ἰσχύι, καὶ λεπτότητι, & ἀσθενείᾳ. καλοῦσι δὲ τὸν μὲν ἰσχυρὸν, καὶ παχὺν χαραχίαν, τὸν δ' ἕτερον πλόκιμον.

Nomina

Genera Lib.. c.9.

Lib.4. hiſt. Cap.12.

Lib.16.c.36

Lib.32.c.10.

Lib.4. hiſt. Cap.12.

Quæ

Quæ ſic traduxit Gaza. Arundinis duo genera tradunt,tibialem,& reliquam:quippe vnum genus reliquæ deprehẽdi, ſed inter ſe inuicem differre firmitate,craſsitate,tenuitate, exilitatéque. Craſſam & validam vallatoriam vocant,alteram verò textilem. Ex qua traductione, tum ex ipſo contextu perſpicere licet emendatiùs hæc ſic legi poſſe, διαφέρειν ἀλλήλων παχύτητι καὶ λεπτότητι, & ἰσχύι καὶ ἀσθενείᾳ,id eſt, differre inter ſeſe craſsitudine & tenuitate, robore & debilitate. Nec hîc prætermittendum eſt Plinium de eadem re tractantem non πλοκιμὸν, ſed πλοΐαν legiſſe, ſcribit enim,Characian vocabant craſsiorem firmiorémque,plotian verò ſubtiliorem. Qui locus aut mẽdoſus eſt,aut Plinius vocum affinitate deceptus, cùm hanc arũdinem legiſſet apud Theophraſtum naſci ἐπὶ τῶν πλωάδων, id eſt, in inſulis fluitantibus, πλωΐαν vocauit,quaſi fluitantẽ,pro πλόκιμον. Addit Theophraſtus, φύεσθαι δὲ τὸν μὲν πλόκιμον ἐπὶ τῶν πλωάδων,τὸν δὲ χαρακίαν ἐπὶ τοῖς κώμυσι.κώμυθας δὲ καλοῦσιν οὗ ἂν ἡ σωρηθροισμένος κάλαμος, καὶ συμπεπλεγμένος ταῖς ῥίζαις. τοῦτο δὲ γίνεται καθ' ὃς ἂν τόπους τῆς λίμνης εὔγειον ᾖ χωρίον. γίνεσθαι δέ ποτε τὸν χαρακίαν & οὐ αὐλητικὸς, μακρότερον μὲν τοῦ ἄλλου χαρακίου, σκωληκόβρωτον δὲ. Id eſt, Textilem in inſulis fluitantibus (Plinio interprete) naſci, vallatoriam in comythibus (Plinius dixiſſe videtur in ripis expatiantis lacus.) Comythas autem vocant, vbi coaceruata arundo mutuo implexas radices habet, quod fit ſtagnorum locis in quibus tellus pinguis fuerit. Nonnunquam vbi tibialis, vallatoria etiam gignitur, longior quidem alia vallatoria, ſed à vermibus eroditur. Deinde Theophraſtus tibialis arundinis ortum, naturam, & differentias prolixiùs exponit, tum plures alias, vt diximus, arundinum ſpecies recenſet,quæ ferè omnia Plinius tranſcripſit, & viginti nouem arundinis genera demonſtrauit,in quibus calamum aromaticum numerat, de quo & arundine ſaccharifera,idoneo loco tractabimus. περὶ δὲ τοῦ αὐλητικοῦ,τὸν μὲν φύεσθαι διὰ ἐνναετηρίδος ὅπερ τινές φασι, καὶ ταύτην εἶναι τὴν τάξιν, οὐκ ἀληθὲς. ἀλλὰ δὴ μὲν ὅλον αὐξηθείσης γίνεσθαι τῆς λίμνης. ὅτι δὲ τοῦτο συμβαίνειν ἐν τοῖς πρότερον χρόνοις, μάλιστα διὰ ἐνναετηρίδος, & τὴν γένεσιν τῷ καλάμῳ ταύτην ἐποιοῦν, δὲ συμβεβηκὸς ὡς τάξιν λαμβάνοντες. γίνεσθαι δέ, ὅταν ἐπομβρίας γενομένης διαμείνῃ τὸ ὕδωρ διετὲς (non διετῆ, vt vulgò legitur) τὸ ὑλάχιστον, ἂν πλέῳ καὶ χαλλίω. τοῦτο δὲ μάλιστα μνημονεύουσι γεγονὸς τῶν ὕστερον χρόνων, ὅτε συνέβη τὰ περὶ Χερωνείαν πρὸ τούτων γὰρ ἔφασαν ἔτι πλέον βαθυνθῆναι τὴν λίμνην. μετὰ δὲ ταῦτα ὕστερον ὡς ὁ λοιμὸς ἐγένετο σφοδρὸς, πλησθῆναι μὲν αὐτὴν. οὐ μέντοι γε τὸ ὕδατος χειμῶνος, ὥστε γενέσθαι τὸν κάλαμον. φασὶ γὰρ, καὶ διακεῖ, βαθυνομένης τῆς λίμνης μείζονος (non μείναντα, vt in excuſis legitur) τὸν ἐπιόντα ἐνιαυτὸν, ἀδρύνεσθαι, καὶ γίνεσθαι τὸν μὲν ἀδρυθέντα ζαγίτην. εἰδ' ἂν (non ὧδ' αν, vt habent exemplaria) μὴ συμπαραμείνῃ τὸ ὕδωρ, βομβυκίαν. Id eſt, Tibialium quandam nono anno prouenire quidam aiunt, & hunc eſſe ordinem, quod falſum eſt. Prorſus enim aucto lacu naſcitur, ſed quoniam id ſuperioribus temporibus nono potiſsimùm anno euenire videretur, hunc quoque arundinis ortum eſſe putarunt, id quod fortuito eueniebat pro ordine ſumentes. Gignitur autem copioſior meliórque, cùm poſt frequentes imbres biennio, minimùm, aqua permãſit, quod maximè poſteriore tempore factum meminere, quando infauſtum illud Cheroniæ accidit. Antea enim aiebant annis pluribus lacum altitudine creuiſſe, poſtea verò cum vehemens peſtis inuaſit, impletum quidem, at cùm aqua non permanſiſſet, ſed hyeme decreuiſſet, ſic prouenisſe arundinem. Fertur enim, & ita videtur, aucta altitudine lacus durante inundatione ſequente anno craſsiorem fieri arundinem, & craſsiorem factam, fieri ζαγίτην (Caza armamentariam vertit) bombyciã verò cùm aqua non permanſerit. Ex quibus Plin. hęc deſcripſit. Tertia arundo eſt tibialis calami, quem auleticon dicebãt. Nono hîc anno naſcebatur. Nam & lacus incremẽta hoc tẽporis ſpatio ſeruabat, prodigioſus ſi quando amplitudinẽ biennio extẽdiſſet, quod notatũ apud Cheroniã infauſto Atheniẽſium prælio, & apud Lebadiam ſæpe notatur influente Cephiſſo. Cum igitur nono

Lib.16.c.36

Lib.16.c.36

Lib.16.c.36 & Lib. 24. cap.11.

Lib.16.c.36

anno

anno permanſit inundatio,proficiunt in aucupatoriã quoque amplitudinem : vocabantur zeugitę.Contrà bombyciæ maturiùs reciproco(ſubaudi lacu,id eſt, ripas deſerente & in medium inundantes aquas recolligente,quarum profuſione arundineta vigebant & augebantur) graciles. ζεύγιτην igitur Plinius nunc eam quæ in amplitudinem aucupatoriam,nunc ſimpliciter aucupatoriam vocat. Dalechampius iugalem potiùs latinè nominandam cenſet,vel quòd ea vites in iugum alligarentur,quam nectẽdæ vitis rationem docet Columella, ad quem vſum etiam arundineta in Italia potiſsimùm culta fuiſſe ſcribit Plinius,vel quòd ex eius internodiis coniugatis compingeretur ſeptenis,vt ait Ouidius, fiſtula cannis:ζεύγη namque vocabant antiqui coniuncta arundinum paria,& μεσογόνια fabricandis muſicis inſtrumentis idonea. Illud tamen ſcire etiam oportet, veteres ζεύγη,ſeu ζύγους appellaſſe τῶν ὀρνίθων βρόχους, id eſt, laqueos ad capiendas auiculas deſtinatos,eoſdémque calamis & amite in aucupiis vſos fuiſſe,verſiculo illo Martialis indicante. Lib.4.c.17. Lib.16.c.36

Galbula decipitur calamis,& retibus ales.

Bombycia autem dicta fuiſſe videtur, vel quod ex ea βόμβυξ tibiæ genus fieret, vel quod bombyciis inſectis corporis exilitate & ſtrigoſo habitu,arundo hæc ſimilis ſit.Præterea ſcribit Theophraſtus,διαφέρειν τῶν ἄλλων καλάμων ἀῤῥοφίᾳ τινὶ τῆς φύσεως. ἀπλησθέστερον γὰρ εἶναι καὶ ἀσαρκόλερον, & ὅλως διεφθάλην τῇ προσόψει. καὶ γὰρ ὁ φύλλον πλαδύτερον ἔχει καὶ λευκότερον.τὴν δὲ ἀνθήλην ἐλάττω τῶν ἄλλων.τινὰς δὲ ὅλως οὐκ ἔχειν. οὓς & προσαγορεύουσιν εὐνουχίας. ἐξ ὧν ἄμεινα μὲν φασί τινες γενέσθαι τὰ ζεύγη. κατορθῶν δὲ ὀλίγα παρὰ τὴν ἐργασίαν.τὴν δὲ τομὴν ὡραίαν εἶναι πρὸ ἀνατειλαντος, ἡνίκα ἡυλεῶν ἁπλάστως ὑπ' ἀρκτούρῳ βοηδρομιῶνος μηνὸς. τὸν γὰρ ὅλον τιμηθέντα σύχνοις μὲν ἔτεσιν ὕστερον γίνεσθαι χρήσιμον, καὶ προχαυλήσεως δέεσθαι πολλῆς. συμμύειν δὲ τὸ στόμα τῶν γλωττῶν, ὁ πρὸς τὴν διακλορίαν εἶναι χρήσιμον.ἐπεὶ δὲ εἰς τὴν πλάσιν μεθέστηκεν, ἡ τομὴ μεθεκινήθη.τέμνουσι γὰρ διεινὴν τοῦσκιῤῥοφειῶνος καὶ ἐκλονβαμῶνος. ὡς περὶ τῶν τροπῶν μικρὸν, ἢ ὑπὸ τροπάς. γίνεσθαι δὲ φασὶν τεινὸν διὰ χρήσιμον,καὶ καλαυλήσεως βραχείας δεῖσθαι, καὶ καθασπάσματα τὰς γλώττας ἔχειν. τοτοῦο διὰ ἀναγκαῖον τοῖς μετὰ πλάσματος αὐλοῦσιν. Id eſt, Differre autem à reliquis arundinibus bombyciam alimenti natiui penuria:nam macilentiorem,graciliorem,& facie planè fœminam ſpectari, foliúmque latius habere & candidius, & minùs lanuginis quàm cęterę,quaſdam etiam nihil prorſus habere,quas ſpadones appellant,ex quibus iuga optima fieri quidam affirmãt,pauca tamen in opere benè ſuccedere. Has tempeſtiuè cædi ſolitas ante Antigenem, cum adhuc ſimpliciùs tibia canerent ſub arcturo mẽſe Septembri : ſic enim cæſas multis poſt annis vtiles eſſe,multáque ſonandi excercitatione indigere, ſed ora linguarum conniuere, quod erat illis ad res populo ſignificandas vtilius. Poſteaquam verò varietas fictióque acceſsit, cæſura mutata eſt:cædunt enim noſtra ætate mẽſe Maio & Iunio ferè circa ſolſtitium, aut ſub ipſo ſolſtitio,& fieri in trimatu vtiles, & breui excercitatione egere , linguaſq; decliues eſſe, & quaſi deorſum flecti , quod his neceſſarium eſt qui ſonos variè fingunt. Quæ Plinius paucioribus verbis ſic explicauit. Contrà bombyciæ maturius reciproco,graciles , fœminarum latiore folio atque candidiore,modica lanugine, aut omnino nulla,ſpadonum nomine inſignibus.Hinc erant armamenta ad inclu ſos cantus,non ſilendo & reliquo curæ miraculo , vt venia ſit , argento iam potius cani. Cædi ſolebant tempeſtiuè vſque ad Antigenem, cum adhuc ſimplici muſica vterentur,ſub arcturo:ſic præparatæ aliquot poſt annos vtiles eſſe incipiebãt, tunc quoque multa domandæ exercitatione, & canere tibiæ ipſæ docendæ, comprimẽtibus ſe lingulis, quod erat illis theatrorum moribus vtilius.Poſtquam varietas acceſsit,& cantus quoque luxuria,cædi ante ſolſtitia cœptæ,& fieri vtiles in trimatu, apertioribus earum lingulis ad flectẽdos ſonos:quæ inde ſunt & hodie. His plura alia genera , vt diximus, ſubiungit Theophraſtus differentiis vel ſenſui perſpicuis diſtincta. Quædam enim denſa tam carne quàm geniculis : quædam rara,pauciſq; Ibid. Ibid. Ibid.

geniculis: alia caua tota, quam σύριγγα, siue συριγγίαν, id est, fistularem nominant.
Lib.16 c.36 Plinius, Calamus verò alius totus concauus, quem syringiam vocant, vtilissimus fistulis, quoniam nihil est ei cartilaginis atque carnis. Orchomenius est continuo foramine peruius, quem auleticon vocant, hic tibiis vtilior, fistulis ille. At syrinx Theophrasto dicitur non syringias, quòd natura sua caua & inanis, medulla, carne, cartilagine vacua sit fistularum modo, non autem vt Plinius exposuit, quod fistulis vtilior sit, vt auleticos tibiis. Quare mirum est Plinium scripsisse calamum orchomenium auleticon continuo foramine peruium esse, cùm id syringi tantùm conueniat, & Theophrastus auletici seu tibialis naturā diligentissimè persecutus, nusquam id de ea tradiderit. Alia arundo solida, & tota penè intus repleta. Item alia breuis, alia procera, excelsa, crassáque: alia gracilis folioságque, alia vnico folio. Multæ etiam differentiæ pro natura vsuq; intelliguntur, singulæ enim ad singula vtiles. Donax (canna vocatur à Gaza, Columellæ fortasse exemplo, qui degenerem arun-
Lib.7.c.9. dinem cannam vulgò vocari scribit, Plinius Græcum nomen retinet) cōmunissima
Lib.16.c.36 arūdo, cōfertissima est, siue ex vna stirpe numerosa, λογμωδέστατον, fruticosissimā vertit Plin. (Fruticosissimus qui vocatur donax, non nisi in aquaticis natus, quoniā & hęc differētia est, multùm prælata arūdine quæ in siccis proueniat.) Quibus verbis Plinius Theophrasti sensum nō rectè expressit, sic scribētis. διαφέρειν δὲ ὅμως παντὸς καλάμου πολύ, τὸν δὲ ἐν τῷ ξηρῷ, καὶ τὸν ἐν τοῖς ὕδασι φυόμενον. Id est, multum in quouis arūdinis genere differre quod in sicco natum est, ab eo quod in aquis creuit, vt hic διαφέρειν, non præstare aut præferri, sed differre ac discrepare significet. Τοξικὸς, Creticam quidam appellant, sui generis est, nodis paucis geniculata, carnosior, fle-
Ibid. xúmque maximè recipiens. Plinius. Suum genus sagittario calamo, sed Cretico longissimis internodiis, obsequentiq; quo libeat flecti, calefacto. Et aliquātò antè. Sed in hoc quoque, vt cæteris in rebus, vicit Italia, quando nullus sagittis aptior calamus, quàm in Rheno Bononiensi amne, cui plurima inest medulla, pondúsque vo lucre, contra flatus quoque peruicax libra. Sunt & differentiæ magnæ ex foliorum non multitudine aut magnitudine modo, sed & colore. Quippe quæ Laconica cognominatur, versicolor est. Item ex ipso situ atq; annexu: quædam enim ab ima parte, foliorum magnam partem ferunt, ipsæq; perinde atque è frutice se attol-
Lib.16.c.36. lunt. Plinius. Differentias faciunt & folia, non multitudine, verùm robore & colore. Valida Laconicis, & ab vna parte densiora: quales in totum circa stagna gigni putant, dissimiles amnicis, longisque vestitas tunicis, spatiosius à nodo scandente
Ibidem. cōplexu. Ex quorum locorum collatione intelligere licet deprauatè legi in Plinio,
Ibid. Valida Laconicis pro Varia, & ab vna parte densiora pro ab ima. Sic enim habet Theophrastus. ποικίλος γὰρ ὁ λακωνικὸς καλούμενος. Varius est foliorum color eius quam Laconicam vocant. Et, κάτωθέν γὰρ ἔνιοι πλεῖστα φέρουσι τῶν φύλλων. Id est, Quædam ima parte folia plurima edunt. Quidam discernenda lacustrium tantùm genera ferè volunt, quòd habeant vel nulla, vel pauca folia, & nōnihil similia cyperi: phlei, algæ, butomi. Sic enim conuertēda hæc Theophrasti verba. χεῖλον ὃ τινὲς φασὶ καὶ τῶν λιμναίων ταύτην εἶναι τὴν διαφοράν, πολύφυλλον καὶ ὀλιγόφυλλον, ὃ παρόμοιον ἔχειν τρόπον τινὰ τὸ φύλλον τῷ τοῦ κυπείρου, καὶ φλεῷ, ὃ βρύῳ, καὶ βατόμου. Genus aliud arundinis po-
Ibid. nit Theophrastus ἐπίγειον, id est, pumilum, quod non erigit caulem, sed super terram graminis modo spargitur, atque ita crescit, mascula solida est, fœmina inanis. Plinius. Est & obliqua arundo, non in excelsitatem nascēs, sed iuxta terram fruticis modo se spargens, suauissima in teneritate animalibus. Vocatur à quibusdam Elegia, corruptè pro epigeios, vel Plinius legit in Theophra. non ἐπίγειον, sed ἐλέγειον.
Lib.7.c.2. Idem Plinius tradit arundines esse in India tantæ proceritatis, vt singula interno-
dia alueo nauigabili ternos interdum homines ferant. Et alibi. Arundini Indicæ
Lib.16.c.36 arborea amplitudo, quales vulgò in templis videmus. Nauigiorum etiam vicem

præstant,

præſtant,ſi credimus,ſingula internodia. Addidit piſcatorias idem, & quæ chartis ſeruiũt arundines ſcriptorias,videri poteſt & adarcam his adnumeraſſe,his verbis. Eſt & in Italia naſcens Adarca nomine,paluſtris:& cortice, tantùm ſub ipſa coma, vtiliſsima dentibus:quoniam vis eadem eſt,quæ ſinapi. Qui locus ſic corrigendus videtur,paluſtris,in cortice calamorum tantùm, & ſub ipſa coma naſcens, &c. Id. quod perſpicuè demonſtrant eadem verba alibi repetita.Sinapis naturam effectúſque eoſdem habere traditur adarca,inter ſiluas tacta, cortice calamorum ſub ipſa coma naſcens.Verùm Plinius adarcæ non vt arundinis, ſed eius rei quæ in arũdine naſcitur,& ei inſidet,cùm de arundinibus tractauit,non abſurdè meminit,eiúſque naturam demonſtrauit ab arundinum natura planè diuerſam, id quod dilucidiùs declarat alio in loco.Inter aquatilia dici debet & calamochnus,Latinè adarca appellata, naſcitur circa arundines tenues è ſpuma aquæ dulcis ac marinæ, vbi ſe miſcẽt. Vim habet cauſticam, &c. Quo loco calamachnẽ, id eſt, τῶν καλαμίων ἄχνην legere oportet,nõ calamochnum,vt in vulgatis exemplaribus legitur, & circa arundines tenuem,nõ tenues,è ſpuma aquæ dulcis & marinæ,id eſt,ſalſæ, vbi ſe miſcent, vt ſi quando in paludem lacúmve foris ſalſus ſeſe exoneret,quod Lacui Carcaſſonæ oppido vicino accidit,quem incolæ Marſonetam vocant,in quo cedentibus per æſtatem aquis,& ſal radiis ſolis coctus, & adarca ſcirpis ac iuncis inhæreſcens, æſtu cõcreta colligitur.Ex tot arundinum generibus aliquot depingemus.Ac primùm arũdinem cõmunem,ſiue marem, ſiue vallatoriam Matthioli,quæ ad decem cubitorum procerita-

Lib.16.c.36

Lib.20.c.22

Lib.31.c.10

ARVNDO Domeſtica, Matthioli.

Forma.

tem adoleſcit,militaris haſtæ craſsitudine,robuſta ac firma materia,intus inanis, compactis per interualla geniculis.Cortice veſtitur ſquamoſo, qui facilè detrahitur,aſpero,ſubalbicãte.Folia illi ſunt longa, milij Indici æmula, ſed latiora ac longiora,aſpera vbique ſuperficie,& acuta.Pauculas fert ſeu ſpicas milij modo ſparſas, lanoſa molliq; cæſariæ nutãtes ac purpuraſcentes, quæ hyeme in auras abeũt ſine vllo ſeminum veſtigio:radix ſubeſt alba,dura,tuberoſa, cõtorta, geniculata,vt in iride, ſed lõgè maior ac robuſtior. In vinetis ſeritur, in hortis ac viridariis ad vitiũ palos, ad ſepes hortorum, & ad topiaria opera. Hæc arundo an vallatoria eſſet Dioſcoridis,dubitauit aliquãdo Matthiolus,quod ea Dioſcoridi ſit gracilis ac cãdicans, hîc verò depicta craſſior. Sed cùm Theophraſtus, inquit, ſcribat vallatoriam craſsiorem eſſe ac firmiorem, credibile eſt hunc Dioſcoridis locum deprauatum eſſe, præſertim cum ſeptis,palis ac topiariis operibus craſſæ arundines tenuibus ſint aptiores.Hãc Pena & Lobellius eſſe cenſent, quæ Donax ſeu Cypria dicitur, ſatiua noſtras, Gallis *Canne*,Italis *Calami à far Conocchie*, nullumq; in Dioſcoride mẽdum eſſe affirmat Dodonæus,cùm ſcribit phragmitem gracilem eſſe,& cãdicantem(Alij legunt ὑπόλεπτον,λευκὸν,id eſt,aliquãtulum gracilem, cãdidam) eſſeq; χαραχίαν Theophraſti craſſam ac firmam,quam Gaza vallatoriam conuertit, quamquam eadem eſt χαραχίας Theophraſti & φραγμίτης Dioſcoridis.Vallatoria Dodonęi,Penę,Lobellij,culmum ſeu ſcapum profert lõgum,crebris geniculis cinctum:folia multa,longa,lata,aſpera: in ſummo caule effuſa exit iuba,mollis,ac veluti lanuginoſa,radices ſubſunt longæ,

Lib.4.hiſt. Cap.12.

Lib.4.c.55

albæ,geniculatæ,ac latè ſerpentes. Naſcitur in pigris aquis,veluti in vrbium foſſis, & circa fluminum ripas, Belgio ac Germaniæ vulgaris , tenuis,candicans, præſertim vbi inaruit, non ſolùm ad operiendas domos vtilis, ſed & ſepimentis maximè idonea. Hæc Arundo Dodonæi eſt arundo paluſtris Matthioli , vt pictura & delineatio demonſtrant. Eſt enim Arundo paluſtris Matthioli arundinis primo de-

Lib.4. hiſt. Cap.55. De fru. ca. 117.

In cap. 97. l.b.1.

ARVNDO Vallatoria, Dodonæi.

ARVNDO Paluſtris, Matthioli.

ARVNDO, Epigetos.

ſcriptæ modo: radices habet craſſas, contortas, geniculatas,ex quibus culmi proceri, crebrioribꝰ geniculis diſtincti,foliis ipſos ambiẽtibus,longis, latis,acuminatis:coma in ſummis culmis lanuginoſa.Quę quarto loco depicta eſt arũdo calamus eſt,humi ſparſus graminis modo,quod de arũdine epigẽto prodidit Theophra. cortice fuluo cõtectus, lineis ſquamatim cingentibus diſtinctus, cauliculos alios multos vtrinque producens denſa cõgerie ſtipatos,ſimili cortice,ſimiliterq; ſquamoſo virgatos, qui rurſum & alios gignũt, ꝓminẽtium veluti nodorũ aut oculorum modo exertos , plures ſuperiore parte qua terrã nõ attingit, pauciores inferiore qua terræ inſternitur,aſpectu pulcherrima, denſiſsima illa tenuium cauliculorum ſurculorumq; congerie,cùm cæteræ arundines folia tantùm hinc inde mittãt, nullos autem præterea vel ſurculos vel calamos, folium noſtræ arundini ſimile à nodis exoritur, ſed numeroſius magiſq; multiplex,& plures complexu inuolucrorum per ambitum tunicas inducit. Hæc arundo pumila in ſaccis magnis coſto arabico & zinzibere plenis aliquando reperta veluti rara ac inuſitata hìc doctis & rei herbariæ

ARVNDO, Minima.

herbariæ ſtudioſis ſpectãda proponitur. Arundinem minimam plãtam quinto loco hîc pictam herbarij vocãt: quidam gramen iunceum, alij gramen arũdinaceum. Radix ei parua, cãdida, breuis, parum fibrata: caulis ſingularis, teres, pedali altitudine: folia graminis, pauca, longa, acuminata, anguſta, gracilia, ex magnis interuallis caulem veſtiẽtia, in ſurculos valde exiles caulis faſtigium finditur, in quorum ſummitate ſemẽ eſt exiguum, nigrum, velut in corymbos coaceruatum. Iiſdẽ in locis prouenit in quibus gramẽ aculeatum, & gramẽ ſtellatum alibi deſcripta, nõnunquam ex vno & eodem ceſpite. Eſt & Arundo ſeu Cãna Indica hodie nominata, quoniam ex America primùm delata fuit, & eius ſtolones cãnarũ ſeu arũdinum ritu geniculati ſunt, à nonnullis quia eius flos nõdum apertus cancri chelas colore & forma refert, flos cancri, ab Hiſpanis & Luſitanis *Cuentas*, à numerãdo, quòd ex iſtius fructu vt ex tenellis & deciduis malis arantiis ſpherulę precatoriæ fiãt, ab aliis cannacorus, ambiguę inter cãnas & acorum naturę. Huic primùm vnus, deinde plures ſtolones ex eadẽ radice prodeunt, cubiti vnius, interdum duorum aut trium altitudine, digiti craſsitudine, geniculati arundinis modo, quos circa geniculа ambiũt folia multa, ampla, trãſuerſis filis neruoſa, foliorum Muſæ arboris ſpecie, ſed tenuia, herbaceo virore pallaſcẽtia, & in extremo acuminata, quæ cùm primũ erumpunt chartaceorum corniculorum modo cõuoluta conſpiciuntur, & guſtata herbaceum quẽdam ſaporem referunt primùm, qui paulò pòſt nõnihil acrimonię

ARVNDO ſeu Canna Indica, Cluſij.

ARVNDO ſeu Canna Indica, Dalechamp.

admirandum halet. In summo caule sunt flores, gladioli floribus forma similes, colore phœniceo pulcherrimè nitentes, capitulo cuidam hirsuto inhærētes, quod cùm flore nōdum aperto cancri seu locustæ marinę chelam quadātenus repręsentat, floribus dilapsis aut marcidis, capitula ista augētur, fiuntq; triangula & veluti spinosa, fructus ricini modo, in quibus semē per maturitatem fuscum & atrum, rotundum: radix nodosa, crassioribus fibris stipata, ex cuius nodis aliis adnascētibus radices
Vires. aliæ procurātur, matri similes. In Lusitaniæ monasteriis quibusdam frequētem vidit Clusius etiam media hyeme florētem. Hodie multis aliis in locis seritur & colitur à rei herbariæ studiosis in fictilibus, aut ligneis doliis, vt soli meridiano facilius exponātur: quoniam calore & apricatu valde gaudet, altiosaq; planta boreæ flatu & frigore maxime læditur. Huius folia esse putant, quibus massas gummi elemni obuolutas videmus in Seplasiis. Huc inserēda Arundo Saccharifera Indica, inter miliaceas & arundinaceas plantas media. Septenūm octonúmve pedum calamos profert, pollice crassiores, densis geniculis interceptos, fungosa, succulēta, valde dulci candidáque medulla farctos, folia binos cubitos æquant, angustiora tamen Donacis, scabra, & secundum longitudinem striata, numerosa, stolones eiusdem cum cæteris arundinibus coloris amplectētia, angustiora iis quibus Sacchari metæ inuolutæ passim apud institores cernuntur: flos in summo comosus, & quadantenus Melicæ. Radix ad cannæ radicem accedit, sed minùs lignosa, succulentior, dulcior: ex qua germina oriuntur quæ resecta sationi opportuna sunt. Panguntur etiam taleæ ex ima radice abscisse, atque bello proficiunt in Gallia & Belgio, sed hyemis iniuria pereunt. Humenti solo gaudet, sed calidiore aëre, & tepidiore aura. Liquorem siue laticem fundit (Saccharum vocant) cuius satis celebrari nunquam potest tum lautitia, tum vtilitas, in culinis, in Pharmacopœorū Officinis, esu, potu, in secunda & aduersa valetudine, in quauis ætate, sorte, regione. Etsi prima, nō tamen sola huius ferax est India, sed etiam Madera & Canariæ. Est & iam Europæ multis ad Mediterraneum Oceanumq; mare tractibus inquilina, vt Hispaniæ, Lusitaniæ, Siciliæ, atque etiam in amœnissimis Olbiæ in Gallica prouincia viretis, nō procul & è regione Stœchadum insularum teste Pena. Vallatoriæ arundinis radix, vt ad vires transeamus, trita per se, aut cum bulbis spicula aculeosq; corpore extrahit: luxata lūborumq; dolores cum aceto mulcet. Virētia folia tusa & imposita erysipelata & cæteras inflāmationes sanāt. Corticis cinere peructæ cum aceto alopecię sanātur, lanugo atūdinum in aures illapsa surditatem inducit. Eadem etiā cypria arūdo efficere potest. Eadem & quædam alia
Lib. 24. c. 11. Plinius prodidit. Arundinis radix cōtrita & imposita filicis stipem corpore extrahit: item arūdinem filicis radix. Arundo cypria quæ donax vocatur, corticis cinere alopecias emēdat: item putrescētia vlcera. Foliis eius ad extrahendos aculeos vtuntur. Efficacius & contra ignes sacros collectionésq; omnes. Vulgaris arundo extractoriam vim habet, & recēs tusa non in radice tantùm, medetur & luxatis & spinæ doloribus radix in aceto illita. Eadem recens trita & in vino pota venerem concitat. Arundinum lanugo illata auribus obtūdit auditum. Et alio in loco. Phragmitis
Lib. 32. c. 10

radix

ARVNDO, Saccharifera.

Locus.

radix recens tusa luxatis medetur,& spina doloribus ex aceto illita. Cypriæ verò quæ & donax vocatur, cortex alopecias medetur vstus,& vlceribus veteratis:folia extrahendis quæ infixa sunt corporibus,& igni sacro. Paniculæ flos si aures intrauerit exurdat. Qua de re sic differit Galenus. Calami phragmitis radicem cum bulbis aculeos & stipites éx alto extrahere quidam scripsere, ceu trahédi quædam vis ei insit. Nos tamen eius rei periculum non fecimus. Verùm quantū ex gustu licet coniicere,abstergentem facultatem posside non paucam,minimeq; acrem. Quinetiam folia ipsa abstergẽtis sunt facultatis : cortex vero eius cõbustus admodum tenuium partium,& digerentis facultatis efficitur,adiunctum habẽs absterforium quiddam,vt exsiccet & excalfaciat tertio quodammodo ordine, plus tamen desiccet quam excalfaciat. Vitandus est eius flos quẽ Anthelen vocant. Nam si in aures incidat,adeò tenaciter inhærens affigitur,vt auelli nõ possit,auditumq; vitiet,quamobrem sæpissimè exurdat. Hæc Galenus. Traditur a rei agrariæ auctoribus inter arundinem & filicem intestinum esse odium,quare arundinem vomeri alligatam filicem in agro destruere ac enecare prodiderunt. At eò maior arundini cum asparagis intercedit amicitia. Nam si serantur in arundinetis, ibi mirificè proueniunt. Li.7.simpl.

GRAMEN. CAP. VI.

DE Gramine vulgari & multis graminum generibus diximus alibi, nunc de pluribus aliis hìc tractabimus cum paluſtribus & aquaticis plantis. Primùm de gramine aquatico,cui radix nigra, longa, geniculata,huc illuc sese diffundens per cœnosum solum, multū fibrata: folia arundinis,angusta,quæ ex caule sesquipedali per interualla prodeunt, cyperi similia : flos in paniculis nigris pendulus,cyperi modo,gustu insipido.In locis paluſtribus,& riuorum marginibus crescit. Gramen aculeatum, id fortasse cuius meminit Plinius,radice nititur exili,breui,candicante,capillamentis fibrata: folia In Ag.c.19. *Forma.* *Locus.* Li.24. c.19.

GRAMEN Aquaticum.

GRAMEN Aculeatum.

fert graminis ſimilia,anguſtiora,tenuiora,propè radicem multa,in caule pauca:is dodrantalis eſt,teres,in cacumine quatuor aut quinque echinos producens, oliuæ paruæ non diſsimiles,aut potiùs xanthij fructibus:quos conuolutos olim naribus inſerebant & extrahebant ſanguinis ciendi gratia.In riguis naſcitur inter arundines,typhos,& alias id genus aquaticas plantas. Gramen arundinaceum radice eſt foris nigra,intus alba,geniculata,in obliquum ſerpente, ſupernè modicè fibrata,ſubdulci: foliis arundinis, non adeò latis,ad radicem multis , in caule ſeſquipedali paucis : flore nigro, ſpicato,aſpero,& ſi prẹmas digitos pungente. Equis & bubus noxium eſſe aiunt. In humidis ſcaturiginibus fontium & riuorũ per pinguia loca decurrentium prouenit. Gramen nigrum radiculas emittit multas candicantes:folia graminis longiora,circa radicem numeroſa , pauca in caulibus duobus tribúsve , dodrãte altioribus. Flos ſpicatus niger , vnde huic plantæ cognomen,& in ſummo caulium eminet, & ex eorũdem medio prodit variis in locis inter ipſos cauliculos & foliolum,quod ex eorũdem latere exurgit. Ad riuulorum fluenta , & fontium ſcaturigines proſilit. Gramen triangulũ radicem profert nigram, craſſam, multum fibratam,cœnum olentem : folia multa, longa, vndecũque aſpicias angulos tres oſtendentia, qua de cauſa triangulum cognominarunt, florem ſpicatum,ſubnigrum , floſculos candi-

GRAMEN Arundinaceum.

GRAMEN Nigrum.

GRAMEN Triangulum.

cantes

cantes è ſpicarum rimis promentem cùm deflorere incipit. In pigris & ſtagnantibus aquis creſcit. Plantam proximè appictam à ſimilitudine quæ ei eſt cum gramine quod à Græcis ἄγρωστις ἐν τῷ παρνασσῷ dicitur, à Latinis Gramen Parnaſium, Dodonæus à quibuſdam Gramen Parnaſi nominatum fuiſſe tradit. Foliola mittit rotunda, hederæ aut aſari foliis haud multùm figura diſsimilia, ſed multò minora, & virore magis diluto, inter quæ duo trésve cauliculi eminent, graciles, pedales, in imo rufeſcentes, in ſummo decoris floribus ornatos, candidis, quibus diſſipatis ſuccedunt capitula rotunda, quæ ſemen rubeſcens concludunt: radix eſt craſsiuſcula, multùm fibrata. Semen deſiccat & ſubtiliũ eſt partium. Graminis huius decoctum, auctore eodem Dodonæo, potu vẽtriculum humidum & imbecillum roborat, aluum ſiſtit, nauſeam prohibet. Eiuſdem in vino aut aqua decoctum vrinas ciet, maximè eius ſemen: neque ſolùm vrinas ciet, ſed etiam calculos è renibus pellit. Folia virentia trita & impoſita vulneribus recentibus, ſanguinem ſiſtunt, & ea glutinant. Ex herbæ ſucco collyrium paratur quod viſum acuit, & oculorum caliginem diſcutit, ſi tantũdem vini & myrrhæ dimidium permiſcueris cũ piperis & thuris momento, quod vt diu integris viribus conſeruari poſsit, ærea pyxide reponendum eſt. Prorſus idẽ in vdis Brabantini agri locis ſponte oriri tradit Lobellius, ſola florum duplicatione ſpecioſa varium. Poteſt & gramen Parnaſi nuncupari quod hîc depictum eſt, radicibus plurimis, longis, capillaceis, mollibus, candidis, caulibus

Lib. 4. c. 51.

GRAMEN Parnaſi, Dod.

Vires.

Ibidem.

GRAMEN Parnaſi duplicato flore, Lobellij.

ALIVD GRAMEN Parnaſi.

numeroſis

numerosis fruticosum,dodrantalibus:foliis hederæ facie similibus,densis,sed non tam crassis,nunc prorsus rotundis, nunc tanquam in anguli acumen desinẽtibus: flore copioso,violæ simili,luteo. Flos folium,fruticosa caulium congeries historię Dioscoridis respondent,minimè tamen radicum crassities, numerus, sapor prædulcis. Sed quia herbarij Gramen Parnasi vocauerunt,mutare nomen non libuit.

Cap.18. De alio Gramine Parnasi, ex Matthiolo in agro diximus.

CALAMAGROSTIS. CAP. VII.

Nomina ΚΑΛΑΜΆΓΡΩΣΤΙΣ Græcis, Latinis dicitur Gramen arundinaceum,quod mediæ sit inter Gramen & arundinem naturæ & figu-

Forma. ræ. Cuius hîc genera aliquot exhibentur. Prima Calamagrostis leucanthemos,à candidis floribus meritò nominatur, caules proferens longos,rotundos,læues,minimè geniculatos, in quorum verticibus elegantes & candidi flosculi emicant,forma cucurbitæ flores referentes,omni odore destituti. In vliginosis locis nascitur. Altera Calamagrostis foliis vestitur acutis, longis, in medio anguloso neruo distinctis, ideóque triangularibus, herbacei coloris. Ex horum medio læues prodeunt & teretes caules, in quorum fastigiis veluti pilulæ prominent,exiguis & candidis fibris vel paniculis florentes:quæ pilulæ Iulio mẽse

CALAMAGROSTIS I.& II.

CALAMAGROSTIS III.& IIII.

cum defloruerint,in echinata quædam capitula nucem myristicam magnitudine æquantia desinunt,quæ nihil aliud sunt quàm multorum seminum aculeatorum aceruus. Radix intra humum multis fibris & adnatis radiculis serpendo longè la-

Locus. teq; se diffundit. In vliginosis tractibus, & humectis pratis crescit. Hanc plantam

Lib.2.c.37. Tragus sparganiũ Dioscoridis esse iudicat. Duo alia Calamagrosteos genera,quod ad caules & folia acuminata attinet, prioribus similia sunt, sed multò minora & floribus distantia,gustu admodùm ingrato,quæq; in pratis minimè cõmendentur.

CAREX.

CAREX TRAGI. CAP. VIII.

CAREX Latinis ex qua molliſsimæ texuntur cathedræ vliginoſo & paluſtri loco plurima, foliis ferè eſt arundinis, longis, acuminatis, latiuſculis, circa radicem numeroſiſsimis, ex quorum medio exurgunt caules tenues, in ſummo paniculas ferentes. Radix craſsiuſcula eſt, & fibrata. Caricem veram hîc appictam Tragus nomine graminis vulgò cogniti depinxit, *Gras* à Germanis dicti. *Forma.* Lib.2. c.37.

POTAMOGETON. CAP. IX.

LATINIS Potamogeton & fontalis, Græcis ποταμογείτων, & ςαχυίτης, Gallis *Eſpi d'eau*, Germanis *Saurkraut*. Potamogetoni nomen inditum eſt, quòd in paluſtribus & aquoſis locis naſcatur, auctore Dioſcoride, nomen enim id fluminibus vicinam ſignificat. Stachyites verò dicta quaſi ſpicata, ob caulem quem ex ſe mittit floribus & ſemine ſpicatum. Potamogeton, inquit Dioſcorides, folium habet betæ ſimile θλασὺ, denſum, non, vt verterunt, hirſutum, paululum ſupereminens extra aquam. Ex qua breui delineatione ſatis intelligi poteſt, herbam cuius picturam hîc damus, eſſe Potamogetona. Caulem namque rotundum habet, geniculis interſectum, è quibus pediculi exeunt, foliis betæ aut plantaginis veſtiti, paulùm ſupra aquam eminentibus. Flores etiam ſpicatos plantaginis inſtar profert, ac ſubinde ſemen. Radix flexuoſo anfractu excurrit, è geniculis multis propagans fibras, fundo aquæ immerſas, è quo alimentum ſugit. Conſentiunt & natales: naſcitur enim in lacuſtribus & aquoſis locis. Refrigerat & aſtringit, vt tradit Dioſcorides, pruritibus, vlceribúſque, vetuſtis, & iis quæ paſcendo ſerpunt confert. Aſtringit & refrigerat ſimiliter polygono, ait Galenus, ſed eſſentia eius craſsior quàm polygoni eſt. Plinius de eadem hæc ſcripſit. Potamogeton ex vino dyſentericis etiam & cœliacis, ſimilis betæ foliis, minoribus tantùm, hirſutioribuſq; , paulatim ſupereminens extra aquam. Peculiariter refrigerat, ſpiſſat. Vſus in foliis: cruribus vitioſis vtilia, & contra vlcerum nomas, cum melle, vel aceto. Vetus Cornarij codex habet: extra aquam. Vſus in foliis: refrigerant, ſpiſſant, peculiariter cruribus vitioſis, &c. Subiicit Plinius. Caſtor hanc aliter nouerat, tenui folio velut equinis

Nomina Li.4.c.96.

Forma. Ibidem.

Temper. & Vires Ibidem.

Li.8.ſimpl. Lib.26.c.8.

Embl.86. li.4.Dioſc.

POTAMOGETON I.

POTAMOGETON II.

equinis ſetis, thyrſo longo & læui, in aquoſis naſcentem. Radice ſanabat ſtrumas & duritias. Potamogeton aduerſatur & crocodilis: itaque ſecum habent eam qui venantur illos. Nouit & alteram Potamogetona Dalechampius, quæ in lacubus & ſtagnis Sequanorum gignitur, caulibus per aquam ſparſis, anguloſis, geniculatis, radiculas exiles & albas è geniculis mittentibus, quibus obuium in ripis cœnum ſolúmve apprehendit: ex ſingulis quoque articulis ſingula folia prodeunt, longo pediculo nixa, longiora quàm in priore Potamogetone, craſsiora, & (quæ certiſsima nota eſt hanc ab illa diſtinguendi) tranſuerſis lineis virgata, cùm prioris folia lineis in longum ductis diſcriminentur. Flos ſpicatus rubet, longo hærens petiolo: ſemen copioſum, durum, folliculis incluſum.

NYMPHAEA. CAP. X.

Nomina

NYMPHAEA Latinis, ſicuti Græcis Νυμφαία vocatur, Arabibus *Nilofar*, *Ninofar*, & *Nilufar*, Officinis *Nenufar*, Gallis *Blanc d'eau*, & *Lis d'eſtang*, Germanis *Gelb*, *vueiſz ſchebluomen*, Hiſpanis *Eſcudetes del rio*, & *Higos del rio*. Aquæ, lymphæ ſeu nymphæ antiquitus vocatæ nomen & natales dederũt Nymphææ: aquoſum enim amat locum, inquit Dioſcorides: vel id nomen ſibi vendicauit, vt ex veteribus aliqui fabulati ſunt, à Nympha quæ zelotypia Herculis intabuit, & mortua in paluſtrem hanc plantam mutata eſt. Dioſcorides duo ponit Nymphææ genera: vnã flore albo, radice nigra: alterã flore luteo, radice alba: quibus tertiam addit Matthiolus Nymphæam paruam, quæ in quibuſdam Bohemię lacubus prouenit: quam alibi quàm in Bohemia ſeſe vidiſſe negat. Primam igitur Nymphæam albam maiorem nominare licebit: poſtremam hanc Nymphæam albã minorem. Sunt herbarij qui Nymphæam quandam luteam minorem reperiri, ſed rariùs, idq; in Septentrionalibus regionibus aſſerunt, à ſuperiore illa quoque diſcernendam, vt hæc minor, illa maior lutea ſit nuncupanda. Nymphæam albam maiorẽ dixit Dioſcorides foliis eſſe fabæ Ægyptiæ, minoribus, & longioribus, aliis in ſumma aqua, aliis demerſis, pluribus ex radice eadem prodeuntibus: flore

NYMPHAEA Maior alba.

Li. 3. ca. 132. *Genera.* Ca. 132. li. 3.

Forma. Li. 3. ca. 132.

lilio

NYMPHAEA LVTEA MAIOR.

lilio ſimili,albo,medium croceum habente : cùm defloruerit, vt rotundum malum, aut papaueris caput extuberat, nigro, amaro ſemine,dēſo & lato, lenti guſtus. Caulis eſt læuis,niger,minimè craſſus,Ægyptiæ fabæ cauli ſimilis : radix nigra , ſcabra, clauæ ſimilis,quæ Autumno ſecatur. Hæ omnes notæ noſtro Nenufari optimè quadrant. Folio enim conſpicitur orbiculato,læui,herbaceo,amplo,in ſtagnantibus aquis ſupernatante:flore candido lilio ſimili, cuius medium croceum eſt, & cùm defloruerit,capite papaueris,in quo ſemen amarum , latum , pingue. Caulis gracilis eſt & læuis:radix nigra & ampla, dulcis, nodoſa,clauæ formam referens. Nymphæa altera Dioſcoridis foliis eſt ante dictæ,radice alba, ſcabra : flore luteo, nitente,roſæ ſimili. Quæ itidem notæ in vniuerſum omnes alteri Nenufari, quæ luteis eſt floribus,reſpondent. Vtramq; ſic depinxit Plinius partim ex Theophraſti & aliorum,partim ex Dioſcoridis, vel Crateuæ ſententia. Nymphæa nata traditur Nympha zelotypia erga Herculem mortua. Quare Heraclion vocant aliqui,alij rhopalon,à radice clauæ ſimili. Ideoq; eos qui biberint eam , duodecim diebus coitu genituraq; priuari. Laudatiſsima in Orchomeno & Marathone. Bœoti Madon vocant,qui & ſemen edunt. Naſcitur in aquoſis, foliis magnis, in

Lib.25.c.7.

NYMPHAEA Lutea Minor.

NYMPHAEA Altera Lutea Minor.

ſumma aqua,& aliis ex radice prodeuntibus, flore lilio ſimili, & cum defloruit, capite papaueris,tenui caule. Secatur Autumno.Et mox. Eſt & alia Nymphæa in Theſſalia amne Peneo,radice alba,capite luteo, roſæ magnitudine. Theophraſtus de radicum differentia agens,ita de Nymphæa ſcribit. Γλυκεῖα μὲν ἡ τε νυμφαία χαλωμένη. φύε) δὲ ἐν ταῖς λίμναις,καὶ ἐν τοῖς ἑλώδεσιν,οἷον ἐν τε τῇ ὀρχομηνίᾳ καὶ μαραθωνι, & πεὶ κρήτην. Καλῶσι δὲ ἀδίην οἱ βοιωτοὶ μαδωναῖν, & τὸν καρπὸν ἐσθίουσιν. ἔχει δ' ὁ φύλλον μέγα ἐπὶ τῷ ὕδατος. Εἶναι δέ φασιν ἰχαιμον,ἐὰν τέλψας τις ἐπὶ τὴν πλήγην ἐπιθῇ. χρήσιμη δὲ καὶ πρὸς τὰς δυσεντερίας πινομένη. Ideſt,Dulcis Nymphęę radix,quę naſcitur in lacubus & paluſtribus, vt in Orchomenia & Marathone,& in Creta. Bœoti Madonain vocãt, eiúſque fructu veſcuntur. Habet folia magna ſuper aquam. Trita & plagæ impoſita ſanguinẽ ſiſtere dicũtur:& pota ad dyſenterias vtilis eſt.Nymphæa minor alba, Morſus ranæ Herbariorum:folio quidem Nymphææ, ſed braſsicæ marinæ paulò maiore:flore candidò,capitibus exiguis vt in cappari: ſemine intus papaueris magnitudine. Nymphæa lutea minor radiculis multis vliginoſo cœno affixa eſt,capillaceis,è caulium nodis prodeuntibus:foliis multis,longo, rotũdoq; pediculo nixis, guſtu amaris,aquæ innatantibus,denſis: aulibus teretibus,geniculatis:floribus luteis,flori cucurbitæ perquã ſimilibus, quinque tantùm foliolis conſtantibus, non, vt in lutea maiore,numeroſo ſtipatu congeſtis, aut multos apices intus gignentibus,per ambitum venuſtiſsimè fimbriatis:cauliculo oblongo, lato & compreſſo,ſeminibus pleno oblongis, latis, in ambitu piloſis,atriplicis ferè modo, guſtus quoque amari. Nymphæa alba maior & lutea in paludibus & ſtagnantibus aquis naſcuntur. Nymphæa minor alba & lutea aquarum etiam ſunt alumnæ:verùm regionũ maximè Septentrionalium. Lutea minor in Sebuſianorũ parte,quam vulgò Breſsiam vocant, plurimis ſtagnis ac viuariis innatat, quare omnibus illic nota ac celebris eſt. Præterea in Sequanæ ripis ad Mantam oppidum gignitur. Græcis fortaſſis incognita. Septentrionales, apud quos ſæpiùs prouenit, Morſum ranæ vocitant, cùm Nymphæa parua veriùs appellanda ſit: magis enim ad Nymphęas,quàm ad potamogetona, aut quamuis aliam paluſtrem herbam accedit, tum figura, tum natalibus. Alba minor alia radice eſt plurimis fibris ſimul coaceruatis villoſã,

Lib.9. hiſt. cap.13.

NYMPHAEA MINOR ALBA.

NYMPHAEA Alia minor alba.

villoſa,cubitalibus,quæ herbæ viticulas longè lateq; diſiectas alunt in luto adeò profundè demerſas,vt niſi validè ſub cœnum brachium adigas, vix vi eruere poſſis,villos multos per aquam ſpargente,ramorum geniculis affixos,tenerrimos,qui facilè rumpuntur cùm herba vellitur: id quod multos decepit credentes nullam aliam radicem eſſe præter exiles eas fibras:folia multa Nymphææ modo è nodoſis ramorum per aquam fluctantium geniculis prodeunt, longo pediculo hærentia,aquis innatantia,minori chelidonio aut aſaro ſimillima: quorum auerſæ parti ferè ſemper muccoſi vermiculi,ex aqua recens compacti,velut agglutinati hærēt & in ea fouentur:rami per ſummam aquam huc illuc diffunduntur. Flos eſt violæ,niueus,longiuſculo capite & herbaceo incluſus priuſquam dehiſcat, longa virgula ſubiecta nuda, nec ramoſa, nec folioſa, vt in chelidonio minore. Floret Auguſti menſis principio.Flos noctu comprimitur & ſub aqua latet,inter diu pateſcit,& aquis ſeſe exerit. Euulſa herba & rurſus in aquam iniecta viriditatem diu retinet,& quamuis radicibus careat, reuiuiſcit tamen, nouamq; ſobolem gignit. Sapor idem qui & lenticulæ paluſtris. Vis refrigerandi & humectandi. Miretur aliquis & iure quidem, Theophraſtum quo loco paluſtres plantas,præſertim in Orchomenio lacu frequentes,tam diligenter enumerauit & deſcripſit,Nymphæq; lacuum & paludum ferè omnium aquis innaſcentis nullo modo meminiſſe, ſed eo tantùm loco quo de radicum differentia tractat,quem ſupra citauimus.At qui plantas Orchomenio lacui familiares à Theophraſto deſcriptas diligentiùs perpenderit. cōperiet,Dalechampij ſententia,Sidæ nomine tum Nymphæā ipſam, tum ipſius ſemen intelligi,quod eius lacus accolæ Nymphæam Sidam nominent. Theophraſti verba hæc ſunt. Πρότερον οὖν ἐν τῇ λίμνῃ τῇ περὶ ὀρχομενὸν τὸ δι' ἔστι, τὰ φυόμενα δένδρα, καὶ ὑλήματα. ἰτέα, ἐλαίαγνος, σίδη, κάλαμος, ὅ, τε αὐλητικὸς καὶ ἕτερος, κύπειρος, φλέω, τύφη. ἔτι γε μὴν μηνίανθες, ἴκμη, ἔχεται δὲ μάλιστα ὕπνον. ὃ δὲ προσαγορεύουσι λέμμα, τοῦτο πλεῖστον τὸ κατ' ὕδατος ἐστί. Ideſt,Primùm in lacu Orchomeno arbores & materiæ humiles proueniunt,ſalix,Elæagnus,Sida, Calamus tibialis & alter, Cyperus, Phleum,typha, meniantes, icma, ypnum. Quod enim Lemma vocatur, altiùs mergitur in aqua. ἡ δὲ σίδη τὴν μὲν μορφὴν ἔστιν ὁμοία τῇ μήκωνι. καὶ γὰρ τὸ ἄνω κυλινδοειδὲς (Gaza κωδιῶδες vel κηλυκῶδες legit) τοιοῦτον ἔχει, πλὴν μεῖζον, ὡς κατὰ λόγον. μεγέθει δὲ ὅλος ὁ ὄγκος ἡλίκον μῆλον. ἔστι δὲ ὑ γυμνὸν, ἀλλ' ὑμένες περὶ αὐτὴν λευκοὶ, καὶ ἐπὶ τούτοις ἔξωθεν φύλλα ποώδη, παραπλήσια τοῖς τῶν ῥόδων, ὅταν ἐν κάλυξιν ὦσι, τέτταρα τὸν ἀριθμόν. ἀνοιχθέντα δὲ τὰς κόκκους ἐρυθρὰς μὲν ἔχει, τῷ σχήματι δὲ ὐχ ὁμοίους ταῖς ῥίζαις. (Gaza legit, τοῖς μήκωνος, ſiue τῇ μήκωνι, vel potiùs ταῖς ῥοιαις ex cōtextu & Athenæo, apud quem corruptè legitur δίδη pro σίδη) ἀλλὰ περιφερεῖς μικρὰς δὲ, καὶ ὑ πολλῷ μείζους κέγχου. τὸν δὲ χύλον ὑδαλώδη τινὰ, καθάπερ ὁ τῶν πυρῶν. ἀδρυίζ) δὲ τὸ φέρος, μίσχον ὃ ἔχει μικρὸν. ὅ δὲ ἄνθος ὅμοιον ῥόδῳ κάλυκι, μεῖζον ὃ καὶ σχεδὸν διπλάσιον τῷ μεγέθει. τοῦτο μὲν οὖν καὶ ὅ φύλλον ἐπὶ τοῦ ὑδάτος. μετὰ δὲ ταῦτα ὅταν ἀπανθήσῃ καὶ συστῇ ὅ κατακάρπιον, κατακλίνεται φασὶν εἰς ὅ ὕδωρ μᾶλλον. τέλος δὲ σωάπτει ἐπὶ τῇ γῇ, καὶ τὸν καρπὸν ἐκφέρειν. Ideſt, Sida ſpecie papaueri ſimilis eſt:caput enim cytini formam habet,vel vt legit & conuertit Gaza, tale etenim caput gerit,niſi quod amplius ad portionem, magnitudo mali tota amplitudo,eſt autem non nudum,ſed candidis membranis intectum, hiſq; foris folia herbacei coloris ſimilia roſis,quæ adhuc ſunt in calice, quaterna ſe applicant:apertum grana rubra oſtendit, figura non papaueris (ſic legit Gaza, ſed legendum,vt diximus, malo punico diſſimile,vt totum caput malo ſimile ſit,grana verò intus concluſa mali punici granis diſſimilia,cum minora ſint) ſed orbiculata,exigua, nec multò milio maiora. Saporem quemdam dilutum habet vt triticum:craſſatur æſtate,pediculo paruo adnectitur:flos calici roſæ ſimilis, ſed maior, & ferè duplex magnitudine. Huic & folium ſuper aquam extare affirmant,poſtea cum defloruerit,fructúſque compactus fuerit,magis in aquam declinare:tandem

Tempus.

Lib.4. hiſt. cap.11.

terram contingere, fructumq; fundere. Hæc tam accurata Sidæ historia Nymphæam hoc nomine intelligi perspicuè demonstrat. Nymphæa enim nusquam alibi quàm in lacubus & paludibus reperitur, nec alibi flores eius foliaq; decerpuntur, quàm summa aqua: flos præsertim luteæ rosæ calicibus simili. Fructus, quem peculiariter etiam Sidam vocant, membranosis & candidis foliolis obtegitur, papaueris caput figura æmulatur, tamen grandior & amplior, nempe mali terè magnitudine. Æstate crassescit, & cùm perfectus est paulatim aquam subit, donec terram attingat, tum demum fructum fundit. Semen aperta Sida rubrum spectatur, malo punico dissimile, vt quod rotundum sit, minutum, milio non multò maius, saporis aquosi. Hæc, inquam, omnia in Nymphæa spectantur, nisi quis dicat à Theophrasto Sidæ semen rubrum, Nymphææ nigrum à Dioscoride dici. Cui facilè respondetur Nymphææ semen matureſcens rubescere, siue rufescere, maturum nigricare. Præterea inter lacustres siue palustres plantas Nymphæam valde celebrem, nusquam alibi Theophrastus aut describit, aut recenset, cùm tamen in Orchomeno lacu plurima nasceretur, eodem Theophrasto teste, cùm ait, Dulcis est Nymphææ radix. In lacustribus nasci solet, vt in Orchomenia, Marathone, & in Creta. Hanc Bœoti vocant Madonain, fructúmque mandunt: quod postremum itidem de Sidæ semine dixit Theophrastus. Cibo idonea ex nascentibus in lacu Sida, & ipsa, & folia ouibus, germen suibus, fructus hominibus. Pena plantam aliam raram & perelegantem maluacêam, & Althææ congenerem, non absre à quibusdam doctissimis Sidam Theophrasti existimari scribit, cui quidem, vt si quæ alia, optimè quadrat. Nam σίδη Græcis dicta fuit, inquit, à flore eiusdem cum balaustio coloris, nec absimili, qualem venustum imprimis ostendit hæc planta, florere solita in locis riguis, lacustribus agri Ferrariensis inter Patauium & Eridanum flumen. Radix hortensis maluæ, caulis cubitorum duorum, folia Althææ, sed oblongiora, laciniis acutioribus, flos purpureus, saturatus, pæoniæ aut maluæ satiuæ, aut cytini. Iuxta & in summis caulibus visuntur tempore vindemiarum vtriculi rotundi, oblongi, pullo colore, Aristolochiæ effigie, prægnantes, semine smyrnij, aut milij colore & magnitudine. Dicitur & Althæa palustris. Radix Nymphææ sicca cum vino pota, inquit Dioscorides, cœliacis dysentericisq; auxiliatur. Eadem stomachi ac vesicæ doloribus illinitur: vitiligines ex aqua emendat: imposita cũ pice alopeciis medetur. Eadem contra veneris insomnia bibitur, siquidẽ ea prorsus adimit: pota assiduè aliquot diebus genitale infirmat. Idem semen potum efficit. Nymphææ luteæ semen & radix contra fœminarum profluuia efficaciter ex vino nigro bibuntur. Plinius de Nymphææ in medicina vsu sparsim hæc tradit. Radix nigra in sole siccatur, aduersatúrque aluinis: quod corruptè legi affirmat Cornarius suppositum à quodam, qui cùm obliteratam lectionem assequi non posset, aduersatúrque aluinis substituit ex Dioscoridis verbis κοιλιακοῖς ὠφελεῖ, idest, cœliacis prodest: aluinos dictos putans cœliacos: cùm tamen hac voce vsus Plinius non comperiatur. Nam quod alibi

Lib. 9. hist. ca. 13.

Lib. 4. hist. cap. 11.

ALTHAEA Palustris, Pena.

Lib. 3. c. 131.

Lib. 25. c. 7.

Embl. 134. lib. 3.

Li. 21. ca. 27.

de Vin

de Vincaperuinca legitur, Aluinis impoſita multùm prodeſſe dicitur: hoc in vetere habetur, In aluta impoſita, &c. Vetus itaque Cornarij codex habet, ac verſatur, & pro aluinis alternis, vocis tam certa veſtigia, vt non ſit alia verior lectio exquirenda, cùm & ſententia ipſa ita plena reddatur. Idem Plinius vires Nymphææ ita tradit. Venerem in totum adimit, vt diximus, Nymphęa Heraclia, eadem ſemel pota in quadraginta dies. Inſomnia quoque veneris à ieiuno pota, & in cibo ſumpta. Illita quoque radix genitalibus, inhibet non ſolùm venerem, ſed & effluentiam genituræ (ita ὀνείρωγμὸν, ideſt, ſeminis in ſomno effuſionem reddidit: vulgati codices habent affluentiam) ob id corpus alere, vocémque dicitur. Et alopecias emendat Nymphææ & cicutæ radix, ſi vnà tritæ illinantur. Et, Nymphææ Heraclię ſemen cum vino potum dyſentericis prodeſt. Teneſmo radix Nymphęę Heraclię è vinò bibitur. Et, Aluum leuiter ſoluit & Nymphęa in vino auſtero. Nymphęę Heraclię radix è vino pota, & ipſa conſumit lienem. Et, dolores veſicę ſedat ex vino Nymphęę Heraclię radix. Et, Nymphęa trita plagis imponitur (ad ſanguinem ſiſtendum.) Et, Vlcera manantia Nymphææ Heracliæ radix ſanat. Galenus verò optimè de hac re ſtatuit his verbis. Nymphææ tum radix, tum ſemen deſiccandi vim habet citra morſum. Itaque ventris profluuia cohibet, ſeménque ſiue per inſomnia, ſiue alio pacto immodicè profluens retinet. Iuuat porrò etiam dyſentericos. Cæterùm Nymphæa quæ candidam habet radicem potentioris eſt facultatis, vt & muliebri medeatur profluuio. Verùm & hæc & ea quoque quæ nigram habet radicem ex vino nigro auſtero bibitur. Porrò nonnullam habent quoque & abſtergendi potentiam. Itaque & alphos ſanant & alopecias. Cæterùm ad alphos macerantur aqua, ad alopecias pice liquida. Sed ad hæc aptior eſt ea cuius radix nigra eſt, ſicut ad alia, cuius alba. Arabes non ſolùm Nymphææarum ſemine & radice vtendum præcipiunt, cùm refrigerare & exſiccare ſit opus, ſed & floribus, cùm refrigerandum & humectandum ſit, de quibus Græci nihil ſcripſerunt. Nymphææ flos, inquit Auicenna, eſt frigidus & humidus in ſecundo. Serapio. Albaſari, Nenufar eſt frigidum in tertio gradu, humidum in ſecundo, ſubtilium partium, penetratiuum, aufert vigilias euenientes à caliditate. Rhaſis. Nenufar eſt frigidum, inducit ſomnum, ſedat dolores: quod de floribus intelligendum eſt, & certa experientia compertum. Nam ſyrupus ex iis calorem immodicum valde extinguit, oleum & aqua ex iis ſtillatitia ſomnum alliciunt, dolores capitis ſedant à bile excitatos. Quod ſi hæc Græcorum inuentis addiderint, non modò non culpandi, ſed laudandi ſunt potiùs: neque propterea exiſtimandum eos de alia quàm de Gręcorum nymphæa loqui, cui cùm refrigerandi & humectandi vim tribuunt, de floribus intelligunt, ſicuti Græci atque Arabes de ſemine & radice, cùm vim refrigerandi & exſiccandi illis ineſſe tradunt. Sed inde maiores rixæ & conuitia neotericorũ in Arabes, qui Nymphæam quandam calidæ naturæ eſſe tradiderunt, & tenuium partium. Serapio. Eſt alia ſpecies Nenufarum, in qua eſt acuitas, caliditas & ſubtilitas, ita quod quando volumus calefacere in ægritudinibus frigidis, adminiſtramus eam, & inuenimus iuuamentum. Verùm quid miri eſt cùm Nymphęa inde dicta ſit, quòd lymphis nymphísve ſit conuictrix & accola, Serapionem & ipſo antiquiores paluſtrem aliquam plantam conſimilem, calidã, tenuantémque nymphęarum generibus adſcripſiſſe? nimirum illam fortaſsè quam Belgæ *Dotterbloemen* nominant, periti quidam herbarij Caltham paluſtrem: quippe cuius natales, folia, flores Nymphæam luteam proximè referunt, atque adeò vt hanc illi quidam ſubſtituerint. Radix acris guſtu eſt.

Li. 26. c. 10.

Li. 25. ca. 11.

Lib. 26. c. 8.

Ibidem.

Li. 26. ca. 13.

Ibid. ca. 14.

Li. 8. ſimpl.

Lib. 2. c. 315.

Lib. ſimpl. cap. 144.

Lib. ſimpl. cap. 144.

Petr. Pe. in Ad.

LEMMA, THOPH. *CAP. XI.*

Lib.4. hist. ca.11.

Nomen.

INTER Lacus Orchomeni plantas Theophrastus Lemma recensuit, non Lemna, vt in vulgatis codicibus legitur, de qua, nisi quantum cōiectura probabili assequi possumus, nihil certi possumus iudicare. Lemma quidam dictum volunt quasi λεπίδα, ideſt, squamam, corticem, membranam à verbo λέπω quod significat λεπίζω, desquamare. Id Lemma esse cuius picturā hîc damus verisimile est. In lacubus stagnísque agri Segusiani limpidum aliquem riuulum excipientibus nascitur, longissimis & tenuissimis veluti filis ex profundo aquæ in summū emergentibus, in quorum fastigiis quaterna spectantur foliola, squamis piscium simillima, instar lenticulæ aquæ innatantia, carnosa, virgata: flos est candidus, gustus fatui. Nominis igitur etymologia, natales Lemmati satis conueniunt.

Forma.

LENS PALVSTRIS. *CAP. XII.*

Nomina

LENS seu Lenticula palustris Græcis vocatur φάκος ὁ ἐπὶ τῶν τελμάτων, Arabibus *Tahaleb*, seu *Thaleb*, Gallis *Lentille d'eau*, Italis *Lente de i paludi*, Germanis *Vuasser linsen*, Hispanis *Lenteya dellagoa*, Officinis Lenticularia seu Lenticula aquæ. Folio est rotundo, minuto, lenticulæ simili, paruo tenuiq; inhærens capillamento Hæc si (quod nonnunquam accidit) aquarum inundationibus à pigris aquis influentes transferatur, cùm litoribus inhæserit, mirum in modum propagatur: nam subnatis quibusdā capillamentis, quæ radicum vice esse videntur, sese terræ alligat, atque ita adolescens tandem crescit in plantam aquatico sisymbrio haud absimilem. Id quod naturæ operum indagatores non sine admiratione obseruarunt. Lens palustris reperitur in stagnantibus aquis, inquit Dioscorides, muscus lenti similis. Vis est ei refrigerans. Quare omnibus inflammationibus, ignibus sacris, & podagris cōuenit, tum per se, tum cū polenta imposita. Agglutinat etiam in pueris hernias intestinorum. Sic Plinius Lentem palustrem totidem ferè verbis describit. Est & palustris Lens nascens in aqua non fluente, refrigeratoriæ naturæ: propter quod collectionibus illinitur, & maximè podagris, & per se, & cum polenta: glutinat & interanea procidentia. Et Galenus, Lens palustris, inquit, humidæ frigidæq; temperaturæ est, vtrimq; ex secundo quodammodo ordine. Magnificiunt quidam, vt tradit Matthiolus, pumilæ huiusce plantulæ stillatitiam aquam

Forma. Matth. in ca.83.lib.4.

Locus.

Lib.4.c.83. *Vires.*

LENS PALVSTRIS, Matth.

Li.25. c.22.

Li.8.simpl. *Temper. & Vires.*

LENS PALVSRIS
Altera, Matth.

aquam ad internas viſcerum inflammationes, & ad peſtilentes febres. Quinetiam eandem præferunt ad oculorum ruborem, & palpebrarum phlegmonas,& ad mãmarum & teſticulorum collectiones antequàm augeantur : nam illita non obſcurè fluentes humores repellit. Herba ipſa recens ex aquis allata & fronti adhibita,capitis dolores mulcet, qui à calore prouenerint. Veſcuntur ea anſeres & anates magna voluptate, etiam gallinæ, cùm aquis exempta furfuribus permiſcetur.Sunt qui putant Ipnum plantam Orchomeni lacus à Theophraſto poſitam, lentem paluſtrem eſſe,& à Theophraſto ſiue à Bœotis ſic nuncupatam quòd fauillis è camino furnóve euolantibus ſimilis ſit : nam ἶπνος caminum furnúmve ſignificat, cõiectura, vt aiunt, eò probabiliore, quòd nuſquam alibi huius lenticulæ herbæ frequentiſsimæ notiſsimæq; meminerit Theophraſtus. Alia planta in paludibus quoque naſcitur, inquit Matthiolus, quam à ſeminis figura lentem paluſtrem appellat, Caulem habet anguloſum per aquã repentem,à quo per interualla multa ſimul oriuntur folia longis ac tenuibus pediculis nitentia, quæ quaterna crucis figura ſeſe pandunt,rotundo cacumine.Semen fert racemi modo in ipſo caule inter foliorum pediculos lentium ferè effigie,non tamen adeò compreſſum, ſubnigrum, longiuſculis pediculis appenſum,denſum,durum.Hanc à Cortuſo accepit.

Lib.4. hiſt. Cap.11.

PHLEOS. CAP. XIII.

PHLEOS quoque lacuſtris eſt planta,& Theophraſto Orchomeni lacus incola, eáque,inquit,duplex, mas & fœmina, mas fructum fert, fœmina ſterilis eſt,ad nexus vtilis, mas inutilis. An verò à diligentibus herbariis tandiu quæſita nuſpiam lacuum, paludum, aliarúmve ſtagnantium aquarum comparebit phleos ſiue ſtœbe ? eandem enim plantam eſſe vulgò putant.Nam phleos mas Theophraſti fuerit ea quæ hîc primo loco depicta eſt? Radice breui,plurimis fibris huc illuc diſperſis capillata,foliorum pediculis cubitalibus,anguloſis,teneris,fungoſis : folio triangulari,tribus cuſpidibus mucronato,virgato,è viridi ſubluteo, valde inciſo, vt in tres cuſpides & earum mucrones finiat, ſuper aquas eminente : caule læui, cubito altiore : flore violæ in terna foliola diſtincto,ex albo ſubpunicea,extante in medio cæruleorum apicum veluti glomo: fructu lato,ſubrubro, vel ſubrufo (ὑπόπυῤῥον enim legendũ in Theophraſto, nõ vt vulgati codices habent ἐπίπυρον) placentæ ſimili (πλακουντῶδες enim lege, non vt in vulgatis πλαγιντῶδες) præter quem globoſa & echinata profert capitula.Euulſa hæc planta, & aquis deſtituta ſtatim flacceſcit & areſcit, vt non niſi in aquis poſsit viuere,quod de phleo Theophraſtus tradit, licet autem eam in ſicco emarcuiſſe putes,tamen aquis reddita ſtatim exhilaratur ac reuireſcit. Gignitur frequentiùs in cœno aquarum non pigrarum quidem aut ſtagnantium, ſed limpidarum & aſsiduè fluentium.Sunt quibus videatur planta ſecundo loco hîc appoſita etiam phleos eſſe, vt ſit vtraque mas, ſuperior phleos anguſtifolia, hæc phleos latifolia,

Lib.4. hiſt. cap.11.

Genera

Forma

PHLEOS Mas, siue Stœbe Theoph. Angustifolia.

Matth.in c.96.lib.4.

quam herbarij sagittam, vel sagittalem, alij Plinij Sagittariam aquaticam, siue Pistanam Magonis, quidam linguam serpentis vulgò vocant. Huius folium sagittæ tricuspidis figuram proximè refert, supernè in vnam cuspidem, infernè in duas desinens: pediculo nititur triangulari, intus cauo, sesquicubitali, quandóque maiore pro aquarum profunditate in quibus viuit: caulem habet rectum, læuem, rotundum supernè in ramulos diuisum, quibus flores insident albi, ternis foliolis constantes, hærentque petiolis pari exortu à caule prodeuntibus. Ex his tandem capitula nascuntur subpurpurea, nucis ponticæ magnitudine, in quibus minutum semen concluditur, radicem habet albam, multifidam, fibratam. Temperamento est frigido & humido, & iisdem cum plantagine aquatiqua viribus. Phleo fœminæ folia sunt longa, angusta, vtrinque velut acie manum contrectantium cæsim sauciantia, sic prominente & elato dorso, vt triangula videantur. Caulis ex mediis foliis prodit, tres aut quatuor pedes altus, globosis & echinatis capitulis circa fastigium surrectis, vt in phleo mare, nullo fructu: radice priori simili. Gignitur ferè in amnium ripis. Huius foliis tegetes & storeas olim rustici texebant, quod ex maris foliis tenerioribus & fungosis fieri nequit. Priori phleo mari & phleo fœminę cum tribulo (terrestri & aquatico)

PHLEOS Mas latifolia. Sagitta maior, Matth.

SAGITTA Minor, Matthioli.

ac ono

PHLEOS Fœmina.

ac ononide cõmune id est, auctore Theophrasto, quòd licet spinosum folium non habeant, aculeatum tamen quippiam proferunt præter folium, nempe capitulum echinatum, vt tribulus terrestris spinosum seminis cõceptaculum, aquaticus corniculatam nucem, aculeis rigentem, ononis caulem aculeatum, licet nullius folium spinis armatum sit, vel, vt vulgata habent exemplaria, præter aculeos aliud folium gerunt, id est, nec in totum, nec foliis aculeatæ sunt. Præterea nostræ de phleo sententiæ adstipulantur, quæ sparsim de ea scripsit Theophrastus. Phleõ folio esse carnoso, multipliciter inciso, numerosis radicibus, non tamen altè descendentibus, ononidis & tribuli modo alibi quàm in folio aculeos habere, vt diximus, germinare circa Vergilias, quo primùm tempore terram arant, in aquis vt Sidam & Butomum fructificare: fructũ mollem esse, placentę similem, subrufum, quem ἀνθήλην vocant (quo nomine etiam typhæ florem dici scribit Dioscorides) quo ad lixiuia vtuntur, partem radici proximam, quia tenera est, mandi à pueris, radice pecudes pasci, fœminam sterilem esse, sed commodè necti, marem fructiferum, sed ad nexus ineptum. Hæc priori phleo mari, & phleo fœmine satis benè conueniunt. Ex quibus illud mirum videri possit, quisnam fructus phlei vsus ad lixiuia esse potuerit, vt fortassè corrupti Græci codices Theophrasti videri possint, in iisque legendum non πρὸς τὰς χονίας, id est, ad lixiuia, sed πρὸς δ' χονιᾶ., id est, ad muros calce illinendos, siue tectorio opere inducendos: conuolutis enim phlei ramis fructu non detracto, muri calce diluta facilè illini possent. Quidam in lixiuiis vtilem fuisse interpretãtur, quòd eius caulibus subasperis lintea sordida fricarentur ac detergerentur. Iam verò dicet aliquis, phleon foliis esse spinosis, Plinio ita scribente. Aliqua & secundum spinam habent folium, vt tribulus & ononis. Quædam in folio habent & in caule vt phleos, quod aliqui stœben appellauêre. At hæc perperàm à Plinio ex Theophrasto conuersa esse perspicuum est ex ipsomet Theophrasto: sic enim scribit. τὰ δ' ἢ καὶ παρὰ τὴν ἄκανθαν, ἕτερον ἔχει φύλλον, ὥσπερ ἡ ὀνωνὶς. ἔστι δὲ τριβολος, καὶ ὁ φλεὼς, ὃ δή τινες καλοῦσι στοιβήν. Id est, quædam præter aculeos aliud habẽt folium, vt ononis, tribulus, phleos, quam nõnulli stœben appellauêre. Ad hæc Theophrastus paulò pòst negat folium phlei spinosum esse, cùm enim dixisset capparim aculeos & in foliis & in caule habere, subiungit, nõ quemadmodùm phleos & hippophaes, quorum folia spinis carent. Et, τῆς δ' ἀκανθικῆς, ἐπόμενον γὰρ τοῦτο εἰπεῖν, ἐπειδὴ διήρηται, ὃ μὲν ἀκανθώδες ὅλως, ὃ δ' ἔστι φυλλάκανθον, ὑπερ ἐκαλ. ρου χωρὶς λεκτέον. καὶ τελευτῶν ὅπερεῖ, τῶν δὲ παρὰ τὴν ἄκανθαν ἔχοντος φύλλον, ὥσπερ ὁ φλεὼς. ὁ δ' τριβολος ἔστι ἡ κάππαρος ἴδιον ἔχει δ' μὴ μόνον τὴν ἐκ τῶν καυλῶν ἄκανθαν ἔχειν, ἀλλὰ ἔστι τὸ φύλλον ἐπακάνθιζον. vel ὥσπερ ὁ φλεὼς, ἔστι ὁ τριβολος. ἡ δὲ κάππαρις ἴδιον ἔχει, &c. Sic enim emendandos esse vulgatos codices tum locus proximè citatus, tum spinosarum plantarum diuisio alibi ab eodem auctore posita, & hic repetita demõstrant. Sed quoniam aculeatas (id enim consequitur) distinximus in eas quæ totæ spinosæ sunt, & eas quæ spinosa habent folia, de vtrisque seorsum dicendum, & de tertio illo genere, quòd præter aculeum folium habet, vt phleos: tribulus enim & capparis id peculiare habent, vt non solùm caulem aculeatum habeant, sed etiam folium,

Lib. 6. hist. Cap. 1.

Lib. 6. hist. Cap. 5.

Lib. 4. cap. 6.

Lib. 4. hist. Cap. 11.

Lib. 22. c. 15.

Lib. 6. hist Cap. 2.

Cap. 5. lib. 6. hist.

folium: vel,vt phleos & tribulus:capparis enim id peculiare habet,&c. At ne quis miretur tribulo & cappari modo aculeos in caule solùm tribui, vt ononidi, phleo, myacanthæ,hippophai modo,præter aculeos illos spinas etiam in foliis,intelligat eundem Theophrastum duo tribuli genera posuisse, vnum folio ciceris, minimè aculeato,alterum folio aculeato. Similiter capparis nostras foliis est minimè pungentibus,sed spinosis ramis infesta,quę verò in Ægypto,& multis Græciæ locis gignitur,& ramis & foliis aculeatis riget.Sed si Theophrasti phleum hìc exhibuimus an propterea Dioscoridis stœben inuenimus? In ea sanè sunt sententia plerique herbarij,moti cõiectura ex Theophrasto sumpta,qui loco suprà à nobis citato scribit Phleon à quibusdam stœben appellari.Sed leuis est hęc coniectura,& parui admodùm momenti ad probandum phleon & stœben eandem esse. Idem enim nomen contrariæ etiam naturæ plantis à diuersis auctoribus sæpè inditum est, quod in hac maximè perspicuum est,vel Galeno teste,qui in Antidotis stœbes meminit, acris valde & calidæ facultatis, qua doliis aggesta pater imbecilla vina conseruabat. Verba eius hæc sunt. Nascitur apud nos herba quædam fructicosa, admodum calida & acris,& quæ aromaticum quippiam habet.Vocant autem ipsam indigenę Colymbada, quidam verò stœben, ad vina conseruanda maximè idoneam. Componunt itaque in hac herba vasa vinaria. Et alioqui per foramina calorem ex magna domo in cellarium admittunt,vt hoc tum ex adueniente calore, tum ex stœbe calefactum omne vinum conseruet,ne vnquam acescat. Alius verò stœbes meminit in lib.simpl.cuius fructus & folia adstringendi vim habẽt, mordacitatis expertem.Sed & desiccant euidenter in tertio ferè ordine incipiente, quæ eadem planè est quæ Dioscoridis stœbe,cuius semen & folia adstringunt,quapropter decoctum dysentericis infunditur,auribus quoque purulentis instillatur. Illita folia,oculis ab ictu cruentis prosunt,& erumpentis sanguinis impetus cohibent.Hic adnotãdum, plantam quam pro phleo fœmina exhibemus à Dodonæo pro Butomo depingi & describi,quod folia angusta & longa habeat, vtrinque acie sua manus attrectantium vulnerantia,dorso ita eminente, vt triquetra videantur, quódque locis palustribus exeat, vt de Butomo scripsit Theophrastus. Alij acorum palustrem,Butomum Theophrasti esse volunt,vt diximus cap. de Acoro, permulti Dodonæi Butomum Sparganium Dioscoridis faciunt,de quo mox.

Lib.6. hist. cap.5.

Lib.6. hist. cap.1.

Lib.1.

Lib.8. *Vires.*

Lib.4.c.11.

Lib.4.c.56. Butomus Dodo.

Lib.4. hist. cap.11.

Lib.4.c.21.

SPARGANIVM. CAP. XIIII.

Nomina

SPARGANIVM & Xiphidion dicitur Latinis,vt Græcis Σπαργάνιον & ξιφίδιον,Arabibus *Safarheramon*. Sparganium, auctore Dioscoride,folia habet gladioli,sed arctiora, & magis inclinata,in summo caule veluti pilulæ sunt,in quibus semen. Dodonæus in Histor.stirpium,pro sparganio pingit & describit plãtam, quam Belgæ *Vuatterlusch* appellãt, ipse in frument.Historia, Gladiolum palustrem, siue aquaticum: plerique Scirpum, alij luncum floridum.Pena & Lobellius,atque permulti herbarij sparganium Dioscoridis, & Theophrasti Butomum esse volunt, eam quam coniecturis quibusdam adducti pro Phlœo fœmina haberi posse superiori capite indicauimus, nominis argumento id docente,inquit Pena,qui βούτομον interpretatur admodum scindens.Prętereà plãta hæc in paludosis & riuis prouenit,foliis iunci & cyperi similibus,dorso prominẽte & carinato triquetris, acie sua vtrinq; manus arripientis sauciantibus, partim à radice graminea fibrata erectis,partim in bicubitali caule alterno situ sparsis & reflexis, in alarum cauo globulos echinatos saturatè,virentes, duros,firmos,platani pares habente, gustu subadstringente, sicciore, & insipido. Dodonæus in Hist.stirp. pro Butomo descripsit, in frument. Historia,Platanariam à fructuum cùm platani pilulis similitudine nuncupat, à quibusdam Belgis *Rietgras* dici ait, id est,

Lib.4.c.21. *Forma.*

Lib.2.c.58. Cap.115.

Lib.4.c.56. Cap.116.

SPARGANIVM Alterum, Lobellij.

id est,gramen arundinaceum. Sparganium esse negat, quod vel solus, inquit, pilularum situs ostendit, quæ non ἐπ' ἄκρου τοῦ καυλοῦ, id est,in summo caule modo,sed & infra eius summum multo,& alibi quoque exoriuntur. Matthiolus dubitat an eadem plāta genuinum sit Dioscoridis sparganium, quia folia habet xiphio latiora,non arctiora, sursum spectantia,non humi procumbentia. At vaga illa latioris angustiorísque folij nota,inquit Pena, sæpè non certa,sæpissimè in contrarium accipienda in Dioscoride ostēditur alibi: & vbi dicit ἐπιπλωτέρα, magis quàm gladioli inclinata, apertè indicat esse magis disparata & sparsa (vt sanè sunt) quā sint gladioli,quæ plurimùm recta, & proximè caulē parallela assurgunt. Alterum Sparganiū pinxit Lobellius, radice & foliis priori similibus, caule simpliciori, alis viduo,minore, per interualla verticillis distincto, à quo florū globuli oriuntur molliores, minúsque spinosi & echinati. Datur, inquit Dioscorides, radix & fructus cum vino commorsis à feris, sic enim Græcè legitur, διδοται ἡ ῥίζα, καὶ καρπὸς σὺν οἴνῳ θηριοδηκτοις. Ruellius Plinium secutus vertit,contra serpentis venena radix cum vino datur. Sic enim Plinius habet. Aduersus serpentes bibitur & eius radix quæ sparganium vocatur ex vino albo. Galenus. Sparganium & ipsum desiccantis est facultatis. Matthiolus plantam istam iuncis adiunxit,& iuncum floridum appellauit, cóque nomine depinxit. Nascitur,inquit,in Bohemia iuncus circa aquas,quem à floribus speciosis quos edit, iuncum floridum vocare voluimus,eiusdem cum aliis facultatis.

Vires.

Lib.4 cap.

Lib.25.c.9.

Li.8.simpl.

In cap. 47. lib.4.

MENYANTHES PALVSTRE Theophr. CAP. XV.

THEOPHRASTVS inter Orchomeni lacus plantas Menyanthes retulit cum Icma & Ipno. Gaza mensifloram conuertit. At quoniam triphyllum asphaltodes à veteribus menyanthes, auctoribus Dioscoride & Plinio,vocatum fuit, hæc verò planta triphylli modo in longis pediculis folia gerit,eam Menyanthes palustre Theophrasti esse herbarij iudicant. Sed μηνιανθος ex Gazæ translatione in Theophrasto quidam legunt pro planta lacustri,apud alios auctores μηνάνθες pro triphyllo asphaltite. Radice est longa,candida, densis geniculis tuborum modo in sese farctis, modicè fibrata: foliis latis,læuibus, crassis, fabæ similibus, ternis simul longo pediculo insidentibus: caule sesquipedali,læui,gracili,virente,à cuius medio sursum versus flores erumpunt,priusquam dehiscant candidi, nonnumquam subrubentes ac rotundi: cùm recluſi in quina folia diuisi, oblonga, tenuissimis & candidis filis veluti lanugine siue pube quadam elegantissima crispata,folliculi inde parui,rotundi,siue rotunda capitula, in quibus semen ex fusco flaueſcens,amari gustus. Nascitur in aquis & cœnosa vligineaquis vicina,earúmque affluxu semper madescente,extra aquam citissimè flaccescens. Hanc hîc graphicè pictam damus. Dodonæus in plantarum historia pro Isopyro descripsit ac depinxit,& à Belgis à foliorum similitudine *Bocxbonen*, id est, fabam hircinam appellari scripsit. In paluſtrium verò historia trifolium paluſtre nominat,

Lib.4.hist. cap.11.

Nomina

Forma.

Locus.

Lib.4.c.79.

Cap.98.

nominat, & cum isopyro magnam habere similitudinem, eíque esse tam simile, vt verum Isopyrum videtur, quod etiam phasiolum, propter similitudinem dici, Dioscorides auctor est, cui foliis simillima est planta hîc dépicta. Sed huic Dodonæi
Lib. 4. c. 16. Ibid sententiæ tum Dioscoridis, tum Plinij auctoritas maximè refragari videtur. Scribit

MENIANTHES Palust. Theoph. Isopyrum, Dodon.

MENIANTHES Palust. Dalechampij.

ISOPYRVM, Matth.

enim Dioscorides. Ισόπυρον, ὅι ϗ φασίολον καλοῦσι, ἀπὸ τοῦ ἐοικέναι φασιόλῳ τῷ καθ' ἄκρον δ' ὠφέλειν ἑλίκας φέρειν. Et paulò post, παραπλησίων μελανθίῳ τὴν γεῦσιν, τὸ δὲ φύλλον ἀνίσῳ. Id est, Isopyron quod aliqui phasiolum vocant, quia phasiolo simile est, quod in summo folia clauiculas ferant. Et, gustu melanthio similibus, at folium aniso simile est Plinius verò, Aliqui phasiolum vocant, quoniam folium quod est aniso simile, in pampinos torquetur. Quorum auctorum vulgaria exemplaria deprauata esse res ipsæ perspicuè demonstrant, nec enim phasioli folium clauiculas vllas habet, nec anisi folium, præterquàm quòd clauiculas nullas habet, vllum cum phasioli foliis similitudinem habet. Emendandum igitur Dioscoridis exemplar fuerit, hoc modo. Ισόπυρον, ὅι ϗ φασίολον καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ ἐοικέναι φασιόλῳ. ἔκτεισι ϗ κεφαλαὶ ἐπ' ἄκρῳ τοῦ καυλοῦ, λεπταὶ, σπερματίων πλήρεις παραπλησίων μελανθίῳ τὴν γεῦσιν. Id est, Isopyrum, aliqui phasiolum nominant à similitudine phasioli. Capitula ei sunt in summo caule, tenuia, plena seminibus, similibus melanthio in gustu. Quod verò sequitur, τὸ δὲ φύλλον ἀνίσῳ, folium verò aniso, perperàm additum

est,

eſt, forma enim folium iſopyri aniſum referre non poteſt, cùm phaſioli folio ſimile ſit. Aliud Iſopyrum Matthiolus oſtendit quod Dioſcoridis Iſopyrum in omnibus referre ait nulla addita deſcriptione. Semen Iſopyri, vt aſſerit Dioſco. contra tuſsim & cætera pectoris vitia, ex aqua mulſa bibitur: hepaticis, & ſanguinem excreantibus vtile. Iſopyrum, inquit Gal. ſemen habet amarum & ſubacerbum. Extergit itaque & incidit humores craſſos, cum hoc vt corpora contrahat & conſtringat, quamobrem excreationibus pectoris conducit, & iecur expurgat, & ſanguinem ſpuentibus non eſt aduerſum. *Vires.* Lib 6. ſim.

ALSINE AQVATICA. CAP. XVI.

FOLIORVM ſimilitudine Alſine aquatica nuncupata radices multas emittit candicantes, valde tenues, breues caules numeroſos, exiles ac iunceos, benè longos, aquarũ impulſu diſperſos & natantes: folia alſines ordine ex aduerſo diſpoſita, longiora & anguſtiora, guſtus fatui, ſaporíſque diluti: florem & fructum nondum vidi. In limpidorum riuulorum ſabuloſo fundo prorumpit. Aquis extracta quàm citiſsimè flacceſcit. *Forma.* *Locus.*

HEPATICA PALVSTRIS. CAP. XVII.

AB HERBARIIS & ſeplaſiariis Hepatica aquatica ſiue paluſtris nominata & Ranunculus aquaticus, à Dodonæo Polyanthemum paluſtre, in iis etiam eſt plantis, quæ aquis innatant, cuius folia quæ in ſummo ſunt pro locorum in quibus creſcit varietate, varia ſunt. Quæ aquis immerſa eſt cauliculos fert graciles, folia minutim admodùm inciſa, vulgaris chamęmeli modo. Antequàm verò aquis immergatur, & cùm adhuc ſuper extat, folia ferr rotunda, parùm in ambitu crenata. Quæ nõ in aquis, ſed in aggeribus & marginibus foſſarum naſcitur, nulla alia habet folia, quàm crebris inciſuris laciniata. Quæ verò propter aquas naſcitur, & interdum earum incrementis & inundationibus alluitur, foliola quidem habet in ſummis cauliculis rotũda, ſed multò magis crenata, quã folia eius quæ penitus ſub aquis latet: flores ſunt candidi, odorati, in medio lutei, ranunculi aut fragariæ ſimiles, quibus ſuccedunt capitula aſpera, & ſemen vt in ranunculo. A qua florum & ſeminis ſimilitudine, videri poteſt hæc planta ranunculi aut polyanthemi ſpecies, inquit Dodonæus, vt polyanthemum paluſtre vel aquaticum iure dici poſsit. Quidam Callitrichen Plinij eſſe coniectant, lenticulæ foliis, caulibus iunceis, tenuiſsimis, radice minima, guſtatu feruentem, naſcentem in opacis & humidis. Alij potiùs Callitrichen eſſe putant Naſturtium pratenſe minimum, alibi deſcriptum. *Nomen.* Dodon. lib. 1. c. 69. *Forma.*

HEPATICA Aquatiqua, ſiue Paluſtris.

VIOLA PALVSTRIS.

CAP. XVIII.

Nomina Dodo. lib. 1. cap. 69.

PLANTAM hanc herbarij quidam millefolij ſpeciem eſſe putant, Lobellius Myriophyllum Equiſetifolium vocat: alij Violam aquaticam ſiue paluſtrem, Gallicè *Gyroſlee d'eau*. Attentiores iudicióque præſtantiores Caſtoris potamogeiton a memoratum à Plinio eſſe putant tenui folio, velut equinis ſetis, thyrſo longo & læui, in aquoſis naſcentem Caules profert longos, tenues, rectos, teneros: folia item oblonga, minutim inciſa, ſub aquis latè diſperſa, ſemper quina, ſenáve ex aduerſo oppoſita, vt in rubia & galio, horum vnumquodque thanaceti aut millefolij vulgaris folio ſimile eſt niſi minus eſſet thanaceti, maius & amplius millefolij folio. In caulibus extra aquas eminentibus flores emittit ſemper ternos quaternósve, inter ſeſe oppoſitos, rotæ paruæ, in quinque radios diuiſæ, aut leucoij, aut bugloſsi vulgaris floribus ſimiles, candidos & in medio luteos, odoratos. Radices nihil aliud ſunt quàm fibræ longæ, graciles, nigræ, niſi quòd parte extrema, qua in terram defiguntur, candidæ ſunt, & cryſtalli aut alabaſtri modo ſplendentes. Tota herba ante caulis prouentum ſub aquis conditur, atque tunc eis innatans nouella videtur abies, caulis verò cùm excreuerit, vnà cum floribus ſuperficiem ſuperat, & ſupra aquas eminet. Gaudet lacubus & aquis ſtagnantibus, facultatem frigidam videtur habere & ſiccam, nullius tamen eſt in medicina vſus.

VIOLA PALVSTRIS.

Locus.

Vires.

CONFERVA TRICHODES.

CAP. XIX.

Lib. 27. c. 8. *Nomina*

ASIMILITVDINE Conferuæ Plinij à conferruminando dictæ, planta hæc aquatica conferua trichodes ab herbariis peritis nominata eſt, ab aliis Trichomanes aquaticum. Adhæret craſsiore ſui parte ſaxis aqua perpetuò madidis, & in ea demerſis, nulla radice, ſed ſuis ſtatim filis: inde per aquam villos diſpergit, longitudine cubiti, nullis foliis ornata cinctáve, ſed exilibus pilis comata, viridibus, & cùm aruerint, rufis, qua de cauſa trichoden nominarunt, guſtus fatui. In gelidis puríſque fontibus præcipuè naſcitur.

Forma.

Conferua Plinij Lobellio creditur eſſe hæc, ſpongioſis, flexuoſis, ſeſquicubitalibus & longioribus quaſi ellychniis ex fuſco virentibus ſtaminibus villorum cirris lene fluentibus aquis fluitans, ſcitè Plinij Spongiæ aquarum dulcium veriùs quàm Muſcus, aut herba, villoſæ denſitatis. In Lacu maiore Mediolanenſis agri reperitur. De Conferua hæc Plinius. Curatum ea ſcio omnibus ferè oſsibus confractis prolapſum ex arbore alta putatorem, circundata vniuerſo corpori, aquam

ſuam

CONFERVA Trichodes, siue Trichomanes Aquaticum.

CONFERVA Plinij, & Lobellij.



suam inspergentibus quoties inarescceret, raróque nec nisi deficiente herba mutationis causa resoluentibus conualuisse, vix credibili celeritate.

FOENICVLVS AQVATICVS.

CAP. XX.

FOENICVLVS aquaticus radices producit multas, seu fibras potiùs tenues, quę ob tenuitatem facilè rumpuntur, subrufas, luto infixas: caulem vlna longiorem, rotundum, geniculatum, mollem, tenerum ac fragilem, aquis innatantem ac iactatum. Ad singulos geniculorum articulos folia prodeunt longa, fœniculo similia, quam ob causam fœniculum aquaticum nominarunt herbarij. In geniculis fastigium versus tendentibus, & in summo plantæ vertice flores singulares emicant, longo & gracili nixi pediculo, in medio lutei, in ambitu candidis foliolis coronati, quibus decussis capitulum suboritur, vt in ranunculo tuberosum, gustus subacris. In alto vado fluminum cœnosorum, & pigrè labentium, qualis est Arar, prouenit: vnde extracta herba celerrimè flaccescit. *Forma.* *Locus.*

LIMONIVM. CAP. XXI.

Nomina

Lib. 20. c. 8. Lib. 2. Ali.

QVOD Græci λειμώνιον, Latini similiter Limonium vocant, inde dictum quod in paluſtribus pratis naſcatur, quaſi pratenſem herbam dicas. Plinius, betam ſilueſtrem nominari tradit. Galenus tamen ſe nullam betam ſylueſtrem vnquam nouiſſe ait, niſi quis pro ea lapathum accipiat. Limonium ſcribit Dioſcorides folia habere betæ ſimilia, tenuiora & longiora, decem aut plura: caulem tenuem, rectum, lilio æqualem, ſeminibus rubris refertum, guſtu adſtringentibus. Naſcitur in pratis & paluſtribus. A' Dioſcoride paulùm diſſidet Plinius. Eſt & beta ſylueſtris, inquit, quam limonium vocant, alij neuroides, multò minoribus, tenuioribuſque ac denſioribus foliis, vndecim ſæpè caulium. Minora folia dixit, Dioſcorides μακρότερα, id eſt, longiora, poſtrema verò verba corrupta ſunt. Legendum enim vndecim ſæpè, caule lilij ex Dioſcoride, vt voces vndecim ſæpè, ad folia præcedentia pertineant, & caulium

Lib. 4. c. 16. *Forma.*

Locus.

Lib. 21. c. 8.

LIMONIVM, Matthioli.

LIMONIVM Alterum, Matthioli.

vox, ex caule lilij corrupta ſit. Naſcitur in pratis & paluſtribus Quam plantam ſeplaſiæ falsò Behen rubrum vocant, eam Matthiolus Dioſcoridis limonium eſſe putat. Si quis enim, inquit, diligenter expenderit, eam inueniet notis omnibus limonium referre, cogetúrque fateri verum eſſe limonium, aut eius genus. Eſt enim herba foliis betæ tenuioribus & longioribus, decem & ſæpè pluribus: caulibus tenuibus, in quibus ſemen rubrum, quod guſtatum adſtringit. Præterea in pratis præſertim vliginoſis & paluſtribus prouenit. Iam verò experientia compertum eſt Behen hoc adulterinum iis præditum eſſe facultatibus ac viribus, quas Limonio tribuerunt Dioſcorides & Galenus. Idem Matthiolus alterum depinxit limonium, ſed non diſtinxit, nec monuit vtrum verius Dioſcoridis limonium repreſentet, vt eius verba declarant, quæ ſunt huiuſcemodi. Non temerè me facturum putaui, ſi pro vero limonio hîc eas plantas depictas exhiberem, quæ in Officinis

In cap. 16. lib. 4.

Ibidem.

ficinis Behen rubri nomẽ perperàm acceperunt, quod iam mihi perſuaſum ſit eas planè Behen illud ementiri, de quo à Mauritanis mentio facta eſt. Non inſçite, inquit Pena, pratenſi & maritimo recepto, ſcilicet primo nomen & notio Limonij conuenit. Folia enim eius ſunt betæ nigræ magis affinia, ſemen copioſum, oblongum, ex cæruleo rufeſcens, flores purpurei, caules tenues radixque rubeſcunt, magnitudine lapathi acuti, ad quod tota hæc planta accedit, & guſtu ſubaſtringit, vnde pharmacopœi Behen rubrum nuncuparunt. Huic alterum prorſus ſimile idem Pena depinxit, ſed multò minus, quod inter ſalebroſa litora & rupes montis Cetij, & alibi Narbonæ & Galloprouinciæ ſaxoſis oritur frequens, & empetro ſeu fœniculo marino lubens ſe aſſociat, foliis minoribus oleæ, aut myrti paribus, radici proximis, per humum ſparſis: circum pedales caules & caliculos graciles inflexos muſcoſis & cæruleis floribus ſuperioris non diſsimilibus onuſtos, folia longè minora, fœniculum marinum ſiue Empetrum ſatis expri-

LIMONIVM, Narbonenſe Paruum.

LIMONIVM, Aliud.

munt. Aliud limonium herbarij alij proponunt hîc etiam depictum, quòd foliis betam referat, & in riguis naſcatur. Gignitur in locis riuulorum illapſu madentibus, natura tamen lapidoſis & aridis: radice ſuperiore craſſa, nigra, ſenſim gracileſcente, fibrata: foliis decem aut duodecim, betæ ſimilibus, longioribus, coſta per medium excurrente, craſsis, carnoſis, venoſis, è viridi pallentibus: caule cubitali, læui, nudo, recto: flore in vertice copioſo, luteo, ſenecioni ſimili, in pappos abeunte. Limonij ſemen tritum, inquit Dioſcorides, & ex vino acetabuli menſura potum, dyſentericis, cæliacíſque prodeſt: rubra fœminarum profluuia ſiſtit. Eadem planè Galenus tradit. Limonij fructum vtpotè acerbum, in vino exhibent cœliacis & dyſentericis, hæmoptoicíſque ſiue ſanguinem ſpuentibus, iuuat & profluuium muliebre. Satis eſt oxybaphi menſura. Plinius quædam alia habet. Limonij folia ambuſtis vtilia, guſtantia adſtringunt. Semen acetabuli menſura dyſentericis prodeſt. Aqua & è radice cocta maculas veſtium ęlui dicunt, item membranarum.

Vires. Ibid. Li. 7. ſimpl. Lib. 20. c. 8.

GNAPHALION, siue Linum Pratense, Tragi. CAP. XXII.



Nomina

Lib.2.c.40.

Forma.

Locus.

HERBARII plantam hãc linum pratense, seu lanam pratensem nominant, Germani *Mattenflachs.* Tragus Dioscoridis Gnaphalium esse indicat. Caule est terete & enodi, inq; cacumine molli, tenero & candido tomento, gossipio ipso tenuiore & molliore emicante. Atq; hic est huius plantæ flos, hoc eius semen & fructus. Huius plantæ sanè elegans lanugo si in magna haberetur copia, textorio operi non inepta foret. In humectis pratis, & vilignosis vallibus prouenit.

TETRAPHYLLVM. CAP. XXIII.

TETRAPHYLLVM, Latinè Quadrifolium, hanc plantam vocant herbarij, quòd quatuor tantùm folia, nec plura habeat. Radice est parua & breui, subnigra, fibrata: caule quatuor digitos alto, rotundo, solido & duro: foliis quatuor helxinæ similibus, læuibus, venosis, prioribus duobus quæ maiora sunt & latiora, cauli proximè adhærentibus alarum modo: reliquis quæ minora sunt & angustiora, à caule veluti brachiato & bifido distantibus, longiusculo pediculo nixis, inter quæ nigrum tuberculum conspicitur, pediculos veluti disterminans. Gignitur in pratis montosis, vliginosis, & in

TETRAPHYLLVM.

QVADRIFOLIVM, Phaum Pena & Lobellij.

quibus

quibus aqua ſtagnans & pigra reſidet. Prodit Iulio menſe. Guſtu planta iſta valde aſtringit. Aliud Quadrifolium monſtrant Pena & Lobellius, quod Phæum cognominant. E pratenſium eſt genere, inquit Pena, quaternis, interdum quinis, adeóque ſeptenis foliis Oxy Plinianæ non diſparibus donata cernitur, ſed colore Phæo, vel liuido, rubente: flores trifolij pratenſis, candidi, reliquaq; non diuerſa.

RANVNCVLVS. CAP. XXIIII.

BATPAXION Græcis, Batrachium & Ranunculus Latinis dicitur. Apuleius Herbam ſceleratam, vulgus herbariorum Pedem corui, & Pedem galli perperàm vocat, Galli *Grenoillette* & *Baſsinet*, Germani *Hanenfuoſz*, Itali *Ranuncolo*, & *Pie coruino*, Hiſpani *Hierua belida*. Dicitur autem Batrachium ſiue Ranunculus, quòd limitibus humidis, opaciſque marginibus ranarum more lætetur, aut quòd aquis vbi ranæ degunt, potiſsimùm gaudeat, aut quia inter eius frutices ranæ frequenter inueniuntur. Eadem de cauſa *Grenoillette* à Gallis nominatur: *Baſsinet* verò à floribus, quòd vaſis æneis tonſtrinarum, in quibus barbas emolliunt, ſimiles videantur colore ac figura. Hi ob pulchritudinem iam in coronamenta venêre, & à multis florum cauſa coluntur, effecítque cultura, vt qui in limitibus ſimplici foliorum compage flores oriantur, ſtructili quodam denſoq; foliorum ſtipatu nunc in hortis colluceſcant. Herba ſcelerata, eò quòd comeſta noxia ſit: vel, quòd magis arridet, quia validi ſceleratiq; mendicantes ſibi crura ac lacertos dilaniant, quò poſsint impudentiùs ſtipem extorquere, atque hac impoſtura pecuniolam aucupari. Noſtri herbarij, inquit Plinius, Strumeam vocant, quoniam medetur ſtrumis & panis: vel ideò forſitan, quòd ſtrumoſa conſpiciatur radice. Sunt qui vocent Agreſte apium, ſeu apiaſtrũ, quòd folio apium æmuletur: quamquam plures apiaſtrum pro melliſſophyllo vſurparunt. Dioſcorides quatuor Ranunculi genera deſcripſit: ſed diligentes herbarij plures notarunt differentias & varietates. Primum genus, inquit Dioſcorides, coriandri foliis conſtat, latioribus, ſubalbidis, pinguibus: flore luteo, interdum purpureo: caule non craſſo, cubitũ alto: radice alba, parua, amara, multis capillamentis, ellebori modo fibrata. Naſcitur iuxta fluenta. Secundum lanuginoſius, longiori caule, pluribus foliorum inciſuris, plurimum in Sardinia naſcens, quàm acerrimum, quod ſilueſtre apium appellant. Tertium minimum, odore graui, flore aureo. Quartum huic ſimile, flore lactei coloris. Galenus quoque quatuor Batrachij differentias agnoſcit. Plinius in totidem genera Batrachiũ diſtinxit, vt ex Dioſcoride tranſcripſiſſe videatur. Ranunculum, inquit, vocamus quem Græci Batrachium. Genera eius quatuor: Vnum pinguioribus quàm coriandri foliis, & ad latitudinem maluæ accedentibus, colore liuido, caule alto (vulgata exemplaria habent albo) gracili, & radice alba. Naſcitur in limitibus humidis & opacis. Alterum folioſius (Dioſcorides habet lanuginoſius, Oribaſius γναλωδέστερον, ideſt, magis geniculatum) pluribus foliorum inciſuris, altis caulibus. Tertium minimũ

Nomina

Fuchſ.c.57.

Lib.25.c.13.

Genera.

Lib.2.c.171.

Ibidem.

Li.6 ſimpl.

Li.26.ca.13.

Forma.

RANVNCVLVS, I. Matthioli.

eſt,graui odore,flore aureo. Quartum ſimile huic,flore luteo:ſic enim legimus in vulgatis codicibus. Emendati,Dioſcorides, Oribaſius habent lacteo. Cæterùm id Ranunculi genus quòd copioſiſsimum in Sardinia naſcitur, ob id Sardoa herba

In Thyrſi. dicta,vnde Vergilius:

Imo ego Sardois videar tibi amarior herbis.

RANVNCVLVS II. Matthioli.

Li.6. c.14.

A pleriſque apium riſus nominatur, quòd qui ipſam ederint tanquam præ lætitia ridentes intereant. Sed res aliter habet: hæc enim herba neruos contrahit eorum qui ipſa veſcuntur, rictúque ora diducit,vt cùm moriuntur, veluti ridentium ſpecie pereant, quod Saluſtius confirmat his verbis. In Sardinia quædam herba naſcitur,quæ Sardoa dicitur, agreſti apio ſimilis. Hæc ora hominum & rictus dolore contrahit,& quaſi ridentes interimit. Dioſcorides etiam alibi Sardoniam Ranunculi genus eſſe ſcribit,quę veſcentibus mentem adimit,& quadam neruorum diſtentione labia in rictū contrahit,vt riſus ſpeciem prębeant à qua quidem affectione de Sardonio riſu adagium in vulgus infauſto omine manauit. His quintum Ranunculi genus addidit Matthiolus,quod foliis quidem primo Ranunculo proximis prouenit,ſed inter permultas quibus nititur radices, vnam habet tuberoſam, nucis iuglandis magnitudine, rapi modo albicantem, acrem & exulcerantem,qua per hyemem areſcentibus iam foliis vtuntur quidam cùm partē aliquam exulcerare volunt. Fuchſius quatuor itidem Ranunculi genera aſsignat, ſed aliter diſtinguit. Primum genus duplex eſt: huius enim generis Ranunculus quidam ſilueſtris eſt, cuius iterum duę ſunt differentię. Vnus enim luteos flores profert,hîc depictus. Alter purpureos.Prior ille Ranũculus eſt Auricomus Dodonęi,cui folia tribuit fere rotũda,multùm inciſa, in fuſco viridia,maculis in medio latiuſculis, nigricantibus notata: flores aureo & perpulchro colore nitentes. In pratis & vliginoſis agris creſcit. Quidam hortenſis, qui niſi cultura accedat prouenire haud ſolet. Hic itidem duplex eſt: Vnus qui ſimplici florum textura conſtat. Alter multiplicem foliorum in floribus compagem habet,hîc quoque appictus, & Ranunculus albus prior ſiue echinatus à Dodonęo dictus: caulibus eſt candicantibus, lęuibus, in quibus folia itidem candicantia, profundiùs inciſa, pręcipuè quæ circa cauliū faſtigia ſunt, coriandri foliis haud diſsimilia: flores in luteo pallidi,deinde ſemina ferè rotunda, cōpreſſa, echinata:

RANVNCVLVS III. Matthioli.

In hiſt. pl. cap.57.

Lib.3.c.72.

Ibid.ca.57.

Ibidem.

echinata: radix fibrata. Iisdem in locis quibus Ranunculus Auricomus prouenit. Secundum Ranunculi genus est Fuchsio, quod à foliorum similitudine, quam cum apij foliis obtinet, à nonnullis σέλινον ἄγριον, id est, apium siluestre, siue apium risus nominatur. Tertium genus exiguum, quod Dodonæus Batrachium Apulei vocat. Lib. 3. ca. 73.

RANVNCVLVS IIII. Matth.

RANVNCVLVS V. Matth.

RANVNCVLVS VI. Matthioli.

RANVNCVLVS I. Siluestris, Fuchs. Auricomus, Dodon.

Palmi

Ranunculus hortensis 1. Fuchs. Albus prior, siue Echinatus, Dod.

Lib.3. c.72.

Palmi vnius aut duorum altitudine crescit: crebris foliorum incisuris: floribus luteis, venustis: semine in rotundis capitulis: radice alba, rotunda, paruo napo simili, interdum nucis iuglandis magnitudine, infernè fibrata. Quartum genus Fuchsij etiam minimum est, duûm generum: vnum quidem lacteo flore, id quod à Dioscoride pingitur: alterum luteo. Prius genus folia profert tria incisa, cæterorum Ranunculorum modo, inter quæ flores eminent pallidi, aut lactei coloris: radix est gracilis, obliqua, infernè fibras producens, quibus in terram defigitur. Alterum genus floribus luteis differt. Vtrũque Ranunculum paruum siue nemorensem vocat Dodonæus. Crescunt in nemoribus, fossis, locísque vmbrosis & humidis. Sunt & alia Ranunculorum genera à Dalechampio obseruata. Ranunculus scilicet montanus albus, radicibus quamplurimis, teneris, carnosis, albicantibus: foliis longo pediculo innixis, Batrachio vulgari similibus, sed minimè hirsutis: caulibus multis, propemodùm cubitalibus, cauis: flore lacteo, emicantibus ex medio croceis apicibus: fructu asparago nascenti simili, in quo semen. In riuis frigidorum montium prouenit. Ranunculus alius purpureus cognominatus radicem habet innumeris fibris capillatam: folium oblongum, latum, crassum, apij, coriandríve modo, in summo diuisum, quale cernitur in Sardonia herba, aut in eo Ranunculo, quem à Dodonæo

Ranunculus, 1111. Fuchs. lacteus. Ranunc. albus nemorensis, Dod.

Ranunculus, 1111. Fuchs. luteus. Ranunc. luteus nemorensis, Dod.

Echinatum

RANVNCVLVS Montanus albus.

Echinatum vocari diximus : caule est cubitali, rotũdo, paucis ramis surculoso: flore purpureo, aspectu pulcherrimo, non foliolis quinq; tantùm constante cæterorum Ranunculorũ modo, sed numerosis, oblongo floris priusquàm aperiatur, & fastigiato quasi alabastro. In cœnosis & vliginosis locis nascitur : raráque est hæc planta, nec multis adhuc visa aut cognita. Item aliud genus latifolium nuncupatum foliorum peculiarem figuram hanc habet, quod aliorum modo ea incisa non sunt, nec laciniata, nec sinuosa, sed subrotunda marginibus tantùm dissectis. Cæterùm idem florum color, iidem natales, eadem vis quæ aliis Ranũculis. Postremus eiusdem Ranunculus est, qui hederaceus cognominatur, cauliculis multis, humi ia cẽtibus & serpentibus, rotundis, radiculas exiles & prætenues, è nodulis quibusdam emittentibus, foliis multis, paruulis, hederæ similibus: quamobrem hederaceum vocarunt, atra macula notatis, pediculis breuissimis, ad quorum exortum floris conceptus emergit, granulis tuberosus, oblongus: flore luteo, Ranunculis aliis simili. Sapore acer est & feruidus. Nascitur in riuulis, & fluentis fonticulorum, locis sabulosis & macris. Dodonæus libro de deleteriis Ranunculorum genera aliter distinxit & descripsit. Ranunculus, inquit, alius est hortensis, alij siluestres. Horum nonnulli sunt vulgares, alij externi. Ranunculos hortenses duos pinxit, vnum

Cap. 2.

RANVNCVLVS Hederaceus, Dalechampij.

RANVNCVLVS Hortensis prior, Dodonæi.

duntaxat

duntaxat descripsit his ferè verbis. Ranunculus hortensis folia promit in particulas aliquot dissecta, sæpiùs specie trifolij, nonnunquam quinquefolij, per margines rariùs crenata, saturatè virentia, in quibus quandoque maculæ quædã inalbicant: caules rotũdi, leniter hirsuti parùm reclinantur, radiculas emittentes quibus humi sese affigant. Ij ad dodrantalem aut paulò ampliorẽ assurgunt altitudinem, ferentes in fastigiis flosculos quinquefolij, luteo auri colore splendentes, staminibus aliquot exiguis, eiusdem coloris, medium sepientibus orbiculum, qui auctior factus semina in globum confarcta continet, ex quibus componitur: radices tenues, fibratæ, candicant. Is ad quartum Matthioli videtur accedere. Locis vmbrosis, & nonnihil humentibus, non prorsus aridis, secus vias, & in locis hortorum incultis sponte exit. In pratis quoque & non rarò iuxta agrorum margines occurrit. Nec enim quòd in hortis tantùm gignatur, hortensis dicitur, sed quòd ferè præ cæteris hortis sit familiarior, atque in his creberrimè gramini permistus reperiatur, vbi & eius flosculi quandoque multiplicatis visuntur foliis. Maio deinde serius multò vigent flores. Ranunculi siluestris primi caules sunt rotũdi, læues, crassi, interius vacui, in alas diuisi, folia in longis, crassis, pinguibus pediculis, lata, læuia, marginibus incisa: flosculi in cacuminibus lutei, pallidiores & minores quàm hortensis, atque inde capitula primùm erumpentis myacanthæ asparagi cacumen æmulantia: radices candidæ, multis fibris capillatæ. Tota stirps dilutè virenti resplendet colore. In palustribus & iuxta riuulos, non rarò in scrobibus ac fossis aquas habentibus, aliisq; similibus locis exoritur. Ranunculi palustris nomine Dodonæus in Historia stirp. depinxit. Est Apiũ risus Fuchsij, secundum genus Ranunculi siluesttris, Ranunculus palustris rotundiore folio Lobellij. Vel idem est, vel proximè ad tertiũ Matthioli Ranunculum accedit. Siluestris secundus caulibus ac foliis est non perindè læuibus, obscuriùs omninò virentibus, & nõ rarò ex puniceo colore nigricantibus, nonnihil quoque hirsutis ac lanuginosis, sed læuissimè: folia in quinque instar pentaphylli, sed tamen dissimiles, latiores eásque lacinioſas partes profundioribus sectionibus diuiduntur: cauliculi omnes ad cubitalem vel etiam ampliorem accrescunt altitudinem: flores auri colore elegãtes, forma & magnitudine hortẽsis, semen ferentia capitula vti hortensis: radices fibratæ, è quarum capitibus nerui subinde obliqui quibus propagatur. In

RANVNCVLVS Hortensis alter, Dodonæi.

RANVNCVLVS Illyricus.

Lib. 3. c. 72.

pratis

pratis reperitur, locis paulò ab ipsis scrobibus aut fossis remotis, nequaquam tamen aridis aut irriguis. Hortensis est primus Fuchsij, flore multiplici, polyanthemos, idest, multiflorus à Lobellio dictus. Tertio Ranunculo siluestri, quem Aruensem nominant, minora ac teneriora sunt folia, sed magis ac variè dissecta, diluti viroris: cauliculi recti, rotundi: flores parui, lutei, pallentes, quibus subnascitur non asparagi cacumini similis orbiculus, sed latum, asperum & pungens capitulum, ex aliquot cõgestum seminibus maiusculis, planis, acuminatis & breuibus, minimè tamen innocentibus spinis obsitis: radix candidis quoque & capillaceis fibris constat. In aruis plerumq;, locis alsiosis, vbi humidius solum, gignitur. In Historia stirpium Dodonæus Ranunculum album siue Echinatũ vocauit, quem modò depinximus. Fuchsio est hortensis primus, simplici flore. Externorũ Ranunculorum vnus est Illyricus cognominatus, qui cauliculos fert tenues, teretes, mediocris longitudinis: folia verò oblonga, plurimis fissa incisuris, vt vtraque subcandida, & quadam tenui lanugine vestita: flores luteolos, pallidiores quàm Auricomi Ranunculi, semina verò vti illius: radices multis paruis tuberibus veluti granis, aut oblõgiusculis & paruis bulbis cohærentes. Ex Illyrico primùm in Italiam, atque inde in Belgium illatus fertur: cum aliis, flores seminaq; producit. Hunc Ranũculum cum secundi Dioscoridis descriptione conuenire censet. Est enim χνοωδέστερος, idest, lanuginosior, & μακροκαυλότερος, idest, longiore caule, & ἐνίοτε ἔχων πλείους τῶν φύλλων, idest, foliorum incisuras cõplures, plerumq; in Sardinia nascens. Verisimile enim est, nõ modò in Illyrico, verùm in Sardinia quoque reperiri: vtraque enim regio Mediterranei maris vndis alluitur. Secundus Ranunculus externus à Dodonæo non pictus, folia habet oblonga, angusta, nequaquã fissa, sed graminis aut tritici æmula, è diluto & albicante cæruleo colore virentia: cauliculi breuiores palmum aut sesquipedem tantùm alti: folia seminaq; vti Illyrici, sed radices multis tenuibus confibratæ. Circa Narbonam in pratis reperiri fertur, inquit Dodonæus, fortasse veteribus incognitus. Ranunculus gramineus dici potest. Tertius externus Ranunculus est Lusitanicus, reliquis humilior, foliis exit latis, venosis, læuibus, relucẽtibus, minimè diuisis, margine tantùm aliquantulum incisis, pediculis ab ipsis radicibus palmaribus absque adnatis, in quorum singulis flos vnicus, luteo auri colore resplen-

RANVNCVLVS Lusitanicus.

RANVNCVLVS Flore globoso.

dens,odoratus,maior & folioſior quàm aliorum,ſtaminibus in medio concoloribus,inter quæ capitulum emicat:pro radicibus multa quaſi granula veluti Illyrico Ranũculo,quæ tamen pictura non oſtendit.Nihil habet,inquit Lobellius, cum Ranunculis commune, præter ſemina racemoſa & luteos flores. In Luſitaniæ & Beticæ Hiſpaniæ montibus viret,florétque hybernis menſibus, ac non rarò ipſa bruma. Ranunculum externum quartum numero, nõ pictura,albo flore ſimplici poſuit Dodonęus,quẽ pro Aconito albo deſcribemus libro de Venenatis. Quintus Ranunculus externus globoſi floris,foliis,caulibus, radicibus ſatis ſecundum ſilueſtrium refert,flos quoque eius aurei coloris,verùm maior, pluriúmque foliorum,qui nõ totus panditur,ſed in globuli odoris valde iucundi formam collectus,naſcenti quodammodo ſimilis viget. Proferunt hunc Heluetiorum montes,præſertim is quem fractũ vocant.Geſnerus ait Trollium florem vulgò dici.Lobellij Ranunculus montanus Alpinus glomeratus, Oſtenſis vallis , Mindenenſium , Aruerniæ, Germaniæ & Heluetiorum montium amans. Ranunculus tuberoſus Apuleij Batrachium dicitur, quod Apuleius ab aliis ſeparauit, & peculiariter Batrachium appellauit. Vulgò Rapum D.Antonij appellant. Variè diſſectis , latis,ac virentibus eſt foliis:cauliculis palmũ aut duos palmos altis, floſculis auri colore ſplendentibus,ſemine in capitulis aſpero , hortẽſem ſatis refert,ſed radix inſtar rotũdi globuli, paruo exiguoq; rapo ſimilis, ex qua tenues , gracilęſq; dependent fibræ. Prouenit in incultis & aridis Germaniæ ac Belgij nonnullis locis. Naſcitur in Anglia maior, vbi rapum in maiorem excreſcit quantitatem. Non minùs autem huius acris,quàm aliorum vis & facultas. Vſus eſt præcipuè rapi , quòd pleriq; peſtilenti bubone correptis cum ſale contuſum ſtatim initio aut femori aut brachio infra videlicet affectum locum admouent,ita virus & morbi malignitatem ad partem ignobiliorem attrahentes. Exulcerat enim & veſicas mox excitat, cuicumq; corporis parti fuerit applicatũ. Apuleius,ſi lunatico in ceruice, inquit, ligetur lino rubro luna decreſcente,cùm erit ſignum Tauri vel Scorpionis parte prima,mox ſanabitur. Itẽ, herbam Batrachiũ tuſam cum ſua radice mixto aceto impones his,qui habẽt cicatrices nigras, exedit eas ,& ſimilem corpori reliquo reddit colorem. His adde Ranunculum Conſtantinopolitanũ Cluſij,qui pedalem habet caulem,

RANVNCVLVS
Tuberoſus.

RANVNCVLVS
Conſtantinopolitanus,Cluſ.

Lib. ſtirp. Hiſpanic.

in duos

in duos aut plures ramos diuiſum,quorum extremis inſident:flores magni, multipliciq; foliorum glomo conſtantes,vt in Ranunculo vulgari tuberoſo:flore multiplici,ſed pulcherrimo,cocci colore rubentes, folia circa radicem quina aut ſena, diluto virore nitentia,media forma inter paluſtris & Echinati ranunculorũ folia: quæ verò per caulem ſparſa ſunt, minora, nec adeò inciſa,nec admodùm frequentia:multæ illi radices ſimul congeſtæ, Luſitanici ranunculi & aſphodeli radicibus perſimiles, flaueſcentes. Huic Ranunculo Conſtantinopolitani cognomen dedit,quòd in quibuſdam hortis Conſtantinopoli inueniri audierit.Sunt & alij apud Dodonæum & Lobellium Ranunculi. Ranunculus niueus Polyanthes, pulcherrima exoticæ elegantię planta, inquit Lobellius,quę flores lętos, multiplici fœtu & prouentu in Belgij hortis Maio mẽſe dat.Folia & ortus Ranũculi albi aconiti facie. Flammeus Ranunculus aquaticus, anguſtifolius,Flammula vulgi, Belgarũ *Egelkoolen*, prorſus eadem videtur eſſe quæ Flãmula aquatica infrà picta & deſcripta, & à Dodonæo in Hiſtoria ſtirpium. Hoc docet eadem nomenclatura,eadem delineatiò illic poſita, & in Purgantium Hiſtoria: ea ſolùm varietate differunt, quòd poſtrema Dodonæi,folia non ſerrata,prima ſerrata habet, iiſdem natalibus & riuulis. Ranunculus nemoroſus, Ranunculus quartus Fuchſij lacteus & luteus hîc ex eodem Fuchſio appicti,à Dodonæo in Purgantiũ Hiſtoria pro quinta & ſexta ſpecie anemones. Id quod etiam monuimus,in libro de iis quæ flore placent, ca. De Anemone. Frequens herba hæc eſt in montibus Diuæ Mariæ à Monteſerrato, & circumuicinis partibus,ad montium radices, iuxta arbuſta,& querceta. Herba itaque eſt cubitalis,vt plurimùm. Radix ei ſubeſt, rotunda, bulbacea, exigua,candida,pluribus inuolucris croco ſimilibus,contecta,ex qua aliæ radiculæ albæ, craſſæ aliquantulum, veluti capillamenta dependent. Folia ex radice prodeunt, longa,ſtricta,à longo pedunculo dependentia,læuia,fractu contumacia,neruata & in acutum tendẽtia, longitudine palmi vnius, latitudine verò tranſuerſi vnius digiti, palmæ folium in modo ſubſtantiæ, & contumacia fracturæ,imitantia. Caulem habet cubitalem ferè ſemper, tenacem, ſolidum, rotundum, in quo folia minora ſunt. In ſummo caulis flores exiſtunt ex quinque foliolis cõſtructi,in medio muſcoſi,forma,figuraq; ſimiles ranunculis. Floret Aprili, & Maio. Semen habet candidũ,magnitudine milij. In radicibus ſapor

RANVNCVLVS Niueus, Polyanthes,Lobell.

RANVNCVLVS Flammeus Aquaticus, anguſtifolius, Lob.

Ranunculus Phœniceus, Myconi.

Ranunculus Purpureus.

cum multa humiditate acris eſt, ſed in foliis maior, vt vix ranunculis cedat. Planta veteribus interdicta, inter Ranunculi tamen genera videtur collocanda, ex ſapore, forma florum, & radicum. Quãquam folium diuerſum eſſe ab aliis ranũculis appareat. Ego Ranunculũ Phœniceum ſemper vocaui, ob ſimilitudinem quam cum palmæ foliis obtinet, & ranunculi ſaporem. Vt vulgaribus vocetur nondum ſcio. Ad eadem præſtare videtur, ad quæ ranunculus, minoris tamen eſt efficaciæ.

Temper. & Vires.

RANVNCVLVS Latifolius.

Li. 2. ca. 171.

Li. 6. ſimpl.

Rara inuẽtu, hîc tamẽ frequẽtiſsima. Omnium Ranunculorũ temperamentũ calidũ vehementer, ſiccumq; eſt vſq; ad quartũ gradũ: præcipuè apiũ riſus omniũ calidiſsimum. Folia, flores & cauliculi recẽtes, inquit Dioſcorides, illitu exulcerãt, & cruſtas nõ ſine dolore gignũt: quare vngues ſcabros extricãt, ſcabiẽ eximũt, ſtigmata delent: formicãtes verrucas & penſiles, alopeciaſq; pauliſper illita tollũt. Tepente decocto pernio-nes fouẽtur. Sicca radix tritaq; ſternutamẽta ciet naribus admota: dentium dolorẽ appenſa leuat, ipſos tamẽ frãgit. Eadẽ Galenus tradit. Batrachia omnia vehemẽter acrẽ qualitatẽ poſsident, adeò vt cũ dolore exulcerent: hac ratione ſi moderatè ac cõuenienter vtare, pſoras & lepras excoriãt, & vngues diuellũt, leproſis ſtigmata digerũt, acrochordonas & myrmecias detrahũt. Quin & alopecias iuuãt pauco tẽpore admota. Nã ſi diutiùs inhæreãt, nõ excoriatur ſolũ ipſa cutis, ſed & in cruſtã vritur. Atq; hæc omnia caulis & foliorũ ſunt opera, ſi imponas virẽtia. Porrò radix arefacta ſternutationẽ prouocat, ſimiliter aliis quæ valẽter deſiccãt. Sed & dentes dolẽtes iuuat, vt & frãgat eos valẽti, ſcilicet exſiccatione: & vt ſemel dicam, calida

calida ſiccaq; valde eſt tũ radix,tum vniuerſa herba. Eadẽ Plinius quoq; de ranũculorũ vſu & effectu tradidit. Omnibus vis cauſtica,ſi cruda folia imponãtur, puſtulaſq;,vt ignis,faciunt. Ideò ad lepras & pſoras eis vtũtur, & ad tollẽda ſtigmata, cauſticiſq; omnibus miſcẽt. Alopeciis imponũt,celeriter remouẽtes. Radix in dolore cõmanducata diutius,rumpit dẽtes. Eadem ſicca conciſa,ſternutamentũ facit. Noſtri herbarij Strumeam vocãt,quoniã medetur ſtrumis & panis, parte in fumo ſuſpenſa,credũntque ea rurſus ſata rebellare, quę curauerint,vitia. Hæc Plinius. Li.25. ca.13.

LINGVA, Plinij.

LINGVA PLINII. CAP. XXV.

AD Ranunculorũ genera accedere videtur plãta hîc depicta,quę Plinij Lingua ſiue Lingulaca(vtroq; enim modo apud eum legitur)videtur eſſe. Radice eſt nigra,craſſa, arũdinis modo geniculata, denſiſsimis fibris capillata:caulibus rotũdis,cubitalibus: foliis lõgis, anguſtis,acuminatis, figura Linguam exertã referentibus, venoſis, per interualla caules ambientibus, ſaporis acris & amari: flore Ranunculi, aureo, quinque foliolis conſtante: fructu granuloſo,aſparagorum capiti ſimili. Circa fontes cum chryſanthemo aquatico prouenit. Radix eius combuſta, inquit Plinius, & trita cum adipe ſuis(adiicitur vt nigra ſit & ſterilis) alopecias emendat vngentium in ſole. Quæ alio in loco repetit:Lingulaca circa fontes naſcens cuius radix admiſta combuſta teritur cum adipe ſuis nigræ. Id quoque excipitur, vt eius ſit ſuis, quæ nunquam peperit. Sol deinde plurimùm confert illitæ. Planta alia Dalechampio. Lingua maior vocatur,quæ propè amnium ripas naſcitur,locis quidem ſabuloſis,ſed inuecto limo veluti ſtercoratis & pinguibus,caule ſingulari,anguloſo,intus cauo,ſex aut ſeptẽ pedes alto, craſſitiæ pollicis,radice vnica,veluti geniculata, interdum craſsitudine cubiti, obliqua, radiculis multis fibrata,cãdidis,teneris,per interualla naſcẽtibus,guſtu ſubamaris, & aromaticũ nõnihil, cũ mãduntur,ſpirantibus:foliis numeroſis,ſalici vel nerio ſimilibus, venoſis, elata & media intercurrente coſta diuiſis, octo digitos longis, in ambitu crenatis,eleganter caulẽ torũ ab imo ad ſummũ thyrſi modo veſtiẽtibus,ſparſim hinc illinc nullo ordine,tãquã è tuberculis quibuſdã, prodeũtibus,ſaporis amari & ſubacris: flore in extremo caule copioſo,luteo,ſenecioni,aut herbæ,quã Officinæ D.Iacobi vocãt,ſimili, inodoro.Plãtæ ſapor oſtẽdit facultatis eſſe abſtergẽtis, & ad expediẽdas obſtructiones efficacis.Particulatim eius dotes & vires nullus herbariorum,q; ſciam, adhuc memoriæ prodidit.

Nomina Li.24. c.19. & li.25.c.11.

Forma.

Locus. Li.24. c.19.

Vires. Li.25. ca.11.

LINGVA Maior, Dalech.

HYDROPIPER Lanceolatum. CAP. XXVI.

Nomina

Forma.

ADscribi etiam ranunculorum generibus potest planta hîc depicta, quæ à semine feruidissimi gustus natalibúsque & foliorum figura Hydropiper Lanceolatum ab herbariis nuncupatur. Radicibus nititur multis, breuibus, candidis, tenuibus, congestis: foliis multis plantagini aquaticæ similibus, aut terrestri quam Officinæ Lanceolatã vocant, angustioribus, breuioribus: caule quadrato, virgato, pedali, infernè rubẽte, in ramulos aliquot diuiso: flore Ranunculi, aureo, capitulo paruo, veluti granulis tuberoso in quo semen acerrimi gustus. Hanc plantam Pena nomine pumili Ranunculi gramineis foliis, & geniculati videtur depinxisse.

HYDROPIPER. CAP. XXVII.

Nomina

ΥΔΡΩΠΕΠΕΡΙ à locis in quibus nascitur, & Piperis sapore quem præ se fert, quasi dixeris Piper aquaticum,

Li. 8. simpl.

appellatum fuisse testis est Galenus. Latinè quoque Hydropiper & Piper aquaticum, Gallicè *Poyure aquatic*, & *Curage*, Italicè *Hidropepe*, & *Pepe aquatico*, Germanicè *Vuasserpfeffer*, & *Muckenkraut*, quasi herba muscarum quod muscæ vehementer ab ea abhorreant: neque enim id quod succo eius aspersum est attingunt. Dioscorides scribit Hydropiper caulem edere geniculatum, solidum multis alis concauum, folia menthæ, maiora, teneriora, candidioraq;, sapore acria, quemadmodum Piper, non tamen aromatici odoris: fructum acrem in surculis paruis enascentem propè folia, cohærentem & racemosum: radicem paruam, nullius in medicina vsus. Hanc descriptionem in nullam plantam veriùs comperere autumant omnes ferè periti herbarij, quam in eam quæ Persicaria non maculosa & Persicaria vrens vulgò nominatur, vt ab ea distinguatur cuius folia nigris maculis aspersa sunt. Illa enim foliis est menthæ consimilibus, maioribus tantùm, hoc est, longioribus, tenerioribus, candidioribus, quæ meram Piperis acrimoniam respiunt, citra vllam odoris gratiam: caule est admodùm geniculato, duro, alis concauo, è cuius adnatis rufum semen prodit racematim congestum, & quadam serie cohærens, acri admodum gustu, vt linguam vehementer vellicet. Accedunt natales: nam propè stagnantes aquas hæc planta viresçit: his adde etiam facultates. Cordus Cratęogonum vocat. Ruellius probare nititur legitimum Hydropiper esse, quod Officinæ Eupatoriũ falsò nominant. At Eupatoriũ

Forma.

HYDROPIPER, Matth.



Cord. in 2. Dioscor. Dod. lib. 5. ca. 67. & li. de florib. Matthi. in ca. 155. lib. 2. Dioscor.

Locus.

Lib. 2. c. 101.

istud

istud foliis est cannabinis,duris,hirsutis, amaro gustu,non acri, id est,piperis,adeò odoratis,vt eam ob causam viribus maximis prçstare existimetur,cùm hydropiper Dioscoridis folia ferat menthæ maiora, molliora candidiora, gustu piperis,acri,sine vlla odoris gratia. Præterea hydropiperis caulis est geniculatus, solidus, in foliorum & ramulorum exortu alis multis concauus:semine acri in ramusculis propè folia racematim cohærente,Pseudo eupatorio verò quod posthac suo loco nos indicabimus caulis est procerus,minimè geniculatus, in cuius ramulis nullum iuxta folia semen racematim cohæret, sed in cacumine flores fert subrubentes, qui diuisi,muscarij specie,silvestris origani modo per maturitatem in pappos euanescũt, è quibus semen amarum totius plantæ sapore,non acre,etiam si Ruellius id asseueret. Quod si eupatorium istud iuxta resides aquas, aut tardo fluxu repentes nasci conspexerit, non propterea hydropiper fuerit, cùm aliæ omnes notæ reclament. Sunt alij herbarij qui aliud hydropiper ostendunt,id nimirum quod Chrysanthemum aquaticum quidam vocant.Dodonæus Pseudoeupatorium fœminam. Sed id duplex, vnum quod folia in tria,quinque, sex diuisa fert digitorum modo,alterum quod simplicia & minimè diuisa habet,vt ex vtriusque pictura perspicere licet.Cętera in vtroq; paria sunt,quod ad radicem,caules,foliorum figuram,florem,semen attinet. Sunt etenim radice parua & breui, geniculata,fibrata, nigricante,inutili: caulibus multis,cubitalibus, geniculatis, subhirsutis, solidis, non cauis, quadratis, *Forma.*

HYDROPIPER Alterum, Dalechampij.

HYDROPIPER Pseudo-eupatorium fœmina, Dodo.

virgatis,in alas multas sese explicantibus: foliis menthæ,maioribus, tactu molliori-bus,pallidiùs virentibus, aromaticum nihil olentibus, gustu piperis,acri, fructu quoque acri, corymbo simili, aut chamæmeli capitulo, luteo,surculis paruis euecto, qui ex alarum sinu prope folia eriguntur,foliolis insidente stellatim radiatis asteris modo: semen oblongum est,angulosum, quatuor præfixis pilis,villosum, asperis & tenacibus,contrectantium manui, & mandentium palato inhærescentibus,mordaci scabritie. Gignitur vtrumque prope aquas vel in aquis ipsis stagnan-

HYDROPIPER Aliud, Dalechampij.

tibus, vel in riuis leniter fluentibus. Sed historiæ Dioscoridis quædam supradictorum repugnare videntur, quòd propè caulis folia fructus earum plantarum, quas hîc pinximus, non nascatur, quòd racemosus non sit, quòd piperis acrimonia linguam non vellicet. Sed sunt qui in Dioscoride legant, χαρπὸν δὲ ἔχει ἐπὶ χλωναρίων μικρῶν ἐκφυομένων παρὰ τὰ φύλλα, non ἐκφυόμενον, vt hæc vox ad surculos siue ramulos fructum sustinentes non ad fructum ipsum referatur. Præterea an surculorum, an caulis folia hîc intelligantur, Dioscorides non expresit, fructus quidem iuxta sua siue surculorum folia orbiculatim ipsum ambientia prodit. Quantum ad racemosum fructum attinet, respõdent in Dioscoride βοτρυχώδη legendum, pro βοτρυώδη, facilémque fuisse hunc lapsum, in magna nominum similitudine, βοτρύχους autem siue βότρυχας dixerunt veteres cincinnos, seu comptam cæsariem & capillos mulierum, quos repręsentant pili illi exiles qui in seminum hydropiperis vertice eminent, cui notæ exprimẽdæ βοτρυχώδους vox maximè conueniat. Sed si quis hanc emendationem non approbet, ne ea quidem se egere aiunt, cùm vtriusque hydropiperis fructus maturus inæqualibus pilorum ordinibus in figuram racemi oblõgam fastigietur, & desinat. Iam verò fructum hunc acrem esse, saporisq; piperi similis, nemo qui gustauerit inficiabitur. Sed nec parem piperis acrimoniã in eo Dioscorides requirit, nec Galenus, qui nõ tam calidum esse quàm piper apertè dicit. At si vtraque hæc planta postremò descripta eorum iudicio verum sit hydropiper, quænam fuerit veteribus persicaria illa non maculosa? Cratæogonum illi esse arbitrantur. Qua de re non est hîc dicendi locus. Nunc de hydropiperis viribus tractandum. Folia cum fructu illita, auctore Dioscoride, tumores veterésque duritias discutiendi, & sugillata delendi vim habent. Siccata eadem & contusa pro pipere sali & obsoniis admiscentur. Galenus eadem tradit. Hydropiper non vsque adeò calidum est quàm piper, attamen ipsa herba viridis cataplasmatis modo imposita, sugillata & tumores induratos digerit. Persicaria non maculosa multorum hydropiper, recens & viridis, inquit Matthiolus, sternitur commodè in thalamis pulicibus necandis, & postero die eiicitur. Suillæ carnes salsæ circunducta herba præseruantur à vermibus. Ideóque succus eius ad vermiculosas aures maximè facit. Plinius hydropiperis herbæ non meminit: nam alia est apud ipsum herba piperitis siue siliquastrum, de qua suo loco diximus.

Vires.

Lib. 2. c. 155.

Lib. 8. sim.

In cap. 155. lib. 2.

Lib. 20. c. 17

PERSICARIA. CAP. XXVIII.

Nomina

Forma

RECENTIORIBVS herbariis persicaria dicitur à persicæ foliorum similitudine, Gallicè *Persicaire*, Germanicè *Persichkraut*. Caulibus, foliis, floribus, semine hydropiperi, id est, persicariæ non maculosæ simillima est. Caules enim habet rotundos, geniculatos, folia persicæ aut salicis, sed sæpè latiora & nigriora quàm hydropiperis, macula in medio nigra, quæ nota apertissimè ab hydropipere dignoscitur: flores similiter racemosi, candidi, frequentiùs

PERSICARIA
Matthioli.

PERSICARIA Pusilla
Lobellij.

frequentiùs purpuraſcentes : ſemen nigrum, radix fibrata. Reperitur ſimilibus, & ſæpè iiſdem quibus hydropiper locis, floretq́; eodem tempore Sapore acris nõ eſt, ſed ſubacidum quippiam reſipit, quare frigido ſiccoq́; eſt temperamento. Ob id inflammationibus incipientibus, & recentibus vulneribus fertur prodeſſe impoſita. Sunt qui velint hanc perſicariam Plinij plumbaginem eſſe, propter eas quæ in foliis conſpiciuntur plumbei coloris notas. Sed Plinius plumbaginem non à colore, ſed ab effectu nomẽ habere vult, quòd videlicet plumbo oculorum affectui medeatur. Naſcitur, inquit, vulgò molybdæna, ideſt, plumbago, etiam in aruo, folio lapathi, craſſa radice, hiſpida. Hac commanducata ſi oculus ſubinde illinatur, plumbum, quod eſt genus vitij, ex oculo tollitur. Huc adducemus ex Lobellio Perſicariã aliam puſillam repentem, quam ait Antuerpiani agri glareoſis ſabuloſiſq́; vdis quadruplò minorem humi repere, floſculis aliàs candidis, aliàs purpurantibus, reliqua facie ſimilem.

Locus.

Temper. & Vires

Lib. 25. c. 13.

FLAMMVLA AQVATICA.

CAP. XXIX.

AB HERBARIIS flammula appellata eſt, quòd flammæ, ſiue ignis modo vrat, Gallicè *flammule aquatique*, vel, *Herbe de feu*, Germanicè *Egel kolen*, quòd oues eam depaſtæ, inflammatione & vlceratione hepatis vexantur, quam Germani *Egel* vocant. A' Lobellio Ranunculus aquatilis, anguſtifolius ſerratus dicitur. Caules habet rubeſcẽtes, cauos, frequenter geniculatos, in quibus folia anguſta, ſalicis foliis ferè ſimilia, tamen longiora, & in ambitu parùm crenata, præſertim ea quæ in inferiore caulium parte ſunt : flores luteos ſiue aureos, in medio ſubhirſutos, figura & colore ranunculi auricomi floribus prorſus ſimiles : capitula item ſimilia, radicem fibratam. In pratis locíſque aliis

Nomina Dodo. lib. 3. cap. 75.

Forma.

Locus.

FLAMMVLA Aquatica.

Vires.

aliis vliginosis, & in aquis stagnantibus prouenit. Maio mense floret, nec ita multò pòst semen profert, vrit & vlcerat, temperiéque calida & sicca est ad tertium vsque gradum, hominibus, cæterísque animantibus noxia. Describitur huic eadem aut valde affinis Cap. de Ranunculis, flammula vulgi Ranunculus flammeus aquatilis angustifolius.

PHV SILVESTRE. CAP. XXX.

Lib. 3. c. 17.

Nomina

Genera

Forma.

PHV SILVESTRE à Dodonæo & cæteris herbariis dicitur, vt differat à Phu hortensi, de quo in Libro De Odoratis, Latinè valeriana silvestris. Cuius duo sunt genera. Valeriana silvestris maior, *Grande Valeriane sauuage*, Germanicè *Vuildbaldrian*. Phu paruum Matthioli. Valeriana silvestri sminor, Gallicè *petite Valeriane sauuage*. Phu minimum Matthioli. Illa Phu hortensi haud absimilis, caules habet rotundos, cauos, geniculatos: folia alis expansis similia constant foliolis multis aduerso situ oppositis, similibus Valerianę hortensis foliis, in caulis fastigio enascentibus, maioribus & magis incisis flores hortensi Valerianæ similes, purpurascentes: radicem teneram quæ huc & illuc serpit. Valeriana silvestris minor Valerianam hortensem proximè refert, nisi quod omnibus suis partibus minor est, folia eius prima & infima plantaginis foliolis proxima sunt, quæ circa caulem nascũtur, altiùs sunt incisa, Valerianæ proximè dictæ similima: caules rotundi, geniculati, palmum alti: flores supradictæ similes, radices graciles, quæ per terram serpunt. Locis humidis & pratis aquosis

VALERIANA Silvestris maior, Dodon. Phu paruum, Matth.

VALERIANA Silvestris minor, Phu minimum, Dodon.

vi...que

PHV MINIMVM,
Matthioli.

PHV GRAECVM,
siue peregrinum.

vtraque prouenit. Dodonæus & cæteri herbarij his addunt Phu Græcum, siue Valerianam Græcam vel peregrinam, quæ quid valerianę habeat fortè nesciunt ij, qui nomen id ei indiderunt, præter quandam cum Valerianæ foliis similitudinem, cámque exiguam. Caules duos trésve profert, in quibus folia expanduntur Valerianæ siluestris ferè similia, longiora angustiora & magis incisa: foliis viciæ siluestris proxima, nisi maiora essent: flores in summo caulium fastigio conferti, ex candido purpurei, quinque foliolis discreti, è medio breuia staminula emittentes, punctis aureis aspersa: post quos semen æstate media nigrum, pusillum, in siliquula rotunda, oblonga: radix creberrimis filamentis donata. In hortis Galliæ, Belgij, Angliæ colitur. Ibid.

CONYZA. CAP. XXXI.

KONYZA Græcè, Latinè etiam Conyza nominatur, à Gaza pulicaria à pulicibus necandis. Dioscorides tria eius genera assignat. Conyzam maiorem, minorem, & mediam. Galenus totidem. Plinius in duo, marem scilicet & fœminam distinxit. Recētiores herbarij quartam adiiciunt, nempe Conyzam minimam. Conyzæ, inquit Dioscorides, duo genera. Quæ parua vocatur, odore præstantior est: maior verò frutice altior, & foliis latioribus, graui odore. Vtriusq; folia oleæ similia, hirsuta, pinguia. In maiore caulis attollitur binûm cubitorum altitudine, in minore pedem æquat: flos fragilis, lutei coloris, qui in pappum euanescit: radices inutiles. Est & tertium Conyzæ genus, caule crassiore ac molliore: foliis mediæ inter maiorem & minorem amplitudinis, non pinguis, multò grauioris odoris & iucundioris, sed inefficacior. Plinius ita describit & distinguit. Et Conyzæ duo genera in coronamentis, mas & fœmina. Differentia in folio. Tenuius fœminæ & constrictius, angustiúsq;, imbricatum maris & ramosius. Flos quoque magis splendet eius. Serotinus vtrique post arcturum. Mas odore grauior, fœmina acrior. Et ideò contra bestiarum morsus aptior, folia fœminæ mellis odorem

Nomina Lib. 4. c. 119
Genera. Lib 7. fin. Lib. 21. c. 10
Ibid.
Forma.
Lib. 21. c. 10

CONYZA Maior, Matthioli.

CONYZA Minor, Matthioli.

odorem habent. Masculæ radix à quibusdam libanotis appellatur, de qua diximus.

Lib. 6. hist. Cap. 2. Qui locus ex Theophrasto transcriptus est, qui ita habet, κονύζης τὸ μὲν ἄῤῥεν, τὸ δὲ θῆλυ. διαφορὰς δ' ἔχει καθάπερ τἀ ἄλλα τἀ οὕτω διαιρούμενα, τὸ μὲν γὰρ θῆλυ λεπτοφυλλότερον καὶ ξυνεστικὸς μᾶλλον, καὶ ὅλον ἔλαττον, τὸ δὲ ἄῤῥεν, μεῖζον καὶ παχυκαυλότερον. καὶ πολυκλωνότερον, καὶ τὸ φύλλον μεῖζον καὶ λιπαρώτερον ἔχον, ἔτι δὲ τὸ ἄνθος λαμπρότερον. καρποφόρα δὲ ἄμφω, τὸ δ' ὅλον ὀψιβλαστεῖ καὶ ὀψιανθεῖ περὶ ἀρκτοῦρον, ἢ μετ' ἀρκτοῦρον βλαστάνει (non λαμβάνει, vt in vulgatis perperàm legitur) βαρεῖα δὲ ἡ ὀσμὴ τῶ ἄῤῥενος, ἡ δὲ τῆς θηλείας δριμυτέρα διὸ καὶ πρὸς τἀ θηρία χρησίμη. Id est, Gaza interprete. Pulicaria mascula & fœmina constat. Distant quemadmodum cætera, quæ sic discerni desiderant, fœmina enim tenuiore folio, & compressior est, atque in totum minor, mas amplior crassioríque caule, atq; ramosior, & folium amplius, pinguiúsque habens, nec non flore splendidior est. Ambo fructiferera sunt, in totum serotina germine floréque, quippe cùm circa arcturum & post arcturum germinent. Mari gra-

Lib. 20. c. 16 uior odor, fœminæ acrior, ideóque contra bestiarum morsus vtilis. Plinius alibi tertium genus cunilæ, quæ à Græcis mascula, à nostris cunilago vocatur, odoris fœdi, radicis lignosę, folio aspero est, inquit. Et ibidem alteram thuris, quam libanotidem appellant, proponit, quarum vtraque medetur contra serpentes ex vino vel

Lib. 22. c. 10 aceto. Pulices etiam contritæ cum aqua sparsæ necant. Quæ cùm in Conyzam com petant, vt ipsemet indicat, locum hunc citans aliquantò pòst, Masculæ radix à quibusdam libanotis appellatur, de qua diximus, perspicuum est eum Conyzam cum

In cap. 119. lib 3. cunila confundere. Plantæ tres quæ hîc exhibentur, Conyzæ sunt Matthioli, nullis prorsus reclamantibus notis, inquit, quę singulis earum à Dioscoride tribuuntur. Sed sunt qui maiorem prę sertim Conyzam Matthioli, Conyzam Dioscoridis esse negent, omnibus ei aduersantibus notis. Spirat enim eius radix odorem nõ tetrum, sed aromaticum, caryophyllorum, caule & foliis verbasci aut blattariç, non oleę, glutinis nihil penitus habentibus. Flores ex luteo purpurascunt. Cętera etiam planè dissimilia, multò magis viribus. Non esse igitur hanc Conyzam, sed Bac-

charim

CONYZA MEDIA, Matth.

CONYZA ODORATA.

charim Monſpelienſium aiunt, Pena & Lobellius odore & flore inſignem. Matthioli verò Baccharim verbaſci odorati ſpeciē eſſe vt in Libro de Odoratis oſtendimus. Item Dodonæus alias Conyzas deſcripſit & depinxit Nec deſunt qui Lib.1. c. 23.
iſtis Conyzam odoratam adiungant, radice candida, breui, fibrata: caule cubitali, ad radicem rubente, ſurculoſo: foliis circa radicem belidi ferè ſimilibus, per humum ſparſis, in caule longioribus & anguſtioribus, imparibus ſpatiis caulem veſtientibus; flore Corymbaceo, ex capitulis herbaceis extante, foliolis purpureis radiato, in pappos citò euaneſcente, ſaporis acris, odoris validi, nec iniucundi. Dentellariam alij vocarunt ab effectu, quòd eius decocto, ſi os colluatur, dentium dolores mitigantur. Dodonæus pro tertio genere Senecionis pinxit. Conyza maior in agrorum mar- Lib.5. c.17.
ginibus, aruiſque humidis creſcit, reliquæ in locis lacuſtribus, & aliis vliginoſis. Odorata in *Locus.*
ſabuletis Rhodani Lugduno propinquis. Pena quadruplicem Conyzæ differētiam ponit, quarū media & minima vbiuis Galliæ, Germaniæ, Angliæ lacuſtribus locis & humentibus aruis multa. Minima in foſsis, inquit, altero à Londino lapide fructicat inter chamæmelum Romanum & pulegium regale. Seſquipalmum caulibus ſuperat multis alis donatis, hirſutis, pullis vel cinereis, rotundis, rigidiuſculis, quos folia ambiunt ab imo crebra, incana, gnaphalij vul- *Vires.*

CONYZA Minima, Lobellij.

garis paria,quod habitu & colore tota refert,ſed maiora multò & obſcuriore obſoletioréve lanugine : flores rotundi, bullis agerati vel tanaceti , ſed minùs vegeto colore & compreſsi, quibus elapſis ſemen ſubeſt anthemidis,aceroſum, minutum, radix lignoſa,exigua. Minimè omnium hæc glutinoſa, minúſque quàm media fœtida. Eam ex Lobellio hîc pinximus. Eodem Angliæ loco ſecus regiam viam, atque humentes ſcrobes media ſuperiori prorſum ſimilis , ſed duplò maioribus foliis,craſsis,denſis,virentibus, aſperis, rigidis, ſquallidis, caulem bicubitalem, & alas multas ambientibus , ima falcata , baſi glaſti dentellariǽve modo radiati flores, lutei , buphthalmi, ſemen haud diſsimile : radix puſilla,halitum viroſum,& quiddam Cimicum, aut fœtidæ cotulæ efflat. Parum aut minùs multò quàm maior &

CONYZA Magna, Pena.

CONYZA Minor vera, Pena.

minor glutinoſa. Ea eſt quam Matthiolus Mediæ nomine depinxit. Conyza maior vera lepidiore auſtrinóque cœlo & aëre maritimo delectatur , cuiuſmodi eſt Hetruriæ inter Florentiam , Aquaſpendulas , & Romam : atque in Nitrobrigum maritimis & Venetis , & aruorum marginibus Lunellæ & Mompelij. Binûm trinûm've cubitorum frutex multis propagatur virgultis, rectis, rigidis, rotundis,foliis multis cohærentibus, denſis, ex viridi pallentibus,craſsis, pinguibus, oleæ ſimilibus. Extremi caules multis ornantur ſecundùm longitudinem floribus luteis, rotundis , hieracij aut Senetionis, in pappos euolantibus : ſemen exiguum vt hieracij : radix lignoſa,fibrata. Hæc multò cæteris præſtantior,cùm odore vehementer ſuaui , tum viribus, nec minus ciſto ledo glutinoſa tangenti,cuius odorem, ſed nonnihil cum media confuſum imitatur. Huic præ cæteris aſsimiliatur natalibus, viribus , odore & facie,minor Dioſcoridis hîc picta, quam veram Dioſcoridis Pena aſſerit. Et prorſus eadem foret, niſi proceritate & caulium luxuria vinceretur. Sæpius vnico eſt caule gracili, cubitali & ſeſquicubitali , paucioribus, minoribuſq; foliis ciſti ledi anguſtifolij:color,odor, modus, ſemen tum illis, tum floribus haud diuerſa : radix exigua. De Conyzæ viribus nunc dicendum. Suffitu ſubtractúque frutex totus venenatas beſtias fugat, culices abigit, & pulices necat, folia conue-

Vires.

nienter

nienter illinuntur ſerpentium plagis, & tuberculis ac vulneribus. Flores & folia cum vino ad menſes partúſque eiiciendos abutuntur: item contra vrinæ ſtillicidia,arquatum morbum & tormina: comitiales pota ex aceto adiuuant, decoctum in deſeſsionibus medetur vuluæ malis, impoſitus ſuccus abortum facit, herba ex oleo efficaciter horroribus oblinitur. Capitis dolores tenuis illita ſanat. Galenus eaſdem vires ſic declarat. Conyza maior & minor ſimilis ſunt tum temperaturæ, tum facultatis,guſtui amaræ,& acres. Excalfaciunt admodùm luculenter,ſiue quis folia læuigata cum teneris ramulis (eſt enim fruticoſa planta) parti cuipiam illinat, ſiue vbi in oleo coxerit,eo vtatur, ſiquidem concuſsiones, ſiue rigores per circuitum redeuntes tale oleum ſanare videtur, flores quoque earum ſimilis ſunt facultatis. Itaque quidam & ipſos cum foliis tritos in vino bibendos exhibent ad menſes fortiter ducendos, ciendúmque fœtum. Eſt & tertium Conyzæ genus, in locis humidioribus proueniens, vtriſque illis tum graueolentius,tum imbecillius. Sed primæ memoratæ tertij ſunt ordinis in excalfaciendo & exſiccando. Li.7 ſimpl.

OPHIOGLOSSVM. CAP. XXXII.

GRAECIS ὀφιόγλωσσον, Latinè Lingua ſerpentis dicitur, quibuſdam herbariis Lancea Chriſti,aliis Lucciola, aliis Argentina, Gallis *Langue de ſerpent*, Germanis *Natterzanglin*. Quidam Ceratiam Plinij eſſe volunt, vnico tantùm folio aſſurgentem: alij ſic Lunariam minorem potius nominandam cenſent. Sed neutri radix magna & nodoſa. Sunt qui Linguam Plinij ſiue Lingulacam eſſe putent,de qua iam diximus. Quidam inter dracunculi ſpecies recenſent. Planta eſt admirandæ naturæ,folium profert digiti longitudine, pingue, plantagini aquaticæ haud abſimile, ex cuius inferiore ſinu petiolus ſiue cauliculus exit,lingulam ſuſtinens longam & anguſtam,linguæ ſerpentis ſimilem, vnde ophiogloſsi nomen inuenit. In pratis humidis & pinguibus prouenit. Aprili & Maio menſibus reperitur, Iunio ocyſsimè deperit. Exſiccat tertio gradu citra inſignem caliditatem. Præſtat maximè ad recentia vulnera glutinanda, quare quidam ad enterocelas mirificè extollunt. Maceratur in oleo quo vtuntur Chirurgi ad prædicta fœlici,vt aiunt, ſucceſſu. Datur potanda ex ſtillatitia aqua equiſeti ad inteſtinorum & thoracis vulnera, & cæterarum internarum corporis partium. Quamobrem ſanguinem reiicientibus prodeſt, bibitur aduerſus alba fœminarum profluuia ex ſtillatitia aqua foliorum quercus. Vinum auſterum in quo tota planta incocta fuerit, ſi eo abluantur oculi, lacrymas cohibet. Illinitur recens ſiccáve ad vulnerum inflammationes ex gallinaceo adipe. Omphacinum oleum in quo multa folia diu maduerint,inſolatáque fuerint addita abiegna lacryma,aptiſsimum eſt medicamentum recentibus vulneribus glutinandis. *Nomina*

Forma.

Locus.

Matth.in Cap.161. lib.2.

Temper. & Vires

OPHIOGLOSSVM, Matthioli.

CHELIDONIVM MINVS.

CAP. XXXIII.

Nomina ΧΕΛΙΔΩΝΙΟΝ μικρὸν, Latinè Chelidonium minus, & hirundinaria minor, Officinis Celidonia minor, eadem de cauſa qua Chelidonium maius nomen accepit. Gallicè *Petite Eſclaire*, Germanicè *ſeigunatrzen, Blauerkraut, Pfafenboedlin, & Meienkraut*, Italicè *Celidonia minore, & fauoſcello*, quòd fabarum modo folia ſubpinguia habeat. Sunt qui Scrophulariam minorem appellent, à radicum ſimilitudine, quæ multis quaſi tritici granulis veluti ſtrumis, quæ Græcorum imitatione ſcrophulæ vocantur, coaluiſſe videntur. Alij ſic dictam putant, quòd ſtrumis ſiue ſcrophulis impoſita medeatur. Plantam hîc depictam permulti docti herbarij pro chelidonio minore vſurpant. Quę Vere duntaxat vliginoſo ſolo & in foſſarum ſcrobiumq; marginibus frequens gignitur, foliis hederæ, minoribus, rotundioribus, ſubpinguioribus, ſine caule: flore luteo, tenui pediculo appenſo, radicibus nititur multis, ex eodem callo prodeuntibus, puſillis, granorum tritici modo aceruatim congeſtis, quarum nonnullæ in longitudinem protenduntur. Quæ omnia Dioſcoridis hiſtoriæ belliſsimè congruunt, ſic ſcribentis. Chelidonium minus, quod triticum ſilueſtre aliqui nuncuparunt, herbula pediculis ab radice pendens, ſine caule: foliis hederæ, multò rotundioribus, teneris & ſubpinguibus, radices habet ex eodem callo complures, puſillas in granorum tritici modum aceruatim congeſtas: quarum tres aut quatuor in longitudinem exeunt. Iuxta aquas & lacus naſcitur. Hæc omnia adamuſsim conueniunt, ſolæ qualitates & temperatura repugnant. Vis enim ei acris, inquit Dioſcorides, & anemones modo ſummam cutem exulcerat, pſoras & ſcabros vngues eximit. Succus radicibus expreſſus ad purgandum caput naribus infunditur, decoctum eius ex melle gargarizatum magnificè id præſtat, & omnia pectoris vitia extrahit. Galenus eaſdem planè vires ei aſsignat, & quarti ordinis excalfacientium incipientis eſſe ait, cùm maius Chelidonium tertij tantùm ſit ordinis. At eius plantæ hîc proponitur, nec folia, nec radix vlla guſtum acrimonia afficiunt. Non tamen ob ignauam acrimoniam iſtud minus Chelidonium reiiciendum, cùm cæteræ omnes notæ apprimè deſcriptioni ſuffragentur, & multarum plantarum acrior aut mitior ſapor, agri ſequatur conditionem. Valerius Cordus Chelidonium minus, florem amellum à Vergilio diligenter deſcriptum eſſe putat.

CHELIDONIVM, Minus.

Locus.

Forma.

Lib. 2. c. 177

Vires.

Ibidem.

Lib. 8. fim.

In lib. 2. Dioſcor.

Lib. 4. Georg.

CALTHA PALVSTRIS.

CAP. XXXIIII.

SVPERIORI perquàm ſimilis eſt, quæ Germanicè & Belgicè *Dotterbloemen* vocatur. Quidam chamæleucen Plinij faciunt. Chamæleucen, inquit, apud nos farranum ſiue farfugium vocant. Naſcitur ſecundum fluuios folio populi, ſed ampliore. Radix eius imponitur carbonibus cupreſsi, atque is nidor per infundibulum imbibitur in vetere tuſsi. Sed idem Plinius alio in loco Bechion eandē cum chamæleuce facit. Quidam, inquit, eandem eſſe bechion, & alio nomine chamæleucen putant. Huius aridæ cum radice fumus per arundinem hauſtus & deuoratus, veterem ſanare tuſsim dicitur. Quæ de chameleuce Dioſcoridis intelligi poſſe non videntur. Chamæleuce, inquit, lumborum doloribus propitia eſt, herba virens incuruis foliis, ſurculiſque, flore roſaceo. Alij chamæpucen legunt non chamæleucen, quoniam apud Plinium habetur, chamæpeuce laricis folio ſimilis, lumborum & ſpinæ doloribus propitia eſt, quem vſum Dioſcorides Chamæleuce attribuit. Sunt etiam qui breuē apud Dioſcoridem deſcriptionem in totum reiiciendam cenſent, & ſola hæc verba legunt. Chamæleuce facit ad lumborum dolores in aqua trita pota. Galenus chamæleucen ſcribit calidæ eſſe facultatis tertio quodāmodo ordine, & ſiccæ primo, vt diuerſa à bechio cenſenda ſit. Ex his coniicere quis poſſit *Dotterbloemen* chamæleucen non eſſe. Alij ex Geoponicis Malacociſſum maiorem faciunt, Matthiolus Tuſsilaginis ſpeciem ſiue farfugium, vt capite De Tuſsilagine dicemus. Recentiores alij Geſnerus, Pena, Lobellius & alij Caltham paluſtrem appellant. Folia ei ſunt bene viridia, rotunda, violæ martiæ aut populi ſimilia, maiora, in ambitu parùm crenata: caulis rotundus in ramulos ſeſe diffundens, qui flores ſuſtinent luteos, chelidonij minoris, aut ranunculi ſimiles, ſed grandiores & aſpectu pulchriores, minimè pappoſos, ſed qui diu durant, naſcuntur deinde ſiliquulæ, in quibus exiguum ſemen, luteum, radix craſſa, capillamentis fibrata, acris guſtu, ſed moderatè, nondum tamen vſu exploratæ facultates. Locis lacuſtribus & vdis creſcit menſe Martio & Aprili floret.

Nomina

Lib. 24. c. 15 Chamæleuce.

Lib. 26. c. 6.

Lib. 8. ſim.

Dodo lib. 1. cap. 20.

Forma.

Locus.

CALTHA PALVSTRIS.
Tuſsilago ſiue farfugium, Matthioli.

VERONICA FOEMINA. CAP. XXXV.

Nomina HERBARII plantam istam Veronicam fœminam appellant, Galli *Veronique femelle*, Germani *Erenbreisz vueiblin*. Caule exit lanuginoso, foliis rotundioribus, minimè crenatis, subpinguibus, magis viridibus,
Forma. minimè hirsutis: flores profert in luteo purpurascentes: semen in vasculis rotundis conclusum: radicem tenuem & fibratam. Locis vliginosis & la-
Locus.

VERONICA Fœmina, Dodonæi.

VERONICA Fœmina, Matthioli.

custribus gaudet. Iunio & Iulio mensibus floret. Gustu adstringens & amara
Vires. est. Vnde colligere licet eam esse tum excalfaciendi, tum siccandi vi præditam, eadémque præstare quæ Veronica maior, sed inefficaciùs.

TVSSILAGO. CAP. XXXVI.

Nomina NOTISSIMA vtilitate, quam præstat orthopnoicis, & tusi vexatis, dicitur Βήχιον Græcis, sicut Tussilago Latinis, Officinis farfara & Vngula caballina, Gallis *Pas de cheual, & Pas d'asne*, Italis *farfara, farfarella, & vnghia di cauallo*, Germanis *Roßhuob, & Brantlattich*. Theophrastus,
Lib. 7. hist. cap. 12. Lib. 26. c. 6. vt quidam censuerunt, Tiphium appellat, quæ ante foliorum & caulium ortum
Genera. floret. Plinius duo tussilaginis genera facit. Vnam silvestrem, alteram quæ à quibusdam Saluia dicitur, similis verbasco. Dioscorides vnico genere contentus fuit, idq; esse quod hic proponitur, tum vires & effectus longa experientia comproba-
Forma. ti, tum ipsa descriptio perspicuè demonstrant. Eius enim folia, vt ille ait, maiuscula sunt quàm hederæ, sex aut septem à radice, supernis partibus alba, infernis viridia (sic enim Græcè legitur, ἐκ μὲν τῶν πρὸς τὰ ἄνω λευκά, ἐκ δὲ τῶν πρὸς τὰ κάτω χλωρά) in plures angulos exeuntia. Caulis palmum altus, flos luteus Vere prodit, quo vnà cum caule confestim exuitur. Inde nonnulli his vacare existimarunt, radix tenuis est (perperàm legitur in excusis ῥίζα λεπτὴ, ἄχρηστος, radix tenuis, inutilis. Qui enim

inutilis,

TVSSILAGO, Matth.

inutilis dici potest, cuius vsum mox præscribit? Quare vox ἄχρηστος in contextum irrepsit, quæ nec in Oribasio, nec in Plinio legitur, vel pro ἄχρηστος legendũ ἄ̓χρηστος, idest, ad vsum commoda. Nascitur circa riuos & aquosa loca. Similiter quæ hic pingitur, folia promit ab imo in pediculis sesquipalmum altis, rotunda, sed lateribus senis septenisve angulos acutos claudentia, venosa, equinum pedem referẽtia, altera parte candicantia, & quadamtenus cinerea: altera viridia, carnosa: caulis albus, lanuginosus, in quo flores aurei, dentis leonis æmuli, celerrimè in pappos abeũtes: radix cãdida, longa humi sparsa. Plinius ita distinguit & describit. Tussim sedat bechiũ, quæ & Tussilago dicitur. Duo eius genera. Siluestris vbi nascitur, subesse aquas eredunt: & hoc habent signum aquileges. Folia sunt maiuscula quàm hederæ, quinque aut septem, subalbida à terra, supernè pallida: sine caule, sine flore, sine semine, radice tenui. In hoc bechio Plinius à Dioscoride dissentit: habet enim quinque aut septem folia, ille sex aut septem, & supernè alba, infernè virentia. Plinius contrà, subalbida à terra, supernè pallida. Præterea, Plinius ex eorũ est numero, quos Dioscorides reprehendit tum hîc, tum in totius operis præfatione, quòd putarint bechium sine caule, sine flore, sine semine esse. Sed quantum ad foliorum colorem spectat, hîc dissimulandum non est, quamuis Dioscorides ea dicat esse, ἐπιμὴν τῶν πρὸς τὰ ἄνω λευκά, ἐπὶ δὲ τῶν πρὸς τὰ κάτω χλωρά, tamen omnes quos legere mihi contigit, tum eius auctoris interpretes, tum herbarios de Tussilagine scribentes, pingere folia aduersa parte tomentosa, incana, aduersa virentia, siue inferiùs alba, superiùs virentia. Initio Martij mensis & Aprilis caulem profert lanuginosum sine foliis, & in eo florem luteum: mox à radice prodeunt folia: tunc confestim caulis & flores depereunt, ita vt rarissimè flores & folia in hac planta simul reperias. Quòd flores sint fugacissimi, iisq; enatis breui vigor vitaq; duret, longissimaq; mora triduũm, aut quatriduũm, post quod tempus illicò flaccescentes in pappos euanescunt, & caduci marcent, ita vt non nisi vere sese ferant obuiam, quod qui non animaduerterunt sine caule & flore nasci eam existimarunt. Folia ex melle trita, inquit Dioscorides, igni sacro & omnibus inflammationibus illitu medentur. Arida suffitu, ita vt fumus per infundibulum hianti ore capiatur, hos sanat qui sicca tussi, atque orthopnœa infestantur: pectoris vomicas rumpunt. Eũdem effectum præbet suffita radix. Decocta in hydromelite & pota mortuos partus eiicit. Et Galenus, Bechium, inquit, sic nuncupatum est quod βήχας hoc est tusses, & orthopnœas iuuare creditum sit, si quis videlicet folia arida sumẽs, aut radicem in prunis accẽdens, ascendentem inde fumum inspiratu attrahat. Est autem modicè acris, vt sine molestia noxáve omnes thoracis abscessus rumpere credita sit. Sanè folia virentia, partes cruda inflammatione obsessas, illitu extrinsecus adiuuant, propter aqueæ humiditatis admistionem, qua omnia viridia, teneraq; participant, alia plus, alia minùs. Nam sicca Bechij folia acriora sunt, quàm vt partibus inflammatione laborantibus conueniant. Nascitur in Tussilaginis radice, inquit Matthiolus, subalbida quædam lanugo, quæ à radicum particulis prius repurgata, deinde linteolis

Lib. 26. c. 6.

Tempus.

Ibidem.

Vires.

Li. 6. simpl.

Ca 109. li. 3.

inuoluta,& in lixiuio parùm decocta,addito ſalis nitri aliquantulo,demũ ſole ſiccata,omnium optimus eſt fomes ad ignem ex ſilice excuſſum excipiendum. Eſt
Ibidem. enim adeò ignis rapax,vt ſtatim primo chalybis concuſſu accendatur. Matthiolus Thuſilagini veræ duas alias ſpecies addidit:vnam quæ vera eſt petaſides, vt dicetur. Alteram Germanorum & Belgarum *Dotterbloemen*, nonnullorũ Chamæleucẽ, & Malacociſſum maiorẽ,aliorum Caltham paluſtrem,de qua diximus.Hæc multò

TVSSILAGO Alpina, ſiue Montana, Dalechampij.

TVSSILAGO Altera Alpina, Cluſij.

TVSSILAGO Montana Minima, Lobel.

magis Chelidonium minus ipſo toto vultu præfert, niſi quod vniuerſa maior. Flores non pappoſi admodùm & particulatim exeunt, aurei ranunculi modo,aut chelidonij minoris, folia nõ ortu,vt in Tuſsilagine,anteuertũt,& Nymphææ luteæ colore, aut chelidonij minoris nitore fulgent. Folia non ſubter incana,nõ anguloſa, non caulis tomentoſus,ſed potiùs atro virore polito, vti aſarum & nymphæa. Radix fibrata capillamentis,acris guſtu, ſed moderatè. Alij herbarij duo alia genera Tuſsilaginis faciunt, & à natalibus Tuſsilagines Alpinas vocant. Vnam radice longiuſcula,nodoſa,valde fibrata, nigricante:foliis è radice prodeuntibus,rotũdis, tenui & longo pediculo appenſis, venoſis per ambitum inſectis : caule palmũ alto,lanuginoſo, foliola duo vel ſummùm tria proferente : flore aureo, in vtraque planta ſingulari, Tuſsilagini noſtræ ſimili,non ſic fugaci,verùm in planta ſua diu nitente ac perdurante, ſed qui tandem in pappos

abeat

abeat, Alterum radice craſsiore, magis fibrata: foliis maioribus, in circuitu magis inciſis, venoſioribus, acuminatis hederæ modo: caule ſeſquipedali, ſtriato: flore in eius cacumine copioſo, ſenecioni ſimili, luteo, in pappos auolante. In Alpium riuis, fontium ſcaturiginibus, & ad torrentium margines prouenit. Habet prætereà Lobellius Tuſsilaginem montanam minimam, quæ radicum & foliorum figura nihil, ſed magnitudine tantùm differt, eſtque illi facie proxima. Foliola habet in pediculis binûm & ternum digitorum, Soldanellæ Alpinæ paria, ſimilibúſque lateribus, & pariter auerſa, incana, tormentoſa, & carnoſa.

PETASITES. CAP. XXXVII.

GRAECIS Πέλασίτης, & Latinè Petaſites dicitur à Petaſo, ideſt, Galero, quòd folium eius tam grande ſit, vt capiti impoſitum à ſolis æſtu Galeri vice poſsit defendere, Gallicè *Herbe aux tigneux*, Germanicè *Peſtilentz wurtz*, Italicè *Cappellazi*, Hiſpanicè *Sombrereta*. Hunc breuiter ſic deſcripſit Dioſcorides. Petaſites pediculus eſt cubito maior, digiti magni craſsitudine, in quo folium inſtar Galeri magnum, incumbens veluti fungus. Ex qua breui hiſtoria, inſignem tamen notam continente, maior herbariorũ pars à Matthiolo diſſentiens, perſpicuè effici exiſtimat Petaſiten eſſe cuius hîc pictura datur. Li. 4. c. 103. *Forma.*

PETASITES Magnus. Peperàm Tuſsilago Maior, Matth.

Hæc enim planta, inquit Pena, Vere creſcit, & nondum foliis ortis caulem erigit tenerum, carnoſum, concauum, ſeſquipalmum altum, floribus in ſummo denſis, puſillis, multis, muccoſis, racemoſis, oleæ, in purpureum conum compactis, ſpectatu amœnum, nullo ſemine prægnantem, ſed flore marceſcente & defluente ſpem etiam ſeminis perdentem. Folia pediculo cubitali, craſſo, carnoſo, quaſi appenſa medio ſui centro, penduli inſtar Petaſi inuerſi videntur, maximam perſonatam ſuperantia, ſed rotunda, ſubter parùm incana, ſingula ſingulis pediculis medio fermè totius puncto hærentia, vbi ſinus deſinit profundus vſque ad folij centrum actus, quæ ſi prorſus clauſeris, fungi penduli modo fulciri dixeris. Radix valde craſſa, foris pulla, intus candida. Grauis eſt & prorſus ingrati odoris, guſtanti perquàm amara & ingrata: deſiccat item magnopere, quapropter morbis Epidemicis vtiliſsima habetur, & comperta medicis Germanis, etiamq; plebi, quæ eam ob dotem *Peſtilentz wurtz*, ideſt, peſtis radicem, appellat. Quæ facultas tanquam nota certior, cùm Thuſsilagini non inſit (neque enim eſt odore graui, neque ingrato) Matthiolum à ſententia deducere debuiſſet. Sunt aliæ eius rationes inualidæ, & leuiuſculæ, quibus probare vult plantam hîc depictam Thuſsilaginem eſſe, nimirũ quòd proueniat in humectis & vliginoſis locis, præſertim propè riuos aquarum perinde ac Tuſsilago, quòd caulẽ edat ante folia in ipſo Veris initio, in cacumine flores ſpicatos, ex purpura albicantes, qui cum caule paulò poſt flacceſcentes contabeſcunt. Nam idem contingit trifolio hederaceo, croco ſilueſtri, ephemero, & aliis. Petaſites noſter naſcitur copioſiſsimè in pratis humidis, & iuxta riuulos ſitis. Initio menſis Martij floribus ſuis ornata hæc herba conſpicitur, qui Aprili immi- *Locus.*

nente

nente ſtatim citra fructum deciduntitunc folia cum pediculis prodeunt. Contra
Vires. phagedænas & vlcera maligna efficaciter illinitur, auctore Dioſcoride. Galenus addit eſſe ex tertio ordine deſiccantium quamobrem ad maligna & phagedænica
Fuchſ.cap. 248. vlcera adhibent. Experientia comprobatum eſt,vt diximus,eius radicem mirificè conferre peſtilentibus febribus, quòd ſudorem vehementer moueat, ſi in puluerem redacta cum vino ſumatur. Radices complures cortice exutas & exenteratas aceto indunt, quoad viribus imbutum fuerit,& ex illo cum rutæ ſucco & theriaca propinant, præſidiúmque nulli ſecundum affirmant. Magna efficacia bibitur, à mulieribus, quas tormina vteri & præfocationes vexant: valet etiam vnicè ad enecandos lumbricos. Succurrit quoque iis, qui ſpiritus difficultate laborant. Ducit vrinam & menſes. Efficax eſt ad vulnera præhumida, & ad reliquas cutis fœditates. Eſt alter Petaſites ab herbariis odoratus appellatus, in vmbroſis vallibus Alpium,ad torrentium ripas naſcens, radice craſſa,longa,nodoſa,ſerpente,ſubrubra, acri & odorata,folio ampliore quàm tuſsilago, cætera propemodùm ſimili, cùm teritur iucundũ quippiam exhalante. Veris principio ante foliorum exortum thyrſus emicat digiti minimi craſsitudine,ferè pedem altus, foliolis quibuſdam myrto ſimilibus, ex interuallis alarum modo ipſum amplexantibus: flore in vertice copioſo, candido, & ſuauiter olente, ex longo vaſculo prodeunte, in apices multos diuiſo, tabeſcente & emoriente cùm folia ſubnaſcuntur. Caulis & florum ante foliorum ortum effigies hîc picta eſt.

PETASITAE Odorati,flos.

Locus.
Forma.

PERSONATA. CAP. XXXVIII.

Nomina

ARKEION Græcis,προσώπιον & προσωπὶς dicitur, Latinis Arcium, Perſonata,& Perſonatia,Apuleio Dardana,Officinis Bardana & Lappa maior,Germanis *Großkletten*,Italis *Lappola maggiore*, Gallis *Grand Gloutteron*,& *Gletteron*,*Grande Bardane*.Galenus non arcium,ſed alterũ arction vocat. Vtroque nomine dicta planta, propter ſimilitudinem quam cum villoſis hirtiſq; vrſorum capitibus conglomeratæ echinataéq; Lappæ habent. Perſonata autem,quòd hac quõdam ad perſonas vtebantur,quoties in theatris aliiſq; locis,qui cognoſci à populo nollent egiſſe quidpiam volebant.Eſt enim foliorum eius tanta amplitudo,vt tota humana facies iis tegi poſsit. Matthiolus duo obſeruauit Perſonatæ genera,echinatorum tantùm capitum facie differentia: quæ in altero maiora,duriora,rigidioribus aſperioribuſq; aculeis armata: in altero minora, molliora,mitioribus aculeis rigidiuſcula, alba quadam lanugine obductis. Prius genus ſcribit Dioſcorides folia habere cucurbitæ,maiora tamen, hirſuta, nigriora & criſpiora:caulem albicantem:quamquam interdum ſine caule reperiatur, radice intus candida,foris nigra. Plinius,Quidam arcion, inquit, Perſonatam vocant, cuius folio nullum eſt latius, grandes lappas ferentem. Ex quibus nemo non intelligit Perſonatam eſſe eam,quam Bardanam & lappam maiorem vulgus vocat, quæ folio conſtat maximo,cucurbitæ æmulo,altera parte albicante,altera in viridi nigricante:

Li 6 ſimpl. Pena in Aduerſ.

In cap.102. lib.4.

Genera.

Forma.

Li.4. c.102.

Lib.25. c.9.

PERSONATA, Siue Lappa maior, Matthioli.

PERSONATA, Seu Lappa maior altera, Matth.

nigricante: caule rotundo, cauo, in purpureo albicante, ex lateribus ramulos multos emittente, in quibus folia parua, grandibus lappis siue echinis prætereuntium vestes & canes mordaci hæsu corripientibus, tandem dehiscentibus, & florem purpureum edentibus, hirsutum: radice grandi, carnosa, foris nigra, intus candida, amara. Alteram Personatam Matthiolus eam esse credit, quam Plinius Persolatam vocat, his verbis. Persolata quam nemo ignorat, Græci Arcion vocant, folia habet maiora etiam cucurbitis, & hirsutiora, nigrioraq; & crassiora: radicem albam & grandem. Ex quibus colligit Matthiolus Plinium hîc secundum Personatæ genus descripsisse: quòd, cũ de priore Personata scripsisset eodem capite & libro (quem locum citauimus) cuius folio nullum est amplius, grandes Lappas ferente, aliquantò pòst de altera Personata scribat, quæ minores Lappas fert, & Persolatam vocat. Cornarius tamen censet posteriore Plinij loco vulgata exemplaria falsò Persolata habere pro Personata. Vtcumq; sit Plinius Persolatam, vt sæpè facit, cum Personata sua aut Dioscoridis, confudisse videtur, id quod descriptiones dilucidè ostendunt. Cæterùm Persolata à magnitudine: & vsu foliorum, quemadmodùm Personata & Petasites, nomen accepisse videtur, quia galeri vice solis æstum à capite arceret. Quare hæ plantæ inter sese similes serie coniungendæ fuerunt. Sed ad Personatam nostram reuertamur. Ea secus vias & pomeria, in marginibus agrorum incultorum & pratorum, & scrobibus exsiccatis prouenit. Iulio & Augusto Lappas & flores fert. Pondere drachmæ vnius pota, inquit Dioscorides, cum pineis nucibus, purulenta & cruenta extussientibus auxiliatur. Folia trita dolores à contorsionibus artuum contractos, illitu sedant: vtiliter antiquis vlceribus illinuntur. Qua de re sic Galenus. Alterum arction quod prosopida vocant, cuiusq; folia cucurbitæ simillima sunt, nisi quod tum maiora, tum duriora, discutit simul, & desiccat, sed & adstringit mediocriter: quamobrẽ folia eius veteribus vlceribus mederi possunt. Apuleius multò plura & maiora de eadem tradit. Personatiæ herbæ succus cum vino vetere potui datus, omnes morsus serpentium mirificè sanat: eiusdem foliis cinges febricitantem, & statim febrem mitigat, & calorem sanat. Vulnus etiam, si cancer erit, cum aqua decoctionis foliorũ eius foueto: deinde ipsam cum nitro & axungia cũ aceto tere, & in panno inducito, & imponito. Ad canum rabidorũ morsus radix

Ibidem. Lib. 25. c. 9.

Embl 91. lib. 4.

Locus.

Vires.

Li. 4. c. 102.

Li. 6. simpl.

Lib. de virib. herb.

cum

cum modico ſale trita imponitur morſui,& ſtatim æger liberabitur. Succus foliorum eius cum melle potui datus,vrinam prouocat,& veſicæ dolorem tollit: pulvis ſeminis eius cum vino optimo 40.dies potui datus, iſchiadicos mirabiliter ſanat. Folia trita cum albumine oui & impoſita,ambuſta mirificè curant. Columella. Venena viperæ depellit ſuper ſcarificationem ferrofactam herba, quam vocant Perſonatam,trita & cum ſale impoſita. Plus etiam eiuſdem radix contuſa prodeſt. Radix conditur ſaccharo, & cùm grata, tum vtiliſsima ad calculũ & dyſenteriam habetur: Venerẽ etiam excitat.Idem ſemen pollet,ſed multò efficaciùs calculoſis.

Lib.6.c.17.

Pet.Pen.in Ad.

XANTHIVM. CAP. XXXIX.

Nomina XÁNΘION vel φάσγανον vel φασγάνιον Græcè, Latinè Xanthium, Officinis Lappa minor, Lappa inuerſa, Bardana minor, quibuſdam Strumaria:vnde Aetius Chœradolethron,ideſt,Struminecem nominari ſcribit,& Philanthropon. Galli vocant *Petit Gloutteron*.Itali *Lappola minore*, Germani *Bettlersleuſz*, ideſt, mendicorum pediculos, & *Spitzkletten*, Gallicè *Gloutteron aigu*. Xanthium autem à colore dicitur,quòd χανθὰς τρίχας,ideſt, quòd flauos faciat capillos.Xanthium deſcribit Dioſcorides caule eſſe cubitali, anguloſo, pingui,prodeuntibus ex eo alis multis: foliis Atriplicis, inſectis, naſturtium odore imitantibus: fructu grandis oliuæ modo,rotundo, & vt platani pilula ſpinoſo,qui contactu veſtibus adhęreſcit. Ex qua quidem deliniatione facilè eſt intelligere Lappam minorem omnibus ferè æquè notam quàm eſt Lappa maior, ſed non tam frequentem, Xanthium eſſe. Folia habet atriplicis,crenata, quadãtenus cinerea, naſturtium olentia: caulem ſeſquipedalem, anguloſum,pinguem,nigris notis conſperſum,crebras fundentem alas:fructum echinatũ lappoſumq;, oliuæ aut corni modo oblongum,contactu veſtes apprehendentem: radix non profunda, fibrata rubeſcit. Naſcitur læto & pingui ſolo & lacubus exſiccatis. Fructus ante collectus quã perfectè ſicceſcat,inquit Dioſcorides, tunditur & fictili vaſe reconditur. Flauos facit capillos, ſi acetabuli inſtar tepida aqua madeſcat, mox caput,nitro antè perfrictum, illinatur. Alij in vino tundunt, & ita aſſeruant. Semen aptiſsimè tumoribus imponitur. Galenus breuiter dixit Xanthium phaſganium etiam vocari: fructum diſcutiendi vim habere. Aetius,decoctum corticis radicis,inquit,potum lienes conſumit:dentes motos firmat eiuſdem decoctum ex vino collutum. Radix & ſemen laudantur ad tumorum ſtrumarumq; pertinaciam delendam frequenti admotu.

XANTHIVM, Matth.

Lib.4.c.133. *Forma.*

Locus.

Li.4.ca.133. *Vires.*

Li.8.ſimpl.

Pet.Pen.in Ad.

PLANTAGO AQVATICA. CAP. XL.

Nomina NOSTRAE ætatis herbarij plantam hanc plantaginem aquaticam nominarũt,Gallicè *Plantain d'eau*, Italicè *Piantagine aquatica*, Germanicè *Vuaſſer vuegrich*. Folia habet in prælongis,craſsis pediculis longa, lata,in mucronem deſinentia, Plantaginis maioris foliis longiora, & acuminatiora. Caules inter ea exeunt longi,triangulares, intus fungoſi, in plures ramulos

Dodo.lib. plant.aqu.

PLANTAGO Aquatica.

ramulos diuisi, in quibus flores candidi parui, tribus constantes foliolis: fructus deinde parui, triangulares, virentes: radices subsunt fibratæ. Nascitur in humilioribus & aquaticis locis, in fossis, in lacuum & riuulorum marginibus. Iulio & Augusto mensibus floret. Facultatis aiunt frigidæ esse ac siccæ. Sunt periti herbarij qui affirmant plantaginem istam aquaticam verũ esse Dioscoridis Damasonium seu Alisma: eiq; Damasonij delineationem viresque prorsus conuenire. At cùm Galenus qui legisset radices eius acres esse, eoq; œdemata discutere, nõnihil Dioscoridi aduersetur, in cæteris autem assentiatur, sic illi de radice verum esse experimento & ipsi asserunt.

Locus.
Vires.
Lib. 3. c. 151.

DAMASONIVM. CAP. XLI.

CVm Matthiolus reiectis aliorum sententiis plantaginem aquaticã Dioscoridis Alisma aut Damasonium non esse sese probasse putasset, aliud substituit, sed id depinxit tantùm, non descripsit. Sunt qui aliam Damasonij speciem exhibent, quæ radicularum fibris multis nititur candidis, breuibus: cauliculos multos edit dodrantales, læues, nudos, nodosos: folia Damasonio seu plantagini aquaticæ similia, sed parua, longis pediculis appensa, fructum stellę figura, sex rigidis pungentibusq; cuspidibus radiatum, speciosa elegantiq; structura. Vnde stellatum cognominãt. Humidis & aquosis locis gaudet. Idem prorsus est Alisma pusillum angustifoliũ muricatum Lobellij, seu Plantago aquatica minor, minutis quinqueneruiæ plãtaginis angustioribus foliolis, deorsum versus reflexis: cauliculo gracili, sesquipalmari, è fibrosa radice sparsa speciosa coma, referta numerosis, muricatis, exilibus capitulis tribuli ritu. Item aliud Damasonium Alpinum Montanum herbarij vocant, quidam Clymenum, folio plantaginis minoris, folliculis iridi similibus, fructu oblongo, cirris polyporum non dissimili. Sed cur Damosonij nomen huic plantæ indiderint, nescio. Quare liberũ cuiq; fuerit aut id retinere, aut aliud verius sufficere. Cæterùm radice est nigra, modicè fibrata, altiùs descẽdente: foliis oblongis, angustis, neruosis, lanceolatæ siue plantagini minori similibus, aliquanto longioribus: acuminatis: caulibus pedalibus: flore luteo: seminibus oblongis, angulosis, quaternis simul sic coniunctis, vt hiante medio spatio fenestrata quædam meta appareat, apice nigro supereminente, eleganti sanè figura, laternæ quæ nondum cornu

Forma.

DAMASONIVM, Seu Alisma, Matthioli.

Locus

DAMASONIVM Stellatum.

DAMASONIVM Alpinum.

charthâve obducta eſt clauſaq; ſimili,& huic plantæ peculiari. In Alpium vmbroſis conuallibus gignitur.

LYSIMACHIA, CAP. XLII.

Nomina Lib.25. ca.7.

OVAE Græcè λυσιμάχιον & λυσιμάχιος dicitur,Latinè etiam Lyſimachia à Lyſimacho rege inuentore, teſte Plinio: vel à pugna dirimenda: id enim eſt λύειν τὴν μάχην, ideſt,certamen dirimere. Eſt enim ea plantæ vis,vt etiam belluarum animos feroces,& mutuos hoſtiles congreſſus placare poſsit:ita ſcribente,atque breuiter eam deſcribente Plinio. Inuenit Lyſimachus herbam Lyſimachiam, quæ ab eo nomen retinet, celebrata Eraſiſtrato.

Ibidem.

Folia habet ſalicis viridia,florem purpureum: fruticoſa eſt ramulis erectis, odore graui:gignitur in aquoſis. Vis eius tanta eſt, vt iumentis diſcordantibus iugo impoſita aſperitatem cohibeat.Dioſcorides paulò fuſiùs eam deſcripſit. Lyſimachia, inquit,quam aliqui Lytron appellant,caules emittit cubitales, altioréſve, fruticoſos,tenues,circa quorum genicula enaſcuntur folia ſimilia foliis ſalicis, guſtu adſtringẽtia:flos eſt fuluus aut auricolor. Naſcitur in paluſtribus locis & circa aquas. Matthiolus veram eſſe Lyſimachiam,quæ hîc picta eſt,aſſerit. Aliam quorundam Lyſimachiam,quæ quadrato exit caule,foliis ſalicis, flore in purpura rubeſcente, etſi Lyſimachiam Dioſcoridis non referat,tamen Lyſimachiam alteram appellat.

Lib.4. ca.3. *Forma.*

Locus.

Dod. lib.1. cap.50.

Dodonæus Lyſimachiam notiſsimam vſuq; frequentiorem veram Lyſimachiam eſſe putat,quæ vulgò Salicaria nominatur à ſalicis foliis, Gallicè *Corneolle, Soulſi d'eau, Percebosſe, Pellebosſe*, ideſt,Peſtifuga,Germanicè *Geelvueidrich*.Eadem eſt quæ Matthioli Lyſimachia prima.Huic caulis eſt cubitalis,interdum bicubitalis, parũ anguloſus,geniculatus:folia longiuſcula & anguſta,frondis ſaligneæ aut perſicariæ,pallentia,minimè crenata,terna quaternáve ſibi ex aduerſo circa caulem ſita: flores in ramulis elegantes, lutei, inodori, multi & conferti: ſemen rotundum coriandri:radix longa,gracilis, latiùs ſparſa, quæ teneram edit ſobolem purpuraſcentium

LYSIMACHIA, Matth.

LYSIMACHIA Altera, Matth.

scentium initio turionum. Locis vdis & marginibus fossarum ripísque riuulorum prouenit: facultate est frigida, sicca, adstringente. Officinæ multũ ad gargarismata & parulides, exesasq; oris inflammationes vsurpant. Herbariorum sedulitas alias Lysimachiæ species adinuenit. Lysimachiam purpuream priorem, suprà indicatam à Matthiolo, & secundo loco pictam specie à lutea diuersam à Plinio memoratam, quippe qui flore purpureo & odore graui eas discreuisse videtur. Caules edit geniculatos subpurpureos, quadratos, folia luteæ similia, aut salicis angustifoliæ, ex interuallo bina, subpurpurea: flores spicatos, purpureos, palmum & sesquipalmum longos: semen in paruulis capitulis veluti coronis prouenit, vnde flores sunt dilapsi. Radix maior est quàm luteæ, similiter turiones quotannis teneros edens, lignosa, nigricans, non tamen odore tetro. Quamquam non magni refert, sit ne hæc Plinij an Dioscoridis Lysimachia. Tamẽ Plinius videri potest non aliam quã Dioscoridis Lysimachiã explicasse, sed πύῤῥον, florẽ purpureũ vertisse, aut πόρφυρον legisse, & graui odore esse dixisse, quod quando adoletur verũ esse Dioscorides asserit. Lysimachiũ est purpureũ alterum Dodonæi. Aliud est Lysimachium purpureum siliquatum, vulgatum, à siliquato fructu præcoci, qui auctu & incremento florum eruptioni anteuertit, quasi proles parente prior, filius ante patrem ideò vocitata. Caulibus & foliis luteæ similis est, nisi quòd ea angustiora & leuiter crenata sunt. Flores promit quaternis foliolis constantes, purpureos,

Lib. 25. c. 7.

Dod. lib. 1. cap. 40.

Dod. ibid. Pet. Pen in Ad.

LYSIMACHIA Purpurea, I. Dodon.

LYSIMACHIA Siliquosa alia, Lobellij.

Lib.3. c.49.

patulos, geranij columbini, aut vulgaris maluæ siluestris: sub quibus nascuntur, antequàm flos aperiatur, siliquulæ, siue cornicula rotunda, exilia, longiuscula, quæ semine valde minuto maturo in tres quatuórve particulas fissa, vnà cum papposis inuolucris perduntur. Radix est gracilis, fibrata. Non aliis hæc natalibus quàm alia prouenit. Huius varietas duplex obseruatur. Frequentior est omninò folio, siliqua, caule iisdem, sed magnitudine inferior, & tenera adeò, vt vix siliquam floremq; sustinere queat: flos propiùs caryophylleam Tunicam dictam, paulò minor. Altera varietas cernitur in floribus pallidioribus, quadripartitis, angustioribus foliolis decussatim sitis, in pari siliqua: cætera similia sunt. Hãc sic expressit Lobellius, & esse ait Chamænerion Gesneri, Delphinium buccinum Dioscoridis. Herbarij quidam, inquit Ruellius, putant Delphinium esse, quam filium ante patrem diximus appellari, quod siliquam & intus semen ante floris exitum ostendat: rectiùs si partus ante conceptum ab eis appellaretur. Est & Lysimachia cærulea quibusdam Veronica recta, aut maior, filio ante patrem non absimilis caule & folio, sed longiore, crassiore, & tota minor, ramulos habet in summo spicatos floribus cæruleis, lauandulæ longioribus, multos, exiguos & rotũdos folliculos, in quibus minutum semen. Exigua & fibrata nititur radice. Rarior hæc est, & in hortis ab herbariis

LYSIMACHIA Cærulea.

LYSIMACHIA Galericulata, Lobellij.

colitur

colitur. Iunio & Iulio mensibus florent, Augusto semen maturescit. Huic adiungit Lobellius Lysimachiam aliã Galericulatam,quæ riuulorum & fluminum ripas, & depressos agrorum margines Londinensis & Antuerpiani agri sectatur. Multos emittit quadratos, sesquipedales & bicubitales geniculatos pediculos, in quibus folia Lysimachiæ purpureæ similia,scordij æmulatione ex atro virentia,ex geniculis gemina,è quibus instar Galericuli flores ex cæruleo punicantes. Radice variè diuaricata repit,vt à nullo hactenus descripta aut picta, sic vsu neglecta aut incognita. Hæc Lobellius. Purpureæ & cæruleæ Lysimachiæ vsus adhuc incogn tus. Sed Lysimachiæ Dioscoridis foliorum succus adstringente sua vi sanguinis reiectionem supprimit:diisentericis potui datur,aut infunditur: fluxũ muliebrem sistit in pesso:sanguinis profluuio subuenit,si herba nares obturentur. Vulneraria est, & sanguinem cohibet. Acerrimum nidorem suffita reddit,qua de causa serpentes fugat,& muscos interficit. Plinius diuersis locis eosdem Lysimachiæ vsus tradidit. Lysimachiæ odorem angues fugiunt. Et, Si ore sanguis reiiciatur,siue è naribus, siue aluo fluat,siue fœminarum vtero, Lysimachia pota,vel illita,vel naribus indita. Rursus,Lysimachia recentibus plagis medetur. Et rursus,Capillum Lysimachia flauum facit. Galenus de eiusdem viribus ita differit.Lysimachios superantem habet qualitatem adstrictoriam, per quam & vulnera glutinat, erumpentémque è naribus sanguinem,emplasti modo illita cõpescit:quin & reliquas sanguinis eruptiones sistere potest cùm ipsa,tum eius succus multò magis. Pota dysenterias,sanguinis reiectiones ac muliebre profluuium sanat.

Vires.

Lib.25. c.8. Li.26. c.12.

Ibid. ca.14 Lib.25. c.15. Li 7.simpl.

STRATIOTES AQVATICVS, CAP. XLIII.

VIDETVR hæc potiùs quàm Matthioli planta esse στρατιώτης ἔνυδρος, siue ὁ ἐπὶ τῶν ὑδάτων φυόμενος,quem & πολέμιον nuncupant. Nam reperitur in stagnantium aquarum lacubus & fossis,vel pigrè fluentibus aquis,maxima foliorum parte vnà cum floribus aquas superante, reliquis ipsius stirpis partibus sub aquis conditis, vnde cognomentum inditum.

Nomina

Locus.

STRATIOTES Aquaticus.

Lobellio & Penæ Stratiotes, siue Militaris Aizoides,Sedum aquatile de frum.dicitur. Folia habet Aizoo maiori similia, sed maiora multò,mucronata,angusta,per ambitum duris quibusdam & breuibus aculeis spinosa,lanceolatæ plantaginis,longioribus,siue aloës herbæ, sed breuioribus & minoribus.Ex quorum medio & ad latera pediculis non longis insident flores ternûm foliorum,candidi,quadamtenus ranunculi albi,medio lutei, & pilis hirsuti, ex vagina siue forcipula cancri marini trifida emergentes. Subest pro radice breuissimum,vt ita dicam,caput, foliorum sessilis & latior basis,infernè valde gracilis & tenera. Inde fibræ longæ, tenues,candidæ, lyrarum fidibus, siue longis lumbricis persimiles demittuntur,aquæ fundum petentes,quæ si radices non sunt, sine radice viuit. Has fibras scelerati agyrtæ in aquæ plena phiala, quo maiores appareant, mulierculis ostentatas impudenter mentiuntur vermes esse, quos medicamentis suis ex intestinis eduxerint, teste Dodon. Facultatem

Dodo.l b. 1.c 99 & in plant. aqu.

Lib.11.c.99

Vires. vulnerariam habet refrigerandi & siccandi. Quæ omnia Dioscoridis historiæ
Lib.4.c.99. consentiunt. Stratiotes in aquis nascens, inquit, iisdem supernatat, vnde cognomentum traxit, & sine radice viuit. Herba semperuiuo similis, ni maiora haberet folia, quæ refrigerant, sanguinem qui defluit à renibus pota sistunt, vulnera quæ inflammationem minantur intumescere non sinunt: ignibus sacris, & tumoribus
Li.24.c.18. illinuntur. Eadem Plinius tradit. Sed eam in Ægypto tantùm nasci, quod non credendum, cùm Dioscorides indefinitè dicat aquis innatare. Celebratur, inquit, & à Græcis Stratiotes, sed ea in Ægypto tantùm, & inundatione Nili nascitur, Aizoo similis, ni maiora haberet folia. Refrigerat mirè, & vulnera sanat ex aceto illita. Item ignes sacros ac suppurationes. Sanguinem quoque qui defluit à reni-
Li.3.simpl. bus, pota cum thure masculo mirificè sistit. Stratiotes aquaticus, inquit Galenus, humida & frigida facultate est, terrestris verò nonnihil habet adstrictionis: proinde sanè & vulnera glutinare potest, & vlceribus esse vtilis. Sunt qui eo & ad sanguinis eruptiones vtuntur, & ad fistulas.

NVMMVLARIA. CAP. XLIIII.

Nomina HVic herbę, vt aliis multis, nomina ab herbariis imposita, quibus hodie quoque vulgò appellantur, immutenda non censeo. Dicta est Nummularia, à foliorũ circinnata rotunditate, nummi speciem referente, Gallicè *Monnoyere*. Centimorbia, à mirifica vi & facultate, *Herbe à cent maladies*. Hirudinaria, quòd passim terræ hirudinis instar affixa sit. Serpentaria, quia compertum sit serpentes hac herba, si vulnerentur, sibi mederi. Germanicè *Egelkraut*, aut *Pfen nigkraut*. Quidã à Plinio, cap.28.lib.28. Nũmulum vo-
Forma. catam putant, falsoq; in nostris exẽplaribus pro Nummulo legi Mimmulũ. Caulículis seu viticulis gracilibus, teneris per terram serpit, in quibus folia bina ex aduerso æquis, sed crebrioribus spatiis, rotunda, latiuscula, pinguia: flos lyteus, ferè ranunculi: radix tenera & gracilis. Prouenit locis humidis, præsertim circa fluenta. Mense Maio apparet, Iulio floret. Gustu admodum adstringit, vt hinc constet eam esse secundi aut tertij ordinis exsiccantium. Huius folia & flores adeò desiccant adstringúntque, vt vlcera glutinare possint. Pota cum vino dysenterias, ventris imbecillitates, fluxúsque ac humiditates sanant. Cataplasmatis modo illita vlcerum putredinosa iuuant. Prosunt ad sanguinis reiectiones, profluuia muliebria, & ad omnia interanea, & vlcera potissimùm pulmonis, quamuis rustici credant pecudum vlcerari pulmonem, quæ illius folia depascuntur, ac ideò nocentissimam vim eius esse. Externis etiam vlceribus summè confert, si vino in quo herba hæc decocta est lauentur, atque abstergantur. Planta ista quibusdam Ereuthedanum Theophrasti vide-
Lib.9.hist. cap.14. tur esse. Τὸ δὲ ἐρεθέδανον, inquit, καὶ φύλλον ὅμοιον κιττῷ πλὴν στρογγυλώτερον. φύεται δὲ ἐπὶ γῆς ὥσπερ ἄγρωστις. φιλεῖ δὲ καὶ τὰ παλίοκια χωρία. Ereuthedanum folium habet hederæ simile, sed rotundius, repit humi graminis modo, vmbrosis

NVMMVLARIA.

Locus. Fuchs.cap. 151.
Tempus.
Vires.

vmbrosis locis gaudet. Sed vires haud conueniunt. ὑρητικὴ δὲ, διὸ καὶ χρῶνται πρὸς τὰ τῆς ὀσφύος ἀλγήματα, καὶ πρὸς τὰ τῆς ἰσχιάδος. Cit vrinam, qua de causa ad lumborum & coxendicis dolores vtuntur.

EVPATORIVM VVLGARE, CAP. XLV.

SVNT permulti, imò omnes ferè pharmacopœi, qui agrimoniæ siue vero Dioscoridis Eupatorio, hanc plātam substituunt, quod nonnulli non rei ignoratione faciunt, sed maiorum virium obseruatione, & experientia ducti, quas etiam ipsa aspectu insignis planta, foliorum amaritudine & odoris præstantia, satis præ se fert. Igitur propter amicas hepati vires, fortè & ob folia Eupatorium vocauerunt, veriùs pseudoeupatorium dicendum, alij Eupatorium aquaticum, alij canabinam aquaticam, alij Eupatorium Auicennæ. Ruellius, quod suprà nos declarauimus, hydropiper esse, haud rectè asseruit. Pseudoeupatorium rotundo, subpurpureo caule, intus medulla alba referto exit, duos interdum tres cubitos æquante, aliquantum hirsuto: foliis longis, nigricantibus, asperis, parùm hirsutis, crenatis, ad canabina ortu & situ adeò accedentibus, vt permulti Eupatorium Auicennę canabinis foliis prędituin esse credant, amaris. In summo flores emergunt permulti, congesti, villosi, in purpura albicantes, qui flaccescentes orto semine, papposi in auras abeunt, radix latè fibras spargit, amari gustus, odoris non minùs suauis quàm betonica vel agrimonia. Locis vliginosis, scrobium marginibus, & in riuulis tardiùs fluentibus prouenit. Pseudoeupatorium calido siccóque est temperamento: calfacit, tenuat, abstergit, incidit, aperit. Ex recentibus foliis contusis succus exprimitur, & insolatus cogitur in pastillos, quorum frequens in medicamentis vsus. Confert maximè eiusdem decoctum, aut epotus succus iocinoris doloribus, & aliis eiusdem affectibus ab obstructione ortis. Quare vtiliter propinatur hydropicis, cachexia, ictero, vasorum infarctu, splenis tumoribus, & obstructionibus vexatis. Datur quoque succus ad ventriculi apostemata à frigiditate nata, quibus etiam prodest herba exteriùs illita. Foliorum decoctum auxiliatur diuturnis, præsertim pituitosis febribus ab obstructione prouenientibus. Idem vrinas & menses pellit: scabiem pruritúmque sanat cum fumaria decoctum ex caprino sero: sed succus validior est, qui potus elephantiasi incipienti medetur. Flores illiti vulnera recentia & vlcera sanant. Fugantur venenata animalia herbæ siccæ suffitu. Aiunt à venatoribus obseruatum esse ceruos telis vulneratos hac planta proculdubiò sanari. Datur eadem vtiliter pecoribus tussientibus, & anhelosis equis, quorum etiam dolores finit. Succus binûm obolorum pondere in catapotiis deuoratus intestinorum vermes necat. Idem recens expressus illinitur commodè ex aceto & sale aduersus scabiem.

Nomina

EVPATORIVM, *Vulgare.*

Li. 2. c. 244. Dod. lib. 4. cap. 39.

Locus.

Temper. & Vires

POTENTILLA, CAP. XLVI.

Nomina

PSEVDOEVPATORIO seu potiùs Agrimoniæ adeò hæc affinis est, vt vulgus siluestrem agrimoniam vocet. Potentillæ huic nomen ab eximiis viribus quibus pollet, argentinæ verò à foliorum argenteo splendore. Galli *Argentine*, Germani *Genserich* vocant, id est, Anserinam quòd hac herba anseres delectentur in cibo. Quidam Stephano melidem Plinij esse coniectantur, cap.13.lib.26.vtilem ex aqua sanguini fluēti per nares, sic dictam quòd coronis melinus eius flos innectatur. Potentilla viticulorum reptatu ab agrimonia discernitur, fragariæ & pentaphyllo assimilatur: teneriora hæc sunt, graciliáque in quibus folia longa, incisa & crenata, agrimoniæ simillima, supernè virentia, auersa parte argenteo nitore splendentia, vnde argentinæ nomen. Flores in singulis pediculis pentaphylli similes, lutei: radix fibrata, exterius purpurascens, inferiùs candicans. Nascitur locis vliginosis & propè semitas, quarum vdarum nulla amantior, frequentiórque alumna. Iunio & Iulio mensibus floret. Adstrictoria & exsiccatoria vi pollet, quare mulierum profluuia, dysenterias, & cæteras alui fluxiones cohibet. Id quod præstare dicitur, si recens in calceis nudis pedibus subponatur. Datur vtiliter potui sanguinem reiicientibus. Herbæ decoctum ex vino ad intestinorum tormina, & dorsi dolores potu facit. Siccæ farina ex sua ipsius stillatitia aqua pota albas vteri fluxiones sistit, sed valentiùs addito corallo & eboris ramentis. Sunt qui ad enterocelas præferunt tum in cibis, tum in potionibus. Etenim vulnera glutinat, & vlcera sanat, præsertim pudendorum, & quæ oris partes erodunt, firmat commotos dentes, & laxas gingiuas, si in aceto decoquatur, & os sæpè colluatur. Dentium dolores mulcet, prolapsam columellam restituit addito aluminis momento. Mirùm quòd plantis pedum, manuúmque volis admota, febrium quarumcunque calores remittit, ad frangendum calculum efficax est, multúmque sanguinem grumosum potu dissoluit.

POTENTILLA.

Forma. Dod.lib.1. cap.58. Pena in Ad. Matth.in cap.37.lib. Dioſco.

Locus.

Tempus. & Vires.

MARRVBIVM AQVATICVM, CAP. XLVII.

Nomina

MARRVBII potiùs species aut Verbenæ hæc planta fuerit, quàm sideritis prima, vt existimat Matthiolus, cui huius natales, folia maiora, caules cubitales, nec asperi, multáque alia refragantur. Vulgo igitur Marrubium palluſtre siue aquaticum vocarunt, Gallicè *Marrube d'eau*, Germanicè *Vuasserandorn*. Quidam Rhodoram Gallicam Plinij esse volunt, cap. 19. 24. iuxta Rumbotinum viduam vite nascentem, caule geniculato, virgæ ficulneæ modo, foliis vrticæ in medio exalbidis, quæ procedente tempore tota rubent, flore argenteo, præcipuam contra tumores, feruores, collectiones cum axungia veteri tusam, ita vt ferro non attingatur, & qui perunctus est despuat ad suam dexteram ter, efficaciori quoque, vt aiunt, remedio, si tres quoque trium nationum

In cap.19. lib.4.

Trag.lib.1. cap.2. Dod.lib.2. cap.69.

MARRVBIVM Aquaticum.

nationum homines perungant dextrorsus. Plãta hæc Marrubio nigro tam cauliḃus & folliculis asperis, quàm foliis & floribus satis similis est. Folia quidem ex fusco viridia sunt, sed maiorà profundiùs incisa, non admodùm hirsuta, propè complicatà, instar foliorum betulæ recens erumpentium: flores albi & minores Marrubiorum floribus, caulẽ ambientes sicut in melissa. Iuxta scrobes & riuulos nascitur, locísque aliis vliginosis. Siccandi facultate sine manifesto calore præditum esse aiunt, nondum tamen in vsum medicum receptum. *Locus.*

SCABIOSA. CAP. XLVIII.

NOn sine causa herbarij plantis multis similibus facie & viribus, scabiosæ nomen indiderunt. Sed nunc de ea agimus, cuius frequẽtior est vsus: eius enim Græcum nomen adhuc ignoratur quamquam non desint qui Aetij Psoram esse putent. Sed cùm nusquam extet apud eum, aut alios auctores eius descriptio, sed nomen tantùm, nihil certi hac de re statui potest. Quidam Maston Plinij esse coniectantur in facie tineas auferentem. Dicta autem est scabiosa à scabro herbæ habitu, vel quòd scabiei medeatur, vnde etiam psoræ nomen traxisse videri potest. Gallicè *Scabieuse*, Germanicè *Apostenkraut*. Matthiolus duas habet species, maiorem, & minorem. Maior primùm folia profert longa, non laciniata: quæ verò his succedunt, phu minoris modo dissecta cernuntur, quæ verò in caule & ramis, minora & magis laciniata. Caules habet æstate sesquicubitales, teretes, striatos, incanos, circa cacumen in ramos diuisos in quorum fastigiis capitula oriuntur in acutum desinẽtia, compartiti squamarum ordine contexta cyani ritu, è quibus flores prodeunt ferè etiam similes, sed rufescentes: sequitur semen paruum, subnigrum, lychnidis coronariæ simile. Radix est pollicari crassitudine, brachiata, sapore subdulci. Nascitur inter fruges, & in agris incultis, argilloso præsertim solo. Annotat Pena non esse hanc vulgarem Scabiosam, sed laceam nigram, maiorem, laciniatam. Minor folia circa radicem fundit in ambitu laciniata, in terram repanda & recumbentia, subalbicantia, siue cinerea, subhirsuta, in caule frequentioribus, tenuioribúsque incisuris crenata. Caulem mittit rectum, tenuem, subhirsutum, in quo ramuli. Flores habet folioſos, congestos, cyani purpuram imitantes, siue cærulei coloris, qui tandem defloreſcentes capitulum relinquunt subuiride, rotundis ocellis refertum, colore pauonum caudas imitante, magno sanè naturæ artificio, & magna contemplantium admiratione: Radix est palmaris, fibrata, subcãdicans. In pratis humidis potissimùm & herbidis locis degit. Iunio & Iulio mensibus floret. Vtraque excalfacit, siccat, extenuat, abstergit. Quare ad expurgãdos pulmones & pectus à crassis & pituitosis excrementis, multùm prẹstãt, cùm herba ipsa in puluere pota, tum succus cũ melle delinctus, tum eius decoctũ diebus aliquot haustum. Valet quoq; mirum in modum aduersus scabiẽ, non modò eius decocto quotidie potui dato, sed & herbæ ipsius succo per se, aut vnguentis addito ad scabiosa corpora illinenda. Prodest omnibus pectoris vitiis,

Nomina

Forma.

Locus.

Vires.

SCABIOSA Matthioli, Maior.

SCABIOSA Matthioli, Minor.

ris vitiis, & respirationi inseruientibus organis: quippe quæ & eorum purulentas inflammationes discutiat, & omnia pectoris vitia expurget. Anthracibus siue carbunculis pestiferis vtiliter illinitur, adeò vt illita has letales abscessus trium horarum spatio prorsus abolere existimetur. Datur vtiliter eiusdem succus quatuor vnciarum pondere cum theriacæ drachma, pestilentia affectis prima statim die, verùm sudorem in lecto prouocare oportet, & iterum atque iterum medicamentum repetere. Idem plurimùm confert ad serpentum morsus, quemadmodùm herba ipsa contusa recénsque imposita. Illitus succus cum chrysocollæ puluere & caphuræ momento, lentigines, alphos, impetigines, varos, & cætera cutis vitia abstergit: oculorum albugines tollit. Peculiariter valent huius maioris scabiosæ radices ad lichenas, etiam si à Neapolitano morbo prouenerint. Earum enim decoctum quadraginta diebus potum præstantissimum expertissimúmque est ad id mali medicamentum. Idem præstat earundem radicum puluis quotidie drachmę pondere ex sero haustus.

SVCCISA. CAP. XLIX.

Nomina

QVo nomine veteres aut posteriores Græci plantam hanc nuncuparint, & an eam cognouerint, nondum nobis compertum est. Latino & conueniente huic herbæ nomine, quidam Succisam vocant, quòd eius radices circumrosæ sint. Vulgus Morsum diaboli vocat. Galli *Mors de diable*, Germani *Teuffels abbiss*, nomine ex superstitione indito, quasi verò Cacodæmon quidam tantæ efficaciæ radicem inuideat hominibus, atque ob id vbi succreuerit, statim eam dentibus succidat atque circumrodat. Ex scabiosis videtur esse, caulibus rotundis, cubitalibus, aliquando bicubitalibus: foliis scabiosæ vulgaris, sed rigidioribus, nigrioribus, hirsutioribus in imo caule, in summo autem aliquantum serratis, non altiùs incisis vt scabiosæ: floribus item scabiosæ, sed

Forma.

Pena in Ad. Matth. in cap. 174. lib. 2. Dodo. lib. 3. cap. 72.

purpura

MORSVS, Diaboli.

purpura fusca, tristiore aspectu: semine in auras abeunte: radice nigra, dura, breui, spissa, multas crassas fibras spargente, quare præcisa apparet qua crassiores fibrę plures coëunt, quasi præmorsa foret à quopiam cacodæmone, vnde ei morsus diaboli nomen, quamquam alij malunt sic dictam herbam à caustica vi, qua mordicat bubones & carbunculos pestilentes, quibus magno leuamento admouetur ea viridis cruda, tritáque, aut vinum in quo decocta fuerit epotum. Radix per se estur, aut eius decocti vinum vtiliter bibitur non modo ad vteri dolores, sed etiam ad pestilentem auram arcendam. Gustu admodũ amara est, ex quo perspicuum est calidæ esse siccæq; facultatis scabiosæ modo. Siccatæ puluerem præbent plerique ad alui tineas necandas, ac eadem sugillata illitu emendant. Locis incultis prouenit, saltibus, dumetis, ac etiam in pratis & viis quibuslibet. Augusto potissimùm mense floret, tum notior, aliàs scabiosæ tam similis, vt plerumque pro eadem accipiatur. Quidam Niginam Plinij esse putant, foliis longis, intybaceis, quæ illita cicatrices ad colorem reducit. Verùm hoc obstat, quod suæ Niginæ tantùm folia tria Plinius tribuit.

Vires.

Locus.

IACEA, CAP. L.

SCABIOSIS Iaceæ adeò similes sunt, vt Matthiolus has ab illis non discreuerit, quare scabiosæ Iaceę sunt subiungendæ. Iaceas autem fortè aliquis recentiorum Græcorum ἀπὸ τῆς ἴας vocauit, quòd ianthino sint florum colore, non quòd humi iaceant, vt quidam putant, tametsi Barbaris practicis duntaxat notæ fuisse videntur. Iacea nigra Dodonæi scabiosis similis est, sesquipedem aut pedes duos alta, foliis longis, angustis, scabiosæ maioris, aut succisæ aliquando crenatis, & in ambitu insectis: caulibus rotundis in quorum summitatibus capitula sunt rotunda, squamosa, cyanorum capitulis similia, sed maiora: ex quorum medio capillacei flores purpurei exeunt, radix crassa, breuis, incurua, fibrata. Dicitur etiam à Pena & Lobellio Iacea nigra vulgaris, Hyosiris Plinij Anguillarę, Medium Dioscor. Mutono, folio seridis siluestris, flore purpureo, rotundo, semine cnici minuto, radice dodrantali, crassitudine baculi, gustu acerbo. Aliis verò scabiosa maior, siue capitata, siue echinata, diuersa à Iacea nigra vulgari Officinarum, vbívis, frequentissima, quam Hyosirin Plinij esse volunt. In vdis pratis & herbidis locis prouenit. In Iacea subdulcis est adstrictio, siccitas efficax admodum, calor propè nullus. Recentiores nihil præstãtius ad hernias inuenisse Iacea nigra narrant. Eius decoctum, si eo sæpè os colluatur, recentes oris & gutturis abscessus repellit & absumit, inueteratas ad suppurationem perducit & rumpit. Alia dicitur ab herbariis Iacea rubra maior in pratis quoq; degens, radicibus multis, nigris, longis, huc illuc dissectis: caule cubitali, recto, adnatis multis surculoso, folio longo, obscuriùs virente, per ambitum profundissimè dissecto, tactu aspero, leniter pungentibus iis, quæ per ambitum eminent foliorum laciniis: flore

Nomina

Forma Lib. 2. c. 71.

Locus.

Temper. & Vires

IACEA NIGRA, Dodonæi.

IACEA Rubra maior, Laciniosa.

flore è puniceo purpurascẽte, aspectu pulchro, in oblongis capitulis albo nigroq; reticulatim & elegantissimè distinctis, gustu amaris. Iaceã aliam nigram quidam agnoscunt, in humidis vbiq; prodeuntem, & in Officinis passi meo nomine vocatam, radice breui, lignosa, surculosa, foliis paucis, hirsutis ac ideò subasperis, intybo similibus, minoribus, capitulis paruis, in quibus flos subruber emicat, gustus valde adstringentis, eamq; hyosiridem Plinij esse arbitrantur.

ODONTITIS LVTEA. CAP. LI.

Lib. 1. c. 134 Dod. lib. 2. Cap. 7.

Lib. 27 c. 12 *Nomina*

Forma.

QVAM Tragus florẽ cuculi, Dodonæus Vetonicam siluestrem vocãt, herbarij cõsentiunt eam esse, quę à Plinio Odõtitis purpurea nominatur, de qua diximus, lib. de iis quæ flore placẽt. Quæ hîc proponitur propter magnam cum illa affinitatem, Odontitis lutea à nobis nominata est à florum colore. Radice est breui, fibris capillata: caulibus multis, angulosis, geniculatis: folio polygoni, longiore, ad singula genicula gemino: flore pusillo, luteo, è stellulis herbaceis emicante. Locis humidis gaudet. Eius decocto si quis os colluat, dentium cruciatus sedatur.

EQVI

EQVISETVM, CAP. LII.

QVae Græcis ἵππουρις dicitur, Latinè Equiſetum, Equiſeta, Equiſelis, Equinalis, Officinis Cauda equina ob foliorum ſimilitudinem. Eſt enim, inquit Plinius, pilus terræ equinæ ſetæ ſimilis. Et, fœniſecis inuiſa & equiſelis eſt, à ſimilitudine equinæ ſetæ. Arabibus *Dhenben alchail, Dembalchil*, ſiue *Danebalchil*. Italis *Coda di cauallo, & Aſperella*, Hiſpanis *Coda di mula, é Rabo de mula*, Germanis *Roßſchwantz*, Gallis *Queue de cheual, & Prelle*. Dicitur etiam quãuis ſicciſsima ephydron, quòd vdis & madentibus locis gaudeat. Item ἀνάβασις auctore Plinio, quòd arbores ſcandat. Huius genera duo deſcribit Dioſcorides. Vnum cauliculis inanibus, geniculatis, in ſeſe farctis, ſubrubris, ſubaſperis, duris: iũceis circa eos foliis crebris, exilibus. In ſublime attollitur, vicinos arborum caudices ſcandens, obuolutumq; dependet comis multis, nigris, vt equorum cauda, radix lignoſa, dura. In riguis & ſcrobibus naſcitur. Alterum Equiſetũ caulis eſt rectus, cubito maior, inanis, comis per interualla breuioribus, cãdidioribus & mollioribus. Plinius totidem eadémque genera facit. Equiſetum hippuris à Græcis dicta, & pratis vituperata nobis. Eſt autem pilus terræ, equinæ ſetæ ſimilis. Et mox, Alij hippurin, alij Ephydron vt in ſuppoſititiis nomenclaturis Dioſcoridis legitur, (non ephedron, neque ephedran, vt in vulgatis legitur) alij anabaſin vocant, tradúntque iuxta arbores naſci, & ſcandentem eas dependere comis iunceis, multis, nigris, vt eſt equorum cauda, geniculatis ramulis, folia habere pauca, tenuia, exigua. Semen rotundum, ſimile coriandro, radice lignoſa. Et paulò pòſt, faciunt & aliam hippurim breuioribus & mollioribus comis, candidioribúſque. Rurſus, Caucon, quæ, & ephydron, ab aliis anabaſis vocata, naſcitur ventoſo ferè tractu, ſcandens arborem, & ex ramis dependens, folio multo, cirris numeroſa, qui ſunt iunci geniculati: radice pallida. Matthiolus quatuor obſeruauit genera, primum illud notius tum Dioſcoridis, tum cæterorum, quod hìc pictum eſt. Cumprimùm è terra erumpit, profert culmos arundineos, iunceos, cauos, nudos, geniculatos aſperos: ob id detergendæ ſuppellectili à mulierculis, & opificibus pectinum, fiſtularum, atque aliarum huiuſmodi rerum ad materiam læuigandam expetitos, clauis ſeu capitibus in ſummo racemoſos, recenti aſparago, aut iuglandium iulo ſimilibus, vt pictura hîc exprimit, tempore caules iſti nigricant aut rubeſcunt, ex quorum geniculis quaſi articulorum commiſſuris prodeunt multiplices exilium, tenerorum, geniculatorum foliorum quaſi ſetæ aſperiuſculæ, prolixiores. Altiùs accreſcens dependẽtibus comis caudam equinam ſatis ementitur. Radix eſt candida, geniculata caulium modo. Equiſetum minus, Hippuris fontalis, Equiſetum alterum Matthioli,

Nomina Lib.26.c.13. Lib.18.c.28

Genera. Lib.4.c.42

Forma.

Locus. Lib.26.c.13.

Ibid.

Lib.26.c.7.

In cap. 22. lib.4. Dod. lib.1. cap.66. Pena in Ad.

EQVISETVM. I.

EQVISETI. I.
Aſparagus, Dod.



EQVISETVM Alterum siue minus, Matthioli.

EQVISETI Minoris flores.

ſuperiori haud abſimile, initio caules veluti aſparagos teneros edit, nudos, rotundos, cauos, geniculatos, in ſummo non clauatos, ſed ſpicatos, floribus albis refertos, qui ſtatim pereunt. Deinde ex eadem radice ſuccreſcunt ramuli aliis articulis, ſiue geniculis crebris intercepti, circa quæ iuncea folia geniculata, rotunda, vt in maiore Equiſeto, ſed neque tam prolixa, neque tam aſpera: quare & ad poliendum inepta. Radix tenera eſt, gracilis, nigra. Locis decliuibus, vmbroſis, humidis prouenit. Eſt & Hippuris minor alia, congener cum maiore Equiſeto, tertium Matthioli, Equiſetum iunceum vocat Tragus, quod nudo calamo, omníque folio carente inſtar iunci proſilit. Sub initia menſis Maij nigros fert aſparagos, in quibus flos plantæ, radix nigra, lignoſa, planè inſipida. Quartum Equiſeti genus addidit Matthiolus. Hoc videtur eſſe vua marina vulgaris Cluſij. Ad hominis proceritatem vſque fruticat ſpartij modo, ſtipite brachialis craſsitudinis, oblongis ramis, nigricantibus, qui deinde multas virgulas pedales ferunt, tenues, multis geniculis diſtinctas Equiſeti ferè modo propendentes, ſine foliis, guſtu admodum adſtringente: florem circum internodia confertum, minutum & muſcoſum, flori cornus non abſimilem, pallidum: deinde fructum exiguis moris ſimilem, rubentem, ſucculentum, acidum, in quo vnum aut alterum granum milio ferè ſimile ineſt, foris nigrum, intus album: radix dura, lignoſa. Cluſio videtur Polygono quarto Plinij quadrare. Eſt & quintum genus, minimum, aquis cœnoſis innatans, vel ſub iis occultum ſemper, breuiſsimis & aſperis foliis, ac caulibus, lutoſum virus olentibus. Lugdunenſes vocant *chara* quaſi Cheredranon, quo nomine Equiſetum vocari in ſuppoſititiis nomenclaturis Dioſcoridis legimus, ea quæ lances eſcarias, & reliquam eiuſmodi ſupellectilem abſtergunt, vt & primo genere, quod vocant *Prelle*, quaſi φαιδρὰν. Nam & ſic appellari loco proximè citato traditur. Equiſeto vis ſpiſſare, inquit Dioſcorides, quare ſanguinem naribus erumpentem ſuccus ipſe ſiſtit: prodeſt dyſentericis in vino potum, vrinam cit. Sanguinolenta vulnera glutinantur tritis foliis & illitis. Radix cum ſua herba tuſſim, orthopnœam ruptáq; adiuuat,

Lib. 2. c. 46.

Lib. 4. c. 42.

Vires.

adiuuat. Foliis in aqua potis, diſſectiones veſicæ & inteſtinorum, enterocelæq; in vnum coaleſcere cogíque feruntur. Equiſetum alterum cum aceto tritum vulneribus remedio eſt, & eandem vim habet. Eadem Galenus tradit. Hippuris adſtringentem cum amaritudine facultatem habet, ac proinde valenter citra mordacitatem exiccantem. Itaque vulnera maxima cataplaſmate impoſita glutinat, etiam ſi præſectos eſſe neruos contingat, præterea enterocelas glutinat. Cæterùm ad ſanguinis reiectionem, ad profluuium muliebre, potiſsimùm rubrum, ad dyſenterias, & alios ventris fluxus generoſum eſt remedium herba ipſa aut ex aqua aut ex vino pota. Sunt qui ſcripſerunt nonnunquam etiam vel veſicæ ac tenuium inteſtinorum vulnera ſucco ipſo ſanata fuiſſe. Prodeſt etiam profluuio ſanguinis è naribus, tum fluxui obnoxiis in ventre affectibus ex auſtero vino potus, ac ſi febris ſit, ex aqua. Plinius eadem planè quæ Dioſcorides habet, ſed & alia quædam. Equiſetum, inquit, hippuris à Græcis dicta, lienem curſorum extinguit decocta fictili nouo ad tertias, quantùm vas capiat, & per triduum heminis pota. Vis eius ſpiſſare corpora. Succus ſanguinem è naribus fluentem incluſus ſiſtit, item aluum. Medetur dyſentericis in vino dulci potus cyathis tribus vrinam ciet: tuſsim orthopnœam ſanat: item rupta & quæ ſerpunt. Inte-

Lib. 6. ſim.

Lib. 26. c. 13

EQVISETVM Iunceum, Tragi.

EQVISETVM Tertium, Matthioli.



EQVISETVM Quartum, Matthioli.

ſtinis & veſicæ folia bibuntur. Enterocelen cohibet, faciunt & aliam hippurim breuioribus & mollioribus comis, candidioribúſque perquàm vtilem iſchiadicis, & vulneribus ex aceto impoſitam, propter ſanguinem ſiſtendum. Equiſeti recentem aſparagum, inquit Matthiolus, Hetruſci *Patrufalo* vocant, edúntque: prius enim elixant, farináque conſperſum oleo in ſartagine frigunt, quo cibo aluus adeò ſiſtitur, vt inde coli crúciatus facilè excitetur. Sunt qui eundem aſparagum ſiccum annum aſſeruant, quo æſtate vtuntur ad dyſenterias: nam aqua calida nocte maceratum coquunt, quo modo dictum eſt, & in cibum magno ſucceſſu exhibent.

In cap. 24. Lib. 4.

POLYGONVM FOEMINA,

CAP. LIII.

Nomina

CVM multa ſint Polygoni genera, de fœmina tantùm hîc agimus, quę Græcis πολύγονον θῆλυ, Latinè Polygonum, Sanguinaria & Sanguinalis fœmina, Gallicè *Renouee femelle*. Ac cùm dictum ſit Polygonum propter multas geniculorum commiſſuras, quaſi dicas multinodiam, tamen ſpecies hæc natalibus & tota facie equiſetis ſimilior eſt quàm Polygono mari. Habet enim caules ternos aut quaternos, ſed læuiores, glabros, neque ſtriis aſperos, rotundos, rectos, crebriùs geniculatos: folia numeroſa, parua, anguſta, ex articulorum pyxidatis inſertionibus radiatim exorientia: radicem albam, teneram, latiùs ſparſam, de ſe nonnulla germina aſparagósve emittentem. Locis vdis & riuulorum ripis gaudet. Quæ prorſus ſanguinariam fœminam Dioſcoridis referunt, niſi quod μονόκλονον eſſe dixit, id eſt, vnicaulem. Sanguinaria fœmina, inquit, frutex eſt paruus, vnicaulis, tener, arundini ſimilis, denſis geniculis, in ſeſe tubarum modo farctis: articulos in orbem cingunt apices foliolis pini ſimiles: radicis nullus vſus. Naſcitur in riguis. Hoc ſecundum Dioſcoridi genus Plinio tertium eſt: ſic enim ſcribit. Tertium genus Oreon vocatur in montibus naſcens, arundini teneræ ſimile, vno caule, denſis geniculis, & in ſe farctis, foliis autem piceæ, radicis ſuperuacuæ, inefficacius quàm ſuperior. Quæ planè Dioſcoridis ſunt, niſi quod in montibus naſci ait, & oreon vocari, cùm Dioſcoridi in aquoſis naſcatur. Doctiores apud Plinium legendum cenſent vreum (ὀυραῖον) à caudæ figura, quam ſuo caule minutis foliis veſtito perinde refert, vt & Hippuris. Polygonum fœmina, inquit Dioſcorides, vim habet adſtringentem, refrigerantem, quæ ad eadem valet ad quæ Polygonum mas, ſed minore efficacia.

Forma.

POLYGONVM Fœmina, Matthioli.

Locus.

Lib. 4. c. 4.

Lib. 27. c. 12

Ibidem.

Vires.

NIDVS

NIDVS AVIS, CAP. LIIII.

HERBARII quidam Nidum auis plantam hancvocitant, quòd eius radiculæ ita inter sese implicatæ sint, vt Nidum auis constituere videantur. Caulem producit nudum, & sine vllis foliis: florem in summo spicatum. Caulis cum flore colore est fusco, orobanche haud absimilis, tenerior tamen, & tenuior, radices nihil aliud sunt quàm fibræ mutuo implexæ, vt diximus. Locis vdis & siluosis prosilit. Quibusdam Coagulum terræ Plinij, cap. 8. lib. 27. videtur. Tragus nonum satyrij genus facit in vliginosis & vmbrosis siluis nascens Maio mense, flore & folio viduum. Est enim nihil aliud quàm pinguis & rectus asparagus, forma vulgare satyrium, colore lignum, vel fungos siluis familiares referens. Radicem habet multo capillitio contortam & implicatam: éstque hoc satyrij genus vitium potiùs quoddam ex putrilagine enatum, quàm planta censendum.

Nomina Dodo. lib. 2. cap. 47.

Forma

Lib. 2. c. 82.

CRISTA GALLINACEA, CAP. LV.

PLINIVS alectorolophon scribit, quæ apud Romanos Crista dicitur, folia habere similia Gallinacei Cristæ, plura, caulem tenuem, semen nigrum in siliquis, quibus verbis moti herbarij nostri plantam istam ob florum congeriem multiplicis & densæ Gallinacei Cristæ modo fastigiatam, ob folia multò magis ad simplicis Cristę figurã accedentia, alectorolophon, siue Cristã Gallinaceam, siue Galli appellarunt: Belgæ *Geel ratelen*, Germani *Geel rodel*. Caule est tenui, recto, pedali, interdum sesquipedali, in quo folia bina ex aduerso per ambitum diuisuris prorsum cristatis, sensim à medio latiore in angustius desinentia cristæ ritu: floribus in summo luteis aut candidis: semine in folliculis foliaceis; vel siliquosis teneriusculis fusco, compresso, rotundo: radice tenui, parua. Nascitur in pratis & aruis, vtrobique vitiosa & inutilis. Plinius vtilem scribit esse alectorolophon tussientibus coctum cum faba fresa, melle addito, & caligini oculorum. Solidum semen coniici in oculum, nec turbare, sed in se caliginem contrahere, quod de crista galli nulli adhuc experimento compertum est. Frigidam siccamq; esse Dodonæus tradit. Videtur aliis esse Mimmulus herba, de qua suprà. Plinius in pratis pessimam esse vt & siliquam diram fœnisecis tradit, & inuisam equisetim. Alteram Cristam Galli siue Alectorolophon fecerunt recẽtiores herbarij,

Lib. 27. c. 5.

Nomina Pena in Ad. Dod. lib. 4. cap. 57.

CRISTA Gallinacea, Dodonæi.

Forma.

Locus.

Vires.

Lib. 4. c. 57.

Lib. 18. c. 18

CRISTA Galli altera, seu phthirion.

Trag. lib. 1. cap. 83. Dod. in hist. aqua.

Forma.

quæ & fistularia dicitur, ꝙ ad fistulas & sinuosa vlcera sit vtilis, & Phthirion seu Pedicularis, seu Pedicularia, ab effectu, quod pecori ac iumẽtis, quæ in pratis vbi hæc prouenit pascuntur, pediculorũ copiã gignit. Germani *Braunrodel*, folia parua habet crebris incisuris crispa: caules breues tenues, alios per terrã sparsos, alios erectos, circa quos flores vt Cristæ Gallinaceæ, sed minores & rubentes: siliquæ deinde haud absimiles, paruæ, in quibus semen latum & nigricans: radix tenuis & fibrata. Nascitur in vliginosis pratis, ipsis infesta. Maio ac Iunio mensibus cum flore ac valuulis reperitur, frigida siccáque & adstringens est veluti superior. Creditur, inquit Dodon. fistulis & sinuosis vlceribus valde prodesse, nec non menses & aliundè profluentem sanguinem in vino austero decocta potáque sistere.

Locus.

Temper. & Vires

SYMPHYTVM MAGNVM,

CAP. LVI.

Nomina

ΣΥΜΦΥΤΟΝ vel *σύμφυλον μέγα*, Latinè Symphytum magnum, Alum seu Alus, Solidago, Officinis Consolida maior, Gallicè *Consyre, Grande Consolide, Oreille d'asne*, Italicè *Cõsolida maggiore*, Germanicè *Vualuurtz, Schmeruurtz*,

Forma.

Nomen illi apud Græcos Latinósque efficax constringendi conglutinandíque vis fecit. Caules edit hirsutos, cauos, anguloſos, folia aspera, borraginis, sed maiora, longiora, nigriora: flores rotundos, cauos, candidos, interdum purpureos. Quæ appo-

SYMPHYTVM Magnum, Matthioli.

SYMPHYTVM Tuberosum, Lobellij.

sitissimè

ſitiſsimè Dioſcoridis ſymphyto conueniunt:quod,inquit, caulem emittit bicubitalem aut maiorem,craſſum,lęuem,anguloſum,vt ſonchi inanem,circa quem breui interuacante ſpatio folia exeunt anguſta, bugloſſo proxima, oblonga, hirſuta: caule ſecundùm angulos quoſdam ſtriato:foliis tenuibus ex alarum ſinu prodeuntibus,in quibus flores lutei,& circa caulem velut verbaſci ſemina emicant. Tam caulis quàm folia aſpera lanugine horrent,tactúque pruritum concitant. Radices demittuntur foris nigræ,intus candidæ,viſcoſæ,quarũ eſt vſus. Quæ omnes notæ noſtræ maiori Conſolidæ adamuſsim cõpetunt,dempto florum colore, qui in noſtra purpurei,interdum albi conſpiciuntur:ſed,vt diximus, etiam quæ floribus luteis ſit reperitur. Sunt & qui conſolidam purpureis floribus marem appellent, eámq; efficaciorem, quæ verò albidis floribus,fœminam. A ſuperiore non ita diuerſum ortu & facie,ſed ſpecioſius,quod ex Italia delatum in Belgij hortis colitur ſola tuberoſa radice diſsidens,floribus ex luteo pallentibus,caule item & foliis nõ diſparibus,vulgare Symphytum æmulantibus.Locis riguis & circa ſcrobes reperitur. Temperatura eſt ſecundo gradu calida ſiccáq;. Tota folio & radice vulneraria eſt,bugloſsi guſtu & muccagine,ſed maiore & efficaciore ad glutinanda vulnera:vnde Cõſolida maior vocatur. Radices tritæ,inquit Dioſcorides,& potæ cruentis excreationibus ruptiſq; proficiunt:recentia vulnera illitu conglutinant, carnes quoque ſi concoquantur cogunt additæ: inflammationibus præſertim ſedis cum ſenecionis foliis vtiliter illinuntur.

Lib.4.ca.9.

Locus.

Temper. & Vires.

Ibidem.

BVGLA, CAP. LVII.

CONSOLIDAM mediam ſiue Symphytum & ſolidaginem mediam plantam hanc vocarunt medici & Chirurgi, quò ab aliis Symphytis diſcernatur. Vulgo Bugla & Bugula dicitur, Gallicè *Bugle*, quibuſdam Prunella, propter effigiem & vires haud diſsimiles. Eſt tamen alia Conſolida, Prunella dicta, cauliculis conſtat gracilibus,teneris,per terram reptantibus, & alicubi depactis, vnde oriuntur alij ſurculi quadrati, recti, hirſuti, palmum & ſeſquipalmum alti,quibus folia oblonga, rotunda, craſſa,mollia, leuiter ſerrata, auerſa parte purpurea. Flores inter foliola caulem à medio ferè ad ſummum vſque quaſi verticillatim ambiunt elegantes, & ſæpius cærulei, interdum niueo candore:radix fibrata, tenera. Vdis pratis & ſiluis prouenit. Colitur etiam in hortis: Aprili menſe floret. Quidam Anonymon Plinij,cap.4.22. eſſe volun, laudatam Ariſtogitoni,in vulneribus præclaram, ex aqua tuſam, & impoſitam: potam verò mammis, & præcordiis percuſsis: item ſanguinem excreantibus, putauerunt & bibendam vulneratis. Bugla facultate ſicca eſt,modiceq; calida. Potu ſanguinis grumos in ventriculo vel alia parte concretos diſſicit.Folia vel eorum ſuccus vlceribus omnibus in ore manantibus exedentibuſq;, ac etiam teſtium pudendorumq; viriliũ & muliebrium efficaciſsimè illinuntur. Eius mira vis eſt cum ſanicula potionibus vulnerariis.

Nomina

Dod.lib.1. cap.88. Pena in Aduerſ.

BVGLA, Siue Conſolida media, Matthioli,

Locus.

Temper. & Vires

LOTVS Siluestris ex Cod. Cæsareo, *CAP. LVIII.*



DIOSCORIDES trium Lotorum, excepta tamen Loto arbore, mentionem facit: Satiuæ videlicet, siluestris, & Ægyptiæ: has tres Auicenna vno capite, videlicet 341. sub Handocochæ nomine complexus est. Siluestrem Lotum Dioscorides caule esse ait bicubitali, & maiore, multas alas habente: folia similia Trifolij pratensis: semen veluti Fœnogræci, minus paulò, gustu medicato. Plurimùm hanc in Libya nasci, idem auctor est, & Trifolium minus appellari. Huiusce modi autem siluestris Lotus hactenus incognita latet: In vetusto autem Bibliothecæ Cæsareæ Codice, Loti siluestris huius imago reperitur. Depingitur autē caule recto, foliis Trifolij, & è sinu horum, pediculis flores, deinde siliquas, proferentibus, quæ tenues sunt, & quàm Fœnogræci minores, vt imago ostendit. Vim autem calfacientem & leuiter adstringentem habet: vitia cutis in facie, & ephelidas cum melle peruncta expurgat: bibitur & vtiliter per se trita, aut cum Maluæ semine, cum vino passo, aduersus vesicæ dolores.

LOTVS ÆGYPTIA Ex Cod. Cæsareo. *CAP. LIX.*

LOTVS quæ in campis Ægypti aqua inundatis prouenit, caulis est, vt Dioscorides refert, Ægyptiæ fabæ assimilis: florem habet paruum, candidum, Liliis similem: quem ferunt oriente Sole explicari, occidente verò occludi: totoq; capite sub aquis condi, & rursus oriente Sole emergere, simile caput eius est Papaueris maximo calyci, in quo semen milij quantitate, quod resiccatum Ægyptij in panificium recipiunt: radicem cotoneo malo similem habet. Eadem de hac Loto Theophrastus refert paulò tamen latiùs hanc describēs: Florem siquidem ait candidū, Liliis angustia foliorū proximū, multos verò ac densos promiscuè exire, Sole occidente sese contrahere caputq; integere, ad ortum verò aperiri, & supra aquam assurgere: idq; facere dum caput perficiatur, floréque defluant: capitis autem magnitudinem quantum Papaueris maximi: radicem rotundā mali cotonei amplitudine, cortice nigro, quali Nux castanea tegitur, corpus verò internum candidum esse. Extat in antiquo illo Bibliothecæ Cæsareæ Codice, Ægyptiæ Loti icon, sed quæ non nisi folia & radicem exprimat. Folia autē depinguntur tria, lata, singula longis ac crassis pediculis insidētia, ac è radicibus exeūtia: radix verò rotunda, mali instar. Ægyptia Lotus dicitur, quod in Ægypto gignatur. Radicē huius

LOTVS Ægyptia, Dodon.



Corsium

Corsium appellari Theophrastus ait: Strabo autem Geographiæ, lib.17. Corsium fructum esse tradit piperi similem. Radicem crudam & coctam edi, Dioscorides scribit: Theophrastus elixam assamq; in speciem albuminis verti memoriæ prodidit, & cibis gratam: mandi etiam crudam, sed gratiorem decoctam, seu aqua, seu pruna. Qui huius radicibus victitant Lotophagos dici, Strabo auctor est. Theophrastus autem ex Loti arboris fructu, qui dulcis ac suauis est, viuentes, Lotophagos appellat.

LOTOS AEGYPTIA Theophrasti, CAP. LX.

Nomina

ESt etiam in palustrium siue aquatilium genere herba, quæ Λωτὸς αἰγύπτιος Græcis dicitur, Latinè Lotus Ægyptia, potest & Lotus Nilotica, & Euphratica dici, Arabicè *Handachoca*, quam Theophrastus fusiùs fortassè quàm veriùs descripsisse videtur, ea tradens quæ ab aliis audiuisset, non quæ vidisset. ὁ δὲ λωτὸς (inquit) καλάμωδης φύε) μᾶλλον ὁ πλεῖστος ἐν τοῖς πεδίοις, ὅταν ἡ χώρα κοιλαινυσθῆ. τότε δὲ ἡ μὲν τοῦ καυλοῦ φύσις ὁμοία τῇ τοῦ κυάμου, καὶ οἱ φύλλοι δὲ ὡσαύτως πλὴν ἐλάττους καὶ λεπτότεροι. ἐπιφύε) δὲ ὁμοίως ὁ λωτὸς τῷ τοῦ κυάμου. τὸ ἄνθος αὐτοῦ λευκὸν, ἐμφερὲς τῇ στενότητι τῶν φύλλων τοῖς τῶν κρίνων, πολλῷ δὲ καὶ πυκνὰ ἐπαλλήλως (sic enim legendum ex Plinio, non ἐπαλλήλως, vt vulgati codices habẽt) φύε). ταῦτα δὲ ὅταν μὲν ὁ ἥλιος δύνῃ (vox δύνῃ hîc reponẽda ex Plinio, quæ deest in vulgatis) συμμύε & συγκαλύπτει τὴν κοιλίαν. ἅμα δὲ τῇ ἀναλογῇ διοίγε), καὶ ὕπερ τοῦ ὕδατος γίνε). τοῦτο ὃ ποιεῖ μέχρις ἂν ἡ κοιλία ἀνελεφθῆ, καὶ τὰ ἄνθη περιῤῥυῇ. τῆς δὲ κοιλίας τὸ μέγεθος ἡλίκον μήκωνος τῆς μεγίστης, καὶ διαίρεται ταῖς καλάμαις τὸν αὐτὸν τρόπον τῇ μήκωνι: πλὴν πυκνότερος ἐν ταύταις ὁ καρπὸς. ἔστι δ' παραπλήσιος τῇ κέγχρῳ. ἐν δὲ τῷ Εὐφράτῃ, τὴν κοιλίαν φασὶ καὶ τὰ ἄνθη διαύειν καὶ ὑποκαλύπτειν τῆς ὥρας διάλιπῆς (postremam vocem addit Plinius) μέχρι μέσων νυκτῶν, καὶ τῷ βάθει πόῤῥω: ὑδὲ ῥᾳθιέναι τὴν χεῖρα λαβεῖν εἶναι. μετὰ δὲ ταῦτα ὅταν ὄρθος ᾖ, πάλιν ἐπανιέναι, καὶ πρὸς ἡμέραν ἔτι μᾶλλον ἅμα τῷ ἡλίῳ φανερὰν ὑπερ τοῦ ὕδατος, καὶ ἀνοίγειν τὸ ἄνθος. ἀνοιχθέντος δὲ ἔτι ἀναβαίνειν. συχνὸν δ' ὃ δ' ὑπεραίρειν εἶναι τὸ ὕδωρ. τὰς δὲ κοιλίας ταύτας οἱ αἰγύπτιοι συνθέντες εἰς τὸ αὐτὸ, σύπτουσιν. ἐπὰν δ' σαπῇ κέλυφος, ἐν τῷ πολάμῳ κλύζοντες, ἐξαίρουσι τὸν καρπὸν. ξηράναντες δὲ καὶ ὀπλήσαντες ἄρτους ποιοῦσι. καὶ τούτῳ χρῶν) σιτίῳ. ἡ δὲ ῥίζα τοῦ λωτοῦ καλεῖ) μᾶλον κύδωνιον. ἔστι δ' σπογγύλη, δ' μέγεθος ἡλίκον μῆλον κυδώνιον. φλοιὸς δὲ περίκε) περὶ αὐτὴν μέλας, ἐμφερὴς τῷ καστανακῷ καρύῳ. τὸ δὲ ἔνδος λευκόν. ἐψόμενον δὲ καὶ ὀπτόμενον γίνε) λεκιθώδες. ἡδὺ δὲ ἐν τῇ προσφορᾷ. ἐσθίε) δὲ καὶ ὠμὸν. ἀρίστη δὲ ἐν τοῖς ὕδασι ἐφθὴ, καὶ ὀπτὴ ἐπ' ἀνθρακίᾳ. Nam sic legendum ex Plinio, non vt corruptè legitur in excusis, ἀείστη δὲ ἐν τοῖς ὕδασι αὐτὴ ὠμὴ. Totum hunc locum sic transtulit Plinius. Est autem eodem nomine herba, & in Ægypto caulis in palustriũ genere. Recedẽtibus enim àquis Nili riguis prouenit: similis fabæ (Ægyptiæ suba.) caule, foliisq; densa congerie stipatis, breuioribus tamen gracilioribusq;: cui fructus in capite Papaueri similis, incisuris omniq; alio modo, intus grana ceu milium. Incolæ capita in aceruis putrefaciunt, mox separant lauando, & siccata tundunt, eóque pane vtuntur. Mirum est quod præter hæc traditur: Sole occidente papauera ea comprimi, & integi foliis, ad ortum autem aperiri donec matureſcãt, flósque qui est candidus decidat. Hoc amplius in Euphrate tradunt, & scapum ipsum & florem vesperà mergi vsque in medias noctes, totúmque abire in altum, vt ne demissa quidem manu possint inueniri. Verti deinde paulatimq; subrigi, & ad exortum solis emergere, vt planè ab aqua absit altè. Radicem Lotos hæc habet mali cotonei magnitudine, opertã nigro cortice, qualis & castaneas tegit. Interius candidum corpus, gratum cibis, sed crudo gratius decoctum siue aqua, siue pruna. Plinius rursus de eadem Loto, sed satiua locutus fuisse videtur, Lotometram vocãs, si tamen vox hæc rectè legatur. Nam Loton hemeron, siue Loton hemeram legendum esse suspicatur Cornarius, idest, satiuam Loton. Est & Lotometra quæ fit ex Loto

Forma.

Lib.4. hist. cap.10.

Lib.13.c.17.

Li.22.ca.21.

Embl.97. lib.4.

ex Loto ſata,ex cuius ſemine ſimili milio fiunt panes in Ægypto à paſtoribus,maximè aqua vel lacte ſubacto. Quidam tamen apud Plinium ſic legunt. Eſt & Lo-
Li.4.c.109. tus ſilueſtris foliis ſatiuæ,& Ægyptia,ex cuius ſemine,&c.Ex eodem Theophraſto Dioſcorides quoque ſua exſcripſit. Eſt & in Ægypto Lotus quæ in campis flumine inundatis prouenit, caule fabæ:flore paruo,candido,lilio ſimili, quem tradunt occidẽte ſole comprimi occludiq;,ad ortum autem aperiri : adduntq; caput ipſum veſpera aquis condi,& ad exortum ſolis emergere. Caput quale papaueris, maximum:& intus grana ceu milij,quæ Ægyptij exſiccant, & in panes cogunt. Radicem Lotos hæc habet mali cotonei ſimilitudine, quæ cruda coctaq; manditur: decoctáque lutei oui qualitatem exhibet. Loton hanc & alias à Dioſcoride
Cap.106.& 107.l.b.4. traditas Loti ſpecies Serapio ſua lingua Haudachocham ſine diſcrimine nuncupat , ex cuius ſemine oleum exprimitur Mauritanis ad articulorum dolo-
Matth. in ca.109.li.4. res expetitum. Neque fit haudachochæ oleum ex trifolij vulgaris ſemine, vt quidam non ſine errore exiſtimant,ſed ex omnium Lotorum ſemine , & ex trifolio
Vires. aſphaltite tantùm. Galenus nihil aliud de Loto dixit,quàm quod ex ſemine ipſius
Li.7. ſimpl. panes fiunt.

BARBA HIRCI, CAP. LXI.

Nomina ΤΡΑΓΟΠΩΓΩΝ & κώμη, Latinè Hirci barba & Come, Italicè *Barba di becco*,Gallicè *Barbe de bouc*,Germanicè *Bocksbart*, & *Gamhbbrott*.
Herba eſt,inquit Dioſcorides,breui caule,foliis croci, radice longa,
Li.2. c.137. dulci,magno ſuper caulem calice,è cuius ſummo ſemen nigrum de-
Forma. pendet,vnde nomen inditum eſt. Herba eſui apta eſt. Theophraſtus de oleribus
Lib.7.hiſt. cap.7. ſcribens eadem tradit. ἐν οἷς ἡ τραγοπώγωνα καλοῦσιν, ὁ τὴν ῥίζαν ἔχει μακρὰν καὶ γλυκεῖαν, τὰ δὲ φύλλα τῷ κρόκῳ ὅμοια, πλὴν μακρότερα, τὸν καυλὸν βραχὺν ἐφ' ᾧ τὴν κάλυκα μεγάλην. ἔξ ἄκρου μέγαν τὸν παγκλὸν πώλιον, ἀφ' ὃ καλεῖται τραγοπώγων. Ideſt,in quibus eſt quam Hirci barbam vocant,cui radix longa & dulcis,folia croco ſimilia, niſi quod longiora,caulis breuis , ſuper quem calyx amplus, de cuius ſummo vertice Barba prolixa incana dependet , vnde nomen accepit. Similiter à Plinio inter vulgarium in cibis herbarum nomina recenſetur. Idem ex Theophraſto tranſcripſit hæc.Eſt & Tragopogon,quem alij Comen vocant, caule paruo , foliis croci , radice longa , dulci,ſuper caulem calice lato, nigro. Hîc depicta planta , caule eſt rotundo , recto, geniculato,foliis veſtita longis , anguſtis , allio haud abſimilibus, flore aureo , roſtro porcino ſimili,ſed maiore,qui calice continetur.Is ſereno cælo fatiſcit,nubiloſo verò contrahitur, occluditúrque calice echini chamæleonis more. Dilapſo flore in ipſo calice ſemen prouenit longum,in ſummo villoſum, quo maturo aperitur,& in globum villoſum vertitur, veluti in roſtro porcino , qui in auras euaneſcit. Radix eſt dulcis, digitũ lõga.Alterũ Tragopogoni genus habet Matthiolus , quod à foliorũ colore purpureũ vocãt. Foliis eſt alteri ſimilibus,ſed à radice numeroſioribus , viridioribus , latioribus,firmioribúſque:caule quoque ſimili, geniculato,

BARBA Hirci,Tragopogon, Matthioli.



Lib.21.c.15. Li.27.ca.13.

Dod.lib.2. ca.17. Matth. in ca.137.li.2.

TRAGOPOGON Alterum, Matth. siue Barba Hirci.



culato,conſpicuis propè genicula alis, è quibus ramuli prodeunt. Flores edit in cacumine purpureos,ſed minores, radiantibus circũquaque calicis apicibus,ſtellæ ferè modo:radice eſt longiore,grandiore,duriore, & lacteo ſucco referta,non dulci vt in altera, ſed adſtringente & amariuſculo. Prius genus in pratis humidis calidarum & frigidarum regionum reperitur, ſeritur etiam in hortis. Maio & Iunio menſibus floret. Humiditate caliditatéque temperata eſt. Glutinat recentia vulnera ſi foliorum ſuccus, vel ſtillatitia eius aqua ſpleniis aut attritis linteolis ſuperponatur. Tragopogoni ſimilis eſt Italorum Saſsifica,quam peculiari nomine quidam Gerontopogona vocant,quaſi Barbam ſenis,vt à Tragopogone diſtinguãt. Radix,foliũ, caulis Tragopogona referũt, flos diſsidet, non colore tantùm, qui ex cœruleo ſubnigricat, ac minimè aureo colore fulget, vt in Tragopogone, ſed etiam quòd breuior eſt, ac in ſe magis contractus,nec areſcens tam prolixos villos explicat. Radix guſtu dulcis & iucunda frequenter hyeme eſtur in acetariis. Cæterùm in hortis altilis creſcit paſtinato ſolo,altiúſque ſubacto,radice longa, craſsitie digiti, in profundum ſubeunte:foliis croci,latiuſculis,glabris & læuigatis,virentibus, intercurrente media coſta,niuei candoris,caule recto,tereti,nodoſo,calice grandi,flore purpureo,apicibus multis luteo colore micantibus,barbulis penſilibus & canis,in

GERONTOPOGON ſiue Saßsifica Italorum.

TRAGOPOGON Spicatus.

auras

auras euanescentibus: semine oblongo, summa parte villoso. Herba tota cùm carpitur lacte manat. Ad hoc genus pertinet herba quam hìc ostendimus, & nomine Herbariis familiari Tragopogona non spicatum vocamus: radice, foliis, caule geniculato, similis est reliquis generibus, nisi quòd gracilior caulis est, radix tenuior, folium angustius, flos autem luteus figura maximè discrepat, vt qui spicatim coaceruatus sit, cùm in alio genere flos aureus ac multiplex Helenij modo explicetur ac distendatur.

BARBA CAPRAE, CAP. LXII.

Dod. lib. 1. cap. 29. Pen in Ad. *Nomina*

Forma.

Locus.

CVM vetustum huius herbæ nomen hactenus ignotum sit, recentiores herbarij interim Barbam caprinam, & Reginam prati nuncuparunt, propter ramulos florum densa cõgerie vestitos, in prælongas barbulas effigiatos, aruncos caprarum imitantes. Gallis *Barbe de Chieure*, Germanis *Roynette* dicitur. Caulis est angulosus, cauus, rubescens, cubitalis, aliquando multò maior, ita vt ad hominis proceritatem attingat: folia castaneæ, aut corylo similia, serrata, dura, aspera, & superficie rugata: flores in summo caule candidi, racemosi, longi, visu & odoratu periucundi, instar Barbæ canæ dependentes, deinde parua semina tortuosa, terna, quaternáve simul, instar verruculæ: radix longa, foris nigra, intus purpurascens, acri odore, gustu adstringente glandium modo. In pratis vdis, vmbrosis, & inter sepes nascitur. Siccat admodum & constringit. Quidam Melandrion esse Plinij suspicantur.

PIGAMVM, Dodon.

Nomina Dod. lib. 1. cap. 29.

Forma.

Locus.

Vires.

PIGAMVM, CAP. LXIII.

FEICINAE Pigamum herbam hanc vocant, nonnulli (inquit Dodonæus) Rhabarbarum spurium ob ruborem. Idem in Purg. Historia Thalictrũ magnũ. Folia ei sunt multũ incisa, & in alia foliola diuisa, anteriùs duabus incisuris denticulata: caulis quadratus, rubescẽs, cubitalis, & sesquicubitalis, in quo flosculi villosi, coaceruati, Barbã canã referẽtes: deinde folliculi parui, veluti siliquæ paruæ, quaternæ quinquæ ve, in quibus semen teres: radix lutea, multùm fibrata, latéque serpens. In pratis vdis & riguis oritur. Pigamum siccat, sed non tam adstringit quàm Barba capræ. Docti quidam scribunt Pigami odorem epilepticis perutilem esse, & si in nares immissum aliquandiu retineant, statim à paroxysmo liberari.

HYPE

HYPECOVM, CAP. LXIIII.

NON natales, sed foliorum similitudo pigamo plantam hanc coniunxerunt, quam Dodonæus fortè Hypecoum Dioscoridis esse scribit, in Purgant. Historia Thalietrū paruum facit, Cordus Thalictrum tenuifolium. Odore est ingrato & viroso, colore & foliis quadamtenus rutæ similis: tres quatuórve cauliculos tenues & graciles edit, palmum altos, in quibus folia pigamo similia, sed minora. Flores in caulium vertice nihil aliud sunt quàm villi seu pili congesti, tenues & viscidi, Barbulæ instar dependentes, deinde siliquulæ in quibus semen: radix longa hac illac surculos diffundens. In aruis nascitur. Hypecoum Dioscoridis ex tertiò ordine est refrigerantium teste Galeno: nam natura ei eadem quæ papaueri.

Lib. 1. c. 29. *Forma.*

Gale. lib. 8. simpl. *Vires.* Diosc. li. 4. cap. 63.

VLMARIA, CAP. LXV.

HAEC quoque recentiorū est herba, à foliis Vlmo similibus dicta, potentillam maiorem vocat Anguillara: radice crassa, nigricante fibris multis capillata: caule virgato, subrubente, cubito altiore: foliis Vlmi, supernè virentibus, infernè canis, septenis in singulis pediculis, cucumerem aut Pimpinellam redolentibus, gustu lento & subastringente: flore candido racemoso: semine copioso, exiguo, spiris intorto conuolutis, vermiculis simili. Pratis locisq; vdis & riguis gaudet. Ex sapore perspicuum est hanc refrigerare, siccare, adstringēdo repellere. Quare ad sanguinis eruptiones, alui profluuia, menses albos fœminarum non abs re commēdant.

Nomina

Forma.

Locus.

Vires.

BRITANICA, CAP. LXVI.

EIVS quæ Græcis βρεττάνικη, Latinis etiā Britanica nominatur, breuis est apud Dioscoridem historia. Folia habet, inquit, silueſtris lapathi, sed nigriora, & pilosiora, gustu adstringentia: radicem tenuem & breuem: caulem paruum emittit. De eadem hæc Plinius. In Germania trans Rhenum castris à Germanico Cæsare promotis, maritimo tractu, fons erat aquæ dulcis solus, qua pota intra biennium dentes deciderent, compagésque in genibus soluerentur. Stomacacen medici vocabant, & Sceletyrben ea mala. Reperta auxilio est herba, quæ vocatur Britanica, non neruis modo & oris malis salutaris, sed contra anginas quoque & serpentes. Folia habet oblonga, nigra, radicem nigram. Succus eius exprimitur & ex radice. Florem Vibones

Nomina

Lib. 4. c. 2. *Forma.*

Lib. 25. c. 3.

vocant,qui collectus priusquam tonitrua audiantur, & deuoratus securos in totum reddit. Frisij,quâ castra erant nostris demonstrauêre illam, mirorq; nominis causam, nisi fortè confines Oceano Britanniæ velut propinquæ dicauêre. Non enim inde appellatam eam, quoniam ibi plurima nasceretur, certum est, etiámnum Britannia libera. Britanica Officinis & herbariis multis ignota est: quamquam non desint qui eam esse putant,quam vulgus Bistortam appellat,quos facilè
Ca.2.lib.4. refellit Matthiolus,quòd bistortæ folia nigra non sunt,neque pilosa,imò lęuia,supernè rufescentia,& à terra quadamtenus cæsia: item quòd Britanicæ radix tenuis sit & breuis, bistortæ verò crassa, serpentis iacentis modo contracta & intorta. A Dalechampio verò Britānica vera censetur ea esse,quæ hîc picta est,radice gracili,fibrata, prætenuibus villis in vicina reptante, nigrescente: caulibus pedalibus,multis,nodosis:foliis oblongis, angustis, hirsutis, præsertim infernè quâ terram spectant, minimè crenatis, lapatho siluestri in aquosis & cœnosis gigni solito valde similibus,nigrioribus,quod inuenta Britānica iudicatu facilè est:nam in propinquo ferè semper lapathum siluestre occurrit, cum quo illius folia compares. Flos in summis caulibus aureus, calendulæ similis, in pappos abit. In humidis & riguis nascitur, solo tamen non admodum pingui. Sapor austerus huic & subamarus. Austera qualitate adstringit,& fluxiones sistit,amariuscula tergit vlcera,& ad cicatricem perducit, maximè quæ in humidis sunt corporis partibus,vt tonsillis & faucibus. Nam vtraque desiccat. Hæc sane consentiunt viribus quæ illi à Dioscoride & Galeno sunt tributæ. Vim habet adstringentem, inquit ille, priuatim depascentibus oris & tonsillarum vlceribus accommodatam. Valet etiam ad reliqua ad quæ adstrictione opus est. Hîc verò,Britanicæ folia adstringentia sunt, & vulnerum glutinatoria, similia foliis siluestrium lapathorum, nisi quod atriora sunt, magisq; hirta. Sed & expressus ex illis succus perinde adstringere potest. Itaque coctum quidam reponunt tanquam inter stomatica medicamenta efficacissimum. Videtur enim sanare iam etiam putrescentia. Dalechampius hanc Britanicam veram esse ex notis & viribus consentientibus,ac magis inde iudicauit, quod in vetustissimo Dioscoridis fragmento in membranis manuscripto hanc Britannicæ figuram pictam reperit,licet rudiùs, quæ floris specie, colore luteo, & foliorum figura, hanc nostram designaret. Dodonæus suam Cochleariam Britānicam esse vult,ac vtilem esse inquit,putridis ac sordidis, oris vlceribus, quæ Plinius stomacen, Marcellus oscedinem,Holandi & Phrisij *Sourbuyck* vocant.

BRITANICA Vera, Dalechamp.

Locus.
Vires.

Lib.4.ca.2.
Li.6.simpl.

TRIBVLVS AQVATICVS, CAP. LXVII.

Nomina ΤΡΙΒΟΛΟΣ ἔνυδρος Græcè,Latinè Tribulus aquaticus, siue aquatilis,& Tribulus lacustris, Officinis Tribulus marinus. Gallicè *Chardon aquatic, Maccres, Chastaigne d'eau,* & *Treffle d'eau,* Hispanicè *Abrojos,* & *Abrolhos,* Germanicè *Vuasserniuz.* Tribuli genus aquis familiare, inquit Dioscorides,quòd in fluminibus natum comam exerit,aculeos cōdens: foliis latis,

TRIBVLVS Aquaticus.

latis, & pediculo longo, caule parte ſumma quàm ima craſsiori: adſunt ei & capillamenta quædam ſpicacea: ſemen durum ab altero Tribulo non abhorrens, Plinius, Tribulus non niſi in paluſtribus naſcitur, dira res alibi, iuxta Nilum & Strymonem amnes excipitur in cibis, inclinatus in vadum, folio ad effigiem vlmi, pediculo longo. Hunc herbarij omnes ſic depingunt. Caules habet longos, inferiore & ea quæ ſub aquis eſt parte graciliores adhærentibus quibuſdam locis tenuibus fibris, veluti capillamentis, præſertim infimæ parti, quibus in fundo figitur, iuxta aquæ ſuperficiem craſsiores & folioſos. Folia pediculis longis craſsis inſident, lata, populneis aut vlmeis ſimilia, ſemirotunda, craſſa, aduerſa parte maculoſa neruoſaq́; , ſerrata, inter quæ floſculi exeunt, deinde fructus nigricantes, caſtaneæ magnitudine triquetri, ternis aut quaternis mucronibus armati, vnde illi nomen: cortice membranoſo, nucleis intus candidis, caſtaneæ ſapore, quibus recentibus plebecula lubens veſcitur, caſtaneaſq́; aquaticas vocat, & arefactos, molaq́; attritos in panes cogit. Sunt etiam qui eoſdem fructus ſub cineribus aſſatos pro bellariis edant. In Plinij codice ex vetuſtorum exemplarium fide quidam legunt: Tribulus non niſi in paluſtribus naſcitur: dira res alicubi. Iuxta Nilum & Strymonem amnes recipitur in cibos. Inclinatur in vadum, &c. Adnotandum & inſuper, Dioſcoridem ſcripſiſſe hanc plantam eſſe lato folio, non vlmi, vt Plinius πλελέας legiſſe videatur, pro πλατέας. In foſsis, & pigris fluentis, & lutoſis lacubus reperitur, aliquando in ſtagnantibus, puris & fontanis aquis, & pleriſq́; Italiæ fluminibus, atque etiam in mari. Vis ei refrigerans & inſpiſſans.

Forma. *Lib. c16.* *Locus.* *Vires.*

LICHEN, CAP. LXVIII.

HEPATICAM hodie vocant quæ Græcis λειχὴν & βρύον dicitur, Latinè Lichen, Arabicè *Azez Alſachel*, Gallis *Hepatique*, Germanis *Brunnenlechekraut*. Lichen quidem ea dicitur, q; Lichenas ſerpentis morbi genus impoſita ſiſtat & ſanet, Bryon quòd petris adhæreat, vt muſcus. Paucis his verbis hanc plantam perſtrinxit Dioſcorides. Lichen qui ſaxis eſt familiaris, aliquibus Bryon appellatur Aſperginoſis petris adhæret vt muſcus. Plinius duo Lichenis prodidit genera: ſed de Dioſcoridis Lichene tantùm hîc agimus. Eſt aliud genus Lichenis, inquit, petris tantùm adhærens vt muſcus, qui & ipſe illinitur. Lichen ſeu hepatica noſtra vel per humum ſpargitur, vel parietibus aquarum aſpergine madidis inſternitur. Folia habet alia aliis incumbentia, ſupernè viridia, infernè fuſca, ſubpinguia, propè radicem anguſta, in latum ſe pandentia, triplici vel quadruplici lacinia interſecta. E radice inter folia prodeunt pediculi, ſiue cauliculi tenues, quorum verticibus inſunt capitula ſtellularum effigie. Radices nihil aliud ſunt quàm fibræ & capillamenta ſub foliis quibus in terram, & in ſaxa defigitur, quibus ſuccum ſelicit ſugitq́;. Rorulentis & vmbroſis prouenit locis, nudis petris adhærens muſci modo. Iunio & Iulio menſibus ſtellulas ſuas edit. Duas alias

Nomina *Lib 4. c 48.* *Forma.* *Li. 26. c. 4.* *Locus.* *Tempus.*

LICHEN,
Matthioli.

LICHEN, Lobell. II. & III.

Li. 4. ca. 49 *Vires.*

Hepaticas, siue Lichenas minores ex Lobellio hîc proponimus. Lichen illitus sanguinis profluuia sistit, auctore Dioscoride: inflammationes arcet, Lichenibus siue impetigini medetur. Iuuat regio morbo correptos cum melle illitus: oris & linguæ defluxiones inhibet. Sic enim Græca conuertenda. ὠφελεῖ δὲ καὶ τὰς ἑλκεκὰς μελὶ μέλιτος διαχριόμενον: στόμαλος δὲ καὶ τῆς γλώττης ῥεύματισμὰς παραιρεῖται. Quæ Cornario suspecta videntur, imo potiùs corrupta. Cùm enim Plinius videatur Dioscoridis verba transtulisse. Hic & sanguinem sistit vulneribus instillatus, & collectiones illitus. Morbum quoque regium cum melle sanatore illito & lingua, videtur legisse in Dioscoride, ὠφελεῖ καὶ τὰς ἑλκεκὰς μελὶ μέλιτος, διαχριόμενα τῷ στόμαλος, καὶ τῆς γλώττης. Ideſt, Prodest & regio morbo correptis, si cum melle oblinantur ex ipso os & lingua, vt vox ῥεύματισμὰς ascititia sit, & παραιρεῖται ex

Li. 7. simpl. præcedente versu repetita. Sed de eiusdem viribus paulò aliter Galenus. Lichen qui in petris nascitur, est veluti muscus quidam, sed rectè ex plantarum genere censeri potest. Sic autem nominatus videtur, quòd Lichenas seu impetigines curet. Extergentem ac modicè refrigerantem facultatem habet, vtramque verò, abstergentem quidem atque resiccantem à petra obtinet, refrigerantem verò ab humore aqueo: nascitur enim in humidis & grauiter olentibus saxis. Porrò quòd ex talibus substantiis componitur, aduersum esse inflammationi nihil mirum est. Cæterùm an sanguinis profluuia sistat, vt refert Dioscorides, id neuticam dicere queo.

GRAT

GRATIOLA, Matth. CAP. LXIX.

RECENTIORVM Gratiola, quo nomine apud veteres appellaretur, adhuc incertum est. Vocatur etiam nunc Gratia Dei, Gallicè *Grace de Dieu*, Italicè *Stanca cauallo*, quod equi eius pabulo mirè defatigentur, Papauer spumeum Dioscoridis Anguillaræ. Herba est humilis dodrantalem altitudinem vix excedens: caulibus quadrangularibus, foliis hyssopi, latioribus & longioribus. Florem fert in purpura albicantem, inter folia erumpentem quæ caulem ambiunt: radix summo spargitur cespite. Tota herba amari & ingratissimi gustus, quadamtenus adstringens. Tam recens quàm sicca sumpta vim habet vehementer purgandi, tam supernè, quàm infernè, bilem pituitámque trahit. Vulneribus celeriter medetur trita & imposita. Nascitur in locis humidis, præcipuè in pratis vliginosis.

Nomina Dod. lib. 3. cap. 42. Matth. in ca. 26 lib. 3.

Forma.

Vires.

Locus.

SCROPHVLARIA Maior, Matth. CAP. LXX.

A RADICE strumosa & effectu Scrophularia maior dicitur, & Millemorbia, Castrangula, ferraria, ficaria, Gallis *Grande Scrofulaire*, Germanis *Braunwurtz*. Galeopsis Fuchsij, Cordi & Dodonæi. Caulem emittit quadratum, nigricantem, cauum: folia longiuscula, lata, in ambitu crenata, betonicæ similia: flores in caulium verticibus tenues, purpurascentes, cauos: semen minutum in globulis: radicem magnam, albam, solidam, tuberculis seu strumis asperam. In scrobium marginibus, in riguis & vliginosis locis nascitur, aliquando in siluis & nemoribus vdis, vmbrosis, montosis. Vlceribus strumosis, cauernosis, carcinomatis atque depascentibus summoperè vtilis. Præterea tuberculis ab humore frigido concretis, aut scirris carcinomata minantibus opitulatur. Strumas & hæmorrhoidas sanat. Radix Autumno effoditur, purgata tunditur cum recenti butyro, operculatoq; fictili in vliginoso loco reponitur, relinquiturq; quindecim dies. Deinde lento igne butyrum id liquefit, & percolatum asseruatur, quo supradicti morbi vtilissimè illinuntur. Quidam herbam Chrysippeam Plinij esse putant quæ cum ficis strumis medetur. Scrophularia minor suprà descripta est, cap. 33.

Nomina

Forma.

Locus.

Pena in Aduers.

Vires.

ERINVS, *CAP. LXXI.*

Nomina

QVAE Græcè dicitur ἔρινος, Latinè etiam Erinus, Plinio Erineos, sic dicta ob lacteum succum quo plurimo turget. Est enim Erinus siue Erineos Latinè Caprificus, ficus precox lacte turgens primo aut exacto iam vere, quam secutus gentilitatem Plinius proximè caprificum de ea subiunxit, quæ mox dicemus. Sunt qui Ocimum aquaticum vocant, Gallicè *Basilic d'eau*. Galenus non Erinum, sed Echinum vocat, & ita de ea scribit, vt non de alia quàm de Erino Dioscoride egisse videatur. Erinus, inquit Dioscorides, nascitur apud fontes & fluuios, foliis ocimi, sed minoribus, parte summa diuisis, surculis quinis, senísve dodrãtalibus: flore candido, semine nigro & acerbo: folia & caules lacteo succo turgent. Quæ tamen postrema aliter in vulgatis codicibus Græcis leguntur. ὁπῶ ὑμερὸς ἐστὶ ὁ χυλὸς, & τὰ φύλλα, ideſt, caulis & folia succo referta sunt. Sed priorem lectionem magis probandam esse declarant, tum nominis etymum à nobis iam redditum, tum Plinius, qui de Erino partim ex Diocle, partim ex Nicandro, partim ex Dioscoride hæc transcripsit. Herba quam Græci Erineon vocant, reddenda est in hoc loco propter gentilitatem. Palmum alta est, cauliculis quinis ferè, ocimi similitudine: flos candidus, semen nigrum, paruum. Tritum cum melle Attico oculorũ epiphoris medetur: manat lacte multo & dulci, quæ postrema verba minimè apud Dioscoridem leguntur. Herba vtilis aurium dolori nitri exiguo addito: folia resistunt venenis. Quæ vulgarium Plinij codicum lectio est, veteris autem melior, & magis cum Dioscoride consentiens. Tritum cum melle Attico oculorum epiphoris medetur, duabus drachmis cum cyathis mellis Attici quatuor. Cumulatum decerpta manat lacte multò & dulci: herba perquàm vtilis aurium dolore, &c. Pro Erino plantam cuius effigies hìc expressa est representauit Matthiolus. Dalechampius aliam exhibet, quam prope Lugdunum collegit in riuo subterfluente extremos suburbium versus pontis fornices, quo Rhodanus

Locus.

Forma.

Li. 6. simpl. Lib. 4. c. 27. Lib. 13. c. 7. Ca. 27 li. 4. Dioscor. 4. edit.

ERINVS, Matthioli.



ERINVS, Dalechampij.

iungitur

iungitur,radice in multas fibras diuiſa, caulibus multis, palmum altis, anguloſis, ſurculoſis,cùm franguntur lacte manantibus, guſtu valde acerbis, cana lanugine prope verticem obductis:foliis ocimi,minoribus tamen quàm in primo genere, quod ocimum citratum Serapio vocat, in ambitu minimè inciſis, nec crenatis, iuxta caulium faſtigia ὁκ τῶν ἀνωθεν μερῶν ἐπεχισμένα, inquit Dioſcorides, in longum & anguſtum veluti fiſsis penè inſtar pinaſtri. Semen Erini,auctore Dioſcoride,drachmis duabus in quatuor mellis cyathis oblitum,oculorum fluxiones cohibet. Succus cum ſulphure & nitro inſtillatus,aurium dolores ſedat. Similiter Galenus echini herbæ ſemen acerbum eſſe ait,ac proinde repellentis ac exſiccatoriæ facultatis eſſe:eóque vtendum ad oculorum & aurium fluxiones.

Lib.4 c.27. *Vires.*

Li.6 ſimpl.

PIMPINELLA, CAP. LXXII.

VETERIBVS indictæ exiſtimantur Pimpinellæ nominatæ à recentioribus,& Bipinellæ,à foliorum binis ordinibus pennatim ſiue plumatim digeſtis: Vocantur etiam Bipenulæ & Pampinellæ. Duo notantur eius genera:maior,quæ & Sanguiſorba maior,ſiue ſilueſtris, Gallicè *Pimpinelle ſauuage*: minor, quæ & Sanguiſorba minor, Solbaſtrella, & hortenſis, *Pimpinelle cultiuee*. Alij contra hortenſem maiorem cultu fieri arbitrantur. Illa caulibus eſt longis,rotundis,duos trésve pedes altis,in quibus folia longiuſcula,crenata,in pediculis longis ex aduerſo ſita, alarum modo expanſa: in ſummis caulibus capitula ſunt rotunda, ex quibus floſculi ex fuſco rubeſcentes, deinde ſemen triangulare:radix longa,craſſa. Herbidis & montoſis lubens oritur, pratis etiã & paſcuis. Pimpinella minor,ſiue hortenſis ſuperiori prorſus ſimilis eſt,niſi quòd omnibus ſuis partibus minor,& gratiore tum ſapore, tum odore. Cauliculi eius ſunt teneri & molles,pedem alti,aut paulò altiores, rubelli, teneriuſcula lanugine villoſi:folia ſuperiori ſimilia, multò minora, auerſa parte quadamtenus cærulea,

Nomina

Genera.

Forma.

Dod.lib.1. cap.94.

Locus.

Forma.

PIMPINELLA, Siue Sanguiſorba maior, Matth.

PIMPINELLA Minor, Matthioli.

PIMPINELLA, Siue Sanguisorba maior, Fuchsij.

Locus. Vires & Temper.

aduersa viridia: flores non fusci sed purpurei, luteis capillamentis ex medio dependentibus: radix item similis, sed multò minor. In hortis prouenit. Pimpinella tertio gradu siccat, secundo refrigerat, adstringítque. Eius decoctum dysenteriam sanat, muliebre profluuium & quoslibet sanguinis & alui fluxus cohibet, biliosas vomitiones reprimit. Idem præstat herbæ & seminis puluis in aqua chalybata potus. Herba ipsa vulneribus & vlceribus medetur, miscetúrque vnguentis quæ tum ad capitis vulnera, tum carcinomata parantur. Sunt qui contagiosis pestilentibúsque febribus maximè commendent, vt cuius succo abigantur huiusmodi febres. Vino mersa gratiam conciliat sapore & odore aromatico & vinoso, quodammodo melonis, nec minùs in acetariis expetita, vtilissima visceribus, hepati, cordi, & præsertim spiritibus. E Pimpinellæ radicibus grana quædam colligi notum est, tingendis rubro colore sericeis vestibus exquisitissima.

GALIVM, CAP. LXXIII.

Nomina Lib. 4. c. 91. Ibidem. *Forma.*

GRAECI γάλιον, Latini similiter Galium vocant, Galli *Petit muguet*, Germani *Vualstrao*. Dicitur autem teste Dioscoride γάλιον, ἀπὸ τῦ γάλα πηγνύειν ἀντὶ πιλύας αὐτὸ, ideſt, quòd in coagulando lacte coaguli vicem impleat. Ramulum foliúmque habet, eodem auctore, Aparine simil-

GALIVM Luteum, Matth.

Mollugo, Galium album quorundam.

limum

limum, rectum, florem in cacumine luteum, tenuem, denſum, copioſum, odoratum. Naſcitur in paluſtribus. Quæ omnia huic noſtræ plantæ conueniunt, caulículos enim profert tenues, rotundos, læues, circa quos folia anguſta, ſtellatim diſpoſita. Denique aparine ſimile eſt, minus tamen & teneriuſculum, nec vllo modo aſperum, at vbique læue, & odore ſuaui: flores in ſummis caulibus racemoſi: radix tenera & fibrata. Huius altera reperitur differentia, floribus candidis, ob id Galium album nuncupata, quibuſdam Mollugo vulgatior Herbariorum, caulibus multis, anguloſis, geniculatis, viticuloſis, cubitum & ſeſquicubitum longis, humi ſparſis, in quibus folia læuia, & Maio menſe floſculi candidi, copioſi, Aparines minores: radix lignoſior, fibrata cinerea. Huic Galio albo tota ſui parte ſimilis eſt altera

Locus.

Pet. Penã in Ad.

MOLLVGO vulgatior herbariorum.

MOLLVGO Altera montana, Dodonæi.

Mollugo montana Dodonæi, præterquàm complurium florum exilium ſpecioſa fœtura, in caule cubitali & bicubitali ſurrecto, folia molliora. Radix nigricat. In collibus incultis, aſperis & montoſis naſcuntur. Flos, inquit Dioſcorides, igni ambuſtis illinitur, & ſanguinis profluuia ſiſtit. Cerato roſaceo galium admiſcetur, inſolatum vſque dum albeſcat, & ſic laſſitudines reficit, radix venerem concitat. Galenus, Galium nomen inde ſortitum eſt, quòd lac coagulet. Simile autem eſt aparine, facultatem obtinens exſiccatoriam & ſubacrem: flos eius ſanguinis profluuiis competere videtur, & combuſtis mederi. Eſt autem boni odoris, & coloris lutei.

Lib. 4. c. 91.

Vires.

Lib. 6. ſim.

RAPHANVS PALVSTRIS, CAP. LXXIIII.

Nomina

Dod. c. 36. lib. 5.

Forma.

Locus.

Vires.

RAPHANVS siue radicula paluſtris, Gallicè *Reifort d'eau*, hortenſi Raphano foliis ſimilis eſt, minoribus tamen, & magis inciſis, caulis eſt pedem altus, nonnumquam altior, in quo flores copioſi lutei, deinde ſiliquulæ in quibus ſemen minutum: radix digiti craſsitudine, guſtu recentis Raphani acriore. Circa ſcrobes & in pigris aquis, ac fluentis prouenit. Acrior eſt hortenſi, & iiſdem viribus, ſed vehementioribus, maximè ad ciendas vrinas.

ANAGALLIS AQVATICA, CAP. LXXV.

Lib. 5. c. 22. cap. 276.

Forma.

RECENTIORES herbarij Anagallidẽ aquaticam hanc vocant, vt cuius folia & vires non parùm imitetur, nec non natales eoſdem ſectetur, ſiue *Berabungam* nomine Germanico, quo *Bachpunghe* appellatur. Dodonæus non rectè Cepæam, Fuchſius Sium. Quidam Samolum Plinij eſſe volunt, herbam in aquoſis naſcentem, multùm à Druidibus celebratam. Tragus Sium non odoratum vocat: fruticoſis eſt ramulis, teneris, carnoſis, rotundis, foliis leuiter in ambitu crenatis, carnoſis, nigricantibus: ſummis caulibus & ramulis copioſa florum cæruleorum anagallidis ſimilium congerie ſtipatis: radix albicat, multis diffuſa fibris. Tota herba guſtu eſt acriore naſturtij, inquit Pena, odore non ingrato. Quare calida eſt, & ad calculum & vrinæ diffi-

Vires.

ANAGALLIS Aquatica, Dodonæi.

ANAGALLIS Aquatica altera, Lobelij.

cultatem

cultatem perutilis.Experimento cognitum illam tritam & brachiorum carpis admotam, oculorum inflammationes ſedare,ac epiphoras mirificè ſiſtere.Locis vdis vt ſcrobium & ſtagnorum marginibus gaudet. Aliquando in ipſa riuulorum aqua reperitur.Ad Germaniæ maritimæ indigenam morbum, quem Scorbutum appellant, vtilis eſt, eodem quo naſturtium aquaticum ſumpta modo. Scribit Tragus cum aceto & butyro toſtam, & calidam impoſitam, ac ſubinde renouatam tumoribus quibuſuis & ſacris ignibus prodeſſe: apud veterinarios magno eſſe in vſu in diſcutiendis tumoribus & ſananda equorum ſcabie, aliiſque id genus affectibus: acetariis commanducatam calculos rumpere, vrinas ciere, fœtus mortuos & menſes pellere. Lobellius Anagallidem aquaticam alteram pinxit, fortaſſe Sium non odoratum alterum Tragi,folio pulegij regalis. Vdorum,fontium,fluentorúmque amantior hæc, ſed rarior: cuius folia Valerianæ minimæ æmula ſunt,& eiuſdem coloris:cauliculus dodrantalis, ſummo diuiſus, è puſilla filamentis compacta radice,floſculi albi & pericarpia Anagallidis, ſed exiliora multò, per maturitatem ferruginea. Secus ripas & margines riuulorum Auſtruyel paguli,altero ab vrbe Antuerpiana lapide,occurrit.Hæc Lobellius.

Locus.

COTYLEDON AQVATICA, CAP. LXXVI.

BEAM quæ huic eſt cum Cotyledone ſiue vero vmbilico veneris ſimilitudinem, & ob natales, herbarij Cotyledonem aquaticam nominarunt.Officinæ Vmbilicum veneris & Scatum cœli, quamquam vmbilicus veneris non ſit, nec eius loco vtendum, fibras exiguas, multas, cauliculóſque teneros, reptantes,& per humum ſparſos habet: folia circinato ambitu leuiter inciſo, obtuſa inciſura, ſtellato medio cẽtro, parùm depreſſo, pediculis ſubtus ei adfixis, vmbelicum verum imitantia, ſed minora,teneriora, magis nigricantia:floſculi candidi, penduli ſubter folia.Iulio floret. Guſtus acris & linguam vellicans calidam eſſe demonſtrat.Quare non ſine magno errore pharmacopœi quidam Cotyledonis penuria vnguẽto populeo indunt. Sunt quibus hæc Callitriche Plinij videtur eſſe, fit & ex Callitriche ſternutamentum, inquit,folia ſunt lenticulæ ſimilia, caules iuncis tenuiſsimis,radice minima. Naſcitur in opacis & humidis,guſtatu feruens.Alij Callithrichẽ potiùs eſſe volunt herbam deſcriptam cap. 17.de qua ſuprà tractauimus. In regionibus ſeptentrionalibus frequens admodùm riguis depreſsíſq; pratorum cõuallibus & ſcrobibus, vbi torpuerunt per hyemem reſides aquæ.Guſtu acris eſt.

Nomina Dod.lib.4. cap.25. Pet. Pe. in Ad.

COTYLEDON, Aquatica.

Lib.25.c.11.

Locus.

SIVM, CAP. LXXVII.

VOD Græcis σίον, Latinis Siũ & Lauer dicitur,Mauritanis *Rorcathalmi,& Inhamehauella*, ſeu *Hamehauella*,Italis *Gorgoleſtro*,Germanis *Vuſſer eppffich*,id eſt,Apium paluſtre, Hiſpanis *Rabacas*,Gallis *Berle*.Sium autẽ nomen ſibi adſciuit ἀπὸ τοῦ σείεσθαι,id eſt, à concutiendo, quia quatitur, vacillandóque perpetuo ſuccutitur prẽterlabentibus vndis, atque ſemper alluentibus.Vnde etiam Laueris nomen Latinis, niſi quis malit ab vrinis calculíſq; ciendis & excutiendis dictum. Sium, vt tradit Dioſco.in aquis inuenitur, frutice pingui, recto,

Nomina

Lib.2.c.no

Forma.

recto,foliis latis, oluſatro ſimilibus,ſed minoribus & odoratis.Sium verò Crateuę, vt idem Dioſco.refert,herba eſt fruticoſa,exigua, multa folia habens,rotunda, maiora quàm menthæ,nigra, & ad erucam accedentia. Matthiolus id verum Sium eſſe arbitratur quod hîc exhibemus, quòd nullis prorſus notis à Dioſcoridis Sio diſſideat.Prouenit,inquit Lobellius, in riguis & riuulis vbi cardamine,foliis ad naſturtium hortenſe & cardaminen accedentibus.Cauliculi pedales & interdum cubitales:flores albi & cornicula Sij Crateuæ, guſtanti acria, frequens hæc Taurinis Pedemōtanis in collium & montium riuulis. Dioſcoridis ſium eſſe Gallorum *Berle*, quam herbarij paſtinacam aquaticam vocant ab odore & foliorum effigie,perſpicuum eſt ex deſcriptione, eíque ſententiæ plerique omnes adſtipulantur.At tamen Fuchſius hanc nomine eleoſelini ſeu apij paluſtris depinxit.Dodonęus in ſtirpium hiſtoria Sium Crateuæ maius facit plantam hîc pictā:ſed perperā, cùm non Crateuæ,ſed Dioſcoridis ſit verum Sium. Id quod & agnouit in Hiſtoria Aquatil. vbi multò accuratiùs depinxit & deſcripſit hoc modo.Sium longis,tricubitalibus aut amplioribus,craſſis, ſtriatis & inanibus aſſurgit caulibus, qui ſuperiùs attenuati in alas diuiduntur: folia in eis oblonga,ex pluribus aliis compoſita,quorum ſingula, pinguia, glabra & per ambitum ſerræ modo inciſa,particularibus hippoſelini foliis minora;

SIVM VERVM,
Matthioli.

SIVM Vulgare,
Matthioli.

SIVM Crateuæ, maius
Dodonæi.

flores

flores in vmbellis candidi. Radices tenues, nigræ & capillatæ veluti fibræ sunt, quæ non modò subsunt, sed & caulium geniculis adnascuntur, iis quibus aquis condun tur, aut limo infiguntur partibus. Apio aut etiam Hipposelino tota herba odoratior est, petrolei vulgò dicti ferè odore. Nascitur in perennibus riuulis, rariùs in resedibus aquis. Iulio & Augusto floret. Idem Dodonæus in Historia stirpium Sium siue Lauer minus pinxit, sed in Histo. Aquatilium multò feliciùs. Sio, inquit, siue Laueri odore & facultate proximum est, alterum quoddam veluti Sij genus, multò tamen & minus & tenuius. Cauliculi sunt tenues, rotundi, læues, obscurè geniculati, inanes, iuncis quodammodo similes, ex quibus tenues oriuntur, & inanes quoq; pediculi siue costæ, in quibus parua aliquot & angusta foliola, flores in exiguis vmbellis, scabiosæ angustioribus & minoribus, candidi, simul compressi exeunt: semen aniso maius, subcandidum, superiori parte latius. Radices tenuissimæ & nigræ fibræ sunt, caulibus inferiùs adhærentes: emittit verò & ex imo caulis, fibras obliquè serpentes, quæ alicubi terræ aut limo hærentes, radices faciunt, & cauliculos promunt, seipsam hoc modo multiplicante stirpe, quæ tamē & semine seri potest. Lobellius Oenanthen aquaticam vocat. Reperitur in perennibus riuulis, aut aliis aquis frequentiùs, ac sæpissimè vbi Sium gignitur: non rarò etiam in palustribus & riguis, iuxta riuulos & fossas: crescit etiam in hortis aut alibi, loco non perinde humido satum, quod tamen minus attollitur & breuius est, foliáque habet terræ proxima, cærefolio similia, sed tenuiora: reliqua verò, vti eius quod in aquis exit: radices autem crassas, paruis siluestribus napis similes, verùm minores ac breuiores, à quibus & transuersæ quædam serpentes exeunt fibræ, quibus seipsum multiplicat. Ita non rarò in alium locum translatæ, stirpes, formam effigiemq; aliqua parte commutant, floret æstiuis temporibus: Augusto semen in hortis quidem ad maturitatem peruenit. Matthiolus huius generis illud, quod in hortis aut alibi loco non palustri natum, formam commutauit, inter œnanthes à se depictas quartam fecit, ab œnanthæ tamen multùm differentem Dodonæi sententia. Quidam minus illud Sium Dodonæi Silaum esse putant à Plinio memoratum, cap. 8. lib. 26. nascẽtem in glareosis & perennibus riuis, cubitalem, apij similitudine, qui vt oluſatrum magna vtilitate vesicæ coquitur. Est & tertium Sio odore & facultate cognatum genus ab eodem Dodonæo positum, Cicutaria palustris Lobellio. Caulem habet crassum, inanem, geniculatum, supra aquas bicubitalem aut longiorem, in multas alas diuisum, primùm viridem, deinde cùm semen maturum esse cœperit, in luteum langueſcentem, folia hortensis apij, tenuiora: flores in vmbellis non magnis parui sunt & cādidi: semen odoratum, subnigricans, aniso maius: radices fibratæ sunt, veluti sij nigræ, ad inferiorem caulis partem geniculis ipsis adhærentes. Exit iisdem ac similibus quibus sium locis, & simul cum eo sæpè reperitur. Aestate floret, Augusto semen maturum est. Plinij Phellandrium videtur esse, quod scribit nasci in palustribus, folio apij, cuius semen bibitur propter calculos & vesicæ incommoda. Alij apium siluestre Dodonæi Phellandrium esse putauerunt, alij Angelicam minorem.

Cap. 44

Lib. 26. c. 18

Lib. 5. c. 46

PHELLANDRIVM, Plinij.

Sium

SIVM Alterum Eruca folio.

Sium Crateuæ erucæ folio quidam non abs re Barbaream vulgò dictam esse existimant, fruticosam, paucis foliis, rotundis, nigris, maioribus quàm menthæ, erucæ penè similibus, de qua diximus in Horto, cap. De Eruca. Pena & Lobellius id Sium Erucæ folium arbitrãtur esse Sisymbrium aquaticum Matthioli, Nasturtium aquaticum Tragi & herbariorum, Gallorum *Cresson d'eau*. De quo in horto diximus. Huc referenda alia non absimilis planta, à Lobellio picta, & descripta his ferè verbis. In stagnantibus & vdis scrobibus & lacustribus ponè nouam vrbem Antuerpianam oritur, iuxta Scaldæ amœnissima fluenta. Radix innumeris implexa gracilibus & tortilibus fibris pullis glebæ limosæ inseritur, è qua cubitales & ternûm cubitorum caules cicutæ assurgunt, folia laueris Dioscoridis, ambitu serrata, speciosa, flos in vmbellis è luteo viridi pallescens, semen apio hortensi ferè par, quod gustu ad cuminum, daucum creticum, & citrei mali corticem accedere, & plusculum caloris habere videtur. Sij verò facultates hasce tradit Dioscorides. Eius folia cruda coctáque si edantur, calculos confringunt & expellunt. Vrinas item mouent, fœtus & menses ducunt. Et Galenus, Sium, inquit, quantum gustu odoratum est, tantùm etiam calfacientis facultatis est particeps. Sed & digerit, & vrinas mouet, & calculos renũ frangit, & mẽses euocat.

Lib.2.c.120

Lib.8.fin.

ERISITHALES, CAP. LXXVIII.

Lib.26.c.13.

ERISITHALES, vt scribit Plinius, est flore luteo, foliis acanthi, bibitur ex vino. Huic breui historiæ non inscitè aptari potest planta hîc depicta, radice longa, crassa, contorta, surculosa, foliis ex ea multis, pedem ferè altis acantho similibus, sed nonnihil per latera pungentibus: caule sesquicubitali, striato, foliis paucis, minoribus & breuioribus comante: flore aureo in capitulis oblongis, qui in pappos tandem dilabitur. In aquis semper, maximè pratis riguis reperitur.

EPIMEDIVM, CAP. LXXIX.

Nomen.

Forma.

Lib.4.c.19.

'ΕΠΙΜΗΔΙΟΝ Græcis, & Latinis Epimedium dicitur. Caulis est non magnus, inquit Dioscorides, hederæ foliis denis aut duodenis, neque florem, neque fructum ferens, radice tenui, nigra, graui odore, gustu fatuo Nascitur in humidis. Plinius hæc ex Dioscoride descripsisse videtur Epimediũ, inquit, caulis est nõ magnus, sed hederę foliis denis

Lib.27.c.9.

aut

EPIMEDIVM. Dodonæi.

aut duodenis, nunquam florens, radice tenui, nigra, graui odore. Nascitur in humidis. Quænam hæc sit planta difficilè est admodùm statuere. Matthiolus ignotam sibi fatetur, cúmque reprehendit, qui Epimedium eam plantam esse censet, quæ à triquetra foliorum figura à recentioribus Herba trinitatis appellatur. Pena raram quandam & nusquam à se præterquam in Italia visam plantã pro Epimedio pinxit & descripsit, suffragante etiam Italorum Herbariorum iudicio, Lobellius Epimedium Anguillaræ vocat. Dodonæus integram plantam representauit, atque his ferè verbis delineauit, folia eius ampla, numerosa, & creberrimè ter trina, rarò plura, ab vno terete tenuíque dependent pediculo, sunt autem ea hederæ foliorum figura, lata, acuminata, duriuscula, & per ambitum veluti serrata. Assurgit inter hæc tenellus & teres dodrantalis cauliculus, valde elegantes ferens flosculos, forma quadrangulares: quorum margines rubent, interiora lutea, medij verò virent apices: rubet & exteriore ac auersa parte flosculus, sed discurrentibus rectis candidísque striis variegatus. Radix multas in obliquum propagines emittit, inferiùs fibrosa. Legitimum esse Dioscoridis Epimedium non est facilè affirmare, id enim scribit neque florem neque fructum ferre: nisi dicamus huic idem vsuuenire quod Bechio, Dictamno, Onosmati, fortassè & Cynogloſſo, quibus florem, caulem, fructum demunt, cùm tamen iis ornentur. Hodie in Belgicis hortis viret. Scribit Dioſco. Epimedij folia cum oleo trita, imposito cataplasmate, non sinere mammas increscere: radicem conceptum adimere, folia trita quinis drachmis, post menstruas purgationes, quinque diebus in vino potu, præstare mulieribus ne concipiant. Eadem ferè Plinius, Huic, inquit, spissandi refrigerandíque natura, fœminis cauenda, folia in vino trita virginum mammas cohibent. Quibus assentitur Galenus, Epimedij vis, inquit, est moderatè refrigeratoria cum aquea humiditate: quare nullam habet insignem qualitatem, mammas cataplasmate impositum rectas seruare potest. Aiunt epotum concipiendi spem adimere. Lib. 6. fin.

BIBLIOTECA ROMANA

FINIS PRIMÆ PARTIS.

Digitized by Google

Digitized by Google